DE 28
.C3
1731
v.2

PRESENTED TO THE ~~6281.5~~
~~v.2~~

Public Library of the City of Boston.

SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA A.D.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822

By Joshua Bates, Esq.
Received 21 Feb. 1857 No. 26921

NOTITIAE ORBIS ANTIQVI,

SIVE

GEOGRAPHIAE PLENIORIS TOMVS ALTER

ASIAM ET AFRICAM ANTIQVAM EXPONENS.

CHRISTOPHORVS CELLARIVS

ex vetuſtis probatisque monimentis collegit,

&

NOVIS TABVLIS GEOGRAPHICIS,

ſingulari cura & ſtudio delineatis, illuſtrauit.

Alteram hanc editionem annotationibus varii generis partim e ſcriptis veterum, partim e recentiorum obſeruationibus illuſtrauit & auxit

L. IO. CONRADVS SCHWARTZ,

Eloq. & Græc. Ling. P. P. O. in Caſimiriano.

Adiectus eſt Index copioſiſſimus locorum & aliarum rerum Geographicarum.



LIPSIAE,

Apud IOH. FRIDERICI GLEDITSCHII B. FIL.

M. DCC. XXXII.

SUIS ME AÑUMERAT.
SIMB: ESTO NON EST MORTALE QUOD OPTO
JOH. VON DER MARK.

DE 28
.C3
1731
v.2

~~6231.5 v.2~~

SERENISSIMO ET REGIAE
DOMVS PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
PHILIPPO
WILHELMO,
PRINCIPI BORVSSIAE, MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SVPREMI IVRIS PRINCIPI ARAVSIONENSI, DVCI MAGDEBVRGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASSVBIORVM, VINIDORVM, ET IN SILESIA CROSNAE, BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE, RVPINI, MARCAE, RAVENSBERGAE, HOHENSTEINI, LINGAE, MEVRSAE, BVRAE ET LEERDAMI, MARCHIONI VEHRAE ET VLISSINGAE, DYNASTAE IN RAVENSTEIN, LAVENBVRG, BVTOW, ARLAY ET BREDA, CETERA,
DVCATVS MAGDEBVRGICI
GVBERNATORI,
ET ACADEMIAE FRIDERICIANAE
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

QVintus annus fere circumactus eſt, ex quo Notitiæ Orbis Antiqui Tomum priorem SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE REGI BORVSSIAE, TVI amantisſimo FRATRI, meo DOMINO indulgentiſſimo, tum primum ex Regno ſuo in Marchiam reuertenti, ſubiectisſima deuotione conſecraui. Interea etiam alter Tomus,

mus, abſoluens illam Notitiam, ſub manu creuit, & nunc ad finem vsque, Deo fortunante, perductus eſt. Deliberanti autem mihi, cui Heroi & illum Tomum dedicarem, vt lux inde ac fulgor operi, & auctoritas illuſtrior accederet; non occurrit ſane, cuius potius hunc nomine nuncuparem, quam TVO, PRINCEPS SERENISSIME. Quemadmodum enim prior Tomus iure debebatur FRIDERICO REGI, CONDITORI FRIDERICIANAE, vt fructum ex ſua Academia, tenuem quamuis, nec opimum, tamen aliquem perciperet: ita quum ex eadem prodit Tomus alter, prioris quaſi frater; nemo illum potius, quam TV, PRINCEPS MAXIME, FRATER REGIS, ſibi vindicare poteſt; præſertim quod eiusdem Academiæ, ex qua nunc exit ille Tomus, RECTOR es MAGNIFICENTISSIMVS. Accedit mirifica TVA in bonas litteras propenſio, quæ, præter alia illuſtrisſima documenta, præcipue ex prona voluntate, qua Academiæ moderationem, tot grauioribus diſtrictus curis, clementisſime in TE ſuſcepiſti, elucet. Qua etiam in primis dignus es, neque id munus alienum ab rationibus TVIS. Quum enim Ducatum Magdeburgicum FRATERNIS gubernes auſpiciis; quid æquius, quid magis eſt conueniens, quam etiam Academiam, quæ in Ducatu illo eſt, curis TVIS & ſapientisſimis conſiliis regi? Huius delectaris ſtudiis, huius gaudes incrementis: quo ipſo facis rem magno PRINCIPE dignam, quippe intelligunt HEROES, nulla re gloriam ſuam poſteritati magis conſtantiusque, quam Muſarum præconio & litterarum ſcriptis, commendari. Ego quoque, ſi quid ingenio poſſum aut longo vſu, id omne in potentisſimi REGIS, FRATRIS TVI; & ſerenisſimi FILII, PRINCIPIS IVVENTVTIS, DOMINORVM meorum, gloria prouehenda dudum collocaui: a quibus quod ipſe proximus es, & æque de Academia bene

mereris, TVARVM quoque laudum æternitas, vt vniuerſæ Academiæ, ita mihi cum primis curæ erit, vt nulla vmquam ætas de laudibus VESTRIS conticeſcat. Habes hic, MAGNE PRINCEPS, a me primitias cultus TVI, demisſisſima reuerentia oblatas, Tomum ſecundum Notitiæ Antiqui Orbis, quem ſpero comitem TVAE gloriæ per Orbem eruditum fore, & vbique meritorum TVORVM, qua bonæ litteræ patent, & forſan etiam ſeris poſthac temporibus, prædicatorem. Deus TE ſeruet, SERENISSIME PRINCEPS, & incolumitatem TVAM augeat in firmamentum ac robur DOMVS REGIAE, & in præſidium ac decus FRIDERICIANAE, etiam in meum meorumque ſolatium.

SERENITATI TVAE

Halæ Nonis Ianuar.
CIↃ IↃ CCVI.

deuotisſimus ſubiectisſimusque

CRISTOPHORVS CELLARIVS.

BENEVOLO LECTORI CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

ALter nunc Tomus, qui reliquum Notitiæ Antiqui Orbis habet, hoc eſt ASIAM & AFRICAM, in lucem exit, vtriusque faciem antiquam, quum Græci, Pœni, & Romani rerum potirentur, ex genuinis & antiquis auctoribus deſcribens. Et quum prior Tomus librum primum & ſecundum Antiquitatis Geographicæ comprehendat; hic poſterior tertium & quartum librum abſoluit. Liber tertius agit de Aſia, cuius pars citerior, in Perſidem vsque, a Græcis Romanisque ſcriptoribus, etiam a ſacris & diuinis celebrata eſt, ſed ita, vt vbique vel ſupplenda, vel digerenda, vel explicanda multa reliquerint, quæ cuncta adiicere, diſponere, ac illuſtrare non ſane facillimi eſt laboris, quum ipſi antiqui ſcriptores perſæpe inter ſe diſſentiant; multas vrbes quidem & gentes nominent, ſedem autem & poſitionem nequaquam oſtendant. In Europa faciliores rationes erant, quod in illa explicanda non ſolum geographi veteres, ſed noſtra etiam ætate viri ſummi laborauerant, quemadmodum PHILIPPVS CLVVERIVS in Italia & Germania; HADRIANVS VALESIVS in Gallia; in Britannia GVILIELMVS CAMDENVS; in Græciæ parte IACOBVS PALMERIVS non exiguum labori leuamentum attulerunt. In Aſia autem & Africa huius generis duces recentiores, qui viam per ſolitudines tantas, per tot barbaras & inauditas gentes præmonſtrarent, nobis defuere. Nec veteres diſtincte ac clare, aut plene ſua expoſuerunt, ſolo forſan Ptolemæo excepto, neque hoc tamen ſemper pleno, nec vbique certæ fidei. Palæſtinam quidem, ſeu ſanctam Terram, videntur multi & verbis & delineatis tabulis deſcripſiſſe, quorum exiſtimationi nihil equidem detractum volo: ſed quam ſæpe aberrauerint a vero ſitu, ex ipſorum comparatione

ne inter ſe, multis locis diſcrepantium, manifeſtum eſt, etiam ex noſtro fortasſis opere patebit, qui in ſanctis illis regionibus, præter antiquos, vix duce alio ſumus vſi, quam IACOBO BONFRERIO, in Euſebii librum ab Hieronymo verſum, item in Pentateuchum, Ioſuam & Iudicum præclaris commentariis; & IOANNE LIGHTFOOTO in Horis per Euangeliſtas Talmudicis. Sed quantula hæc portio eſt vniuerſæ comparata Aſiæ? Citerior quidem illa, Aegæo, Pontico, & Mediterraneo maribus incluſa, theatrum fuit rerum geſtarum, tam ciuitatibus Græcis, quam Romanorum bellis illuſtratum; quam etiam alumnus Strabo diligentius per ſingulas fere partes enarrauit: nec vero ex illo ſunt plana & explicata omnia, ſed multa aliunde, vbi diſperſa latent, conquirenda, vt plenior fiat expoſitio. Quæ vlteriora ſunt, plus difficultatis habent & operæ: extrema denſis tenebris ſunt inuoluta, luce hiſtoriarum deficiente; & vel ſola Ptolemæi fide nituntur, niſi qua Alexandri expeditio tractum aliquem, ab illo peragratum, illuſtriorem reddit; quamquam & in hoc ſcriptores ſæpe numero diſſentiant. Africæ interiora ſunt minus cognita, in quibus itidem Ptolemæo plurima debemus, dubii quam certo, quia in notioribus non raro diuerſus eſt a ceteris. Quæ in ripis Nili ſunt aut ad oram Mediterranei maris, copioſius deſcripta inuenimus, etiam multa illorum declarata ſunt hiſtoriis: nec vero, vbi Romani res geſſerunt ſuas, expedita & explicata ſunt omnia, ſed non pauca in dubiis & incertis relinquuntur. Tabulæ veteres Ptolemæi adiectæ Geographicis libris, ſiue ab Agathodæmone ſunt, ſiue ab alio; fidem eamdem merentur, quæ ipſius eſt Ptolemæi, ad quam illæ ſunt compoſitæ. Nos Tabulas octo Aſiæ; quinque Africæ illuſtrandæ addidimus, ſtudio noſtro diſpoſitas, noſtraque manu delineatas: in quibus, LECTOR, mirari nolis, quod non nullis locis illæ conuenire minus videantur. De induſtria illud

factum

factum eſt, maxime in Euphratis & Tigris decurſu & anfractibus, aliorumque cum illis amnium, Chaboræ, verbi gratia, confluente: in quibus nec hodie tabularum conditores conueniunt. Qui enim in illis locis peregrinati ſunt, nihil certi de fluminum ductu illorum tradiderunt. Vnde eſt, quod in Syriæ tabula cum vulgo Euphratem delineauimus: in Meſopotamiæ, ſecundum Ptolemæum aut Agathodæmonem: quos ex recentioribus etiam clari viri adhuc imitati ſunt. Poſſet error vel dubietas facile per Europæos negotiatores corrigi, niſi maior cura illorum in mercimoniis, quam in veritate geographica eſſet. Principio Orientem, qui poſt Syriam & Palæſtinam eſt, tabula vna complexus eram, quæ etiam in Armenia, Media, Perſide, Parthia, finitimisque, & ab Alexandro percurſa India ſufficere poteſt, quod pauca illorum ex veterum monimentis ſunt cognita. Quum vero id ſpatium non capiat quæ circa Euphratem ſunt & Arabiam, ſingulares tabulas de iis adieci, vt quæ Orientis tabula conſpectu breui exhibentur, his proponantur explicatiora. Addita Tabula Scythiæ Sericæque, Ptolemæo potisſimum auctore, quum deſint alii; vt, quantam veteres de iis cognitionem habuerint, etiam quodammodo intelligatur. Obſcurisſima quædam gentium & oppidorum nomina, ſed gentium magis, a Plinio aut aliis memorata, prætermiſimus, quia turbate ſunt enarrata, nec ordinari aut ſua diſponi ſede poſſunt: quo Notitiæ noſtræ adeo nihil puto decedere, vt verear potius, ne tædio multis futurum ſit lectoribus, ſimilia nomina, de quibus nihil ex hiſtoriis conſtat, ex Ptolemæo me plurima attuliſſe. Sed nolui præterire, quibus idem auctor certum ipſe locum adſignauerat: quod, quia in ceteris deſideratur, vtique excuſatius illorum quædam, metu tædii adferendi, & quod nullius vſus erant ac incertæ poſitionis, a nobis ſunt poſthabita. Tandem

 etiam,

etiam, quod vterque Tomus prodit, ſignificatum monitumque volo iterum, me ſolam nunc antiquam Geographiam a principio imperiorum vsque ad Conſtantini tempora exhibere. Sunt quidem ex medio etiam æuo non nulla ei inſerta, ſed partim quod itinera ita ferebant, Antonini maxime; partim quod oppidorum ætas incerta erat, quamquam ab antiquis non fuerant commemorata. In ipſis antiquis ſi diſſentitur, illorum partes ſequuti ſumus, qui fidem habent probabiliorem: vbi concordia eſt, illam numquam deſeruimus. Auctorum veterum teſtimonia, genuinis vbique verbis adpoſita, nos ſatis, ſpero, in omnibus tuebuntur. Vale, beneuole LECTOR, nobisque & ſtudiis noſtris faue.

ORDO

ORDO TABVLARVM
TOMI SECVNDI.

Libro III *ſiue in* ASIA *ſunt Tabulæ*

I.	Aſiæ Minoris	pag. 2
II.	Boſpori, Mæotidis, Iberiæ, Albaniæ, Sarmatiæ Aſiaticæ	pag. 301
III.	Syriæ	pag. 335
IV.	Palæſtinæ ſiue Terræ Sanctæ	pag. 390
V.	Arabiæ Petrææ & Deſertæ	pag. 569
VI.	Meſopotamiæ & Babyloniæ	pag. 602
VII.	Orientis	pag. 675
VIII.	Scythiæ & Sericæ	pag. 753

Quod vero Tabulæ quædam pluribus Capitibus accommodatæ ſunt, quædam etiam interruptis Capitibus vſum præbent, viſum eſt per ſingula id Capita indicare.

Capita VIII priora libri III illuſtrantur Tabula prima, quæ *Aſiæ* eſt *Minoris.*

Caput IX & X ex Tabula *Boſpori*, *Mæotidis*, *Albaniæ*, *Iberiæ* & *Sarmatiæ* lucem ſuam accipiunt.

Capite XI *Armenia* vtraque explicatur: *Maiorem* Tabula Orientis repræſentat; *Minorem* Tabula Aſiæ Minoris.

Caput XII, quod de *Syria* eſt, habet Tabulam propriam, quæ & ipſa *Syriæ* nomen præfert.

Caput XIII etiam ſingulari Tabula *Palæſtinæ* ſeu *Terræ Sanctæ* declaratur.

Capitis XIV *Arabia Petræa* & *Deſerta* ſuam habent Tabulam: *Petræa* etiam, quanta in ſacris memoratur, expreſſa eſt in Tabula *Palæſtinæ*: *Felix* autem conſpicitur in Tabula *Orientis.*

Capita XV & XVI ſunt in Tabula *Meſopotamiæ & Babyloniæ.*

Capitis XVII *Aſſyriam* quære in eadem *Meſopotamiæ* Tabula: & vno conſpectu in Tabula *Orientis.*

Capita XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII eadem *Orientis* Tabula illuſtrat.

Caput XXIV dilucidatur Tabula *Scythiæ* & *Sericæ*. Sarmatiam Aſiaticam, eodem cap. deſcriptam, exponit Tabula *Boſpori* & *Mæotidis*, de qua ſupra ad cap. IX & X dictum eſt.

TABVLAE LIBRI IV ſiue AFRICAE.

I. Tabula *Aegypti* & *Cyrenaicæ*, quæ & *Marmaricam* & *Troglodyticen* continet pag. 764

II. *Delta*, pars Aegypti, & *Nili oſtia* pag. 774

III. *Africa Propria*, olim Carthaginienſis pag. 864

IV. *Numidia* & *Mauretania* vtraque pag. 898

V. *Africa Interior*, id eſt Gætulia, Libya, Aethiopia pag. 939.

SUPPLEMENTA
Obſeruationum ad CELLARII Geographiæ antiquæ Tomum I.

Ad pag. 44. not.

CVm nomini *Paraſangæ* hanc originem tribui: memineram, Golium in Lexico Arabico & Kæmpferum in Amœnitatibus exoticis pag. 727 *Ferſach* & *Ferſench* vt nomen ſimplex venditare videri. Id quod mihi ſecus eſſe videtur: quum præſertim altera nominis pars ex Arabica *nachcha* deriuari poſſit, quod ſignat *violenter & vehementer propulit.* Paraſangas XXII & dimidiam exæquat Kæmpferus vni gradui cæleſti. Ergo comparatio earum ad milliaria Germanica liquet. Xenophon lib. III expedit. Cyri p. 276 paraſangas DXXXV adæquat 16050 ſtadiis. Ergo paraſangam ibidem triginta metitur ſtadiis. Cum qua ratione conuenit pene ea, quæ libro ſeptimo extremo eiusdem auctoris reperitur.

ad pag. 49 § 14.

Exempla ratiocinationis ςαθμῶν ne forte requiras, Xenophon lib. V Expedit. Cyri pag. 355 ſuppeditabit, vbi CXXII caſtris paraſangas DCXX æquat; & libr. VII extrem. eiusdem Expedit. CCXV caſtra paraſangis MDL æquiparat. Sed ne putes *caſtra* ſingula paullo plus quinis paraſangis valuiſſe. Nam *caſtra* nonnunquam a *caſtris* differebant paullum. Id quod ex itinere Titi Veſpaſiani apud Ioſephum de Bello IV cap. 11 extremo liquet. Atque in caſtris memorandis etiam quies aliquot dierum memoratur identidem: vt caſtra ſtadiis & paraſangis minus exæquari poſſint commode.

ad pag. 51 c. 1

Hiſpania) Eſt tamen etiam Σπανία in Rom. XV, 28. Pæanius III c. 3 Ἱσπανίαν nominat. Sed hic e poſterioribus eſt temporibus, & Stephanus etiam, qui συνωνύμως, inquit, Ἰβηρία τε καὶ Σπανία καλεῖται. Strabo quidem libro III pag. 252 ſatis docet, Latinum nomen eſſe Ισπανίαν.

ad pag. 74 § 37.

Sex, Sexi) Stephanus Σίξον nominat. Σίξος πόλις Μαςιηνῶν, *Sixus vrbs Baſtitanorum.* Nam Maſtianos vocat, quos alii Baſtitanos. I vero & E ſæpe permutantur. Sic Strabo Σιδητανοὺς appellat quos *Sedetanos* alii. Gentile apud Strabonem III pag. 236 eſt Εξιτανός.

ad pag. 78 § 43.

Bætis) Olim *Tarteſſus* appellatus fuerat. Strabo III pag. 221 Εοίκασι δ' οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν Ταρτησσόν, *Veteres Bætin Tarteſſum nominaſſe videntur.* Quod confirmat Stephanus in Ταρτησσὸς & Pauſan. VI cap. 19. Hæc duo loca Caſaubonus ad Strabonem illuſtrandum adtulit. Quibus addo Stephan. in Ἰβηρίαις, qui πρῶτον μὲν, inquit, οἱ ἐπὶ τοῖς ἐσχάτοις οἰκοῦντες τὰ πρὸς δυσμέων Κύνητες ὀνομάζονται, μετὰ δὲ Ταρτήσιοι, μετὰ δὲ Ἐλβυσίνιοι, μετὰ δὲ Μαςιηνοὶ, μετὰ δὲ Καλπιανοὶ, ἔπειτα δὲ ἤδη ὁ Ῥόδανος. *Primum quidem qui*

 ad

ad extrema occidentis habitant, Cynetes nominantur -- poſt Tarteſii (id eſt *Bætici*, ſeu Turdetani) *tum Olſobinii, tum Maſtiani* (ſeu Baſtitani) *deinde Calpiani, denique iam flumen Anas.* (ὁ ῥόος Ἄνας.) Ita locus deſperatus ſanatur facillime. *Turdetanos* autem latine dici, qui græce Ταρτήσιοι, ex ſimilitudine aliorum nominum intelligitur, quæ litteras cognatas immutant. Et Καρπησίȣς Stephanus vocat *Carpetanos.* Baſtitanos autem eſſe Stephani *Maſtianos*, ex ipſomet clarum eſt in Σίξος. *Sex* enim vbi iaceat, nouimus. Vide infra in *Baſtitanis.*

ad p. 106 § 92.

Ζακυνθίων) Hinc illud eſt fortaſſe, quod Polybius III c. 6 Saguntum Ζάκανθαν appellat. Et *Zacanthæi* ſunt apud eundem III cap. 8. Sagunti ſitus deſcribitur a Polybio III cap. 19. Eam Annibal octo menſibus cepit. Polyb. ibid.

ad pag. 107 § 96.

Baſtitani) Hi illi ipſi ſunt quos Stephanus *Maſtianos* vel *Maſtienos* vocat. Μαϛιανοὶ ἔθνος πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις ϛήλαις. Ειρηται δὲ ἀπὸ Μαϛίας πόλεως. *Maſtiani gens Herculis columnis proxima.* - - *Nomen ab vrbe Maſtia ſortita eſt.* Adde eundem Stephanum in Ιϐηρίαις, & quæ diximus ad vrbem *Sexos.* Si conſideremus ea quæ Strabo III pag. 207 de Baſtitanis ſcribit, nulla omnino dubitatio relinquitur. Πρὸς νότον δὲ, inquit, Βαϛιανῶν οἱ μεταξὺ τῆς Κάλπης καὶ τῶν Γαδείρων ϛενὴν νεμόμενοι παραλίαν· καὶ ἡ ἑξῆς θάλαττα μέχρι Ανα· καὶ οἱ Βαϛητανοὶ δὲ ὡς εἶπον, τῇ Τȣρδιτανίᾳ πρόσκεινται· καὶ οἱ (non ἡ) ἔξω τȣ̃ Ανα, καὶ οἱ πολλοὶ τῶν προσχώρων. cet. *Meridiem verſus Baſtetani, qui inter Calpen & Gades anguſtum accedunt littus, ſed & externum mare usque ad Anam, & quos dixi, Baſtetani adiacent Turditaniæ multique finitimi populi.* Adde huc quæ Berkelius ad Stephani Μασσίαν dicit.

ad pag. 128.

ὅ ἐϛι σφενδονῖται) Polybius inprimis hic audiendus erat. Πρὸς δὲ τȣ́τοις, inquit, Βαλιαρεῖς ȣ̃ς κυρίως μὲν καλȣ̃σι σφενδονήτας· ἀπὸ δὲ τῆς χρείας ταύτης συνωνύμως καὶ τὸ ἔθνος ἀυτῶν προσαγορέυȣσι καὶ τὴν νῆσον. *Erant etiam Baliares, quos proprie quidem funditores vocant: ſed ab hoc vſu & gentem eorum & inſulam ſic appellant.*

ad pag. 129 § 1.

Gallia Transalpina) Græce ἡ Γαλατία ἡ ἐπέκεινα τῶν ὀρῶν ſeu ἡ ἐπέκεινα τῶν Αλπεων. Dio XXXVIII p. 70.

ad pag. 174 not. *

Ambarri) Hos circum Ararim habitaſſe & Sequanorum partem conſtituiſſe probabile eſt etiam iccirco, quod Dio lib. XXXVIII pag. 88 ab Aeduis & Sequanis ad Cæſarem auxilii petendi cauſa legatos miſſos eſſe dicit, quos Cæſar ipſe ab Aeduis & Ambarris miſſos eſſe ſcribit. Hæc ſi tenueris: minus etiam periculi a Strabone metueris, qui Sequanos ad Ararim vsque produxit item vt Cæſar Lib. I B. G. c. 12 ſ. 1.

ad pag. 176 § 89.

Lugdunum centeſimo a deductione anno exuſtum erat. Senec. epiſt. 91.

ad

ad pag. 199 § 137.

Octodurus) *Octodurenſes* fuere *Latio donati*. Plinius III c. 20.

Ciuitas Vallenſium) Regio non fuit appellata *Valinſa*, quod Guillimanno de reb. Heluet. IV c. 3 ſ. 1 viſum eſt. Sed *Valinſa* fuit urbs, vt *equeſtris colonia*. Inſcriptio quæ inter Verſutium & Geneuam legitur, eſt iſta:

D. M.
L. AVR. RESPECTO. IVVENI.
ERVDITO. CAVSI
DICO
BIS. CIVI. VALINSAE.
ET. EQVESTRI. DEFVNC
TO ANNORVM. XVIII.
L. AVREL. RESPECTVS.
PATER. PONENDVM.
CVRAVIT.

Et quia *ciuitas Vallenſium* Octodurus dicitur: iccirco *Valinſa* ipſa *Octodurus* fuiſſe videtur.

ad pag. 201 § 140.

Ἀλλοβρύγες *per* υ *ſed praue*) At etiam Dio lib. 38 p. 87 διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων ἐπορεύοντο, *per Allobroges proficiſcebantur*. Et l. 37 p. 57 τῶν δὲ Ἀλλοβρίγων τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα πορθούντων, *Allobrogibus Galliam Narbonenſem deuaſtantibus*. Et mox: τὰ τῶν Ἀλλοβρίγων λυμηνάμενοι, *deuaſtantes Allobrogum regionem*. Strabo XVI. pag. 1109 edit. Almel. παρὰ τοῖς Ἀλλόβριξι Γαλάταις, *apud Allobroges Gallos*. Id. lib. IV pag. 311 Παρατείνουσι δὲ οἱ Οὐοκόντιοι μέχρι Ἀλλοβρίγων, *Vocontii vsque ad Allobroges pertingunt*. Adde inſequentia. Polybius III c. 50 οἱ τῶν Ἀλλοβρίγων ἡγεμόνες, duces Allobrogum. Dio XXXVIII p. 97 Ἀλλόβριξ ὤν, *quum ſit Allobrox*. Quid multa? Stephanus teſtatur & Ἀλλόβρυγας & Ἀλλόβριγας & Ἀλλόβρογας dici.

ad pag. 222 not. ** adde iſta:

De ſententia Fr. Guillimanni lib. I c. 2 pagus Tigurinus in orientem terminatur Breitenualdo Glaronenſium & Vico iuxta Acronium: in ſeptemtriones Rheno lacuque Acronio ad confluentiam vsque: in occidentem Arula & Limago vsque ad Vettingam, tum montibus ad Lorzam flumen infra Frauenthalium, item inter Artam & Cuſſenacum Suitiorum vicos vsque ad Treibam lacum Vraniorum & Geſtinum eorundem decurrentibus: Vnde ad Breitenualdum vsque montium iuga Syluanios & Glaronenſes a Rhætis ſeiungentia meridialem regionem concludant.

Pagus Vrbigenus ſecundum eundem dictus eſt quaſi *Aergeu*. A commiſtione Limagi & Arulæ ad Vocetium decurrit ad ortum vsque Siggeris. Inde ad Arulam Munſingam vsque, tum ad montes Viliſouium & Entlibuchium ſpectantes, Brunicum item Siluaniorum & Angelbergam & montes Vraniorum. Ceteri fines ex Tigurini pagi limitibus occidentalibus iam noti ſunt.

Auenticenſis pagus, vt idem Guillimannus vult, a meridie clauditur monti-

montibus Valeſianis, & iis qui a Caſtro S. Dionyſii inter Minnidurum & Lauſadunum ad Iuram deflectunt: a ſeptemtrionibus Iuræ iugis vsque ad fontes Siggeris. Nam fines reliqui ex Vrbigeni pagi limitibus iam ſunt manifeſti.

Quartus pagus Guillimanno eſt Antuatius, quem intercurrat lacus Lemanus, a Fano S. Mauritii ad vrbem Allobrogum Geneuam porrectum. Fines quibus ab Aventicenſi pago diſterminatur, iam clari ſunt. Ad meridiem montibus Salaſſos & Centrones & Allobrogum partem ſeiungentibus circumſcribitur.

ad pag. 223 § 36.

Guillimannus de reb. Helu. I, 9, 10 inſcriptionem Auentici affert, in qua verba ſunt: IMP. CAESARI. VESPASIANO. Ex quo concludit, Auenticum coloniam fuiſſe Veſpaſiani. Idem *Neriodunum* coloniam equeſtrem fuiſſe putat I, 9, 4.

ad pag. 235.

Salodurum) Guillimannus III cap. 10 f. 2 a Salienſibus Salodorum habitatum fuiſſe putat, quorum memoriam ſeruet *Salſack*, ſiue *Salienſium aquæ*, vicus Salodoro & Biennæ interiectus. Affert etiam illam inſcriptionem ad Antonini Elagabali tempora referendam:

DEAE. EPONAE. MAG.
OPILIVS. RESTIO. MIL.
LEG. XXII. ANTONI
ANAE. P.P.F. IMMV
NIS. COS. CVRA. SA
LIENS. VICO. SALOD.
D.D. XVIII. KAL. SEPTEMB.
IMP. D.N. ANTONINO
AVG. II. ET. SACERDO
TE II. COSS.
V. S. L. M.

ad pag. 226 nota.*

Sententiæ meæ fauere poſtea vidi Gullimannum de reb. Helv. I, 5, 8, qui *Tobinium* Zopfingen & *Tilam* flumen ad confirmandam ſententiam affert.

ad p. 228 § 45.

Tulingi ſunt haud dubie *Stulingii*, & *Latobrigii* conueniunt cum *Klætgeueris*. Hoc idem videtur Guillimanno de reb. Helvet. I c. 7 p. 26.

ad pag. 297 § 179.

Vtrum *Arc* ſit *Abringa* vel *Obringa*, dubium videri poſſit. Cauſam enim, cur, contemta Moſellæ nobilitate, flumen tam tenue longiſſimum terræ tractum diſcreuerit, vix intelligo. *Obringa*, ſi nomen ſpectes, ſignificare poteſt *ob rin gau*. Eſt autem *Ringau* vrbi Magontiaco vicina regio & Archiepiſcopo paret. Fuit etiam Magontiacum caput Germaniæ ſuperioris. Ergo terris quæ Archiepiſcopo illi parent, finita fuiſſe videtur Germa-

Germania ſuperior. Epiſcoporum enim autoritas fere tam late patuit, quam iurisdictio Præſidum. Fortaſſis igitur Ptolemæus errauit, quum regionem flumen appellaret.

ad pag. 360 § 4.

Teutones) vbi promiſſum hoc exoluerit Autor, equidem haud ſcio. Quia *Teutoni* cum *Cimbris* coniuncti fuere in conſiliis occupandæ Italiæ: non eſt incredibile, vtrosque olim regionum finibus, ſaltem vicinitate, coniunctos fuiſſe. Mela III, 3 *Super Albin Codanus ingens ſinus, - - - In eo ſunt Cimbri & Teutoni: vltra, vltimi Germaniæ Hermones.* De his *Teutonibus* intelligendus Virgilius Aen. VII, 741

Et quos maliferæ deſpectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu ſoliti torquere cateias.

Propert. III, 2, 43, 44. Tacit. Hiſt. IV, 73, 4. *Teutones* hanc gentem vocat Plutarchus in Mario, Eutropius V, 1, 1. Oroſius V c. 16. *Teutonos* Cæſar B. G. I c. 33 ſ. 4, & c. 40 ſ. 5. Cicer. Manil. c. 20 extr. Velleius II c. 12 ſ. 2, & II c. 8 ſ. 2. *Teutoni* igitur in regionibus quæ nomen illud etiam nunc ex parte retinent, conſediſſe quondam videntur. *Ditmarſi* ſatis noti ſunt. Ibi ergo Teutonorum patriam fuiſſe ſuſpicio eſt. *Dit, Tid, thod, theod* veteri lingua *populum* ſignauit. Dialecti varietas *Teut, Tut* & ſimilia vocabula peperit. Vide Loccenium Antiqu. Sueo-Goth. I c. 4 pag. 28, Altingium, alios.

ad pag. 365 § 17.

Rhenumque & Mœnum amnes) Dudum ego in diſſertatione *de Heluetiæ finibus longius protrahendis* oſtendi, *Aenum* in Tacito legendum eſſe, non *Mœnum.* Sic olim in Taciti hiſtor. III, 5, 5 *Mœni fluminis* mentio fiebat, ſed Rhenanus primus docuit *Aeni* legendum eſſe. Ipſa quidem Taciti verba, ſi recte conſiderentur, de Mœno nos meminiſſe vetant. Nam Heluetios dicit fuiſſe *inter Herciniam ſiluam Rhenumque.* Atqui ſilua Hercinia, teſte Cæſare VI c. 24, *ab Heluetiorum & Nemetum & Rauracorum finibus oritur.* Nemetes autem & Rauraci ad Rhenum accolebant. Ergo ipſi etiam Rheno continebantur, nec ad Mœnum pertinebant. Deinde Cæſar B. G. I c. 5 ſ. 4 ait Heluetios *Rauracis & Tulingis & Latobrigis finitimis perſuaſiſſe, vti - - vna cum iis proficiſcantur.* Si Stulingi & Kletbrigæ Heluetiorum finitimi fuere: qui factum eſt, vt Mœnum ipſum contingerent? Harudum rex iſto tempore Ariouiſtus erat, item vt Germanorum illorum quibus agri ſui partem conceſſerant Sequani. Harudes autem colebant agrum Germaniæ eum qui medius inter Rhenum & Mœnum interceſſerat. Quomodo igitur Heluetii attingebant Mœnum, quem ne Harudes quidem attingebant? Imo nec Harudes accolas habebant. Alioqui iſtis quoque perſuaſiſſent, vt ſecum in Gallias abirent. De Seduſiis idem dicere licet, quod de Harudibus adhuc dixi. Ac miror, doctos homines ex Taciti German. c. 28 non perſpexiſſe, finitimos Germanorum modo enarrari, non ipſos Germaniæ ſeſſores. Heluetii igitur nullam Germaniæ partem tenuerunt: neque Boii illi qui in Noricum de-

ceſſerant. Noreiamque oppugnarant, ſine dubio ea mente, vt ſedem ſibi conſtituerent. Accedit huc illud etiam quod Cæſar Heluetium agrum Germanico ſæpe opponit, v. g. I c. 28 ſ. 4. Opponere autem non potuiſſet, ſi Heluetii Galli partem Germaniæ tenuiſſent. Adde ſis diſſertationem meam quam ſupra memoraui.

ad pag. 375 § 45.

Templum quod Tanfanæ vocabant) Ne templum lapideum aut ædes interpreteris, ſed ſaltus partem quandam religione inſignem. Nam Germani *nec cohibere parietibus deos neque in vllam humanioris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium arbitrabantur. Lucos ac nemora conſecrabant.* Tacit. Germ. c. 9. Nec te moueant verba *ſolo æquatum.* Nam etiam frequentes & denſæ arbores quum cæſæ ſunt, ſolo æquatæ dici poſſunt. De reliquo *Tanfanæ* nomen belle explicare videtur Loccenius in Antiquit. Sueo-Goth. I c. 3 pag. 19. *Fan* enim *dominum* ſignat. *Tanne* quid ſit, omnes nouimus. Ergo *Tanfan* eſt *lucus domini* abietibus conſitus.

ad pag. 376 § 48.

Qui maiores Chaucos ad deditionem perlicerent) Ex his Taciti verbis Spenerus probare contendit, Chaucos maiores Friſiis proximos fuiſſe, minores Albis accolas. Sed quum ei Ptolemæi repugnet auctoritas, & qui Chaucos vicinos dedi ſibi vellet, maioribus id perſuadere neceſſe habuerit, quippe potentioribus: aſſentiri Spenero equidem nolim. Illud item hic addere liceat, *Chaucos* non a *Kauzen* Germanico vocabulo minus huc accommodato, ſed a *gaucken*, id eſt, *vagando & agitando* dictos videri. Amplitudo quidem regionis & conſuetudo Germanorum mutandi agricolas & milites ad confirmandam hanc originationem perquam eſt idonea.

ad pag. 376 § 48.

Quum Autori noſtro propoſitum eſſet, vt Geographiam ſcriberet quæ ad initia ſæculi IV perduceretur: neceſſe fuit, vt *Francorum* quoque & *Saxonum* mentionem faceret, quorum res geſtæ iam ante Conſtantinum M. commemorantur. FRANCI iidem ſunt qui *Chauci* cum vicinis ſuis. Nam, vt Vorburgius quoque in Continuat. Demonſtrat. Tom. I pag. 368 docet, nusquam aliunde aduentaſſe dicuntur, nec cum Chaucis potentiſſima gente bellum gesſiſſe aut eos depuliſſe aut ab iis recepti eſſe. Ac fortaſſe nomen *Chaucorum* & *Francorum* idem ſonat. *Chauci* enim dicti videntur a vocabulo, cuius deriuata multa ſuperſunt *gauckeln, Gauckel-Licht, Gauckler*, quæ omnia originem produnt verbi *motum* & *inſtabilitatem* & *vagum* quiddam ſignificantis. *Franci* autem non mihi dicti videntur a *fre* & *ancke*, ſed a *frie* & *ängern*, vel *rancken*, vnde eſt *räncken*, vt ſint *homines terræ liberæ coloni*, vel *libere vagantes*, *nec certis aſtricti agris quos more aliarum gentium perpetuo & continenter colerent, ſed qui libere in aliena excurrerent.* Ipſa etiam linguæ, conſuetudinum, comitiorum, rei familiaris tuendæ, formæ corporum conuenientia Francos & Germanos eandem gentem eſſe docet. Qua de re legi poterit diſſertatio Vertotii

in

in commentariis literaturæ Academiæ Regiæ inſcriptionum tom. II part. II p. 298--354. Francos meminit Trebellius Pollio in Gallienis, *Ibant*, inquit, *gentes ſimulatæ, vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Perſæ.* Ac Flauius Vopiſcus in Aureliano: *Idem apud Magontiacum tribunus legionis ſextæ Gallicanæ Francos irruentes cum vagarentur per totam Galliam ſic afflixit, vt trecentos ex his captos, ſeptingentis interemtis, ſub corona vendiderit.* Victor in Gallien. c. 33 p. 381 *Francorum gentes, direpta Gallia, Hiſpaniam poſſiderent.* Hoc ipſum Oroſius VII c. 22 ita dicit: *Germani vlteriores abraſa potiuntur Hiſpania.* Adde huc Zonaram in Gallieno, & Eutrop. IX c. 6 ſ. 12. Zoſimus I c. 68 de Probo: Καὶ δευτέρα γέγονεν αὐτῷ μάχη πρὸς Φράγκους, οὓς διὰ τῶν στρατηγῶν κατακράτος νενικηκὼς αὐτὸς Βουργούνδοις καὶ Βανδίλοις ἐμάχετο. *Alterum contra Francos prælium pugnauit, quibus opera ducum ſtrenue victis, ipſe cum Burgundorum Vandilorumque copiis dimicauit.* Et mox c. 71 p. 116 Καὶ Φράγκων τῶν βασιλεῖ προσελθόντων καὶ τυχόντων οἰκήσεως μοῖρά τις ἀποστᾶσα πλοίων εὐπορήσασα τὴν Ἑλλάδα συνετάραξαν ἅπασαν, καὶ Σικελίᾳ προσσχοῦσα καὶ τῇ Συρακοσίων προσμίξασα πολὺν κατὰ ταύτην εἰργάσατο φόνον κ. τ. λ. *Quum Franci itidem ad imperatorem acceſſiſſent & ab eo ſedes conſecuti eſſent: pars eorum quædam defectionem molita magnamque nauium copiam nacta totam Græciam conturbauit. In Siciliam quoque delata & vrbem Syracuſanam adorta magnam in ea cædem edidit &c.* Hæc qui perpenderit, mirabitur Oroſium ita ſcribere libro VII c. 24: Probus *Gallias iam dudum a barbaris occupatas per multa & grauia bella, deletis tandem hoſtibus, ad perfectum liberauit.* Francos intra Albim & Veſerim ad Rhenum vsque habitaſſe, docet Gundlingius in Gundlingian. Part. III Sect. II, § 11, & Part. IX ſ. I. Spenerus not. Germ. ant. IV c. 5 § 8.

ad pag. 381 § 56.

Lupodunum) Caſtrum *Lupf* eſſe putatur, quod a fontibus Danubii & Nicri ita abeſt, vt angulum pene acutum conficiat.

ibid. § 57.

Per illam in Cheruſcorum terram) J. C. Spenerus notit. German. antiqu. IV cap. 3 § 55 pag. 291, 292 proprium Cheruſcorum agrum Viſurgi & Albi circumſcriptum fuiſſe putat, cis Viſurgim ſubiectos Cheruſcorum habitaſſe opinatur. Autorem huius ſententiæ Strabonem libr. VII p. 447 edit. Almelou. citat. Sed Strabo non dicit, Varum ἐν τοῖς τῶν Χηρούσκων ὑπηκόοις cæſum eſſe, ſed Germanos *eorum opes ſubuertiſſe qui fidem ipſis habuiſſent, veluti feciſſent Cheruſci & eorum ſubiecti, apud quos tres legiones Romanorum cum duce Quintilio Varo, fracto fœdere, per inſidias perierint.* Scilicet Cheruſci non diuellendi ſunt hic a ſubiectis nec ſubiecti a Cheruſcis.

ad pag. 382 § 59.

Recepta opinio, Foſos trans Albim habitaſſe confirmatur.) Annotaui iam ad hæc verba, controuerſiam eſſe de *Foſis*, quos aliqui & præſertim Leibnitius ad amnem *Fuſum* collocarunt ex Hildeſienſi agro in Alleram apud Cellas infuſum. Sed Cellarius Cluuerium ſequi mauult qui Foſos

ſos trans Albim quærit. Sed quum calamitas Cheruſcis a Cattis illata ſit quippe cis & vltra Veſerim finitimis: Foſos eadem clades contigiſſe facilius intelligitur ad Fuſum adiectos quam vltra Albim reiectos. Neque audiendi ſunt qui a Tacito inter Foſos Cimbrosque nihil interpoſitum eſſe dictitant. Nam ſatis ſpatii interpoſuit is qui ſinum Germaniæ ab accolis Oceani ſecreuit. Quantus enim tractus terrarum inter agrum flumine Foſo rigatum & Oceani littora intercedit? Quod *Foſi* nec a Ptolemæo nec ab aliis nominati dicuntur, mirum non eſt. Nam parua ciuitas, validiore afflicta, magis etiam conflictata intelligitur, vt a ſcriptoribus Tacito poſterioribus nulla & memoratu indigna putari potuerit. Neque *Foſetes Land* obiici nobis poteſt. Nam contra talem obiectionem muniit nos Tacitus qui cum Cimbros Oceano proximos Foſis oppoſuit, *Foſos* in partibus Germaniæ interioribus quæri voluit. Ibique eos inuenimus. *Saxones* autem in *Holſatia*, id eſt, *Oltſaſſia*, vt ita dicam, a Foſis disiunctos reperimus.

ad pag. 382 § 59.

Paulo poſt Francos hiſtorici Romani etiam *Saxones* commemorare cœperunt, quorum res geſtæ partim itidem in tempora incidunt Conſtantino Magno ſuperiora. Ergo aliquam illorum mentionem hic fieri, non fuerit ſuperuacaneum. A Tacito nondum celebrati ſunt, quum reliquos Germaniæ populos diligenter perſequeretur. Neque mirum hoc nobis videri debet. Nondum enim tempora illa & cauſæ nominis iſtius ſatis matura erant. Quum enim Cæſar Octauianus quasdam Germaniæ nationes vltra Albim fluuium ſummouiſſet, vt Suetonius in eius vita c. 21 teſtatur: gentes Albi vicinæ eiectos illos populos hoſpitio exceptos inter ſe diuiſiſſe videntur & toleraſſe, donec Romanorum opibus paulatim deflorescentibus in patriam glorioſe redire poſſent. Hoc illi tempus aucupati ſpem ſuam mox diuinitus proſperatam viderunt. Nam ſub Caligula iam in Galliam vsque proruperant. Sueton. Galb. c. 6. Vti igitur hi propter excurſiones & expeditiones crebras *Franci* appellari cœperant: ita *Saxones* dictæ ſunt gentes eæ ad quas Franci illi quondam confugerant, & inter quas aliquamdiu diſperſi habitarant. Quum autem Franci Romanorum Principum ſocordia in ſedes priſtinas reuocati & veterum iniuriarum vltione inflammati infinitum in Romanos odium ſuſcepiſſent, nec quieſcere vnquam potuiſſent: *vagantium* nomen illis magis magisque confirmatum eſt, ſic vti hoſpitibus ipſorum quietis iisdemque terræ ſuæ veteribus ſeſſoribus *Saxonum* nomen itidem inueterauit. *Sax* enim eſt *ein Saß, von alten Zeiten her eingeſeſſen.* His *Sueui* belle opponuntur. Vnde hodieque ſuperſunt nomina *Landſaß, Waldſachſen,* quaſi dicas *Waldſaſſen, Schrifftſaſſen, Amtsſaſſen.* E *Saſſen* autem *Saxones* factos eſſe non mirabuntur, qui meminerint in numis & marmoribus antiquis pro *ss* ſæpe *x* poſitum eſſe. Ac fortaſſis ipſum vocabulum Latinorum *ſaxum* ad inflectendas peregrini nominis literas aliquid momenti habuit. Adiuuat coniecturam noſtram de inueterata Francorum & Saxonum conſuetudine, vſu,

vſu, amicitia & fœdere coniuncta vtrorumque mentio in veteribus monumentis. Eutropius IX c. 13 ſ. 5 *Per hæc tempora*, inquit, *etiam Carauſius qui viliſſime natus in ſtrenuæ militiæ ordine famam egregiam erat conſecutus, quum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, - - a Maximiano iuſſus occidi purpuram ſumſit.* Oroſius VII c. 25 de Herculio: *Deinde Carauſius quidam genere quidem infimus, ſed conſilio & manu promtus, quum ad obſeruanda oceani littora quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant, poſitus plus in perniciem quam in prouentum reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte reſtituendo dominis, ſed ſibi ſoli vindicando accendens ſuſpicionem, quia ipſos quoque hoſtes ad incurſandos fines artifici negligentia permitteret, quamobrem a Maximiano iuſſus occidi purpuram ſumſit ac Britannias occupauit.* Sed Saxones iam Ptolemæus memorat libro II cap. 11 ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες *ſupra dorſum Cimbricæ Cherſoneſi Saxones.* Hic igitur prima Saxonum ſedes fuit, quæ ſenſim prolatari cœpit, quum aduerſus Romanorum imbecillitatem Germanis creſceret animus. Nam poſteriorum temporum hiſtoria docet, Saxones item, vt Francos & Alamannos, ad Rhenum identidem acceſſiſſe propius, & Romanorum opes labefactaſſe. Adde huc ſis Spenerum notit. Germ. ant. IV c. 5 p. 362, Spanhem. ad Iuliani Orat. I p. 34. Zoſimus III c. 1 Conſtantium iam ait vidiſſe, a Francis, Alamannis & Saxonibus τεσσαράκοντα πόλεις ἐπικειμένας τῷ Ῥήνῳ, *quadraginta vrbes Rheno adiacentes* occupatas eſſe. Idem III c. 6 a Saxonibus Cobandos (non *Quados*) ciuitatis ſeu gentis ſuæ partem in Romanos immiſſam eſſe, qui nauibus in Rheno conſtructis terras Romanis ſubiectas armis impetierint. *Cobandos* memorat Ptolemæus lib. II c. 11.

ad pag. 391 § 79.

Aeſtiorum) Horum nomen in *Aeſtonia* Liuoniæ parte ſupereſſe creditur. *Sciri* fortaſſe iidem qui *Curii* ſeu *Curlandi.* Nam *S* ſæpe additur vocabulis. Sic apud Iulian. epiſt. ad Athen. p. 286 τὰς σκοτίας Ἄλπεις, *Cottias Alpes.* Sed migrationum varietas admittenda eſt. Ipſa quoque *Oſericta* inſula cuius nomen Plinius XXXVII cap. 2 ſeruauit, *Oeſelia* fortaſſis fuerit.

ad pag. 392 § 82.

Ipſe locus Ptolemæi ſi proferatur, maius lumen huic diſputationi afferet. Καλεῖται ἰδίως καὶ αὐτὴ Σκάνδεια· καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν δυτικὰ Χαδεινοί· τὰ δ᾽ ἀνατολικὰ Φαυῶναι καὶ Φιραῖσοι· τὰ δὲ μεσημβρινὰ Γοῦται καὶ Δαυκίωνες· τὰ δὲ μέσα Λευῶνοι. *Vocatur proprie & hæc Scandia, cuius occidentales partes Chadini, orientales Fauonæ & Phiræſi, meridiales Gutæ & Dauciones, medias Leuoni tenent.* Hic nihil pene dubii eſſe putem, quin *Chadini* & *Codanus* ſinus aliquam quaſi cognationem habeant, *Phauonæ* & *Finningi*, *Gutæ* & *Gothi.* Codanus igitur ſinus a populis adiacentibus nomen ſortitus videtur. Saltem illud ex allato loco apparet, regiones cœli quas Ptolemæus memorat,

morat, parum repugnare nominibus gentium quæ etiamnum ſuperſunt. Aliquid tamen fortaſſe ab eodem etiam hic erratum fuit in ſignandis gentium nominibus.

ad pag. 423 § 23.

Saruenetes) Quum *v* latinum in *g* commutari cœperit poſterioribus temporibus, v. g. *Vapincum* in *Gap*, *Vaſcones* in *Gaſcogne* cet. non dubitare licet, quin *Saruenetes* conuerſi ſint in *Sargans*. Vrbs autem *Sargans* etſi remotior eſt a fontibus Rheni, quos *Saruenetes* accoluiſſe dicuntur: tamen gens Saruenetes olim ad fontes Rheni propius habitare potuit, quum vrbs eorum præcipua longius abeſſet.

ad pag. 459.

Col. Vimin.) Sic numus Voluſiano cuſus apud Vaillantium numiſm. colon. parte II pag. 325 *P. M. S. COL. VIM.* id eſt *Prouinciæ Mœſiæ ſuperioris Colonia Viminacium.* In numo Gallieni apud eundem pag. 352 eſt *P. M. S. COL. VIM.*

ad pag. 483 § 98.

Sic ergo Liburniam Dalmatiamque complectitur) Sueton. Tiber. cap. 16 *Toto Illyrico, quod intra Italiam regnumque Noricum & Thraciam & Macedoniam, interque Danubium flumen & ſinum maris Adriatici patet, perdomito & in ditionem redacto.*

ad pag. 486.

Liburnia) Huic genti maris Ionii accolæ naues Liburnicæ fuerunt vſitatæ, quas aliæ deinde gentes imitatæ ſunt. Lucian. Amor. p. 877.

ad pag. 513 § 31.

Gallia Cisalpina) Græce ἡ Γαλατία ἡ ἐντὸς τῶν Αλπεων. Sic Dio lib. 38 pag. 70 de Cæſare: ὁ γὰρ ὅμιλος τȣ̃τε Ἰλλυρικȣ̃ καὶ τῆς Γαλατίας τῆς ἐντὸς τῶν Αλπεων ἄρξαι αὐτῷ ἐπὶ ἔτη πέντε ἔδωκε, *Plebs imperium Illyrici & Galliæ citerioris Cæſari in quinque annos dedit.*

ad pag. 592 § 22.

Ariminum conditum eſt a Romanis P. Sempronio & Ap. Claudio conſulibus: eodem videlicet tempore quo Beneuentum. Vid. Eutropius II c. 9 ſ. 3. Liuii epit. XV. Fuit A. V. C. DXLV tantæ iam auctoritatis, vt Gallia prouincia *Ariminum* diceretur. Græce Αρίμινος dicitur, vt ex Pæanio liquet. Liv. XXVIII c. 38 extr. Αρίμινον etiam Græce dicitur, vt Stephanus ſcripſit, & Strabo V pag. 331. Fuit Vmbrorum colonia, item vt Rauenna, deinde Romanos quoque colonos recepit. Habuit etiam iam tum portum. Strabo V pag. 331.

ad pag. 657 § 425.

Vix fundamentorum reliquiæ maneant) Velleius II c. 6 ſ. 4 *Hunc L. Opimius conſul, qui prætor Fregellas exciderat, morte afficit.*

ad pag. 667 § 451.

Chalcidenſium & Cumæorum opus) Velleius I c. 4 *Nec multo poſt Chalcidenſes,*

denſes, orti vt prædiximus Atticis, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. - Vires autem veteres earum vrbium (*Neapolis & Cumarum*) *hodieque magnitudo oſtentat mœnium.*

ad pag. 680 § 477.

Ius priſtinum recuperauit) Imo colonia Romana tum primum facta eſt. Dio XXXVIII pag. 69 Καὶ προσέτι καὶ ἡ τῶν Καμπανῶν γῆ τοῖς τρίατε πλείοντε ἔτι τέκνα ἔχȣσιν ἐδόθη· καὶ διὰ τȣ̃το καὶ ἄποικος τῶν Ρωμαίων ἡ Καπύη τότε πρῶτον ἐνομίσθη. *Atque etiam Campanus ager ciuibus Romanis tres pluresue liberos habentibus a Cæſare datus eſt: & proinde Capua tum primum colonia Romanorum lege iuſſa eſt.*

ad pag. 762 § 21.

Nomen Pithecuſarum) *Cercopes* incolæ fuiſſe dicuntur veteres ab Harpocratione. Quod nomen aliquantum modo congruit cum illo *pithecon.* Fraudulentia igitur tantum ſignificatur illorum inſulanorum, vt Aelianus quoque innuit lib. VI de anim. c. 58.

ad pag. 793 § 35.

Agrigentum recens alio in loco fuit quam vetus. Diodor. IV p. 279. Agrigentini olim δισμύριοι, poſt cum inquilinis non minus quam viginti μυριάδες fuere. Diod. XIII p. 205, & pag. 210.

ad pag. 795 § 41.

In terra Selinuſiorum ſpelæum Dædali opera ſubterraneum ignem ita euomuit, vt ad valetudinem curandam pertineret. Diodor. IV pag. 278. Selinus ab Annibale eſt exciſa Diodor. XIII pag. 183.

ad pag. 796 § 44.

Lilybæum primum puteus fuit, deinde vrbs ei adiuncta hoc nomen retinuit. Diodor. XIII p. 179.

ad pag. 797 § 48.

De Eryce & Venere Erycina multa Diodorus habet lib. IV pag. 282 ſeqq. & Polyb. I c. 55.

ad pag. 813 § 110.

Engyum a fonte appellatum condiderunt Minois ſuperſtites comites. Diodor. IV pag. 279.

ad pag. 836 § 41.

Pieria) Fortaſſe a *Pieride* monte quem Autor noſter præteriit, neque Mela, Dionyſius, Strabo, Ptolemæus memorauit. Plinius IV c. 8 *a tergo Pherarum* eſſe eum dicit. Sed illæ longius a Pieride quem nos volumus, abſunt, aut mons longisſime protractus fuit. Salmaſius ad Solini c. 8 *Pieriam* & *Pieridem* vult montem dictum eſſe. Ei Strabo fauet lib. IX pag. 629: ceteri Strabonis loci ſunt dubii. *Pierus*, veterem Iuuenalis Scholiaſten ſi audias, poeta fuit, qui monti nomen fecit & Muſis primus ſacrificauit. Vide

illum

illum ad Satur. VII v. 8. Pieres vetuſtisſimi pulſi ad Pangæum conſederunt. Thucydides libr. II pag. 169.

ad pag. 836 not.

Αξιὸν) Vltimam acuit etiam Strabo lib. VII pag. 504 & 509 aliquoties. Sed Ἄξιον habet Thucydides II pag. 170.

ad pag. 837 § 44.

Pydna) Archelaus Macedonum rex Pydnæos imperium detrectantes bello eſt aggreſſus, & Pydna vrbe potitus eam a mari XX ſtadiis remouit. Diodor. XIII pag. 175.

ad pag. 841 § 54.

Vrbs Macedoniæ) Harpocration: Ανθεμȣ̃ς πόλις Μακεδονικὴ, καὶ οἱ ἀπ' ἀυτῆς Ανθεμȣ́ντιοι.

ad pag. 844 § 63.

Sermyla & Calepſus) *Sermyla* Stephano *Sermylia*, quam vrbem circa Athon eſſe dicit, cuiusque gentile ſit *Sermyliæus* & *Sermylienſis*.

Galepſus autem, Γαληψὸς, Stephano dicitur vrbs Thraciæ & Pæonum. Cum quo conſentit Harpocration, quod ad Thraciæ ſitum attinet. Addit idem, nomen eius eſſe ex Galepſo Thaſi & Telephes filio. Si Strabonem audias, Galepſus vltra Strymonem recesſit. Ειτα, inquit, αἱ τȣ̃ Στρυμόνος ἐκβολαὶ, ἐ͂ιτα Φάγρης, Γαληψὸς, Απολλωνία, πᾶσαι πόλεις· ἐ͂ιτα τὸ Νέσσȣ ςόμα. *Deinde Strymonis oſtia, deinde Phagra, Galepſus, Apollonia, omnes vrbes: deinde Neſſi oſtium.* Straboni aſſentitur Thucydides, qui libro IV pag. 323 Galepſum & Oeſymam ad ſe defeciſſe dicit, Thaſiorum colonias. Idem libro V pag. 345 ait, Clea Torona ad Amphipolin nauigaſſe, profectumque ex Eione in Stagirum inuaſiſſe Andriorum coloniam, a qua quum infectis rebus diſcesſiſſet, Galepſum per vim cepiſſe. Ex vtroque hoc loco, vicinia Galepſi, Eionis & Stagiræ apparet. Imo ſi *Phagres*, vt Thucydides libro III pag. 169 clare teſtatur, trans Strymonem iacuit & iccirco a Stephano vrbs Thraciæ dicitur; Galepſus rurſus Strymoni vicina eſt iudicanda.

ad pag. 848 § 77.

Eion) Fuit Mendæorum colonia Thucydid. IV pag. 255. Afuit ab Amphipoli XXV ſtadiis. Idem IV p. 320. Interitum eius Harpocration Athenienſibus tribuit.

ad pag. 848 § 77.

Amphipolis Thraciæ vrbs vocabatur olim Αρεος πόλις. Harpocration addit etiam Ακραν appellatam fuiſſe.

ad pag. 851 § 88.

Strabo in quatuor partes) Harpocration Hellanicum quoque dixiſſe confir-

confirmat, Theſſaliam quatuor eſſe partium, quæ ſingulæ *Tetrades* ſint appellatæ. Addit, Ariſtotelem tradidiſſe, ſub Aleua Pyrrhi filio Theſſaliam in quatuor partes diuiſam fuiſſe, quibus ſingulis Philippus rectores dederit ſingulos.

ad pag. 852 § 92.

Tricca) Tricca & Epidaurus præſentisſima Aeſculapii ope celebres fuere, vt dilucide apparet ex Themiſtii Orat. XXVII pag. 333 C.

ad pag. 864 § 127.

Malienſium fuit etiam vrbs *Colacea* a Theſſalis euerſa. Athenæus VI pag. 254 E. F. Διὸ καὶ Θετταλοὶ καλῶς ποιήσαντες κατέσκαψαν τὴν καλȣμένην πόλιν Κολακείαν, ἣν Μηλιεῖς ἐνέμοντο, ὥς φησι Θεόπομπος ἐν τῇ τριακοστῇ. *Quapropter Colaceam vrbem Theſſali prudenter diruerunt, quam habitabant Malienſes, Theopompo teſte libro trigeſimo.*

ad pag. 864 § 130.

Antron) Prouerbium ὄνος Αντρωνος natum eſt ex ſcopulo in mari latente, quod ἕρμα ὕφαλον vocat Strabo lib. 665 ex correctione Caſauboni. Dicitur de rebus grandibus.

ad pag. 865 § 130.

Halos) Sæpe ita Demoſtheni memoratur, ad quem adde Vlpianum, qui pag. 273 docet, *Halios* Athenienſibus, Pharſalios contra Philippo fuiſſe fœdere adſtrictos. Ergo gentile eſt ἅλιος *Halius* & Αλεὺς *Halenſis*. Vide etiam Mauſſaci notas ad Harpocrat. pag. 20, 21.

ad pag. 865 § 132.

Myrmidones) Imo ſi Velleio II c. 3 credas, *Theſſalia* omnis. *Acer*, inquit, *belli iuuenis nomine Theſſalus, natione Theſprotius, cum magna ciuium manu eam regionem armis occupauit, quæ nunc ab eius nomine Theſſalia appellatur, ante Myrmidonum vocitata ciuitas.*

ad pag. 868 § 140.

Pagaſæ) Polyænus lib. VI cap. 1 ſ. 6 & cap. 2 ſ. 1 itidem pluralem hunc probauit.

ad pag. 871.

Antequam Peneus inter Olympum & Oſſam perruperit.) Hæc obſcuriora videantur fortaſſe. Sed Seneca quæſt. nat. VI cap. 25 illuſtrat, tanquam fabulam tamen: *Si velis credere*, inquit, *aiunt aliquando Oſſam Olympo cohæſiſſe, deinde terræ motu receſſiſſe. Tunc effugit Peneus, qui paludes quibus laborabat Theſſalia, ſiccauit, abductis in ſe quæ ſine exitu ſtagnauerant, aquis.*

ad pag. 871 § 152.

Epirus) Notum eſt, quid communiter ſignet hoc nomen græce. Illud autem fortaſſe ab hoc loco & a geographia alienum non fuerit, vt annotemus, *Epiri* nomine a præſtantiſſimis ſcriptoribus Græcis ſæpe regnum Perſarum ſignari, qui quantumcunque erat, totum pene continenti in terra conſiſtebat. Vide Harpocrationem in Ἠπείρῳ. Adde copioſiſſimam Valeſii annotationem.

ad pag. 875 § 159.

Buchætium) Harpocration Βȣ́χετα memorat, quæ dicta ſint διὰ τὸ τὴν Θέμιν ἐπὶ βοὸς ὀχȣμένην ἐλθεῖν ἐκεῖσε κατὰ τὸν Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν, *propterea quod Themis ſub Deucalionis eluuionem boue vecta iſtuc deuenerit.* Sed, miſſa fabula, etiam Polyænus in Indice libri VI Βȣχετίȣς nominat. Quo circa Valeſius in notis ad Harpocrationem Strabonis ſcripturam improbat. Βȣ́χεταν tamen nominat idem Harpocration in *Elatea.*

ad pag. 879 § 175.

Elatriam) Harpocration ex Demoſthene affert iſta: Ἐν Κασσωπείᾳ τρεῖς πόλεις Πανδοσίαν, καὶ Βȣχέταν, καὶ Ἐλάτειαν. ῥητέον ὅτι βέλτιον ἐν ἐνίοις γέγραπται διὰ τȣ̃ ρ Ἐλάτρεια, cet. *In Caſſopea tres vrbes Pandoſiam & Buchetam & Elateam. Dicendum eſt, quod rectius in quibusdam ſcriptum ſit per* r *Elatria. Theopompus igitur libro quadrageſimo tertio quatuor vrbes ait eſſe Caſſopenſium, non tres, vt Demoſthenes, Elatriam, & Pandoſiam & Bitiam, & Buchetam.* Bitia hic dicitur, quæ Straboni *Batia.*

ad pag. 886 § 194.

Aenianum) Si eos quos Scholiaſtes Sophoclis ad Electræ verſ. 702 innuit, ſequaris, Aenianes Theſprotii aut Thraces fuere. Sed ſatius eſt, vt iis propinqui fuiſſe iudicentur quibuscum a Demoſthene coniunguntur.

ad pag. 887.

Græcia propria) Habet hæc nominis *Græciæ* ſignificatio vtilitatem magnam in veteribus ſcriptoribus intelligendis. v. g. Hieronymus in catal. ſcript. eccleſ. c. 83 *Methodius -- ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt.* Vbi *Chalcis Eubœæ* intelligi videtur etiam Tillemontio qui tamen de veritate rei dubitat. Simul illud hic memorandum eſt, antiquioribus Homero temporibus Ἕλληνας dictos eſſe Myrmidones. Sic enim ille Iliad. B

Οἵτ᾽ εἶχον Φθίην ἠδ᾽ Ἑλλάδα καλλιγύναικα
Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.

ad

ad pag. 900 § 234.

τετράπολιν) Diodorus XI pag. 60 etiam Δωριεῖς vocat & Lacedæmoniorum προγόνους *procreatores*. Sed tres eis vrbes tribuit Κυτίνιον, Ερίνιον & Ερινεῶον ſub monte Parnaſſo. Id quod Strabonis narrationi præferre nolim.

ad pag. 901 § 240.

Chalæum) Hic fortaſſe explicanda fuerit quæſtio, qui *Acragallidæ* ſint Aeſchinis contra Cteſiphontem. Videntur illi ipſi eſſe qui *Chalæum* portum aut ſaltem partem eius incolerent. *Chalæum* enim habitatum fuiſſe, e Stephano intelligitur, qui πόλιν Λοκρῶν appellat. Harpocration ita ſcribit: Κραυαλλίδαι, Αισχίνης ἐν τῷ Κτησιφῶντος. Δίδυμός φησι δεῖν γράφεσθαι Κραυγαλλίδαι, οὕτω γὰρ λέγεσθαι τὴν ἐν Φωκεῦσι πλησίον Κίῤῥας χώραν Κραυγάλλιον. *Crauallidæ, Aeſchines contra Cteſiphontem. Didymus ſcribendum cenſet* Κραυγαλλίδαι, *quia Phocidis regio prope Cirrham vocetur* Κραυγάλλιον. Sed Valeſius iam recte annotauit: *Hodie apud Aeſchinem legitur* Ακραγαλλίδαι. Aeſchines igitur vocabulum hoc ex ἄκρα id eſt *promontorio*, & *Challæo* compoſuiſſe videtur, vnde *Challæos* Thucydidis libro III p. 241 dictos eſſe ſuſpicamur. Γ autem & Χ propter cognationem facile potuerunt inter ſe permutari. Terminatio tamen habet aliquid difficultatis quam ægre explicueris. Sed quum Didymus κραυγάλλιον ſcripſerit: varie ſcriptum fuiſſe videtur opidi nomen. Inde igitur Ακραγαλλίδαι facilius duci poſſe videntur.

ad pag. 920 § 305.

Thebæ) Vt quanta vrbs fuerit, intelligas: ſcire licet, quid Aelianus Hiſtor. Var. XIII cap. 7 ſcribat. Εφόνευσε καὶ τῶν Θηβαίων εἰς ἑξάκις χιλίους, αἰχμάλωτοι δὲ ἐλήφθησαν τρισμύριοι. Alexander *occidit Thebanorum ad ſex millia: ad triginta millia in captiuitatem redacta ſunt.*

ad p. 923 not. ***

Harpocration Τιλφωσσαῖον *montem eſſe* dicit *non longe a lacu Copaide diſſitum.* Conuenit ei igitur cum Strabone.

ad p. 927 § 326.

Ad montes Bœotiæ refert Harpocration ex Theopompo ἡδύλειον *Hedylium.* Meminit eiusdem Demoſthenes orat. de falſ. legat. ad quam adde Vlpianum enarrat. eiusdem pag. 102 tomi V opp. Demoſthen.

ad p. 930 § 341.

Acte) Sed Harpocration partem modo quandam maritimæ Atticæ ſic appellatam fuiſſe dicit. Fatetur tamen idem, Atticam quoque ita vocatam

catam fuiſſe, & quidem vel a rege quodam, vel quod maior Atticæ pars mari circumfuſa ſit.

ad p. 932 § 345.

Ad portum Piræea noſcendum pertinet alterum quaſi brachium Eetionia, ἡ Ηετιώνεια, dictum, ex quo introitus in portum obſeruari & prohiberi facilime poterat. Vid. Thucydid. VIII pag. 607 Adde Harpocrat.

ad p. 934 § 350.

Calirrhoen) Eadem docet Harpocration.

ad p. 938 § 359.

Anaphlyſtus) Harpocration quum Anaphlyſtum δῆμον dixiſſet, addit, aliquos *Anaphlyſti* vt *vrbis* meminiſſe. Stephanus nomen ducit ab Anaphlyſto heroe.

ad pag. 942 § 377.

φυλαὶ in δήμους) Apparet idem ex hoc loco Harpocrationis: Ερμος δημός ἐςι τῆς Αττικῆς Φυλῆς Ακαμαντίδος. *Hermus populus Atticæ eſt tribus Acamantidis.* Addit ex Zopyro de fluminibus, Ερμον φησὶν ἐῖναι ἐν τῇ Αττικῇ καὶ δῆμον ὁμώνυμον αὐτῷ. *Hermum ait eſſe in Attica & populum eiusdem nominis.* Hoc quoque ad Atticæ notitiam pertinet.

ad pag. 945.

Ad Atticam pertinuit olim etiam *Panactus* & *Drymus.* Vtraque, ſi Harpocrationis autoritatem ſequaris, inter Atticam & Bœotiam intercesſit. *Panactum* a Stephano vocatur & φρούριον, a Thucydide libro V p. 372 itidem *Panactum* & τεῖχος pag. 344. Bœotii demoliti ſunt hoc oppidum. Adde Demoſthen. de falſa legat. p. 244.

ad p. 948 § 394.

Geraneam) Γερανία vocatur Harpocrationi. Sed Thucydides lib. I p. 69 & IV p. 299 Γεράνειαν habet, & hunc montem ita nominat, vt iſthmum verſus iacuiſſe videatur. Adde Valeſii notam ad Harpocrat.

ad p. 952 § 399.

Ephyra) Velleius I c. 3 ſ. 3 *Neque eſt quod miremur ab Homero nominari Corinthum. Nam ex perſona poetæ & hanc vrbem & quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate eius multo poſt Ilium captum conditæ.* Idem Velleius I c. 13 *Lucius Mummius*, inquit, *Corinthum poſt annos octingentos quinquaginta duos quam ab Halete Hippotis filio erat condita, funditus eruit.*

ad notam * paginæ 654.

Sic item Seneca quæſt. natur. VI c. 25 *Illa vaſta concuſſio quæ duas ſuppreſſit vrbes Helicen & Burin citra Aegium conſtitit.*

ad p. 958 § 422.

Eleam) *Elei* incolæ quoque dicebantur, qui ex opidulis compluribus in vnam Elidem commigrarunt. Diodor. XI p. 40 C. Ergo regionis nomen vetuſtius videri poſſit.

ad p. 961 § 434.

Πισᾶται) Sic item Themiſt. orat. XXI p. 249 C Αἰσχρὸν δὲ, Ηλείους μὲν καὶ Πισσάτας οὕτω δήτοι ἀποσεμνύνειν τὸν ὀλυμπιακὸν κότινον, ὥστε μὴ ἐφιέναι γυμνοῦσθαι, εἰ μὴ ἔχει τις ἀποδεῖξαι πατέρα τε αὐτοῦ καὶ μητέρα καὶ τὴν ῥίζαν τῆς βλάστης ἀκέραιον. *Turpe autem eſt, Eleos & Piſatas Olympiacum illum oleaſtrum tam magnifice celebrare, neminem vt ad certamen nudari patiantur, niſi quis patrem ſuum ac matrem & ſtirpis integram ac ſinceram originem approbare poſſit.*

ad pag. 963.

Cicer. VI epiſt. Att. 2 *Arcadiæ cenſebat* (Dionyſius) *eſſe Lepreon quoddam maritimum. Tene autem & Aliphera & Tritia* νεόκτιστα *ei videbantur, idque* τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ *confirmabat, vbi mentio non ſit iſtorum.* Ergo ſecundum Dionyſium maritima fuerunt. nam agitur ibi de eo quod vetuſtiſſimi Græci nimis in condendis opidis mare conſectati ſint. Ergo Strabonis tuenda eſt autoritas.

Cicer. VI epiſt. Att. 2 *Phliaſios dici ſciebam: & ita fac, vt habeas. nos quidem ſic habemus. Sed primo me* ἀναλογία *deceperat* Φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς, *quod* ὀποῦντιοι, σιποῦντιοι.

ad p. 973 § 481.

Helotæ) De origine nominis etiam Harpocration conſuli poteſt cum Pauſania conſentientis.

ad p. 988 § 522.

Inachus) Lucian. Contempl. p. 360 Αποθνήσκουσι γὰρ αἱ πόλεις ὥσπερ ἄνθρωποι· καὶ τὸ παραδοξότερον, καὶ ποταμοὶ ὅλοι. Ινάχου οὖν οὐδὲ τάφος ἐν Αργει ἔτι καταλείπεται, *Moriuntur enim vrbes, vt homines, & quod admirabilius, etiam flumina tota. Inachi igitur ne ſepulcrum quidem in Argolide ſupereſt.*

ad p. 996 § 544.

Diuiſe Μεγάλη πόλις) Sic Seneca item quæſt. natur. VI c. 25 *Ladon inter Elim & Megalen polin medius eſt, quem terrarum motus effudit.*

ad p. 1013 § 31.

Καλαυρία) Harpocrationi Καλαύρεια. Vocata olim Εἰρήνη *Irene* fuit, vt Antidides ſcripſit. Valeſius in notis ad Harpocrationem plures ſcriptores memorat qui Καλαύρειαν probarint. Addo Stephanum, & Plutarchum in vita Demoſthenis, qui idem tamen alteram quoque ſcripturam adhibuit p. 315.

ad p. 1020 § 49.

Eretria) Velleius I c. 4 *Athenienſes in Eubœa Chalcida & Eretriam colonis occupauere.*

ad p. 1032.

Cydones) Homerus Odyſſ. III, 291

Ἔνθα διατμήξας τὰς μὲν Κρήτῃ ἐπέλασσεν,
Ηχι Κύδωνες ἔναιον Ιαρδάνȣ ἀμφὶ ῥέεθρα.

Illic partitus partem quidem Cretæ admouit,
Vbi Cydones habitant Iardani circa fluenta.

ad pag. 1048 § 152.

Delus) Εκάτης νῆσος πρὸ τῆς Δήλȣ κεῖταί τι νησύδριον, ὅπερ ὑπ' ἐνίων καλεῖται Ψαμμητίχη. - Ψαμμητίχη δὲ κεκλῆσθαί φησιν ὁ Σημὸς ἐν τῇ πρώτῃ, διὰ τὸ τοῖς Ψαμμήτοις τιμᾶσθαι τὴν Θεόν. *Hecates inſula parua ante Delum ſita eſt inſula ab nonnullis Pſammetiche dicta. huiusque nominis rationem Semus libro I tradidit, quod Hecate dea* Ψαμμήτοις (*litorum eſt genus*) *colatur.*

ad p. 1057 § 9.

Datum) Dicitur ſecundum Harpocrationem ὁ Δατὸς, ἡ Δατὸς, τὸ Δατὸν, & eſt πόλις Θράκης σφόδρα εὐδαίμων. ἀπὸ ταύτης γȣν ἐλέγετό τις καὶ παροιμία, Δατὸς ἀγαθῶν, *Vrbs Thraciæ valde beata, ex qua natum prouerbium Datus bonorum.* Strabo lib. VII pag. 511 Δάτον appellat, ὅπερ καὶ ἀρίστην ἔχει χώραν καὶ εὔκαρπον, καὶ ναυπήγια καὶ χρυσȣ μέταλλα. *Datum habet regionem optimam & fructuoſam & nauium fabricas & auri fodinas.* Gentile eſt *Datenus.* Harpocration addit, Datum a Philippo Macedonum rege captum nouo nomine inſignitum fuiſſe. Ex quo aliqui ſuſpicati ſunt, Datum Philippos eſſe. Sed quæ de Dato Strabo ſcripſit, ea in Philippos nequaquam conueniunt. Rectius igitur alii de Crenidibus cogitarunt, Strabonem ſecuti. Adde huc Valeſium in nobis ad Harpocrat. Berckelium in notis ad Stephani Crenidas.

ad pag. 1058 § 10.

Abdera) Alcibiadis tempore vnum e potentiſſimis Thraciæ opidis fuit. Diodor. XIII pag. 194.

ad

ad pag. 1059 § 15.

Thaſiorum colonia & emporium) Suidas hæc ex Harpocratione fortaſſis etiam deſcripſit.

ad pag. 1060 § 15.

Drys) Harpocration eam ab Iphicrate conditam eſſe dicit.

ad pag. 1061 § 19.

Aeneos) Harpocration Αἰνέιυς ex Demoſthene contra Timocratem citat. dubito, an vere. Nota autem Mauſſaci refutatur ex iis quæ Autor noſter attulit. Ephorus apud eundem Harpocrationem *Aenum ab Alopeconeſiis habitatam eſſe* dicit, *deinde ex Mitylene & Cyrne colonos ſuperinductos eſſe.*

ad pag. 1065 § 29.

Αλωπεκόνησος) Sic etiam Harpocration Αλωπεκόνησος πόλις τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ, *vrbs eſt Cherſoneſi.*

ad pag. 1069 § 43.

Crithote etiam ab Athenienſibus qui cum Miltiade fuerunt, condita fuit, teſte Ephoro apud Harpocrationem.

ad pag. 1071 not. **

De *Heræo* vide Harpocrationem etiam in nomine Ηρῶον τεῖχος & Stephanum, vbi Berckelius multa itidem annotauit.

ad pag. 1084 § 87.

Cabyle) Harpocratio Cabylen ad Axium flumen in medio Thraciæ ſitam dicit. Quod non temere approbandum; etſi certum ſit Thraciæ loca multa Macedonicorum nomina habuiſſe.

SVPPLE-

SVPPLEMENTA

Obſeruationum ad CELLARII Geographiæ antiquæ Tomum II.

Ad pag. 16.

DElphinium præſertim in Chio celebre fuit, *χωρίον ἄλλως τε ἐκ γῆς καρτερὸν, καὶ λιμένας ἔχον, καὶ τῆς τῶν Χίων πόλεως ἐ πολὺ ἀπέχον, caſtellum terra firmum, & portus habens & a Chiorum vrbe non longe diſſitum.* Thucydides lib. VIII pag. 572.

ad pag. 47 § 52.

Κεβρήνη) Harpocration ſcribit: *πόλις ἐςὶ τῆς Τρωάδος Κέβρην, Κυμαίων ἀποικία, ὥς φησιν Ἔφορος ἐν τῇ πρώτῃ, vrbs Troadis eſt Cebren, Cumæorum colonia, vt Ephorus libro I dicit. Cebrenia* Stephano quoque Troadis regio eſt: & *Cebren* Didymo vrbs. Gentile *Cebrenus, Cebrenenſis* & *Cebrenius.*

ad pag. 59 § 77.

Duodecim ciuitatibus) Aliter has numerat Harpocration, qui *Androclum* addit, *Chium* omittit. Sed *Androclus* quum fuerit Epheſi conditor & coloniæ Ionicæ dux, vt Strabo quoque lib. XIV p. 948 docet; mirum foret, ſi ex ſuo quoque nomine vrbem condidiſſet. *Androclus* ignota eſt Straboni, Melæ, Stephano, Ptolemæo.


ad pag. 189 § 12.

Sida) Sed Berckelius etiam *Siditam* citauit ex Arriano, cui Hieronymus ſuffragatur Scriptor Eccleſiaſt. cap. 85 *Euſtathius,* inquit, *genere Pamphylius, Sidites, primum Perææ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit eccleſiam.*

ad pag. 405 § 23.

Hieronymus auctor eſt) Immo etiam Nicanor & Callimachus, teſte Harpocratione in *Ace.* Nec male idem addit: *Demetrius proprie arcem Ptolemaidis prius Acen adpellatam dicit.*

GEOGRA-



GEOGRAPHIAE ANTIQVAE

LIBER III

DE ASIA.

ASia vti amplior eſt ceteris, quæ olim notæ fuerunt, terrarum orbis partibus; ita & aliis easdem, iisque eximiis dignitatibus antecellit. Præter enim fertilitatis laudem, hæc illa regio eſt, in qua conditum humanum genus, & orta regna ſunt atque respublicæ: &, quod præcipuum eſt, Deus in illa, delecto ſibi populo, potentiam ac voluntatem ſuam declarauit, & FILIVS DEI in eadem HOMO natus perfecit omnia, quæ ſalutis erant mortalium recuperandæ. Limites Aſiæ tam ab Europa, in ſeptemtrione maxime, quam ab Africa circa Aegyptum diſtinguentes (nam clari ſunt alibi) lib. I cap. XI expoſuimus, vnde repetendi ſunt, ne bis idem narrare neceſſe habeamus.

CAPVT I
DE
DIVISIONE ASIAE.

I.

ASIA, Ἀσία Græce, non vno modo dicitur. Primum enim partem orbis olim habitabilis ſonat tertiam. Dionyſius periegeſ. verſ. 7:

- - - - μίαν δέ ἑ καίπερ ἐοῦσαν
Ἄνθρωποι τρισσῇσιν ἐπ' ἠπείροισι δάσαντο,
Πρῶτα μὲν ἂν Λιβύην, μετὰ δ' Εὐρώπην Ἀσίην τε,

Terram, quamuis vnam exiſtentem, homines in tres continentes diuiſerunt, primo Africam, dein Europam Aſiamque. Pomponius Mela lib. 1 cap. 1 *In tres partes vniuerſa* [terra] *diuiditur. - - - ab altero latere Africam vocamus; ab altero Europen: ad Nilum, Africam; ad Tanain, Europen: vltra quidquid eſt, Aſia eſt.*

Totum hoc, quantumcumque eſt, vulgo in MINOREM & MAIOREM Aſiam diſpeſcunt, vt *Minor* ſit quam hodie *Natoliam*, id eſt ἀνατολικήν, adpellamus, ab oriente Conſtantinopoli, vnde nomen eſt, obiacentem. Veteres aliter: nec, niſi media ætate, *Minoris* Aſiæ mentionem inuenimus. Paullus Oroſius lib. 1 cap. 11 *Aſia regio, vel vt proprie dicam, Aſia Minor, absque orientali parte, qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, vndique circumdata eſt mari; a ſeptemtrione Ponto Euxino, ab occaſu Propontide atque Helleſponto, a meridie mari noſtro.* Auctor libelli de Locis Ebraicis in Actis Apoſtolorum (qui cum Hieronymiano de Locis Ebraicis coniunctus eſt) ſub initium: *Aſiæ regio, quæ cognominatur Minor, absque orientali parte, qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, vndique circumdata eſt mari: cuius prouinciæ ſunt Phrygia, Pamphylia, Cilicia, Lycaonia, Galatia & aliæ multæ.* Conſtantinus Porphyrogenneta lib. 1 de Thematibus ſeu Prouinciis, Themate 1 pag. 8 inſcriptionem profert, qua Iordanes quidam, ſub Arcadio Imperatore, dicitur præfectus ΤΗΣ ΑΝΑΤΟΛΗΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΛΟΙΠΩΝ ΕΘΝΩΝ ΥΠΟ ΤΗΝ ΜΙΚΡΑΝ ΑΣΙΑΝ, *orientis & reliquarum ſub Aſia Minore gentium.* Ἀνατολῆς, id eſt partis reſpectu Conſtantinopoleos ita dictæ, qua ampliorem *Aſiam Minorem* eſſe, & plures gentes continere, vox λοιπῶν, *reliquarum* arguit. *Minoris* huius reſpectu dicitur cetera Aſia μεγάλη, *Magna* ſiue *Maior.* Idem Porphyrogenneta pag. 4 de illo Themate: πρὸς ἡμᾶς κατοικοῦντας τὸ Βυζάντιον καὶ τὴν τῆς Εὐρώπης γῆν λέγεται ἀνατολικόν. πρὸς δὲ τοὺς κατοικοῦντας τὴν Μεσοποταμίαν, Συρίαν καὶ τὴν μεγάλην Ἀσίαν, ἐν ᾗ κατοικοῦσιν Ἰνδοὶ καὶ Αἰθίοπες καὶ Αἰγύπτιοι, λέγεται δυτικὸν μέσον καὶ Ἀσία μικρά. *Reſpectu noſtrûm, qui Byzantii habitamus & in Europa, dicitur* [hoc thema] *Anatolicum ſiue orientale: reſpectu vero eorum, qui Meſopotamiam, Syriam & Magnam Aſiam habitant, in qua degunt Indi & Aethiopes & Aegyptii, dicitur occidentale & Aſia Minor.*

II Sed



Septentrio
Libri III pag. 2
PONTVS EVXINVS
EVROPAE PARS
PROPONTIS
BITHYNIA
PAPHLAGONIA
GALLOGRAECIA
PONTVS
PONTVS POLEMONIACVS
PONTVS CAPPADOCIVS
CAPPADOCIA
ARMENIA MINOR
MYSIA MAIOR
PHRYGIA MINOR
ASIA PROPRIA
PHRYGIA MAGNA
AEOLIA
LYDIA
IONIA
CARIA
DORIS
LYCIA
PAMPHYLIA
PISIDIA
ISAURIA
LICAONIA
CILICIA
CATAONIA
MARE AEGAEVM
MARE PAMPHYLIVM
MARIS MEDITERRANEI PARS
MARE SIRVM
SYRIAE PARS
CYPRVS
Lemnus
Samothrace
Thasus
Tenedos
Scyros
Icaria
Amorgus
Calymne
Carpathus
Rhodus
Megiste
Dolichiste
Chelidoniae Insulae
Sinope
Amastris
Gangra
Pompeiopolis
Ancyra Galatiae
Pessinus
Nicomedia
Chalcedon
Chrysopolis
Cyzicus
Troia Ilium
Pergamus
Smyrna
Sardes
Ephesus
Miletus
Halicarnassus
Tralles
Laodicea
Hierapolis
Celaenae
Apamea Cibotos
Iconium
Lystra
Derbe
Tyana
Caesarea
Nazianzum
Sebastia
Nicopolis
Comana Pontica
Amasia
Amisus
Trapezus
Melitene
Tarsus
Adana
Anazarbus
Alexandria
Pylae Syriae
Antiochia
Salamis
Citium
Paphos
Euphrates Flu.
Occidens
Oriens
Meridies
ASIA MINOR

II.

Sed quia hæ adpellationes Antiquæ Geographiæ tempora tranſiliunt, ad vetuſtiora & propria inſtituti noſtri reuertimur. Veteres, etſi *Minoris* & *Maioris* nomina fortaſſe in Aſia non agnouerunt; ſimiliter tamen citeriorem ab vlteriore & magna diſtinxerunt. Varro lib. IV de Lat. Ling. cap. III *Vt Aſia, ſic cælum dicitur modis duobus. Nam & Aſia, quæ non Europa, in qua eſt Syria: & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt Ionia & prouincia noſtra Cilicia.* Peninſulam multi dicunt hanc partem Aſiæ citeriorem. Strabo lib. XI poſt principium: *χεῤῥόνησον ποιεῖ ὁ διείργων ἰσθμὸς τήν τε Ποντικὴν καὶ τὴν Κιλικίαν θάλασσαν, cherſoneſum facit iſthmus, qui Ponticum Ciliciumque mare dirimit.* Idem lib. XII ſub initium: Ἔστι δ᾽ ὥσπερ χεῤῥονήσου μεγάλης ἰσθμὸς οὗτος, σφιγγόμενος θαλάτταις δυσὶ, τῇ τε τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου μέχρι τῆς Τραχείας Κιλικίας, καὶ τῇ τοῦ Εὐξείνου μεταξὺ Σινώπης τε καὶ τῆς τῶν Τιβαρηνῶν παραλίας· ἐντὸς δὲ τοῦ ἰσθμοῦ λέγομεν χεῤῥόνησον τὴν προσεσπέριον τοῖς Καππάδοξιν ἅπασαν. *Eſt hæc portio tamquam iſthmus magnæ peninſulæ, duobus conſtrictus maribus: vno, quod eſt Iſſici ſinus vsque ad Ciliciam Aſperam; altero, quod eſt Euxini vsque ad Sinopen & oram Tibarenorum. Intra iſthmum hunc peninſulam vocamus, quidquid regionum occaſum verſus eſt a Cappadocia.* Cappadociam ergo & Ciliciam Campeſtrem Strabo excluſit ab hac peninſula, quam definit linea ab Sinope ducta vsque communem Ciliciæ Aſperæ & Campeſtris terminum ſiue limitem.

III.

Nec minus Latini eam Aſiæ portionem *peninſulam* vocant, ſaltem ei comparant. Plinius lib. VI cap. II *Eiusdem nominis* [Sinopes] *ſinus tanti receſſus, ut Aſiam pene inſulam faciat,* CC *millibus paſſuum, haud amplius, per continentem ad Iſſicum Ciliciæ ſinum.* Et Curtius lib. III cap. I *Inter hæc maria anguſtisſimum Aſiæ ſpatium eſſe comperimus, vtroque in arctas fauces compellente terram. quæ quia continenti adhæret, ſed magna parte cingitur fluctibus, ſpeciem inſulæ præbet: ac niſi tenue diſcrimen obiiceret, maria, quæ nunc diuidit, committeret.* Aliam vero figuram huius Aſiæ partis oportet veteres formaſſe, quam hodie in tabulis habemus, aut in Agathodæmonis Ptolemaica, & Theodoſiana Peutingeri. De Curtio non laboramus, ſæpe in geographicis aberrante. Neque enim anguſtiſſimum illud ſpatium, aut diſcrimen eſt tenue, quod tria ampla regna Cilicium, Cappadocium & Ponticum in ſe continet. Nec Plinii CC millia ſufficiunt, quia ſex gradus Ptolemæus in hoc ſpatio numerat, hoc eſt CCCLX paſſuum millia. Amplior ergo hic iſthmus fuit, quam ſolet alibi in cherſoneſis. Sed veteres tam ſinum Iſſicum, quam Sinopenſem, in terras longius excurrere, quam Ptolemæus poſuit, vel hodie locorum periti delineant, crediderunt.

IV.

Romani citeriorem Aſiam Tauro monte terminabant, *Aſiam cis Taurum* adpellantes. Liuius lib. XXXVII cap. XLV oratione, qua Scipio Antiochi legatis publico nomine reſpondit: *Europa abſtinete, Aſiaque*

omni, quæ cis Taurum montem eſt, decedite. Dixerunt etiam *Aſiam intra Taurum.* Strabo lib. XIII pag. 408 ὅτε πρῶτον Ῥωμαῖοι τῆς Ἀσίας ἐπέβησαν, καὶ ἐξέβαλον Ἀντίοχον τὸν μέγαν ἐκ τῆς ἐντὸς τȣ̃ Ταύρȣ, *quum primum Romani in Aſiam veniſſent, eieciſſentque Antiochum M. ex ea, quæ intra Taurum eſt.* Alio reſpectu, videlicet ipſius Antiochi & Syrorum, *intra Taurum Aſia* eſt, quæ vltra Taurum ſita in ortum ſolis ad Syriam vsque vergit aut Euphratem. Eutropius lib. IV cap. II in pacis, Antiocho ab Romanis datæ, conditionibus hanc ipſam, quam Liuius ponit, ſed alio reſpectu, repetit denominatam. *Iisdem,* inquit, *conditionibus* [pax] *datur a ſenatu, quamquam victo, quibus ante offerebatur, vt ex Europa & Aſia recederet; atque intra Taurum ſe contineret.* ET ASIA, quæ Romanis cis Taurum eſt: INTRA TAVRVM, reſpectu Syriæ & orientis; *vltra* Taurum Romanis.

V.

Partes & ciuitates illius Aſiæ recenſet Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX, quæ, præter Ioniæ & Cariæ ciuitates multas, quibus immunitatem Romani dederant, in his, quæ vacuefactæ ab Antiocho, Eumeni, Pergameno regi, & Rhodiis donatæ ſunt, intelliguntur. *Regi,* inquit, *Eumeni adiecerunt in Aſia Phrygiam vtramque, alteram ad Helleſpontum; Maiorem alteram vocant; & Myſiam, quam Pruſias rex ademerat, ei reſtituerunt: & Lycaoniam, & Milyada, & Lydiam, & nominatim vrbes Tralles atque Epheſum & Telmiſſum. De Pamphylia diſceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos quum eſſet, quia pars eius citra, pars ultra Taurum eſt; integra res ad ſenatum reiicitur.* Videntur tamen Pamphyliæ ciuitates, quæ cis Taurum erant, etiam Eumenis regno adiectæ: quæ vltra, in libertatem adſertæ: poſt additæ proconſulari Ciliciæ; quæ ſententia etiam ſummi viri Henr. Noris eſt Cenotaph. Piſ. pag. 211. De Rhodiorum præmiis ibidem Liuius: *Rhodiis adfirmata, quæ data priore decreto erant: Lycia & Caria datæ vsque ad Mæandrum amnem, præter Telmiſſum.* Hæc omnia Antiocho ademta, ſub Aſia cis Taurum continentur.

VI.

Eadem quæ citra ſeu intra Taurum eſt Aſia, Herodoto lib. I cap. XXVIII eſt ἡ ἐντὸς Ἅλυος ποταμȣ̃, *intra Halyn amnem ſita* Aſia. Conſentit interpretationi Strabo lib. XII ſub initium: ἣν Ἡρόδοτος μὲν ἐντὸς Ἅλυος καλεῖ - - - οἱ δὲ νῦν τὴν ἐντὸς τȣ̃ Ταύρȣ καλȣ̃σι Ἀσίαν, *quam* [peninſulam magnam inter Aegæum & Cappadoces] *Herodotus intra Halyn vocat, eamdem nunc intra Taurum vocant Aſiam.* Idcirco vtramque denominationem coniunxit Strabo lib. XVII extremo: Ἀσία ἡ ἐντὸς Ἅλυος καὶ τȣ̃ Ταύρȣ, *Aſia quæ intra Halyn & Taurum eſt.* Crœſi hæc fuit poſſeſſio, armis dilatata, quam Herodotus ibidem diſtribuit in Lydos, Myſos, Maryandynos, Chalybes, Paphlagones, Bithynos, Iones, Cares, Dores, Aeoles, Pamphylios. Confirmat Strabo, in ſua Aſia intra Taurum, pag. 368 enumerans Paphlagones, Phryges, Lycaones: deinde Bithynos, Myſos, Epictetum: tum Troadem & Helleſpontiam, & ad mare de Græcis Aeoles & Iones: de ceteris Cares & Lycos: in mediterraneis Lydos.

VII. Eſt

VII.

Eſt & Aſiæ pars, quam Romani ſimpliciter *Aſiam*, ſine Tauri montis commemoratione adpellant: & hæc *Aſia* illorum *Propria*, ſiue *proprie dicta*, quæ vero nec ipſa eamdem habet apud omnes deſcriptionem. Plinius lib. V cap. XXVII *A Telmeſſo* inquit, *Aſiaticum mare, ſiue Carpathium, & quæ proprie vocatur Aſia. In duas eam partes Agrippa diuiſit. Vnam incluſit ab oriente Phrygia & Lycaonia; ab occidente Aegæo mari; a meridie Aegyptio; a ſeptemtrione Paphlagonia. Huius longitudinem* CCCCLXX *millia paſſuum; latitudinem* CCCXX M. *fecit. Alteram determinauit ab oriente Armenia minore: ab occidente, Phrygia, Lycaonia, Pamphylia: a ſeptemtrione, prouincia Pontica: a meridie, mari Pamphylio: longam* IↃLXXV *millibus paſſuum; latam* CCCXXV *millibus.*

VIII.

Verum hæc Agrippæ diuiſio neglecta fuit poſtea, nec ipſius tempore a multis adſumta, ſed omnes contenti fuere, priorem illius partem vocare *Aſiam proprie dictam*, prætermiſſa poſteriore: niſi quod in Miſſis Theodoſianis duæ quidem partes & iiſdem finibus conſtituuntut, repetitis ferme Plinianis verbis ac numeris; prior autem *citerior* ibidem vocatur, altera *ſuperior:* de quibus Salmaſius in Solinum cap. XL ineunte poteſt conſuli. Ipſe Solinus autem, qui Plinium exſcripſit ac ſequutus eſt, alterius illius a Phrygia ad Armeniam nullam rationem habuit, nec verbo memorauit: neque Ptolemæus lib. V cap. II, quod præſcripſit τῆς ἰδίως Ἀσίας θέσις, *Poſitio proprie dictæ Aſiæ;* & incepit ἡ ἰδίως καλουμένη Ἀσία περιορίζεται. cetera; *Aſia proprie dicta circumſcribitur his finibus*, reliqua; nec plures regiones eo nomine comprehendit, quam Helleſpontum, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lydiam, Phrygiam: excluſa Lycia & Galatia, quas ſingularibus tractauit capitibus. Nec Strabo, quum lib. XII pag. 397. Apameam ad Marſyæ confluentem ἐμπορεῖον μέγα τῆς ἰδίως λεγομένης Ἀσίας, δευτερεῦον μετὰ τὴν Ἔφεσον, *emporium Aſiæ proprie dictæ maximum poſt Epheſum*, dixit, latiores fines illius ponit, quam *proprie* hoc nomine vult adpellatam. Cicero illam ſimpliciter vocat *Aſiam*. Lib. II epiſt. XV *fratrem meum triennium Aſiæ præfuiſſe.* Et Nepos Attico cap. VI *qui ne cum Q. Cicerone voluerit ire in Aſiam, quum apud eum legati locum obtinere poſſet.* Fuit autem Quintus prætor Aſiæ. Hanc prouinciam M. Cicero pro Flacco cap. XXVII his terminis videtur deſcripſiſſe: *Vt opinor*, inquit, *Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia.* Sed hæ gentes barbaricæ originis in hac prouincia, quas orator exagitare conſtituerat, prætermiſſis Ionibus, Aeolibus aliiſque Græcis populis, qui eidem prouinciæ adſcripti erant. Sed de terminis infra dicturi ſumus, quum hanc prouinciam exponemus, quæ *proconſularis* ex Auguſti conſtitutione dici cœpit, quum antea fuiſſet prætoria, niſi quando bellum, ex ea gerendum, proconſulem maioris auſpicii cauſſa poſtularet.

IX.

Iacobus Vſſerius, illuſtri vir ingenio, arctiorem notionem *Aſiæ*, præ-

ſertim a ſacris ſcriptoribus, & qui ſequuntur eos, habuiſſe tradit, vt ſola Lydia hoc nomine ſignificaretur. Probat ex Actis Apoſt. cap. XVI. 6, vbi de Paulo & ſociis dicitur: *Tranſeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt a Spiritu ſancto prædicare verbum Dei in Aſia. Quum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. Quum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem.* Vnde ait (pag. 38 de Aſia Proconſulari) obſeruari poſſe, *maiorem Phrygiam, per quam profecti erant in Galatiam; Myſiamque Olympenam, quæ Bithyniæ adhæreſcebat; & Helleſpontiadem, in qua erat Troas; quum ſingulæ partes eſſent illius Aſiæ, quæ primum a Romanis ſic proprie dicta eſt, & poſt diœceſeos Aſianæ quoque; expreſſe tamen diſtingui ab Aſia peculiari magis nomine ſic appellata; vt & Cariam fortaſſe, in qua Miletus erat, Act.* XX. *16. 17.* Sic auctor libelli de Locis Ebraicis in Apoſtolorum Actis, verbis ſupra productis addit continuo: *ſed ſpecialiter, ubi Epheſus ciuitas eſt, Aſia vocatur.* An Aſia Apocalypſeos iisdem finibus contineatur, dubitari poteſt. Ait tamen Vſſerius, quia omnes illæ ſeptem ciuitates in Lydia ab aliis aliisque cenſeantur. Pergamum enim a Xenophonte lib. VII Exped. Cyri: Sardes, Philadelphiam & Thyatira a Ptolemæo: Smyrnam & Epheſum a Scylace Caryandenſi: & a Byzantio quoque Stephano Laodiceam, quæ longiſſime recedit, in ipſa Lydia collocari. Sed an diuerſi illi ſcriptores eamdem omnes & propriam Lydiam intelligant, æque incertum eſt ac dubium, quum *Lydia* etiam pro regno Lydorum, quod latius patebat, accipiatur: probabiliusque ſit, ad Romanorum reſpici prouinciam, cuius ſeptem ciuitates numerentur, non quod non plures habuerit inſignes vrbes, ſed quod Chriſtianus ſtatus in illis præcipue floruerit, tunc vero emendatione indigeret: niſi plane myſticum aliquid in numero *ſeptenario* latet.

X.

Eſt & anguſtior tractus circa Cayſtrum fluuium & Tmolum montem, *Aſiæ* nomine antiquitus adpellatus, vbi palus *Aſia*, & oppidum *Aſia* ad illum montem. Homerus Iliad. B. verſ. 461

> Ασίω ἐν λειμῶνι, Καϋςρίȣ ἀμφὶ ῥέεθρα,
> *Aſio in prato, Cayſtri circa fluenta.*

Et Euripides Bacchis verſ. 64

> Ασίας ἀπὸ γᾶς ἱερὸν Τμῶλον
> Αμείψασα,
> *Aſia ex terra* [profecta] *ſacrum Tmolum relinquens:*

Virgilius Georgic. lib. I verſ. 383

> - - - - *quæ Aſia circum*
> *Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.*

Idem Aeneidos VII verſ. 700 de cycnis:

> *Quum ſeſe e paſtu referunt, & longa canoros*
> *Dant per colla modos: ſonat amnis & Aſia longe*
> *Pulſa palus.*

Byzan-

Byzantius chorographus: Ἀσία, πόλις Λυδίας, παρὰ τῷ Τμώλῳ, *Aſia, vrbs Lydiæ iuxta Tmolum.* Et Suidas in Ἀσία: ἡ τρίχορδος κιθάρα ἐν τῇ Ἀσίᾳ, πόλει τῆς Λυδίας, κειμένῃ ἐν Τμώλῳ τῆς Λυδίας, πρῶτον εὑρέθη, *cithara trium chordarum in Aſia, oppido Lydiæ, ſito in Tmolo Lydiæ, primum inuenta.* Eadem de hoc oppido, ignoto geographis aliis, refert Euſtathius ad Dionyſii verſum 634. An ab hoc paruo tractu magna illa pars orbis nomen acceperit, non conſtat inter auctores, quum quidam a Lydo quodam homine, cui nomen *Aſio* fuerit, illud deducant. Vide Euſtathium iam dicto loco.

XI.

Aliam diuiſionem Aſiæ vniuerſæ in quinque partes Strabo tradit lib. XI ſub initium. Prima pars eſt inter Tanaim flumen, Pontum & Oceanum: ſecunda ſupra Caſpium mare vsque ad Indis propinquos Scythas: tertiæ ſunt Media, Armenia, Cappadocia, & his interiectæ regiones: quartæ, quæ intra Halyn flumen iacent, & in Tauro, & extra eum ſunt, ac in peninſulam cadunt, quæ ſupra Aſia intra Taurum fuit adpellata. In reliquis, extra Taurum ſitis, quæ pars quinta eſt, ponit Indiam, Arianam, vsque ad gentes, quæ pertinent ad mare Perſicum, ſinum Arabicum, mare Aegyptium Iſſicumque. Sed priuata hæc eſt Strabonis diuiſio, minime in vſum traducta ab aliis.

XII.

Herodotus diuiſit Aſiam vel omnem, vel partem tantummodo, in ſuperiorem & inferiorem. Lib. I cap. XCV Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ᾽ ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, πρῶτοι ἀπ᾽ αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίςασθαι, *Quum Aſſyrii annis quingentis viginti ſuperiorem Aſiam obtinuiſſent, primi Medi ab iis deficere cœperunt.* Si Aſſyriorum regnum, quod circa Tigrin ſuperiorem & in Media fuit, ἡ ἄνω Ἀσία, *ſuperior Aſia* eſt; haud dubie *inferior* fuit circa Babylonem, quæ caput regni erat ab Aſſyrio diſtincti. Congruunt bene rationes adpellationis. Superior enim & inferior regiones vel montium reſpectu, vel ratione fluminum mariumque ita adpellantur. Vtrumque hoc loco conuenit. Montoſæ enim regiones ſunt Aſſyria & Media cum aliis, quæ Caſpium mare proſpiciunt: Babylonia vero depreſſa, plana & campeſtris eſt. Maiora etiam flumina, vt Tigris eſt, & quæ ipſum alia comitantur, a ſeptemtrione in auſtrum, & ex Aſſyria in Babyloniam aut vicinas regiones decurrunt, & in mare ſe Perſicum effundunt.

XIII.

Eſt quoque alia *inferioris Aſiæ* denominatio, ab Herodoto ſuppeditata, quæ vero ad illam Aſſyriæ *ſuperiorem* referri non poteſt, aut cum illa comparari. Lib. I cap. LXXII, quum gentes enumeraſſet, quas Halys adluat, id eſt Cilices, Matienos, Phryges, Cappadoces, Paphlagones; ſubiicit tandem: οὕτω ὁ Ἅλυς ποταμὸς ἀποτέμνει σχεδὸν πάντα τῆς Ἀσίης τὰ κάτω ἐκ θαλάσσης τῆς ἀντίον Κύπρου ἐς τὸν Εὔξεινον Πόντον. *Sic flumen Halys ſecat prope omnia Aſiæ inferiora a mari, quod Cypro obiectum eſt, ad Euxinum*

vsque

vſque Pontum. Latinus interpres habet *ſuperiora Aſiæ*, quaſi τὰ ἄνω legiſſet, non κάτω: quod verbis, quæ ſtatim ſequuntur, videtur non male congruere. Addit enim continuo: ἐςι δε ἀυχὴν οὗτος τῆς χώρης ταύτης ἁπάσης, *eſt vero hæc ceruix ſeu collum totius illius regionis*, quibus peninſulam ſeu intra Taurum Aſiam, quæ Herodoto eadem cis Halyn eſt, reſpicere videtur, quia Strabo etiam ab illa parte magnum iſthmum, vt ſupra vidimus, illius peninſulæ conſtituit. Eodem libro I cap. CLXXVII Ioniam, Cariam, Lyciam, maritimas oras, quas Harpagus ſubegerat, dux Cyri, vocat τὰ κάτω τῆς Ασίης, *inferiora Aſiæ*; mediterranea circa Sardes & viciniam, vbi Cyrus ipſe agebat, τὰ ἄνω ἀυτῆς, *eius ſuperiora.*

CAPVT II
DE
INSVLIS ASIAE AD ORAM OCCIDENTALEM.

I.

GEographorum eſt ab occaſu in ortum procedere. Quum vero ſupra in Aegæo quædam inſulæ, quæ Aſiæ ob vicinitatem tribuuntur, relictæ fuerint, & ad Aſiæ explicationem reſeruatæ; æquum eſt, vt illas prius illuſtrando abſoluamus, quam in Aſiæ continentem ingrediamur. Non autem Aegæi tantum inſulas Aſiaticas, ſed alias etiam, quæ in eodem occidentis latere ſunt, una perluſtrabimus, incepturi a Ponti oſtio, ut inde per oram ad Rhodum vſque & vicinas progrediamur.

II.

Inſulæ *Cyaneæ*, ſeu petræ potius, in oſtio Ponti, ſiue ſupra Boſporum Thracium ſitæ, quarum altera in Europa, altera in Aſia cenſetur, percurrente limite inter vtramque, extremo libro II, qui de Europa agit, ſunt declaratæ. Nec non ipſe ibidem *Boſporus Thracius*, qui Aſiam ab Europa diſcernit, vna cum *Propontide*, hoc eſt mari ante Euxinum Pontum ſito inter Helleſpontum & Boſporum Thracium, capite de Thracia eſt expoſitus. Ad inſulas ergo progrediendum.

III.

In Propontidis ora Aſiatica contra Cyzicum eſt PROCONNESVS, Προκέννησος, quam Ptolemæus & Zoſimus diphthongo ſcribunt Προικόννησος, *Præconneſus:* ceteri omnes Scylax, Strabo, Stephanus, Mela, Plinius, ſine diphthongo Προκόννησος, *Proconneſus.* Id vero peculiare eſt Stephani, quod N ſimplici ſcripſit Προκόνησος, *Proconeſus;* ceteri geminato Προκόννησος, *Proconneſus*, præter Zoſimum, cuius infra verba proferemus. Malim tamen duplicare, quia Strabo lib. XIII pag. 425 obſeruauit, συνθέτως, *duplici littera* hæc ſcribi, κατὰ ἔθος τι τοῦ N γράμματος πλεονάζοντος ἐν τοῖς τοιούτοις, *abundante in talibus* N *littera ex conſuetudine*, cuius exempla adfert

adfert Πελοπόννησος, Μυόννησος, Προκόννησος, Ἁλόννησος, Εκατόννησοι, *Peloponneſus, Myonneſus, Proconneſus, Halonneſus, Hecatonneſi.* Poteſt etiam aduerſus diphthongum quorumdam etymologia eſſe, quaſi ſit προκῶν νῆσος, *ceruarum inſula,* quam etiam *Elaphonneſum* dici Plinius auctor eſt: de qua origine ſcholiaſtes Apollonii ad lib. II verſ. 279 conſulatur.

2. Ptolemæus Europæ adiicit, quaſi in Thraciæ ora ſitam. Falſo. Nam clare Plinius lib. V extremo, *ante Cyzicum* ait poſitam, vnde & marmor Proconneſium dicit *Cyzicenum* adpellari. Scylax quoque & Strabo in Aſia referunt, ille itidem circa Cyzicum; hic ad Parium Myſiæ, quod vicinum eſt Cyzico. Stephanus non memorauit cui parti, Europæ an Aſiæ, adiaceat: vnam autem inſularum Sporadum, (μίαν τῶν Σποράδων ἐν τῇ Προποντίδι) in Propontide tamen, vocitat. Nimis diſpergit ſuas Sporades, quum ceterorum ita dictæ in Aegæo mari omnes ſint.

IV.

Plinius ait, Proconneſum etiam *Elaphonneſum*, hoc eſt ceruorum inſulam, a multitudine illius feri adpellari: Scylax vero diſtinguit, & duas facit inſulas. κατὰ ταῦτα, inquit, νῆσός ἐςι καὶ πόλις Προκόννησος, καὶ ἑτέρα νῆσος εὐλίμενος Ελαφόνησος. *Circa hæc inſula eſt & oppidum Proconneſus: & alia inſula portuoſa Elaphoneſus.* nam ſimplici elemento ſcripſit, etiam Apollonii ſcholiaſtes; quod duplicatum eſt in libris Plinii. Iſaacus Voſſius tuetur Scylacem, & Plinium ex illo erroris arguit. Ioannes vero Harduinus, vt Plinium excuſet, vtriusque ſententiæ conciliationem ex Strabone inſtituit, qui inter *veterem* & *nouam Proconneſum* diſtinxerit lib. XIII pag. 405. Εν δὲ τῷ παράπλῳ τῷ ἀπὸ Παρίȣ εἰς Πρίαπον ἥτε παλαιὰ Προκόννησός ἐςι, καὶ ἡ νῦν Προκόννησος πόλιν ἔχουσα, *quum a Pario Priapum nauigatur, Vetus eſt Proconneſus, itemque Noua, habens oppidum.* Duas igitur hic inſulas Proconneſos ponit, ſed propinquas & quaſi continuas, quarum Vetus deſertior ſit; Noua habitata & marmoris albi fodinis exercita: ſic fieri potuit, vt altera diſcriminis cauſſa Elaphonneſus, a ceruorum multitudine, dicta fuerit. Adiuuat ſcholiaſtes Apollonii prædicto loco aliorum etymologiam adferens καθὸ πρότερον οὖσα νῆσος προσεχώσθη, *quod, quæ prius inſula eſſet, continenti fuerit aggere iuncta.* Vnde Προχώννησον, *Prochonneſum* ſcribendam iidem exiſtiment. Sed non continenti Aſiæ, verum alteri inſulæ adgeſto ſolo coniunctam fuiſſe, Harduinus interpretatur. Inde factum, vt aliis vna, aliis duæ inſulæ cenſeantur. Mela lib. II cap. VII *In Propontide tantum Proconneſos habitatur.* Non negat plures forſan eſſe, ſed vnam tantum dicit habitari.

2. Laudatur marmoris prouentu inſula. Strabo dicto loco: ἡ νῦν Προκόννησος πόλιν ἔχȣσα καὶ μέταλλον μέγα λευκοῦ λίθȣ σφόδρα ἐπαινούμενον, *Noua Proconneſi oppidum habet & magnam lapicidinam albi marmoris valde laudatam.* Plinius lib. XXXVI cap. VI *Halicarnaſſi Mauſoli domus Proconneſio marmore exculta eſt, latericiis parietibus.* Eadem Vitruuius lib. II

cap. VIII *Halicarnaſſi potentiſſimi regis Mauſoli domus, quum Proconneſio marmore omnia haberet ornata, parietes habet latere ſtructos, qui ad hoc tempus egregiam præſtant firmitatem, ita tectoriis operibus expoliti, vt vitri perlucidatem videantur habere.* Zoſimus lib. II cap. XXX Conſtantinum exornando foro in noua vrbe, ἁψῖδας μαρμάρυ Προικοννησίυ μεγίςας, *fornices maximos marmore Præconeſio* ſtruxiſſe memorat.

V.

Supra Proconneſum eſt *Besbicus*, parua inſula inter Cyzicum & Rhyndaci oſtia, ſeu ante ipſa oſtia; ſed minus hæc clara eſt. Strabo lib. XII pag. 396 de Rhyndaco: ἐκδίδωσιν εἰς τὴν Προποντίδα κατὰ Βέσβικον νῆσον, *effunditur in Propontidem iuxta Besbicum inſulam.* Et Stephanus: Βέσβικος, νησίδιον περὶ Κύζικον, *Besbicus parua inſula circa Cyzicum.* Plinius lib. II cap. LXXXVIII inter inſulas ponit, quæ olim continenti adhæſerint, poſtea abruptæ fuerint: quod non verius videtur, quam, quæ ibidem addit, exempla Siciliæ, Cypri, Eubœæ, quarum iſtam ab Italia, illam a Syria, hanc a Bœotia credit auulſam eſſe.

VI.

Si quæ aliæ inſulæ Propontidis ſunt, & minores & obſcuræ omnes ſunt, e quibus eſt illa *Antiochia*, quam Peutingeriana tabula ſub ore Boſpori, cuius quum nullam antiquiores rationem habeant, ad mediæ ætatis geographiam reſeruamus. Stephanus, in Βέσβικος, ex Diogene Cyziceno plures cum Proconneſo & Besbico nominat, *Phœben, Alonen, Phyſiam, Ophioëſſan, Gonimos, Liparas*; ſed nominat: præter nomen de illis nihil habet.

VII.

Ex Propontide per Helleſpontum egreſſis, circa Troiam multæ paruæ, ſed eædem etiam ignobiles dicuntur occurrere, quas Plinius enumerat lib. V cap. XXXI. *Ande Troada,* inquit *Aſcaniæ, Plateæ* III. *Dein Lamiæ, Plitaniæ duæ, Plate, Scopelos, Gethone, Arthedon, Cœlæ, Laguſſæ, Didymæ.*

VIII.

Et maior & clarior eſt TENEDOS, Τένεδος, itidem Troiano agro oppoſita inſula. Virgilius Aeneid. lib. II verſ. 21

Eſt in conſpectu [Troiæ] *Tenedos, notiſſima fama*
Inſula, diues opum, Priami dum regna manebant.

Strabo lib. XIII pag. 415 refert, XL ſtadiis a continente abeſſe, LXXX ambitu complecti: πόλιν Αἰολίδα, *vrbem Aeolicam* habere & templum *Sminthei Apollinis,* quod etiam Homerus memorauerit. Iliados enim A verſ. 38

\- - - - Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις
Σμινθεῦ,
Teneodoque fortiter imperas Smintheu,

Non ignobilem vrbem fuiſſe, vel nummi probant in ea percuſi cum inſcriptione ΤΕΝΕΔΙΩΝ, *Tenedii,* quales in theſauris antiquitatum ſuperſunt. Vrbis nomen idem quod inſulæ. Ptolemæus lib. V cap. II πρὸς

τῷ

τῷ Ἑλλησπόντῳ, Τένεδος νῆσος καὶ πόλις ὁμώνυμος, *ad Helleſpontum Tenedos inſula & vrbs eodem nomine.* Originem ad Τέννην, *Tennem* quemdam ſiue *Tenem* referunt, qui a patre Cygno pulſus, in hanc inſulam fato delatus, eius rex factus, tandem etiam propter virtutes pro deo cultus fuerit. Diodorus Siculus ſub finem libri v id expoſuit, indeque nomen inſulæ deduxit, quod vero Bochartus lib. I Geogr. S. cap. IX impugnat, vt, pro more ſuo, ex Phœnicum lingua nomen adferat. Vetus nomen inſulæ *Leucophrys* fuiſſe fertur, vt non ſolum Diodorus ibidem tradit, ſed Lycophron etiam verſ. 346

Τοῖς εἰς στενὴν Λεύκοφρυν ἐκπεπλευκόσι,

Qui ad anguſtam Leucophryn nauigarunt:

vbi ſcholiaſtes, λέγει τὴν Τένεδον, *de Tenedo loquitur.* De deo *Tene* Cicero Verr. III de præt. vrbana cap. XIX *Tenedo Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctiſſimus deus habetur, qui vrbem illam dicitur condidiſſe: cuius ex nomine Tenedus nominatur; hunc ipſum, inquam, Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in comitio vidiſtis, abſtulit* [Verres] *magno cum gemitu ciuitatis.* Et de Nat. deor. lib. III cap. XV *Iam vero in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabandum, Alabandi: Tenedii, Tenem.*

IX.

Circa Tenedum multæ paruæ ſunt inſulæ, e quibus Strabo duas, inter Tenedum & Lectum ſitas, Καλύδνας, *Calydnas* vocari dicit, quamquam id vocabuli etiam aliis tributum nouimus. Quæ vero ſunt huius loci, de iis Lycophron in Alexandra verſ. 25

Ὑπὲρ Καλυδνῶν λευκὰ φαίνουσαι πτίλα,

Vltra Calydnas albas oſtendentes alas.

vbi Tzetza ſcholiaſtes: Καλύδναι νῆσοι Τροίας, ἀπό τινος Καλύδνου, *Calydnæ inſulæ Troadis, a Calydno quodam ita nominatæ.*

LESBOS INSVLA. *

X.

LESBOS, ſiue Lesbus, Λέσβος Græce, νῆσος Αἰολίς, *ab Aeolibus habitata,* vt Scylax refert: Tacito lib. VI cap. III *inſula nobilis & amœna:* Plinio lib. V. cap. XXXI *clariſſima Lesbos*, antea *adpellata Laſia, Pelasgia, Aegira, Aethiope, Macaria:* quorum nominum nonnulla Diodorus Siculus lib. V cap. LXXXII interpretatur, *Pelasgiam* a Pelasgis, primis incolis dictam: ** *Macariam* a Macareo (Μακαρεὺς recto caſu) Iouis nepote, qui habitauerit: *Lesbum,* a Lesbo, Aeoli nepote, Macarei genero & ſucceſſore. Straboni lib. XIII longa eſt inſula, a Sigrio ſeptemtrionali, ad Maliam auſtrale promontorium, ſtadiis IↃLX: circuitus eius CIↃIↃ ſtadiorum.

I. *Sigrium,* Σίγριον Strabonis; Σίγγριον, *Singrium* Ptolemæi, in extremo

(B) 2

* Ob vini præſtantiam clariſſima eſt hæc inſula. Vid. Strabo lib. XIV pag. 971 edit. Almel.

** Idem antequam Pelasgia diceretur, *Iſſam* vocatam dictitat ibidem.

mo ſeptemtrione inſulæ Lesbi promontorium eſt: *Malia*, Μαλία, τὸ νοτιώτατον ἄκρον, *maxime auſtrale promontorium*, vt Strabo deſcripſit. His longitudo inſulæ ſupra indicata continetur. Plinius dicto loco dicit *nouem oppidis inclutam:* ſic in MSS. eſt; in editis *octo*. Herodotus lib. I cap. CLI præter ſubiugatam a Methymnæis Ariſbam, πέντε, *quinque* vrbes, puta liberas, numerat. Scylax quoque tantum quinque recenſet, prætermiſſa Ariſba: & Pomponius Mela lib. II cap. VII *In Troade Lesbos, & in ea quinque olim oppida, Antiſſa, Pyrrha, Ereſſos, Ariſba, Mitylene.* Certius ſane aliquam euerſarum præteriiſſet, quam quod nobilem eximiamque *Methymnam* poſthabuit.

2. De *Ariſba* Herodotus iam dicto loco: ἐν τῇ Λέσβῳ οἰκεομένην Ἀρίσβαν ἠνδραπόδισαν Μεθυμναῖοι, *in Lesbo habitatam Ariſbam Methymnæi ſibi ſubiecerunt.* Stephanus in hac voce: ἑτέρα ἐν Λεσβῳ, *alia* [Ariſba] *in Lesbo*, diuerſa ab illa, quæ in continente eſt Troadis. Sed, vt Plinius notauit, hæc *Ariſbe terrarum motu ſubuerſa* eſt.

3. *Pyrrha*, Πύῤῥα Græcis, Straboni, Scylaci, Ptolemæo, Stephano: atque ſic corrigenda eſt Thucydidis Πύρα lib. III pag. 184, quemadmodum ab ipſo pag. 193 Πύῤῥα duplicata littera ſcriptum eſt. Hæc quoque, quod Strabo notauit, κατέσκαπται, *euerſa eſt:* προάστειον, *ſuburbium* autem habitabatur, inſtructum portu. Plinius modum interitus definiit. *Pyrrha*, inquit, *hauſta eſt mari.* Sita fuit in parte occidua inſulæ, centum ſtadiis a Maliæ promontorio, vt itidem Strabo obſeruauit.

4. Perierunt quoque *Hiera* & *Agamede*, Plinio referente. De altera Stephanus ex Nicolai Damaſceni lib. IX (in Excerpt. Valeſ. pag. 494) Ἀγαμήδη τόπος περὶ Πύῤῥαν τῆς Λέσβου, *Agamede locus eſt circa Pyrrham in inſula Lesbo.* LOCVS quum dicitur, olim deſiiſſe oppidum ſignificatur.

5. Reſtat in hoc latere *Ereſſus* ſiue Ereſus. nam ambigue ſcribitur. Scylax, Strabo, Ptolemæus Ἐρεσσὸς, *Ereſſus*, geminata ſibilante: Thucydides lib. III, & Stephanus Ἔρεσος, littera ſimplici, etiam accentu retracto: quos & Latini ſic diuerſe ſequuntur, Mela *Ereſſus* ſcribendo; Plinius *Ereſus.* Ptolemæus inter Pyrrham & Maliam ponit: ſed verius Strabo inter Pyrrham & Sigrium. Ab auſtro enim in ſeptemtrionem progrediens ſic de ſitu ſcripſit: Ἐρεσσός ἐστι μετὰ τὴν Πύῤῥαν, ἵδρυται δ᾽ ἐπὶ λόφου, καθήκει τε ἐπὶ θάλατταν, *Ereſſus Pyrrham ſequitur, in colle ſita & ad mare pertingit.* Patria Theophraſti philoſophi fuit, qui Ariſtoteli in ſchola ſucceſſit, vt Strabo & Stephanus prodiderunt. Thucydides, vt dixi, eius meminit lib. III pag. 184 ἀπῆλθον ἐπ᾽ Ἐρέσου, *Ereſum profecti ſunt:* & pag. 193 Paches, dux Athenienſium, τήν τε Πύῤῥαν καὶ Ἔρεσον παρεστήσατο, *& Pyrrham & Ereſum in deditionem redegit.*

6. In orientali latere poſt promontorium Sigrium fuit *Antiſſa*, Ἄντισσα, Strabone ita diſponente: Ἄντισσα ἐφεξῆς ἐστὶ τῷ Σιγρίῳ πόλις ἔχουσα λιμένα. ἔπειθα Μήθυμνα, *Antiſſa vrbs eſt poſt Sigrium: deinde Methymna.* Idem lib. I pag. 41 refert, eſſe qui prodant, *Antiſſam* olim ſeparatam inſulam fuiſſe, ita nominatam, quod tum Lesbos *Iſſa* adpellaretur: poſt adgeſtio-

geſtione maris accreuiſſe Lesbo. Memorat Thucydides dicto loco, Methymnæos ἐπ' Ἄντισσαν, *aduerſus Antiſſam* copias eduxiſſe. Et Demoſthenes adv. Ariſtocratem pag. 746 tradit, Iphicratem, quum æque ſocerum ſuum, Cotyn Thracem, fugeret, quem adiuuerat; ac Athenienſes, contra quos iuuerat, timeret; εἰς Ἄντισσαν οἰκῶν, *Antiſſam habitatum* veniſſe. Fatum vrbis, quod ſub Romanis habuit, exponit Liuius lib. XLV cap. XXXI. *Ad Antiſſam* inquit, *in Lesbo inſula diruendam, traducendos Methymnam Antiſſæos, Labeonem miſerunt: quod Antenorem, regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum eſt vagatus, portu receptum commeatibus iuuiſſent.* Hoc ita factum eſſe Plinius prodit lib. V cap. XXXI *Antiſſam*, inquit, *Methymna traxit in ſeipſam.*

7. Deinde *Methymna* eſt, Μήθυμνα Straboni ſcripta, & Thucydidi, & Ptolemæo, vt verear, ne mendum ſit, quum in Periplo Scylacis legitur Μέθυμνα. Patria fuit Arionis fidicinis, quem delphino per mare vectum fabulantur. hunc enim *loco & oppido Methymnæum* dixit Gellius lib. XVI cap. XIX. Multa eius mentio apud Thucydidem. Lib. III ſub initium: Λέσβος, πλὴν Μηθύμνης, ἀπέστη ἀπ' Ἀθηναίων, *omnis Lesbus, præter Methymnam, defecit ab Athenienſibus.* & eodem libro pag. 184, Mytilenæi ἐπὶ Μήθυμναν ἐστράτευσαν, *aduerſus Methymnam exercitum duxerunt.* Vini generoſioris ferax fuit. Ouidius Art. am. I verſ. 57

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos.

Hoc eſt nobile illud Lesbium vinum, quod Ariſtoteles moriturus, vt Theophraſtum commendaret, dicitur Chio prætuliſſe, ſicut Gellius lib. XIII cap. V refert. Tam clara autem Methymna fuit, vt tota inſula cognomen inde caperet. Iterum Ouidius lib. XI Metamorph. verſ. 55

Et Methymnææ potiuntur litore Lesbi.

Hæc eſt, de qua modo in *Antiſſa* dictum, Antiſſæis incolis, vrbe illorum ab Romanis diruta, auctam Methymnam, finito II bello Macedonico.

8. Tandem vrbs clariſſima Μυτιλήνη, Latine *Mytilene* & *Mytilenæ*,* ſuccedit. Mirum, in plerisque libris, Græcis & Latinis, ſcribi Μιτυλήνη, *Mitylene* ſeu *Mitylenæ*; in nummis vero antiquis conſtanter Μυτιλήνη, id eſt *Mytilenæ*, transpoſitis vocalibus, quæ ſine dubio genuina & antiqua ſcriptura eſt. ** Holſtenio teſte in gaza Medicea eſt ΘΕΟΙ ΑΚΡΑΙΟΙ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ: in alia, ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΟΜΟΝΟΙΑ. Harduini nummo ΜΥΤΙΛΗΝΗ, & ſic in aliis conſtantiſſima conſenſione: niſi forſan vtroque modo veteres ſcripſerunt, vti Gruterus pag. 474 a Panvinio inſcriptionem oſtendit

CIVIVM ROMANORVM
QVI MITYLENIS NEGOTIANTVR.

Quod vero locus, vbi exſtet inſcriptio, non eſt additus; incertum manet,

* Hæc vrbs ab Amazonum ducis Myrinæ ſorore nominata, & Amazonum opus fuit. Diodorus III p. 188. Vetus vrbs parua quædam inſula eſt & portum habuit extra ſe. Diodor. XIII pag. 201.

** Etiam Stephani ordo *Mytilenen* nobis commendabilem effecit.

net, an recte ac cum cura lapis deſcriptus ſit. Vrbs ipſa potens, adfluens, ac inprimis litterarum dedita ſtudiis. Strabo dicto loco: κατεσκεύασαι τοῖς πᾶσι καλῶς, *omnium rerum in ea optimus adparatus eſt.* Horatius lib. I oda VII in clariſſimis ciuitatibus numerat,

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen.

Patria ingeniorum fuit, Pittaci, e ſeptem Græcorum ſapientibus: Alcæi & Sapphûs, poetarum. Ἀγῶνας quoque poeticos, ſiue poetarum certamina, ſtatis temporibus Mytilenenſes celebrarunt. Plutarchus Pompeio pag. 641, quum Mytilenis eſſet, ex bello reuertens Mithridatico: τὸν ἀγῶνα τὸν πάτριον ἐθεάσατο τῶν ποιητῶν, ὑπόθεσιν μίαν ἔχοντα τὰς ἐκείνȢ πράξεις, *inſtitutum patrio more certamen, quod vnum habebat argumentum ipſius res geſtas, ſpectauit.* Nec minus philoſophiæ ac eloquentiæ ibi ſtudia floruerunt. Ideo M. Marcellus hanc vrbem exſilio ſuo ſtudiorum cauſſa delegit. Cicero lib. IV epiſt. VII *cogitandum tibi, Romæne & domi tuæ, cuiusmodi res eſſet, an Mytilenis aut Rhodi malles viuere.* Et Seneca ad Helviam cap. IX *Brutus in eo libro, quem de Virtute compoſuit, ait, ſe vidiſſe Marcellum Mytilenis exſulantem, & quantum modo natura hominis pateretur, beatiſſime viuentem, neque umquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore.* Aduerſa etiam multa pertulit hæc præclara ciuitas, non ſolum Peloponneſio bello ab Athenienſibus, quæ fata Thucydides recenſet lib. III & VIII, verum etiam Mithridatico ab Romanis. Velleius Paterculus lib. II cap. XVIII *Rhodiorum fidem Mytilenæorum perfidia inluminauit, qui M' Aquillium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt.* Acceſſit pertinacia ex metu orta pœnarum, qua vero in grauiorem culpam incurrerunt. Epitoma Liuii LXXXIX de Sullæ rebus: *Mytilenæ quoque in Aſia, quæ ſola vrbs poſt victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque ſunt.* Breui tamen opportunitate loci reſurrexerunt, & magis quidem, reddita Pompeii beneficio libertate priſtina. Velleius dicto loco: *quibus* [Mytilenæis] *libertas in vnius Theophanis gratiam, poſtea a Pompeio reſtituta eſt.* Id quod a Plutarcho etiam Pompeii Vita comprobatur pag. 641. Confirmata fuit libertas a Cæſaribus, & de ſuo æuo Plinius: *libera Mytilene, annis* CIↃIↃ *potens.* Auxit Traianus ornamenta, & nomen ſuum addidit, quod ex nummo Mediceo elucet, quem ſummi viri Holſtenius & Spanhemius ita deſcriptum exhibuerunt: ΟΥΛΠΙΑC CΕΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗC.

9. Fuit in Lesbo etiam locus *Hyperdexios* dictus, vnde Ioui & Mineruæ cognomina. Stephanus in hac voce: ΥΠΕΡΔΕΞΙΟΝ χωρίον ΛέσβȢ, ἐν ᾧ Ζεὺς Ὑπερδέξιος, καὶ Ὑπερδεξία Ἀθηνᾶ, *Hyperdexium, regiuncula Lesbi, in qua Iuppiter Hyperdexius, & Hyperdexia Minerua.* Eodem teſte Nicolaus Damaſcenus Ὑπερδεξίας, *Hyperdexios* memorauit. Et hactenus de Lesbo inſula.

XI.

In freto inter Lesbum & Aſiam ſunt plures inſulæ paruæ, quas alii XX, alii XL numerare dicuntur; vulgo Ἑκατόννησοι, *Hecatonneſi* ab Apolline, qui &

& Ἑκατος vocatur, cui ſacræ ſunt, adpellatæ. Quibus vicina Πορδοσελήνη, *Pordoſelene*, aut obſceno nomine in honeſtius mutato, *Poroſelene*, Ποροσελήνη. Hæc ex Strabonis lib. XIII pag. 425, ex quo Stephanus *Hecatoneſos* repetiit: *Poroſelenen* etiam Plinius lib. V cap. XXXI memorauit.

XII.

Prope Lesbum ſunt etiam tres *Arginuſæ*, victoria Athenienſium Peloponneſiaco bello notæ. Strabo CXX ſtadiis a Mytilenis abeſſe tradit dicto libro. Ἀργινοῦσαι, inquit, τρεῖς μέν εἰσιν οὐ μεγάλαι νῆσοι, πλησιάζουσαι δὲ τῇ ἠπείρῳ, περικείμεναι δὲ ταῖς Κάναις, *Arginuſæ tres ſunt paruæ inſulæ, prope continentem, Canis circumiectæ.* Et Diodorus Siculus lib. XIII cap. XCVIII de duce Athenienſium: τὰς καλουμένας Ἀργινούσας νήσους συμπεριέλαβε τῇ τάξει, *Arginuſas inſulas, vt vocantur, complexus nauibus, aciem extendit.* Thucydides lib. VIII pag. 616 δειπνοποιοῦνται ἐν Ἀργινούσαις τῆς ἠπείρου ἐν τῷ ἀντιπέρας τῆς Μυτιλήνης, *cœnauerunt in Arginuſis ad continentem, aduerſus Mytilenen.* Eodem plane modo Xenophon lib. I Rer. Græc. pag. 261 Gr. οἱ Ἀθηναῖοι δειπνοποιούμενοι ἐν ταῖς Ἀργινούσαις. αὗται δ' εἰσὶν ἀντίον τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέα ἄκρα, ἀντίον τῆς Μυτιλήνης, *Athenienſes in Arginuſis cœnitabant. Hæ* [inſulæ] *ſitæ ſunt ante Lesbum in Maleæ conſpectu, contra Mytilenen.* Plinius dicto loco vnam *Arginuſam* memorat, forſan illarum maximam. *Arginuſa*, inquit, *cum oppido.* Stephanus quoque vnam habet, eamque non *Arginuſam*, vt ceteri, ſed Ἀργεννοῦσαν, *Argennuſam* ſcribit, quod nihil valet contra tot ſuffragia. Cicero, qui etiam illius prœlii meminit, ſcripſit geminato ſibilo *Arginuſſæ*, lib. I Offic. cap. XXIV. Plures alias addidit Plinius, de quibus poſt Chium dicturi ſumus.

XIII.

CHIOS clara inter Lesbum & Samum inſula, peninſulæ, in qua Erythræ ſunt & Clazomenæ, obuerſa, hodie *Scio.* Nomen alii a nympha Chia, alii a χιὼν, *niue* deducunt, vt Plinius notauit & Stephanus. Et *Macrin*, & *Pityuſam* aliquando dictam, idem auctor eſt Plinius. Hic circuitum CXXV M. P. ponit: Strabo IↃCCCC ſtadiûm, quæ fere CXII millia paſſuum conficiunt. Vrbem eiusdem nominis, ambitu XL ſtadia complexam, Strabo in ea memorat, & altiſſimum montem Πελιναῖον, *Pelinæum*, & λατόμιον μαρμάρου λίθου, *fodinam marmoris.* Plinius quoque: *Montem habet Pellenæum: marmor Chium.* Montem plures memorant. In πελίννα Stephanus: ἔστι καὶ Πελληναῖον, ὄρος Χίου, *Eſt etiam Pellenæus, mons Chii.* Et Dionyſius verſ. 535

> Καὶ Χίος ἠλιβάτου Πελληναίου ὑπὸ πέζαν,
> *Et Chios altiſſimi Pellinæi ſub pede.*

2. Iuppiter in eo cultus, & inde cognominatus. Heſychius: Πελιναῖος ὁ Ζεὺς ἐν Χίῳ, *Pelinæus Iuppiter in Chio.* Stephanus hunc montem Cariæ adiudicat, & ſub eo *Chium* ponit aliam. Ἔστι καὶ, inquit, ἑτέρα πόλις Καρίας Χίος, ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Πελληναῖον ὑπὸ πέζαν, *Eſt & alia Chios, vrbs Cariæ, ad radices montis Pellinæi.* quæ Dionyſii verba ſunt, perperam ad Cariam translata: ideo vere Salmaſius in Solinum pag. 607, *nugatur Stephanus.*

nus. nemo quiſquam enim ibi Chium aliquam aut montem huius nominis obſeruauit. Errorem putat inde manaſſe, quia forte Cares inſulam prius tenuerint, quam Iones, pulſis illis, occuparent. nam, vt ipſe Stephanus tradidit, Χίος ἐπιφανεστάτη νῆσος Ἰώνων, ἔχουσα καὶ πόλιν ὁμώνυμον, *Chios clariſſima inſula Ionum eſt, vrbem habens eodem nomine.* Et Mela lib. II cap. VII *In Ionia Chios, Samos.*

3. Vini quoque præſtantiſſimi ferax Chios, vt ſupra in Lesbi *Methymna* ex Gellio oſtendimus: præcipue in ea laudatur locus *Ariuſa*, vel *Aruiſia*, gignens vinum præ ceteris generoſum. Strabo lib. XIV pag. 444 de Chio: Ἀριουσία χώρα οἶνον ἄριστον φέρουσα, *Ariuſius ager, vinum optimum ferens.* Virgilio ecloga VII verſ. 71 laudata *Aruiſia vina.* Et Plinius lib. XIV cap. VII de vinis transmarinis: *in ſumma gloria fuerunt Thaſium & Chium: ex Chio, quod Aruiſium vocant.* Silius Italicus lib. VII verſ. 210

- - - *ambroſiis Aruiſia pocula ſuccis.*

Alius mons & locus inſulæ *Phanæus* celebratur ob eamdem vini præſtantiam a Virgilio Georg. II verſ. 98 Ptolemæo eſt Φαναία ἄκρα, *Phanæa promontorium* in Chio; Liuio *Phanæ* portus Chiorum lib. XXXVI cap. XLIII; & promontorium, lib. XLIV cap. XXVIII Stephano Φάναι ἀκρωτήριον τῆς Χίου. *

XIV.

Minores inſulæ circumiacent Chium, quas Plinius recenſet lib. V cap. XXXI. *Finitimæ ſunt,* inquit, *Thalluſa, quam alii Daphnuſam ſcribunt: Oenuſſa, Elaphitis, Eurynaſſa, Arginuſa cum oppido.* De Arginuſa ſupra dictum: ex ceteris ſola Oenuſa nobilior, quas alii *Oenuſas* ſiue *Oenuſſas* pluraliter vocant. Thucydides lib. VIII pag. 564 ἔκ τε Οἰνουσσῶν τῶν πρὸ Χίου νήσων, *& ex Oenuſſis inſulis Chio præiacentibus.* Etiam Herodotus lib. I cap. CLXV pluratiuo numero τὰς νήσους τὰς Οἰνούσσας καλεομένας, *inſulas, quæ Oenuſſæ dicantur,* vocat, & Chiorum fuiſſe tradit, qui licitantibus Phocæenſibus noluerint vendere. Horum auctoritatem præferendam ducimus Byzantiorum Stephano, qui quidem etiam plurali numero Oenuſſas dicit, vt vnam autem deſcribit: Οἰνοῦσσαι, νῆσος τῇ Χίῳ προσεχής, *Oenuſſæ ſunt inſula Chio adiacens.* Ceteræ ſunt obſcuræ & ignobiles. Inter Teon & Lebedum Straboni eſt inſula Ἀσπὶς, *Aſpis,* lib. XIV pag. 443.

XV.

Circa Epheſum Plinius ponit inſulas, quæ *Piſiſtrati* vocentur. *Iam hæ,* inquit, *circa Epheſum, & quæ Piſiſtrati vocantur; Anthinæ, Myonneſos, Diarrheuſa. In vtraque oppida intercidêre.* Myonneſum vero Strabo continenti adiungit in peninſula, lib. XIV pag. 443. His magno numero alias ſubiunxit, quarum multæ forſan in Hecatonneſis ſupra expoſitis, quæ etiam Harduini ſententia eſt, continentur. Cuiusmodi ſunt *Halone, Lepria, Bolbulæ, Phanæ, Priapos, Melane, Siduſa, Pela, Drymuſa, Anydros, Sycuſſa, Marathuſa,* & aliæ ignobiles. Sed Stephano *Siduſa* vrbs conti-

* Etiam ficus Chiæ nobiles fuerant & idcirco in Italiam perlatæ. Varro r. r, I c. 41.

continentis eſt Ioniæ. Thucydides quidem lib. VIII pag. 564 cum inſulis coniungit, ἔκ τε Οἰνȣσσῶν τῶν πρὸ Χίȣ νήσων, καὶ ἐκ Σιδȣ́σσης καὶ ἐκ Πτελεȣ̃, *ex Oenuſſis ante Chium inſulis, & ex Siduſſa, & ex Pteleo;* ſed exinde minus certum, inſulam an litoralem vrbem intelligat. Ibidem & *Phanas* memorat. ἐν Φαναῖς, inquit, αὖθις ἄλλῃ μάχῃ ἐνίκησαν, *ad Phanas iterum alio prælio vicerunt.* Straboni autem Φάναι, *Phanæ*, portus inſulæ Chii. Idem Livius ſenſit lib. XXXVI cap. XLIII *ab Delo,* inquit, *Phanas portum Chiorum, in Aegæum verſum, petunt.* Inſulas *Pelam* & *Marathuſam*, quæ etiam in illis Plinianis ſunt, mox in *Drymuſa* explicamus.

XVI.

DRYMVSA inſula prope Clazomenas. Clazomeniis enim Romani, Antiochi victores, donauerunt. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX *Clazomeniis, ſuper immunitatem, & Drymuſam inſulam dono dederunt.* Thucydides lib. VIII pag. 569 αἱ δὲ ἄλλαι νῆες κατῆραν ἐς τὰς ἐπικειμένας ταῖς Κλαζομεναῖς νήσȣς, Μαράθȣσαν, καὶ Πήλην, καὶ Δρυμȣ̃σσαν, *ceteræ autem naues adpulerunt ad inſulas Clazomenis obiacentes, Marathuſam, & Pelam, & Drymuſſam.* Sic enim Thucydides ex Stephano, qui teſtimonio eius vſus eſt, corrigatur, vbi vulgo Δρίμυσσαν adhuc lectum fuerat. Et Polybius Excerpt. Legat. XXXVI Δρυμȣ̃σσαν in eodem argumento, quod modo ex Liuio cognoſcebamus, adpellauit. Sic & *Pelæ* & *Marathuſæ* ſitum cognouimus, Thucydide auctore: ceteras Plinii, vt obſcuras, præterimus.

XVII.

SAMOS ſequitur, non minus clara, quam Chios, inſula, Epheſo, vrbi illuſtriſſimæ obiecta.* Thucydides lib. VIII pag. 599 διέχει ὀλίγον ἡ Σάμος τῆς ἠπείρȣ πρὸς τὴν Μυκάλην, *diſtat Samus exiguo interuallo a continente, qua ſpectat Mycalen.* Strabo lib. XIV pag. 438 dicit, Poſidium Sami promontorium & oppoſitam in Aſia Mycalen, fretum ἑπταςάδιον, *ſeptem ſtadiorum* interfluere. Plinius lib. V cap. XXXI *Ioniæ ora habet Samon liberam, circuitu octoginta ſeptem* M. P. *aut, vt Iſidorus, centum. Partheniam primum adpellatam Ariſtoteles tradit;* ** *poſtea Dryuſam; deinde Anthemuſam. Ariſtocratus adiicit Melamphyllum; dein Cypariſſiam: alii Parthenoaruſam, Stephanen.* Strabo quoque refert quædam antiqua nomina, quum Cares inſulam tenerent, quæ ſunt *Parthenias*, (Παρθενιὰς, ἀδος) *Anthemus*; poſt, *Melamphylos*, tandem *Samos.*

2. Pro-

* Vide omnino Apul. II Florid. p. 340 qui multa Sami memorabilia narrat, nec Auctori noſtro repugnat, quum ſcribit: *Samos Icario in mari modica inſula eſt, exaduerſum Miletos, ad occidentem eius ſita, nec ab ea multo pelagi diſpeſcitur. Vtrimuis elementer nauigantem dies alter in portu ſiſtit. Ager frumento piger, aratro irritus, fecundior oliueto, nec vinitori nec oliuitori ſcalpitur. Ruratio omnis in ſarculo & ſurculo &c. &c.*

** Nicander Alexiph. v. 148 pag. 73 Καὶ δὲ σὺ δραχμάων πισύρων βάρος αἴνυσο γαίης Παρθενίης, ἥν Φυλλὶς ὑπὸ κνημοῖσιν ἀνῆκεν Ιμβρασίδος γαίης χιονώδεος. Schol. ib. Παρθενία ȣ̓χ ἡ ὅλη σάμος. ἀλλά τις ἐν αὐτῇ εὑρεθεῖσα γῆ· φυλλὶς δὲ, τὸ καλȣ́μενον γεωφάνιον ἐν σαμοθράκῃ, καὶ μελιφύλλιον ἐκαλεῖτο. Νίκανδρος δὲ Φυλλίδα καλεῖ. κελεύει ȣ̓̃ν τέσσαρας δραχμὰς σαμίας λαμβάνειν. Παρθενία γὰρ ἡ σάμος ἐκαλεῖτο καὶ Φυλλὶς μία τῶν Νυμφῶν - - - Ιμβρασίδος, τῆς σαμιακῆς. Ιμβρασ γάρ ποτε ἐν σάμῳ, ἥν κριὸς λέγεται εὑρηκέναι. Ταύτης δὲ τὸ χρησιμώτερον ἀστὴρ καλεῖται.

2. Promontorium, quod Ἄμπελος, *Ampelus* dicitur, Icariam ſpectat, vicinam inſulam.

3. Vrbem Samos inſula habet eodem, quo illa, nomine * Ptolemæus lib. x cap. 11.

Τὸ Ποσείδιον,	*Poſidium,*
Σάμȣ ἡ πόλις	*Sami vrbs*
Ἄμπελος ἄκρα,	*Ampelos promontorium.*

Et Horatius lib. 1 epiſtola xi ineunte:

Quid concinna Samos? quid Crœſi regia Sardis?

4. Celebris etiam in hac inſula Iunonis cultus & templum cum famoſa aſylo. Notum illud Aeneidos principio, de Carthagine:

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Poſthabita coluiſſe Samo.

Strabo τὸ Ἡραῖον, ἀρχαῖον ἱερὸν, *Heræum,* id eſt Iunonium, *vetus templum* memorat. ** Tacitus annali iv cap. xiv *Is quoque annus legationes Græcarum ciuitatum habuit, Samiis Iunonis, Cois Aeſculapii delubro vetuſtum aſyli ius vt firmaretur, petentibus.*

5. Flumina Plinius in Samo *Imbraſum, Cheſium,* *** *Ibetten* nominat: Strabo quoque Ἴμβρασον ποταμὸν, *Imbraſum flauium.* Inde dearum, Iunonis & Dianæ, cognomina. Apollonius Argon. lib. 1 verſ. 187

- - - - Ἰμβρασίης ἕδος Ἥρης,

Imbraſiæ ſedes Iunonis. Et Callimachus in Dianam verſ. 228

Χησιὰς, Ἰμβρασίη, πρωτόθρονε,

Cheſias, Imbraſia, primæ ſedis dea: quamquam ſcholiaſtes Callimachi Χήσιον ἀκρωτήριον τῆς Σάμȣ, *Cheſium promontorium Sami,* non fluuium, interpretatur.

6. Auget laudem inſulæ alumnus Pythagoras, qui, patria ab tyrannis oppreſſa, in Italiam libertatis cauſſa ſeceſſit.

7. Vini prouentu minus felix Samus eſt, quod Strabo miratur, quum circumiacentes generoſum omnes ferant; τ᾽ ἄλλα εὐδαίμων, *ceteris cunctis abundat.* Cum primis *Samia vaſa* in fictilibus laudantur. Plinius xxxv cap xii *Maior pars hominum terrenis vtitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur.*

XVIII.

Ante Samum parua inſula *Narthecis* eſt. Strabo in Samo: πρόκειται αὐτȣ̃ νησίδιον ἡ Ναρθηκὶς, *ante ipſum* [Sami promontorium Naſidium] *iacet*

* Erat vrbs vna Græcarum præſtantiſſima Herodot. iii cap. 139. Sed Apuleius l. c. *Oppidum habet* (inſula) *nequaquam pro gloria: ſed quod fuiſſe amplum ſemiruta mœnia multifaria indicant.*

** Apuleius l. c. *Enimuero fanum Iunonis antiquitus famigeratum. Id fanum ſecundo litore, ſi recte recordor, viam viginti haud amplius ſtadiis oppido abeſt.*

*** Poſt verba Nicandri ſupra citata, ſic pergitur:

- - - ἥν τε κεράστης
Αμνὸς χηπιάδεσσι νέον σημήνατο νύμφαις
Κερκετέω νιφόεντος ὑπὸ σχοινάδεσιν ὄχθαις;

ibi Scholiaſtes: χησιεῖς πρῶτον ᾤκησαν ἐν σάμῳ, ἤδα Ἀστυπαλαιεῖς.

iacet parua inſula Narthecis. Et tres inſulæ *Trogiliæ* circa Samum ſunt. Plinius dicto loco: *Ioniæ ora habet vicinas Mycalæ Trogilias tres, Pſilon, Argennon, Sandalion.* Nomen commune habent a promontorio *Trogilio*, cuius Strabo meminit, eiusque ſitum ita deſcribit: ἡ Τρωγίλιος ἄκρα πρόπυς τῆς Μυκάλης, *Trogilium promontorium eſt pes prominens*, [montis & ſaltus] *Mycales.* De Lucæ *Trogyllio* Act. XX, 15, infra in continente Ioniæ dicemus.

XIX.

Samo proxima ICARIA ſiue ICAROS, a qua nomen eſt *Icario mari:* ipſa nomen ab Icaro habet, Dædali filio, quem fugæ patris ex Creta comitem, quum alæ propinquo ſole liqueſcerent, in hoc mare decidiſſe, in fabulis eſt. Strabo, Ptolemæus, Mela Ικαρίαν, *Icariam*, quatuor ſyllabis vocant: aliis eſt Ἴκαρος, *Icarus*, ſyllabis tribus. Thucydides lib. III pag. 190 προσμίξαντες τῇ Ικάρῳ καὶ Μυκόνῳ, *adpellentes ad Icarum & Myconum inſulas.* Scylax Periplo pag. 130 ἀπὸ Ικάρȣ πλȣ̃ς εἰς Σάμον προσαριςίδιος, *ab Icaro in Samum nauigatio antemeridiana.* Plinius lib. IV cap. XII in Sporadibus: *Icarus, quæ mari nomen dedit, tantumdem ipſa in longitudinem patens, cum oppidis duobus, tertio amiſſo: * ante vocata Doliche,** & Macris, & Ichtthyoëſſa.* Europæ videtur adiudicare: at ipſe lib. V cap. XXXI *Ioniæ ora habet Icaron.* Et Strabo & Ptolemæus ſcribunt in Aſia, vbi eſt. Ambitus inſulæ ſecundum Strabonem eſt CCC ſtadiorum: longitudo ſecundum Plinium lib. IV cap. XII decem & ſeptem M. P. Quare caſtigandus eſt Scylax, qui dicto loco per CCC ſtadia definit μῆκος, *longitudinem.* non μῆκος, ſed περίμετρος cum Strabone ſcribendum erat. Ceterum de numero oppidorum conuenit, & Scylax quoque pag. 50 dicit: Ἴκαρος δίπολις, *Icarus duo oppida habet.* Strabo πολισμάτια, *oppidula* vocat, quorum alteri ſit nomen Οἰνόη, *Oenoë*, alteri, Δράκονον, *Draconum*, vti etiam promontorium, cui ſubiacet, vocabatur *Draconum*, Samo obuerſum, a qua octoginta abeſt ſtadiis. Sic olim fuerat: Strabonis ætate deſerta inſula. Lib. X ſub finem: ἡ μὲν Ικαρία ἔρημός ἐςι, νομὰς δ' ἔχει, καὶ χρῶνται αὐταῖς Σάμιοι, *Icaria* [nunc] *deſerta eſt: paſcua vero habet, quibus Samii vtuntur.* Fuit præterea Dianæ templum in inſula, cui Ταυροπόλιον, *Tauropolium* nomen: ipſa ἀλίμενος quidem, *ſiue capaci portu;* ὑφόρμȣς vero habet, & πρόσορμον, *minores ſtationes nauium*, & *adpellendi commodum locum.* Hæc ex Strabone. Mare circumfluum *Icarium* vocatur. Ovidius IV Faſtor. verſ. 565

Hinc init Aegæum, quo Cycladas adſpicit omnes,
Ioniumque rapax, Icariumque legit.

Et Horatius lib. I Carm. oda I

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui.

(C) 2 XX.

* De Pramne, monte Icariæ vitifero vid. annotat. Brodæi ad Epigramm. Græc. lib. II c. συμποτ. ἀςείσμ. p. 250.

** Apollodorus II c. 6. § 3 ab Hercule Doliches nomen in Icariam mutatum eſſe ait, ob ſepultum ibi a ſe Icarum.

XX.

PATMOS, ſiue PATHMOS, in Sporadibus numeratur a Plinio lib. IV cap. XII. *Patmos,* inquit, *circuitu triginta* M. P. Strabo ſub finem libri X, ἐν ᾧ καὶ αὐτὴ, καὶ Σάμος, καὶ Κῶς ἐςὶ, καὶ αἱ ἄρτι λεχθεῖσαι Κορασσίαι, καὶ Πάτμος καὶ Λέρος, *in quo* [Icario mari] *& ipſa* [Icaria] *ſita eſt, & Samos, & Cos, ac modo dictæ Coraſſiæ, & Patmus, & Lerus.* Euſtathius, quamquam & hic Chriſtianus, Theſſalonicenſis epiſcopus, rerum tamen profanarum ſcriptor, ad Dionyſii verſ. 530 τῶν Σποράδων ἐςὶ καὶ Πάτμος περὶ τὸ Ἰκάριον πέλαγος, *ex Sporadibus eſt etiam Patmos in Icario pelago.* præter hos vix aliquid in profanis monimentis de hac inſula inuenimus, quæ ſolo ſancti Ioannis exſilio & apocalypſi eſt clarior facta. Is de ſe cap. I ſcripſit ἐγὼ ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ, *Ego eram in inſula, quæ Patmus vocitatur.* Et Euſebius lib. III Hiſt. eccl. cap. XVIII de Ioanne, Πάτμον οἰκεῖν καταδικασθῆναι, *in inſulam Patmum relegatum fuiſſe.* Sic Græci omnes per T Πάτμος ſcribunt, nemo, quod ſciamus, per Θ: an vero genuina illa ſcriptura ſit, dubitant eruditi viri; immo quidam negant, inducti vno Severi nummo, quem Carolus Patinus pag. 285 inſcriptum refert ΕΝ-ΠΑΘΜΩ ΔΑ, quod legunt ἐν Πάθμῳ, reciſis extremis litteris, tamquam aliud ſignificantibus: nec vero tollunt omne dubium, quia ratio inſcribendi nummos a populo aut loco vbique alia obſeruatur, quam per ἐν præpoſitionem.

XXI.

Adiacet LEROS, Λέρος, parua inſula, quam modo ex Strabonis verbis cognouimus. Memorat Plinius lib. IV cap. XII in Sporadibus. Et lib. V cap. XXXI *In Cariæ ora, quæ vocantur Argiæ, numero viginti: & Hyetuſſa, Lepſia, Leros.* Et rurſus Strabo lib. XIV pag. 437 Anaximenem Lampſacenum ſcripſiſſe refert, ὅτι καὶ Ἴκαρον τὴν νῆσον καὶ Λέρον Μιλήσιοι συνῴκισαν, *Icarum inſulam & Icarum Mileſiorum eſſe colonias.* Apud Herodotum, lib. V extremo, Hecatæus bello Perſico conſilium dat, ſi Mileto eiicerentur, ἐν Λέρῳ τῇ νήσῳ τεῖχος οἰκοδομησάμενον, *munimentum in Lero inſula ædificaturum eſſe.*

XXII.

Supra Miletum, ὑπὲρ Μίλητον, vt ait Byzantius Stephanus, ſita eſt inſula Φαρμακοῦσα, *Pharmacuſa,* in qua Attalum occiſum refert. Nobilior facta, quum ad eam Iulius Cæſar adoleſcens, a piratis caperetur. Suetonius cap. IV *circa Pharmacuſam* inſulam a prædonibus *captus eſt.* Eadem Plutarchus ſub initium Vitæ: ἁλίσκεται περὶ τὴν Φαρμακοῦσαν νῆσον ὑπὸ πειρατῶν, *capitur circa Pharmacuſam inſulam a piratis* .Memorat & Plinius lib. IV cap. XII ininſulis inter Cretam & Aſiam poſitis.

XXIII.

Propior Mileto, ſeu ante ipſam vrbem, eſt inſula LADE, pluribus commemorata. Herodotus lib. VI cap. VII ἡ Λάδη ἐςὶ νῆσος μικρὴ ἐπὶ τῇ πόλι τῇ Μιλησίων κειμένη, *Lade eſt inſula parua, ſupra vrbem Mileſiorum ſita.* Thucydides lib. VIII pag. 561 *Athenienſes, quum a Mileſiis non reciperentur,*

rentur, ἐν Λάδῃ τῇ ἐπικειμένῃ νήσῳ ἐφώρμων, *in Ladam, obiacentem* [vrbi Mileto] *impetum fecerunt.* Strabo lib. XIV pag. 437 de Mileto: πρόκειται ἡ Λάδη νῆσος πλησίον, *ante vrbem Lade inſula in propinquo ſita eſt.* Et Pauſanias Attic. cap. XXXV ἔστι τοῖς Μιλησίοις πρὸ τῆς πόλεως Λάδη νῆσος, ἀπεῤῥώγασι δὲ ἀπ᾽ αὐτῆς νησῖδες, *Mileſiorum ante vrbem eſt inſula Ladu, a qua paruæ aliæ quaſi abruptæ ſunt,* quas Strabo prædonum ὑφόρμους, *ſtationes* dicit habere. Arrianus Expedit. Alex. lib. I pag. 52 ἐν τῇ νήσῳ τῇ Λάδῃ· κεῖται δὲ αὕτη ἐπὶ τῇ Μιλήτῳ, *in inſula Lada: imminet autem hæc Mileto.* Et Plinius lib. V cap. XXXI *Ioniæ ora habet Laden, quæ prius Late vocabatur, atque inter ignobiles aliquot, duas Camelidas, Mileto vicinas.* Stephanus vocat νῆσον Αἰολίδος, *Aeolidis inſulam:* ſed Ionicam fuiſſe, vero eſt ſimilius. Idem gentile Λαδαῖος, *Ladæus* format, quod illuſtriſſimus vir Ez. Spanhemius ex vetere nummo, ΛΑΔΕΩΝ inſcripto, oſtendit eſſe Λαδεύς.

XXIV.

Inter Laden & Patmum eſt *Minyia* Ptolemæi: cuius Græca quidam (in quibus & Agathodæmon eſt) minus intellexerunt, hanc, & plures alias, pro oppidis vnius Amorgi inſulæ habentes. Nam in Myrtoo mari (quod ſecus ac Strabo in ora nominat Ptolemæus, vt lib. II cap. XIV oſtendimus) ſunt Ptolemæo νῆσοι, *inſulæ* hoc ordine:

Αμοῦργου πόλις,	*Amorgus cum oppido:*
Αρκεσίνη,	*Arceſine,*
Βελγιαλὶς,	*Belgialis,*
Μινυΐα,	*Minyia,*
Κῶ ἡ πόλις	*Cos cum vrbe,*
Αστυπαλαία ἡ πόλις	*Aſtypalæa cum vrbe.*

Quis non videt, quæ inter Amurgum & Con interponuntur, ſeparatas inſulas, ſed ſine oppidis eſſe, non autem oppida Amorgi vnius?

XXV.

CARYANDA quoque eſt inſula inter Myndum & Bargyliam ſita, vt recte Strabo obſeruauit lib. XIV pag. 452, licet mendoſe ei adiectum ſit, in continentis λίμνῃ, *lacu* eſſe poſitam. In ſinu enim maris, qui inter dictas vrbes excurrit, ſita eſt. Ipſe Caryandenſis Scylax pag. 91 inter inſulas marinas poſuit: Κάλυμνα νῆσος. Καρυάνδα νῆσος καὶ πόλις καὶ λιμὴν, οὗτοι Κᾶρες· νῆσος Κῶς καὶ πόλις καὶ λιμὴν κλειστός. *Calymna inſula, Caryanda inſula & oppidum & portus; Cares incolæ: inſula Cos & vrbs cum portu clauſo.* Et Plinius lib. V cap. XXXI de inſulis ante Aſiam, poſt Niſyron: *Hinc Caryanda cum oppido.* Strabonis ergo λίμνη, *lacus,* vox prauata eſt, & λιμὴν, *portus* cum Scylace in locum eius ſubficiendum: quod etiam Abr. Berkelio ad Steph. in hac voce viſum eſt.

XXVI.

COS, Κῶς, clara in primis inſula. Plinius lib. V cap. XXXI *Nobiliſſima in eo ſinu Cos, ab Halicarnaſſo quindecim M. P. diſtans, circuitu centum: vt plures exiſtimant, Merope vocata: Cea, vt Staphylus: Meropis, vt*

 Diony-

Dionyſius: * *dein Nymphæa.* Stephanus plura nomina addit, Καρὶς, *Caris:* item Κώως, Κόως, Κόος & Κέως: primo loco autem ἡ Μεροπὶς, *Meropis* poſita, quod nomen modo, Plinio auctore, percepimus. Hinc eſt, quod Thucydides vtrumque nomen coniunxit lib. VIII pag. 574, ἐς Κῶν τὴν Μεροπίδα ἐν τῷ παράπλῳ ἀποβὰς, *in Con Meropidem, quum prænternauigaret, deſcendens.* Ad quem locum hoc ſcholion adpoſitum eſt: τὴν Μεροπίδα περιττῶς προσέθηκεν. οὐ γάρ ἐστι καὶ ἄλλη, ἀλλὰ μόνη αὐτή. *Vocem* Meropidem *ſuperflue adiecit: non enim alia etiam* [Cos] *eſt, ſed hæc eſt ſola.* At Stephanus etiam Aegypti quamdam vrbem narrat, quæ hoc nomine Κῶς, *Cos*, adpelletur: alii Κρῶς, non Κῶς, illam Aegyptiam dicendam, ex eodem Stephano in Κρῶς, Hecatæi auctoritate vſo, coniiciunt.

2. Vrbem habuit Cos inſula, quæ Straboni prius dicta fertur *Aſtypalæa*, deinde communi cum inſula vocabulo Κῶς, *Cos.* Olim ἀτείχιστος, *ſine muro* fuit, vt Thucydides dicto loco refert: poſtea idem extremo lib. VIII de Alcibiade tradit, καὶ Κῶν ἐτείχιζε, *etiam Con muro cinxit.* Antiqua in primis vrbs, ab Homero etiam laudata. Catalogo verſ. 184

> Καὶ Κῶν Εὐρυπύλοιο πόλιν,
> *Et Con Eurypyli vrbem.*

Et alia forma Iliad. Ξ verſ. 255, ac Ο verſ. 28

> Καὶ μιν ἔπειτα Κόωνδ' εὐναιομένην ἀπένεικας,
> *Et ipſum poſtea Coon bene habitatam aſportaſti.*

Scylax: νῆσος Κῶς, καὶ πόλις, καὶ λιμὴν κλειστός, *Inſula Cos, & vrbs, & portus clauſus.* Pomponius Mela lib. II cap. VII de inſulis: *In Caria Cos: in Lycia Rhodos.* Vrbs, quod Strabo lib. XIV adnotauit, non magna, ſed κάλλιστα πασῶν συνῳκισμένη, *optime condita:* inſula vero εὔκαρπος πᾶσα, οἴνῳ δὲ ἀρίστη, *tota quidem frugifera, optima autem generoſi vini prouentu,* * vt Chios & Lesbos, quibuscum Strabo comparat.

3. Clariſſimi alumnorum Hippocrates & Apelles, vterque artis princeps ſuæ. De Hippocrate Strabo XIV pag. 452: de Apelle Plinius XXXV cap. X, Ouidius III de Arte A. verſ. 401.

4. Et Aeſculapii templum in ſuburbio nobiliſſimum, & donariis opulentum fuit, quod itidem Strabo ibidem deſcripſit.

5. Etiam veſtes *Coæ*, tum tenuitate tum colore fuerunt laudatæ. Horatius lib. IV oda XIII in Lycen:

> *Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ*
> *Nec clari lapides tempora.*

Et Propertius lib. I elegia II

> *Et tenues Coa veſte mouere ſinus.*

ac lib. IV elegia II *Indue me Cois.* Et Tibullus lib. II elegia IV *Coa puellis Veſtis.* Et eodem libro elegia VI verſ. 35

> *Illa gerat veſtes tenues, quas femina Coa*
> *Texuit, auratas diſpoſuitque vias.*

XXVII.

* Et Diodorus XIII pag. 168.
** Vid. etiam Demoſth. adu. Lacrit. p. 596 B.

XXVII.

Ab Co vel Coa inſula abruptam quidam crediderunt eſſe *Niſyron*, inſulam aliam, antea *Porphyrin* dictam. Strabo lib. x extremo: Φασὶ τὴν Νίσυρον ἀπόθραυσμα εἶναι τῆς Κῶ, *Aiunt Niſyrum fragmentum eſſe inſulæ Co.* Et Plinius lib. v cap. xxxi *Niſyron abruptam illi* [Co] *putant, quæ Porphyris antea dicta eſt.* Sed lx prope ſtadiis a Co diremta illa eſt, *Telon* verſus ſita, quæ ad *Carpathum* inclinat; vti etiam *Caſos*: de quibus quemadmodum etiam de *Chalce* ſiue *Chalcia*, quæ inter Rhodum & Telon eſt, quum in Europæ Aegæo, Strabone inuitante, dictum ſit, & iam nobis, & deinceps poſt Carpathum, licebit eſſe breuioribus. Vide interim ſupra lib. ii cap. xiv pag. 1278 ſeq.

XXVIII.

Carpathvs per ſe non eſt tam memorabilis, quam mare, quod ab illa *Carpathium* nominatur. Plinius lib. v cap. xxxi *Rhodiorum inſulæ: Carpathus, quæ mari nomen dedit: Caſos, Achne olim: Niſyros, diſtans ab Cnido* xii *millia* iↄ, *Porphyris antea dicta: & eodem tractu media inter Rhodum Cnidumque Syme.* Strabo lib. x extr. Κάρπαθος, ἣν Κράπαθον εἶπεν Ὅμηρος, *Carpathus, quam Homerus Crapathum dixit*, metri haud dubie cauſſa. Verba ſunt in nauium catalogo verſ. 183

Οἳ δ᾽ ἄρα Νίσυρόν τ᾽ εἶχον, Κράπαθόν τε, Κάσόν τε,
Qui vero Niſyrum colebant, Crapathumque, & Caſum.

Addit Strabo, τετράπολις ὑπῆρξε, *quatuor oppida habuit*, quorum vni nomen fuerit *Niſyros*, commune cum inſula vicina: Scylax autem pag. 93 Κάρπαθος, αὕτη τρίπολις, *Carpathus tria habet oppida.* Ptolemæus tantum vnam vrbem memorat Ποσείδιον nomine, hoc eſt *Poſidium* ſiue *Neptunium*; & duo promontoria *Thoanteum* & *Ephialtium.* Ambitus inſulæ ſecundum Strabonem eſt cc ſtadiorum: longitudo c Scylacem Periplo extremo: diſtantia ab Rhodo itidem c ſtadia. Incolæ *Carpathii*: Golzii nummo ΚΑΡΠΑΘΙΩΝ. Hodie hæc inſula vocatur *Scarpanto.* * De mari Carpathio plures auctores. Horatius lib. i od. xxxv

Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.

Ouidius lib. ii Amor. elegia viii

Carpathium tepidos per mare ferre notos.

Et Propertius lib. ii elegia v

Non ita Carpathiæ variant aquilonibus vndæ.

Et Iuuenalis ſatyra xiv verſ. 277

- - - veniet claſſis quocumque vocarit
Spes lucri: nec Carpathium Gætulaque tantum
Aequora tranſiliet.

XXIX.

Casvs a Carpatho abeſt lxx ſtadiis: habet vrbem eiusdem nominis,

* Meminiſſe de huiusmodi nominibus velim lectores, quæ Sponius obſeruauit de nomine *Scio*, *Stampul* & ſimilibus.

nis, vt Strabo & Ptolemæus tradunt: cetera ſupra ex Homero & Plinio prædicta. Circumiacent plures paruæ, Κασίων νῆσοι καλέμεναι, *quæ Caſiorum inſulæ*, vt Strabo lib. x extremo ait, *vocantur*.

XXX.

SYME, Σύμη, inſula inter Cnidum & Loryma, ſecundum Strabonem lib. XIV pag. 451 quo loco & Ptolemæus poſuit. Plinius laxior, vt in Carpatho iam vidimus, inter Rhodum & Cnidum eam conſtituens. Memorat etiam Scylax in Caria. Et Thucydides lib. VIII pag. 575 ἡ φυλακὴ τῷ Χαρμίνῳ περὶ τὴν Σύμην καὶ Χάλκην καὶ Ῥόδον ἦν, *Charmino cuſtodia* [maris] *circa Symen & Chalcen & Rhodum commiſſa erat.* Et mox: τρόπαιον ἐν τῇ Σύμῃ ςήσαντες πάλιν ἐς τὴν Κνίδον καθωρμίσαντο, *tropæo in Syma erecto, rurſus Cnidum redierunt.* Et Herodotus lib. I cap. CLXXIV ἡ κατὰ Σύμην τε καὶ Ῥόδον θάλασσα, *mare, quod circa Symen & Rhodum eſt.*

XXXI.

Quam vero χάλκην, *Chalcen* inſulam vocat Thucydides, etiam Plinio eſt *Chalce* lib. V cap. XXXI vbi *Chalce cum oppido* memoratur: alibi, lib. IV cap. XII, idem *Chalcia* ſcripſit, quemadmodum etiam Strabo lib. X extremo in Sporadibus: Ἀςυπάλαια, καὶ Τῆλος, καὶ Χαλκία, *Aſtypalæa, & Telos, & Chalcia.*

XXXII.

TELOS autem, vt Herodotus lib. VII cap. CLIII obſeruat, ἐπὶ Τριοπίῳ κειμένη, *Triopio abiacet.* Plinius lib. IV cap. XII *Telos vnguento nobilis, a Callimacho Agathuſſa adpellata.*

XXXIII.

ARCONNESVS inſula ante Halicarnaſſum. Strabo lib. XIV pag. 451 de Halicarnaſſo: πρόκειται αὐτῆς ἡ Ἀρκόννησος, *ſita ante illam Arconneſus.* Plinius lib. V cap. XXXI *In Arconneſo oppidum Ceramus.* Si fuit *Ceramus* in inſula, vtique alia fuit a *Ceramo*, quam in continente Strabo & Ptolemæus ponunt. Ille πολίχνιον ὑπὲρ θαλάττης, *oppidulum ſuper mare* vocat: hic lib. V cap. II in Doride hunc ordinem ſeruat:

Ἁλικαρνασσὸς,	*Halicarnaſſus,*
Κέραμος,	*Ceramus,*
Κνίδος πόλις καὶ ἄκρον,	*Cnidus vrbs & promontorium.*

Ab hac igitur *Ceramicus ſinus* cognominatur, non ab illa, ſi qua fuit, inſulæ. Scylax in Caria: κατὰ ταῦτα Κεραμικὸς κόλπος τῆς Καρίας, *iuxta hæc* [Halycarnaſſum, Calymnam, Caryandam & Con] *eſt Ceramicus ſinus Cariæ.* Mela lib. I cap. XVI *Cnidus in cornu peninſulæ, interque eam & Ceramicum ſinum in receſſu poſita Euthane.* Tum pergit de Halicarnaſſo loqui. Ex quo adparet, *Ceramicum* ſinum eſſe ante Con inſulam, ipſumque, in cuius extremitate ſita vrbs Halicarnaſſus eſt. Quod contra Iſaacum Voſſium notari decet, qui ad Dionyſium, *Caue,* inquit, *putes, Con inſulam vicinam huic ſinui. Rhodo enim proximus ſinus Ceramicus: Coos Triopio.* Nos vero Ptolemæum & Melam & ipſum Strabonem ſequimur, qui dicto

dicto loco ait: *μετὰ Κνίδον Κέραμος καὶ Βάργασα, πολίχνια ὑπὲρ θαλάττης, poſt Cnidum eſt Ceramus & Bargaſa, oppidula ſupra mare.*

XXXIV.

In hoc Ceramico ſinu plures Plinius enumerat inſulas, ſed pleraſque obſcuras. *Non procul,* inquit, *ab Halicarnaſſo Pidoſus. In Ceramico autem ſinu Priaponeſos, Hipponneſos, Pſyra, Mya, Lampſemandus, Paſſala, Cruſa, Pyrrhe, Sepiuſſa, Melano.* Ex his *Hipponeſus* Stephano eſt πόλις Καρίας, *vrbs Cariæ* nulla habita inſulæ mentione: *Pſyra,* Ψύρα *eidem Stephano* νῆσος μικρὰ, πλησίον Χίου, *parua inſula prope Chium*, cuius & Homerus nomine Ψυρίης meminerit Odyſſ. Γ v. 171, quæ ſi ibi eſt, ſatis longe a ſinu abeſt Ceramico. Puto autem, definiſſe chorographum ita illius ſedem, quia proximis, quæ ſequuntur, verbis de Chio & Mimante agit. *Pyrrha* Ptolemæo eſt oppidum Cariæ prope Mæandrum, ſeu inter oſtia eius & Heracleam. *Paſſala,* Πάσσαλα, Stephano eſt Μυλασσέων ἐπίνειον, *Mylaſſenſium navale.* Cetera ignorantur.

RHODVS INSVLA. *

XXXV.

De Rhodo Plinius præclare lib. V c. XXXI *Pulcherrima & libera Rhodus circuitu* CXXV M. *paſſuum, aut ſi potius Iſidoro credimus;* CIII. *Habitata vrbibus Lindo, Camiro, Ialyſo; nunc Rhodo. - - - Vocitata eſt antea Ophiuſa,* ** *Aſteria, Aethria, Trinacria, Corymbia, Pœeeſſa, Atabyria ab rege: deinde Macaria & Oloeſſa.* Pomponius Mela lib. II cap. VII ita: *In Ionia Chios & Samos, in Caria Cos; in Lycia Rhodos. In illis ſingulæ ſunt iisdem nominibus vrbes: in Rhodo tres quondam erant, Lyndos, Camiros, Ialyſos.* Hæ etiam ſolæ a Ptolemæo in hac inſula numerantur, Κάμειρος, Λίνδος, Ιηλυσσὸς, *Camirus, Lindus, Ialyſſus,* quas male Ptolemæus; recte Strabo ita ordinat, ut *Lindus* in orientali latere ſit, ſed in auſtrum vergat, reſpiciatque Alexandream: *Camirus* ſedeat in plaga occidentali: ſeptemtrionem teneat *Ialyſus,* vt vero non vltra LXXX ſtadia a noua Rhodiorum vrbe recedat.

2. Originem harum vrbium Diodorus Siculus oſtendit lib. IV cap. LX, Tlepolemum, Herculis filium, τρεῖς ἐν αὐτῇ [Ρόδῳ] κατασῆσαι πόλεις, Λίνδον, Ιηλυσὸν, Κάμιρον, *tres in Rhodo condidiſſe vrbes, Lindum, Ielyſum, Camirum:* qui, conſtitutis illis, cum Agamemnone aduerſus Troiam profectus ſit. Alii Heliades, vt Strabo refert lib. XIV pag. 450, condidiſſe tradunt, Homerico vtentes verſu catalog. 163

Λίνδον, Ιηλυσσόν τε, καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον,
Lindum, Ielyſumque, & ſplendidam Camirum.

Helia-

* Olim inſula non fuerat. Vide infra notas ad *Peræam* lib. III cap. 3 Omnia *Rhodi* commemorabilia libris duobus complexus eſt Meurſius A. 1675 Amſtelodami vna cum *Creta* & *Cypro* editis.

** *Telchines & Carpathii Rhodum inſulam quæ Ophiuſſa antea vocabatur, quaſi tuta poſſeſſione ceperunt.* Oroſius I hiſt. c. 7 Quare *Telchinis* appellari cœpit, teſte Strabone XIV pag. 966, item *Stadia.*

Heliades autem, Ἡλιάδαι, dicuntur Solis nepotes, *Ialyſus, Camirus, Lindus,* ſinguli auctores ſuarum vrbium, conditoris nomen referentium. Vide Cicer. lib. III de Nat. deor. cap. XXI, & ibi V CL. Iac. Gronouium interpretantem; & Pindarum Olymp. VII verſ. 135. *

3. Has vero vrbes exhauſit, vt decreſcerent, vrbs noua ad promontorium in orientem verſum, quæ commune inſulæ ſibi nomen Ῥόδος, *Rhodus* vindicauit, exculta & bonis legibus inſtituta, iisque decorata ornamentis, vt vix, quæ cum illa conferretur, haberet. ** Strabo dicto loco: ἡ νῦν πόλις ἐκτίςη κατὰ τὰ Πελοποννησιακὰ ὑπὸ τȣ̃ αὐτȣ̃ ἀρχιτέκτονος, ὥς φασιν, ὑφ' οὗ καὶ ὁ Πειραιεὺς, *noua vrbs* [Rhodus] *condita eſt circa Peloponneſiacum bellum, ab eodem architecto, vt aiunt, a quo etiam conditus Piræeus fuit.* Addit, prius Lindios, & Camirenſes, & Ialyſios καθ' αὑτȣ̀ς ἐπολιτεύοντο, *quosque propriam rempublicam habuiſſe:* μετὰ ταῦτα δὲ συνῆλθον ἅπαντες εἰς τὴν Ῥόδον, *poſtea vero omnes in vrbem Rhodum coiuiſſe.* ***

4. Vt de *Lindo* incipiamus, eius ſitum ſupra ex Strabone oſtendimus, in auſtrum ab vrbe Rhodo inclinare ita, vt ex Rhodo Lindum nauigantibus, inſula Rhodus a dextra ſit. Hæc præ ceteris ſe conſeruauit, ne omnis ab noua vrbe exhauriretur. Euſtathius in Dionyſii perieg. verſ. 505 ἡ Λίνδος καὶ μέχρι νῦν περιᾳδομένη, *Lindus etiam noſtro tempore laudata eſt.* Nec hodieque deſiit, quamlibet diminuta, ſed Theuenotio, nobili peregrinatore, teſte, eſt *vne petite ville, avec vne fort bonne forterеſſe.* Patria hæc fuit Cleobuli, qui in ſeptem ſapientibus laudatur. Minerua ibi adeo culta fuit, vt cognomen quoque ab vrbe acciperet *Lindiæ.* Strabo prædicto loco: ἱερὸν δ' ἐςὶν Ἀθηνᾶς Λινδίας αὐτόθι ἐπιφανὲς, *templum illuſtre ibidem eſt Mineruæ Lindiæ.* Etiam Herculis ſacra maledica ibidem celebrata. Lactantius lib. I cap. XXXI *Apud Lindum, quod eſt oppidum Rhodi, Herculis ſacra ſunt, quorum a ceteris longe diverſus eſt ritus: ſiquidem non* εὐφημίᾳ, *vt Græci adpellant, ſed maledictis & exſecratione celebrantur, eaque pro violatis habent, ſi quando inter ſolemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum.*

5. Poſt Lindum Straboni ſunt Ἰξία χωρίον καὶ Μνασύριον, *Ixia pagus & Mnaſyrium,* quæ in auſtrum oportet cadere, aut in flexum inſulæ ad occidentem.

6. Deinde eſt mons Ἀτάβυρις *Atabyris,* præcelſus, ἐν ᾧ ἱερὸν Διὸς Αταβυρίȣ, *in quo templum Iouis Atabyrii eſt.* Et montis & Iouis Atabyrii, ſed prauato vocabulo, M loco B poſito, mentionem habet Diodorus Siculus lib. V cap. LIX, qui propterea emendandus eſt. Recte autem id nomen refert Lactantius lib. I Inſtit. cap. XXII. *Conſtituta ſunt templa Ioui Atabyrio,*

* Lucian. Amor. pag. 878 ἄχρι τῆς ἡλιάδος ἀψάμενοι Ῥόδȣ. *donec ad Soli ſacram Rhodum delati.* Et mox Ἐςὶ γὰρ ὄντως ἡ πόλις ἡλίȣ, πρέπον ἔχȣσα τῷ θεῷ τὸ κάλλος. *Ea enim* Rhodus *vere ſolis vrbs digna deo pulcritudine prædita.*

** Vide Polyb. V cap. 88, 89, 90 de fatis vrbis huius, quæ terræ motu conquaſſata eſt. Sed ciuium ſolertia & calliditate mox refecta. Nam regum & ciuitatum liberalitate caſum ſuum reparare & ſuſtentare nouerant.

*** Adde huc Diodor. XIII pag. 196 ab ipſo quoque Autore infra citatum.

rio, Ioui Labrandeo: ſed in eo diſſentimus, quod Atabyrium hoſpitem Iovis & in bello adiutorem faciat: quemadmodum Plinius inſulam *ab rege* Atabyriam dictam fuiſſe ſupra memorauit. A monte potius hoc nomen eſt, vt Strabo & Diodorus conſentiunt. Quibus & Apollodorus lib. III cap. II accedit de Althemene, Minois nepote, dicens: ἀναβὰς δὲ ἐπὶ τὸ Αταβύριον καλέμενον ὄρος - - - ἱδρύετο βωμὸν Αταβυρίε Διὸς, *conſcenſo monte Atabyrio, aram Iouis Atabyrii conſtituit.* Venerat autem ex Creta in Rhodum. Et Pindarus Olymp. VII verſ. 159

- - - ὦ Ζεῦ πάτερ νώ-
τοισιν Αταβυρίε
Μεδέων,

O Iuppiter pater iugis Atabyrii dominans. Manauit religio in alias regiones. Polybius lib. IX cap. XXI de Agrigento Siciliæ, Rhodiorum colonia ἐπὶ τῆς κορυφῆς Αθηνᾶς ἱερὸν ἔκτισαι καὶ Διὸς Αταβυρίε, καθάπερ καὶ παρὰ Ροδίοις, *in ſummo vertice Mineruæ templum exſtructum, & Iouis Atabyrii, ſicut apud Rhodios.*

7. Poſt Atabyrin montem in occidentali latere eſt vrbs *Camirus*, Κάμειρος, ideoque ex Cnido ſoluentes Lacedæmonii πρώτη Καμείρῳ προσέβαλον, *primum ad Camirum adpulerunt*, vt Thucydides lib. VIII pag. 576 obſeruauit: qui tum ἀτείχιστον, *ſine munimentis* hanc vrbem fuiſſe, adiecit. Stephanus, Κάμιρος ſcripſit ſine diphthongo: cum ea, Κάμειρος, Homerus, Strabo, Ptolemæus, Thucydides, Diodorus, vt friuola Euſtathii ad Dionyſium verſ. 505 ſit ratio diſcriminandi, quaſi Κάμειρος proprium viri nomen ſit; Κάμιρος vrbis. Quod enim hæc vrbs ab illo Καμείρῳ fertur condita; vero eſt ſimillimum, eodem etiam plane modo ſcribendam eſſe.

8. In ſeptemtrione fuit *Ialyſus*, Ιάλυσος, quam ita Strabo ſcribit, & Diodorus Siculus, ac quod ad vocalem pertinet, chorographus Byzantius; & Latini, Plinius & Mela: Græci ceteri, Homerum Ionicum poetam plerumque ſequuti, Ιήλυσος, ſiue Ιήλυσσος, *Ielyſus, Ielyſſus.* Geminant ſibilum Homerus, forte metri cauſſa, & Ptolemæus cum Stephano. Strabo κώμην, *pagum*, non vrbem vocat, quod forſan hanc plurimum noua vrbs Rhodus, tantum LXXX ſtadiis disiuncta, exhauſerat. Acropolin habuit, Strabone teſtante, cui a ſitu & munitione nomen Οχύρωμα, *Ochyroma.* Circumiecta regio Ιαλυσία, *Ialyſia* vocatur. Diodorus lib. V cap. LVII οἱ δὲ λοιποὶ τε Ἡλίε παῖδες κατέμειναν ἐν τῇ Ρόδῳ, καὶ κατῴκισαν ἐν τῇ Ιαλυσίᾳ, κτίσαντες πόλιν Αχαΐαν, *ceteri Solis filii manſerunt in Rhodo, & condentes vrbem Achaiam, in Ialyſia regione habitarunt.* Athenæus lib. VIII cap. XVI ἐν τῷ Ιαλυσῷ πόλιν ἰσχυροτάτην, τὴν Αχαΐαν καλεμένην, *vrbem in Ialyſo munitiſſimam, Achæam dictam* deſcripſit. Hæc vrbs Rhodi antiquiſſima & omnium forte prima, cuius quod nulla poſthac mentio exiſtit, Meurſio videtur lib. I de Rhodo cap. IX, cum Ialyſo poſtmodum coaluiſſe. Alii primos Rhodi incolas *Telchinas*, Τελχῖνας dicunt. Idem Diodorus lib. V cap. LV τὴν νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Ρόδον πρῶτοι κατῴκησαν οἱ προσαγο-

αγορευόμενοι Τελχῖνες, inſulam Rhodum primi coluerunt, qui Telchines adpellantur. A quibus, tamquam inuentoribus ſimulacrorum *Apollo Telchinius* apud Lindios, & *Iuno Telchinia* apud Ialyſios, vt ibidem Diodorus tradit, cognominabantur. Ouidius lib. VII Metamorph. verſ. 365

Phœbæamque Rhodon, & Ialyſios Telchinas.

9. Has vrbes, vt ſupra ex Strabone oſtendimus, vrbs noua *Rhodos*, Peloponneſiaci belli tempore condita, vltro concedentibus incolis, exhauſit, vt ſaltem decreſcerent amitterentque priorem dignitatem. Diodorus Siculus lib. XIII cap. LXXV (Olympiadis XCIII anno I) de trium harum vrbium habitatoribus, *μετωκίσθησαν εἰς μίαν πόλιν τὴν νῦν καλουμένην Ῥόδον, translati ſunt in vnam vrbem, quæ nunc vocatur Rhodus.* De ſplendore vrbis ſupra diximus, quem *coloſſus* auxit, ſtupendæ magnitudinis ſtatua, Soli dedicata, de qua ita Plinius lib. XXXIV cap. VII *Ante omnes fuit Solis coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lyſippi diſcipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc ſimulacrum poſt quinquageſimum ſextum annum terræ motu proſtratum; * ſed iacens quoque miraculo eſt. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores ſunt digiti, quam pleræque ſtatuæ. Vaſti ſpecus hiant defractis membris.* Cælo mitiſſimo vti hanc inſulam, ex eo quoque conſtare poteſt, quod de vrbe Rhodo tradit Plinius lib. II cap. LXII, *Rhodi & Syracuſis numquam tanta nubila obduci, vt non aliqua hora Sol cernatur.* Quod Solinus cap. XI repetiit: *Numquam*, inquit, *ita cælum nubilum eſt, vt in ſole Rhodus non ſit.*

10. Maxime vero ſtudia militiæ naualis & vniuerſæ rei nauticæ, nec non litterarum, hoc eſt philoſophiæ & eloquentiæ Rhodios commendabant. Cicero pro Lege Manil. cap. XVIII *Rhodiorum vsque ad noſtram memoriam diſciplina naualis & gloria remanſit.* De bellica virtute Romanorum teſtantur bella, quorum illi plerumque erant ſocii, ideoque magnis præmiis ornati, poſſeſſionibus in Aſia Antiochi bello, quas Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX enarrat: & inſulis a Sulla Mithridatis bello, Cicerone referente lib. I ad Quintum fratrem epiſt. I cap. XI. De litterarum ſtudiis, eloquentia in primis, idem Tullius in Bruto cap. XIII & XCI conſulatur: de philoſophia & matheſi Vitruuius procemio libri VI Ariſtippi Socratici exemplo; & Liuius epitoma LXIX de Numidico Metello.

11. Nummi Rhodiorum multi in cimeliis habentur, in quibus ſingularis eſt, quem vir illuſtris Ezech. Spanhemius pag. 784 produxit, cum effigie Solis radiati in vna, Victoriæ in altera parte, inſcriptum ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ, *Libertas Rhodiorum*, ſeu *Liberorum Rhodiorum.* Caput radiatum, quod Solis inſigne eſt, ſacratam huic numini vrbem fuiſſe ſignificat. De libertate, præter Plinium, quem ſupra adlegauimus, vere Tacitus lib. XII cap. LVIII *Redditur Rhodiis libertas, ademta ſæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.* Ademerat paullo ante imperator Claudius, quod Romanos quosdam ciues *ἀνεσκολόπισαν,*

* Adde huc Polybii V c. 88, 89, 90 ſupra citata.

σαν, in crucem egerant, vt Dio Caſſius lib. LX pag. 681 refert; quam mox reddidit, Suetonio teſtante cap. XXV: rurſus poſtea ademit eam Veſpaſianus, vt Suetonius tradit cap. VIII, & ex illo repetit Eutropius lib. VII cap. XIII.

CAPVT III
DE
ASIAE CIS TAVRVM ANTIQVO STATV IN PARTIBVS MARITIMIS.

I.

Asiam cis Taurum etiam Aſiam intra Halyn adpellari, ſupra cap. I libri huius III, Strabone auctore, demonſtratum eſt. Quanta illa fuerit, & quot complexa prouincias ac regiones, idem Strabo lib. II pag. 89 declarat. *ἡ ἐντὸς Ἅλυος χώρα λεγομένη, quæ intra Halyn regio vocatur,* eam *περιέχειν, continere* dicit ad Pontum & Propontidem ſitos *Paphlagones, Bithynos, Myſos, καὶ τὴν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ λεγομένην Φρυγίαν, ἧς ἐστὶ καὶ ἡ Τρωάς· & Helleſpontiacam Phrygiam, cuius pars & Troas eſt:* ad Aegæum mare *Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lyciam:* in mediterraneis autem *Phrygiam magnam,* cuius pars ſit Gallogræcorum *Galatia,* & *Epictetos;* & *Lycaones,* & *Lydi.* Nos, quæ ſub Ponto ſunt, ad aliud caput reſeruamus, a Propontide incipientes oram legere: inde ad Helleſpontum & Aegæum progreſſuri, vt ad interiora tandem veniamus ſiue mediterranea. Primi igitur *Myſi* ſunt Strabonis ordine, a ſeptemtrione progredientis in auſtrum.

SECTIO I.
MYSIA VTRAQVE.

II.

Geminam eſſe MYSIAM, clare demonſtrat Strabo lib. XII pag. 393. *Bithynis,* inquit, *contermini ab auſtro ſunt, qui circa Myſium Olympum incolunt, cognomine Myſi & Phryges. Harum gentium vtraque duplex eſt* (*ἑκάτερον τὸ ἔθνος διττόν ἐστι*) Poſtquam de Maiore & Minore Phrygia deinde diſſeruit, addit: *Μυσία τε ὁμοίως, ἥτε Ὀλυμπηνὴ συνεχὴς οὖσα τῇ Βιθυνίᾳ, καὶ τῇ Ἐπικτήτῳ· καὶ ἡ περὶ τὸν Κάϊκον καὶ τὴν Περγαμηνὴν μέχρι Τευθρανίας καὶ τῶν ἐκβολῶν τοῦ ποταμοῦ, Myſia itidem ſimiliter: alia Olympena, Bithyniæ contigua &* [Phrygiæ] *Epicteto: alia eſt circa flumen Caicum & Pergamenen, vsque Teuthraniam & Caici oſtia.* Non dicit clare aliam *Maiorem* Myſiam eſſe, aliam *Minorem:* nec vox *ὁμοίως* id certo & indubitate perſuadet; cui ſatis eſt *τὸ διττὸν, duplicitatem* hoc loco ſignificare: nec facile apud alium veterum diſtinctionem illam inuenies. Ptolemæus autem lib. V cap. II *Minoris* mentionem habet: *πόλεις εἰσὶ μεσόγειοι, Μυσίας μὲν μικρᾶς τῆς ἐφ᾽ Ἑλλη-*

σπόντῳ, vrbes mediterraneæ ſunt, Myſiæ quidem Minoris, quæ ſupra Helleſpontum eſt, reliqua. Ergo datur etiam *Myſia Maior*, & quia Minor ad Helleſpontum eſt, Maior erit illa, quam Strabo dixit circa Caicum eſſe & Pergamum. Hæc eſt, de qua Pomponius Mela lib. I cap. XVIII *Proxima regio, ex quo ab Aeoliis incoli cœpit, Aeolis facta, ante Myſia.* Et Plinius Melam ſequutus lib. V cap. XXX *Aeolis proxima eſt, quondam Myſia adpellata.* Vterque hoc dicit, ampliſſimam olim hanc Myſiam ante Aeoliorum coloniam fuiſſe: poſtea accedentibus his ex Græcia, in arctum hæc Myſia contracta, eos limites accepit, quos Strabo ſupra delineauit, circa Caicum fluuium & Helleſpontum: quum reliqua pars deinde *Aeolis* ſiue *Aeolia* fuerit nominata.

III.

Meminit Strabo quoque *Myſiæ Combuſtæ* lib. XIII pag. 431, * vbi Scepſium dicit putaſſe, ** *ἐν τῇ κατακεκαυμένῃ τῆς Μυσίας τοὺς Ἀρίμους τιθέντας, in Combuſta* [regione] *Myſiæ eſſe Arimos ponendos.* Sed poſt paullo, prope finem libri, dubitat, Myſiæ an Lydiæ ſit regiuncula illa contribuenda. Longam quum dixit IↃ ſtadiorum, latam CCCC, adiicit, *εἴτε Μυσίαν χρὴ καλεῖν, εἴτε Μῃονίαν· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως, ſiue Myſiam decet vocare, ſiue Meoniam* (Mæoniam) quæ Lydia eſt. Ipſe vero aliquoties ad Myſiam reduxit. Ibidem hoc ordine ſcripſit: *μετὰ Λυδοὺς εἰσὶ οἱ Μυσοὶ καὶ πόλις Φιλαδέλφεια, poſt Lydos ſunt Myſi & vrbs Philadelphia:* Philadelphia autem vicina Sardibus, & vtraque ad Tmoli montis radices ſita eſt. Quod vero ipſe Strabo dicit lib. XII pag. 388 *διορίσαι τοὺς ὅρους χαλεπὸν, τοῦς τε Βιθυνῶν, καὶ Μυσῶν, καὶ Φρυγῶν καὶ ἔτι Δολιόνων τῶν περὶ Κύζικον, καὶ Μυγδόνων, καὶ Τρώων, difficile eſt terminos definire Bithynorum, Myſarum, & Phrygum & Dolionum circa Cyzicum, & Mygdonum, & Troum;* vtcumque poterimus, inter harum gentium fines verſabimur, vt euilibet, quæ certiora ſunt, tribuamus, cetera lectoris arbitrio permittentes, quo velit, referre, aut cui populo adiudicare.

IV.

MYSIA illa iuxta Olympum, *** quæ inde *Olympena* cognominatur, & olim *Minor* fuit cenſa, ac etiamnum ab eruditis *Minor* adpellatur; ſita eſt ad Propontidem, inde in mediterranea procurrens. Ptolemæus quidem non ad hanc partem adſcriptum nomen *μικρᾶς, minoris* in Græco habet: adpoſuit vero interpres Latinus, neque male.

V.

Vrbes eius partis recenſet *Cyzicum, Parium, Lampſacum:* fluminum oſtia, *Aeſepi* (Αἰσήπου) & *Granici.* Vrbs prima *Cyzicus*, vel *Cyzicum*, in Aſiæ ciuitatibus nobiliſſima.† In inſula Propontidis eodem nomine ſita fuit,

* Vel edit. Almeloven. pag. 929.

** Adde hic nomen πεδανωτάτους. quod excidit, & ſententiam græcorum verborum turbat, ſi omittatur.

*** Hunc *Olympum* in altiſſimis montibus numerat & Myſium adpellat Theophraſtus hiſtor. plantar. III c. 3.

† Οὐδέα νησαίη Κύζικος ἠμφίεσεν. Epigramm. Græc. lib. III c. εἰς γυναικ. p. 315.

fuit, * ſed continenti duobus pontibus iuncta, vt Strabo lib. XII pag. 396 refert: Plinius lib. V cap. XXXII & originem & iuncturam cum continente his verbis ſignificat: *Vltra inſula, quam continenti iunxit Alexander, in qua oppidum Mileſiorum Cyzicum, antea vocitatum Arctoneſos, & Dolionis, & Dindymis, cuius a vertice mons Dindymus.* Nomen *Dolionis*, Δολιονὶς, explicare poteſt, quod ſupra Strabo ſcripſerat, Δολίονας περὶ Κύζικον, *Doliones circa Cyzicum habitare:* & eodem libro XII haud longe a fine, regiunculam circa Aeſepum & Cyzicum Δολιονίδα, *Dolionidem* vocauit. Clarior *Cyzicus* facta, quum Mithridatis obſidionem ſuſtinuit, liberata deinde a Lucullo. ** Vide Ciceron. pro Lege Manil. & Appiani Mithridaticum. De laudibus & ornamentis eius præclare Florus lib. III cap. V tradidit. *Cyzicum*, inquit, *nobilis ciuitas, arce, mœnibus,* *** *portu, turribusque marmoreis Aſiaticæ plagæ ora illuſtrat.* †

VI.

Modo recitatis Plinii verbis mentio erat montis *Dindymi.* Hic mons *Dindymus,* Δίνδυμον ὄρος, imminet vrbi Cyzico, & templum Δινδυμήνης μητρὸς τῶν θεῶν, ἵδρυμα τῶν Αργοναυτῶν, *Dindymenæ Matris deûm* habet, *ab Argonautis conditum,* vt Strabo refert lib. XII pag. 396. Et Apollonii ſcholiaſtes ad lib. I verſ. 985 Δίνδυμος ὄρος Κυζίκȣ, ἱερὸν τῆς Ῥέας, *Dindymus mons Cyzici, ſacer Rheæ* † Non autem commiſcendus eſt cum altero huius nominis atque ſacrorum in Phrygia, ſeu potius in Gallogræcia, qui, eodem Strabone auctore pag. 391 imminet Peſſinunti.

VII.

Hoc tractu etiam Plinii *Etheleum* flumen eſt, quod lib. V cap. XXXII dicit *antiquum Troadis finem, & Myſiæ initium:* diſtinxitque ab Aeſepo, qui Homero fuit terminus Troiani regni. Ortelio videtur Strabonis χείμαῤῥος Αἰθαλόεις, *torrens Aethaloës* eſſe, lib. X pag. 326: at hic circa Hamaxitum in parte Troadis auſtrali eſt, vt ibidem expoſuit.

VIII.

Poſt Cyzicum Ptolemæus amnem Αἴσηπον; *Aeſepum* in Propontidem deducit: In quo Strabonem lib. XII conſentientem habet. Homero ſæpe nominatus eſt, v. gr. Iliad. Δ verſ. 91

Λαῶν, οἵ οἱ ἕποντο ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων,

Populorum, qui ipſum ſequuti ſunt ab Aeſepi fluentis.

In hoc flumine videtur Myſos Homerus finire, & Troianam incipere regionem. Strabo lib. XII pag. 389 Καὶ τὸν Αἴσηπον τῶν Μυσῶν ὅριον παραδίδωσιν αὐτὸς

* Apud Vaillant. ſelect. numiſm. Franciſci de Camps p. 35 *Cyziceni* dicuntur *Neocori.*

** Et libertate donata a Romanis, quam Tiberius ob vim quamdam ciuibus Romanis illatam ei ademit. Sueton. Tiber. c. 37.

*** Cyzicus muris cincta nondum erat, quum Thraſybulus eſſet præfectus claſſi Athenienſium. Diodor. XIII pag. 167.

† Numus is ad quem modo prouocaui, Vaillantii *Coren* adpellat σώτειραν κυζικηνῶν. *Inſula Polydori* propinqua fuit Cyzico. nam apud Cyzicum victoria potitus Alcibiades ibi tropæum poſuit. Diodor. XIII pag. 177.

†† Add. Zoſimum lib. II c. 31.

αὐτὸς ὁ ποιητής, *Aeſepum Myſorum terminum ponit ipſe Homerus.* Et paullo ante, probabile eſſe dicit, τῆς Βιθυνίας μέσην καὶ τῆς ἐκβολῆς τῆς Αἰσήπου τὴν Μυσίαν, ἁπτομένην τῆς θαλάττης καὶ διήκουσαν μέχρι τοῦ Ὀλύμπου, *Myſiam medio loco poni inter Bithyniam & Aeſepi oſtia, a mari ad Olympum:* poſt excidium Troiæ Myſos & Phryges ea loca occupaſſe.

IX.

Deinde Ptolemæus *Parium* oppidum ponit: & vltra hoc *Granici* oſtia: Strabo autem alio ordine Granicum ponit ſupra Parium, quem, vt huius regionis peritiorem, ſequemur. Lib XIII pag. 404 ait: τοῦ Αἰσήπου καὶ τοῦ Πριάπου μεταξὺ ὁ Γρανικὸς ῥεῖ, *inter Aeſepum & Priapum fluit Granicus.* Poſt Priapum, ἑφεξῆς ὅμορος [χώρα] ἥτε τῶν Παριανῶν καὶ ἡ τῶν Λαμψακηνῶν, *deinde regio eſt & Parianorum & Lampſacenorum.* Ab Aeſepo ergo primum Granici oſtia ponit, deinde Priapum, poſtea Parium, denique Lampſacum. Et Plinius quoque in oppidorum ordine conſentit lib. V cap. XXXII ab auſtro in ſeptemtrionem verſus enumerans: *Percote oppidum; & Lampſacum: Parium colonia: oppidum Priapos, amnis Aeſepus.* nam flumen Granicum mox ſeparatim expoſuit. Oppidum autem *Priapos* maritimum erat, nomen habens, vt Strabo quoque adnotauit, ab impuriſſimo monſtro, quod ibi colebatur. Regio vocabatur Ἀδράστεια καὶ Ἀδραστείας πεδίον, *Adraſtea* ſiue *Adraſteæ campus,* ab vrbe eius nominis, quæ olim ſita fuerat inter Priapum & Parium, eodem Strabone auctore: niſi ipſum fuit Parium, vt iam dicemus.

X.

Parium nobilius erat oppidum, etiam portu, ſed meliore, quam Priapos, inſtructum. Attalicis temporibus auctum Priapenis opibus. Vide Strabonem. Plinius prædicto loco: *Parium colonia, quam Homerus Adraſtiam appellauit.* Iam vero vidimus a Strabone diſtingui ab Adraſtia Parium. Nihil certum, quia ſi fuit *Adraſtia,* antiquiſſimis tum temporibus occidit: niſi in alia vrbe aut ſub alio nomine ſeruata fuit. Coloniam fuiſſe *Parium,* Italici iuris, Paullus lege VIII de Cenſibus teſtatur: *In prouincia,* inquit, *Aſia duæ ſunt iuris Italici, Troas & Parium.* Et vetus inſcriptio apud Sponium pag. 173 COL. IVL. PARIANAE. Eadem in nummo imperatoris Marci leguntur: COL. PARIA. IVL. AVG. Vnde etiam auctorem coloniæ cognoſcimus.

XI.

Inter Lampſacum & Parium fuit Παισὸς πόλις, *Pæſus vrbs,* qua diruta Pæſani Lampſacum migrauerunt. Homerus & Παισὸν *Pæſum, &* Ἀπαισὸν, *Apæſum* adpellauit. Verba eius Strabo refert.

XII.

Lampſacus quoque vrbs ἀξιόλογος, *memorabilis,* ſecundum Strabonem, ἐπὶ θαλάττῃ ἐστὶν εὐλίμενος, *mari imminet, & bonitate portus gaudet,* ſita e regione Callipolis in Cherſoneſo Thraciæ. Vitifera regio, ideo Lampſacus Themiſtocli ab Artaxerxe donata, *vt inde vinum ſumeret,* quod Nepos in Vita refert. Diodorus de eadem re lib. XI cap. LVII, regem donaſſe dicit

dicit Λάμψακον, ἀμπελόφυτον ἔχουσαν χώραν πολλὴν, εἰς οἶνον, *Lamſacum vineis prædiuitem, ad vinum.* Obſceniſſimum Priapum colebat. Ouidius Triſt. lib. I eleg. XI

Et te ruricola Lampſace tuta deo.

XIII.

In hac vrbe finit Ptolemæus maritima Myſiæ Minoris, quæ florente Troia, vt Strabo coniecit, breuiora fuerant, vt ſupra de Aeſepo flumine prædiximus. Interiora ſeu mediterranea minus ſunt cognita. Cadunt inter Ryndacum amnem & montem Idam: rigantur *Aeſepo,* & *Granico* & *Pæſo* fluminibus. nam & hoc, Strabone auctore, cum oppido *Pæſo* commune nomen habet; ſed parvum fortaſſe, quia minus notum. Strabo ponit in Pario agro Πιτύειαν, *Pityeam,* ſitam ſub pinifero monte, vnde nomen: in Lampſaceno, Κολώνας, *Colonas,* ſed diuerſas a Colonis, quæ prope Ilium ſunt. Mileſiorum opus αἱ Κολῶναι, *Colonæ.* Fuit in Lampſaceno agro etiam τόπος εὐάμπελος Γεργήθιον, *locus vitibus bene conſitus, Gergethium nomine.* ἦν καὶ πόλις Γέργηθα. *erat etiam oppidum Gergetha:* quod τὴν Γέργιθα, *Gergithem* Xenophon Rer. Græc. lib. III poſt principium vocat: * an eodem loco, infra diſpiciemus.

XIV.

Hæc Strabo ex interiore Myſia. *Apolloniam* addit Stephanus *ſuper Rhyndacum* ſitam. Nona enim eius nominis ipſi eſt πόλις Μυσίας ἐπὶ Ρυνδάκῳ ποταμῷ, *vrbs Myſiæ ad Rhyndacum amnem.* At Ptolemæus lib. V cap. II in Phrygia Minore Ἀπολλωνίαν πρὸς Ρυνδάκῳ ποταμῷ, *Apolloniam ad Rhyndacum flumen* poſuit. Sed quia Pergamum & Traianopolim in eadem ponit, videtur Myſiæ, quam Phrygiæ, ille tractus verius dicendus eſſe. Stephano igitur, quam Ptolemæo, malim hoc loco accedere. Strabo lib. XII pag. 396. & Plinius lib. VI cap. XXXIV *Apolloniam ſupra Rhyndacum* memorant, cui autem genti, Myſorum, an Phrygum adſcribenda ſit, non adiiciunt. Claram autem ciuitatem fuiſſe, nummi teſtantur, L. Veri, inſcriptus ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΠΡΟΣ ΡΥΝΔΑΚΩ: & alius M. Aurelii, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΡΥΝΔΑΚΟΣ. id eſt, *Apolloniatarum ad Ryndacum:* item, *Apolloniatarum Ryndacus.* Sita eſt ad lacum, quem inde λίμνην Ἀπολλωνιᾶτιν, *Apolloniatem paludem* Strabo vocitauit.

XV.

Haud longe ab illo tractu fuit etiam Μιλητόπολις, *Miletopolis,* quam Stephanus deſcribit πόλιν μεταξὺ Κυζίκου καὶ Βιθυνίας, περὶ τὸν Ρυνδακόν, *vrbem inter Cyzicum & Bithyniam circa Rhyndacum.* Strabo prædicto loco dicit ſitam eſſe ad paludem, quæ inde Μιλητοπολῖτις, *Miletopolitis* vocetur: Plinius lib. V cap. XXXII proprio nomine paludem deſignat, eiusque ſitum,

* Πόλιν οἰκίσει ε περὶ τὴν τρωϊκὴν Ἴδην, συμπαραλαβὼν τινας τῶν Μυσῶν. ἣ πάλαι μὲν ἀπὸ τοῦ γένους Γέργινα, νῦν δὲ Γέργιθα κέκληται. *Vrbem conderet, circa Troiam Iden, aſcitis Myſis quibusdam. quæ olim quidem a genere Gergina, nunc vero Gergitia adpellatur.* Athenæus lib. VI pag. 256. B. C.

tum, quem magis auſtralem oſtendit, dum caput Rhyndaci amnis adpellauit. *Rhyndacus*, inquit, *ante Lycus vocatus. Oritur in ſtagno Artynia iuxta Miletopolim.* Nummus Commodi apud Triſtanum diphthongo ſcriptum habet ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ.*

XVI.

Ptolemæus lib. v cap. II addit duas vrbes: πόλεις, inquit, εἰσὶ μεσόγειοι, Μυσίας μὲν μικρᾶς, τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντου, Σκῆψις, Ἱερὰ Γέρμη, *Oppida mediterranea, Minoris quidem Myſiæ, quæ ſupra Helleſpontum eſt, ſunt Scepſis & Hiera Germe.* Stephanus *Scepſin* vocat πόλιν Τρωϊκὴν, *Troianam vrbem*, de qua in Troade, & antea in Myſia ad *Palæſcepſin* acturi ſumus.

XVII.

De *Germa* autem ſiue *Hiera Germa* ſic Stephanus: Γέρμη, πόλις Ἑλλησποντία, πλησίον Κυζίκου, *Germa, vrbs Helleſpontia, prope Cyzicum.* Helleſpontia, id eſt prouinciæ Helleſponti. nec enim ad Helleſpontum Cyzicus ſita eſt, ſed ad Propontidem: prouinciæ vero Helleſponti, quæ in medii æui Geographia eſt, prima vrbs eſt & præcipua tam in Hieroclis Notitia, quam alia Eccleſiaſtica ex regia bibliotheca Galliæ. In eadem prouincia eſt *Germa*, quæ Hierocli ſcripta eſt Γέρμαι, *Germæ*, pluraliter: ceteris ſingulare eſt. Socrates lib. IV Hiſt. eccleſ. cap. XI ſub imperatore Valente; καὶ Γέρμης τῆς Ἑλλησπόντου τὰ πολλὰ μέρη ὑπὸ τοῦ ἑτέρου σεισμοῦ κατηνέχθη, *& alio terræ motu magna pars Germæ in prouincia Helleſponto corruit.* Sed ſatis de oppidis: de fluminibus huius Myſiæ aliquid addendum reſtat.

XVIII.

De *Rhyndaco*, qui inter Cyzicum & Myrleam Apameam in Propontidem defertur, abunde iam eſt dictum: de *Granico* ſupereſt vt dicamus, quæ ab antiquis ſcriptoribus ſunt tradita. Homerus pro dialecto ſua Γρήνικος, *Grenicus*, porrecta media, ſcripſit, quem in iis fluminibus, quæ ab Idæis montibus decurrunt, numerauit Iliad. M. verſ. 21,

Γρήνικός τε, καὶ Αἴσηπος, δῖός τε Σκάμανδρος,
Grenicus, & Aeſepus, & diuinus Scamander.

Ceteri Γρανικὸν, *Granicum* vocant prima vocali. Hunc Alexandri victoria prima de Perſis nobilitauit. Diodorus Siculus lib. XVII cap. XVIII κατεστρατοπέδευσαν παρὰ τὸν Γρανικὸν ποταμὸν, *caſtra* [Perſæ] *ad flumen Granicum poſuerunt*, tranſitu prohibituri Alexandrum. Et mox cap. XIX ita Alexander hoſtibus exercitum oppoſuit, ὥς τε ἀνὰ μέσον ῥεῖν τῶν παρεμβολῶν τὸν Γρανικὸν, *vt medius Granicus caſtra interflueret.* Plutarchus in Alexandro de eodem prælio: *Darii duces aciem inſtruxerunt* ἐπὶ τῇ διαβάσει τοῦ Γρανικοῦ *ſupra traiectum Granici.* Et Arrianus lib. I pag. 37 Alexander προὐχώρει ἐπὶ τὸν Γρανικὸν ποταμὸν, *proceſſit ad Granicum fluuium.* Ad hunc amnem etiam Lucullus, quum Cyzicum obſidione liberaret, fugientis Mithridatis exercitum cecidit. Plutarchus in Vita Luculli pag. 498 περὶ τὸν Γρανικὸν ποταμὸν, *ad Granicum fluuium, multis captis, cæſi viginti millia regiorum.*

XIX.

* Alius Macrini eſt in numiſm. Franciſci de Camps pag. 75, eodem modo inſcriptus.

XIX.

Altera MYSIA, quam circa Caicum & Pergamum Strabo lib. XII locauit, quæ, ſi recte ſe habuit *Minoris* apud Ptolemæum adpellatio, vtique *Maior* eſt dicenda, licet magnitudinis rationes non ſatis ſint perſpectæ, quia, vt Pomponius tradit ac Plinius, Aeoles in locum illum inuaſerunt. Contenti ergo iis debemus eſſe, quæ circa Caicum ſunt & Pergamum, Strabone præeunte. Henricus Valeſius Adnotat. in Euſebii Hiſt. eccl. lib. V cap. XV de vtraque Myſia ita cenſet: *Duplex olim fuit Myſia, teſtante Strabone lib.* XII *Alia Maior, quam Olympenen vocat Strabo: alia Minor, quam Helleſpontiam vocat Ptolemæus.* Non puto, Strabonis verbis, quæ ſupra ſub initium capitis III attulimus, Olympenen Helleſpontiæ Ptolemæi opponendam eſſe. Sic enim Helleſpontia eadem foret, quæ Strabonis eſt altera ad Pergamum ad Caicum. At longe abſunt Helleſpontiæ Ptolemæi oppida, Cyzicus, Parium, Lampſacus, a Pergameno agro & Caico, vt eadem potius Strabonis Olympena & Ptolemæi Helleſpontia ſit, quam diuerſæ & ſeparatæ. Oppida nunc Caici inquirenda ſunt.

XX.

Pergamum, ab ipſo Strabone nominatum in hac altera Myſia primum occurrit. Strabo lib. XIII pag. 429 παραῤῥεῖ ὁ Κάϊκος καὶ τὸ Πέργαμον, *præterfluit Caicus etiam Pergamum.* * Plinius propiores fluuios addit lib. V cap XXX. *Longe*, inquit, *clariſſimum Aſiæ Pergamum, quod intermeat Selinus, præfluit Cetius, profuſus Pindaſo monte.* Regia fuit Attalorum & Eumenis. Liuius lib. XXIX cap. XI *legati Pergamum ad regem* [Attalum] *venerunt*, qui Magnæ deæ ſimulacrum peterent. Et lib. XXXV cap. XIII *legati Romani iuſſi prius Eumenem adire, Elæam venere: inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) adſcenderunt.* Aeſculapii antiquum delubrum ibi fuit. Tacitus ann. III cap. LXIII *Conſules, apud Pergamum Aeſculapii compertum aſylum, retulerunt.* Ornamentum Pergami bibliotheca fuit regia, Alexandrinæ comparanda. Plinius lib. XXXV cap. II *Alexandriæ & Pergami reges bibliothecas magno certamine inſtituere cœperunt.* Strabo lib. XIII pag. 429 id Eumeni regi tribuit. Plutarchus in Antonio pag. 943 ducenta millia librorum numerauit. Ibi etiam membranas, quæ *Pergamenæ* dicuntur, in vſum librorum inuentas fuiſſe, auctore Varrone refert Plinius lib. XIII cap. XI. **

XXI.

Succedit Περπερήνη, *Perperene*, quam Plinius quidem lib. V cap. XXX in Aeolide ſcribit, ſed ad Myſiam, Strabonis finitione, reduci poteſt. Hic lib. XIII pag. 417 ἐν τῇ μεσογαίᾳ *in mediterraneis* ponit, inter Adramyttium & Mytilenenſem in continente agrum. In nummo æneo Harduini:

* Polyb. excerpt. legat. XXV pag. 1140 συγκλεισθέντες εἰς αὐτὸν τὸν πέργαμον. *Incluſi in Pergamum.* Stephanus: πέργαμος πόλις Ἀσίας. ὁ πολίτης περγαμενός. *Pergamus urbs Aſiæ. Ciuis Pergamenus.*

** Eſt apud Vaillant. in numiſm. Franc. de Camps nummus pag. 69 qui Pergamenos Νεωκόρους γ. πρώτους vocat. & pag. 101 ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

duini: ΗΓΕΜΟΝΙΑ ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ, *Præfectura Perperenorum.* Longius a mari afuit, ideoque Ptolemæus, corrupto quamvis vocabulo, veſtigia tamen, ſaltem in Palatino MS. retinente, in principio Mœoniæ ſiue Lydiæ collocauit.

XXII.

Quo tractu, orientem verſus, & altera *Germa* fuit, Antonini itinerario pag. 76 inter Pergamum & Thyatira in medio poſita, cuius hic ordo eſt:

Pergamum	- - -
Germam	M. P. XXV
Thyatira	M. P. XXXIII.

Atque ita aliam oportet eſſe ab ea, quam ſupra in Myſia altera, quæ ſub Propontide eſt, deſcripſimus, dictam Hieran Germam a Ptolemæo.

XXIII.

Ad mare *Adramyttium,* ſiue *Adramyttêum*, ſeu *Adramyttêos,* nobilis vrbs, laudata pluribus. Strabo, Scylax, Ptolemæus Ἀδραμύττιον, *Adramyttium* ſcripſere: Herodotus & Stephanus diphthongo Ἀδραμύττειον, *Adramytteium:* Latini itidem E porrecto *Adramytteum* vel *Adramytteos.* Strabo lib. XIII pag. 417 πλησίον εὐθὺς τὸ Ἀδραμύττιον, Ἀθηναίων ἄποικος πόλις, ἔχουσα καὶ λιμένα καὶ ναύσταθμον, *Statim poſt* [ea, quæ iuxta Antandrum ſunt] *eſt Adramyttium, Athenienſium colonia, portum habens & nauale.* Herodotus lib. VII cap. XLII διὰ Θήβης πεδίου ἐπορεύετο [στρατὸς] Ἀδραμύττειόν τε πόλιν καὶ Ἄντανδρον τὴν Πελασγίδα παραμειβόμενος, *exexcitus per Thebes campum iter faciebat tam Adramytteon vrbem, quam Pelasgorum Antandrum prætergrediens.* Stephanus: Ἀδραμύττειον πόλις τῆς κατὰ Κάϊκον Μυσίας, *Adramytteum vrbs eſt Myſiæ illius, quæ iuxta Caicum ſita eſt.* Et Liuius lib. XXXVII cap. XIX *Antiochus, pace nequidquam tentata, vaſtatis Elæenſium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, Adramytteum, hoſtiliter itinere facto, petit: agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum. - - - Eodem Adramytteum, vt vrbi præſidio eſſent, nauibus circumuecti, Aemilius & Eumenes venerunt.* Et Plinius lib. V cap. XXX *Et in ora, quæ ſinum cognominauit & conuentum, Adramytteos, olim Pedaſus dicta.* Mela autem ſcripſit *Adramyttion,* vt Voſſius & Gronouius ediderunt, lib. I cap. XVIII *Gremio,* inquit, *interiore Campus, Thebe nomine, Adramyttion, Aſtyram, Chryſam oppida continet.* Gentile *Adramyttenus.* Nummo Caracallæ Mediceo: ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ, *Adramyttenorum:* & Act. Apoſt. XXVII, 2 ἐπιβάντες πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *conſcendentes nauem Adramyttenam.*

XXIV.

Ex his intelligitur etiam, qui dictus fuerit *Thebes campus*, vel etiam *Thebe* campus. nam ipſum vrbis nomen & campo hæſiſſe, auctor eſt Strabo lib. XIII pag. 404 in *Adraſtea:* ἔθος τι οὕτω λεγόντων τὸ αὐτὸ χωρίον διττῶς ὡς καὶ Θήβην καὶ Θήβης πεδίον, *conſuetudo fert, vt duo vni loco nomina ſint, ſicut Thebe & Thebes campus.* Cetera iam dicta ab Herodoto, Liuio & Mela:

Mela: & huius lectionem Strabo verbis iam prolatis egregie tuetur. Nomen ab antiquo oppido *Thebe*, poſtea euerſo, quod Homerus memorauit Iliad Β verſ. 691

Λύρνησσον διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης,
Lyrneſſum euertens & mœnia Thebæ.

Stephani hæc eſt quarta Thebe, ſita ἐν Κιλικίᾳ Ὑποπλακίᾳ πλησίον τῆς Τρωάς, *in Cilicia Hypoplacia, prope Troiam.* Cilices enim & Leleges Homerus in illo tractu poſuit, Myſorum portiones, quibus poſtea Aeolii ſucceſſerunt. Auctori Etymologici Thebe hæc eſt Adramyttium: Straboni autem ſunt diſtincta oppida: Plinio Adramytteos eſt Homeri Πήδασος, *Pedaſus*: at in Notitia Hieroclis, in Aſia proconſulari, Lyrneſſus eſt Adramyttion. Sic enim ſcriptum eſt: Ἀδραμύντιον, ἡ ποτε Λύρνησος, *Adramyntium, quæ olim Lyrneſus dicebatur.* Adeo difficilis interpretationis ſunt vetuſta illa ex Troiano bello nomina! Minus audiendus Heſychius eſt, cui Λύρνησος ἡ Τένεδος, *Lyrneſus eſt Tenedus.* Non in inſula, ſed continente Strabo poſuit XIII pag. 421, vrbem Mynetis principis ex Homeri Iliad. Τ verſ. 295 interpretans: οὐ τὴν Θήβην λέγοι ἄν, αὕτη γὰρ Ἠετίωνος· ἀλλὰ τὴν Λυρνησσόν * ἀμφότεραι ἦσαν ἐν τῷ κληθέντι μετὰ ταῦτα Θήβης πεδίῳ, *non intelligit Theben* [Homerus;] *hæc enim Eetionis erat: ſed Lyrneſſon. Ambæ vero ſitæ erant in illo, qui deinde Thebes campus dictus fuit.*

XXV.

An etiam Ἄσσος, *Aſſus* huc referenda ſit, non omnino certum eſt. Plinius lib. II cap. XCVI *circa Aſſon Troadis.* At idem lib. V cap. XXX *Aſſos, eadem Apollonia.* De Apollonia autem illa, diſtincta ab altera ſupra Rhyndacum, Stephanus in hac voce: η, Μυσίας, θ, πόλις Μυσίας ἐπὶ Ρυνδάκῳ ποταμῷ, *octava Myſiæ: nona vrbs Myſiæ ſupra Ryndacum fluuium.* Quæ autem octaua illa Myſiæ alia eſt, niſi Plinii eſt *Apollonia* eademque *Aſſos?* Ptolemæo Ἄσσον, *Aſſum* eſt neutro genere: ceteris femineo ἡ Ἄσσος vel Ἄσσος, *Aſſos.* Strabo lib. XIII pag. 420 ἔστι δὲ ἡ Ἄσσος ἐρυμνὴ καὶ εὐτειχὴς ἀπὸ θαλάσσης καὶ τοῦ λιμένος, ὀρθίαν καὶ μακρὰν ἀνάβασιν ἔχουσα, *natura & arte munita eſt Aſſos, a mari & portu rectam & longam adſcenſionem habens.* S. Lucas Act. XX, 13 ἀνήχθημεν εἰς τὴν Ἄσσον, *ferebamur Aſſum:* & comm. 14 συνέβαλεν ἡμῖν εἰς τὴν Ἄσσον.

XXVI.

Si itaque *Aſſos* fuit Myſiæ, etiam *Antandrus* fuit, poſita inter illam & Adramyttion. Strabo XIII pag. 417 ἐντὸς δὲ ἡ Ἄντανδρός ἐστιν, ὑπερκείμενον ἔχουσα ὄρος, ὃ καλοῦσιν Ἀλεξάνδρειαν, ὅπου τὰς θεὰς κριθῆναί φασιν ὑπὸ τοῦ Πάριδος, *Intus ſita Antandrus eſt ſub monte, cui nomen eſt Alexandreæ, vbi dicunt deas a Paride fuiſſe iudicatas.* Ptolemæus autem in maritimis locauit, vt ἐντὸς *intus,* Strabonis ſit fortaſſis *in interiore ſinu.* ** Fuit vrbs Lelegum populi,

 puli,

* *Lyrneſſus* ab Achille expugnata eſt, & inde Apollinis lyra rapta. Diodorus V pag. 323.
** Apparet hoc ipſum etiam ex acceſſito Lacedæmoniæ claſſis auxilio apud Diodor. XIII pag. 168.

puli, vt idem Strabo adnotauit. Plinius lib. v cap. xxx *Intus mons Gargara, eodemque nomine oppidum. Rurſus in littore Antandros, Edonis prius vocata, deinde Cimmeris: & Aſſos, eadem Apollonia.* Antiqua illa nomina, Ἠδωνὶς & Κιμμερὶς, a Stephano explicantur, auctore Ariſtotele: de ipſa autem vrbe ait Byzantius: Ἄντανδρος, πόλις ὑπὸ τὴν Ἴδην, πρὸς τῇ Μυσίᾳ τῆς Αἰολίδος, ἀπὸ Ἀντάνδρου στρατηγοῦ Αἰολέων, *Antandros, oppidum ſub Ida iuxta Myſiam Aeolidis, dictum ab Antandro Aeoliorum duce.* Sub Ida monte ſita, quia mons Strabonis *Alexandrea*, in quo Alexander Paris de formis dearum iudicaſſe fertur, pars montis Idæ eſt, eo vsque procurrentis. Ouidius Epiſtola Paridis de eadem fabula verſ. 53

Eſt locus in mediæ nemoroſis vallibus Idæ, cetera.

Seruata Antandrus etiam poſteriori æuo. Antonini, vt dicitur, Itinerario, itinere a Thracia in Aſiam p. 76

Abydo		
Dardanum	M. P.	IX
Ilium	M. P.	XII
Troadem	M. P.	XVI
Antandrum	M. P.	XXXV
Adramuttium	M. P.	XXXI.

XXVII.

Fuerunt præterea plura in eo tractu oppida, quæ ad Myſiam poſitionis ergo referre poſſis; *Ciſthena, Aſtyra, Chryſa, Gargara.* Pomponius Mela lib. I cap. XVIII de ſinu Adramytteno: *Is primo paruis vrbibus adſperſus eſt, quarum clariſſima eſt Ciſthena. Gremio interiore Campus, Thebe nomine; Adramyttion, Aſtyra, Chryſa, oppida eodem, quo dicta ſunt, ordine adiacentia continet: in altero latere Antandrum. - - - Sequens tractus tangit Gargara & Aſſon, Aeoliorum colonias.* Ab auſtro adſurgit: nos a ſeptemtrione deſcendemus, primum de *Gargaris* acturi.

XXVIII.

Strabo lib. XIII pag. 417 dicit ſita τὰ Γάργαρα, oppidum *Gargara*, in promontorio, quod ſinum Adramyttenum ἰδίως, *proprie* dictum a ſeptemtrione, ſicut aliud *Pyrrha* ab auſtro, includit. Plinius lib. v cap. XXX *Intus mons Gargara, eodemque nomine oppidum.* Heſychius: Γάργαρον, ἀκρωτήριον ὄρους Ἴδης, καὶ πόλις Τροίας, πλησίον Ἀντάνδρου, *Gargaron vertex montis Idæ, & vrbs Troiæ, prope Antandrum.* Sed omnium clariſſime de his Macrobius lib. v Saturn. cap. XX, qui etiam Myſiæ, non Troiano agro adſcribit. *Gargara*, inquit, *ſunt in Myſia, quæ eſt Helleſponti prouincia. Sed ſignificatio nominis & loci duplex eſt. nam & cacumen montis Idæ & oppidum ſub eodem monte hoc nomine vocantur.* De monte Homerus Iliad. Θ verſ. 47

Ἴδην δ' ἵκανεν, πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν
Γάργαρον,

Hoc eſt: *in montem Idam venit, abundantem fontibus matrem ferarum* [in]

Garga-

Gargarum. De ſubiacente oppido eiusque agro fertiliſſimo Virgilius Georg. lib. I verſ. 102

- - - - - *nullo tantum ſe Myſia cultu*
Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

Et Seneca Tragicus in Phœniſſis act. IV verſ. 608

Hinc grata Cereri Gargara, & diues ſolum,
Quod Xanthus ambit niuibus Idæis tumens.

XXIX.

Chryſa in eodem tractu. Strabo XIII pag. 421 ἐν τῇ Ἀδραμυττηνῇ ἐστὶ καὶ ἡ Χρύσα, καὶ ἡ Κίλλα, *in Adramyttena regione eſt quoque Chryſa, & Cilla.* Plinius dicto loco: *Intercidere Canæ, Atarnea, Carene, Ciſthene, Cilla, Thebe, Aſtyre, Chryſa, Palæſcepſis, Gergithos.* Et Strabo ibidem: ἡ Χρύσα ἐπὶ θαλάττῃ πολίχνιον, *Chryſa fuit oppidulum ad mare.* Templum habuit Apollinis Sminthei, vt Strabo refert lib. XIII pag. 416. Iliados A verſ. 37 etiam *Chryſa* oppidum memoratur, & v. 38 *Cilla.*

XXX.

Quam vero *Aſtyren* Pomponius dixit & Plinius, Strabo XIII pag. 417 κώμην, *pagum* dicit, ad quam lucus ſit Dianæ, inde *Aſtyrenæ* cognominatæ. Ἄστυρα, inquit, κώμη καὶ ἄλσος τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἅγιον, *Aſtyra pagus & lucus Aſtyrenæ Dianæ ſacer.* Hæc vero ab *Aſtyra* oppido prope Abydum, quod auri fodinam habuit, diſtingui debet eodem monente pag. 407: noſtra autem eſt prope Adramyttium.

XXXI.

Ciſthenen, Κισθήνην, Strabo deſertam dicit, portum autem habere lib. XIII pag. 417.

XXXII.

Plinius addit *Palæſcepſin & Gergithon.* Strabo *Palæſcepſin* dicit iuxta celſiſſimam Idæ partem fuiſſe: inde LX ſtadiis κατωτέρω deorſum tranſlatam, quæ ſimpliciter *Scepſis* * vocatur. Ptolemæus *Scepſin* in mediterraneis Myſiæ Minoris, quæ ad Helleſpontum ſit, poſuit cum *Hiera Germa:* at maritimas Myſiæ, Cyzicum, Parium Lampſacum, omnes Propontidis vrbes, nominavit. Stephanus etiam *Germam* πλησίον Κυζίκου, *prope Cyzicum* locauit: Scepſin autem Strabo & Plinius ſinum verſus Adramyttenum deduxerunt, quos duces præſtat ſequi, quam Ptolemæum, qui quod nullius *maioris Myſiæ* mentionem fecit, de *minore* etiam dubitare poſſis, an forſan reſpectu Μυσίας, *Myſiæ* (ſic Græci Mœſiam vocant) in Europa ita adpellauerit eam, quæ Euſebio lib. III Hiſt. eccl. ἡ κατὰ Φρυγίαν Μυσία, *Myſia, quæ iuxta Phrygiam* eſt, quam eodem reſpectu Mœſiæ opponi Henricus Valeſius ibidem adnotauit.

XXXIII.

Gergithos Plinii trans Scamandrum flumen in Troiano agro fuit, vt ex Herodoti lib. VII cap. XLIII manifeſtum eſt. Addo *Andêra,* τὰ Ἄνδειρα. Strabo XIII pag. 419 μετὰ δὲ Σκῆψιν Ἄνδειρα καὶ Πιονία, καὶ ἡ Γαργαρίς. *Poſt*

Scepſin

* Vid. Demoſth. adu. Ariſtocr. p. 450 B.

Scepſin ſunt Andira, & Pionia, & Gargaris. Neque hæc ſatis certa, quo loco, in littore an intus.

XXXIV.

Agathodæmonis tabula habet inter Antandrum & Adramyttion, propius tamen Antandro, intus paullo, & non longe reductam, a mari *Traianopolim*, quæ ſit Ptolemæi Τραϊανόπολις, ſeu potius Τραϊανούπολις: quo loco nemo *Traianopolim* memorauit. Quod vero ex Ptolemæi longitudinis numero aliquid excidiſſe conſtat, quum proxima oppida habeant gradus νζ, 57; Traianopolis tantum ν, 50, qui numerus in Europam recideret: non eſt quod dubitemus, νη, 58 aut vicinum eius fuiſſe numerum, vt in Phrygiam cadat maiorem. An vero *Tranopolis* Notitiarum ſit, in Phrygia diſputabimus.

XXXV.

In litore poſt Adramyttium, Ptolemæus *Poroſelenen* ponit, de quo loco aliquid in *Lesbo* prædiximus. Non autem continentis oppidum, ſed inſula freti cum oppido inter Lesbum & continentem, huic vicina admodum, ideoque a Ptolemæo continentis oppidis adnumerata. Heſychius: Πορδοσελήνη μεταξὺ Λέσβȣ καὶ Μυσίας νῆσος, *Pordoſelene inſula eſt inter Lesbum & Myſiam.* Sic enim olim vocabatur, etiam a Scylace in Lesbo, qui itidem νῆσον, *inſulam*, quæ oppidum habeat, vocitauit. Poſt, obſceno nomine in auſpicatius mutato, *Poroſelenen* dixerunt, quod Strabo explicauit. Et ſic poſtea Plinius lib. v cap. XXXI de inſulis Aſiæ: *Poroſelene cum oppido.*

XXXVI.

Plinii *Atarnea* eſt Ἀταρνεὺς, *Atarneus* Strabonis lib. XIII ineunte, quam vrbem hic inter Adramyttium & Pitanen enarrat hoc ordine: *A Lecto ad Caicum ſunt Aſſos, Adramyttium, Atarneus, Pitane.*

XXXVII.

Tandem ergo *Pitane*, correpta media, oppidum prope Caicum, a cuius oſtiis triginta ſtadiis abeſſe Strabo lib. XIII pag. 423 tradit: ipſam *Euenus*, Εὔηνος, præfluit, ex quo per aquæductus Adramytteni aquam petunt, quod Strabo narrat lib. XIII pag. 422. Laertius Vita Arceſilai: Πιταναῖος τῆς Αἰολίδος, *Pitanæus fuit ex Aeolide.* Et Stephanus: Πιτάνη πόλις Αἰολίδος, *Pitane, oppidum Aeolidis.* In ora ſita Aeolidis, & forte etiam ab Aeolibus condita: * tractum vero illum bene iam Heſychius in Pordoſelene *Myſiam* vocauit. Ptolemæus inter Poroſelenen & Caici oſtia conſtituit. Meminit & Vitruuius lib. II cap. III *in Aſia Pitane:* id eſt in prouincia proconſulari Aſia. Refert, ibi lateres coqui, qui in aqua natent. quod Strabo etiam iam dicto loco confirmat. Accentum docet Ouidius lib. VII Metamorph. verſ. 357

Aeoliam Pitanen a læua parte relinquit.

XXXVIII.

Ipſe amnis *Caicus*, vt Plinius ait lib. V cap. XXX, *ex Myſia venit.*

* Imo a Myrina Amazonum dare & a ſocia quadam eius nominata. Diodorus III p. 188.

nit. * Non longe a fontibus *Myſiam* amnem accipit ex Temno monte profluentem. De vtroque Aeſchylus in Myrmidonum prologo, referente Strabone p. 424

Ἰὼ Κάϊκε, Μύσιαί τ' ἐπιῤῥοαί,
Io Caice, & Myſia fluenta.

Et Virgilius Georgic. lib. IV verſ. 370

Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſusque Caicus.

Et Ouidius lib. II Metamorphoſ. verſ. 243

- - - - - *Teuthranteusque Caicus.*

Teuthranteus cognominatur a *Teuthrania* oppido & regione, in qua oriri Caicum refert Plinius lib. V cap. XXX: oppidum, a quo nomen regioni amplius LXX ſtadiis abeſt ab Pitana & Elæa, Pergamum verſus, vt Strabo pag. 423 notauit. Stephanus a Teuthrante rege ducit, quem Myſis & Cilicibus imperaſſe etiam Strabo ibidem tradit, addens fabulam ex Euripide, quam legas, ſi vacat. Populi præter *Cilices, Leleges* ** hoc loco memorantur etiam *Myſomacedones*, vti vocantur, ex Ptolemæi poſitione. Meminit & Plinius lib. V cap. XXIX extr. Quod vero *Myſium* flumen ſub fontibus ſuis Caicum influere Strabo dixit, alii pro vno amne diuerſis nominibus habent. Ouidius lib. XV Metamorph. verſ. 277

Et Myſum capitisque ſui ripæque prioris
Pœnituiſſe ferunt, alia nunc ire, Caicum.

Populi in hac ora præter *Cilices, Leleges* Strabonis, ſunt etiam *Trimenothii* Ptolemæi: & huius ac Plinii Myſomacedones, id eſt Macedones Myſis immixti, ſecundum Ptolemæum: alii alio illos deducunt. vide Plinium lib. V cap. XXIX extremo.

XXXIX.

Sunt & aliæ diuiſiones Myſiæ præter illam maioris minorisque. Pars enim *Abrettena* dicta fuit, pars alia *Morena*. Strabo lib. XII pag. 395 ſic de vtraque: Cleon, antea prædonum dux, primum ab Antonio, deinde a Cæſare poſſeſſionibus auctus, *δυνάϛȣ περιέθετο σχῆμα· ἱερεὺς μὲν ὢν τȣ̃ Ἀβρεττηνοῦ Διὸς Μυσίȣ θεοῦ· μέρος δ' ἔχων ὑπήκοον τῆς Μωρηνῆς· Μυσία δὲ ἐϛὶ καὶ αὕτη, καθάπερ ἡ Ἀβρεττηνή: is dynaſtæ habitum induit: pontifex quidem factus Abretteni Iouis, Myſiorum dei; partem vero Morenæ ſibi ſubiectam poſſedit. Illa autem æque eſt Myſiæ, vt Abrettene.* Et inſequenti pag. 396 ſitum *Abrettenes* regionis ita deſcripſit: *Per hunc tractum Rhyndacus labitur fluuius, ortus in Azanitide: προσλαβὼν δὲ καὶ ἐκ τῆς Ἀβρεττηνῆς Μυσίας ἄλλȣς τε καὶ Μάκεϛον ἀπ' Ἀγκύρας τῆς Ἀβασίτιδος ἐκδίδωσιν εἰς τὴν Προποντίδα, recipiens autem ex Abrettena Myſia cum alios tum Maceſtum fluuium, ab Ancyra Abaſitidis fluentem, in Propontidem exit.* Ex quibus cognoſcitur, *Abrettenos* inter Ancyram Phrygiæ & amnem Rhyndacum, eique adpoſitam

* Καὶ τὸν ἐκ Καΐκȣ πεδίȣ τῶν Μυσῶν. Herodot VI pag. 178.
** Leleges etiam Cariæ partem tenuiſſe videntur. nam Caunus in terram eorum penetraſſe & urbem a ſe dictam condidiſſe dicitur Parthenio Nicaëenſi Erotic. 11 p. 367.

ſitam Apolloniam coluiſſe: eoque ducere *Maceſtum* fluuium. Plinius lib. v cap. xxx *In Myſia Abrettini.* Vt vero ſæpe pars pro toto dici ſolet; ita *Abrettena* aliquando pro tota eſt *Myſia*. Suidas in hac voce: Ἀβρεττάνη χώρα ἡ λεγομένη Μυσία, *Abrettane* (lege Abrettene, η pro α) *regio eſt, quæ dicitur Myſia.* Συνεκδοχικῶς. nam vt Stephanus tradit, Ἀβρεττίνη χώρα Μυσίας, *Abrettine Myſiæ regio eſt,* non tota Myſia.

SECTIO II.

TROAS ET TROIANVM REGNVM.

XL.

TROAS propria ab vtraque Myſia, adhuc explicata, tamquam concluſa continebatur, ideoque diſtincta ab regno Troiano & Priamicis poſſeſſionibus. Si enim Homero credimus, fere omnia vtriusque Myſiæ, adhuc a nobis expoſita, ſub Troianorum imperio fuere. Strabo ſub initium lib. XIII, ὁ μὲν ποιητὴς ἀπὸ τῶν περὶ Αἴσηπον, καὶ τῶν περὶ τὴν νῦν Κυζικηνῶν χώραν ὑπαγορεύει μάλιστα τοὺς Τρῶας ἄρξαι, καὶ μέχρι τοῦ Καΐκου ποταμοῦ, *Poeta dicit, Troianos ab Aeſepo vicinis locis & Cyzicenæ, quæ nunc eſt, regioni Troas imperaſſe vsque ad Caicum fluuium.* Nos quæ Myſiæ tribuuntur ab aliis, ſeparamus, vt *Troas propria,* ſeu regio circa Troiam & Ilium ad explicandum nobis relinquatur.

XLI.

In Lampſaco finiuimus Myſiam illam, quæ ad Propontidem & Helleſponti oram ex parte fuit. Proxima fuit Περκώτη, *Percote*, de qua Homerus Iliad. B ſub finem:

Οἳ δ' ἄρα Περκώτην καὶ Πράκτιον ἀμφενέμοντο,
Qui item Percoten & Practium circumcolebant.

Ordinem & ſitum oſtendit Alexandri iter apud Arrianum lib. I pag. 34. nam ἐξ Ἰλίου ἐς Ἀρίσβην ἧκεν, *ex illo Ariſben venit*: καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἐς Περκώτην· τῇ δὲ ἄλλῃ Λάμψακον παραμείψας πρὸς τῷ Προσακτίῳ ποταμῷ ἐστρατοπέδευσεν, *& poſtera die in Percoten: deinde Lampſacum prætergreſſus ad Practium flumen* (ſic legendum eſt cum Homero & Strabone XIII pag. 460, qui inter Abydum ponit & Lampſacon) *conſedit.* Eumdem ordinem ſeruauit Plinius lib. v cap. XXXII *Impetum deinde ſumit Helleſpontus. - - - Promontorium id adpellauimus Trapezam: ab eo decem* M *paſſuum Abydum oppidum, vbi anguſtiæ ſeptem ſtadiorum: deinde Percote oppidum: & Lampſacum, antea Pityuſa dictum: Parium colonia,* cetera. Dubium ad mare fuerit, an nonnihil remotum. Stephanus addit olim Περκώπην, *Percopen* fuiſſe dictam, ſicut etiam libri noſtri Iliad. Λ verſ. 229 ſcriptum habent: præter dictos vero etiam Strabo Περκώτην dixit, ſiue *Percoten*: Gentile Περκώσιος. Homerus Iliad. B ſub finem υἷε δύω Μέροπος Περκωσίου, *duo filii Meropis Pericoſii.*

XLII.

XLII.

Deinde *Abydus*, Ἄβυδος, ad fretum, vbi anguſtiſſime coarctatur, * a Mileſiis condita, e regione Seſti ad idem fretum oppoſitæ in Europa, medio loco inter Lampſacum & Ilium. Vide Strabonem, & Euſtathium ad Dionyſii verſum 516

Σηςὸς ὅπη καὶ Ἄβυδος ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο,
Seſtus vbi & Abydus ex aduerſo ſtationem poſuerunt.

Ouidius Triſtium lib. I elegia IX verſ. 28

Seſton Abydena ſeparat vrbe fretum.

Inter has vrbes pons Xerxis ſupra Helleſpontum ſtratus fuit, quia anguſtia ſeptem tantum ſtadiorum eſt. ** vt ante paullo in *Percote* ex Plinio obſeruauimus. Et Herodotus lib. VII cap. XXXIV ἔςι δὲ ἑπτὰ ςάδια ἐξ Ἀβύδȣ ἐς τὴν ἀπαντίον, *eſt autem ex Abydo in vlteriorem continentem ſeptem ſtadiorum traiectus.* Et ibidem: ἐξ Ἀβύδȣ ὁρμεώμενοι ἐγεφύρουν, *ab Abydo incipientes pontem fecerutnt.* *** Et Lucanus lib. II Pharſal. verſ. 672

Tales fama canit tumidum ſuper æquora Xerxem
Conſtruxiſſe vias, multum quum pontibus auſus,
Europamque Aſiæ, Seſtonque admouit Abydo. †

Famoſa etiam eſt amoribus Leandri & Herûs, a Muſæo & aliis deſcriptis, quia Leander Abydenus fuit. Eos etiam nummus Harduini indicat, inſcriptus, ΗΡΩ. ΛΗΑΝΔΡΟΣ. ΑΒΥΔΗΝΩΝ. *Abydenus* enim gentile ab Abydo eſt.

XLIII.

Intus paullo fuit Ἀρίσβη, *Arisba*, †† oppidum, vt in *Percote* ex Arriani narratione monſtrauimus. Ibi enim exercitum Alexander, quum traieciſſet Helleſpontum, congregari iuſſerat. Plinius lib. V cap. XXX *Extra ſinum ſunt Rhœtea litora, Rhœteo & Dardanio & Arisbe oppidis habitata.* Stephanus πόλιν τῆς Τρωάδος, Μιτυληναίων ἄποικον vocat, id eſt *Troadis oppidum, coloniam Mitylenæorum* : & Homerus Iliad. B. verſ. 836 δῖαν Ἀρίσβην.

XLIV.

Propius mare *Dardanum* & *Rhœteum* ſequuntur, vt Plinius modo memorauit. Ordinem Herodotus lib. VII cap. XLIII tradit : *a Priami Pergamo*, id eſt Troiæ ruderibus, *profecti, a læua ſtrinxerunt* Ροίτειον πόλιν καὶ Ὀφρύνειον, καὶ Δάρδανον, ἥπερ δὴ Ἀβύδῳ ὅμȣρός ἐςι, *Rhœteûm oppidum, & Ophryneum, & Dardanum, finitimam Abydo.* Hic *Dardanus*, ἡ Δάρδανος, forma-

* Adde huc Polybium XVI, 14 qui has anguſtias cum illis quæ ſunt ad Herculis columnas, comparat.

** Polybius l. c. duo ſtadia modo memorat. Sed malim audire diſſentientes ab eo.

*** de hoc ponte eximie diſſerit Tzetzes ad Lycophr. v. 1432 p. 142.

† Add. Oroſius II hiſt. c. 10. p. 85.

†† Polyb. V c. III κατασχόντες τὴν Ἀρίσβαν καλȣμένην ἐν τῇ τῶν Ἀβυδῶν χώρᾳ. *Tenentes vrbem nomine Arisbam in Abydenorum regione:*

formauit; & Strabo quoque pag. 409 ἡ πόλις ἡ Δάρδανος, *vrbs Dardanus*,* quam LXX ſtadiis ab Abydo diſtare dicit: at Ptolemæus ſcripſit Δάρδανον, *Dardanum*, neutro genere: & Plinius *Dardanium*, oppidum ſubaudiens. Sita vrbs ad promontorium, quod *Dardanium* vocatur, Straboni Δαρδανὶς ἄκρα: regiuncula eidem Δαρδανία, *Dardania* dicta.

XLV.

Iuxta Dardanum *Ophrynium* erat cum Hectoris luco, Strabone referente p. 409, quod & Herodotus lib. VII cap. XLIII, vt modo vidimus, memorauit.

XLVI.

Rhœtêum, Ροίτειον, in litore excipit, de quo Strabo lib. XIII pag. 409 Εἶτα Ροίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ κειμένη, καὶ τῷ Ροιτείῳ συνεχὴς ἠϊὸν ἁλιτενὴς Αἰάντειον, ἐφ᾽ ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος, *Deinde Rhœteum, vrbs in colle ſita: eique contiguus litoreæ arenæ tumulus Aeanteium, vbi ſepulcrum eſt Aiacis.* Thucydides lib. IV ſine diphthongo ſcripſit pag. 286 αἱροῦσι Ροίτιον, *Rhœtium capiunt*: & lib. VIII pag. 617 *prætereuntes Lectum, & Lariſſam, & Hamaxitum, & alia circum loca*, ἀφικνοῦνται ἐς Ροίτιον, *veniunt in Rhœtium.* Adiectiuo modo *Rhœtêus* ſæpe vſurpatur. Virgilius Aeneid. III verſ. 108

Teucrus Rhœteas primum eſt aduectus in oras.

Et lib. VI Aeneid. verſ. 505

Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Conſtitui.

Scribitur etiam quatuor ſyllabis *Phœtëius*, quod poetis interdum pro *Romanus* eſt, propter originem ex Troia. Silius Italicus lib. II verſ. 51

- - - - - *Rhœteius immo*
Imperet æternum - - - - -

Rhœteius, id eſt Romanus. Adde lib. VII verſ. 431.

XLVII.

Hinc in *Sigeum* venitur, promontorium, oppidum & portum. Strabo iam dicto loco: μετὰ τὸ Ροίτειόν ἐστι τὸ Σίγειον, κατεσπασμένη πόλις, καὶ τὸ ναύσταθμον, *poſt Rhœteum eſt Sigêum, dirutum oppidum, & nauale.* Plinius V cap. XXX *In promontorio quondam Sigeum oppidum.* Ptolemæus, Σίγειον ἄκρον, *Sigeum promontorium.* Strabo eodem loco vocat Σιγειάδα ἄκραν. Stephanus Σίγειον πόλις Τρωάδος, *Sigeum oppidum Troiæ.* LX ſtadiis abeſt a Rhœteo per litus, vt Strabo notauit. Inde mare & alia cognominantur. Virgilius Aeneid. lib. II verſ. 312

- - - *Sigea igni freta lata relucent.*

Ad vrbem vel in promontorio, aut iuxta illud Ἀχιλλέως μνῆμα, *Achillis monimentum* fuit, vt Strabo nominauit. Cicero pro Archia cap. X *Quum*

* Tzetzes ad v. 29 Lycophr. Δάρδανος κτίζει τὴν Δαρδανίαν, πρότερον Σκαμάνδρου λόφον καλουμένην.
Nonnus Dionyſiac III v. 190 p. 96
Δάρδανος ἀντικέλευθον ἐνάσσατο πέτραν ἀρούρης
Δαρδανίην εὔπυργον, ἐπώνυμον ἄστυ χαράξας,
Ἰδαίης ἀροτῆρι διαγράψας κόνιν ὁλκῷ.

Quum in Sigeo [*Alexander*] *ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris!* Sunt qui etiam oppidum *Achilleum* memorent. Plinius lib. v cap. xxx *Fuit & Achilleon, oppidum iuxta tumulum Achillis, conditum a Mytilenæis, & mox Athenienſibus, ubi claſſis eius ſteterat in Sigeo.* Stephanus pariter: ἔϛι καὶ πόλις ἐν τῷ Σιγείῳ Ἀχίλλειον, *eſt quoque oppidum in Sigeo Achilleum.* Dubium, an diverſum ſit ab oppido Sigeo: niſi forſan ex ruinis in proximo natum loco eſt.

XLVIII.

A litore introrſus receſſit *Troia* vetus & *Ilium*, * nomina nobiliſſima. Stephano Τροία, χώρα Ἀσίας ἡ πρότερον Ἰδαία, *Troia, regio Aſiæ, quæ prius Idæa dicta.* Sic quoque Seruius in principium Aeneidos: *Troia regio eſt Aſiæ: Ilium ciuitas eſt Troiæ.* Eualuit tamen conſuetudo ſcribentium, vt *Troia* perinde vrbem ac Ilium ſignificet, immo ſæpius hæc *Troia,* raro *Ilium,* vetus puta, adpelletur. Superuacaneum eſt, exemplis rem notam probare. Quoties legitur *Troia capta,* vt apud Liuium principio Operis, & Horatium lib. ii ſat. iii verſ. 191? Nec vero *Ilium,* quamlibet vſu rariore, eſt incognitum. Perſonat Maronis illud ex principio Aeneidos:

Ilium in Italiam portans:

& Horatii lib. iii oda iii

- - - - - *Ilion, Ilion*
Fatalis inceſtusque iudex
Et mulier peregrina vertit.

2. Quod vero poſtea *Ilium* dicebatur, triginta ſtadiis a veteri ſede reductum ad mare verſus fuit, & Ilium vetus, ſiue Troia, creditum in eo loco fuiſſe, vbi Strabo lib. xiii pag. 411 τῶν Ἰλιέων κώμην, *Ilienſium pagum* (ſic dicebatur) obſeruauit. Et *nouum Ilium* olim pagus erat cum Mineruæ fano, quo quum Alexander poſt prœlium ad Granicum ſacrificandi cauſſa profectus eſſet, donariis locum ornauit, & πόλιν, *vrbem* nominavit, vtque amplificaretur, in mandatis dedit. Auxit poſt mortem illius Lyſimachus, & muro xl ſtadiorum circumdedit. Vide Strab. xiii pag. 408. Fanum illud & poſteri religioſe coluerunt. Liuius lib. xxxv cap. xliii de rege Antiocho: *Ilium a mari adſcendit, vt Mineruæ ſacrificaret.* Et lib. xxxvii cap. ix de Romano duce: *Inde* [ex portu Achæorum] *Ilium adſcendit, ſacrificioque Mineruæ facto, legationes finitimas ab Eleunte & Dardano & Rhœteo, tradentes in fidem ciuitates ſuas, benigne audiuit.* Iuſtinus eodem Antiochi bello lib. xxxi cap. viii *Quum ingreſſi Aſiam Romani Ilium veniſſent, mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit.* Amiſſa tum erant ornamenta ab Lyſimacho accepta, & pago quam vrbi erat ſimilius. Strabo xiii pag. 408 Ἴλιον, ὃ νῦν ἐϛὶ, κωμόπολίς τις ἦν, ὅτε πρῶ-

* Tzetzes ad v. 29 Lycophr. Ἔνθα πόλιν κτίσας ὁ Ἶλος Ἴλιον ἐκάλεσε &c. &c.

τον Ρωμαῖοι τῆς Ασίας ἐπέβησαν. *Ilium nouum, quum primum Romani in Aſiam veniſſent, oppidum inſtar pagi fuit.* Ornarunt rurſus Romani, reddideruntque, immunitatem. Plinius v cap. xxx *Ilium immune.* Vnde plures nummi ΙΛΙΕΩΝ, *Ilienſium* præ ſe ferunt. Tacitus annal. iv cap. lv *Ilienſes antiquitatis gloria pollebant.*

XLIX.

Circumiacent multa, quorum poſitionem vetuſtas obſcuravit. Thucydides lib. viii pag. 617 ſcribens ex Lesbo curſum in Rhœteum, ait præteriri Λέκτον, καὶ Λάρισσαν, καὶ Αμαξιτὸν, *Lectum, & Lariſſam, & Hamaxitum.* * Plinius dicto loco: *Troadis primus locus Hamaxitus: dein Cebrenia: ipſaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria.* Stephanus: Ἁμαξιτὸς πολίχνιον τῆς Τρωάδος, *Hamaxitus Troadis oppidulum.* Et quia in itinere fuit a Lecto in Rhœteum, inter Ilium & mare fuiſſe vero ſimile eſt. Primum autem Troadis locum a Lecto dixit Plinius, quia hic Lectum promontorium inter Troadem Aeolidemque terminum conſtituit. Plinius lib. v cap. xxx *Lecton diſterminans Aeolida & Troada.* quid? clare Strabo: ἡ Ἀμαξιτὸς ἡ τῷ Λέκτῳ ὑποκειμένη συνεχής· *Hamaxitus continenter Lecto ſubiacet.* Regiuncula circumiacens ἡ Αμαξιτία, *Hamaxitia,* apud eundem lib. x pag. 326.

L.

Quam vero *Lariſſam* modo Thucydides dixit, Homero quoque eſt memorabilis ſub finem libri ii,

Τῶν οἳ Λάρισσαν ἐριβώλακα ναιετάασκον, **
Eorum qui Lariſſam fertilem habitabant.

Chorographo quarta huius nominis eſt τῆς τρωάδος, *in Troade.* Strabo xiii pag. 415 ἦν δὲ τῷ Αχαιΐῳ συνεχὴς ἥτε Λάρισσα καὶ Κολῶναι, *Erat autem Achæio contigua Lariſſa, & Colonæ:* Achæium autem ibidem dicit Alexandreæ συνεχῆ, *continuam* eſſe: & paullo ante, Αχαΐιον τῆς Τενεδίων περαίας, *Achæium in continente Tenedo* oppoſita. Scribitur his locis diuerſe, Αχαιὸν & Αχάΐον & Αχάιϊον: Caſaubonus probat poſtremum.

LI.

Colonæ ibidem iuxta inſulam Tenedon ſitæ. Pauſanias Phoc. cap. xiv de Cycno Neptuni filio: βασιλεύειν φασὶν ἐν Κολώναις, αἱ δὲ ᾤκοῦντο ἐν τῇ γῇ Τρωάδι αἱ Κολῶναι κατὰ νῆσον κείμεναι Λεύκοφρυν, *Aiunt Colonis regnaſſe, quod oppidum in Troade eſt ad inſulam Leucophryn,* quam mox dicit, a Tenne *Tenedon* deinde adpellatam eſſe. Thucydides lib. i pag. 86 Κολώνας τὰς Τρωϊάδας vocat. Nepos in Pauſania cap. iii *Colonas, qui locus in agro Troade eſt, ſe contulerat.* Eſt & alius locus xl ſtadiis ab Ilio, λόφος τις, *collis quidam,* Καλλικολώνη, *Callicolona,* ſiue ἡ καλὴ Κολώνη, *pulchra Colbna,* de qua Homerus Iliad. Υ verſ. 51. Strabo xiii p. 411.

LII.

Plinius ſupra cum Hamaxito coniungebat *Cebreniam:* at Scylax in

Αἰολί-

* De Hamaxito vid. Aelian. hiſt. anim. xii c. 5.
** De *Pelaſgis* incolis loquitur Homerus.

Αἰολίδι χώρα, *in Aeolide regione* extra Troadem conſtituit. Αἰολίδες, inquit, πόλεις ἐν αὐτῇ εἰσὶν ἐπὶ θαλάττῃ οὐδὲ Κεβρήνη, * Σκῆψις, Νεάνδρεια, Πιτύεια, *Cebrene*, *Scepſis*, *Neandrea*, *Pityea*, quem tractum ſupra Myſiæ parti, quæ ad Caicum eſt contribuimus. Eſt autem inter Lectum & Antandrum. Strabo p. 410 *Cebreniam* regionem diſtinguit a *Cebrene* vrbe, Addit Cebreniam Scamandro diſtingui ab agro Scepſio.

LIII.

Polichna ** prope Palæſcepſin, quæ in celſiſſimo Idæ fuit vertice, vt Strabo tradit lib. XIII pag. 417. Incolas Plinius *Polichnæos* dixit. Memoratur etiam in Notitia Epiſcopatuum Πόλιχνα, *Polichna*.

LIV.

His *Marpeſſus* poteſt addi, vnde Sibylla Erythræa aliquando cognominatur, quia ipſa carmine apud Pauſaniam Phoc. cap. XII dixit, *Marpeſſum* matri ſuæ patriam eſſe. *** Tibullus lib. II eleg. V verſ. 67

Quidquid Amalthea, quidquid Marpeſſia dixit.

Hanc ibidem Pauſanias πόλιν ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ Τρωϊκῇ, *oppidum in Troico monte Ida ſitum* dixit, quod CCXL ſtadiis diſtet a Troade Alexandrea. Suidas, & Lanctantii codices lib. I cap. VI legunt *Marmeſſus*, quod & Salmaſio in Solin. p. 55 placet. Iidem (Suidas & Lactantius) circa *Gergitium* ponunt, quod Plinii lib. V cap. XXX *Gergithos* eſt, Plutarchi Γέργηθος, *Gergethos*: Herodotus lib. VII cap. XLIII vel oppidum vel incolas τοὺς Γέργιθας *Gergithas* adpellat. Sed de hoc ſupra in Myſia actum fuit.

LV.

Hæc de Troia & quæ proxime ad eam: ad mare rurſus revertimur. Poſt Sigeum, Ἀχαιῶν λιμὴν, *Achæorum portus*, cuius Strabo meminit pag. 410. † Plenior Plinius lib. V cap. XXX *In promontorio quondam Sigeum oppidum: dein portus Achæorum, in quem influit Xanthus Simoënti iunctus, ſtagnumque prius faciens Palæſcamander.* De fluminibus infra diſpiciemus. Diximus ſupra etiam de *Colonis*, loco vel oppido, quæ inter Portum Achæorum & Alexandream videntur fuiſſe, quod tum auctores, qui mentionem fecere, cum aliis, quæ tractabamus, commemorarent.

LVI.

Alexandrea, ſiue *Alexandria*, reſtat perluſtranda in hoc litore, vrbs clariſſima, quæ inter XVIII, quæ ab Alexandro nomen habuerunt, poſt Aegyptiacam, fuit præcipua, ideoque ſecundo loco a Stephano Byzantiorum chorographo numerata: ſæpe regionis vocabulo, diſcriminis cauſſa, Ἀλεξάνδρεια ἡ Τρωάς, *Alexandrea Troas*, cognominata. Sic plene Ptolemæus vocauit, in litore conſtituens inter Sigeum & Lectum promontoria. Et Strabo lib. XIII ineunte: ἀπὸ δὲ Ἀβύδου μέχρι Λεκτοῦ τὰ περὶ

* Κεβρὴν eſt ap. Demoſth. adv. Ariſtocrat. p. 450.

** Nonnus Dionyſ. XIII v. 512 p. 382 Οἵτ᾽ ἔλαχον βούδειαν ἀειδομένην δὲ Πολίχνην.

*** *Marpeſſum* vium circa oppidum Gargethium appellat Varro l. IV Antiq. rerum diuin. de Quindecimvir.

† Alibi Strabo Ἀχαιὸν vocare videtur, lib. XIII pag. 899, 900 Vide §. 50.

περὶ Ἴλιον καὶ Τένεδον καὶ Ἀλεξάνδρειαν τὴν Τρωάδα, ab Abydo vſque ad Lectum, quæ circa Ilium, & Tenedum, & Alexandream Troadem ſunt: vbi perperam Xylandri & Caſauboni editione *Alexandrea ac Troas* Latine conuerſum eſt: verius antiquiore Guarini Veroneuſis ſiue aliorum, *Troiana Alexandria.* Et Liuius lib. XXXV cap. XLII *Tres eum* [Antiochum] *ciuitates tenebant, Smyrna, & Alexandria Troas, & Lampſacus, quas neque vi expugnare ad eam diem poterat neque conditionibus in amicitiam perlicere.* Aliis vero locis, vt ſæpe ſine cognomine *Alexandrea* ſiue *Alexandria* vocatur, (vide Strabonem in ſequentibus) ita ſæpius etiam *Troas* dicitur ſimpliciter, ſine *Alexandreæ* commemoratione. Plinius lib. V cap. XXX *Troadis primus locus Hamaxitus: dein Cebrenia: ipſaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria.* Priori loco regionis, poſteriori vrbis nomen eſt. Et ſic in Apoſtolorum hiſtoria & epiſtolis *Troas* ipſa vrbs eſt, non regio: nec cum Grotio facimus, qui Actor. XVI regionem, ſeu *Phrygiæ partem maritimam* interpretatur; ipſe vero cap. XX dubitare cœpit, num vrbs eo nomine, an regio notetur. Gaius iurisconſultus lege VII Dig. de Cenſ. *Iuris Italici ſunt Τρωὰς, Βήρυτος, Δυῤῥάχιον.* Ibidem lege VIII Paullus: *In prouincia Aſia duæ ſunt iuris Italici, Troas* & *Parium.* Auctor Itinerarii, quod Antonino tribuitur, itinerare per Aſiam, pag. 76

Abydo		
Dardanum	M. P.	IX
Ilium	M. P.	XII
Troadem	M. P.	XVI
Antandrum	M. P.	XXXV.

Origo nominis *Alexandreæ* ab Alexandro eſt, vt liquet: an a conditore ſit, dubitatur. Ait quidem auctor Chronici Alexandrini pag. 398, in duodecim vrbibus, quas Alexander condiderit, numerans etiam ἀλεξάνδρειαν τὴν ἐπὶ Τρωάδος, *Alexandriam in Troade:* verum ab Antigono fuiſſe conditam & *Antigoneam* adpellatam; a Lyſimacho deinde in honorem Alexandri vocitatam *Alexandream,* Strabo, grauiſſimus auctor, lib. XIII pag. 408 prodidit. Confirmat Plinius paullo ante citatis verbis: *ipſa Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria.* Et nummus Titi apud Golzium: COL. TROAS, ANTIGONIA. ALEXANDR. Vtrobique *Antigoniæ* nomen, tamquam prius, præponitur alteri *Alexandriæ.* Et hæc Alexandria pleriſque aliis delatis, quod Strabo addit, *συνέμεινε καὶ αὔξησιν ἔλαβε, permanſit & incrementum cepit,* præſertim quum Romanam accepiſſet coloniam, cuius auctor haud dubie Auguſtus Cæſar fuit, quia iam Plinius ſcripſerat, *Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Romana:* & plures nummi AVG. adpoſitum habent, vt Antonini Pii COL. AVG. TROAD. & Iuliæ Domnæ, ac Alexandri Severi, COL. ALEX. AVG. TRO. Adi Patinum. Et ex Harduini muſeo nummus COL. AVG. TROAS.

LVII.

Tandem ad *Lectum* ſiue *Lecton* promontorium venimus, Lesbi inſulæ

ſulæ parti ſeptemtrionali obuerſum, ſitumque in angulo, quem curuatura maris facit. Hinc eſt, quod Strabo XIII pag. 416 dixit, κάμψαντι δὲ τὸ Λέκτον, *vbi Lectum circumflexeris.* Adde Liuii verba mox e lib. XXXVII cap. XXXVII proferenda. Eo loco etiam poſuit Ptolemæus Λεκτὸν ἄκρον, *Lectum promontorium.* Homerus Iliados Ξ verſ. 283 de Iunone & Somno:

> Ἴδην δ' ἱκέσθην πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν
> Λεκτὸν, ὅθι πρῶτον λιπέτον ἅλα,

In Idam venerunt fontibus abundantem, matrem ferarum Lecton, vbi primum reliquerunt mare. Ad quæ verba Strabo poſt initium libri XIII hæc adnotauit: οἰκείως τοῦ ποιητοῦ φράζοντος τὸ Λεκτὸν, καὶ γὰρ ὅτι τῆς Ἴδης ἐστὶ τὸ Λεκτὸν, καὶ διότι πρώτη ἀπόβασις ἐκ θαλάττης αὕτη τοῖς ἐπὶ τὴν Ἴδην ἀνιοῦσιν, *proprie poeta Lectum deſcribit, tum quod Idæ pars eſt, tum quode mari in Idam ituris ibi prima eſt exſcenſio.* Et paullo ante idem ſub initium libri, ἡ Ἴδη τὸ ὄρος μέχρι Λεκτοῦ καθήκουσα, *Ida mons ad Lectum vsque pertinet.* Liuius lib. XXXVII cap. XXXVII *Eumenes rex, conatus primo ab Helleſponto reducere claſſem in hiberna Elæam, aduerſis deinde ventis quum aliquot diebus ſuperare Lecton promontorium non potuiſſet, in terram egreſſus, ne deeſſet principiis rerum, qua proximum fuit, in caſtra Romana cum parua manu contendit.* Felicior ventus ſequutus eos fuit, de quibus Thucydides lib. VIII pag. 617 παραπλεύσαντες Λέκτον, ἀφικνοῦντο ἐς Ῥοίτιον, *præteruecti Lecton, venerunt Rhœtium.* Plinii verba ſupra ex lib. V cap. XXX protulimus: *Promontorium Lecton diſterminans Aeolida & Troada:* etiam qualis ſit Aeolis illa, aliis Myſia, indicatum fuit.

LVIII.

Hactenus de ora Troadis, & quæ prope oram. Mediterranea leviter circa Ilium tacta: remotiora parum cognita, aut, ſi quæ ſunt, incertum eſt, Phrygiæ Myſiæne, an Troadi propriæ adnumeranda ſint. Troianæ tamen regionis fuit vrbs Ζέλεια, *Zeleia*, ſiue *Zelia*, cuius ſitum Homerus & Strabo non ſinunt nos ignorare. Ille Iliad. B verſ. 824

> Οἳ δὲ Ζέλειαν ἔναιον ὑπαὶ πόδα νείατον Ἴδης,
> Ἀφνειοὶ, πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο,
> *Qui dehinc Zeleam habitabant ſub pedem imum Idæ,*
> *Diuites, bibentes aquam nigram Aeſepi.*

Ibi ergo ſita fuit *Zelea*, vbi Ida in ſeptemtrionem ad Aeſepum vergit. Clarius id exponit Strabo poſt initium libri XIII. Idam dicit multos habere πρόποδας, *prominentes pedes*, quorum duo maxime procurrant, alter in Aegeum, quod *Lecton* promontorium dicatur; alter εἰς τὴν μεσόγαιαν, μικρὸν ὑπὲρ τῆς Κυζικηνῆς· καὶ δὴ καὶ ἔστι νῦν ἡ Ζέλεια τῶν Κυζικηνῶν, *alter*, inquit, *in mediterraneam regionem, paullo ſupra Cyzicenum agrum, vbi Zelea ſita eſt, quæ hodie eſt Cyzicenorum.* Et Plinius lib. V cap. XXXII amnem *Aeſepum* & *Zeliam* coniungit. Stephanus: Ζέλεια πόλις Τρωάδος, *Zelia oppidum Troadis.* Gentile Ζελείτης· Arrianus lib. I Exped. Alex. pag. 49. Ζελείτας δὲ ἀφῆκε τῆς αἰτίας, *Zelitis culpam remiſit.*

LIX.

Fuerunt & *Colonæ* aliæ, præter ſupra memoratas, ſitas contra Tenedon. Diximus ſupra aliquid in *Lampſaco* ex Strabonis XIII de Colonis illis: nunc addimus Arrianum lib. I pag. 35 de Alexandro, dicentem, poſtquam ab Ariſba Percoten & Lampſacum prætergreſſus fuerat, ἔνθεν ἐς Ἑρμωτὸν ἀφίκετο, Κολώνας πόλιν παραμείψας, *inde Hermotum venit, Colonas vrbem transgreſſus.* Tum demum ad Granicum perrexit. Supra in Myſiam illas, quæ ad Cyzicum fuerunt, transſcripſimus, quia dubii limites ſunt Troadis, & nonnullis vltra Aeſepum proferuntur; aliis, etiam Scylaci, ab Abydo incipiunt. *Hermotum* autem Arriani ceteris inexplicatum eſt.

LX.

Aſtyra Troadis, diuerſa a pago Myſiæ, prope Abydum, τὰ Ἄςυρα, Strabonis æuo diruta, quæ olim auri fodinam habuiſſe dicebantur. Vide lib. XIII pag. 407. Et *Gergithos,* itinere Xerxis inter Scamandrum flumen & Abydum apud Herodotum VII cap. XLIII, qui Γεργιθὰς vocat incolas, ſupra eſt expoſita.

LXI.

Ad Scamandrum Plinii *Scamandria* fuit. Inter Ilium & Lecton promontorium *Neandria,* ſupra Hamaxitum, ſecundum Strabonem pag. 417, qui & XL ſtadiis a Lecto *Polymedium* χωρίον ponit, quæ Plinii *Polymedia ciuitas* eſt, dubium, Ilium verſus an Aſſon, vti videtur, atque ſic in Myſia.

LXII.

Mons Troadis vnus nomine, ſed multiplex iugo & connexione, *Ida* eſt, ἡ Ἴδη, femineo genere. Virgilius Aen. II extr.

Iamque iugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ.

Plura autem iuga habere, non ſimplicem montem eſſe, ex eo adparet, quia ſæpius plurali numero Homerus dixit ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων, *a montibus Idæis,* Iliad. Θ verſ. 170, Μ verſ. 19 & 153, & κατ' Ἰδαίων ὀρέων Iliad. Λ verſ. 196, Ο verſ. 79, & alibi. Et Virgilius Aeneid. III verſ. 6

- - - - - claſſemque ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ. *

Strabo poſt initium lib. XIII Πολλὰς δ' ἔχουσα πρόποδας ἡ Ἴδη, καὶ σκολοπενδρώδης

* Imo etiam ex eo id conſtat, quia aliquæ partes eius propriis nominibus inſigniuntur. Nicander Theriac. v. 668 pag. 44

Ἐπὶ σκοπέλοισι φαλακραίοισιν ἐπακτὴς, Κρύμνης ἀμπέδιον καὶ ἀνὰ Γράσον, ἠδ' ἵνα θ' ἱππηλημῶνες, σκυλάκεσσιν ἀμυκλαίοισι κελεύων hanc *venator quidam* reperit *in Phalacræis ſcopulis per campum Crymnes perque Graſum & ubi Equi prata, canibus Amyclæis inclamans.* Hic Scholiaſtes aſcribit: Φάλακρα ἀκρωτήριον Τροίας, ἢ Φάλακραι τῆς ἐν Τροίᾳ παραλίου ἀκρωτήρια, ὧν τὰ ὀνόματα λεκτὸν. πέργαμον καὶ Ἴδη. Κρύμνη δὲ καὶ Γράσος πεδία εἰσὶ Τροίας. *Phalacra pinnacula Troiæ. aut Phalacræ promontoria Troiæ quorum nomina Lectum, Pergamum & Ide. Crymne vero & Graſus campi ſunt Troiæ.* Congruit cum ſcholiaſte Stephanus, Φαλάκραι ἄκρα τῆς Ἴδης, ἥτις οὐκ ἔχει ζώφυτον διὰ τὴν χιόνα καὶ τὴν κρύσταλλον, ἀλλ' ἐψίλωται. *Phalacræ vertex Idæ qui plantis caret propter nivem & glaciem, ſed nudus eſt.*

δρώδης οὖσα, multos prominentes pedes Ida habet, & forma ſcolopendram refert. Et paullo ante, eodem auctore, demonſtrauimus, Idam a Zeleia, quæ ſub agro Cyziceno eſt, ad Lectum, extremum Troadis promontorium, extendi.

LXIII.

Flumina pæne multa ex Idæis montibus decurrunt. Strabo lib. XIII pag. 414 auctore Demetrio *ἐπιχωρίῳ*, *ibidem nato*, refert, collem quemdam Idæ ſupra Scepſin CXX ſtadiis eſſe, *Cotylum* nomine, ex quo tria nobiliora flumina, *Scamander*, *Granicus* & *Aeſepus*, fontibus vicinis & intra XX ſtadia comprehenſis, oriantur.

2. *Aeſepi* exitum plurimum diſtare a capite, 10 circiter ſtadiis. Et *Practium* flumen, de quo ſupra dictum, Arrianus Exped. Alex. lib. I pag. 34, corrupto quamuis vocabulo, etiam ab Ida deriuat, *ὃς ῥέων ἐκ ὀρῶν τῶν Ιδαίων*, *qui ex Idæis montibus decurrit.* quod procul dubio etiam de obſcuris illis, ab Homero Iliad. M verſ. 20 nominatis, intelligendum eſt, qui ſunt

> Ῥῆσος θ', Επ]απορός τε, Καρησός τε, Ροδιός τε,
> *Rheſus, & Heptaporus, Careſusque ac Rhodius.*

3. Strabo *Andrium* addit, qui Scamandro adfundatur, e *Careſena* regione, quam *Careſus* rigat, decurrentem. *Careſeniam* autem deſcribit montanam regiunculam, Dardaniæ adiacentem, vsque ad loca Zeleiæ & Pityeiæ vicina.

4. *Rhodium* ait inter Abydum & Dardanum in mare exire.

5. Sed & *Xanthus* memorabilis fluuius eſt. Virgilius Aen. I verſ. 473

> *Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumque bibiſſent.*

6. Et *Simois*, Σιμόεις, non minus clarus. Ibidem verſ. 618

> *Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndam.*

Plinius lib. V cap. XXX *Scamander amnis nauigabilis, & in promontorio quondam Sigeum oppidum. Deinde portus Achæorum, in quem influit Xanthus Simoenti iunctus: ſtagnumque prius faciens Palæſcamander. Ceteri Homero celebrati, Rheſus, Heptaporus, Careſus, Rhodius veſtigia non habent. Granicus diuerſo tractu in Propontida fluit.* Hic Xanthum & Simoënta corriuat: Scamandrum ſeorſum in mare deducit. Contra Strabo XIII pag. 410 *συμπεσόντες ὅτε Σιμόεις καὶ ὁ Σκάμανδρος ἐν τῷ πεδίῳ, confluunt in campo Simois & Scamander.* Et pago inſequenti refert, vtrumque fluvium campos denominare, per quos ferantur; ille per *Simoiſium*, hic per *Scamandrium*: & Simoënta quidem Rhœteo adpropinquare, Scamandrum Sigeo, ſed paullo ante Ilium nouum confluere, atque inde ad Sigeum in mare exire, quum prius limoſas paludes & cæcum oſtium effecerint.

7. Quid vero de *Xantho* Plinii? Eſt *Xanthus* flumen Troadis, vt Virgilius dixit, & Strabo pag. 406 *Ξάνθος ποταμὸς ἐν Τροίᾳ*, *Xanthus fluuius in*

Troia:

Troia: id eſt, in regione Troiana. Plures autem dicunt ipſum Scamandrum eſſe, in quo ducem Homerum habent Iliad. Υ verſ. 74

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον,

Quem Xanthum vocant dii, homines autem Scamandrum.

Repetit Maximus Tyrius Serm. XII. Aelianus autem lib. VIII de Animal. cap. XXI, miſſa fabula, ad naturam Fluminis nouum & ſuperadditum nomen refert. Qui ad Troiam, inquit, Scamander eſt, oues inde bibentes *fuluas* (ξανθὰς) efficit. Hinc τῷ Σκαμάνδρῳ ἐξ ἀρχῆς, ἄλλο ὄνομα ἡ τῶν προβάτων, ἐπίκτητος χρόα ἔθετο, *fluuio Scamandro antea dicto aliud nomen adſciticius ouium color impoſuit.* Vibius Sequeſter de Fluminibus: *Xanthus Troiæ Ilio proximus, ex Ida monte defluens, Simoenti iunctus in Propontidem funditur. Hunc Scamandrum incolæ vocauerunt.* Lapſus eſt, Propontidem vocans, qui Helleſpontus eſt, excipiens hæc cuncta flumina.

8. Strabo dicto loco addit duos amnes *Selleentem* & *Practium.* De *Practio* notat, quod ῥεῖ μεταξὺ Ἀβύδου καὶ Λαμψάκου, *fluat inter Abydum & Lampſacum:* de quo Homerus Iliad. Β. ſub finem,

- - - - - καὶ Πράκτιον ἀμφενέμοντο,

& [qui] *Praction accoluerunt:*

cuius originem ex Ida monte ſupra ex Arriani lib. I monſtrauimus.

9. Alter, Σελλήεις, *Selleis,* iuxta Arisbam eſt, itidem Homero indicante ſub finem Iliados Β,

- - - ὃν Ἀρίσβηθεν φέρον ἵπποι

Αἴθωνες, μεγάλοι, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος,

quem ex Arisba ferebant equi feruentes, magni, a fluuio Selleente. quos verſus repetiit Iliados Μ. 96, 97. Alius eiusdem nominis in Græcia fluvius eſt, nec ipſe ignotus Homero, vt ibi memorauimus. De Troiano autem plura non habemus.

LXIV.

Hæc de Troade, in cuius explicatione quod *Phrygum* ſæpe eſt facta mentio, & *Phryges* ipſi Troiani ſæpenumero Maroni dicti ſunt; de Phrygiæ illa parte, quæ Troianos vel tangit vel comprehendit, aliquid adiiciemus, cetera ad contemplationem Phrygiæ Magnæ, quæ in mediterraneis eſt, reſeruaturi. Strabo illam Magnam a μικρᾷ, *Parua,* & ἐπικτήτῳ, *Epicteto* & *Helleſpontiaca,* ſiue ὑφ' Ἑλλησπόντῳ *ſupra Helleſpontum* ſita, pluribus locis diſtinguit. De Epicteto, quanta ſit & quibus finibus contineatur, quam Strabo nunc diſtinguit ab Helleſpontiaca, nunc eamdem eſſe non obſcure ſignificauit, iam nolumus diſputare: ſed tantum de *Helleſpontiaca,* ſeu in ora Helleſponti ſita, dicimus, vel eamdem eſſe, quæ *Troas* eſt ſeu *regio Troianorum;* vel Troadem partem illius Phrygiæ, quod Strabo etiam lib. II pag. 89 videtur iudicaſſe. Quum enim regiones Aſiæ intra Halyn enumerat, & ad Phrygiam illam maritimam venit, diſtincte & clare dicit, καὶ τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντῳ λεγομένην Φρυγίαν, ἧς ἐστὶ καὶ Τρῳάς, *& Phrygiam Helleſpontiacam, vt vocant, cuius etiam Troas eſt.* Vtrum vero ante Troiana tempora ibi Phryges habitauerint, an euerſa Troia eas ſedes occupa-

cupauerint, explicari in tam obſcura antiquitate non poteſt. Poetis *Phryges* Troes ſunt, & *Phrygius*, Troianus. exempli gratia Aeneid. I verſ. 467.

Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuuentus:
Hac Phryges, inſtaret curru criſtatus Achilles.

Et eodem libro, verſ. 181 - - - *Anthea ſi qua*
Iactatum vento videat, Phrygiasque biremes.

SECTIO III.

AEOLIS ſiue AEOLIA.

LXV.

Sequitur AEOLIA, ab Aeolibus Græcis, qui in Aſiam migrarunt, variis coloniis condita. Laxe ſi ſumitur, Troadem omnem & Helleſponti oram vsque Propontidem complectebatur, quia in illis partibus multæ erant Aeoliorum coloniæ. Sed Troadem, celeberrimam regionem, ſeparauimus, vt plerique fecerunt geographi, Strabo maxime & Plinius; præſtantiores ceteris. Aliis quoque anguſtior eſt Aeolia, licet de Troade forte diſſentiatur. Pomponius Mela hæc illuſtrat lib. I cap. XVIII. *Proxima,* inquit, *regio, ex quo ab Aeolis incoli cœpit, Aeolis facta, ante Myſia, & qua Helleſpontum attingit, Troianis poſſidentibus, Troas fuit.* Plinius lib. V cap. XXX ſequutus eſt. *Aeolis,* inquit, *proxima eſt, quondam Myſia adpellata, & quæ Helleſponto adiacet, Troas.* Scylax Caryandenſis *Aeolidem* ad ſuperiora refert, Scepſin, Neandriam, Pityiam: quæ in Troade ſupra expoſuimus. Cetera quoque in hoc tractu nimis confuſus turbatusque eſt, aut potius prauatus, vt vix aliquid certi de his regionibus ab ipſo poſſimus exſpectare. Adi Voſſium in illum.

LXVI.

Græce dicitur Αἰολὶς, Latine *Aeolis* & *Aeolia.* Græcum nomen Latinitate donarunt Plinius atque Pomponius, vt modo vidimus: altera forma idem Plinius dicto loco vſus eſt. *Smyrnæum,* inquit, *conuentum magna pars Aeoliæ frequentat.* Liuio autem Græcus caſus placuit lib. XXXVII cap. VIII de Antiocho dicenti: *filium Seleucum in Aeolide reliquerat cum exercitu ad maritimas continendas vrbes.* Populus, *Aeolii* dicuntur. Velleius lib. I cap. IV. *Et mox Aeolii, eadem profecti Græcia, longiſſimisque acti erroribus non minus illuſtres obtinuerunt locos, clarasque vrbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Lariſſam, Myrinam, Mitylenemque.* Herodotus lib. I cap. CXLIX, ἕνδεκα, *vndecim* vrbes Aeoliorum ἀρχαίας, *antiquas* nominatim numerat, *Cumas, Lariſſas, Neon-Tichos, Temnon, Cillam, Notium, Aegiroeſſam, Pitanam, Aegæam, Myrinam, Gryniam.* Plinius ex his plurimas memorat, & alias addit. Sic enim in Aeolide: *Ibi a Phocæa Aſcanius portus. Dein fuerat Lariſſa: ſunt Cyme, Myrina, quæ Sebaſtopolim ſe vocat: intus Aegæ, Attalia, Poſidea, Neontichos, Temnos. In ora autem Titanus amnis & ciuitas ab eo cognominata. Fuit & Grynia,*

nunc tantum portus ſoli, inſula adprehenſa. Oppidum Elæa, & ex Myſia veniens Caicus amnis. Oppidum Pitane, Canaius amnis. Intercidere, Canæ, Lyſimachia, Atarnea, aliæ, ſupra in Troianis enumeratæ. Gratior nobis hæc deſcriptio eſt, quia maritima a mediterraneis, & deleta ab iis, quæ ſupererant, diſcernit. Quod vero & ei intermiſſa ſunt, quæ Troadi ab aliis ſunt adſcripta, commodiſſima delineatio Ptolemæi eſt, qui inter Caicum & Hermum amnes Aeolidem regionem concludit.

LXVII.

In ora poſt Caicum fluuium, XII ſtadiis ab illo, eſt *Elæa*, Straboni Ἐλαία πόλις Αἰολική, *Elæa vrbs Aeolica.* Eo ſitu etiam Mela ponit, quum dixit: *Caicus inter Elæam decurrit & Pitanen.* Decurrit autem in proprium ſinum, quem Strabo κόλπον τὸν Ἐλαϊτικόν, *ſinum Elaiticum* vocat, qui pars eſt Adramytteni: regionem Ἐλαΐτιδα, *Elaitidem*, lib. XIII pag. 423. Addit *Elæam* nauale (ἐπίνειον) Pergamenorum regum fuiſſe, a qua ciuitate CXX ſtadiis remota eſt. Pauſanias Bœot. cap. v. in *Caici campo*, (πεδίῳ) ſitam refert: & Frontinus lib. IV cap. v ſect. 16 P. Craſſum, bello Ariſtonici, *inter Elæam & Myrinam in hoſtium copias incidiſſe.* Sic enim legendum ibi, non *Aeliam*, vt editum, quæ nulla apud Myrinam: & omnes quos laudauimus, *Elæam* ſiue Ἐλαίαν dixerunt; etiam Polybius in Excerpt. Legat. XXI, Plutarchus in Phocione pag. 750, & Ptolemæus. Et Liuius, lib. XXXVI cap. XLIII *Eumenes Elæam ad ſuam claſſem profectus.*

LXVIII.

Hinc intra centum ſtadia ἡ Κάνη, *Cana* eſt, promontorium Lecto oppoſitum; Adramyttenum ſinum, qui inde a Lecto Troadis patet, finiens. Strabo ſic ſingulari numero vocat: plurali oppidulum non procul inde, aut ſub ipſo ſitum promontorio. Κάναι δέ, inquit, πολίχνιον Λοκρῶν τῶν ἐκ Κύνου, κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου τὰ νοτιώτατα, κείμενον ἐν τῇ Καναίᾳ, *Canæ oppidulum ſunt Locrenſium ex Cyno, iuxta meridialia extrema Lesbi, ſitum in regione Canæa,* quæ a promontorio nomen habet. Ex quibus non obſcure perſpicitur, non proximum contiguumue promontorio oppidulum fuiſſe. Plinius *intercidiſſe* dixit, vt minus de ſitu iudicari poſſit. Liuius quidem etiam *Canas* memorauit, ſed incertum, oppidum an promontorium intellexerit. Lib. XXXVI extremo: *Phocæam transmittunt. Ibi relictis ad præſidium vrbis quatuor quinqueremibus ad Canas claſſis venit.* Et lib. XXXVII cap. VIII *Claſſis Romana, ſicut ante dictum eſt, ad Canas hibernabat.* A promontorio magis, quam oppidulo non proximo, claſſis ſtationem denominari crediderim. Et ipſe Strabo, de pluratiuo numero conſentit: οὕτω [Αἶξ] τὸ ὄρος ὅλον ὠνομάζετο, ὃ νῦν Κάνην καὶ Κάνας λέγουσι, *Sic* [Αἶξ, Capella] *totus mons olim nominabatur, quem nunc Canam & Canas vocant.* Herodotus lib. VII cap. XLII *a Caico profectus, ſiniſtrum habuit* Κάνης ὄρος, *Canæ montem.* Pomponius Mela dicto loco: *Tum in promontorio eſt Cana oppidum: quod præteruectos ſinus excipit, non pronus, ſed longe ac molliter flexus retrahensque paullatim oras vsque ad ima montis*

Idæ

Idæ. Sed Strabo oppidum a promontorio ſeparauit. Sinus autem ille eſt Adramyttenus, de quo diximus.

LXIX.

Grynium excipit, Græce Γρύνιον, XL ſtadiis ſecundum Strabonem disiunctum a Myrina. Plinius alia forma *Gryniam* vocat. *Fuit*, inquit, *Grynia, nunc tantum portus ſoli, inſula adprehenſa.* Et Herodoto lib. I cap. CXLIX eſt Γρύνεια, *Grynea*, ſiue *Grynia.* Strabo dixit Myrinæorum πολίχνιον, *oppidulum* fuiſſe, cum templo Apollinis & antiquo oraculo in ſacro luco: vnde *Grynæi* Apollinis cognomen eſt. Virgilius ecloga VI

His tibi Grynæi memoris dicatur origo,
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus iactet Apollo.

Idem lib. IV Aeneidos verſ. 345

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes.

Non audiendus eſt Seruius, qui apud Clazomenas hoc nemus Apollinis locauit: potior eſt Strabo, cui & ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον, καὶ νεὼς πολυτελὴς λίθȣ λευκοῦ, *fanum Apollinis, vetusque oraculum, & ſplendidum fanum ex albo lapide*, prope oppidum Grynium in Aeolide eſt. Lucus autem plerumque ad fana erat, & vbi oracula edebantur. Oppidum autem olim non minimum aut contemtum fuiſſe (quamuis ſuo æuo πολίχνιον, *oppidulum* Strabo dixerit, & Plinius *fuiſſe*, id eſt periiſſe tradat) vel ex eo manifeſtum eſt, quia Parmenio, vt Diodorus lib. XVII cap. VII narrat, Γρύνιον πόλιν ἑλὼν κατὰ κράτος, *vrbem Grynium vi & expugnatione cepit.* Et Xenophon lib. III Rer. Græc. ſub initium Μυρίναν καὶ Γρύνιον, *Myrinam & Grynium* non modo vt vicinas, verum etiam tamquam pares ciuitates coniunxit ita, vt minus dubitemus, ampliorem olim, quam tempore Strabonis, exſtitiſſe. An idem ſit Nepotis *Grunium*, Alcibiad. cap. IX, dubitatur, quia caſtrum vocat & in Phrygia collocat.

LXX.

Inde poſt XL ſtadia ſecundum Strabonem *Myrina* eſt, Αἰολὶς πόλις ἔχȣσα λιμένα, *Aeolica ciuitas portum habens*, quam Ptolemæus etiam in Aeolicis numerauit. Plinius de ea lib. V cap. XXX, *Myrina, quæ Sebaſtopolim ſe vocat.* Mela dicto loco in Aeolide: *Primam vrbium a Myrino conditore Myrinam vocant.* Primam, ratione originis & antiquitatis: cui proximam deinde Cymen ponit. Liuius lib. XXXIII cap. XXX in vrbibus Aſiæ memorat, ex quibus Philippus, pacem accipiens ab Romanis, iubebatur præſidium deducere. Vicinitas Grynii & huic aliquid de Apollinis religione contribuit. Martialis lib. IX epigram. XLII

campis diues Apollo ſic Myrinis.

Myrini autem campi ſunt apud Grynium, & ipſum Grynium Myrinæorum oppidum Strabo prædicto loco dixit. In illis etiam a Tacito annal. II cap. XLVII *Myrina* numeratur, quas terræ motu concuſſas Tiberius Cæſar

Cæſar, in tempus remiſſis tributis, recrearit.* Cicero etiam meminit lib. v epiſt. xx. *Memini,* inquit, *mihi a te Myrina litteras eſſe adlatas.* Accentum vocabuli, producta media phaleucus Martialis modo recitatus docet, & nummi, Gordiani & Iuliæ Domnæ, in quibus diphthongo ſcriptum eſt ΜΥΡΕΙΝΑΙΩΝ, *Myreinæorum.*

LXXI.

Sequitur *Cyme*, ** Κύμη, antiqua vrbs, & pluribus laudata. Pomponius Mela: *Sequentem* [vrbem] *Pelops ſtatuit, victo Oenomao reuerſus ex Græcia. Cymen nominauit, pulſis qui habitarant, dux Amazonum Cyme.* Recentes interpretes *Cuma* ſcribunt: veteres latini Nepos, Liuius, Mela, Plinius, Tacitus *Cyme,* Græcam formam retinentes; atque ita etiam in baſi marmorea Coloſſi, Tiberio a quaſſatis Aſiæ ciuitatibus erecti, Latine CYME inciſum legitur. Liuii quædam editiones, a Gryphio, Grutero, aliis adornatæ lib. xxxvii cap. xi habent *Cymæ* pluratiuo numero; Moguntina vero Scheferi *Cyma,* quod etiam in veteri ſuo libro Sigonius invenit: at Gronouius etiam hoc loco ad veterem Latinorum ſcripturam reduxit. *Seleucus,* legit, *proditam Phoæcam porta vna per cuſtodes aperta, recepit, & Cyme, aliæque eiusdem oræ vrbes ad eum metu defecerunt.* Huius cauſſa in inuidiam Alcibiades, poſt primum exſilium, incidit. Cornelius Nepos Alcib. cap. vii *Claſſe in Aſiam profectus, quod apud Cymen minus ex ſententia rem geſſerat, in inuidiam recidit. - - - nam corruptum a rege capere Cymen noluiſſe, arguebant.* Terræ motu, vt diximus, cum aliis Aſiæ ciuitatibus ſub Tiberio concuſſa fuit. Tacitus annal. ii cap. xlvii *Myrinam, Cymen, Tmolum leuari idem in tempus tributis placuit.* Seruata Plinii æuo, qui ab euerſis diſtinguit ita: *dein fuerat Lariſſa: ſunt Cyme, Myrina.* Et Ptolemæo Κύμη eſt in Aeolide inter Myrinam atque Phocæam. Et longo poſt tempore in Theodoſiana Peutingeri tabula a Myrina viiii millibus paſſuum ſeiuncta *Cyme eſt.* Incolæ Κυμαῖοι, *Cymæi.* Pluribus nummis exſtat ΚΥΜΑΙΩΝ. *** Et Liuius lib. xxxviii cap. xxxix *Colophoniis qui in Notio habitant, & Cymæis, & Mylaſenis immunitatem* [Romani] *conceſſerunt.*

LXXII.

* Terræ motu iv vrbes Aſiæ ſubuerſæ *Helea, Myrina, Pitane, Syme* (ſub Traiano) Oroſ. vii c. 12 Vid. de Myrina Tzetzes ad Alex. Lycoph. v. 243. qui dicit eſſe vrbem Troiæ, ab Amazonis nomine dictam. Diodorus iii p. 188 a Myrina Amazonum duce conditam & appellatam ſcribit. Sed Tzetzes in ſitu deſignando haud dubie peccat.

** Ab Amazone Myrina condita. Diodorus iii pag. 188. De origine Cymes carmen quoque agit Homero tributum

Οἵ πόλιν αἰπεινὴν Κύμην Εριώπιδα κούρην
Ναίετε, Σαρδήνης πόδα νείατον ὑψικόμοιο·
Αμβρόσιμον πίνοντες ὕδωρ θείου ποταμοῖο
Ερμοῦ δινήεντος, ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς.

Vrbem qui celſam Cymen Eriopida prolem,
Radicem incolitis Sardenes alticomantis,
Diuini potatis aquam qui fluminis Hermi
Verticibus torti, pater eſt cui Iupiter ipſe.

*** V. g. Maximi, Maximini filii in numiſm. Franc. de Camps pag. 83

LXXII.

Inter Cymen & Phocæam *Lariſſa* fuit: quod ex Plinii & Strabonis poſitione clarum eſt. Ille lib. v cap. xxx *Ibi a Phocæa, Aſcanius portus; dein fuerat Lariſſa: ſunt Cyme, Myrina:* hic vero (Strabo) lib. xiii pag. 427 ἀπὸ Λαρίσσης διαβάντι τὸν Ἕρμον εἰς Κύμην, ἑβδομήκοντα στάδιοι· ἐντεῦθεν εἰς Μύριναν τετταράκοντα, *transgreſſo Hermum a Lariſſa ad Cymen ſunt ſeptuaginta ſtadia: inde Myrinam, quadraginta.* Et quia deleta fuerat, teſtante Plinio, prætermiſit Ptolemæus. Herodotus quoque Homeri Vita cap. xi memoravit, ἀπὸ τοῦ Νέου τείχεος ἀπίκετο εἰς τὴν Κύμην διὰ Λαρίσσης τὴν πορείαν ποιησάμενος, *Cymen e Nouo Muro proficiſcens per Lariſſam iter fecit.*

2. Hæc Lariſſa cognominibus diſtinguitur ab altera, quam ſupra in Troade explicabamus. Ait enim Strabo lib. ix ſub finem, ἐν τῇ Ασίᾳ ἥτε Φρικωνὶς [Λάρισσα] ἡ περὶ τὴν Κύμην· καὶ ἡ κατὰ Ἁμαξιτὸν τῆς Τρῳάδος. *In Aſia etiam Lariſſa Phriconis eſt prope Cymen: & alia iuxta Hamaxitum Troadis.* Illam lib. xiii quoque aliquoties *Lariſſam* τὴν περὶ Κύμην, *quæ ad Cymen eſt,* vocauit: Xenophon vero lib. iii Rer. Græc. poſt principium Λάρισσαν τὴν Αἰγυπτίαν καλουμένην, *Lariſſam Aegyptiam cognominatam,* cuius munimenta laudat, quæ ab Lacedæmoniis non potuerint expugnari. * *Phriconis* autem nomen illius tractus eſt, &, vt mox oſtendemus, Herodotus etiam Cymen *Phriconidem* cognominat lib. i cap. cxlix. Fuit & terra Lariſſa in Aſia, quam Strabo τὴν Εφεσίαν Λάρισσαν, *Epheſiam Lariſſam* lib. ix ſub finem; & κώμην τῆς Εφεσίας ἐν τῷ Καϋστρίῳ πεδίῳ, *vicum Epheſiæ regionis in Cayſtri campo,* vocat, quam olim vrbem fuiſſe tradunt templo *Apollinis Lariſſæi* nobilitatam.

LXXIII.

Nouus Murus autem, ſiue *Neontichos,* oppidum prope Hermum fuit, reductum a mari, colonia Cymæorum. Plinius: *Intus Aegæ, Attalia, Poſidea, Neontichos, Temnos.* Vita Homeri cap. ix *a Smyrna Cymen profecturus* poeta, ſic iter feciſſe dicitur: πορευόμενος διὰ τοῦ Ἕρμου πεδίου ἀπικνέεται ἐς Νέον τεῖχος, ἀποικίην Κυμαίων, *per Hermi campum iter faciens, venit in Neontichos, Cymæorum coloniam.* Quem ordinem Herodotus etiam lib. i cap. xlix ſeruauit in vrbibus Aeolidis: Κύμη, ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισσαι, Νέον τεῖχος, Τῆμνος, *Cyme, Phriconis cognominata, Lariſſa, Neontichos, Temnos.* Originem Strabo dicto loco memorat, Græcos ex *Phricio,* Locrorum ſupra Thermopylas monte, in Aſiam profectos conſediſſe iis locis, vbi Cyme eſt, & quum Pelasgos Troiano bello adflictos offendiſſent,

* Vid. Xenophon etiam Cyropæd. lib. vii pag. 179 E. vbi originem nominis *Aegyptiæ Lariſſæ* a Cyro repetit. Κῦρος τε, inquit, πόλεις αὐτοῖς (τοῖς Αἰγυπτίοις) ἔδωκε τὰς μὲν ἄνω, Λάρισσάν τε καὶ Κυλλήνην παρὰ Κύμην πλησίον θαλάσσης. ἃς ἔτι καὶ νῦν οἱ ἀπ' ἐκείνων ἔχουσι. *Et Cyrus militibus Aegyptiis vrbes dedit ſuperiores, Laryſſam & Cyllenen prope Cymen non longe a mari, quas poſteri eorum etiamnum tenet.* Hæc narratio ex diſſertatione V. C. Frereti de Geographia Xenophontis robur & ſpeciem nanciſcetur. Vid. Memoires de litterature de l'Academ. Roïale tom. Six. pag. 340.

diſſent, Lariſſam tenentes; aduerſus eos Νέον τεῖχος, *Nouum munimentum* XXX a Lariſſa ſtadiis exſtruiſſe, ac regionem illam Φρικωνίδα, *Phriconidem*, a veteri illorum in Locris ſede adpellatam.

LXXIV.

Ceterorum Plinii, quæ intus erant, Aeolidis oppida præcipua fuerunt *Aegæ* & *Temnos*. Strabo dicto lib. XIII ταῖς νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν ἔτι καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον καὶ τὴν Τῆμνον, *Aeolicis, quæ nunc ſunt, vrbibus addendæ ſunt Aegæ & Temnos.* Quas *Aegas* Plinius & Strabo vocat, Herodoto lib. I cap. CXLIX ſunt Αἰγαῖαι, *Aegææ*, quod nomen videtur etiam in Coloſſi, quem diximus, marmorea baſi fuiſſe, vt ex ſpatio litterarum, quæ detritæ ſunt, qui inſpexere, iudicarunt: e quibus Laur. Theod. Gronovius Αἰγαίας etiam Straboni reſtituendum exiſtimat. At Scylax etiam Αἶγαι duabus ſyllabis: ὑπὲρ δὲ Κύμης, inquit, ἐν μεσογείᾳ πόλις Ἑλληνίς ἐστιν Αἶγαι, *ſupra Cymen in mediterraneo tractu eſt vrbs Græca Aegæ.* Gentile Αἰγαιεῖς, Herodoti lib. V cap. LXXVII; * & *Aegeatæ*, Taciti annal. II cap. XLVII: Αἰγιεῖς Xenophontis lib. IV Rer. Græc. p. 313.

LXXV.

Temnos, Τῆμνος, etiam in mediterraneis Aeoliæ. Strabonis & Plinii teſtimonia modo adlata ſunt in *Aegis* & *Nouo Muro*. Xenophon dicto libro IV Græc. rer. pag. 313 Τῆμνος, οὐ μεγάλη πόλις, *Temnos non magna ciuitas.* De nomine fabulam Byzantius Stephanus narrat: vera addit, Τῆμνος, πόλις τῆς Αἰολίδος· ὁ πολίτης Τημνίτης, *Temnus vrbs Aeolidis: ciuis, Temnites.* Cicero pro Flacco cap. XVIII *Heraclides ille Temnites,* - - - *Temni vsque ad illam ætatem in ſenatum venire non potuit.* Et cap. XX *Securus Hermippus Temnum proficiſcitur.* Et cap. XXI *abduxiſti Temno Apollonidem.* In nummis eſt ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ, *Temnitarum*, diphthongo. Eosdem Tacitus II cap. XLVII *Temnios* vocauit. Situm quodammodo Pauſanias Eliac. I cap. XIII deſcribit, a Sipylo monte proficiſcenti Temnum, tranſeundum Hermum amnem eſſe Peutingeriana in Tabula (nam ad eius tempora, ſeu Theodoſii ætatem ſuperfuit) XXXIII M. P. Temnus a Cyme in ortum remouetur. Quam vero Plinius paullo ante *in ore Hermi*, id eſt in oſtio, *fuiſſe* Temnum aliam tradit, ſi vmquam fuit, a mediterranea noſtra diuerſa fuit, ignota ceteris, nec Plinii ætate ſuperſtes. nam, *fuit*, inquit, *in ore eius* [Hermi] *oppidum Temnos.* Interiectis paucis alterius meminit. *Intus*, inquit *Aegæ, Attalia, Poſidea, Neontichos, Temnos.*

LXXVI.

Addidit mediterraneis Plinius *Attaliam* & *Poſideam*: hæc ignota eſt; illa videtur Stephani *Attalea Lydiæ*, Ἀττάλεια πόλις Λυδίας, quæ antea Ἀγρόειρα, *Agroira*, ſeu Ἀλλόειρα, *Alloira* fuerat dicta. Vir doctiſſimus Abr. Berkelius non Lydiæ apud Stephanum, ſed Λυκίας, *Lyciæ* putat legendum eſſe, quia Lyciæ vrbs *Attalea* ſatis celebrata ſit, etiam Act. Apoſt. XIV, 25 memorata. Quod vero prouinciæ Lydiæ in Notitia Epiſcopatuum etiam ὁ Ἀτταλείας, *Attaleæ* epiſcopus eſt; non videtur Stephani

* Polybius V c. 77 Αἰγαιεῖς καὶ Τημνῖται προσεχώρησαν.

ni ſcriptura ſollicitanda eſſe. Condita fuit, quod Stephanus addit, ab Attalo Philadelpho.

SECTIO IV.

IONIA.

LXXVII.

IONIA, Ἰωνία, altera Græcorum magna colonia eſt, in Aſiam deducta poſt Aeolicam, * duodecim ciuitatibus diſtincta, quarum decem in continente, duæ in inſulis, Samos & Chios erant. Hæc Strabo lib. XIV ineunte. Enumerat τὰς δώδεκα πόλεις ἐν Ἰωνίᾳ, *duodecim vrbes Ioniæ* etiam Aelianus Var. Hiſt. lib. VIII cap. V hasce, *Miletum, Epheſum, Erythras, Clazomenas, Prienen, Lebedum, Teon, Colophonem, Myunta, Phocæam, Samum & Chium.* Vrbium hoc numero comprobato, fines eius a Phocæa ad Miletum, vtraque adnumerata, extenduntur. Ptolemæus fluminibus, Hermo & Mæandro, definit: quo fit, vt Phocæam Aeolidi, Miletum, Pyrrham, Heracleam Cariæ adſcribat. Quod vero Strabo, Plinius, Mela, & vetuſtior Herodotus lib. I cap. CXLII Ioniam a Phocæa ad Miletum & vltra ducunt, quia tam late vrbes, ab Ionibus conditæ, patent; cum iis potius, quam Ptolemæo, faciemus, quamuis ex ipſis, quos laudaui, auctores ſint, qui Ioniæ partem, vbi Myûs & Miletus ſunt, in Caria poſitam eſſe adfirment. Vide Herodotum iam dicto loco: verba infra proferemus: nunc incipiemus a finibus Aeolidis, hoc eſt a Phocæa.

LXXVIII.

Phocæam in Aeolide ſcripſit Ptolemæus, quia intra Hermum fluuium eſt, quem ipſe terminum conſtituit. At Mela & Plinius Ioniæ contribuunt. Ille lib. I cap. XVII extremo: *Phocæa Ioniæ vltima:* hic lib. V cap. XXIX *finis Ioniæ Phocæa.* Et Stephanus: Φώκαια, πόλις Ἰωνίας, *Phocæa vrbs Ioniæ.* Fuit quidem vrbs Ionica, ideoque Ioniæ tributa, quod ex Herodoti etiam lib. I cap. CXLII elucet: eodem tamen loco Miletus quoque & Myûs & Priene Ionicæ ciuitates vocantur, quia ab Ionibus conditæ erant: de quibus vero ipſe addit Herodotus: αὗται ἐν τῇ Καρίῃ κατοίκηνται, *hæ in Caria ſitæ ſunt.* Sic poteſt Ionica vrbs inter Aeolicas & in ſolo Aeoliorum ſita eſſe, vt origine Ioniæ, ſitu Aeolidi adnumeretur, quod haud dubie Ptolemæus reſpexit, Phocæam in Aeolide recenſens, vt naturalem limitem in flumine Hermo inter Ioniam Aeolidemque conſtitueret. Liuius lib. XXXVII cap. XXXI eius ſitum deſcribit ita: *Claſſis Romana ab Chio Phocæam traiecit. In ſinu maris intimo poſita hæc vrbs eſt, oblonga forma, duum millium & quingentorum paſſuum ſpatium murus amplectitur: coit deinde ex vtraque parte in arctiorem velut cuneum. Lamptera ipſi*

* Ex Aſia potius Græcos in Græciam deportatos eſſe docet V. E. Lœſcherus in *Ione* Lipſiæ edito A. 1705 Sed idcirco non continuo negatur, nullas vnquam e Græcia deductas eſſe in Aſiam colonias. Quare Autori noſtro ſua tamen conſtat auctoritas.

adpellant. Mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet: inde in altum lingua mille paſſuum excurrens, medium fere ſinum velut nota diſtinguit. vbi cohæret faucibus anguſtis, duos in vtramque regionem verſos portus tutiſſimos habet. Multa præterea apud Liuium eodem libro eſt mentio, cap. IX ſequentibus, & XXXII: & apud Herodotum lib. V cap. CLXXVIII, Velleium I cap. IV, qui itidem in Ioniæ vrbibus numerant. Incolæ Φωκαεῖς, *Phocæenſes:* vide Liuium dicto loco cap. XXXII. Poſſeſſiuum *Phocaicus.* Lucanus lib. III pag. 583

Phocaicis Romana ratis vollata carinis,

id eſt Maſſilienſibus, quia colonia Phocææ Maſſilia eſt: quamquam alibi eidem poetæ *Phocaicus* eſt *Phocicus,* quod a Phocenſibus, Helladis populo in Phocide, denominatur: ideoque a Salmaſio in Solinum pag. 66 notatus fuit.

LXXIX.

Poſt Phocæam *Leuca* erat, Straboni Λεῦκαι Leucæ, plurali numero, lib. XIV pag. 445. Κράσσος, inquit, περὶ Λεύκας ἐπιθεμένων τινῶν ἔπεσεν ἐν μάχῃ, *Craſſus* [Mucianus pro conſule in Ariſtonici bello, Vellei. II cap. IV] *iuxta Leucas inſidiis quorumdam exceptus, cecidit in prælio.* Et mox: μετὰ δὲ Λεύκας Φωκαία ἐν κόλπῳ, *poſt Leucas Phocæa in ſinu eſt.* Ab auſtro autem progreditur ex Ionia in Aeolidem. εἶτα, addit, οἱ ὅροι τῶν Ἰώνων καὶ τῶν Αἰολέων, *Deinde* [poſt Phocæam] *termini ſunt Ionum atque Aeolum.* nam Strabo vtramque, Phocæam & Leucam, in Ionia poſuit. Mela & Plinius ſingulari *Leuca.* Ille lib. I cap. XVII extr. *In ſinu Smyrnæo eſt Hermus amnis, & vrbs Leuca: extra Phocæa Ioniæ vltima:* hic [Plinius] lib. V cap. XXIX *Oppidum Leuce in promontorio, quod inſula fuit; finisque Ioniæ Phocæa.*

LXXX.

Tandem fluuius *Hermus* eſt, ὁ Ἕρμος, * e monte Dindymenæ ſacro ortus, Myſiam attingit, & Combuſtam regionem perlapſus, per campos deinde vsque in mare decurrit. Pactolum defert, & Hyllum, & alios ignobiliores. Hæc Strabo lib. XIII pag. 430. De eodem Plinius iam dicto loco: *A Smyrna Hermus campos facit, & nomini ſuo adoptat. Oritur iuxta Doryleum Phrygiæ ciuitatem, multosque colligit fluuios, inter quos Phrygem, qui, nomine genti dato, a Caria eam diſterminat: Hyllum & Cryon, & ipſos Phrygiæ, Myſiæ, Lydiæ amnibus repletos.* Prætermiſit *Pactolum,* nobiliſſimum fluuium, quem & Strabo & Ptolemæus Hermo adfundi referunt. Vnde de campo, per quem delabitur Hermus poſt confluentem, Silius lib. I verſ. 158

- - - - *riguo perfunditur auro,*
- - *atque illatis Hermi flaueſcit arenis.*

Ideoque coniunxit Claudianus in Eutrop. lib. I verſ. 214

- - - *eunucho fluerent Pactolus & Hermus.*

Quem

* Nonnus Dionyſ. XII v. 124 Ἔχετο μὲν Λυδοῖο ῥόος δονακώδεος Ἕρμȣ. Sic alii quoque ſcriptores *Lydium* adpellant quidquid in Lydorum poteſtate fuit aliquamdiu. Vide infra § 94 huius capitis.

Quem *Phrygem* Plinius dicit, dubium, ſitne diuerſus a *Phrygio* Livii lib. XXXVII cap. XXXVII & ſequenti, ac Appiani Syr. pag. 171. Straboni lib. XIII pag. 430 *Phrygius* eſt ipſe *Hyllus*, quem Plinius a Phryge ſuo diſtinxit. καταφέρεται, inquit, ὁ Πακτωλὸς εἰς τὸν Ἕρμον, εἰς ὃν καὶ ὁ Ὕλλος ἐμβάλλει, Φρύγιος νυνὶ καλούμενος. *Defertur Pactolus in Hermum, in quem & Hyllus infunditur, nunc Phrygius adpellatus.*

LXXXI.

Poſt flumen Hermum prima *Smyrna* eſt, ἡ Σμύρνα, non quidem ex XII Ionicis, in eam autem ſocietatem poſtea adlecta. Strabo ſub initium libri XIV: αὗται μὲν δώδεκα Ἰωνικαὶ πόλεις· προσελήφθη δὲ ὕστερον καὶ Σμύρνα εἰς Ἰωνικὸν, ἐναγαγόντων τῶν Ἐφεσίων, *Hæ ſunt* XII *Ionicæ vrbes: poſtea etiam Smyrna in Ionicam ſocietatem adſumta eſt auctoribus Epheſiis.* nam antiquitus vna habitarant, vt Epheſus etiam aliquando *Smyrna* adpellata fuerit. Velleius Paterculus lib. I cap. IV cum Aeolicis vrbibus numerauit, conditamque ab Aeoliis dixit.* Confirmat Herodotus lib. I cap. CXLIX, conditam quidem ab Aeolis cum ceteris referens, ſed dirutam poſtea ab Ioniis, qui ſibi agrum vindicauerint. Hinc eſſe puto, quod Strabo dixit, cum Epheſiis aliquamdiu habitaſſe. Non longo autem poſt tempore reſtitutam ab Ionibus fuiſſe, exinde eſt manifeſtum, quia Herodotus Vita Homeri cap. V tradit, poetæ huius ætate ἐμπόριον ἦν ἡ Σμύρνη *emporium fuiſſe Smyrnam*, vnde plurimum frumenti, e vicinis agris conuecti, peregrini mercatores exportaſſent. Sed aliud poſt illa tempora ſubiiſſe fatum, Plinius lib. V cap. XXIX memorauit. *Ab Amazone,* inquit, *condita, reſtituta ab Alexandro, in ora Smyrne, amne Melete gaudens, non procul orto.* Miſſis fabulis Amazonum, Alexandri reſtitutionem vt propiorem, ita veriſimiliorem iudicamus. Forte voluit & iuſſit Alexander reſtitui, nec vero ipſo ſuperſtite reſtituta eſt, quia, quod Strabo XIV pag. 444 adnotauit, poſtquam CCCC annos a Lydorum vaſtatione κωμηδὸν, per pagos habitata fuit, ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος, *inſtaurauit eam Antigonus, & poſtea Lyſimachus,* qui cœpta Antigoni perfecit & continuauit. Videntur alio loco a vetere XX ſtadiis remoto inſtauraſſe, ** quod ſpatium itidem Strabo ſignificauit, qui ibidem τὴν παλαιὰν Σμύρναν καὶ τὴν νῦν, *veterem & nouam Smyrnam* tanto ſeparauit interuallo. Creuit ex eo tempore, & cum primis Aſiæ ciuitatibus & Smyrna cenſa fuit. Cicero Agrar. II cap. XV *Commodum erit, Pergamum, Smyrnam, Tralles, Epheſum, Miletum, Cyzicum totam denique Aſiam populi Romani factam eſſe dicere.* Splendorem etiam nummi plurimi ſub imperatoribus auguſtis cuſi, oſtendunt, quibus inſcriptum eſt ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Etiam metropolis nominata, & prima & præſtantiſſima Aſiæ. Marmore Arundelenſi, nunc Oxonienſi, quod Humphridus Prideaux pag. 47 vulgauit, ſcriptum eſt :

(H) 3 ΑΓΑ-

* Conſentit carmen Homero tributum, quo cæcitatem ſuam deplorat v. 6.

** Vid. Lucas itin. III in Orientem pag. 10?, vbi a Sipylo & Magneſia non tanto ſpatio abeſſe, quanto aliquæ tabulæ velint, ducitur.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ.
ΚΑΤΑ ΕΨΗΦΙΣΑΤΟ Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΒΩΥΛΗ
ΓΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ
ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΚΑΙ
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟ
ΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ
ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ
ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟ
ΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΥ
ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙ
ΩΝ ΠΟΛΕΩΣ.

Quæ eodem codice Anglicano ita Latine conuerſa leguntur: *Bonæ Fortunæ. Vt decreuit præſtantiſſimum concilium primæ per Aſiam pulchritudine & magnitudine, & ſplendidiſſimæ, & metropolis Aſiæ, & ter æditua Auguſtalium ſecundum decretum ſanctiſſimi ſenatus, & ornamenti Ioniæ Smyrnæorum ciuitatis.* Diſputat in Notis clariſſimus editor, qui *prima* Smyrna Aſiæ & *metropolis* dici potuerit, quum poſtrema illarum, quas Iones habitarunt, fuerit. Primum ipſa inſcriptione explicatum eſt, non ſimpliciter *primam* Aſiæ, ſed *primam pulchritudine & magnitudine* fuiſſe. Alterum ex voce νεωκόρου interpretatur, quo nomine leguntur Aſiæ ciuitates inſignitæ, quando curatrices erant ſacrorum aut ludorum, in honorem Cæſarum aut numinis inſtitutorum, vt τὸ κοινὸν τῆς Ασίας, *Communis Aſiæ ſolemnitas* tum apud ipſarum aliquam eſſet. * quod quum fieret, *metropoleos* vice ea ciuitas fungebatur. Si nihil aliud, tamen magnitudinem vrbis & ſplendorem ex illa inſcriptione intelligimus.

LXXXII.

Quod vero Plinius addit, *amne Melete gaudere Smyrnen*, ea non ſimplex mentio illius fluminis eſt, ſed cum honore & ſingulari dignitate, quia Homerus ibi ſua carmina compoſuiſſe ferebatur. Pauſanias Achaic. cap. V extremo Σμυρναίοις ποταμὸς Μέλης ὕδωρ ἐςὶ κάλλιςον, καὶ σπήλαιον ἐπὶ ταῖς πηγαῖς, ἔνθα Ὅμηρον ποιῆσαι τὰ ἔπη λέγουσι, *Apud Smyrnæos longe pulcherrimus eſt amnis Meles: ad eius caput antrum, in quo Homerum tradunt ſua carmina compoſuiſſe.* Quo Papinius Statius adluſit lib. II Silv. carm. VII verſ. 34 de Lucani poetæ, Hiſpania Bœtica oriundi, laudibus:

Graio nobilior Melete Bœtis.

Vnde Tibullus lib. IV eleg. I verſ. 200 *Meletæas chartas* vocat Homericos libros. Fluuius autem prope muros decurrit. Strabo lib. XIV pag. 444 ῥεῖ πλησίον τοῦ τείχους ὁ Μέλης ποταμὸς, *prope muros labitur Meles fluvius.* Adde Stat. III Silv. III verſ. 60. Fuit autem & Smyrna in iis vrbibus, quæ de Homeri patria diſceptauerunt. Cicero pro Archia cap. VIII *Homerum Smyrnæi ſuum eſſe confirmant: itaque etiam delubrum eius in oppido*

* Adde huc diſſertationem Vaillantii Patris V. C. in memoires de litterature tom. II part. II pag. 204 ſeqq.

pido dedicauerunt. Strabo dicto loco Ὁμήρειον, *Homerium* illud delubrum vocat: & addit, fortius Smyrnæos, quam ceteros, Homerum ſibi vindicare. ἀντιποιοῦνται, inquit, διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ: quod egregie cum Ciceronis verbis congruit. Adde Gellium lib. III cap. XI.

LXXXIII.

A Smyrna ad *Clazomenas*, Κλαζομενάς, venimus, quas in XII Ioniæ oppidis antiquis Herodotus, Strabo, Aelianus, Velleius, Plinius prædictis locis numerarunt: Strabo etiam & Ptolemæus ſitum oſtendunt poſt Smyrnam in illo tractu primum atque proximum. Quibus Velleius addi poteſt lib. I cap. XVII, *Inde,* inquit, *latius abit in peninſulæ faciem. Super anguſtias hinc Teos, illinc Clazomenæ.* Locus aliquando variatus eſt. Strabo lib. XIV pag. 444 Χύτριόν ἐστι τόπος, ἐν ᾧ πρότερον ἵδρυντο Κλαζομεναί· εἶθ' ἡ νῦν πόλις, νησία ἔχουσα προκείμενα ὀκτὼ γεωργούμενα, *Chytrium ille locus dicitur, in quo prius Clazomenæ erant poſitæ: deinde noua vrbs, quæ nunc eſt, cui octo paruæ inſulæ præiacent, quarum ager colitur.* Primum in continente fuerunt *Clazomenæ*, poſtea, vt Pauſanias Achaic. cap. III refert, Clazomenii ἐς τὴν νῆσον διέβησαν κατὰ τὸ Περσῶν δέος, *metu Perſarum in inſulam* [e regione ſitam] *tranſierunt:* Alexander vero, Philippi filius, χεῤῥόνησον Κλαζομενὰς ἐργάζεσθαι, χώματι ἐς τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἠπείρου, *Clazomenas peninſulam fieri, ducto aggere in inſulam ex continente,* præcepit. Atque ſic in continente recenſent Strabo, Ptolemæus, Plinius, alii. Romani & libertatem & inſulam Drymuſam donauerunt. Livius lib. XXXVIII cap. XXXIX *Clazomeniis* [Romani] *ſuper immunitatem & Drymuſam inſulam dono dederunt.* Thucydides quoque lib. VIII pag. 563 memorauit. ὁ πεζός, inquit, παρῄει ἐπὶ Κλαζομενῶν τε καὶ Κύμης, *peditatus abiit in Clazomenas & Cymen.* Claritatem ciuitatis etiam nummi teſtantur, inſcripti ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ, *Clazomeniorum.* Singularis eſt in Regis Galliæ cimelio, cum capite Auguſti præferens ΚΛΑΖΟΜ. & ex auerſa parte, ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ, *Dea Liuia,* vxor Auguſti Cæſaris.

LXXXIV.

In peninſula longius recedunt, Chium verſus, *Erythræ*, Ἐρυθραί, etiam ex XII Ioniæ. Strabo lib. XIV pag. 443 Ἐρυθραὶ πόλις Ἰωνική, λιμένα ἔχουσα καὶ νησίδας προκειμένας τέτταρας, Ἵππους καλουμένας, *Erythræ vrbs Ionica, portum habens & quatuor paruas inſulas ante eum, quæ Hippi* (id eſt Equi) *adpellantur.* Strabo Erythras in peninſula tradit ſitas eſſe: in poſtrema eius parte, Ptolemæus. Confirmat Ammianus lib. XXXI cap. XLII dicens, *Erythræo oppido ſuppoſitum montem Mimanta, & Homerum ſcripſiſſe & Tullium, doctis referentibus, audiebat.* Mimantem vero montem poeta Chio inſulæ oppoſuit Odyſſ. Γ verſ. 172

Ἢ ὑπένερθε Χίοιο, παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα,
An ſub Chio ad ventoſum Mimanta.

Committunt non nulli poetam & Marcellinum, tamquam pugnantes inter ſe: verum non pugnant, ſed conſentiunt, quia Erythras & Chium

fretum

fretum interfluit, & illæ, freto adpoſitæ, Chium inſulam proſpectant: & forſan Tullius mentionem Erythrarum habuit. Sed de hoc monte poſtea: de Erythris nunc, quæ reſtant, adiicimus. A pluribus ſunt memoratæ. Cicero in Verr. de Præt. vrb. cap. XIX *Chio per vim ſigna pulcherrima dico abſtuliſſe: item Erythris, & Halicarnaſſo.* Liuius lib. XXXVII cap. VIII *Maritimas vrbes illinc a Pergamo Eumenes, hinc a Phocæa Erythrisque Romani ſollicitabant.* Idem lib. XXXVIII cap. XXXIX *Chios quoque* [Romani] *& Smyrnæos, & Erythræos pro ſingulari fide, quam eo bello præſtiterunt, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt.* Et Tacitus lib. VI cap. XII *poſt exuſtum ſociali bello Capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris; & per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibullæ*, cetera.

2. Nam Erythræos Herophilen Sibyllam, quæ inde *Erythræa* cognominatur, vindicaſſe ſibi, Pauſanias refert Phoc. cap. XII.

3. Herculis templo antiquo nobilitatæ Erythræ. Pauſanias Achaic. cap. V ἥσθείης ἂν καὶ τῷ ἐν Ερυθραῖς Ἡρακλείῳ καὶ Αθηνᾶς ἐν Πριήνῃ ναῷ· τούτῳ μὲν τοῦ ἀγάλματος ἕνεκα, Ηρακλείῳ δὲ τὸ ἐν Ερυθραῖς κατὰ ἀρχαιότητα, *cum voluptate ſpectes Erythris Herculis, & Priene Dianæ delubra: hoc propter deæ ſignum; illud propter antiquitatem.* Quibus nummus Elagabali explicatur, inſcriptus ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ, & templum ingens præferens, in cuius medio imago Herculis cum claua & pelle leonina adparet.

4. Portus Erythræorum *Cyſſus*, Κυσσοῦς, vocatus fuit. Liuius lib. XXXVI cap. XLIII *Claſſis ad Cyſſuntem, portum Erythræorum, tamquam ibi aptius exſpectatura hoſtem, contendit.* Et cap. inſequenti: *ad Corycum portum, qui ſuper Cyſſuntem eſt, conati ſunt traiicere.*

LXXXV.

Erythris propinquus fuit *Mimas* mons altiſſimus, de quo iam ex Homero & Marcellino aliquid diximus. Strabo loco ante dicto: μεταξὺ τῶν Ερυθρῶν καὶ τοῦ ὑποκρήμνου, Μίμας ἐστὶν ὄρος ὑψηλὸν, εὔθηρον, πολύδενδρον, *Inter Erythras & præcipitem illum locum eſt Mimas mons excelſus, feris abundans & arboribus.* Plinius lib. V cap. XXIX *Promontorium Coryceon, mons Mimas* CCL *millia paſſuum excurrens, atque in continentibus campis reſidens. Quo in loco Magnus Alexander incercidi planitiem eam iuſſerat,* VII *mill.* IↃ *paſſus longitudine, vt duos ſinus iungeret, Erythrasque cum Mimante circumfunderet.* Addit Plinius: *Aleon fluuius, Corynæum Mimantis promontorium*: quaſi pars Mimantis excurrens id nominis habuerit. At Melæ lib. I cap. XVII *Coryna* eſt oppidum, vt videtur. *In ipſa peninſula,* inquit, *eſt Coryna.* Ceterum mons Mimas in altiſſimis a poetis numeratur. Ouidius Metamorph. II verſ. 222

- - - - - Cynthus & Othrys
Et tandem Rhodope niuibus caritura, Mimasque
Oſſaque cum Pindo.

Et

Et Silius Italicus lib. III verſ. 494

Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adiuncta Mimanti,
Oſſaque cum Pindo, cumque Hæmo ceſſerit Othrys.

LXXXVI.

Eſt & ibi Κώρυκος ὄρος ὑψηλὸν, *Corycus mons celſus*, quem Plinius *Coryceon*, quaſi Κωρύκειον dixit, obſeſſus prædonibus, a quorum inſidiis clancularios obſeruatores Κωρυκαίους, *Corycæos* dici, Strabo ibidem adnotauit, qui cum Erythris coniungit: Stephanus πλησίον Τέω τῆς Ιωνίας καὶ Ἐρυθρῶν, *prope Teon Ioniæ & Erythras* eſſe, quaſi inter vtramque vrbem mediam collocauit. Portum ſub ſe habet. Liuius lib. XXXVI cap. XLIV *ad Corycum portum, qui ſuper Cyſſuntem eſt, conati ſunt traiicere.* Portum hunc proprio nomine Κασύστην, *Caſyſten* Strabo vocauit, cui alium addit eodem, quo vrbs, nomine *Erythras* dictum.

LXXXVII.

Teos, Τέως, in auſtrali peninſulæ latere ſita, etiam antiqua vrbs Ionum fuit. Strabo ibidem: καὶ ἡ Τέως ἐπὶ χεῤῥονήσῳ ἵδρυται, λιμένα ἔχουσα, *Et Teos in peninſula ſita eſt, portum habens.* Patria hæc Anacreontis poetæ, & Hecatæi hiſtorici, qui fuerunt Τήϊοι, *Teii.* Anacreontis ætate Teii, non tolerantes Perſarum contumelias, relicta Teo, Abderam, Thraciæ vrbem, conceſſerunt: vnde dictum manauit,

Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία,
Abdera pulchra Teiorum colonia.

Poſtea vero quidam illorum in Aſiam reuerterunt & Teum incoluere. Hæc Strabo dicto loco. Idem migratione hac Herodotus lib. I cap. CLXVIII refert laudatque Teios, quod loco cedere maluerint, quam pati ſeruitutem. Bene autem & poſtmodum *Teos* habitata fuit. Liuius lib. XXXVII cap. XXVII extremo: *naues Teum poſtero die acceſſere: & in portu, qui ab tergo vrbis eſt (Geræſticum ipſi adpellant) nauibus conſtitutis prætor ad depopulandum circa vrbem agrum milites emiſit.* [cap. XXVIII] *Teii quum in oculis populatio eſſet, oratores cum infulis & velamentis ad Romanum miſerunt*, cetera. Teſtes etiam nummi ſunt variorum principum, Auguſti, Neronis, Domitiani, Commodi, Valeriani, qui omnes inſcripti ſunt ΤΗΙΩΝ, *Teiorum.* Primus additum habet ΣΕΒΑCΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ, *Auguſtus conditor*, forte quod is noua ornamenta ciuitati attulerat. Non autem nobis Plinius audiendus eſt, qui contra ceterorum omnium conſenſionem lib. V cap. XXXI Teon in inſulis numerauit. *Clara*, inquit, *in alto* [inſula] *Teos cum oppido, a Chio* LXXI *mill.* IↃ *paſſuum; tantumdem ab Erythris.* Aliter Mela, quem is plerumque ſequutus eſt. *Inde*, inquit, *latius abit in peninſulæ faciem. Super anguſtias hinc Teos, illinc Clazomenæ.*

LXXXVIII.

Vicinæ Teo fuerunt Ἔραι, *Eræ*, oppidulum Teiis ſubiectum, vel ab iis conditum. Strabo XIV p. 282 Aldi, 742 Xylandri (nam Caſauboni pag. 443

hic prauata eſt) Ἔραι πολίχνιόν ἐστι Τήϊον, *Eræ oppidulum ſunt Teium* vel *Teiorum.* Thucydides lib. VIII pag. 562 οἱ Χῖοι Λέβεδον ἀπέστησαν, καὶ αὖθις Ἐράς, *Chii Lebedum ad defectionem induxerunt, & item Eras.* Et paucis interiectis: Athenienſis dux ἐσπείσατο Τηΐοις ὥστε δέχεσθαι καὶ σφᾶς· καὶ παραπλεύσας ἐπὶ Ἐράς, καὶ προσβαλὼν ὡς οὐκ ἐλάμβανε τὴν πόλιν, ἀπέπλευσεν, *pepigit cum Teiis, ſe & illos recepturum : & illinc profectus Eras, quum vrbem adortus expugnare non poſſet, inde nauigauit.* Ergo ad mare fuerunt, ac munitæ & maiori dignitate, quam tempore Strabonis qui πολίχνιον, *oppidulum*, dixit.

LXXXIX.

Succedit *Myonneſus*, Μυόννησος, inter Teum & Lebedum ſita, non inſula, ſed mons ſeu promontorium, cuius pars habitata fuit. Liuius lib. XXXVII cap. XXVII *priusquam adpropinquaret claſſis, Myonneſum perfugerunt. vnde ſe a portu ratus abſtracturum naues, ignarus loci ſequebatur prætor. Myonneſus promontorium inter Teum Samumque eſt: ipſe collis eſt in modum metæ in acutum acumen a fundo ſatis lato faſtigatus: a continente arctæ ſemitæ aditum habet : a mari exeſæ fluctibus rupes claudunt, ita vt quibusdam locis ſuperpendentia ſaxa plus in altum, quam quæ in ſtatione ſunt naues promineant.* Strabo lib. XIV pag. 443 ἡ Μυόννησος ἐφ' ὕψους χερρονησιάζοντος κατοικεῖται, *Myonneſus in excelſo loco, peninſulam referente, habitatur.* Thucydides lib. III pag. 192 littera ſimplici ſcripſit, προσχὼν Μυονήσῳ τῇ Τηΐων, *adpellens ad Myoneſum Teiorum.*

XC.

In Iſthmo peninſulæ, aut prope illum, e regione Smyrnæ, fuit Λέβεδος, *Lebedus*, a Colophone, quæ extra peninſulam eſt, diſtans ſtadiis CXX ſecundum Strabonem. qui ibi ait, τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν, *artificum circa Bacchum* (*ſcenicorum* Latinus interpres vertit) *conuentum & habitationem ex omni Ionia fuiſſe, & annuum certamen in honorem Bacchi.* Herodotus, Strabo, Mela in XII antiquis Ioniæ oppidis numerarunt. Thucydides lib. VIII pag. 562 οἱ Χῖοι Λέβεδον ἀπέστησαν, *Chii Lebedum ad defectionem induxerunt.* Plinius lib. V cap. XXIX *Colophon Haleſo adfluente: inde Apollinis Clarii fanum, Lebedos.* Nummus Getæ cum Bacchi effigie, ΛΕΒΕΔΙΩΝ. In Peutingeriana hic ordo eſt:

Smyrna XII. *Teos* XX. *Lebedos* XV. *Colofon* XX.

De Smyrnæ & Tei diſtantia dubites, ſi Ptolemæum ſequaris, qui vtique maiorem poſtulat: in ceteris fere conſentit. Lyſimachus euertit Lebedum, & incolas Epheſum deduxit, vt Pauſanias tradit Attic. cap. IX. a quo tempore ægre reſurrexit, & vicus potius quam oppidum fuit. Horatius lib. I epiſt. XI

An venit in votum Attalicis ex vrbibus vna?
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quam Gabiis deſertior, atque
Fidenis vicus.

XCI.

Ptolemæus & Peutingeriana poſt *Lebedum* habent *Colophonem.* Strabo lib. XIV ἡ Κολοφῶν πόλις Ιωνική, *Colophon vrbs Ionica.* Mela lib. I cap. XVII *Colophon, quam Mopſus, eiusdem Mantûs filius, ſtatuit ad promontorium, quo ſinus clauditur, quod altera parte alium, quem Smyrnæum vocant, efficit, anguſtisque ceruicibus reliqua extendit.* Plinius lib. V cap. XXIX *Ab Epheſo Manteium aliud Colophoniorum, & intus ipſa Colophon, Haleſo adfluente.* Cur *intus* ſitam dicit, quam Ptolemæus in maritimis poſuit? & Liuius lib. XXXVII cap. XXVIII *Polyxenidas cum regia claſſe a Colophone profectus.* * Videtur Scylacem ſequutus Plinius, in cuius Periplo doctiſſimus Palmerius diſpungit, Κολοφὼν ἐν μεσογαίᾳ, Νότιον καὶ λιμήν, *Colophon in mediterraneo, Notion & portus.* Suſpectum ἐν μεσογαίᾳ, ſiue cum Colophone ſiue Notio coniungas: vtrumque enim maritimum fuit. De Notio poſtea videbimus ex Diodoro & Liuio: de Colophone teſtis Ptolemæus, vt dixi, atque itidem Liuius.

2. Hic etiam paullo ante, cap. XXVI ſedem vrbis mutatam fuiſſe ſignificat. *Notium,* inquit, *abeſt a vetere Colophone duo ferme millia paſſuum.* Si *vetus,* ergo etiam *noua,* vtut propinqua veteri. Euertit enim veterem Lyſimachus, bellum cum Antigono gerens, vt Epheſum amplificaret: quod Pauſanias cap. IX Attic. refert. Ex eo videtur in alio & commodiore, propinquo tamen, loco reſtituta.

3. Fuit & hæc in vrbibus, quæ de patria Homeri certarunt, vti ex Ciceronis pro Archia conſtat. nam & ibi verſatus eſt aliquamdiu, quod Herodotus in Homeri Vita cap. VIII narrauit. Inde Virgilius in Ciri, ſeu quisquis auctor, verſ. 65

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

4. Prouerbii, *Colophonem addere,* Strabo dicto loco hanc originem docet, ἐν τοῖς δυσκαταλύτοις πολέμοις, ὅπȣ τὸ ἱππικὸν τῶν Κολοφωνίων ἐπικȣρήσειε, λύεσθαι τὸν πόλεμον, *in difficillimis bellis, quando Colophonius equitatus acceſſerit, diremtam fuiſſe pugnam.* **

5. Colophoniorum fuit lucus & templum cum oraculo Apollinis *Clarii.* Strabo XIV pag. 442 ἡ Κολοφὼν πόλις Ιωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίȣ Απόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν πότε παλαιόν, *Colophon vrbs Ionica, & ante eam Clarii Apollinis lucus, in quo vetus quondam oraculum fuit.* Plinius lib. V cap. XXIX *Intus ipſa Colophon Haleſo adfluente. Inde Apollinis Clarii fanum, Lebedos.*

XCII.

Si ſe ordo recte habet, inter Lebedon & Colophonem *Claros* fuit,

(I) 2 lucus

* Tacitus de Germanico Ann. II, 54, 3 *Relegit Aſiam adpellitque Colophona, vt Clarii Apollinis oraculo vteretur.* Adde inſequentia de oraculi rationibus.

** Adde illud quoque de Colophone oppido commemorabile: Γίνεται δὲ ῥητίνη ὑγρὰ πιτυίνη καὶ πευκίνη κομιζόμεναι ἀπὸ Γαλλίας καὶ Τυῤῥηνίας, καὶ ἀπὸ Κολοφῶνος πάλαι ποτὲ ἐκομίζετο. Ἔνθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχε Κολοφωνία κληθεῖσα. *Liquida reſina e pinu & piceo e Gallia & Etruria affertur, & e Colophone quondam afferebatur. Vnde & nomen ſortita eſt, Colophonia adpellata.* Dioſcorides lib. I c. 93.

lucus cum fano, an etiam oppidum, incertum. Græci ſcribunt ἡ Κλάρος, femineo genere, qua forma πόλις, *vrbs*, videri poſſit ſubaudiri. Thucydides lib. III pag. 192 ἀυτὸν ἰδοῦσαι ἐν τῇ Κλάρῳ. *videntes ipſum in Claro.* Et Pauſanias Achaic. cap. III ὡς κατὰ τὴν Κλάρον ἐγένοντο, *quum ad Clarum adpuliſſent.* Et ſine præpoſitione. Thucydides dicto loco: ἔτι περὶ Κλάρον ὁρμῶν, *adhuc ad Clarum naues tenens.* Et Pauſanias Phoc. cap. XII ἀφίκετο ἐς Κλάρον την Κολοφωνίων, *venit Clarum Colophoniorum.* Ouidius Metamorph. I verſ. 515 ſub Phœbi perſona:

- - - - - - mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Patarææque regia ſeruit.

Poſteriores oppidum expreſſo vocabulo dicunt. Scholiaſtes Apollonii ad lib. I verſ. 308 Κλάρος πόλις πλησίον Κολοφῶνος, ἱερὰ Ἀπόλλωνος, καὶ χρηστήριον τοῦ θεοῦ, *Claros oppidum prope Colophonem, ſacra Apollini, eiusque oraculum.* Et Iſaacius Tzetzes ad Lycophronis verſ. 1464 Κλάρος, ὄρος καὶ πόλις Ἀσίας, περὶ Κολοφῶνα, ἀφ' ἧ καὶ Κλάριος ὁ Ἀπόλλων, *Claros, mons & oppidum Aſiæ iuxta Colophonem, vnde Clarius Apollo dictus.* Seruius in Æneid. III verſ. 360 *Clarium oppidum eſt in finibus Colophoniorum, vbi Apollo colitur: vnde Apollo Clarius.* De monte, cuius modo Tzetzes mentionem faciebat, conſentit Vibius Sequeſter in Montibus: *Clarius Colophoniæ, a quo Apollo Clarius.* Nos vero contenti ſumus lucum & fanum huius nominis noſſe: oppidum * & montem quærenda aliis relinquimus. **

XCIII.

Notium, Νότιον, quoque vicinum fuit, oppidum an litus ſolum; item ab auſtro an ſeptemtrione, non perinde certum eſt. Straboni lib. XIV pag. 444 Νότιον ὕφορμος αἰγιαλὸς, *Notium litus eſt portubus idoneum*, quod Chium

* In Nicandri Theriac. extrem. pag. 62 hæc legas controuerſiæ dirimendæ non inidonea:

Κάικεν ὁμηρείοιο καὶ εἰσέτι Νικάνδροιο
Μνῆστιν ἔχοις· τὸν ἔτρεψε Κλάρυ νιφόεσσα πολίχνη.

Et Homerici amplius Nicandri memineris, quem Clari oppidulum niuoſum nutriit. Neque vero conſtructio hæc κλάρυ πολίχνη opinioni eorum officit, qui *Clarum oppidum* eſſe putant. Nam vtrumque pariter dicitur & κλᾶρος πολίχνη & κλάρυ πολίχνη. Sic Aelianus hiſt. var. IV cap. 10 τοῦ δήμυ τῶν Ἀθηναίων dixit. Ac Latini Græcos imitati ſimiliter ſcripſerunt. Cic. V epiſt. ad Attic. 18 *Caſſius eſt in oppido Antiochiæ.* Plinius XIX c. 3 *Ante oppidum Cyrenarum.* Idem XXXI c. 2 *Marſyæ fons in Phrygia ad Celænarum oppidum ſaxa egerit.* Vide exempla plura in Monument. Ingenior. tom. II pag. 137 & in Grammatica noſtra latina.

Extant etiam Colophoniorum numi, quales reperias inter numiſm. Franciſci de Camps pag. 71, vnde illud ſimul adparet, eos Aeſculapio deditos fuiſſe.

** Adiicienda huc præterea duo ſunt, vnum de monte Colophoni propinquo, alterum de amne. Nicander Theriac. v. 216 pag. 15

Ἀσὶς δ' ὀργυιόεντα καὶ ἐς πλέον ἑρπετὰ βόσκει,
Οἷα περὶ τρηχὺν Βυκάρτερον, ἢ καὶ ἐρυμνὸς
Αἰγαγέης πρηὼν καὶ κέρκαφος ἐντὸς ἐέργει.

Ibi ſcholiaſtes pag. 16 Βουκάρτερος καὶ Αἰγαγέης καὶ κέρκαφος ὀνόματά εἰσιν ὀρῶν τῆς Ἀσίας. Sed clarius & diſtinctius Tzetzes ad Lycophron. Alex. v. 424 Ὁ κέρκαφος ὄρος Κολοφῶνός ἐστιν ὐκ ἄποθεν δὲ καὶ ὐ μακρόθεν, ἀλλὰ δηλονότι πλησίον τῶν ποταμῶν καὶ ὑδάτων τῦ Ἄλεντος ποταμῦ Κολοφῶνος. *Cercaphus mons eſt Colophonis, non diſſitus nec longinquus, ſed prope ab alueis & aquis Alentis, Colophoniorum fluminis.*

Chium circumnauigantibus occurrat: niſi aliud Notium (nam commune nomen eſt, *auſtrale* ſonans) in ipſa inſula Chio ſitum, geographo ibidem, vti videtur, curæ eſt. Si enim continentis Ioniæ eſſet, ſupra Lebedum, longe a Colophone, cui ceteri coniungunt, ſitum foret. Suidas & Harpocrates *Notium* dicunt eſſe χωρίον προκείμενον τῆς Κολοφωνίων πόλεως, id eſt, *locum* vel *oppidum* (nam vtrumque χωρίον ſignificat) *quod vrbi Colophoniorum præiaceat.* Thucydides lib. III pag. 193 παραπλέων πάλιν ἔσχε ἐς Νότιον τὸ Κολοφωνίων, τῆς ἄνω πόλεως ἑαλωκυίας ὑπὸ Ιταμένους, *præternauigans rurſus Notium Colophoniorum tenuit, quod Colophonii inhabitabant, ſuperiore vrbe ab Itamene capta.* Iuxta Notium Athenienſes, abſente Alcibiade, a Lyſandro victi. Diodorus Siculus lib. XIII cap. LXXI τὰς πολλὰς ναῦς καθώρμιστε περὶ Νότιον, *multis nauibus circa Notium adpulit.* Inde digreſſus Clazomenas Alcibiades, quem ille claſſi præfecerat, interea victo, πυθόμενος τὸ γενόμενον, διὰ σπουδῆς ἀνέκαμψεν εἰς τὸ Νότιον, *audita clade, celeriter reuertit in Notium.* Ex his autem, oppidum an litus fuerit, non aperte adparet. Oppidum autem alii dixerunt. Liuius lib. XXXVII cap. XXVI. *Ipſe* [Antiochus] *copias ad Notion ducit. id oppidum Colophonium mari imminens, abeſt a vetere Colophone duo ferme millia paſſuum.* Plinius lib. V cap. XXIX *Fuit & Notium oppidum.* Et Stephanus: Νότιον πόλις Ιωνίας, *Notium vrbs Ioniæ.* Et incolæ Colophonii fuerunt. Rurſus Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX *Colophoniis, qui in Notio habitant,* [Romani] *immunitatem conceſſerunt.* quod a Polybio eſt, qui Legatione XXXVI Κολοφωνίους τοὺς τὸ Νότιον οἰκοῦντας memorauit. Ex ſupra dictis clarum eſt, Notium in ora ſeu ad mare ſitum fuiſſe, neque Scylacem audiendum eſſe, apud quem vulgariter inciſum eſt, Κολοφὼν, ἐν μεσογαίᾳ Νότιον καὶ λιμὴν, *Colophon, in mediterraneo Notium & portus.* Male ſanus locus eſt, etiamſi ἐν μεσογαίᾳ ad Colophonem cum Palmerio referas, vt ſupra fuit demonſtratum.

XCIV.

Inter Colophonem Ptolemæus & Epheſum *Cayſtri* fluminis oſtia ponit, quod poetæ laudant ab oloribus, quos magno numero habeat * Ordinem ſic etiam Scylax tenet, vti Ptolemæus. Fluuius Græce Κάϋστρος, Latine *Cayſter* & *Cayſtros* vocatur. ** Mela lib. I cap. XVII poſt Epheſum:

(I) 3

* Quia Cayſtri origo cognitu magis neceſſaria eſt, audiemus Nicandrum Theriac. v. 630 pag. 41, 42

Αγρει μὴν ὀλίγαις μηκωνίσι ῥάμνον ἐΐσην
Ερσομένην. ἀργῆτι δ᾽ ἀεὶ περιτέτροφεν ἄνθει
Τὴν ἤτοι Φιλέταιριν ἐπίκλησιν καλέουσιν
Ανέρες, οἵ Τμώλοιο παραὶ γύγαό τε σῆμα
Παρθενίοντε νέμουσι λέπας, τόθι Κλέζος ἀεργοὶ
Ιπποι χιλεύουσι, καὶ ἀντλαὶ εἰσι Καΰστρου.

Præterea accipe minoribus papaueribus ſimilem rhamnum, rore conſperſam, quam albo ſemper flore nutriit quamque Philetairin cognominant homines qui Tmolum circa Gygæ monumentum & Parthenium montem incolunt, vbi Clezos pigri depaſcunt equi & Cayſtri ſunt fontes.

** Cayſtri figuram vide apud Sponium Voyage libr. III p. 250

ſum: *ibi Cayſtros amnis.* Plinius lib. v cap. XXIX *Attollitur* [Epheſus] *monte Pione: adluitur Cayſtro, in Cilbianis iugis orto, multosque amnes deferente, & ſtagnum Pegaſeum, quod Phyrites amnis expellit.* Ouidius lib. v Metamorph. verſ. 386

- - - - - - non illo plura Cayſtros
Carmina cygnorum labentibus audit in vndis.

Et Martialis lib. I epigrammate LIV

Sic niger, in ripis errat quum forte Cayſtri,
Inter Ledæos ridetur coruus olores.

Vnde cygnus Ouidii Triſt. lib. v eleg. IX verſ. II *Cayſtrius ales* dictus eſt. Ex Homeri Iliad. B verſ. 460 deſumta ſunt:

- - - - - - ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ασίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋςρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,

vel cygnorum longum collum habentium, Aſio in prato, Cayſtri circa fluenta. Quæ Virgilius reſpexit lib. I Georgicor. verſ. 383

Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

A Cayſtro dictus Καϋςριον πεδίον, *Cayſtrius campus*, pars agri Epheſini. Strabo XIV pag. 427 Λάρισσα κώμη τῆς Εφεσίας ἐν τῷ Καϋςρίῳ πεδίῳ, *Lariſſa pagus agri Epheſii in Campo Cayſtrio.* Euſtathius ad Dionyſii verſ. 837 ἀπὸ τοῦ Καΰςρου καλεῖται καὶ πεδίον Καΰςριον, *a Cayſtro vocatur campus Cayſtrius.* Et Stephanus: Καΰςριον πεδίον τῆς Εφεσίας, ἀπὸ Καΰςρου ποταμοῦ, ὃς διὰ τὸ ἔχειν τὴν κατακεκαυμένην χώραν πλησίον, ἐκλήθη, *Cayſtrius can pus Epheſiæ, a Cayſtro fluuio ita nominatus, qui ex eo dictus eſt, quod Combuſtæ regioni vicinus fluit.*

XCV.

Cayſtro proxima eſt *Epheſus*, Ἔφεσος, vt idem Stephanus dicit, πόλις Ιωνίας ἐπιφανεςάτη, *Ioniæ vrbs illuſtriſſima.* Herodoto lib. I cap. CXLII *Lydiæ* vrbs eſt, * quia Lydia olim fuerat, quæ a colonis vocata fuit Ionia: vel quia pars Lydorum regni fuit, licet non Lydiæ propriæ, quam in mediterraneo definiuit Ptolemæus. Plinius lib. v cap. XXIX *Lumen Aſiæ* dixit, & *opus Amazonum.* ** Splendorem addidit *Dianæ templum* toto orbe illuſtriſſimum, ſitum inter vrbem & portum, vt Strabo locum deſignat; cui Herodotum addas lib. I cap. XXVI. Idem Plinius lib. XXXVI cap. XIV *Magnificentiæ vera admiratio exſtat templum Epheſiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum a tota Aſia.* Recte, *a tota Aſia*, ſeu pluribus Aſiæ ciuitatibus: quod etiam Liuius lib. I cap. XLV confirmat. *Iam tum*, inquit, id eſt ſub Seruio rege, *inclutum Dianæ Epheſiæ fanum: id communiter a ciuitatibus Aſiæ factum fama ferebat.* Exuſtum fuit a Heroſtrato, ſed ἄλλον (νεὼν) ἀμείνω κατεσκεύασαν, *aliud præſtantius* [templum] *ædifi-*

* Vſum huius obſeruationis docet Rutgerſius Var. Lect. II c. I.

** Adde Oroſius I hiſt. c. 15. Sed, vt ſunt pleraque veterum incerta & dubia, ita Epheſum quoque ab Androclo conditam eſſe Epigramma Græcum docet lib. IV Anthol. c. εἰς ναοὺς pag. 486. A ſeruis Chiorum Athenæus lib. VI pag. 267.8.

ædificarunt Aſiatici, quod itidem Strabo dicto loco adnotauit, qui & ſua ætate Epheſum fuiſſe dicit ἐμπόριον μέγιϛον τῶν κατὰ τὴν Ασίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου, *emporium Aſiæ, eorum quæ ſunt intra Taurum, maximum.* Incrementum mercaturæ Lyſandro debuit Lacedæmonio, de quo Plutarchus in Vita pag. 434: frequentiæ populi, * Lyſimacho, qui, vt Pauſanias Achaic. cap. III obſeruauit, vrbem Lebedum euertit, vt creſceret Epheſiorum ciuitas: etiam muros circumdedit, quod Strabo addit. ** Nummi ciuitatis plures exſtant inſcripti ΕΦΕΣΙΩΝ, in quibus vnus Veſpaſiani maxime notabilis eſt, ſignatus hac epigraphe: ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Epheſiorum, qui primi Aſiæ, ſacræ* [ciuitatis] *& ſuis viuentis legibus.*

XCVI.

Inter Epheſum & Mæandri oſtia nihil ponit Ptolemæus, niſi Τρωγύλιον ἄκρον, *Trogylium promontorium:* quæ Strabonis eſt lib. XIV pag. 438 ἡ Τρωγίλιος ἄκρα, ſimplici iota, *Trogilium promontorium.* S. Lucas Act. Apoſt. XX commat. 15 ſcripſit Τρωγύλλιον, *Trogyllium.* Eſt & huius nominis parua inſula ante promontorium ſita. Strabo ibidem: τῆς Τρωγιλίȣ πρόκειται νησίον ὁμώνυμον, *ante Trogilium iacet parua inſula eiusdem nominis.* Et hanc videtur ſacer ſcriptor, iam laudatus, indicaſſe verbis, μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, *manentes in Trogilio.* Plinius tres nominat lib. V cap. XXXI, *Mycalæ* [ora habet] *Trogilias tres, Pſilon, Argennon, Sanalion.* Forſan ſcopuli circumiecti numerum augent. Sed ex inſulis in continentem reuertamur. Quod *Trogilium* vel *Trogylium* dictum eſt promontorium, pars eſt Mycales montis ſiue litoris. Strabo ibidem: καὶ αὐτὴ ἡ Τρωγίλιος ἄκρα πρόπους τὶς τῆς Μυκάλης ἐϛὶ, *ipſum Trogilium promontorium quaſi pes Mycales procurrens eſt.*

XCVII.

Ipſa autem *Mycale,* Μυκάλη, eſt tractus montanus, e regione Sami inſulæ iuxta Prienen vrbem. Strabo ante dicto loco: *Poſt oſtia Mæandri* [ſeptemtrionem verſus] *eſt Prienenſe litus, & ſupra illud Priene,* καὶ ἡ Μυκάλη τὸ ὄρος εὔθηρον καὶ εὔδενδρον. *** Επίκειται δὲ τῇ Σαμίᾳ, καὶ ποιεῖ πρὸς αὐτὴν, ἐπέκεινα τῆς Τρωγιλίȣ καλȣμένης ἄκρας, ὅσον ἑπταϛάδιον πορθμόν, *& Mycale mons venationibus aptus atque arboribus. Imminet hic Samio agro, & aduerſus eum trans Trogilium promontorium facit fretum* VII *circiter latum ſtadia.* Multis notus hic mons eſt & memoratus. Homerus Catalogo verſ. 376

> Μαιάνδρȣ τε ῥοὰς, Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα,
> *Mæandrique fluenta, Mycaleſque alta cacumina.*

Herodotus lib. I cap. CXLVIII τὸ Πανιώνιόν ἐϛι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱρὸς πρὸς ἄρκτον

* Amlpitudo vrbis & eximia frequentia hominum Epheſi comparatur a Seneca epiſt. 102 cum illa Alexandriæ.

** Sed interitum eius vide in Epigramm. Græc. lib. I. c. ἐις πόλεις pag. 140.

*** Epigramm. Græc. lib. III ἐις ναυηγ. pag. 338 τὸν πέλας αἰγονόμȣ κλυζόμενον μυκάλης. Ergo Straboni ſuffragatur.

ἄρκτον τετραμμένος, Panionium eſt Mycales locus ſacer, a ſeptemtrione eius, de quo plura poſtea dicemus. Idem lib. IX cap. CVI ἐς τὰ ἄκρα τῆς Μυκάλης, *in cacumina Mycales.* Scylax in Lydia ſua, quam ad mare duxit: πρὸ τῆς Μυκάλης Σάμος ἐςὶ νῆσος, *Ante Mycalen Samos inſula ſita:* & mox, ἐπὶ τῆς Μυκάλης ἐςὶ πόλις Πριήνη, *ad Mycalen vrbs Priene eſt.* Thucydides lib. VIII pag. 599 *ſeditionem in Samo eſſe nuntiabatur.* Ergo Mileſios κελεύσαντες πεζῇ ἐπὶ τῆς Μυκάλης παριέναι, ἔπλεον πρὸς τὴν Μυκάλην, *iubentes pedeſtri itinere ad Mycalen adeſſe, ipſi nauigauerunt etiam ad Mycalen.* Cræci hic, Leotychida & Xantippo ducibus, Xerxis exercitum extenſione facta vicerunt. Diodorus Siculus lib. XI cap. XXXIV *Perſæ ex Samo mouentes cum omnibus nauibus,* καταράντες εἰς Μυκάλην τῆν Ιωνίας, *adpulerunt ad Mycalen Ioniæ,* vbi naues in terram ſubducunt, impares nauali pugnæ: *Græci* autem προσπλεύσαντες τοῖς ἐν τῇ Μυκάλῃ βαρβάροις, *aduerſus barbaros, in Mycale caſtra habentes, curſum dirigunt.* Meminit etiam Cornelius Nepos Cimone cap. II *apud Mycalen* Perſarum claſſem deuictam eſſe, ſed confundit nauale prœlium apud Eurymedontem fluuium, quod Cimonis fuit, cum terreſtri apud Mycalen, quod Xanthippi Athenienſis & Leotychidæ Lacedæmonii, tum ſociorum. Stephanus Mycalen *vrbem Cariæ* dicit: ſed vnde vrbem fuiſſe probetur, non adparet: nec Cariæ fuit, quia hæc Mæandrum non transgreſſa ad Epheſium vsque agrum; ſed fuit ceterorum conſenſu Ioniæ. Agathemeres lib. I cap. I in inſulis ſcripſit Mycalen. Credo *Trogiliam* Strabonis intellexiſſe, aut ex Plinii *Trogiliis* vnam.

XCVIII.

A Trogilio in Samum ſunt XL ſtadia ſecundum Strabonem, qui ſpatium illud, quod a freto ad Epheſum eſt, neglectum ab aliis, deſcribendo compleuit. *Quum a Samio,* inquit, *freto, quod ad Mycalen eſt, nauigatur Epheſum, ad dextram eſt Epheſiorum ora; partem eius habent etiam Samii. Primum in ora maritima illa eſt* τὸ Πανιώνιον, τρισὶ ςαδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάσσης, ὅπȣ τὰ Πανιώνια, κοινὴ πανήγυρις τῶν Ιώνων, συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι. *Panionium tribus ſtadiis ſuper mare poſitum, vbi Panionia, id eſt ſolemnem panegyrin Iones agebant Neptuno Heliconio.* Adde quæ paullo ante ex Herodoti lib. I cap. CXLVIII de Panionio proferebamus, qui *Mycales locum ſacrum* a ſeptemtrione dixit adpoſitum. Sacris iis præſidebant Prienenſes.

XCIX.

Poſt Panionii locum fuit *Neapolis,* Strabo XIV pag. 440 εἶτα Νεάπολις, *deinde Neapolis* eſt, quæ ante Epheſiorum fuit, poſt Samiorum, qui tradito *Marathesio,* Μαραθησίῳ, quod oppidum etiam Plinius lib. V cap. XXIX memorauit, remotius permutauerunt cum propinquiore.

2. Εἶτα Πύγελα πολύχνιον, ἱερὸν ἔχον Αρτεμίδος Μȣνυχίας, *Poſt, Pygela eſt oppidulum cum templo Dianæ Munychiæ.* Stephanus etiam Πύγελα, *Pygela* ſcripſit: Mela autem lib. I cap. XVII, & Plinius dicto loco *Phygela* ſcribunt, & a *fuga,* φυγῇ, deriuant, quaſi a fugitiuis conditum. Strabo vero aliun-

aliunde nomen deduxit, quem conſulere licet. εἶτα λιμὴν Πάνορμος καλούμενος, ἔχων ἱερὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος· εἶτ᾽ ἡ πόλις. *Deinde portus Panormus eſt, qui templum Epheſiæ Dianæ habet: poſt id eſt ipſa vrbs* Epheſus.

C.

His addenda eſt Πριήνη, *Priene*, * vetus vrbs Ionica, vna cum Myunte condita, quarum originem habes apud Pauſaniam Achaic. cap. II. Et Herodotus lib. I cap. CXLII in Ionicis ciuitatibus numerat, quæ in Cariæ ſolo fuerint locatæ. Ideo forſan in Caria Ptolemæus ſcripſit, quod excuſari poteſt: non autem quod in Caria mediterranea. Omnes alii ad mare ponunt aut prope illud. Scylax Prienenſibus duos portus tribuit, & in iis vnum clauſum. Pauſanias Arcad. cap. XXIV θάλασσαν, *mare* memorat μεταξὺ Πριήνης καὶ Μιλήτου, *inter Prienen & Miletum.* Et Dionyſius Perieget. verſ. 825 de Mæandri exitu,

Μιλήτου τε μεσηγὺ καὶ εὐρυχόροιο Πριήνης,
Miletum inter & ſpatioſam Prienen.

Strabo quidem lib. XIV pag. 438 Μετὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Μαιάνδρου ὁ κατὰ Πριήνην ἐστὶ αἰγιαλός· ὑπὲρ αὐτοῦ δ᾽ ἡ Πριήνη καὶ ἡ Μυκάλη τὸ ὄρος, *Poſt Mæandri oſtia eſt Prienenſe litus: ſupra quod ipſa Priene & mons Mycale*, vbi ὑπὲρ, *Supra*, interiorem locum videtur notare; non autem reductior poteſt a mari eſſe, quia locus Panionii Prienenſium fuit, qui tribus a mari ſtadiis diſtabat: & Priene ſub Mycale monte ſita, quem omnes in maritimis poſuerunt; ideoque Didymus ad ſupra dictum Homeri locum (Catalog. v. 376) Mycalen interpretatur ὄρος Πριήνης, ἀντικρὺ Σάμου τῆς νήσου, *montem Prienes, ex oppoſito Sami inſulæ.* Pomponius Mela: *Deinde rurſus inflexa* [Ionia] *cingit vrbem Prienen, & Gæſi fluminis oſtium: moxque, vt maiore circuitu, ita plura complectitur. Ibi eſt Panionium, ſacra regio, & ob id eo nomine adpellata, quod eam communiter Iones colunt.* Prienenſis fuit *Bias*, vnus ex ſeptem ſapientibus, vt præter Strabonem & Laertium, etiam teſtis eſt Cicero Paradoxo I. *Laudabo*, inquit, *ſapientem illum, Biantem, qui numeratur in ſeptem: cuius cum patriam Prienen cepiſſet hoſtis;* nota cetera. Gentile Πριηνεὺς, *Prieneus*, tribus ſyllabis; vnde Herodotus lib. I cap. CLXX Biantem vocat ἄνδρα Πριηνέα.

CI.

Luſtratis ſic omnibus, quæ circa Epheſum in ora erant, venimus ad oſtia Mæandri, fluminis nobiliſſimi, non lati, ſed admodum profundi. Tortuoſus & reflexus curſus maxime nobilitat. Plinius lib. V cap. XXIX *Amnis Mæander ortus e lacu in monte Aulocrene, plurimisque adfuſus oppidis, & repletus fluminibus crebris, ita ſinuoſus flexibus, vt ſæpe credatur reuerti; Apamenam primum peruagatur, mox Eumeneticam, ac dein Bargyleticos campos: poſtremo Cariam placidus, omnesque eos agros fertiliſſimo*

* A Myrina Amazonum duce condita & ex nomine ſociæ cuiusdam dicta. Diodorus III pag. 188.

ſimo rigans limo, ad decimum a Mileto ſtadium lenis illabitur mari. De diſtantia a Mileto infra diſpiciemus. Ipſum Mæandrum, in flexibus ſuis mirandum, aliorum etiam relatione iuuat cognoſcere. Ouidius lib. VIII Metamorph. verſ. 162 de flexibus labyrinthi:

Non ſecus ac liquidus Phrygiis Mæandros in aruis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque:
Occurrensque ſibi venturas adſpicit vndas,
Et nunc ad fontes, nunc in mare verſus apertum
Incertas exercet aquas.

Et Seneca Hercule Furente verſ. 683

- - - - *qualis incerta vagus*
Mæander vnda ludit, & cedit ſibi,
Inſtatque ; dubius litus an fontem petat.

De fonte etiam Liuius lib. XXXVIII cap. XIII *Mæander ex arce ſumma Cælenarum ortus, media vrbe decurrens, per Caras primum, deinde per Ionas, in ſinum maris editur, qui inter Prienen & Miletum eſt.* Arx illa vertex montis *Aulocrenes,* vt Plinius vocauit. Sinus, in quem exit Mæander, vnus eſt inter Prienen & Miletum comprehenſus, vt non modo ex his Liuii verbis, ſed Homeri etiam & Pauſaniæ, ſupra paullo in *Priene* adlegatis, clarum eſt: quod contra vulgares tabulas, etiam Agathodæmonis Ptolemaicam, notandum eſt, quibus diuerſi ſinus panduntur, alter in quem Mæander effluit; alter, cui adpoſita eſt Miletus.

CII.

Ptolemæus hic finit maritima Ioniæ Mæandri oſtiis: etiam Scylax maritimam Lydiam, quæ ipſa eſt Ionia: quæ vero inde a Mæandro ad mare vsque Rhodium ſunt, vterque Cariæ adſignat. Cares ſane ad Mæandrum vsque coluerunt, & ipſe Herodotus lib. I cap. CXLII non diffitetur, quum Ionicas vrbes enumerat, Miletum, Myunta, Prienen (quamvis hæc trans flumen erat) *ἐν τῇ Καρίῃ, in Caria* eſſe poſitas. Quod vero hæ ab Ionibus fuerunt conditæ, vt omnes conſentiunt, & ad Panionii ſocietatem pertinebant, Miletus etiam belli pacisque artibus inter Ionicas facile princeps erat; Strabo, Mela, Plinius in *Poſideo* promontorio, quod vltra Miletum ad ſinum Iaſſium eſt, terminum Ioniæ conſtituerunt.

CIII.

Qui vero ordo locorum, & ſitus, & diſtantia inter Mæandri oſtia & Miletum ſit, maxima in eo diſſenſio geographorum eſt. Ptolemæus extendit ſpatium ad XX minuta gradus latitudinis, id eſt, quinque milliaria Germanica. Plinius contra paullo ante adductis verbis, decem tantummodo ſtadia habet inter Miletum & oſtium Mæandri: quocum recenti peregrinatori Iacobo Sponio de Septem eccleſiis Aſiæ pag. 272, ſitum Mileti prope Mæandrum ponenti, *proche du Meandre,* conuenire admodum videtur. Strabo autem, qui perinde, vt Ptolemæus, inter Mæandri oſtia & Miletum duo oppida Heracleam & Pyrrham interponit, ſingulo-

gulorum tradit diſtantias, quæ non vltra c x ſtadia conficiunt, vtpote x x x a Mileto Heracleam, totidem fere ab Heraclea Pyrrham, & inde quinquaginta ad oſtium. Hæc vero per rectam lineam, extra ſinuum flexus ac curuaturam. Ex quo pronum eſt coniicere, excidiſſe centenarii notam apud Plinium, & c x *ſtad.* reſcribendum. quem numerum ſequendum putamus, quia cum cura Strabo interualla illa dimenſus eſt. Sponius autem deceptus eſt vnica inſcriptione, reperta in loco, qui Palatſcha vocatur, in qua ſit ΠΟΛΙΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Georgius autem Wheler, eiusdem temporis peregrinator, a traiectu Mæandri duabus horis Palatſcham profectus eſt, qui videns difficultatem, quam Strabonis rationes opinioni Sponianæ inferunt, ruinas illius loci ex Pyrrha Strabonis & Ptolemæi, quam ex Mileto eſſe, cenſet probabilius.

CIV.

Iſaacus Voſſius, eruditis in Melam adnotationibus, Ptolemæum, & qui eum ſequantur, reprehendit, *Mæandri oſtium collocantes non inter Heracleam & Prienen, ſed inter Epheſum & Pyrrham, vnde quam longiſſime abſit.* Verum non video, quid iure reprehendat, quum ſi numeri non fallunt, qui alii in Græco, alii in Latino ſunt, ſatis longe Mæandrum ab Epheſo in mare deduxit: niſi forte Agathodæmonis tabula impoſuit, in qua propius id flumen ad vrbem Epheſum accedit. Quod vero Prienen non tam prætermiſit Ptolemæus, quam ad interiora paulliſper reduxit, ſi id crimen eſt, tantum vix eſt, quantum quod Voſſius poſthabuit Pyrrham, & inter Prienen & Heracleam Mæandrum fluuium emiſit, quum Heraclea octoginta ſtadiis a Mæandro ſecundum Strabonem abſit.

CV.

Ab oſtio Mæandri in ſiniſtra ſiue auſtrum verſus Mela primo loco *Hippum* habet, aliis ignotam. *Ionia,* inquit, *cingit Miletum, - - - Hippum, amnis Mæandri exitum.* Addit Voſſius: *Hippus Pomponii eſt oppidum illud, quod vulgo adpellatur Gippo, imminens Mæandri oſtio.* Videant alii de illo Gippo, quibus copia eſt inſpiciendi hodiernam Aſiam.

CVI.

Certior *Pyrrha* Strabonis & Ptolemæi in hac ora eſt, quinquaginta ab oſtio ſtadiis remota, quam etiam Plinius in Caria lib. v cap. x x i x agnoſcit, ſed turbato ordine poſitam in mediterraneis.

CVII.

Deinde *Heraclea* eſt ſub *Latmo* monte, vnde cognomen oppido. Strabo pag. 437 Ἑξῆς ἐςὶν ὁ Λατμικὸς κόλπος, ἐν ᾧ Ἡράκλεια ἡ ὑπὸ Λάτμῳ λεγομένη, πολίχνιον, ὕφορμον ἔχον, *Deinde eſt ſinus Latmicus, in quo Heraclea ſub Latmo cognominata, oppidulum cum ſtatione.* Ptolemæo eſt Ἡράκλεια πρὸς Λάτμῳ, *Heraclea ad Latmum.* Plinius dicto loco: *Inde mons Latmus: oppida, Heraclea montis eius cognominis;* reliqua. Et *Latmos*, ſicut mons, cui ſubiacet, olim vocata fuit, Strabone teſte: & Stephanus Alc-

mani poetæ ita adpellatam eſſe refert. Adde Apollonii ſcholiaſten, mox producendum. De monte Pomponius Mela I cap. XVII *Ionia cingit - - - - Latmum montem Endymionis, a Luna, vt ferunt, adamati, fabula nobilem.* Cicero fabulæ interpres ſit lib. I Tuſcul. cap. XXXVIII. *Endymion,* inquit, *ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormiuit, qui eſt mons Cariæ. nondum, opinor, eſt experrectus. num igitur eum curare cenſes, quum Luna laboret, a qua conſopitus putatur, vt eum dormientem oſcularetur?* Ex eadem fabula Endymion *Latmius heros* Ouidio Triſt. lib. II verſ. 299, & *Latmius venator* Valerio Flacco lib. VIII verſ. 28 dictus eſt. Tacemus poetas alios, in quibus etiam Apollonius eſt lib. IV verſ. 57, cuius ſcholiaſten tantum, Λάτμιον ἄντρον Apollonii interpretantem, adiungo. Λάτμος, inquit, ὄρος Καρίας, ἔνθα ἐςὶν ἄντρον, ἐν ᾧ διέτριβεν Ενδυμίων. ἔςι δὲ καὶ πόλις, ἡ λεχθεῖσα Ηράκλεια, *Latmus mons eſt Cariæ, in cuius antro Endymio habitauit. Eſt & vrbs eo nomine, alias dicta Heraclea.*

CVIII.

Præſtantiſſima autem in hac ora fuit Μίλητος, *Miletus*, vrbs ex antiquiſſimis Ionicarum. * Pomponius dicto loco *Miletum* vocat *vrbem quondam Ioniæ totius belli pacisque artibus principem.* Plinius lib. V cap. XXIX *Miletus Ioniæ caput.* Clara in primis fuit coloniis ſuis. ** Strabo XIV pag. 437 de Mileto: πολλὰ τῆς πόλεως ἔργα ταύτης· μέγιςον δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἀποίκων· ὅ, τε γὰρ Εὔξεινος Πόντος ὑπὸ τούτων συνῴκιςαι πᾶς, καὶ ἡ Προποντὶς, καὶ ἄλλοι πλείους τόποι, *Multa quidem huius ciuitatis præclara opera: nullum autem illuſtrius, quam multitudo coloniarum. nam & Euxinum Pontum coloniis omnem impleuit, & Propontidem, & multa loca alia.* Hæc Alexandro vrbs fere ſola ex Ionicis reſtitit, nec niſi difficulter ab illo expugnata fuit: de quo Arrianus lib. I Expedit. conſulatur. Patria Thaletis, vnius ex VII ſapientibus, fuit, & Anaximandri phyſici. Ciues Μιλήσιοι, *Mileſii*, vt, præter hiſtorias, etiam plures nummi teſtimonio ſunt, ex quibus præcipuus facile eſt ille Auguſti cum Apollinis, lyram tenentis, imagine inſcriptus ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΔΙΔΥΜΕΥΣ, *Mileſiorum Didymeus*, de quo iam plura dicturi ſumus.

2. Nam in Mileſiorum agro oraculum fuit *Branchidarum* antea, a familia ſacerdotum ita dictum, Apollini ſacrum, cuius templum quum Xerxes combuſſiſſet, Mileſii, vt Strabo refert, μέγιςον νεὼν τῶν πάντων, *templum omnium maximum* condiderunt, cuius ambitus κώμης, *pagi* amplitudinem æquaret. Mela lib. I cap. XVII *Poſt Baſilicum* [ſinum] *Ionia aliquot ſe ambagibus ſinuat: & primum a Poſideo promontorio flexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Didymei; Miletum,* cetera. Plinius hunc ſequutus ita expreſſit prædicto loco: *Ionia ab Iaſio*

* Nonnus Dionyſ. XIII v. 547 pag. 384 Αρτιθαλὴς Μίλητος ὁμόςολος ἵκετο Βάκχῳ Qua ex re antiquitas adparet. Nam *Miletus* a *Mileto* condita. Apollodor. III c. I § 2 p. 149.

** Adde huc Herodotum I pag. 46. Themiſt. orat. XXVI pag. 334 A. Εγὼ δὲ καὶ Μίλητον ἄγαμαι καὶ Κολοφῶνα τῆς παλαιᾶς ἐνδιαιτήσεως τοῦ Απόλλωνος. *Ego & Miletum veneror & Colophonem propter veterem inibi Apollinis habitationem.*

ſio ſinu incipiens, numeroſiore ambitu litorum flectitur. In ea primus ſinus Baſilicus, Poſideum promontorium & oppidum ; oraculum Branchidarum adpellatum, nunc Didymæi Apollinis, a litore ſtadiis viginti. Et inde centum octoginta, Miletus Ioniæ caput. Suſpectus numerus CLXXX: propius vrbem hoc templum fuit. *Poſideum*, Strabonis ποσίδειον, ineunte libro XIV, & quidem τῶν Μιλησίων, *Poſideum Mileſiorum*, promontorium eſt & oppidum, vt Plinius iam referebat, inter Miletum & Iaſſum ſitum; terminus Ioniæ aduerſus Cariam, propter Miletum, Ionicam coloniam ; aliis in ipſa Caria ; ſicuti etiam Miletus & Heraclea a multis in Caria cenſentur. *

CIX.

Intus nihil fere Iones condiderunt: omnia ad mare ; niſi *Myuntem* mediterraneis, quia XXX ſtadiis a Mari fuit, adnumeremus. Strabo ſæpe dicto loco: ἀναπλεύσαντι δ' ὑπηρετικοῖς σκάφεσι τριάκοντα ςαδίους, πόλις Μυοῦς, μία τῶν Ἰάδων τῶν δώδεκα, ἣ νῦν δι' ὀλιγανδρίαν Μιλησίοις συμπεπόλισαι, *aduerſo* [Mæandro] *flumine per ſtadia* XXX *actuariis nauigiis ſi nauigatur, vrbs Myûs eſt, duodecim Ionicarum vna, nunc ob defectum hominum Mileſiis adiecta.* Quod clarius Vitruuius interpretatur lib. IV cap. I *Myûs*, inquit, *olim ab aqua eſt deuorata, cuius ſacra & ſuffragium Mileſiis Iones attribuerunt.* Adde Pauſaniæ Achaica cap. II. Hanc vrbem Artaxerxes Themiſtocli ad obſonium dedit, quod præter Græcos Thucydidem lib. I pag. 92, & Diodorum XI cap. LVII, & Strabonem dicto loco, etiam Cornelius Nepos narrauit. *Ei*, inquit, *rex donarat, - - - - Myuntem, ex qua obſonium haberet.* Quamuis autem intus paullo reducta vrbs *Myûs* fuit, tamen maritimis Diodorus propter vicinitatem adnumerauit. ait enim in hiſtoria illa Themiſtoclis : Μυοῦντα εἰς ὄψον, ἔχουσαν θάλατταν εὔιχθυν, *Myuntem* [rex ei dono dedit] *in obſonium, quia piſcoſum mare habet.* Incolæ Μυήσιοι, *Myuſii* dicti, & Μυουσία χώρα, *Myuſius ager*, apud Pauſaniam iam indicato loco.

CX.

Vltra Myuntem ad idem flumen eſt clara vrbs *Magneſia*, cognomento *ad Mæandrum*, vt a Lydiæ ſub Sipylo monte ſita Magneſia diſcernatur. Ptolemæo dicto Μαγνησία ἡ πρὸς Μαιάνδρῳ, *Magneſia ad Mæandrum.* Et Diodorus Siculus lib. XI cap. LVII tres vrbes tradit ab Artaxerxe Themiſtocli datas, & in his Μαγνησίαν τὴν ἐπὶ τῷ Μαιάνδρῳ, *Magneſiam ſuper Mæandro.* Plinius in Ionia lib. V cap. XXIX *Supra hæc Magneſia, Mæandri cognomine inſignis, a Theſſalica Magneſia orta.* ** *Abeſt ab Epheſo* XV M. *paſſuum: Trallibus, eo amplius* MMM. Non autem proxime ad Mæandrum fuit, ſed amnis Lethæus propior. Strabo XIV pag. 445 Πρώτη ἐςὶν ἐξ Ἐφέσου Μαγνησία πόλις Αἰολὶς, λεγομένη δὲ ἐπὶ Μαιάνδρῳ. Πλησίον γὰρ αὐτῷ ἵδρυται· πολὺ δὲ πλησιαίτερον ὁ Ληθαῖος ἐμβάλλων εἰς τὸν Μαίανδρον,

* Homerus ipſe Iliad. B extr. Νάςης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων, οἳ Μίλητον ἔχον. *Naſtus rurſus Cares duxit barbara lingua vſos, qui Miletum tenebant.*

** Athenæus lib. IV pag. 173 F Δελφῶν ἀποίκους facit Magnetes, & hoſpitalitatem eorum prædicat.

ανδρον, τὴν ἀρχὴν ἔχων ἀπὸ Πακτύυ τοῦ τῶν Εφεσίων ὄρους, Prima ab Epheſo eſt Magneſia, Aeolica vrbs, cognomento ſuper Mæandrum. Vicina eſt enim illi flumini: ſed vicinior vrbi amnis Lethæus, qui ex monte Epheſiorum Pactya ortus, in Mæandrum influit. Scylax vocat πόλιν Ελληνίδα, *vrbem Græcam:* Paterculus lib. I cap. IV coloniam Lacedæmoniam: Plinius modo dixit a Theſſalis Magnetibus conditam. an hi Aeolica dialecto conſentiant, vt Aeolica vrbs fuerit ſecundum Strabonem, non eſt certiſſimum. Meminit in Homeri Vita Herodotus cap. I, tamquam vrbem Homero antiquiorem: nec vero in Aeolicis vrbibus lib. I cap. CXLIX eius mentionem fecit. Quod vero extra Aeolidem in ſolo Ionico ſita & Græca fuit, Ioniæ adnumerauimus, ſequuti Plinium, & forte ipſum etiam Strabonem, qui eam recenſet ἐν τῇ μεσογαίᾳ τῆς Ιωνικῆς παραλίας, *in mediterraneis Ioniæ maritimæ.* Sæpe ſine cognomento dicitur, quia illuſtrior eſt quam altera ad Sipylum, quæ eo indiget. Atque ita etiam in nummis eſt, noſtra videlicet ſine cognomine: illa numquam ſine eo. Ex multis ſingularis eſt ille ſub Gordiano percuſſus, & inſcriptus ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΕΒΔΟΜΗ ΤΗϹ ΑΣΙΑΣ, *Magnetum ſeptima Aſiæ.* Erat enim in prouinciis ordo ciuitatum, vt Sulmo *tertia* in Pelignis erat, apud Ouidium lib. II Amor. eleg. XVI. Ciuis Μάγνης, Μάγνητος, *Magnes, Magnetis*, ſecundum Stephanum. Tacitus annali III cap. LXII *Magnetes conſtitutis nitebantur.* Et lib. IV cap. LV Laodicenis & Magnetibus. *

CXI.

Mæandropolis Plinii ſecundum Stephanum fuit Μαγνησίας πόλις, *in Magnetum regione:* idcirco adiungere viſum fuit.

CXII.

Tandem Vitruuius lib. IV cap. I, Ioniæ vrbibus, quas enumerat, adiecit etiam *Meliten*, ab aliis prætermiſſam. Sed addit ipſe: *Hæc Melite propter ciuium arrogantiam ab his* [Ionicis, quas enumerauerat] *ciuitatibus, bello indicto, communi conſilio eſt ſublata. cuius loco poſtea regis Attali & Arſinoes beneficio Smyrnæorum ciuitas inter Ionas eſt recepta.* Quo loco fuerit, non eſt memoratum.

SECTIO V.

CARIA.

CXIII.

Sicut Ioniæ fines propter vrbes quaſdam in Cariæ ſolo, Miletum & Myuntem, incerti erant; aut varii, dum alii Ioniam Mæandri oſtio finiebant, Scylax Caryandenſis (qui Lydiam dixit) & Ptolemæus; alii Poſideum promontorium, vltra Miletum ſitum, terminum conſtituerunt, Strabo, Mela, Plinius: ita Cariæ fines etiam longius ab aliis proferuntur, ab

* Epigramm. Græc. lib. III c. εἰς ἄνδρας pag. 274 Θεμιστοκλέυς ἵνα σῆμα Κηρύσσῃ μάγνης δῆμος ἀποφθεμένυ. Et pag. 277 Οὐχὶ Θεμιστοκλέυς μάγνης τάφος. & pag. 278 Μάγνης γένος.

ab aliis ſtatuuntur anguſtiores. Plinius lib. v cap. xxviii maritimam Cariam ab Iaſo & Halicarnaſſo ad Calyndam & Lyciæ fines extendit. Mela eosdem fines ſtatuit, quem Plinius ſequutus eſt. Strabo conſentit in limite circa Halicarnaſſum Iaſſumque: in altero, qui Lyciam verſus eſt, ſeparauit *continentem Rhodiorum*, τὴν Ῥοδίων περαίαν, ἧς ὅριον τὰ Δαίδαλα, *vsque ad terminum, oppidum Dædala.* Ptolemæus paucas vrbes maritimæ dat Cariæ ex illis Plinii & Strabonis Iaſſum, Bargyliam, Myndum: addit vero ſuperiores, ab aliis Ioniæ adſcriptas, Pyrrham, Heracleam, Miletum. Largior in mediterraneis eſt, xxvi oppida Cariæ late patenti adſignans. Et Scylax oram Cariæ ἀπὸ Μαιάνδρου ποταμοῦ ἐπὶ τὸν Κράγον, ὅ ἐστι Καρίας ἀκρωτήριον, *a Mæandro fluuio ad Cragum, quod eſt Cariæ promontorium*, ad fines Lyciæ. Incolæ *Cares*, ſingulari *Car*, apud Nepotem in Datame cap. 1. *

CXIV.

Ptolemæus Cariæ a Mæandri oſtio tria oppida dat, inde in auſtrum verſus ſita, Pyrrham, Heracleam ad Latmon, & Miletum: Scylax Heracleam & Miletum. Hæc alii propter Miletum, ab Ionibus conditam, Ioniæ adiudicarunt, cum quibus ſupra etiam ſingula expoſuimus. Poſt illa eſt prima *Iaſſus*, Ἰασσὸς, geminata ſibilante, Straboni, Polybio, ** Ptolemæo, & Stephano: e quibus Strabo xiv pag. 453 Ἰασσὸς ἐπὶ νήσῳ κεῖται, προκειμένῃ τῇ ἠπείρῳ, *Iaſſus in inſula ſita eſt, præiacente continenti terræ.* Et Stephanus, Ἰασσὸς πόλις Καρίας, ἐν ὁμωνύμῳ νήσῳ κειμένη, *Iaſſus oppidum Cariæ, in eiusdem nominis inſula ſitum.* Inſula autem illa continenti tam vicina & quaſi contigua eſt, vt & Plinius & Ptolemæus in continente vrbem cenſeant. Liuius itidem duplici, lib. xxxii cap. xxxiii *poſtulabant præſidia deduci ab Iaſſo, & Bargyliis, & Euromenſium vrbe.* Et lib. xxxvii cap. xvii *Iaſſenſium vnam mentem eſſe.* Plinius autem ſimplici elemento *Iaſus* ſcripſit, & ipſe ac Mela *ſinus Iaſius*, cui adiacet oppidum *Iaſus* ſiue *Iaſſus.* & nummus Golzii ΙΑΣΕΩΝ. ***

CXV.

* Et Auſon. Idyll. 12 v. 90.

** Lib. xvi, 11, vbi multa habet memorabilia huius vrbis. Et libr. xvii, 2 & 8. & excerpt Legat. ix pag. 1105.

*** Aelianus vi animal. c. 15. Ἐρωτα δελφῖνος ἐν Ἰασῷ ἐς μειράκιον καλὸν πάλαι ᾀδόμενον ἄμοιρον μνήμης τῆς ἐξ ἐμοῦ ἀπολιπεῖν, οὐ μὴ δοκῇ· καὶ διὰ ταῦτα ἐρήσεται ὁ ἔρως. Τὸ γυμνάσιον τὸ τῶν Ἰασέων ἐπίκειται τῇ θαλάττῃ. Et paullo inf. Καὶ ἦν τοῖς Ἰασεῦσι καὶ τοῖς ξένοις τὸ πραττόμενον ἀξιόζηλον. Et quum Aſiæ vrbes pleræque nomina conditorum vel aliorum hominum gerant, e. g. Caunus, Camirus, Dardanus, Ialyſus, Lindus, Xanthus & aliæ: Iaſus fortaſſe etiam oppido Iaſo nomen fecit. *Iaſus* autem a poetis corripitur. Cæſar Germanicus Phænom. Arat. v. 183

Iaſides etiam cælum cum coniuge Cepheus
Aſcendit.

Ouidius Triſt. ii, 299

In Cererem Iaſius qui referatur, erit.

Virgilius Aeneid. iii, 167

Hæ nobis propriæ ſedes: hinc Dardanus ortus
Iaſiusque pater.

Pauſanias denique quum multa habeat nomina ab Iaſi nomine profecta: ſemper ſimplex elementum retinet.

CXV.

Bargylia ſequuntur ad eumdem ſinum, Βαργύλια Græce, plurali numero, vt Liuius modo *a Bargyliis* dixit. Strabo: πλησίον δ' ἐςὶ τῶν Βαργυλίων τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν τῆς Μινδυάδος, *prope Bargylia eſt templum Dianæ Mindyadis*. Stephanus geminam formam habet, Βάργυλα, οὐδετέρως, *Bargyla neutro genere*: & femineo, ἔκτισε Βαργυλίαν, *condidit Bargyliam*. Liuius lib. XXXIII cap. XVIII videtur *Bargylias* dixiſſe; ſed dubitat de lectione Sigonius. Plinius in Caria, *Bargyla*, vt editum eſt: MSS. teſte Harduino, *Bargilia*. Mela lib. I cap. XVI extr. *In Iaſio* [ſinu] *eſt Bargylos*. Gentile Βαργυλιάτης, *Bargyliata*, apud Stephanum. Nummus Caii Cæſaris e Theſauro Golzii, ΒΑΡΓΥΛΙΑΤΩΝ: & alius Caracallæ, ΒΑΡΓΥΛΙΗΤΩΝ. Cicero lib. XIII epiſt. LVI *Bargyletæ*, niſi, vt in nummo, *Bargylietæ* eſt legendum.

CXVI.

Myndus, Μύνδος, Ptolemæi & Strabonis ordine ſuccedit, vicina Halicarnaſſo, ideoque hanc oppugnans. Alexander voluit etiam, vt Arrianus lib. I pag. 60 tradit, τὴν Μύνδον ἐξ ἐπιδρομῆς λαθὼν καταχεῖν, *Myndum nocturna adgreſſione occupare*: nec vero ſubruta primo impetu turri vna, potuit vrbe potiri. Liuius lib. XXXVII cap. XVI *Ciuitates, quas* [C. Liuius] *præteruectus eſt* [Rhodum & in Lyciam iturus] *Miletus, Myndus, Halicarnaſſus, Cnidus, Cous*.

2. Coloniam Trœzeniorum fuiſſe, Pauſanias Corinth. cap. XXX narrat, cuius verba mox in *Halicarnaſſus* proferemus.

3. Duas Cariæ Myndos tradit Stephanus, vbi alterutro loco Ἀρκαδίας, *Arcadiæ*, Caſaubonus Lect. Theocr. cap. III ex ſcholiis ad Theocriti idyll. II verſ. 29, legendum cenſet: Berkelius autem antiquam Stephani lectionem defendi putat auctore Plinio, qui lib. V cap. XXIX *Inde Myndos, & vbi fuit Palæmyndus*. In nummo Seueri ΜΥΝΔΙΩΝ, *Myndiorum*.

CXVII.

Poſt Myndum Ptolemæus ſuam *Doridem* inchoat ab Halicarnaſſo, & finit in Cauno. Herodotus lib. I cap. CXLIV *pentapolim* & *hexapolim Doricam* memorauit, ſed illa ſocietas non ad omnes *Dores* in Aſia, ſed ad ſacrorum quamdam communionem pertinebat, vt infra in *Cnido* dicturi ſumus.

CXVIII.

Inter Myndum autem & Halicarnaſſum, in limine Doridis, Ptolemæus ponit Σκοπίαν ἄκραν, *Scopiam ſummitatem* ſeu promontorium, in vltimo angulo ſinus Iaſſii, cui an arx etiam aut oppidum huius nominis adiectum fuerit, vti videtur, non eſt certum. Latinus interpres *Scopiam extremam* vertit.

CXIX.

Halicarnaſſus, princeps vrbs Cariæ, ab Argiuis, vt fertur, condita,

portu

portu, arcibus, opibus inſtructa, quæ Alexandrum Macedonem, obſidionem tolerando, fatigauit, regum ſedes olim, præſertim Mauſoli, cuius monimento facta eſt illuſtrior. De ſitu Plinius v cap. xxix *Habitatur inter duos ſinus, Ceramicum & Iaſium.* Strabo xiv pag. 451 Ἁλικαρνασσὸς, τὸ βασίλειον τῶν τῆς Καρίας δυναστῶν, Ζεφύρα καλουμένη πρότερον, *Halicarnaſſus regia dominorum Cariæ, quondam Zephyra dicta.* Pomponius Mela lib. i cap. xvi *Halicarnaſſos Argiuorum colonia eſt: & cur memoranda ſit, præter conditores, Mauſoleum efficit, regis Mauſoli monimentum, vnum de miraculis ſeptem, Artemiſiæ opus.* De conditoribus Strabo: οἰκισταὶ αὐτῆς ἐγένοντο ἄλλοι τε καὶ Ἄνθης μετὰ Τροιζηνίων, *conditores vrbis cum alii fuerunt, tum Anthes cum Trœzeniis.* De Mauſoleo idem: ἐνταῦθα ἐστὶν ὅ, τε τοῦ Μαυσώλου τάφος, τῶν ἑπτὰ θεαμάτων ἔργον, ὅπερ Ἀρτεμισία τῷ ἀνδρὶ κατεσκεύασε, *Ibi Mauſoli ſepulcrum eſt, vnum de ſeptem ſpectaculis, quod Artemiſia marito ædificauit.* Et Pauſanias Corinth. cap. xxx ἐς ἀποικίαν ἐκ Τροιζῆνος σταλέντες, Ἁλικαρνασσὸν ἐν τῇ Καρίᾳ, καὶ Μύνδον ἀπῴκισαν οἱ γεγονότες ἀπ' Ἀετίου τοῦ Ἄνθα, *qui ab Aëtio, Anthæ filio, originem ducebant, in coloniam miſſi, Halicarnaſſum & Myndum in Caria condiderunt.* Obſidionis difficultatem Arrianus ſcripſit lib. i Expedit. Alexandri.

2. Scylax portus laudat, alium *clauſum*, κλειστὸν; alium περὶ τὴν νῆσον, *circa inſulam* adiacentem. Arces memorat Strabo: ἔχει δ' ἀκρόπολιν ἡ Ἁλικαρνασσός· πρόκειται δ' αὐτῆς ἡ Ἀρκόννησος. *Habet etiam arcem Halicarnaſſus: ante quam iacet Arconneſus.* Arrianus dicto libro pag. 66 de obſidione illa: οἱ μὲν ἐς τὴν ἄκραν τὴν ἐν τῇ νήσῳ ἀπεχώρησαν, οἱ δὲ ἐς τὴν Σαλμακίδα ἄκραν οὕτω καλουμένην, [obſeſſorum] *alii in arcem, quæ in inſula eſt, refugerunt, alii in arcem Salmacidem, vti vocatur.*

3. Hæc a fonte dicta fuit, cui nomen erat Σαλμακὶς, *Salmacis*, infamis, quod bibentes μαλακίζουσα, *molles reddat:* quamquam Strabo cenſet, non ab aqua id vitium fuiſſe, ſed a diuitiis hominum & victus intemperantia. Vitruuius lib. ii cap. viii aliam rationem profert. *Veneris*, inquit, *& Mercurii fanum ad ipſum Salmacidis fontem. Is autem falſa opinione putatur Venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberint. Sed hæc opinio quare per orbem terrarum falſo rumore ſit peruagata, non pigebit exponere. Non enim, quod dicitur, molles & impudicos ex ea aqua fieri, id poteſt eſſe: ſed eſt eius fontis poteſtas perlucida ſaporque egregius.* Hanc autem ipſe rationem adfert, Græcos colonos ad fontem propter aquæ bonitatem tabernas exſtruxiſſe, easque exercendo barbaros e montibus adlectaſſe, vt decurrentes in cœtus conuenirent, & conſuetudine *molleſcerent*, hoc eſt, exuerent feros mores, & ad humanitatis leges, benignioresque ritus ſe componerent. Ouidius fabulam addit vulgari opinioni, de Salmacide nympha & Hermaphrodito, lib, iv Metamorph. fab. xi. Vnde idem lib. xv Metamorph. verſ. 319

Cui non audita eſt obſcenæ Salmacis vndæ?

quaſi ipſe fons vndam obſcenam habeat, & efficiat obſcenos. Quo & Ennius apud Ciceronem lib. I Offic. cap. XVIII adluſit,

Salmaci, da ſpolia ſine ſudore & ſanguine.

Adi interpretes, & Pompeium Feſtum in vocabulo *Salmacis*, qui etiam Ennianum verſum adlegat, ſed aliam rationem ſuppeditat.

4. Gentile Ἁλικαρνασσεὺς, *Halicarnaſſeus*, quinque ſyllabis, vt Dionyſius hiſtoricus cognominatur, & Herodotus: Latine etiam *Halicarnaſſenſis*. Liuius lib. XXXIII cap. XX *Rhodii cauſſa libertatis fuerunt Cauniis, Myndiis, Halicarnaſſenſibus Samiisque.* Nummus Seueri: ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ, *Halicarnaſſenſium metropolis.*

5. Quo Harduinus refert, quod Plinius ſcripſit: *ſex oppida contributa ei ſunt a magno Alexandro, Theangela, Sibde, Medmaſſa, Euranium, Pedaſum, Telmeſſum.* Vix credi de Alexandro poteſt, ciuitati huic magnopere infenſo: & numerus cum eo conuenit, quod Strabo lib. XIII pag. 420 tradit, Mauſolum ſex oppida in vnam Halicarnaſſum deduxiſſe. Alius nummus ſub Geta percuſſus, ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, *Halicarnaſſenſium ſuis vtentium legibus*; teſtis eſt libertatis eorum, qua ſub Romanis fruebantur.

CXX.

Poſt Halicarnaſſum ad Ceramicum ſinum eſt oppidum Βάργασα, *Bargaſa*, cuius ſitum ita Strabo definiuit pag. 451 εἶτα μετὰ Κνίδον Κέραμος καὶ Βάργασα, πολίχνια ὑπὲρ θαλάττης· εἶθ' Ἁλικαρνασσὸς, *Deinde poſt Cnidum eſt Ceramus & Bargaſa, oppida iuxta mare: deinde Halicarnaſſus.* Sita itaque in peninſula, quam Ceramicus ſinus cum mari Rhodio facit; & ad ipſum ſinum Ceramicum. Quum vero Ceramum ad medium ſinum Ptolemæus locet, ſequitur, vt *Bargaſa* illo ſpatio fuerit ad eumdem ſinum, quod eſt inter Ceramum & Halicarnaſſum. Stephanus: Βάργασα πόλις Καρίας, τὸ ἐθνικὸν Βαργασηνός. *Bargaſa, oppidum Cariæ: gentile Bargaſenus.* In Theſauro Golzii nummis Commodi & Alexandri Seueri, ΒΑΡΓΑΣΗΝΩΝ, *Bargaſenorum*, expreſſum eſt.

CXXI.

Deinde *Ceramus* ad medium ſinum, quem denominat; Græce Κέραμος, Straboni & Ptolemæo, vti iam diximus. Pauſanias Eliac. II cap. XIII meminit Κεράμου τῆς ἐν τῇ Θρακίᾳ Καρίᾳ, *Cerami in Thracia Caria:* Verum Iſaacus Voſſius ad Melæ lib. II cap. II ex Suida probat, non Cariam hic Aſiaticam, ſed τὴν ἐν Θράκῃ Καρίαν, *Cariam in Thracia* ſitam, quæ & portum *Cariam* ſecundum Melam habet, intelligendam eſſe. Sinum a noſtra *Ceramicum* nominant Scylax, Mela, Plinius.

CXXII.

Cnidus, Κνίδος, ſecundum Scylacem πόλις Ἑλληνίς, *vrbs Græca:* ſecundum Melam, *in cornu peninſulæ* ſita, hoc eſt, vt Ptolemæus poſuit, in intimo peninſulæ receſſu, vbi Ceramicus ſinus ex Icario mari effunditur. Habet duos portus, & præiacentem inſulam theatri forma, quæ aggeri-

bus

bus continenti iuncta Cnidum quaſi *δίπολιν*, *duas vrbes*, vt Strabo ait, faciebat, quia magna pars Cnidiorum illam inſulam habitarunt. Pauſanias Attic. cap. I Cononem Lacedæmoniorum claſſem viciſſe refert περὶ Κνίδον τὴν ἐν Καρικῇ χεῤῥονήσῳ, *circa Cnidum, quæ in Carica cherſoneſo eſt.* Idem Eliac. I cap. XXIV, τὸ πολὺ, *maiorem* vrbis *partem* in continenti Cariæ ſitam tradit, alteram in inſula præiacente, γεφύρᾳ διαβατὸν, *ponte coniunctam continenti.* Plinii libris *Gnidos* per G expreſſum eſt, ſed male; quia Græci conſtanter per K ſcribunt, & in nummis ΚΝΙΔΙΩΝ exſtat, id eſt *Cnidiorum.* De ipſa vrbe Plinius: *Eſt in promontorio Cnidos libera, Triopia, dein Peguſa & Stadia adpellata.* Ad promontorium poſita, non in vertice eius. Scylax Caryandenſis in Caria: ἀκρωτήριον ἱερὸν Τριόπιον, * Κνίδος πόλις Ἑλληνίς, *promontorium ſacrum Triopium, Cnidus vrbs Græca.* Scholiaſtes Theocriti ad idyll. XVII verſ. 69 Τρίοπον, *Triopon* promontorium illud vocat, in quo ſacer conuentus Dorienſium celebretur. ἄγεται, inquit, κοινῇ ὑπὸ τῶν Δοριέων ἀγὼν ἐν Τριόπῳ Νύμφαις, Ἀπόλλωνι, Ποσειδῶνι. καλεῖται δὲ, Δώριος ὁ ἀγὼν, ὡς Ἀριςείδης φησί. Τὸ δὲ Τρίοπον ἀκρωτήριον τῆς Κνίδου, ἀπὸ Τριόπου τοῦ Ἄβαντος. *Ludi Nymphis, Apollini & Neptuno communiter a Dorienſibus in Triopo celebrantur, qui Ludi Dorii adpellantur, vt Ariſtides ait. Triopon autem eſt promontorium Cnidi, a Triopa Abantis filio dictum.* Memorat hos ludos etiam Herodotus lib. I cap. CXLIV, vocatque τὸ Τριοπικὸν ἱρὸν, *Triopicum ſacrum, &* ἀγῶνα τοῦ Τριοπίου Ἀπόλλωνος, *certamen Triopii Apollinis,* ad quod non omnes Dores admittantur, ſed tantum *pentapolis*, antea *hexapolis Dorica*, quarum quatuor in inſulis Rhodo & Co ſunt, ſola Cnidus in continente, antea etiam, quum *hexapolis* eſſet, *Halicarnaſſus*, poſtmodum excluſa a ſacrorum communione. Conditorem *Cnidi* Pauſanias Phoc. cap. XI Τριόπαν, *Triopam* vocat: de cuius genere, vt ipſe Diodorus Siculus fatetur, diſſentiunt auctores. Id vero de illo tradit lib. V cap. LXI, *veniſſe* εἰς τὴν Κνιδίαν, ἐν ᾗ κτίσαι τὸ καλούμενον ἀπ' αὐτοῦ Τριόπιον, *in Cnidiam* regionem ſeu peninſulam, *in qua Triopium, a ſe nominatum, condiderit.* Eademne Cnidus & Triopia ſiue Triopium fuerit, vt Plinius cenſet, an Cnidus Triopium exhauſerit, non certum eſt dicere. Præter hanc vero Apollinis vel Neptuni religionem, coluerunt Cnidii cum primis etiam Venerem, quæ inde *Cnidia* cognominatur, & *Doritis*, vt Pauſanias Attic. cap. I refert. Eius ſimulacrum, Praxitelis opus, tantæ admirationis erat, vt, quod Plinius lib. XXXVI cap. V narrat, *multi Cnidum, vt viderent, nauigarint: & illo ſigno Praxiteles nobilitauerit Cnidum,* quamuis & ante in claris ea vrbibus numerata fuerat. Horatius quoque Veneris Cnidiæ mentionem fecit lib. III oda XXVIII de Venere:

- - - - - quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Iunctis viſit oloribus.

* Herodotus IV p. 121, Diodorus V pag. 328, 329.

CXXIII.

A Cnido ſi Rhodum verſus ſuccedimus, in eadem cherſoneſo eſt Ὄνου γνάθος ἄκρα, *promontorium Onugnathos,* ſive Aſini maxilla, vt Ptolemæus vocat: cui proxima in eodem litore eſt Λώρυμα, *Loryma,* quia ſine additamento poſitum eſt, pro oppido habitum, quemadmodum Stephano etiam Λώρυμα, πόλις Καρίας, *Loryma oppidum Cariæ* eſt. Et in Auguſtana Tabula *Lorimna,* pravato quidem nomine, tamquam oppidum. † Strabo lib. XIV pag. 448 litus & maritimam oram vocat, ſine oppidi mentione. Λώρυμα, inquit, παραλία τραχεῖα, καὶ ὄρος ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ· ἐπ' ἄκρῳ δὲ Φρούριον ὁμώνυμον τῷ ὄρει Φοίνιξ, *Loryma eſt litus aſperum, & mons eorum, qui iſtic ſunt, altiſſimus: in ſummo autem caſtellum Phœnix.* Plinius verbis mox proferendis; *locus Loryma,* id eſt deſertus locus ſine oppido. Et Ptolemæo eſt Φοίνιξ χωρίον, *Phœnix vicus* vel *caſtellum,* ſed inter hoc & Lorymam Κρῆσαν λιμένα, *Creſſam portum* interiicit. Plinius dicto c. XXVIII *Portus Creſſa, a quo Rhodus* XX M. *Locus Loryma.* Strabo ſubiicit inſulam *Eleuſam,* quatuor ſtadiis a litore, ambitu VIII ſtadiorum.

CXXIV.

Euthane Pomponii Melæ addenda, quam cherſoneſo prædictæ dat, incertum mediæ an in litore. *Inter Cnidum,* inquit, *& Ceramicum ſinum in receſſu poſita Euthane.* Stephanus *Euthenas* vocat. Εὐθηναί, πόλις Καρίας, *Euthenæ, oppidum Cariæ:* Plinius autem *Euthenen* Doridis in ſinu, & *Eutanen* Cariæ diſtinguit.

SECTIO VI.

PERAEA RHODIORVM. **

CXXV.

Rhodiorum *Peræa* regiuncula eſt maritima, pars Cariæ, inſulæ Rhodo in continenti obiecta, quam Rhodii ab antiquis temporibus ſuæ ditionis factam poſſederunt. Meminiſſe iam Scylax Caryandenſis videtur in Caria, eius auſtralem oram ita recenſens: Κνίδος πόλις Ἑλληνίς, καὶ χώρα ἡ Ῥοδίων καὶ ἐν τῇ ἠπείρῳ Καῦνος, Καρικὴ πόλις. quæ prauata videntur, ita fortaſſis reſtituenda: καὶ χώρα Ῥοδίων, ἡ ἐν ἠπείρῳ, καὶ Καῦνος Καρικὴ πόλις, vt hic ſenſus ſit: *Cnidus Græca ciuitas, & regio Rhodiorum in continenti, & Caunus vrbs Carica.* Tanta Scylacis æuo fuit Peræa: Strabo etiam Caunum adiecit. Caunii enim ἀπέστησάν ποτε τῶν Ῥοδίων, *defecerant aliquando ab Rhodiis :* a Romanis poſt redditi eisdem, vt lib. XIV ille pag. 448 notauit. Ibidem, & pag. 458, τὴν Περαίαν τῶν Ῥοδίων, *Rhodiorum Peræam* vocat. Polybius Excerpt. Legat. LXVII κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἐσχατιᾶς τῆς τῶν Ῥοδίων Περαίας, *ſitum eſſe*

† Seneca quæſt. nat. III c. 19 *Cum in Caria circa Lorymam vrbem talis exiluiſſet vnda, periere quicumque illos ederant piſces.*

** Hæc Cherſoneſus adpellari videtur Diodoro V pag. 330, 331. In hac fuit etiam *Caſtabus, Bubaſtus.* Ac Rhodus olim cohæſiſſe dicitur cum terra continente obiecta, ibique oppidum *Cyrnum* poſuit Cyrnus. Diodorus V pag. 330, 331.

eſſe in extremis finibus Peræ Rhodiorum, id eſt oppoſitæ continentis. Idem Excerptis libri XVII cap. II ὁ τῶν Ῥοδίων ναύαρχος τῆς μὲν Περαίας ἐκέλευεν ἐκχωρεῖν τὸν Φίλιππον, *Rhodiorum nauarchus Peræa excedere Philippum iuſſit.* Vſus hoc nomine etiam Liuius eſt lib. XXXIII cap. XVIII, *Rhodii receperunt ſeſe ad caſtra. Satis conſtat, ſi confeſtim victores Stratoniceam petiſſent, recipi eam vrbem ſine certamine potuiſſe. Prætermiſſa eius rei occaſio eſt, dum in caſtellis vicisque Peræ recipiendis tempus teritur.*

CXXVI.

Strabo pag. 448 totam hanc nobis Peræam hoc ordine deſcripſit, vt primum ſummam faceret, deinde ſingulas partes enarraret. Ἀρχὴ, inquit, τὰ Δαίδαλα τῆς Ῥοδίας χωρίον· πέρας δὲ τὸ καλούμενον ὄρος Φοίνιξ, καὶ τοῦτο τῆς Ῥοδίας, *Initium Rhodiæ continentis ſunt Dædala locus* vel *vicus : finis mons Phœnix dictus, qui & ipſe ad Rhodiam continentem pertinet.* Loco χωρίον veteres libri, Caſaubono teſte, χώρας, id eſt *Rhodiæ regionis.* Ab ortu autem in occaſum proceſſit Strabo : nos verſa vice ab occaſu in ortum progrediemur.

CXXVII.

Initium ergo Peræ Rhodiæ nobis eſt *Phœnix* caſtellum, de quo ante paullo in *Loryma,* in quo litore ſitus eſt ille mons cum cognomine caſtello.

CXXVIII.

Deinde *Phyſcus,* Φύσκος, oppidum cum portu & luco Latonæ: quo Mylaſſii emporio vtebantur, quia propius mare non habebant, vt idem Strabo adnotauit pag. 453. Ptolemæus Φοῦσκα, *Phuſca* ſcripſit.

CXXIX.

Poſt hanc *Calbis* fluuius, Straboni & Ptolemæo memoratus, ἔχων εἰσαγωγὴν, *quo aduerſo naues poſſunt ſubuehi.* Ptolemæus longius hoc flumen a Cauno reduxit in occaſum: Strabo propius coniunxit. εἶτα, inquit, Καῦνος, καὶ ποταμὸς πλησίον Κάλβις, *Deinde Caunus eſt, & prope amnis Calbis.* Locum tamen, *Piſilim* nomine, interiectum dicit. Plinius hunc amnem videtur *Indum* vocare lib. V cap. XXVIII ineunte: at *Indus* eſt alius, a Liuio lib. XXXVIII cap. XIV deſcriptus, cui id nomen Indus fecerit, ab elephanto deiectus. Hic a Cibyra delatus in Calbin effundi videtur: vnde nominum confuſio eſt Plinio.

CXXX.

Caunus, νεώρια, *nauale* habet, & portum. Supra oppidum eſt caſtellum *Imbrus.* Ἴμβρος. Hæc ex Strabone. Ptolemæus extremam habet ſuæ Doridis. Plinius lib. V cap. XXVIII *oppidum Caunos liberum : deinde Pynos.* Eſt *Pyrnus* etiam Stephano, tamquam πόλις Καρίας *oppidum Cariæ,* ignotum ceteris: *Caunus* autem nobilior. * Scylax: Καῦνος Καρικὴ πόλις, *Caunus vrbs Carica,* quod ex linguæ genere ſeu dialecto probat Herodotus lib. I cap. CLXXII. Thucydides lib. VIII pag. 574 ἐκ τῆς Καύνου παραγίγνεται ἀγγελία, *a Cauno nunciatur:* & mox, ἔπλει ἐς τὴν Καῦνον, *Caunum*

* De Cauno conditore vrbis vide Parthenium Nicaënſ. c. II p. 367.

num nauigauit. Polybius Excerpt. Virtut. ex lib. XVIII pag. 1450 ἐδεῖτο τῶν Καυνίων βοηθεῖν, *Cauniorum auxilium implorabat:* qui vero negarunt διὰ τὸ τάττεσθαι μετὰ Ροδίων, *quia contributi Rhodiis eſſent.* Liuius lib. XLV cap. XXV *Sub idem tempus Caunii deſciuere ab his,* puta Rhodiis. Stephanus: Καῦνος νοσώδης ἐστὶ, *Caunus morbis obnoxia.* Mela: *ſecundum Calbin amnem Caunus oppidum, valetudine habitantium infame.* Strabo id calori & pomorum multitudini tribuit. Adagium, ὁ Καύνιος ἔρως, *Caunius amor,* id eſt infelix, aut illicitus, vt interpretantur Stephanus Byzantius & Suidas. Vſus & Ariſtoteles lib. II Rhetor. cap. XXVII hoc prouerbio.

CXXXI.

Poſt Caunum Straboni eſt Κάλυμνα πόλις, *Calymna vrbs,* quæ Ptolemæi Κάλινδα, *Calinda,* Stephani Κάλυνδα, πόλις Καρίας, *Calynda vrbs Cariæ.* In Herodoti libris ambigue ſcripta gentile & poſſeſſiuum. Lib. I cap. CLXXII Caunii dicuntur externa ſacra ex vrbe profligaſſe μέχρι οὔρων τῶν Καλινδικῶν, *vsque ad Calindicos montes:* at lib. VIII cap. LXXXVII *nauis Atticam fugiens* ἐνέβαλε νηῒ φιλίῃ, ἀνδρῶν τε Καλυνδέων, *impegit in nauem ſociam, quæ Calyndenſium erat.*

CXXXII.

Dein rurſus eſt *Lucus Latonæ,* & poſt eum *Artemiſium* promontorium cum fano: tum *ſinus Glaucus,* portuoſus: tandem τὰ Δαίδαλα, *Dædala,* Perææ finis ſecundum Strabonem. Ptolemæo Δάδδαλα τόπος, *Daddala locus* (vt ſupra χωρίον Strabo dixit) inter quem & Caunum ei ſunt interpoſita Λύδαι & Καρύα, *Lydæ* & *Carya.*

CXXXIII.

Sed hæc in litore. Intus quanta hæc Peræa fuerit, aut an in mediterranea adſcenderit, non habemus cognitum: niſi forſan quæ Ptolemæus amni Calbi adponit, *Pyſtus, Thera, Idymus,* vel omnia, vel quædam Rhodiorum fuerunt. Hæc in Caria cenſuit Ptolemæus; at *Calindam, Lydas, Caryam, Dædala* in Lycia, ſequutus ſuorum temporum geographiam, quibus deſierat & libertas & poſſeſſio Rhodiorum in continente, & noua diſtributio prouinciarum facta, idque a Veſpaſiani ætate, vti de Rhodo refert Suetonius cap. VIII. Bello Antiochi confecto auxerunt Rhodios Romani, donantes iis Lyciam & Cariam vsque Mæandrum, præter Telmiſſum, quæ Eumeni regi data fuit. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX *Rhodiis adfirmata, quæ data priori decreto erant. Lycia & Caria datæ vsque Mæandrum amnem, præter Telmiſſum.* Exciderunt breui poſt eximio dono, quum bello Macedonico ſecundo viderentur regis partibus magis, quam Romanorum, fauiſſe, ceſſantes ab officio, quod proprium ſociorum erat: ideoque, audita purgatione illorum, reſponſum legatis ita fuit, vt nec hoſtes fierent, nec ſocii permanerent, imperatumque, ex Lycia Cariaque deducere præfectos. Tum & Caunii deſciuerunt a Rhodiis. Hæc ex Liuii XLV cap. XX ſequentibus, maxime ex XXV. Reſtituti in gratiam, Caunum receperunt, & Sylla inſulas eis attribuit,

tribuit, vt Cicero refert lib. I ad fratrem epiſt. I cap. XI. Ademit rurſus libertatem Claudius, vt Dio narrat lib. LX; idemque reddidit ob pœnitentiam delictorum, vt Suetonius cap. XXV. Veſpaſianus prouinciæ formam impoſuit, itidem teſtante Suetonio cap. VIII.

SECTIO VII.

CARIA MEDITERRANEA.

CXXXIV.

Late patebat *Caria* in mediterraneis, & Ptolemæus vsque ad Mæandrum & vltra, ſeu alteram ripam produxit, multasque vrbes in Caria cenſuit, quæ aliis vel Phrygiæ vel Lydiæ tribuuntur. Nos eas recenſebimus, quas indubitato conſtat fuiſſe Caricas: ceteras quasque ſuæ genti, in qua ſitæ videntur, relinquemus. Difficile eſt, hic ſitum inuenire: Ptolemæum ergo vt plurimum ſequemur, quia quia lius poſitionem monſtrauerit, non habemus. A Mæandro initium faciemus, & inde magis magisque in auſtrum progrediemur.

CXXXV.

Vt ita ab occaſu in ortum procedamus, circa Mæandrum fluuium poſt Pyrrham & Heracleam, maritima oppida, eſt *Harpaſa* Ptolemæi ad flumen *Harpaſum*, vbi Mæandro a læua ripa infunditur. Liuius lib. XXXVIII cap. XIII *Profecto ab Epheſo conſuli ad Magneſiam occurrit Attalus. - - - - Conſul, collaudato iuuene, cum omnibus copiis ad Mæandrum progreſſus, caſtra poſuit. - - - Transgreſſi Mæandrum, - - - alteris caſtris ad Harpaſum flumen ventum eſt.* Et Plinius lib. V cap. XXIX *Præter hæc ſunt* [in Caria] *Coſcinus; Harpaſa, adpoſita fluuio Harpaſo, quo & Trallicon, quum fuit, adluebatur.*

CXXXVI.

Deinde eſt *Amyzon* Plinii, Ptolemæi Αμύζων, de qua nihil præterea conſtat. Ex Ptolemæi poſitione remotior eſt a flumine: etiam quæ huic vicina *Bargaza*, Βάργαζα, eiusdem Ptolemæi: diſtincta ab illa, quam Strabo & Stephanus in peninſula Dorica ponunt, ſupra enarratam, quæ per Σ ſcribitur Βάργασα, *Bargaſa*, inter Cnidum & Halicarnaſſum.

CXXXVII.

Prope amnem Mæandrum fuit *Orthoſia* Plinii, Ptolemæi Ορθωσιάς, *Orthoſias*, qua forma etiam in Notitia Eccleſiæ eſt inter Cariæ epiſcopos ὁ Ορθοσιάδος, *Orthoſiadis epiſcopus.* Et in Notitia Hieroclis Ορθοσιάς, *Orthoſias*, etiam O breui: Liuius autem lib. XLV cap. XXV *Mylaſſenſes Alabandenosqne circa Orthoſiam acie vicerunt.* Et Strabo quoque lib. XIV pag. 447 Ορθωσία, *Orthoſia*, O magno. Poſtquam de Trallibus & Nyſa egerat, ſubdit: περίκεινται ἀξιόλογοι κατοικίαι πέραν τοῦ Μαιάνδρου, Κοσκινία καὶ Ορθωσία, *Circumiacent trans Mæandrum memorabiles pagi, Coſcinia & Orthoſia.* Alter Plinio eſt *Coſcinus* lib. V cap. XXIX.

CXXXVIII.

CXXXVIII.

Supra Orthoſiam non longe ab eodem amne eſt Ptolemæi *Neapolis*, quæ an eadem ac illa ſit, quam Pomponius Mela lib. I cap. XVI in maritimis Cariæ cum Myndo & Caryanda *Neapolin* circa Iaſium ſinum ſcripſit, dubitamus, quia longiore ſpatio hæc duo loca disiuncta, ſunt. In Notitia Eccleſiæ eſt etiam *Neapolis* circa Mæandrum, cum Orthoſiade coniuncta, quæ eadem eſt Ptolemæi.

CXXXIX.

Succedit ad idem flumen *Apollonia* Ptolemæi, cum cognomine πρὸς Λαμβάνῳ, *ad Lambanum*, quod vel montis vel minoris fluminis vocabulum eſt. Hinc Plinii ſunt *Apolloniatæ*. In Notitiis eſt Ἀπολλωνιὰς, *Apollonias*, eiusque epiſcopus, ὁ Ἀπολλωνιάδος, *Apolloniadis qui eſt.*

CXL.

Adiacet alia *Heraclea*, Ptolemæo auctore, cum cognomine πρὸς Ἀλβάνῳ, *ad Albanum*, credo, montem: in Notitia Eccleſiæ corrupte Σαλαβάνης: & ſupra has celebrior vrbs *Aphrodiſias* eiusdem Ptolemæi: inter Lydiam & Cariam Stephano ſita, qui vero alibi in Μεγάλη πόλις, in ipſa locat Caria. δευτέρα, inquit, πόλις Καρίας, ἡ νῦν Ἀφροδισιάς, *Altera* [Megalopolis] *eſt vrbs Cariæ, quæ nunc Aphrodiſias vocatur.* Eadem Suidas in Νινόη, qui & *Ninoen* illam quondam dicit vocitatam eſſe. In Notitia Hieroclis: μητρόπολις Ἀφροδισιάς, *metropolis Aphrodiſias.* Ciues Plinio *Aphrodiſienſes liberi*, lib. V cap. XXIX. Et Tacitus lib. III Annal. cap. LXII *Aphrodiſienſes poſthac & Stratonicenſes dictatoris Cæſaris ob vetuſta in partes merita, & recens diui Auguſti decretum attulere.*

CXLI.

Vlteriora circa Mæandrum ſuperiorem ſunt *Trapezopolis* & *Antiochia*, Cariæ etiam aliquando contributa. Ptolemæus enim Τραπεζόπολιν, *Trapezopolim* in Caria cenſet; etiam Plinius ſuos *Trapezopolitas*: at in Notitiis Epiſcopatuum & prouinciarum ſcribitur in Phrygia Pacatiana: & Socrates lib. VII cap. XXXVI Τραπεζόπολις τῆς Φρυγίας. De Cariæ *Antiochia* Ptolemæus, Ἀντιόχεια πρὸς Μαιάνδρῳ, *Antiochia ad Mæandrum.* Notitia Epiſcopatuum in Caria: ὁ Ἀντιοχείας τῆς Μαιάνδρου, *Antiochiæ ad Mæandrum* thronus ſeu ſedes epiſcopalis. Et Strabo lib. XIII pag. 433 ἡ τῶν Ἀντιοχέων πόλις τῶν ἐπὶ Μαιάνδρῳ τῆς Καρίας ἤδη, *Antiochenorum vrbs illorum, qui ſuper Mæandrum ſunt, nunc in Caria cenſa.* Si ἤδη, *nunc*, Strabonis æuo, in Caria fuit, extra illius limitem oportet antea fuiſſe, ab Romanis autem Cariæ contributam. Nummus Traiani Decii apud illuſtr. Spanhemium pag. 888 ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΕΑΝΔΡΟϹ. Sic expreſſum eſt ſine diphthongo pro Μαιάνδρος. Ait Harduinus, hanc Mæandri Antiochiam eamdem eſſe, quæ Plinii & Stephani ſimpliciter dicta *Antiochia Cariæ*: De Plinio res certior, quia ipſe ſe explicat. *Caria*, inquit, *interiorum nominum fama prænitet: quippe ibi ſunt oppida, Mylaſa libera; Antiochia, vbi fuere Seminethos & Cranaos oppida: nunc eam circumfluunt Mæander & Orſi-*

Orſinus. *Fuit in eo tractu & Mæandropolis:* de Stephano autem dubitatur. Berkelius vndecimam illius Antiochiam putat Alabandam eſſe, quia, eodem teſte, Alabanda etiam Antiochia dicta fuerit. Sed quod vndecima etiam *Pythopolis* eodem auctore dicta fuit, potius ad Nyſam videtur referenda. Ita enim idem: Πυθόπολις Καρίας πόλις ἡ μετὰ ταῦτα κληθεῖσα Νύσσα, *Pythopolis Cariæ vrbs, quæ poſtea vocata Nyſſa.* At in Αντιόχεια dixerat: ἑνδεκάτη, Καρίας, ἥ τις καὶ Πυθόπολις ἐκαλεῖτο, *Vndecima* [Antiochia] *eſt Cariæ, quæ etiam Pythopolis dicta fuit.* Ergo *Nyſſa* ſeu *Nyſa*, & *Antiochia* Cariæ eſt eadem, quia communi nomine *Pythopoli* conueniunt. Secundum Strabonem autem lib. XIV pag. 447 illa Νύσα, *Nyſa* eſt prope Tralles.

CXLII.

Addo *Mæandropolin* Plinii, cuius verba modo in *Antiochia* attulimus: quam Stephanus dixit Μαγνησίας πόλιν, *in Magneſiæ,* quæ ad Mæandrum eſt, *territorio ſitam vrbem:* nec Μαιανδρόπολιν, *Mæandropolin* tantum, verum etiam Μαίανδρον, *Mæandrum* adpellari. Alia de ſitu non conſtant, vt ignoretur citra, vltra Magneſiam fuiſſe, ſiue ab ortu illam an occaſu adſpexerit. Nomen arguit prope flumen fuiſſe: & quia in Caria, ideo in ripa fluminis ſiniſtra potius, quam dextra.

CXLIII.

Hæc circa Mæandrum oppida: in auſtrum vergunt *Alabanda, Stratonicea, Alinda, Mylaſa.* Prima & propior Mæandro, quam ceteræ inſequentes, eſt *Alabanda*, Αλάβανδα, de qua Strabo, Αλάβανδα δὲ καὶ αὕτη μὲν ὑπόκειται λόφοις, *Alabanda ſubiacet tumulis*, ſingulari numero, vt Plinius quoque & Stephanus. Tumuli illi figuram *aſelli clitellis inſtrati* fecerunt, quod Alabandenis ab Apollonio Malaco facete fuit obiectum. Conuentum iurisdictionis habuit ſub Romanis. Plinius in Caria: *Alabanda libera, quæ conuentum eum cognominauit.* Felix ciuitas, vnde prouerbium apud Stephanum: Αλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη, *Alabanda Carum fortunatiſſima.* Liuius dixit plurali numero lib. XXXIII cap. XVIII *Alabanda, vbi hoſtes erant, ducere pergit.* Et Iuuenalis Sat. III verſ. 70

- - - - - *hic Trallibus aut Alabandis.*

Condita ab Alabando, quem ob id pro deo coluerunt. Cicero III Nat. deor. cap. XV *In Græcia multos habent ex hominibus deos: Alabandi, Alabandum: Tenedi, Tenem,* cetera. Et ibidem cap. XIX *Alabandenſes ſanctius Alabandum colunt, a quo eſt vrbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum.* Gentile varium, *Alabandi* & *Alabandenſes*, vt iam Cicero vtrumque dixit: & lib. XIII epiſt. LVI *Alabandeis pecuniam Cluuio debent;* Græca forma, Αλαβανδεῖς: & in nummis Auguſti & Claudii ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ: etiam *Alabandeni;* Liuius lib. XLV cap. XXV *Mylaſſenſes Alabandenosque acie vicerunt.*

CXLIV.

Poſt Alabandam eſt *Stratonicea*,* Στρατονίκεια, vt Strabo, Polybius, Stephanus ſcribunt: ſiue Στρατονίκη, *Stratonice*, vt Ptolemæus. Sed præſtat prior forma, quam etiam Latini ſequuti ſunt, *Stratonicea* transſcribentes. Strabo lib. XIV pag. 454 Στρατονίκεια δ' ἐςὶ κατοικία Μακεδόνων· ἐκοσμήθη δὲ καὶ αὕτη κατασκευαῖς πολυτελέσιν ὑπὸ τῶν βασιλέων, *Stratonicea eſt Macedonum colonia, & ipſa pretioſo adparatu ornata ab regibus.* Quorum autem Macedonum? puta Syrorum Macedonum ſeu Seleucidarum, quia, vt Stephanus tradit, nomen habet a Stratonice Antiochi Soteris vxore. Liuius lib. XXXIII cap. XVIII *& ab ipſa Stratonicea Theſſalorum auxiliaribus deuocatis, Alabanda, vbi hoſtes erant, ducere pergit.* & mox: *qui Stratoniceam præſidio obtinebant.* Et eodem libro cap. XXX *Rhodiis Stratoniceam Cariæ dono datam.*

2. Gentile Στρατονικεύς: in nummo Getæ ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ: Latine *Stratonicenſes.* Tacitus annali III cap. LXII *Stratonicenſes dictatoris Cæſaris & diui Auguſti decretum attulerunt.* Liuius XXXIII cap. XVIII *in Stratonicenſi agro.*

3. Vt Stephanus refert, ab Hadriano vrbs inſtaurata fuit & Ἀδριανούπολις, *Hadrianopolis* vocata. Sed præualuit vetus nomen, etiam in Notitiis epiſcopatuum & prouinciarum.

4. Alia *Stratonicea*, Strabone tradente, ad Taurum eſt, incertum autem quo loco, aut qua prouincia. Tamen propter hanc Liuius, verbis modo prolatis, dixit *Stratonicea Cariæ*, diſcriminationis cauſſa, quia tertia, quam ex Ptolemæo aut deprauato Stephano in Macedonia quidam quæſiuerunt, nulla eſt, vt Salmaſius ad Solinum pag. 588 demonſtrauit.

5. Prope Cariæ Stratoniceam fuit fanum τοῦ Χρυσαορέως Διὸς, *Iouis Chryſaorei*, commune Caribus, quod conuentum Carum habuit, in quo etiam Stratonicenſes fuerunt, quamquam non eſſent Cares genere, ſed quia pagos Caricos poſſidebant. Fuit in agro illo etiam aliud *fanum Hecatæ* clariſſimum, quod itidem πανηγύρεις, *conuentus* celebriores habuit. Hæc ex Strabone.

CXLV.

In Stratonicenſi agro fuerunt etiam caſtella. Vnius nomen erat *Tendeba*, porrecta media. Liuius lib. XXXIII cap. XVIII *Cum his copiis Pauſiſtratus Tendeba, in Stratonicenſi agro locum peropportunum, occupauit.* Stephanus: Τένδηβα, πόλις Καρίας ἀρχαία, *Tendeba, vetus Cariæ oppidum.* Alterum *Aſtragon* fuit. Liuius ibidem: *Dinocrates, regius præfectus, recuperandi caſtelli cauſſa caſtra ab ipſa Tendeba mouit, inde ad alterum caſtellum, item Stratonicenſis agri: Aſtragon vocant.*

CLXVI.

Sequitur meridiem verſus oppidum *Alinda*, quod vocabulum in Plinii & Stephani libris corruptum fuit, vt ibi lib. V cap. XXIX *Alidienſes* & *Halydienſes* legantur, qui debent eſſe *Alindienſes*; hic Ἄλινα, *Alina*, qui vero quod Gentile ſcripſit Ἀλινδεύς, non dubitandum, quin Ἄλινδα, *Alin-*

* Dio lib. 48 pag. 425 edit. Plantin.

Alinda legendum ſit, vt bene Berkelius reſtituit. Pure nomen ſeruauit Ptolemæus Ἄλινδα, *Alinda:* & Arrianus lib. I Exped. Alexandri, qui plurali numero τὰ Ἄλινδα formauit. De Ada Cariæ regina dicit: Ἄδα δὲ Ἄλινδα μόνον κατεῖχε, χωρίον τῆς Καρίας ὀχυρώτατον, *Ada vero vnum oppidum Alinda tenuit, munitiſſimum Cariæ.* Et mox: Ἀλέξανδρος τὰ τε Ἄλινδα αὐτῇ ἐπέτρεψε, *Alexander Alinda ei* [Adæ] *conceſſit.*

CXLVII.

In eo tractu fuit etiam Ὕδισσα, *Hydiſſa* Ptolemæi; Ὑδισσὸς, *Hydiſſus*, Stephani; vnde Plinii *Hydiſſenſes* ſunt. Fuit & Εὔρωμος, *Euromus*, quod oppidum Strabo inter mediterraneorum ignobiliora numerat, lib. XIV pag. 453, & ante pag. 437 de ſitu dicit, a Mileſio agro in ortum verſus Euromum fuiſſe poſitam, ἀπὸ τῆς Μιλησίας πρὸς ἕω διὰ τῆς Καρίας μέχρι Εὐρώμου. Etſi autem Strabonis æuo ignobilior fortaſſe fuit; ſatis clara tamen olim fuerat, etiam ſub tempus Macedonici belli, adeo, vt etiam oppida alia ſibi ſubiecta poſſideret. Liuius lib. XXXIII cap. XXX *his, quæ in Aſia eſſent, Euromo, Padaſisque, & Bargyliis, & Iaſſo præſidia Philippus deduceret.* Et lib. XLV cap. XXV *Mylaſſenſes Euromenſium oppida occuparunt:* & paucis interiectis: *Euromenſium prouincia ademta.* Hanc prouinciam Euromenſium Polybius Legat. XCIII vocat τὰς ἐν Εὐρώμῳ πόλεις, *oppida in Euromenſi territorio.* Plinio hæc vrbs eſt dicta *Eurome* lib. V cap. XXIX.

CXLVIII.

Propius ad mare, quod ab occaſu eſt, accedunt *Mylaſa* ſiue *Mylaſſa*, disiuncta a mari & nauali ſuo octoginta ſtadiis, vt Pauſanias Arcad. cap. X notauit, qui plurali numero id nomen enuntiat, Καρῶν οἱ Μύλασα ἔχοντες, *qui Cares Mylaſa tenent:* etiam Strabo XIV pag. 453 τὰ Μύλασσα ἵδρυται ἐν πεδίῳ σφόδρα εὐδαίμονι, *Mylaſſa iacent in opulento campo:* & Herodotus lib. I cap. CLXXI ἐν Μυλάσσοισι Διὸς Καρίου ἱρὸν ἀρχαῖον, *in* [vrbe] *Mylaſſis antiquum Iouis Carii fanum eſt.* Vrbs nobilis, templis & porticibus ornata, quam ibidem Strabo inter Cariæ mediterraneæ tres ἀξιολόγους, *memorabiles* numerauit: ceteræ ſunt Stratonicea & Alabanda. Plinius in Caria: *Mylaſa libera*, Romanis concedentibus. Ciues Μυλασεῖς Pauſaniæ dicto loco: Liuio lib. XLV cap. XXV *Mylaſſenſes.* Scripſerunt ſimplici littera Μύλασα, *Mylaſa*, Pauſanias, Stephanus, Plinius & Hierocles, in Notitia: gemina, Μύλασσα, *Mylaſſa*, Herodotus, Strabo, Liuius, Ptolemæus. * Sed præſtat ſimplici, quia ſic nummi etiam habent, Auguſti, ΣΕΒΑΣΤΩ ΜΥΛΑΣΕΩΝ: & alio Auguſti ΜΥΛΑΣΕΩΝ: item Hadriani & Getæ, ΜΥΛΑΣΕΩΝ: ex quibus Strabo, Liuius, Ptolemæus, ſi placet, poſſunt emendari.

2. In vrbe templum fuit *Iouis*, quem *Oſogo* vocant indigenæ, vt Strabo XIV pag. 453 nominat: ſiue Ὀγῶα, *Ogoa*, vt Pauſanias Arcad. cap. X: extra vrbem in monte ad vicum *Labrandam*, templum *Iouis Labrandeni*, cum ſimulacro Διὸς Στρατίου, *Iouis Stratii* ſeu Militaris. Sic ibidem Strabo: at Lactantius lib. I Diuin. Inſt. cap. XXII a *Labrandeo*, hoſpite Io-

* Et Dio l. 48 p. 425 ſq. vbi etiam de fatis eius.

vis & in bello adiutore, nomen deducit. Forſan is etiam *Labrandam* κόμην *vicum* condidit, aut nomine inſigniuit. Adde modo dictum *Iouis Carii* templum ex Herodoto : quod Straboni τρίτον ἱερὸν, *tertium templum* Iouis eſt apud Mylaſenſes.

CXLIX.

In Halicarnaſſenſi agro fuerunt τὰ Πήδασα, *Pedaſa*, & tractus circa ea Πήδασις, *Pedaſis* dictus. Hæc Strabo lib. XIII pag. 420, qui notanter dicit τὰ Πήδασα ἦν πόλις, *Pedaſa fuerunt oppidum*, ſed decreuerant Strabonis æuo. Addit, Πήδασον δὲ καὶ ἐν τῇ νῦν Στρατονικέων πολίχνιόν ἐστι, *Pedaſum autem etiam nunc in Stratonicenſi agro oppidulum eſt.* Non diverſa *Pedaſa* & *Pedaſum* : ſed quæ olim Pedaſa fuerant Halicarnaſſenſium, poſt in vicum redacta & Stratonicenſibus contributa mutato nomine in ſingulare. Plinius V cap. XXIX tradit, Halicarnaſſo ab Alexandro ſex oppida fuiſſe contributa, quæ ſunt *Theangela, Sibde, Medmaſſa, Euranium, Pedaſum, Telmeſſum.* Polybius Legat. IX in ſenatusconſulto de pace cum Philippo ineunda: Εὔρωμον, καὶ Πήδασα, καὶ Βαργύλια, καὶ τὴν Ιασσέων πόλιν ἐλευθέρας ἀφεῖναι, τὰς φρουρὰς ἐξ αὐτῶν μεταστησάμενον, *Euromum & Pedaſa, & Bargylia, & Iaſſum, deductis inde præſidiis, liberas eſſe ſinat.* Quæ Liuius lib. XXXIII cap. XXX vertit : *præſidia Philippus deduceret Euromo, Padaſisque, & Bargyliis, & Iaſſo : eas quoque placere liberas eſſe.* PADASIS libri habent: legendum *Pedaſis*, vt Polybius, quem Liuius ſequutus eſt, ſcripſerat. Corrupte Ptolemæus Βαδησσὸς, *Badeſſus.* Incolentes Πηδασεῖς, *Pedaſenſes.* Herodotus lib. VI cap. XX *Agrum Mileſium vrbi circumiectum atque planitiem ipſi Perſæ obtinuere :* ὑπεράκρια ἔδοσαν Καρσὶ Πηδασεῦσι ἐκτῆσθαι, *montana Caribus Pedaſenſibus poſſidenda dederunt.* E quibus de ſitu ſimul iudicari poteſt, haud longe ab agro Mileſiorum abfuiſſe.

CL.

Cetera, quæ Plinius dixit, ab Alexandro ciuitati Halicarnaſſenſi tributa oppida, ſunt pleraque obſcuriora. *Theangela*, etiam Stephano nota, cui Θεάγγελα πόλις Καρίας, *Theangela Cariæ oppidum* ſunt. Videtur nomen a ludorum & ſpectaculorum præconio eſſe, quod proprium forte huic ciuitati, vt ipſa præconis vice fungeretur, & τὸ κοινὸν *ſocietatem* ad communem panegyrin conuocaret. Gentile habet Athenæus lib. VI cap. XX Φίλιππος ὁ Θεαγγελεὺς ἐν τῷ περὶ Καρῶν καὶ Λελέγων συγγράμματι, *Philippus Theangelenſis in Opere de Caribus & Lelegibus.*

CLI.

De oppido *Sibde* nihil eſt quod referamus, niſi quod Stephanus, Σίβδα πόλις Καρίας, *Sibda, vrbs Cariæ* ; nec plura de *Medmaſſa*, niſi quod idem, Μέδμασα, πόλις Καρίας, *Medmaſa, oppidum Cariæ.* Nihil autem omnino de Cariæ *Euranio*, præter Plinii memorationem, inuenimus.

CLII.

Telmeſſum ſupereſt ex Plinianis, quod Stephano *Telmiſſus*, Τελμισσὸς ſcribitur, vrbs multis eadem viſa, quæ Lyciæ Telmiſſus vel Telmeſſus,

ſus, quaſi ſit in limite prouinciæ vtriusque. At duas oportet eſſe, quia Lyciæ Telmeſſus iuxta Patara eſt ſita; Cariæ, in agro Halicarnaſſenſi, aut non longe ab illa vrbe. Suidas diiudicet controuerſiam: Τελμισεῖς, inquit, ἦτοι οἰκοῦσιν ἐν Καρίᾳ, ἀπέχοντες ξ′ ςάδια Ἁλικαρνασσοῦ, ὡς Πολέμων· Τελμισσὸς δὲ πόλις ἐν Λυκίᾳ, *Telmiſenſes. Iſti habitant in Caria diſtantes ſexaginta ſtadiis ab Halicarnaſſo, vt Polemo tradit: Telmiſſus autem eſt vrbs Lyciæ.* Cariæ ergo oppidum ſimplici littera ſecundum Suidam; Lyciæ autem duplicata ſcribendum eſt.

SECTIO VIII.

LYCIA.

CLIII.

Vltima maritimarum regionum cis Taurum eſt LYCIA, inter Cariam ab occaſu, Pamphyliamque ab ortu contenta. Ptolemæus in ſeptemtrione amplificat, *Milyadem* & *Cabaliam* regiones adiiciens: alii arctiores fines in illo tractu faciunt, & Milyadem ſane Cabaliamque ipſe Strabo excludit, & alia quoque, quæ in Lyciæ mediterraneis ponit Ptolemæus, Piſidiæ vindicantur. Ab occaſu in ora Ptolemæus quædam ex Caria adſcripſit ſuæ Lyciæ, quæ Caribus aliorum conſilio reliquimus, & ſupra cum Cariæ expoſuimus oppidis. Plinius lib. v cap. XXVII triginta ſex oppida Lyciis attribuit; Strabo lib. XIV pag. 457 tantummodo τρεῖς καὶ εἴκοσι, *viginti tria,* & in iis ſex numerat, quas cum Artemidoro dicit μεγίςας πόλεις, *maximas vrbes,* quæ erant *Xanthus, Patara, Pinara, Olympus, Myra, Tlos.* Harum ciuitatum & totius Lyciæ laudat ibidem æquitatem & rempublicam, ac cum primis in piratico tumultu abſtinentiam, qua meruerint, vt libertatem illis Romani confirmarent.

CLIV.

Prima euntibus ex Caria in litore eſt *Telmeſſus* ſiue *Telmiſſus,* de qua Pomponius Mela lib. I cap. XV *mons Cragus, &, quæ Lyciam finit, vrbs Telmeſſos.* Repetiit Plinius lib. v cap. XXVII, *quæ Lyciam finit, vrbs Telmeſſus.* Vterque ab ortu proceſſit in occaſum, vnde finem vocant, quod nobis eſt principium. Vterque etiam vocali ſecunda ſcripſit in medio, vt etiam Ptolemæus Τελμησσὸς, *Telmeſſus.* Ceteri tertia vocali *Telmiſſus* expreſſerunt. Strabo lib. XIV pag. 457 Τελμισσὸς πολίχνη Λυκίων, καὶ Τελμισσὶς ἄκρα, λιμένα ἔχουσα, *Telmiſſus oppidum Lyciorum, cum promontorio eiusdem nominis & portu.* Scylax eodem modo ſcripſerat, vti ex reliquiis adparet, quamquam prima ſyllaba apud ipſum eſt deprauata. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX ter memorauit: *Conſul Q. Fabio Labeoni, qui claſſi præerat, ſcripſit, vt Patara extemplo proficiſceretur, quæque ibi naues regiæ eſſent, concideret cremaretque. Profectus ab Epheſo, quinquaginta tectas naues aut concidit aut incendit. Telmiſſum eadem expeditione, territis ſubito aduentu claſſis oppidanis, recepit. Ex Lycia protinus per inſulas in*

Græciam traiecit. Et paucis interiectis: *Rhodiis Lycia & Caria datæ, præter Telmiſſum.* Et mox: *Eumeni nominatim vrbes* [adiecerunt] *Tralles, atque Epheſum, & Telmiſſum.* Nitida quidem Gronouiorum editione loco primo *Telmeſſus* exſcriptum eſt, ſecus ac poſterioribus, ſed errore. Veteri Moguntina Scheferi, quæ facile prima in Germania fuit, omnibus tribus locis eſt *Telmiſſus* vocali tertia. Etiam in SC. quod Liuius lib. XXXVII cap. LVI recenſet, bis *Telmiſſus* ſcriptum eſt, & *caſtra Telmiſſivm.* Strabo refert, Telmiſſum vrbem, Eumeni tum donatam, recepiſſe Lycios, regno illius in formam prouinciæ redacto. Ciues ſunt Τελμισσεῖς, *Telmiſſenſes.* Arrianus Expedit. Alex. lib. I pag. 69 εἰσβαλὼν ἐς Λυκίαν, Τελμισσεῖς μὲν ὁμολογίᾳ προσηγάγετο, *Lyciam ingreſſus, Telmiſſenſes pacto ſibi conciliauit.* Quod teſtimonium iis accedit, quod de media vocali I ſeu iota iam attulimus, cuius ſic facile maior in hoc vocabulo eſt auctoritas, quia Scylax, Strabo, Liuius, Arrianus, Stephanus, & forte etiam Herodotus, in ea conueniunt. Nam hic lib. I cap. LXXVIII tradit, Crœſum conſuluiſſe τοὺς ἐξηγητέας Τελμισσέων, *coniectores Telmiſſenſium,* de quibus ibidem agit tamquam præcipuis diuinis & haruſpicibus Aſiæ.

2. Tres autem huius nominis vrbes ſunt, in Caria, prope Halicarnaſſum, de qua ſupra: in Lycia, prope flumen Xanthum, de qua iam agimus: & in Piſidia, quæ etiam nomine leuiter mutato *Termeſſus* vocatur. Cicero lib. I de Diuinat. cap. XLI *Telmeſſus in Caria eſt: qua in vrbe excellit haruſpicum diſciplina.* De prima Cariæ, vtpote obſcuriori, vix intelligi tanta fama & diſciplinæ nobilitas poteſt: neque de tertia, quia longius abeſt a Caria: relinquitur ergo, vt de media interpretemur, ſita in Cariæ Lyciæque confinio: quemadmodum etiam Stephanus *Telmiſſum,* quam ipſe Καρίας πόλιν, *Cariæ vrbem* deſcribit, a Strabone dicit Lyciæ adſignari. Adde Holſtenii ad Steph. adnotationes, quibus plane nobiſcum vir ſummus ille conſentit. A Telmiſſo *ſinus Telmiſſicus* nominatur, *qui vno latere Cariam, altero Lyciam* contingit, vt Liuius deſcripſit lib. XXXVII cap. XVI.

CLV.

Sequitur *Xanthus* fluuius, Ξάνθος, olim *Sirbes* dictus ſecundum Strabonem.* Ptolemæus poſt Telmeſſum, Ξάνθου ἐκβολαί, *Xanthi oſtia.* Arrianus dicto loco: περάσας τὸν Ξάνθον ποταμόν, *traiecto Xantho fluuio.* De vrbe *Xantho,* ad hunc fluuium poſita, dicemus infra in mediterraneis.**

CLVI.

* Sed iam Homerus Iliad. B extr. Ξάνθου δινήεντος mentionem fecit.

** Ergo primum ſcire licet, Xanthi vrbis conditorem Xanthum fuiſſe, qui vel Aegyptius erat vel Cretenſis, autore Stephano. Qui idem memorat, Xanthum amnem præter eam decurriſſe, quem ſi aduerſum naue adieris, Latonæ templum inuenias & LX ſtadia vltra ſubuectus Xanthum maximam vrbem Lyciæ, vt Strabo XIV pag. 981 teſtatur. Brutus quum Lycios ſibi aduerſatos prœlio deuiciſſet, Xanthum oppugnare cœpit. Sed obſeſſi opera eius inflammarunt, minus felici euentu. Nam Bruti milites eos intra murum compulſos tam acriter inſecuti ſunt, vt vrbem vno impetu caperent atque incenderent. Quod exemplum incolæ imitati reliqua ipſi quoque concremarunt & mutuis cædibus plerique conciderunt. Dio lib. XLVII pag. 395, 396.

CLVI.

Poſt flumen ſunt *Patara,* Πάταρα, *caput gentis,* vt Liuius vocat lib. XXXVII cap. XV, vrbs nobilis, & oraculo Apollinis clara, qui inde Παταρεὺς, *Patareus*, tribus ſyllabis cognominatur. Pomponius Mela lib. I cap. XV de Lycia: *vt multa oppida, ſic, præter Patara, non illuſtria. Illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide Delphico ſimile.* Lycophron verſ. 920

Εὐοαξ Ἀλαίου Παταρέως ἀνακτόρων,
E regione templorum Alæi Patarei.

Et Horatius lib. III Carminum oda IV

- - - *qui Lyciæ tenet*
Dumeta, natalemque ſiluam,
Delius & Pataræus Apollo.

Oraculum autem hibernis menſibus erat Pataris: æſtiuis apud Delum. Virgilius Aeneid. IV verſ. 143

- - *vbi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta*
Deſerit, ac Delum maternam inuiſit Apollo.

Seruius ibi: *Conſtat Apollinem ſex menſibus hiemis apud Pataram, Lyciæ ciuitatem, dare reſponſa, vnde Patareus Apollo dicitur; & ſex menſibus æſtiuis apud Delum.* Hæ *Lyciæ* illæ *ſortes*, quas Virgilius Aeneid. IV verſ. 346 dixit,

Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes.

Atque hæc de oraculo.

2. De vrbe & portu Liuius lib. XXXIII cap. XLI *oram Aſiæ* [Antiochus] *legens, peruenit in Lyciam, Patarisque cognito viuere Ptolemæum, nauigandi in Aegyptum omiſſum conſilium eſt.* Et lib. XXXVII cap. XVI *Omiſſa, Patara amplius tentandi, ſpe, Rhodii domum dimiſſi ſunt.* Et cap. XVII *Aemilius vocatos Rhodios quum percunctatus eſſet, vtrumnam Pataris vniuerſa claſſis in portu ſtare poſſet,* cetera. Idem lib. XXXVIII cap. XXXIX *Conſul Labeoni, qui claſſi præerat, ſcripſit, vt Patara extemplo proficiſceretur, quæque ibi naues regiæ eſſent, concideret cremaretque.* Sita vrbs in peninſula, quam Λυκίων χεῤῥόνησον, *Lyciorum cherſoneſum* Stephanus vocat, qui etiam de vrbis nomine eiusque origine agit.*

3. Nummus Gordiani apud Patin. p. 375 ΠΑΤΑΡΕΩΝ, *Patarenſium,* cum Apollinis imagine. Παταρεῖς enim ciues ſunt: Παταρήϊος, *Patarëius,* poſſeſſiuum, auctore Stephano: & inde femininum Παταρηὶς apud Dionyſium perieg. verſ. 507 de Chelidoniis inſulis,

Τρεῖς νῆσοι, μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης,
Tres inſulæ magnam intra Patareidem ſummitatem:

potius enim de *ſummitate* circa portum, quam de procurrente promontorio interpretandum cenſet Salmaſius in Solin. pag. 550. Ptolemæus Philadelphus hanc vrbem quum auxiſſet, ab vxoris nomine, quod Strabo adno-

* De fatis vrbis Bruti temporibus vid. Dio libr. XLVII pag. 396.

adnotauit, Αρσινόην ἐκάλεσε τὴν ἐν τῇ Λυκίᾳ· ἐπεκράτησε δὲ τὸ ἐξαρχῆς ὄνομα, *Arſinoen Lyciæ denominauit: verum antiquum nomen obtinuit*, nec nouum illud in vſum venit.

CLVII.

Poſt Patara in Ptolemæi ſerie eſt *Antiphellus*, Αντίφελλος, ad mare, cui intus opponitur Φελλὸς, *Phellus*, ſiue vt Plinius ait, *in receſſu Phelli.* recedit enim a litore, vbi Antiphellus eſt, in interiora & mediterranea. Scylax etiam Phello portum tribuit, * qui an Antiphellus ſit, incertum. Videant alii. Strabo quidem vtrumque in mediterraneis videtur cenſere; ἐν τῇ μεσογαίᾳ Φέλλος καὶ Αντίφελλος, *in mediterraneo Phellus & Antiphellus:* ſed de Phello eſt interpretandum, cui cognationis cauſſa Antiphellus adiungitur. Vtriusque etiam meminit Stephanus de Vrbibus, & auctor Notit. Epiſcopatuum.

CLVIII.

Plura interponit Ptolemæus inter Patara & Limyri amnis oſtia, videlicet *Andriacen* & *Aperras.* Vtriusque etiam Plinius mentionem habet: *Andriaca ciuitas, Myra: oppida, Apyre, Antiphellos, quæ quondam Habeſſus; atque in receſſu Phellus.* Ptolemæi Απέῤῥαι, *Aperræ*, ſunt Plinii *Apyre.*

CLIX.

Strabo a Pataris ad *Myra* & *Limyra* progreditur: ** tum demum ad Phellum & Antiphellum. Ptolemæo *Myra* & *Limyra* ſunt mediterranea: quod vero vtrumque Strabo tantum viginti ſtadiis a mari abeſſe dixit; nihil obſtabit, quo minus etiam in litore ac maritimis cenſere poſſimus: ſi modo numerus in *Limyris* ſatis certus eſt, qui quod idem in *Myris* eſt, ſuſpectior adparere poſſit, tamquam repetitus ex priore. De *Myris* autem res certa eſt. Strabo: εἶτα Μύρα, ἐν εἴκοσι ϛαδίοις ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐπὶ μετεώρου λόφου, *Deinde Myra ſunt, viginti ſtadiis ſupra mare in excelſo colle.* Portum vero ad mare habuit, in quo Paullus Alexandrinæ naui fuit impoſitus. Act. apoſt. XXVII, 5 *Emenſi mare Cilicium & Pamphylium*, κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας, *venimus in Myra Lyciæ.* Suidas: Μύρα, τόπος τῆς Λυκίων ἐπαρχίας, *Myra, locus eſt prouinciæ Lyciæ.* At minime obſcurus locus erat, ſed in ſex μεγίϛαις, *maximis* Lyciæ ciuitatibus numeratur a Strabone, vt ſupra percepimus: & in Notitia Eccleſ. ὁ Μύρων, *Myrorum* epiſcopus memoratur. Nummus quoque Gordiani ΜΥΡΕΩΝ præfert inſcriptione, quia Μυρεὺς gentile eſt ſecundum Stephanum, id eſt *Myrenſis.* ***

CLX.

Poſt Myra Strabo habet oſtia *Limyri* amnis, & ſuper illa viginti per ſtadia oppidum τὰ Λίμυρα, *Limyra.* Plinius: *Iuxta mare, Limyra cum amne,*

* Phellum ad mare ſitum eſſe, ex loco Aeliani infra citato colligi poteſt.

** De vico Myra & Phellum interiecto, cui Syrrha nomen, vid. Aelian. VIII c. 5 p. 479.

*** Aelian. hiſt. anim. XII c. 1 Μυρέων τῶν ἐν Λυκίᾳ κόλπος ἐϛὶ καὶ ἔχει πηγὴν καὶ ἐνταῦθα νεὼς Απόλλωνός ἐϛι.

amne, in quem Arycandus influit. Sic ergo etiam in maritimis ponit, vt minus dubitari poſſit de Strabonis numero. εἶθ' ἡ ἐκβολὴ τοῦ Λιμύρου ποταμοῦ, καὶ ἀνιόντι πεζῇ ςαδίοις εἴκοσι, τὰ Λίμυρα πολίχνη. *Deinde*, inquit Strabo, *eſt oſtium amnis Limyri, & ſi terra ſtadiis* XX *inde adſcenderis, oppidum Limyra.* Dicit πεζῇ, *pedeſtri itinere,* ſiue terra, quia fluuius inter oppidum & oſtia tortuoſus forſan eſt & longioris ambitus: per rectam vero lineam citius pervenitur in oppidum. Prope mare fuiſſe, confirmat etiam Paterculus lib. II cap. CII, tradens, Caium Cæſarem, quum ex vulnere, in Armenia accepto, ægrotaret, ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι, quod Zonaras addit pag. 167, *in Lyciam tractoria naui* peruectum, *Limyris* diem obiiſſe. Haud longe ergo a mari fuit, vt ibi eſcendere nauigantes potuerint. *Inuitus,* inquit Velleius, *reuertens in Italiam, in vrbe Lyciæ (Limyram nominant) morbo obiit.* Sic Lipſius, Voſſius, Bœclerus ſingulari numero: vetus liber *Limyra* plurali forma, quam in *Limyran* Nic. Heinſius mutauit, quod conſueuerit Velleius caſus Græcos ſequi. At *Limyra* illius vetuſti exemplaris ſunt itidem Græce dicta τὰ Λίμυρα Strabonis. Sed dixerit Velleius ſingulariter, quia & Ouidius eo numero vſus eſt lib. IX Metamorph. verſ. 645

Iam Cragon, & Limyren, Xanthique reliquerat vndas.

CLXI.

Inde Ptolemæo proxima eſt ἱερὰ ἄκρα, id eſt *Sacrum promontorium,* quod ita etiam Strabo, Chelidoniis obiectum, nominauit: de quo non dubitat Salmaſius ad Solin. pag. 551, quin *Tauri promontorium* ſit, & *Chelidonium,* quod Latini vocant geographi. Pomponius lib. I cap. XV *Lycia Sidæ portu & Tauri promontorio grandem ſinum claudit.* Et Plinius dicto cap. XXVII *Iunctum ei* [Pamphyliæ] *mare Lycium eſt, gensque Lycia: vnde vaſtum ſinum Taurus mons, ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promontorio diſterminat.* Igitur idem eſt *Tauri promontorium* & *Chelidonium* & *Sacrum*, quia ab nonnullis ex eo putabatur Taurus initium habere.

CLXII.

Excipit *Olympus* vrbs nobilis, cum monte eiusdem nominis. Strabo prædicto loco: ὁ Ὄλυμπος, πόλις μεγάλη καὶ ὄρος ὁμώνυμον, ὃ καὶ Φοινικοῦς καλεῖται. *Olympus vrbs magna, & mons eodem nomine, qui & Phœnicûs nuncupatur.* Ante paullo in ſex maximis Ciliciæ numerauerat. Seruilius Iſauricus expugnauit. Cicero in Verrem de Præt. Vrb. cap. XXI *P. Seruilius, vir clariſſimus, Olympum vi, copiis, conſilio, virtute cepit, vrbem antiquam, & omnibus rebus auctam & ornatam.* Et Eutropius lib. VI cap. III *Seruilius Lyciæ vrbes clariſſimas oppugnauit & cepit; in his Phaſelidem, Olympum, Corycum.*

2. Ab eo tempore decreuit, & tandem caſtellum ſuperfuit. Plinius: *Oppidum Olympus ibi fuit;* qua formula intercidiſſe vrbem ſignificatur. Clarius Solinus cap. XXXIX *Olympos quoque inter alia ibi oppi-*

dum fuit nobile, ſed intercidit; nunc caſtellum eſt, infra aquæ regiæ ob inſigne fluoris ſpectaculo ſunt viſentibus. Illud caſtellum in monte Olympo erat, ſeparatum ab vrbe, quæ ad mare videtur fuiſſe. Strabo lib. XIV pag. 462 κατὰ τὰς ἀκρωρείας τοῦ Ταύρου, τὸ Ζηνικέτου πειρατήριόν ἐστιν ὁ Ὄλυμπος, ὄρος τε καὶ φρούριον ὁμώνυμον, ἀφ' οὗ κατοπτεύεται πᾶσα Λυκία, καὶ Παμφυλία καὶ Πισιδία, *Ad montis Tauri extrema Olympus eſt mons, & caſtellum Zenicetæ prædonis arx: vnde omnis Lycia, Pamphylia & Piſidia conſpicitur.* Vrbem autem euertit Iſauricus, de quo Florus lib. III cap. VI *Phaſelin & Olympon euertit.* Non memoratur, inſtauratam eſſe: certe Plinii ætate nulla fuit.

CLXIII.

Ptolemæus nihil inter Olympum & Phaſelidem interponit: Strabo autem *Corycum litus:* ſicut ante Olympum poſuit *Crambuſam*, aliis ignotam in Lycia. Hunc enim ordinem habet a Sacro promontorio: *Crambuſa, Olympus* - - - εἶτα Κώρυκος Αἰγιαλός· εἶτα Φασηλίς· *deinde Corycum litus: & vltra, Phaſelis.* Et interiectis quibusdam pag. 462 de Zeniceta prædone: τούτου ἦν καὶ ὁ Κώρυκος, καὶ ἡ Φασηλὶς, καὶ πολλὰ τῶν Παμφύλων χωρία, *Huius quoque fuit Corycus, & Phaſelis, & multa loca Pamphyliæ.* Eutropius, dicto loco, inter oppida refert, ſed male tribuit Ciliciæ, cum cuius Coryco confudit, quaſi vnus locus eſſet. *Seruilius*, inquit, *Ciliciam ſubegit, Lyciæ vrbes clariſſimas oppugnauit, & cepit: in his Phaſelidem, Olympum, Corycum Ciliciæ.* Sed neque is Ciliciam propriam, ab Iſauria diſtinctam, ſubegit, neque Corycum Ciliciæ cepit, ſed Lyciæ: inde etiam cum Lyciæ oppidis ibidem componitur: ſiue litus fuit vicatim habitatum; ſiue etiam oppidum. quemadmodum Dionyſius verſ. 855 inter πόληας, *oppida*, æque vt Eutropius numerauit.

CLXIV.

Tandem *Phaſelis*, Φασηλὶς, vrbs vltima eſt Lyciæ ad fines Pamphyliæ, ſecundum Scylacem, Strabonem & Ptolemæum: quam Mela, & hunc ſequutus Plinius in Pamphylia cenſent. Ille enim lib. I cap. XIV *Phaſelis, a Mopſo condita, finis Pamphyliæ:* hic lib. V cap. XXVII in Pamphylia: *vltima eius oræ Phaſelis.* * Sed maior nobis eſt Græcorum Aſiaticorum Scylacis & Strabonis, quibuscum & Ptolemæus facit, probata fides & auctoritas, præſertim de antiquis ſi iudicandum ſit temporibus: quibus & Cicero accedit Verrina VI cap. X verbis mox proferendis: deinde poſtea fieri potuit, vt Lyciæ prouinciæ ademta contribueretur Pamphyliæ: atque de eo tempore interpretandi ſunt Mela, Plinius, Stephanus, & ipſe Dionyſius periegeta verſ. 854

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες,
Κώρυκος, Πέργη τε, καὶ ἠνεμόεσσα Φασηλίς·
Aliæ autem deinceps Pamphyliæ ſunt vrbes,
Corycus, & Perge, & ventis expoſita Phaſelis.

Hic Corycum etiam in Pamphyliæ oppidis numerauit, vt Lyciæ terminus

* Ciues Phaſelitæ Polyb. de virtut. pag. 14. 49. ſq.

nus vrbs Olympus ei fuerit. Cauſſa diſcrepantiæ & mutationis fuit, quia Phaſelis in limite vtriusque prouinciæ erat. Liuius lib. XXXVII cap. XXIII *In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaſelis eſt: prominet penitus in altum, conſpiciturque prima terrarum Rhodum a Cilicia petentibus, & procul nauium præbet proſpectum.* Græca ciuitas, & Dorica genere, quod Herodotus prodidit lib. II cap. CLXXVIII. Iſauricus hanc etiam cepit, vt ex Floro & Eutropio ſupra in *Olympo* cognouimus. Confirmat Cicero Verrina VI de Signis cap. X, & cauſſam belli etiam deſcribit. *Phaſelis illa,* inquit, *quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicium atque prædonum: Lycii illam, Græci homines, incolebant. Sed quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, vt & exeuntes e Cilicia prædones ſæpe ad eam neceſſario deuenirent: & quum ex hiſce ſe locis reciperent, eodem deferrentur; adſciuerunt illud ſibi oppidum piratæ primo commercio, deinde etiam ſocietate.* Sic magna antea & florens ciuitas propter prædonum ſocietatem fuit capta, deleta, ſaltem ita adflicta, vt rara poſtmodum & ægre habitaretur. Lucanus lib. VIII verſ. 249 de Pompeii fuga:

- - - - - - Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec ſe committere muris
Auſus adhuc vllis; te primum, parua Phaſelis,
Magnus adit. nam te metui vetat incola rarus,
Exhauſtæque domus populis: maiorque carina,
Quam tua, turba fuit.

CLXV.

Apud Phaſelidem eſt mons *Climax*, ὄρος Κλίμαξ καλέμενον, quaſi *ſcala* dictus, Pamphylio mari imminens, faciensque anguſtias ad mare, per quas Alexander exercitum, hiberna tempeſtate mari exundante, traduxit tam periculoſe, vt milites μέχρι ὀμφαλȣ̃ βαπτιζόμενοι, *vsque ad vmbilicum immerſi* iter facerent: quod Strabo ſcripſit lib. XIV pag. 458, eumque locum περὶ Φασηλίδα, *circa Phaſelin* eſſe dixit: ideoque cum vrbe illa & nobis hic mons commemorandus erat. Eſt eius quoque mentio apud Polybium lib. V cap. LXXII. οἱ Σελγεῖς συνέντες τὴν παρȣσίαν τῆς βοηθείας, προκατελάβοντο τὰ ϛενὰ τὰ περὶ τὴν καλȣμένην Κλίμακα τῷ πλείονι μέρει τῆς ἑαυτῶν δυνάμεως, *Selgenſes vt aduentare auxilia ſenſerunt, maiore copiarum ſuarum parte fauces ad Climacem, quam vocant, occuparunt.* Sunt autem hæ fauces inter duos montes, prope vrbem Selgen, atque ita aliæ atque diverſæ ab eiusdem montis faucibus maritimis, quæ inter montem Climacem & mare apud Phaſelidem ſunt. Claudius Salmaſius vtrasque deſcripſit in Solin. pag. 551. Mons autem Climax eſt a Phaſelide in ortum, & Phaſelidem transgreſſus Alexander venit in illas anguſtias. Plutarchus Vita eius pag. 674 *Alexander in epiſtolis ſuis* ὁδοποιῆσαι φησὶν τὴν λεγομένην Κλίμακα καὶ διελθεῖν ὁρμήσας ἐκ Φασήλιδος, *iter narrat feciſſe ſe per ita dictam Climacem, atque ex Phaſelide progreſſum eam peragraſſe.*

CLXVI.

Eodem circa Phaſelidem tractu aut paullo citra eam fuit *Marma-*

renſium rupes, inexpugnabilis viſa, quam Alexander oppugnauit. Diodorus Siculus lib. XVII cap. XXVII τῆς Λυκίας περὶ τὰς ἐσχατιὰς πέτραν μεγάλην ὀχυρότητι διαφέρουσαν ᾤκουν οἱ Μαρμαρεῖς ὀνομαζόμενοι, *In extremis Lyciæ finibus magnam quamdam & inſigniter munitam petram incolebant Marmarenſes*, qui quum tranſeuntes Macedonas adflixiſſent, rex rupem oppugnauit aliquot diebus. Obſeſſi deſperantes rebus ſuis, igni ſubiecto domibus, noctu erumpentes per media caſtra euaſerunt in montes circumiectos.

CLXVII.

Antequam ex litore decedamus, de initio *Tauri* montis, quod plurimi in Lycia ponunt, quidam in Caria, alii in Pamphylia, nobis diſquirendum eſt. Strabo lib. XI pag. 358 de Tauro: τὸ ὄρος τοῦτο ἄρχεται ἀπὸ τῆς Καρίας καὶ Λυκίας, ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν οὔτε πλάτος οὔτε ὕψος ἀξιόλογον δείκνυσιν· ἐξαίρεται δὲ πολὺ πρῶτον κατὰ τὰς Χελιδονέας. *Hic mons a Caria & Lycia incipit: ſed neque latitudine ibi, neque altitudine inſigni ſpectatur. Primum adſurgit alte apud Chelidoneas inſulas.* Idem lib. XIV pag. 458 de Sacro promontorio, quod Chelidoneis obiectum eſt: ἐντεῦθεν νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τὴν ἀρχὴν λαμβάνειν τὸν Ταῦρον, διά τε τὴν ἄκραν ὑψηλὴν οὖσαν καὶ καθήκουσαν ἀπὸ τῶν Πισιδικῶν ὀρῶν τῶν ὑπερκειμένων τῆς Παμφυλίας. *Hinc plerique putant Taurum incipere, quia & ſublimis eſt promontorii vertex, & producitur a Piſidicis montibus ſupra Pamphyliam.* Addit mox: τὸ δ' ἀληθὲς ἀπὸ τῆς Ῥοδίων περαίας ἐπὶ τὰ πρὸς Πισιδίαν μέρη συνεχής ἐστιν ἡ ὀρεινή, *Sed re vera continui ſunt montes e continente Rhodiorum vsque ad Piſidiam, qui & ipſi nomen Tauri gerunt.* Et Pomponius Mela lib. I cap. XV *Lycia Sidæ portu & Tauri promontorio grandem ſinum claudit. Taurus ipſe ab Eois litoribus exſurgens vaſte ſatis attollitur,* cetera. Plinius hæc imitatus dicto loco, *Iunctum*, inquit, *Pamphyliæ mare Lycium eſt, gensque Lycia, vnde vaſtum ſinum Taurus mons, ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promontorio diſterminat.*

CLXVIII.

Hi conſentiunt in eo, quod a Sacro ſiue Chelidonio promontorio mons Taurus initium ſuum habeat, quamuis per Cariam ad Rhodi vsque Peræam continua illa iuga ſint, non autem tam alta & vaſta, vt ingentis *Tauri* nomine ſatis digna videantur. Liuius autem lib. XXXVIII cap. XXXIX in Pamphylia caput Tauri montis videtur conſtituiſſe. *De Pamphylia*, inquit, *diſceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos quum eſſet, quia pars eius citra, pars vltra Taurum eſt; integra res ad ſenatum reiicitur.* Si ad litus vsque diuiſio illa facta fuit, aliud initium Tauri, quam in Chelidonio promontorio, quærendum eſt, in ipſa videlicet Pamphylia: ſi transuerſim diuiſam intelligit hoc monte Pamphyliam, potuit initium idem eſſe, quaſi tantum ſuperior & ſeptemtrionalis pars in dubium vocata fuerit. Sed Piſidia imminet, cuius montes etiam cum Tauro connexi ſunt, quæ vix maiorem latitudinem, & ſecundum illam, diuiſionem prouinciæ concedet. Difficile igitur in continuis his montibus definitur, quinam ſint Tauri, & qui tantummodo eidem cohærentes.

LYCIA MEDITERRANEA.

CLXIX.

Pauciora de *mediterraneis Lyciæ*, quam de maritimis certo conſtant, nec facile quidquam memorari poteſt, quam nomina ex geographis; ſitus ex Ptolemæo maxime: hiſtorici & alii ſcriptores fere ſilent. Secatur Xantho fluuio in duas quaſi partes diremta, quarum vna cis flumen eſt; trans illud altera.

CLXX.

Ab auſtro in ſeptemtrionem ſi adſcendimus, in Carum limite eſt primum oppidum *Araxa*, Ἄραξα, Ptolemæo collocante: cuius etiam Stephanus ex Alexandro, ſcriptore τῶν Λυκιακῶν, *Rerum Lyciacarum*, mentionem fecit; nec non Notitia epiſcopatuum.

CLXXI.

Deinde Πινάρα, *Pinara*, vna ex ſex maritimis Lyciæ ſecundum Strabonem, qui & mox de illa: ὑπόκειται τῷ Κράγῳ Πίναρα ἐν μεσογαίᾳ τῶν μεγίστων οὖσα πόλεων ἐν τῇ Λυκίᾳ, *Infra Cragum montem iacet Pinara, vna de Lyciæ maximis vrbibus in mediterraneo.* Stephanus praue *Ciliciæ* exſcripſit pro *Lyciæ*. De Crago conuenit, niſi quod ὑπερκεῖσθαι, *ſuper montem* vel *in monte* dicit poſitam: etiam alibi in voce Αρτύμνησος, partem Xanthiorum ait ἐν τῷ ὄρει λόφον στρογγύλον κατοικῆσαι, καὶ καλέσαι τὴν πόλιν Πινάραν, *in monte collem rotundum inhabitaſſe, vocaſſeque vrbem Pinaram.* nam πίναρα *rotunda* lingua Lyciorum ſonant.

2\. Credo in radice montis Cragi, & inferiore quodam colle fuiſſe poſitam, vt tamen etiam ὑπὸ, *ſub* ſummo Crago fuerit. Fuit quidem in *Crago* oppidum, ſed eiuſdem nominis, id eſt *Cragus* dictum, Strabone auctore: magnam autem vrbem *Pinaram* in eo ſitam fuiſſe, credibile non eſt.

CLXXII.

Ceterum mons *Cragus* ex vaſtis & ſiluoſis eſt montibus, ἔχων ἄκρας ὀκτὼ, *octo vertices habens*, & vrbem cognominem, vt modo ex Strabone cognouimus. Scylax Cragum ἀκρωτήριον, Plinius *promontorium* vocat; at Strabo & Ptolemæus ponunt in mediterraneis. Salmaſius, cui Voſſius conſentit, apud Scylacem Κάσος legit, non Κράγος: & Plinium voce ἄκρα deceptum fuiſſe iudicat, quæ ſæpe quidem *promontorium* ſonat: ſed nec raro *verticem* aut *ſummitatem*, quales octo in Crago fuiſſe iam dictum fuit. Horatius lib. I oda XXI

Nigris aut Erymanthi
Siluis, aut viridis Cragi.

2\. Huic monti fabula *Chimæræ* adfingitur, teſte Strabone, & ſub eo φάραγξ, *vallis* ad litus vſque decurrens, quæ Χίμαιρα, *Chimæra*, vt idem refert, vocitatur. Mela dicto loco: *Lycia infeſtata olim Chimæræ ignibus.* Et Plinius in Lycia: *mons Chimæra noctibus flagrans: Hephæſtium ciuitas, &*

ipſa fragantibus iugis. Vox χίμαιρα autem, *chimæra*, adpellatiua, ſonat capram hieme natam, ideoque ſtrigoſiorem ceteris.

3. Ad Chimæræ fabulam quod attinet, ea tergeminum monſtrum fingitur, ex leone, capra & dracone concretum. Notus Heſiodi verſus 323 ex Theogonia:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,

quem Lucretius lib. v num. 903 ita Latine vertit:

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.

Mons Lyciæ eſt igniuomus, cui hæc fabula adfingitur. Seruius ad illud Virgilii Aeneidos vi verſ. 288

- - FLAMMISQVE ARMATA CHIMAERA;

Re vera mons eſt Lyciæ, cuius hodieque ardet cacumen, iuxta quod ſunt leones: media autem paſcua ſunt, quæ capris abundant: ima vero montis ſerpentibus plena. Sic vetus editio: recens Bataua *Siciliæ.* At non modo geographi omnes, verum etiam Ouidius lib. ix Metamorph. verſ. 646 Chimæram in Lycia poſuit:

Caras, & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Iam Cragon, & Limyren, Xanthique reliquerat vndas,
Quoque Chimæra iugo mediis in partibus ignem,
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Quod ſi illa eſt in Lycia, vti eſt; rurſus in diſceptationem venit, in qua parte Lyciæ, citeriore ad Cragum, vel in iſto monte, vt Strabo tradidit; an vlteriore ad Phaſelidem. Plinius ſane lib. ii cap. cvi *Flagrat in Phaſelitide mons Chimæra, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma.* A Cnidio Cteſia accepit, vt ipſe fatetur: cuius autem verbis, a Photio cod. lxxii pag. 68 vtcumque ſeruatis, nihil de Chimæra eſt; tantummodo dicit ὅτι πῦρ ἐςὶν ἐγγὺς Φασήλιδος ἐν Λυκίᾳ ἀθάνατον, *quod ignis iuxta Phaſelidem in Lycia ſit immortalis.* Scylax quidem ſcripſit etiam in Phaſelidis regione: ἱερὸν Ηφαίςȣ ἐν τῷ ὄρει, καὶ πῦρ πολὺ αὐτόματον ἐκ τῆς γῆς καίεται, καὶ ȣδέποτε σφέννυται, *Fanum Vulcani in monte, multusque ignis terra editus ardet ſua ſponte, neque vnquam exſtinguitur:* quod haud dubie eſt Plinii *Hephæſtium*, ſupra dictum; vt adeo, Salmaſio iudice ad Solin. pag. 552, Plinius Chimæram & Hephæſtion, ſeu Vulcani fanum, (quod vox illa ſonat proprie) transmouiſſe ac permutaſſe videatur, Hephæſtium ad Cragum conſtituens, Chimæram ad Phaſelidem, quæ inuerſa ratione ſunt ponenda. nam expoſitis illis, Scylax ſubiicit: ἐὰν δὲ προσέλθῃς ἀπὸ θαλάσσης ἀνώτερον, Φασηλὶς πόλις καὶ λιμήν· *Si vero a litore ad ſuperiora conceſſeris, occurret vrbs Phaſelis cum portu.* Chimæram autem ſatis firmiter cum Crago monte Strabo coniunxit, longo a Phaſelide interuallo, intercurrente illo iugo, quod ex Piſidiæ montibus deductum ad Sacrum ſeu Chelidonium promontorium pertinet. Ad poſteriorem locum, ſeu campum Phaſelidis, ſunt quoque referenda, quæ Seneca epiſtola lxxix tradit. *In Lycia*, inquit, *regio notiſſima eſt, Hephæſtion incolæ vocant, perforatum pluribus*

bus locis ſolum, quod ſine vllo naſcentium damno ignis innoxius circuit. Læta itaque regio eſt & herbida nil flammis adurentibus, ſed tantum vi remiſſa ac languida refulgentibus.

CLXXIII.

Hæc de Chimæra in Crago, vel prope illum. Strabo ex eo iugum aliud deducit, quod, vt adparet, occaſum verſus procurrat, quod vocat Ἀντίκραγον, *Anticragum*, ſicut Antitaurus in Cappadocia, Antilibanon in Syria, excurſiones ſunt montium ex ſui nominis maioribus iugis ac montibus in aliam plagam productæ. Poſt Dædalorum & Telmiſſi explicationem ſic infit: εἶθ᾽ ἑξῆς ὁ Ἀντίκραγος, ὄρθιον ὄρος, ἐφ᾽ ᾧ Καρμυλησσὸς χωρίον, ἐν Φαραγγίῳ κείμενον, καὶ μετὰ τοῦτον ὁ Κράγος, *deinde Anticragus, præceps mons, in quo oppidulum Carmyleſſus in parua valle ſitum eſt: & poſt hunc ipſe Cragus.* Quia ab occaſu procedit ortum verſus, vtique *Anticragus* Cariæ propior eſt quam Cragus, ſeu in occaſum verſus ab ipſo *Crago* proprie dicto procurrit: oppidum autem *Carmyleſſus* a nemine præterea, quantum ſcimus, eſt memoratum.

CLXXIV.

Circa Cragum & alia oppida a Ptolemæo ſunt expoſita *Sidyma*, & *Tlos*, & *Symbra*. Plinius, *in monte, Sidyma.* Stephanus, Σίδυμα, πόλις Λυκίας, *Sidyma, oppidum Lyciæ.* Quod vero Epiphanius Hæreſi LXXIII pag. 874 in ſubſcriptionibus memorat Euſtathium ἐπίσκοπον Πιναρῶν καὶ Διδύμων, *epiſcopum Pinarorum & Didymorum*; & Hierocles in Lycia Δίδομα ſiue Δίδυμα, *Didyma* oppidum recenſet; ſunt nonnulli, qui etiam apud Ptolemæum cenſeant Δίδυμα, non Σίδυμα legendum eſſe, ac Holſtenius etiam ad Ortelium in voce *Pinara* fere cœperat de Ptolemæo dubitare. Quum vero non Ptolemæus tantum, ſed Plinius quoque & Stephanus *Sidyma* legant, & in Notitia eccleſiæ ſit in Lycia ὁ Σιδύμων, *Sidymorum* epiſcopatus; ac in MS. Hieroclis Σίδυμα quoque legatur; idem Holſtenius in *Sidyma* eius vocabuli lectionem confirmauit, vt adeo vel ab Epiphanio erratum fuerit, vel epiſcopus ille aliquid innouarit adluſionis cauſſa in eccleſiæ ſuæ nuncupatione. Addit Harduinus in Emendat. Plin. LXVIII libri V ſubſcriptionem in Concilio Quiniſexto, Zemarchi epiſcopi πόλεως Σιδύμων ἐπαρχίας Λυκαονίας, *ciuitatis Sidymorum in prouincia Lycaonia:* lege *Lycia*, quia Notitiæ nihil huius nominis in Lycaonia habent; vtique vero in Lycia.

CLXXV.

De *Tlo*, Τλῶ, altera Ptolemæi circa Cragum vrbe, etiam Strabo præclare ſentit, numerans cum Artemidoro inter ſex maximas prouinciæ Lyciæ ciuitates: ſitum etiam quodammodo oſtendit, ſitam κατὰ τὴν θέσιν τὴν εἰς Κίβυραν, *in poſitione, qua Cibyram verſus eatur.* Rectus caſus eſt Τλῶς, *Tlos*, apud Plinium & Stephanum & Ptolemæum: apud Hieroclem Τλῶ, *Tlo:* in Notitia veteri ὁ Τλῶν, ſcilicet epiſcopus vel thronus, quod Latina verſio, quaſi plurale ſit, *Tlorum* exponit. Strabo quartum caſum

caſum format Τλῶν, *Tlon*; Porphyrogennetus lib. I them. XIV τὴν Τλῶ, *Tlo*, cum Hierocle vocabuli caſu conſentiens. Oppidum *Symbra*, Σύμβρα Ptolemæi, neſcimus an ab alio commemoratum ſit.

CLXXVI.

In occaſum ſeu Cariæ limitem eidem Ptolemæo inclinant *Comba* & *Octapolis*. De priore, quæ Κόμβα eſt, hoc ſolum habemus, quod in Notitia ὁ Κόμβων *Comborum* epiſcopatus in Lycia cenſeatur: de *Octapoli* minus nobis eſt cognitum.

CLXXVII.

In ſeptemtrionem adſurgit *Cydna*, Κύδνα, & ipſa ſoli Ptolemæo, quantum conſtat, memorata: niſi Plinii ſint *Cyaneæ*, quod Harduino videtur, non autem vero eſt ſimile. In Notitia eccleſ. ὁ Κυανέων, *Cyanearum* epiſcopus. Et *Telandrus* Plinii in hoc tractu fuit, quia Τήλανδρον ſuam Stephanus attribuit Cariæ.

CLXXVIII.

Trans flumen Xanthum Ptolemæus, præter Myra, Limyra, Phellum, quæ in maritimis, quod breui ſpatio a mari aberant, explicauimus; *Arendas* ponit (Pal. cod. *Trebendas*) vt incertas lectione, ſic etiam alibi ignotas: deinde *Rhodiam*, Ῥοδίαν, Rhodiorum forte coloniam, quæ etiam Stephano Ῥοδία, *Rhodia* dicta, & in Lycia cenſa: Plinio autem eadem eſt *Rhodiopolis*,: in Notitia, Ῥοδιάπολις, *Rhodiapolis*, quaſi ſeparatim Ῥοδία πόλις ſcriptum ab auctore fuerit. In montanis ſitam eſſe, Plinius prodit. *Nunc*, inquit, *ſunt montana Gagæ*, *Corydalla*, *Rhodiopolis*.

CLXXIX.

Reliquarum primum ſunt *Gagæ*. Sic etiam Stephanus, Γάγαι, πόλις Λυκίας, *Gagæ oppidum Lyciæ*. Hieroclis Notitia, Γάγα, *Gaga*. An Scylax etiam mentionem fecerit, non liquidiſſimum eſt. Videtur tamen Voſſio, qui corruptam eius vocem Αιγαία πόλεις reducit ad Γαγαία πόλις.

CLXXX.

At *Corydalla* Plinii ſunt Ptolemæi Κορύδαλλος, *Corydallus*: Notitiæ, ὁ Κυροδάλλων, *Cyrodallorum* epiſcopatus, transpoſitis errore elementis.

CLXXXI.

Mons quoque *Maſſycites* ex Plinii poſitione, quam contra Ptolemæum Salmaſius tuetur, huc pertinet. *Iuxta mare*, inquit, *Limyra cum amne, in quem Arycandus influit: & mons Maſſycites*. De Ptolemæi autem ſententia, qui Μασίκυτος, *Maſicytus* ſcripſit, & terminum Lyciæ ad Pamphyliam fecit, infra ſub finem huius capitis diſputabimus.

CLXXXII.

Dum vero *Arycandum* fluuium in Limyrum influere dixit Plinius, oppidi etiam *Arycandæ*, a fluuio nominati, & haud dubie ad eundem poſiti, mentionem facere non alienum eſt. Stephanus: Αρύκανδα, πόλις Λυκίας, *Arycanda*, *oppidum Lyciæ*. Et Pindari ſcholiaſtes ad Olymp.

VII

VII verſ. 35 ἐν Λυκίᾳ ἐςὶν πόλις Αρύκανδα καλȣμένη, *in Lycia vrbs eſt Arycanda dicta.*

CLXXXIII.

Addit Ptolemæus *Sagalaſſum*, ſed, ceterorum iudicio, loco alieno. Plinius enim lib. V cap. XXVII, Strabo lib. XII, Arrianus lib. I, & Stephanus, etiam Eccleſiæ Notitia, in Piſidia locant, longe ab loco Ptolemæi: nec credibile, duas huius nominis fuiſſe vrbes, quia eius, quæ in Lycia ſit, nemo, præter Ptolemæum, mentionem facit: & quam alii omnes in Piſidia ponunt, quum illam prouinciam ipſe recenſet, prætermiſit.

CLXXXIV.

Vlteriora ſunt *Simena* Plinii, Σίμηνα Græce apud Stephanum. *In Lycia*, inquit Plinius, *a promontorio eius* [Tauri] *oppidum Simena, mons Chimæra.* A promontorio, puta introrſum, vbi ipſe Chimæram montem ponit: non litore, quod accurate ab aliis expoſitum, nullam huius oppidi mentionem habet.

CLXXXV.

Deinde Plinio in hoc tractu laudata *Canas*, quaſi Κανὰς, ἄδος Græce: in Notitia ὁ Κανȣ͂, *Cani* epiſcopatus: Ignoti ſitus ſunt eiusdem Plinii *Aſcandalis*, *Amelas*, *Noſcopium.*

CLXXXVI.

Tandem *Maſſycites* mons eſt Plinii, qui Μασίκυτος, *Maſicytus* Ptolemæi, quem hic terminum ponit inter Lyciam & Pamphyliam; Plinius autem citeriorem facit. *Iuxta mare*, inquit, *Limyra cum amne, in quem Arycandus influit: & mons Maſſycites: Andriaca ciuitas, Myra.* Quod vero vltimum illum montem Lyciæ ad Pamphyliæ oram Strabo non *Maſycitum*, ſed *Climacem* lib. XIV vocat, vt ſupra oſtenſum eſt; etiam Polybius lib. V cap. LXXII; inde Salmaſius in Solin. pag. 552 erroris incuſat Ptolemæum, & montem illum cum Plinio ad citeriora revocat.

CLXXXVII.

Adiungit Ptolemæus mediterraneæ Lyciæ duas regiunculas, *Milyadem* & *Cabaliam*, quarum illa pars maxime ſeptemtrionalis eſt Lyciæ ab occaſu ſeu Cariæ finibus: hæc inde magis ortum verſus ad Piſidiam, & ſeptemtrionalem Pamphyliam eſt porrecta: quas dubitarem ad Lyciam referendas eſſe, niſi oppida illarum & Plinius & auctor Notitiæ epiſcopatuum inter Lyciæ vrbes recenſerent: Strabo autem lib. XIII extremo, quidquid vtriusque nominis eſt, a Lycia ſeparauit.

CLXXXVIII.

CARBALIAE Ptolemæus tria oppida dat, quæ ſunt *Bubon, Oeneanda, Balbura*, Græce Βȣ́βων, Οἰνεάνδα, Βάλβȣρα; quartum vnde nomen ſit regiunculæ, prætermiſit, quod Straboni ſub finem lib. XIII eſt Καβαλὶς, *Cabalis*, vt Stephanus nomen illud conſeruauit. nam prauatum apud Strabonem eſt Καβαλλὶς & mox Καβαλεῖς: Stephanus autem ad Strabonem prouocat, eiusque vtitur auctoritate. Addit chorographus: ἡ γενικὴ

νικὴ Καβαλίδος, *genitiuus Cabalidis.* Commune ergo nomen regionis & vrbis eſt. Strabo priori loco: *μέχρι τῆς Κιβυράτιδος καὶ τῆς Καβαλίδος, vsque ad Cibyratidem & Cabalidem;* vbi regionem ſignificat: altero loco, *τὰ δὲ πρὸς νότον ἡ Κίβυρά ἐστιν ἡ μεγάλη, καὶ ἡ Σίνδη, καὶ ἡ Καβαλὶς, μέχρι τοῦ Ταύρου καὶ τῆς Λυκίας, meridiem verſus ſunt Cibyra magna, Sinda, Cabalis, vsque ad Taurum & Lyciam:* hîc vrbis nomen eſt. Forſan vrbs interciderat, quia nec Plinius eius rationem habet in Cabaliæ deſcriptione lib. V cap. XXVII. *Comprehendit,* inquit, [Lycia] *in mediterraneis Cabaliam, cuius tres vrbes, Oenoanda, Balbura, Bubon.* Conuenit ergo cum Plinio Ptolemæus, & ad horum conſenſionem vtique Strabo lib. XIII extremo corrigendus eſt. Ait Cibyratis eſſe tres finitimas vrbes, quæ ipſæ ſunt, quas Plinius & Ptolemæus tribuerunt Cabaliæ: *προσγενομένων τριῶν πόλεων ὁμόρων, Βουβώνων, Βαλβούρων, Οἰνοάνδρου, τετράπολις τὸ σύστημα ἐκλήθη:* lege cum Caſaubono, Βουλβῶνος, Οἰνοάνδων, vnde ſic vertendum: *accedentibus* [ad Cibyram] *tribus finitimis vrbibus, Bubone, Balburis, Oenoandis, conuentui huic nomen Tetrapolis eſt factum.*

CLXXXIX.

Primum oppidum Ptolemæi *Bubon* eſt, quod præter Plinium, etiam Stephanus agnoſcit: Βουβὼν, inquit, πόλις Λυκίας, *Bubon oppidum Lyciæ.* Exſtat etiam in Notitia, quæ Hierocli tribuitur: in alia corrupte *Bobus,* ὁ Βόβου, obliquo caſu.

CXC.

Oenoanda, vt Plinius & Stephanus ſcripſerunt; ſiue *Oeneanda,* vt Ptolemæus; in dicta Notitia Ἡνόανδα, corrupta prima littera; notiora ſunt. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXVII *A Perga L. Manlio fratre cum quatuor millibus militum Oenoanda ad reliquum pecuniæ ex eo, quod pepigerant, exigendum miſſo, ipſe - - - Apameam exercitum reduxit.* Vulgo lectum *Oroanda:* ſed verum nomen Sigonius, duce Stephano, indagauit, quod in textum recepit Gronouius.

CXCI.

Poſtrema Βάλβουρα, *Balbura,* ſunt Plinii, Ptolemæi & Stephani: in prædicta Notitia excidit littera, dum Βάλουρα ſcriptum eſt pro *Balbura.*

CXCII.

MILYAS regiuncula ita deſcripta eſt a Strabone lib. XIII extremo: *Μιλυὰς δ' ἐστὶν ἡ ἀπὸ τῶν κατὰ Τερμησσὸν στενῶν, καὶ τῆς εἰς τὸ ἐντὸς τοῦ Ταύρου ὑπερθέσεως δι' αὐτῶν ἐπὶ Σίνδα παρατείνουσα ὀρεινὴ μέχρι Σαγαλασσοῦ καὶ τῆς Απαμέων χώρας. Milyas eſt, quæ ab anguſtiis apud Termeſſum & tranſitum Tauri ad interiora per eas anguſtias porrigitur ad Sindam, montana regio, vsque ad Sagalaſſum & Apameæ territorium.* Et paullo ante: ἀπὸ Πισιδίας καὶ τῆς ὁμόρου Μιλυάδος ἕως Λυκίας, *a Piſidia & contermina ei Milyade vsque ad Lyciam.* nam Strabo, vt ſupra diximus, & Cabaliam & Milyadem a Lycia propria ſeparauit, quum vtramque alii in ipſa Lycia comprehendant. Stephanus: Μιλύαι, οἱ πρότερον Σόλυμοι, καὶ ἡ χώρα Μιλυάς· λέγονται καὶ Μίλυες, *Milyæ,*

Milyæ, antea Solymi dicebantur (teſte Timagene) *& regio Milyas: adpellantur etiam Milyes.*

CXCIII.

Oppida, quæ Ptolemæus attribuit, ſunt primum *Podalia*, vno lamda, vt Plinius & Stephanus ſcribunt, ille *Podalia*, quocum Notitiæ eccleſiarum conſentiunt, itidem Ποδαλία præferentes; hic [Stephanus] Ποδάλεια, *Podalea:* Ptolemæus autem Ποδαλλία, *Podallia*. Situm dat prope Xanthi fontes in ſummo ſeptemtrione huius regionis: eique in auſtrum paullo vergentem ſubdit *Niſam*, Νίσαν; & *Choma*, Χῶμα, obliquo Χώματος; de quo Plinius in Lycia: *Podalia, Choma, præfluente Adeſa.* Notitia vetus, ὁ Χώματος, *Chomatis* epiſcopatus.

CXCIV.

In ortum magis & auſtrum ſimul reduxit Ptolemæus Κόνδυβα, *Condyba.* Stephanus, Κάνδυβα, οὐδετέρως, πόλις Λυκίας, *Candyba, neutro genere, oppidum Lyciæ.* Et Plinius dicto loco: *Candyba, vbi laudatur Oenium nemus.* Et Hierocles Κάνδυβα, *Candyba*, prima vocali: quo conſenſu efficitur, vt Ptolemæi Κόνδυβα, vocali o, vitiatum eſſe minus dubitemus.

CXCV.

Hæc de vtraque regiuncula, Cabalia & Milyade ex Ptolemæi poſitione: de qua omnino eſt, quod poſſimus dubitare. Strabo enim ſub finem libri XIII Cabalidem regionem cum Cibyratide coniungit; & Milyadem cum Piſidia. Iam vero Cibyra occidentalior eſt: Piſidia, ex ipſo Ptolemæi poſitu, ab enarratis Milyadis oppidis longe admodum in ortum remota. Liuius quoque lib. XXXVIII cap. XXXIX, quaſi ab ortu in occaſum progrediens, *& Lycaoniam, & Milyada, & Lydiam* enumerat, Eumeni ab Romanis dono datas, Antiocho deuicto. Nec Polybius aliter Milyadem regionem collocauit lib. V cap. LXXII de duce Garſyere dicens: ἐμβαλὼν εἰς τὴν Μιλυάδα, καὶ καταστρατοπεδεύσας περὶ τὴν καλουμένην Κρητῶν πόλιν, *ingreſſus Milyadem, caſtra admouit vrbi, quam Cretopolin vocant.* Cretopolin autem ipſe Ptolemæus in Pamphyliæ ora poſuit. Et eiusdem libri cap. LXXVII Ἀχαιὸς δὲ ποιησάμενος ὑφ᾽ ἑαυτὸν τὴν Μιλυάδα καὶ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς Παμφυλίας ἀνέζευξε, *Achæus, quum Milyadem & partem Pamphyliæ maximam ſui iuris feciſſet, inde diſceſſit.* Clarius hæc explicantur a Strabone lib. XIV pag. 458 ὑπέρκειται δ᾽ αὐτῆς [Φασήλιδος] τὰ Σόλυμα ὄρος, καὶ Τερμισσὸς Πισιδικὴ πόλις, ἐπικειμένη τοῖς στενοῖς δι᾽ ὧν ὑπέρβασίς ἐστιν εἰς τὴν Μιλυάδα. *Supra Phaſelidem eſt mons Solyma, & Termiſſus Piſidica vrbs, poſita ſuper fauces, per quas tranſitur in Milyadem.* Hæ fauces ſunt inter montes ad ſeptemtrionalem partem montis Climacis, ſicut inter eiusdem latus auſtrale ſunt aliæ fauces, ibidem a Strabone deſcriptæ. De prioribus etiam Polybius intelligendus eſt, quum lib. V cap. LXXII dixit, οἱ Σελγεῖς προκατελάβοντο τὰ στενὰ τὰ περὶ τὴν καλουμένην Κλίμακα, *Selgenſes occuparunt fauces montis, qui Climax vocatur.* Agitur enim ibi de expedi-

tione mediterranea, non maritima. Conſuli etiam de vtriſque Salmaſius poteſt in Solin. pag. 551.

CXCVI.

Ex quibus conficitur, Ptolemæum alieno loco circa Xanthum poſuiſſe *Milyadem*, quæ potius ad fines Piſidarum & Pamphyliorum erat proferenda. Nec Herodotus Ptolemæum iuuat, qui lib. I cap. CLXXIII ſcripſit: τὴν νῦν Λύκιοι νέμονται, ἄυτη τοπαλαιὲν ἦν Μιλυάς. *Quam nunc Lycii* [γῆν, regionem] *tenent, olim erat Milyas.* Non credibile, totam Lyciam fuiſſe Milyadem; neque id Ptolemæus dixit. Si de parte loquitur Herodotus, illa ad orientem potius, quam ad occiduam Lyciæ plagam fuit, quia addit, Milyas olim Solymos vocatos fuiſſe. Solymi autem ad ortum, non ad occaſum fuere, Plinio in Piſidia; mons *Solyma* Straboni ſuper Phaſelidem. Male ergo in citeriore Lycia Ptolemæus poſuit *Milyadem*, quæ potius ad fines Piſidarum Pamphyliorumque in extrema Lycia conſtituenda erat. Nihilominus Ptolemæi quoque vrbes Milyadicas, etiam Cabaliæ omnes expoſuimus, quia Stephanus illas, & auctores Notitiarum & ex parte maiori etiam Plinius in Lycia cenſuerunt.

CAPVT IV

DE

ASIAE CIS TAVRVM ANTIQVO STATV IN MEDITERRANEIS.

I.

HActenus de Aſia cis Taurum, quæ ad mare eſt: nunc de mediterraneis regionibus, quæ ad mare non excurrunt, nobis dicendum eſt, in quibus ſunt Lydia Propria, & Phrygia, & Galatia, & Lycaonia: quod non ſolum ex ſitu cis Halym conſtat, quem cap. I deſcripſimus; verum etiam ex bello Antiochi, cui Phrygia Lydia & Lycaonia ab Romanis fuere ademtæ & Eumeni donatæ: ipſi vero intra Taurum permiſſum fuit regnare. Polybius Legat. XXXVI, & Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX, quæ huius loci ſunt, clariſſime expoſuerunt. Primum itaque de Lydia; deinde de ceteris ſingulis partibus agemus.

SECTIO I.

LYDIA ſiue MAEONIA.

II.

Conſentiunt fere veteres, *Mæoniam*, ſiue *Meoniam*, & *Lydiam* eſſe eamdem regionem: & quos Homerus Μήονας, *Meonas* dixerit, ipſos eſſe *Lydos*. Herodotus lib. I cap, VII βασιλεύσαντες ταύτης τῆς χώρας ἦσαν ἀπόγονοι Λυδȣ̃ τȣ̃ Ἄτυος, ἀπό τευ ὁ δῆμος Λύδιος ἐκλήθη, ὁ πᾶς οὗτος, πρότερον

Μήων

Μήων καλεόμενες, *qui in ea regione regnauerant, oriundi erant a Lydo, Atyis filio, a quo totus is populus cognominatus eſt Lydius, quum Meon antea vocaretur.* Et lib. VII cap. LXXIV οἱ δὲ Λυδοὶ, Μήονες ἐκαλεῦντο πάλαι, *Lydi olim Meones vocabantur.* Et Stephanus: Μαιονία, ἡ Λυδία, *Mæonia eſt Lydia.* * nam etiam per αι, *ae*, diphthongum ſcribitur, ſicut vetuſtiores per ῃ, diphthongum impropriam, & η, ſimplicem vocalem. Strabo lib. XIII pag. 430 τοὺς Λυδοὺς ὁ ποιητὴς καλεῖ Μήονας, οἱ δ' ὕστερον Μαίονας, *Lydos Homerus Meones vocat; poſteriores, Mæones.* Aliquando tamen diſtinctos Meonas a Lydis fuiſſe vir illuſtris Ezech. Spanhemius obſeruauit ad Callimachi Hymnum in Delum verſ. 250, Meoniam propriam olim dictam ſuperiorem Lydiam, (Pauſaniæ Attic. cap. XXXV Λυδίαν τὴν ἄνω) in qua mons Tmolus, & defluens inde Pactolus amnis, ideo Μηόνιος Πακτωλὸς, *Meonius Pactolus* a Callimacho dictus: & Homerum a Tmolo duxiſſe Meonas Catalog. verſ. 373

> Οἳ καὶ Μήονας ἦγον ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτας,
> *Qui & Meonas adduxerunt ſub Tmolo natos:*

Addo Dionyſium periegetam, qui verſ. 830

> Μηονίη δ' ἐπὶ τῇσιν ἐπ' ἀντολίην τετάνυσται
> Τμώλῳ ὑπ' ἠνεμόεντι,
> *Mæonia poſt has vrbes ortum verſus porrecta eſt*
> *Tmolo ſub ventoſo:*

Inferiorem vero partem & ad mare vergentem Lydos incoluiſſe. Sic Herodotus lib. I cap. CXLII de Epheſo, Colophone, Lebedo, αὗδε ἐν τῇ Λυδίῃ, *hæ vero* [vrbes] *in Lydia ſunt.*

III.

Sic antiquiſſimis temporibus fuerat, licet haud conſtanter, & *Meones* etiam inferiorem partem colentes adpellati fuerint, *Lydi* contra, qui tenebant ſuperiorem: poſtea Ionum colonia prævalente, & *Meonum* nomine ſenſim oblitterato, pars illa inferior *Ionia* dicta fuit: ſuperiori manſit nomen *Lydiæ*, idque per tempora Græcorum Romanorumque ita ſeruatum fuit, etiam in Notitiis Eccleſiæ atque epiſcopatuum. Nec vero hæc Lydia, ab Ionia diſtincta, eſt regnum Lydorum, præſertim poſteriorum regum, quod vtique latius inter Halyn & mare Aegæum patebat. Darius ad Alexandrum epiſtola apud Curtium lib. IV cap. XI *Halys amnis, qui Lydiam terminat.* Crœſus etiam Iones, Aeoles, Dores ſubegit, vt Herodotus narrat lib. I cap. XXVI & XXVIII. Lydiæ autem noſtræ hos terminos conſtituit Plinius lib. V cap. XXIX: *Lydia perfuſa flexuoſi amnis Mæandri recurſibus ſuper Ioniam procedit, Phrygiæ ab exortu ſolis vicina, ad ſeptemtrionem Myſiæ, meridiana parte Cariam amplectens, Mæonia ante adpellata.* Ad quem modum etiam Ptolemæus finit, & Notitia epiſcopatuum.

IV.

Prima vrbium Lydiæ, ac præcipua, & olim ſedes regum fuerunt

* Sic etiam Euſebius Præpar. Ev. II cap. 2 pag. 55.

Sardes, Σάρδεις, vt plurimum plurali nomine ſignificatæ, rarius ſingulari *Sardis:* ſitæ ſub *Tmolo* monte, ex quo *Pactolus* decurrit, qui vrbem interluit. Strabo lib. XIII pag. 430 αἱ Σάρδεις πόλις ἐςὶ μεγάλη, νεωτέρα μὲν τῶν Τρωϊκῶν, ἀρχαία δ' ὅμως, ἄκραν ἐυερκῆ ἔχουσα, βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν, *Sardes ſunt vrbs magna, poſt Troiana tempora quidem condita, ſatis tamen antiqua,* * *arcem habens probe munitam,* ** *& regia fuit Lydorum.* Herodotus lib. I cap. CI Πακτωλὸς, ὅς σφι ψῆγμα χρυσοῦ καταφορέων ἐκ τοῦ Τμώλου, διὰ μέσης τῆς ἀγορῆς ῥέει, *Pactolus, qui ramenta auri ipſis ex monte Tmolo fert, per medium forum* [vrbis Sardium] *fluit.* Plinius lib. V cap. XXIX *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui antea Timolus adpellabatur.* *** Præter Strabonem, Herodotum (cuius dicto loco eſt αἱρέουσι Σάρδις, *Sardes capiunt,* & ἐν τῇσι Σάρδισι, *in Sardibus*) & Plinium, etiam alii pluraliter id nomen ediderunt. Xenophon lib. VII Pæd. pag. 106. ἐπὶ Σάρδεις ἦγεν ὁ Κροῖσος, *Crœſus Sardes duxit exercitum:* & mox, ἐν Σάρδεσιν, *Sardibus.* Et Polybius lib. V cap. LXXVII εἰς Σάρδεις, quod etiam ſic legitur Apocalypſ. I comm. II, & Notitiis epiſcopatuum. Et Cicero de Senect. cap. XVII *quum Lyſander Lacedæmonius veniſſet ad eum* [Cyrum] *Sardeis.* Et Liuius lib. XXXVII cap. XLIV *Antiochus fugiens media ferme nocte Sardes conceſſit.* Ouidius lib. XI Metamorph. verſ. 137

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Contra Σάρδις, *Sardis*, ſingulariter Ptolemæus ſcripſit. Et Horatius I epiſt. XI ineunte:

- - - - *quid Crœſi regia Sardis?*
Smyrna quid, & Colophon?

Accedit Seguini nummus, in quo ΣΑΡΔΙΣ eſt, niſi Ionice pluralis is numerus eſt, vt Herodoti lib. I cap. XCI ἐς Σάρδις, *in Sardes.* † Gentile Σαρδιανὸς, *Sardianus.* Iam laudato Seguini nummo, facie altera ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Tacitus annal. II cap. XLVII *Aſperrima in Sardianos lues, plurimum in eoſdem miſericordiæ traxit.* An eadem quæ Homeri *Hyde*, vt videtur Plinius ſenſiſſe? negat Strabo, & Homeri verſum νοθείας accuſans, plane dicit οὐδεμία εὑρίσκεται Ὕδη ἐν τοῖς Λυδοῖς, *nulla inuenitur Hyda in Lydis.*

V.

Mons *Tmolus*, Τμῶλος, in cuius latere Sardes erant, †† a pluribus eſt memoratus. Homerus ventoſum propter altitudinem dixit, vt paullo an-

* Antiquitate enim certauit cum oppidis aliis. vid. Nonni Dionyſ. XLI v. 356 p. 1072.

** De arce Sardium & priore loco arcem vrbi coniungentem vide etiam Polyb. VII c. 4.

*** Adde Epigr. Græc. libr. I c. εἰς πόλεις p. 140. Sed iam Homerus Iliad. B. extrem. τμῶλον adpellat.

† Etiam in numiſm. Franc. de Camps p. 93 ΣΑΡΔΙΣ ΑΣΙΑΣ. ΛΥΔΙΑΣ. ΕΛΛΑΔΟΣ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. Ibidem eſt alius ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

†† Vid. Euripid. Bacch. v. 462.

lo ante ex verſu eius cognouimus: aliis laudatus a vini feracitate. Virgilius Georg. II verſ. 97

Sunt etiam Amminea vites, firmiſſima vina,
Tmolus & adſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

Ouidius lib. VI Metamorph. verſ. 15

Deſeruere ſui nymphæ vineta Timoli.

Timoli, id eſt *Tmoli.* nam ſic etiam tribus ſyllabis vocabatur. Plinius dicto loco: *Celebratur* [Lydia] *maxime Sardibus in latere Tmoli, qui antea Timolus adpellabatur, vitibus conſitus.* Seneca Phœniſſis verſ. 602

Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga.

VI.

In hoc monte Tmolo fons eſt, ex quo *Pactolus* defluit, amnis aurifer, Πακτωλὸς Græce, adrecta media, de quo Plinius: *Lydia celebratur Sardibus in latere Tmoli montis: & ex eo profluente Pactolo * eodemque Chryſorrhoa; ac fonte Tarne.* Strabo lib. XIII pag. 430 ῥεῖ ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου, καταφέρων τὸ παλαιὸν χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ, *fluit ex Tmolo Pactolus, qui olim ramenta auri deferebat multa,* vnde Crœſi diuitiæ creduntur fuiſſe: de ſua ætate autem Strabo: νῦν δ' ἐκλέλοιπε τὸ ψῆγμα, *nunc vero defecerunt illa ramenta.* ** Interluit Sardes, indeque euolutus, non per ſe in mare exit, ſed καταφέρεται εἰς τὸν Ἕρμον, *in Hermum defertur,* qui apud Phocæam mari Aegæo infunditur: vt ſupra poſt initium Ioniæ monſtratum fuit. Multæ eius laudes apud poetas. Virgilius lib. X verſ. 142

- - - - *Pactolusque irrigat auro.* ***

Tragicus poeta in Phœniſſis verſ. 604

Et qua trahens opulenta Pactolus vada.
Inundat auro rura.

Et Iuuenalis ſat. XIV verſ. 298

Sed cuius votis modo non ſuffecerat aurum,
Quod Tagus & rutila voluit Pactolus arena.

nam etiam Hiſpaniæ idem quondam fluminibus tribuerunt. Silius Italicus lib. I verſ. 234

Hic certant, Pactole, tibi Duriusque Tagusque.

A flumine nymphæ eius *Pactolides* vocantur. Ouidius Metamorphoſ. lib. VI verſ. 16

Deſeruere ſuas nymphæ Pactolides vndas.

VII.

In monte, vel iuxta illum, etiam oppidum fuit eiusdem nominis, *Tmolus,* quod quidam negatum iuere, conuinci autem vel ſolo marmore Neapolitano poſſunt, (quæ baſis Tiberiani coloſſi fuit) in quo Aſiæ vrbium, terræ motu concuſſarum & a Tiberio reſtitutarum, quarta nume-

ro

* Herodot. v p. 170.
** Idem dicit Tzetzes ad. Lycophr. Alex. v. 272.
*** Add. Nonnum Dionyſ. v. 146 ſeq. p. 276.

ro eſt TMOLVS, claris apicibus exſcripta. Confirmant aut illuſtrant, qui illam cladem vrbium, & ex ruinis reſtitutionem ſcripſerunt, Corn. Tacitus, Euſebius Hieronymianus, Nicephorus Calliſtus, qui omnes *Tmolum* in conlapſis oppidis numerauerunt. Iſte annali II cap. XLVII *Hierocæſaream, Myrinam, Cymen, Tmolum leuari tributis placuit:* ille in Chronico ad annum v Tiberii: *terræ motu ceciderunt Epheſus,* - - - *Philadelphia, Tmolus, Temnus,* ceteræ: hic, Nicephorus, lib. I cap. XVII de eadem clade, φιλαδέλφεια, Τμῶλος. Et Herodotus quoque non obſcure huius vrbis mentionem fecit lib. I cap. LXXXIV [vrbis Sardium τὸ ἄμηχον, inexpugnabilis pars] ἐςι πρὸς τȣ̃ Τμώλου τετραμμένον τῆς πόλιος, *obverſa eſt oppida Tmolo.* Fruſtra ergo aduerſus tot teſtes Freinshemius, V. C. ad Tacitum adlegat Strabonis ſilentium. Videtur Μεσοτίμολος, *Meſotimolus* Notitiarum eſſe, a quo Plinio quoque in Lydia ſunt *Meſotimolitæ,* quaſi in medio Timolo, qui Tmolus eſt, habitantes. Strabo vero in vertice Tmoli σκοπὴν, *ſpeculam* albi lapidis, opus Perſarum, tantummodo memorauit.

IIX.

Prope Sardes fuit *Alyattis,* qui pater Crœſi fuit, σῆμα, *ſepulcrum,* ambitu ſex ſtadiorum moles, χῶμα γῆς, *adgeſtio terræ* in lapideo fundamento: vt Herodotus deſcripſit lib. I cap. XCIII, qui addit, continuum illi moli *Gigæum lacum* eſſe, quem Strabo intra quadrageſimum ſtadium ab vrbe Sardiana poſuit. Homero quoque præcone gaudet, qui Catalogo verſ. 372, & Iliad. Υ verſ. 391 λίμνην Γιγαίην, *Gigæum lacum* nominavit. Plinius dicto loco Hyden *claram ſtagno Gygæo* dixit, ſiue *Hyde* ipſæ Sardes, ſiue aliquid eſt illis proximum.

IX.

Ab altero Tmoli latere, a Sardibus auerſo, oppidum erat *Hypæpa,* Ὕπαιπα, cuius ſitum Ouidius docet Metamorphoſ. lib. XI verſ. 150

- - - - *riget arduus alto*
Tmolus in adſcenſu: cliuoque extentus vtroque,
Sardibus hinc, illinc paruis finitur Hypæpis.

Exiguum oppidum fuiſſe, ex eo conſtare poteſt, quia & alibi *parua* Ouidius dixit lib. VI Metamorph. verſ. 13

Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.

Strabo XIII pag. 431 Ὕπαιπα πόλις ἐςὶ καταβαίνȣσιν ἀπὸ τοῦ Τμώλου πρὸς τὸ Καΰςρȣ πεδίον, *Hypæpa ſunt oppidum, qua deſcenditur a Tmolo ad Cayſtri campum.* Ptolemæus quoque in Mæonia ſua, ſeu Lydia, habet Ὕπαιπα, *Hypæpa:* & Pauſanias lib. I Eliac. ſub finem, Lydorum, cognomine Perſicorum, peregrina ſacra ἐν Ὑπαίποις, *Hypæpis.* Plinio incolæ dicti *Hypæpeni,* lib. V cap. XXIX extremo. Nummi Iuliæ Domnæ ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ.*

X.

Quæ circumiacent metropolim Sardes, difficulter ordinantur, niſi ex

* Idem nomen eſt etiam in Gordiani nummo pag. 89 Numiſm. Franc. de Camps.

ſi ex diſpoſitione Ptolemæi, quæ aliquot in Lydia locis manifeſto falſa eſt; & itinerario quod Antonini dicitur pag. 76, vbi a Callipoli Abydum, inde per Troadem ad Pergamum, Sardes, Philadelphiam, Laodiceam hoc ordine ducitur:

Pergamum	- - -	
Germam	M. P.	XXV
Thyatira	M. P.	XXXIII
Sardeis	M. P.	XXXIII
Philadelphiam	M. P.	XXVIII
Tripolim	M. P.	XXXIII
Hierapolim	M. P.	XII
Laodiciam	M. P.	VI.

2. Expeditior res omnis foret, ſi tuto ſtare hiſce numeris poſſemus; qui vero triplici repetitione eiusdem, nec diſſimili, qui interiectus eſt, ſuſpicionem prauatæ ſcripturæ præbent, vt vix aliud, quam ordinem fortaſſis, non certum modum diſtantiarum, exinde poſſimus diſcere.

XI.

Igitur a Sardibus in ſeptemtrionem, Pergamum verſus ſunt *Thyatira*, Θυάτειρα, quem ſitum Strabo comprobauit lib. XIII pag. 430 dicens, euntibus Pergamo Sardes, ἐν ἀριστερᾷ Θυάτειρα, *in ſiniſtra Thyatira* eſſe. Polybius Excerpt. Valeſ. pag. 69 ἐπὶ Θυατείρων ὥρμησε, *Thyatira verſus profectus eſt.* Atque ita etiam in ſancta Apocalypſi εἰς Θυάτειρα, cap. I comm. 11, & ἐν Θυατείροις, cap. II comm. 18. Hi plurali numero. At Plinius lib. V cap. XXIX *Intus & Thyatira adluitur Lyco, Pelopia aliquando & Euhippa cognominata.* Hic forma ſingulari vſus eſt. Quis autem adluens ille *Lycus?* ſane non poteſt eſſe, qui Laodiceam adluit, & apud Coloſſas adfunditur Mæandro: ſed longe alius, niſi erratum eſt in nomine. Liuius quoque ſingulari numero lib. XXXVII cap. XLIV *Legati ab Thyatira & a Magneſia ad Sipylum ad dedendas vrbes venerunt.* Alibi idem Liuius pluraliter. Lib. eodem XXXVII cap. VIII *ex hoſtium agro, qui circa Thyatira eſſet:* & cap. XXI *Inde per Thyatira Sardes rediit:* & cap. XXXVII *regia caſtra circa Thyatira erant.* Stephanus decidat de numero diſceptationem: ἔδει θηλυκῶς· νῦν δὲ οὐδετέρως φασὶν, *oportebat genere feminino dici; ſed nunc neutro effertur.* quo vſitatiorem pluralem huius nominis, quam ſingularem, ſignificat. Strabo refert, κατοικίαν Μακεδόνων, *Macedonum coloniam* eſſe, quod eo pronius ad fidem eſt, quia etiam Stephanus tradit, nomen a Seleuco Nicatore habuiſſe. Addit Strabo: Μυσῶν ἐσχάτην τινὲς φασὶν, *quidam dicunt* [Thyatira] *eſſe vltimam Myſorum vrbem;* quod male Stephanus tamquam cognomen interpretatus eſt. Id vero exinde non incertum eſt, quosdam Myſiæ contribuiſſe, quia ad fines illorum ſita ſunt. Plinius vero, Ptolemæus, & Stephanus cum auctoribus Notitiarum in Lydia cenſuerunt. Gentile Θυατειρηνὸς, *Thyatirenus.*

renus. In nummis eſt ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ: * & in ipſo loco (*Ak-hiſſar* nunc vocatur) Sponius ** lapidem deſcripſit, cui inciſum eſt: Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ, *venerabilis Thyatirenorum ſenatus.*

XII.

Thyatiris ab occaſu, ad fines Aeolidis, Ptolemæus *Hierocæſaream*, Ἱεροκαισάρειαν, opponit, a Tacito etiam memoratam, non ſolum in conlapſarum vrbium catalogo lib. II cap. XLVII, verum etiam lib. III annal. cap. LXII, vbi *Hierocæſarienſes* dicit Romæ, quum de aſylis iudicaretur, *expoſuiſſe, Perſicam apud ſe Dianam, delubrum rege Cyro dicatum.* Ab illo fano nomen ſanctitatis eſt: quod vero prius nomen oppidi, ante quam *Cæſarea* ab nouis ornamentis diceretur, non meminimus eſſe proditum. Forſan tantummodo Ἀρτέμιδος ἱερὸν, *Dianæ fanum* dictum fuit, quemadmodum in eadem Lydia plura eiusmodi delubra oppidis nomina dederunt, vt Διὸς ἱερὸν, Fanum Iouis apud Ptolemæum: *Apollonoshieritæ* apud Plinium, quorum oppidum in Notitiis eſt Ἀπόλλωνος ἱερὸν, *Fanum Apollinis;* vtrumque ab Dianæ fano diſtinctum & diuerſum. Mirum, præteritum a Plinio fuiſſe, quum vero id nominis iam ſub Tiberio, quando vrbes Aſiæ motu terræ quaſſarentur, teſtibus Tacito, Hieronymo, Nicephoro, qui ruinam illam ſcripſere, habuerit. Maior teſtis eſt nummus ille, quem ex regio theſauro Harduinus produxit, inſcriptus ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ ΠΕΡΣΙΚΗ, *Hierocæſarenſium Perſica,* intellige, Diana, vt ante paullo ex Taciti verbis cognouimus: cui nunc Pauſaniam adiungimus, Eliac. I cap. XXVII dicentem: ἔστι Λυδίοις ἐπίκλησιν Περσικοῖς ἱερὰ, ἔν τε Ἱεροκαισαρείᾳ καλουμένῃ πόλει, καὶ ἐν Ὑπαίποις, *Sunt in Lydis, cognomento Perſicis, ſacra* [Perſica] *tam in vrbe, quæ Hierocæſarea vocatur, quam Hypæpis.* Eſt & alius nummus, huic perſimilis ab illuſtri Spanhemio exhibitus pag. 897 ΙΕΡΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΚΟΜΑΝΩΝ, *Hierocæſarenſium* [&] *Comanorum*, puta, communio ſiue ὁμόνοια, quæ vox in multis nummis ſubauditur. Nec enim alia, præter Lydiam, Hierocæſarea, iudice laudatiſſimo viro, huius nummi cauſſa quærenda eſt. Addo coloſſi baſin, in qua inter vrbium nomina, a Tiberio reſtitutarum, poſtremo loco inciſum legitur H - - - - - - AESAREA, id eſt, ſi ſupples ex Tacito detritas, HIEROCAESAREA. Epiſcopum ſub Chriſtianis habuit, quemadmodum in Notitia, quam Carolus a S. Paulo ex regia bibliotheca cum Geographia Sacra vulgauit, legitur ὁ Ἱεροκαισαρείας, *Hierocæſarienſis* in Lydia epiſcopatus: quod etiam in aliis reperitur.

XIII.

Circa Thyatira etiam fuit *Campus Hyrcanus*, & in eo oppidum *Hyrcania.* Liuius lib. XXXVII cap. XXXVIII *Conſul circa Thyatira regem eſſe ratus, continuis itineribus quinto die ad Hyrcanum campum deſcendit.* Strabo lib. XIII pag. 432 *Cayſtriano campo, qui medio loco inter mediterranea & Tmolum incidit, orientem verſus conterminus eſt Cilbianus campus.* εἶτα

τὸ

* v. g. apud Vaillant. Sel. Numiſm. Franc. de Camps p. 55.

** Voyage III p. 223, 225.

τὸ Ὑρκάνιον πεδίον, Περσῶν ἐπονομασάντων, καὶ ἐποίκους ἀγαγόντων ἐκεῖθεν· *deinde Hyrcanius campus eſt, quem ſic Perſæ nominauerunt a colonis ex Hyrcania eo adductis.* Et Stephanus: ἔστι καὶ Ὑρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας, ὡς Ἐρατοσθένης· *Eſt quoque Hyrcanius campus Lydiæ, vt Eratoſthenes refert.* Habitatores *Hyrcani* dicti, &, quo diſcernentur ab Hyrcanis ſub mari Caſpio, *Macedones Hyrcani*, quia Hyrcani coloni Macedonicis in hoc tractu permixti erant. Plinius V cap. XXIX *Smyrnæum conuentum magna pars Aeoliæ frequentat: præterque, Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes a Sipylo.* Et Tacitus annal. II cap. XLVII *Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenſes, quique Moſteni aut Macedones Hyrcani vocantur, leuari tributis placuit.* De oppido illius campi, *Hyrcana* ſiue *Hyrcania,* ſilent veteres geographi æque vt hiſtorici: aliis ergo ex monimentis probandum defendendumque eſt. Iac. Sponius Itiner. pag. 446 nummum profert cum capite mulieris turrito, quod vrbium inſigne eſt, & inſcriptione ΥΡΚΑΝΙΙ: in auerſa parte ΥΡΚΑΝΩΝ. Subiungit interpretationis cauſſa ad vocem υρκάνων: *par lequel il ne faut pas entendre les peuples de l'Hyrcanie proche de Perſe, mais les habitans d' un lieu dans la Lydie de ce nom, a qui Stephanus ne donne pas à la verité le nom de ville, mais ſeulement d' une compagne,* ἔστι καὶ Ὑρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας: *la tête couronnée de tours, nous enſigne, qu' il y a eu là-même une ville.* In ſæpe dicto coloſſi fundamento vrbs numero vndecima eſt HYRCA - - - - quod Laur. Theod. Gronouius ſupplet HYRCANIA. Poſterioris autem ætatis ſcriptores vtique eius rationem habent in cladis Aſiaticæ recenſione, Hieronymus in Chron. *Hyrcania;* Nicephorus, prædicto loco, Ὑρκανία, cum aliis vrbium nominibus referentes.

XIV.

In eodem campo, aut prope illum, fuerunt etiam *Moſteni,* quorum oppidum Μοστηνοὶ, communi nomine, *Moſteni;* vel Μοστήνη, *Moſtena.* Tacitus vicinitatem Moſtenorum Hyrcanorumque oſtendit. *quique,* inquit, *Moſteni aut Macedones Hyrcani vocantur.* AVT prope eosdem fuiſſe demonſtrat, aut ita vicinos & permiſtos, vt ægre diſcernerentur, quamuis oppida diſtincta tenuerint. Verum nomen gentis ex nummo Gallieni, in regio Gallorum cimelio, cognoſcitur, in cuius altera facie eſt: ΜΟϹΤΗ. ΕΠΙ ϹΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΞΕΥΞΙΔΟϹ. Κ. ΛΟΥ. ΤΥΛΛΙΟΥ. hoc eſt, Μοστηνῶν, ἐπὶ στρατηγῶν Μάρκου Αὐρηλίου Ζεύξιδος καὶ Λουκίου Τυλλίου, *Moſtenorum ſub prætoribus Marco Aurelio Zeuxide & Lucio Tullio.* Nec aliud oppidi nomen apud Ptolemæum eſt, quam Μοστηνοὶ, *Moſteni,* plurali numero, vt gentis & vrbis commune nomen fuerit. Aliis vero eſt femineum & ſingulare, Hieronymo *Moſthene:* Nicephoro, Μωστήνη: Hierocli Μυστήνη & Μοστίνα, manifeſto errore, voce quæ in margine adnotata forte fuit, in textum recepta, quaſi diſtinctarum vrbium nomina eſſent: in ceteris Notitiis Μουστίνη. Omnia praue. Corrigantur ex nummo ita, Μοστήνη, *Moſtene* ſiue *Moſtena,* ſine adſpiratione, quæ perperam Hieronymo adrepſit: cum ο breui, & ε longo in media. Atque ita hoc nomen

ſincere expreſſum in baſi eſt coloſſica MOSTENE, vrbs eius monimenti duodecima. Athenæus memorat lib. II cap. XII nucum genus, quas Μόσηνα κάρυα, *Moſtenas nuces* vocat; forte quod Moſtenorum ager illarum feracior fuerit, ita adpellata.

XV.

Hinc Hermo traiecto, circa quem Ptolemæus ſuam *Nacraſam*, obſcurum oppidum poſuerat, niſi Ἄκρασος, *Acraſus*, Notitiarum eſt; venimus ad *Sipylum* montem, * & ei adiacentem vrbem *Magneſiam* cum cognomine montis. Strabo lib. XIII pag. 427, poſtquam de Aegis & Temno egerat, *ſitæ ſunt*, inquit, *eæ vrbes ad montana, quæ ſupra agrum Cumanum, Phocæum & Smyrnæum iacent, per quem Hermus fluit.* Οὐκ ἄπωθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων ἡ Μαγνησία πόλις ἐστὶν, ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη. *Haud procul ab his oppidis eſt Magneſia, quæ ſub Sipylo dicitur, ab Romanis libera iudicata.* Appianus B. Mithridat. pag. 355 ciuitates enumerans, quibus vel in auxilii præmium, vel in ſolatium eorum, quæ paſſæ fuerant, libertatem Romani conceſſerint, memorat etiam Μαγνησίαν, *Magneſiam*, non addita diſcriminis nota, vtrum illam ad Mæandrum, an hanc ſub Sipylo intelligat. Nobiliorem hanc fecerat & ipſum *Sipylum* montem victoria Romanorum & clades regis Antiochi. Liuius lib. XXXVII cap. XXXVII *Antiochus recepit ſe transgreſſus Phrygium amnem: circaque Magneſiam, quæ ad Sipylum eſt, poſuit caſtra.* Dein deſcribit munitiones caſtrorum, quæ regis vltima in illo bello fuerunt. Appianus Alexandrinus Syriacis pag. 171 Ἀντίοχος μετεστρατοπέδευσεν ἀμφὶ τὸ ὄρος τὸ Σίπυλον· τεῖχος δὲ κρατερὸν τὸ στρατοπέδῳ περιετείχιζε, καὶ τὸν Φρύγιον ποταμὸν ἐν προβολῇ τοῖς πολεμίοις ἐτίθετο, *Antiochus tranſtulit caſtra ſua ad montem Sipylum, eaque vallo muniit, hoſtibus Phrygio amne obiecto.*

2. Sub Tiberio mota terra etiam hanc vrbem grauiter concuſſit. Quamuis enim Hieronymus & Nicephorus ſimpliciter *Magneſiam* nominarint, nec veſtigia in baſi coloſſica plus litterarum ibi fuiſſe oſtendant; tamen Tacitus clare illam cladem Magneſiæ Sipyli adſcripſit. *Aſperrima*, inquit, *in Sardianos lues plurimum in eosdem miſericordiæ traxit - - - Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti.* Et Strabo lib. XII extremo, καὶ νῦν τὴν Μαγνησίαν τὴν ὑπ᾽ αὐτῷ [Σιπύλῳ] κατέβαλον σεισμοὶ, *& noſtra ætate Magneſiam, quæ ſub Sipylo eſt, deiecerunt terræ motus:* ideoque τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ, *ſubuerſionem* [oppidi] *Sipyli*, quæ olim tradita fuerat, non pro fabulis habendam eſſe iudicat. Non enim mons ſubuerſus, ſed oppidum eius nominis ſub monte Sipylo. Plinius lib. V cap. XXIX *Interiere intus Daphnûs & Hermeſia, & Sipylum, quod ante Tantalis vocabatur, caput Mæoniæ, vbi nunc eſt ſtagnum Sale. Obiit & Archæopolis ſubſtituta Sipylo & inde illi Colpe, & huic Lebade.*

3. Sed ad Magneſiam: cuius ciuitatis plures exſtant nummi, ſub variis cuſi principibus, Nerua, Marco, Caracalla, Gordiano, Philippo, in qui-

* Epigrammat. Græc. libr. III c. εἰς ἡρωϊδ. p. 437 στενάχει δ᾽ ὑψιπαγὴς Σίπυλος.

quibus eſt ΜΑΓΝΗΤΩΝ ϹΙΠ. aut ΜΑΓΝΗΤΩΝ ϹΙΠΥ. quidam plene, vt ille Marci, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ϹΙΠΥΛΟΥ, *Magnetum Sipyli.* Hiſtorici & geographi præpoſitionem adiiciunt AD, SVB, A. Ptolemæus, Μαγνησία πρὸς Σιπύλῳ, vt Liuius XXXVI cap. XLIV *legati ab Thyatira, & a Magneſia ad Sipylum, ad dedendas vrbes venerunt.* Plinius lib. v cap. XXIX *Magnetes a Sipylo,* perinde ac Tacitus ſupra: Strabonis ὑπὸ, *ſub,* iam ante vidimus.

XVI.

Media via inter Pergamum & Sardes, vtrimque CCC ſtadiorum interuallo, ſecundum Strabonem lib. XIII pag. 430, eſt Ἀπολλωνὶς, *Apollonis,* ad dextram quodammodo euntibus a Pergamo, inclinans. Niſi me omnia fallunt, hæc illa eſt, quæ in coloſſi Tiberiani fundamento dicitur APOLLONIDEA, quod nomen Hieronymi Chronico Scaligeriano male disiunctum eſt *Apollonia, Dia,* quaſi duæ vrbes fuiſſent; peius veteri editione ſequenti adnexum, *Apollonia, Diahyrcania:* inepte quoque a Nicephoro disiectum, *Apollonia, Hyrcania, Dia.* Confirmat nos Cicero pro Flacco cap. XXI *abduxiſti Temno Apollonidem:* quæ ipſa Strabonis forma eſt, Græce Ἀπολλωνίδα, ex recto Ἀπολλωνίς: niſi legendum, vna littera adiecta, *Apollonideam.* Et ibidem cap. XXIX *Cur vnus tu Apollonidenſes, amantiſſimos populi Romani fideliſſimosque ſocios, miſeriores habes, quam aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuerit vmquam?* & cap. XXXII *Quid? hæc Apollonidenſes, occaſione facta, ad Flaccum detulerunt?* & mox: *legati Apollonidenſes:* item, *conuicta ab Apollonidenſibus.* Et ad Quintum fratrem lib. I epiſt. II cap. III *miſiſſe ad Apollonidenſes, ne de bonis, quæ Octauii fuiſſent, deminui paterentur.* Sic. Palat codices: Lambinus *Apollonidienſes.* vt Plinius lib. v cap. XXX *Apollonidienſes, aliæque inhonoræ ciuitates.* In Notitiis epiſcopatuum eſt ὁ Ἀπολλωνιάδης, quaſi rectus *Apolloniada,* praue: in alia, ὁ Ἀπολλωνιάδος, *Apollonias* recto: neque ita bene. Diſtinguunt eædem Notitiæ a *Fano Apollinis,* quod Græce dicitur Ἀπόλλωνος ἱερὸν, inter oppida Lydiæ numeratum. Vnde Plinii ſunt *Apollonoshieritæ,* lib. v cap. XXIX.

XVII.

Sardibus ab ortu eſt *Philadelphia* ſiue *Philadelphea*; nam Græce eſt Φιλαδέλφεια. In ſæpe dicta coloſſi baſi ſcriptum eſt PHILADELPHEA. Strabo lib. XIII ſub finem videtur in Myſia ponere. Μετὰ Λυδοὺς, inquit, εἰσὶ οἱ Μυσοὶ, καὶ πόλις Φιλαδέλφεια, σεισμῶν πλήρης. *Poſt Lydos ſunt Myſi, & vrbs Philadelphea, terræ motibus obnoxia.* Sed bene res habet, & ipſe ibidem Strabo dixit, *quæ in meridiem vergant, ad Taurum vsque, Phrygiæ, Lydiæ, Cariæ, Myſiæ partes,* δυσδιάκριτα εἶναι, παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα, *difficulter diſcerni, & inuicem limitibus miſceri.* Philadelphiam autem in Lydia locant Ptolemæus, Stephanus, & omnes Notitiæ epiſcopatuum. Idem Strabo lib. XII fere extremo: ἡ Κατακεκαυμένη ὑπὸ Λυδῶν καὶ Μυσῶν κατέχεται - - - ἡ τε Φιλαδέλφεια ἡ πρὸς αὐτῇ πόλις, οὐδὲ τοὺς τοίχους ἔχει πι-

ϛοῦς, *Combuſta quæ dicitur regio, a Lydis pariter & Myſis habitatur, iuxta quam Philadelphea, neque parietes tutos habet.* Eccleſiam antiquam habuit, vnaque eſt ex ſeptem illis, quas in Aſia Ioannes Apocalypſi deſcripſit. Nomen habet ab Attalo Philadelpho, Eumenis fratre. Stephanus: φιλαδέλφεια πόλις Λυδίας, Ἀττάλου κτίσμα τοῦ φιλαδέλφου, *Philadelphea vrbs Lydiæ, ab Attalo Philadelpho condita.* Gentile φιλαδελφεὺς, *Philadelpheus*; & φιλαδελφηνὸς, *Philadelphenus.* In nummis eſt prior forma ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ: poſteriori vſi ſunt Plinius atque Tacitus prædictis locis, vterque *Philadelphenos* eius vrbis ciues vocitantes. Ludorum ſolemnitate etiam inſignis hæc ciuitas erat. Georgius Wheler, Itinerarii pag. 525 inſcriptionem adfert, qua hæc inter alia plura leguntur.

ΚΟΙΝΑ ΑϹΙΑϹ ΕΝ
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ.

hoc eſt, *communia Aſiæ feſta* (ſiue ſolemnes conuentus atque ludi) *Philadelpheæ.*

XVIII.

A Philadelphia in ortum circa Cayſtrum flumen Ptolemæus poſuit Διὸς ἱερὸν, *Iouis fanum.* Hinc ſunt Plinii *Dioshieritæ* lib. v cap. XXIX extremo. Nummus Harduini, ΔΙΟϹΙΕΡΕΙΤΩΝ.

XIX.

Nec procul hinc fuit *Mæonia*, oppidum in regione huius nominis, cum qua id caue ne confundas. Sita fuit, ſi Plinio fides, ad radices Tmoli, ſed alio ex latere ab illo, quod Sardes habet. Sic enim ille ſæpe dicto cap. XXIX *Sardiana nunc adpellatur ea iuriſdictio. Conueniunt in eam Macedones Cadueni, Philadelpheni; & ipſi in radice Tmoli Cogamo flumini adpoſiti Mæonii, Tripolitani.* Oppidani Mæonii, vt Philadelpheni. In Notitia Hieroclis, & alia Epiſcopatuum, in Lydia eſt ciuitas Μεονία, *Meonia*: in alia, Μαιονία, *Mæonia.* Quos hic Plinius *Macedones Caduenos* dixit, illorum oppidum Κάδοι, *Cadi* ſunt Ptolemæi, quod ipſe vero in Phrygiæ finibus poſuit, Lydis a ſeptemtrione. Notitiarum Κάδοι, *Cadi* oppidum ſunt Phrygiæ Pacatianæ. Plura ergo in Phrygia dicentur.

XX.

Circa Cayſtrum amnem ſunt *Cayſtriani campi*: & in ortum magis, *Cilbiani.* Strabo ſub finem libri XIII τῷ δὴ Καϋϛριανῷ πεδίῳ μεταξὺ πίπτοντι τῆς τε μεσογειότητος, καὶ τοῦ Τμώλου, συνεχές ἐϛιν πρὸς ἕω τὸ Κιλβιανὸν πεδίον, πολύ τε καὶ συνοικούμενον εὖ, καὶ χώραν ἔχον σπουδαίαν. εἶτα τὸ Ὑρκάνιον πεδίον. *Cayſtriano itaque campo, qui medio loco inter mediterranea & Tmolum incidit, orientem verſus conterminus eſt Cilbianus campus magnus & bene habitatus, agrique fertilis. Sequitur Hyrcanius campus:* de quo ſupra dictum eſt. Euſtathius ad Dionyſii verſ. 837 ἀπὸ τοῦ Καΰϛρου καλεῖται τὸ πεδίον Καΰϛριον, τὸ καὶ Καϋϛρηνόν· ᾧ συνεχὲς τὸ Κιλβανόν. *A Cayſtro nominatur Cayſtrius campus, qui & Cayſtrenus dicitur: cui continuus eſt Cilbanus* ſiue *Cilbianus.* nam excidit forte littera. *Cayſtrius* per ſe notus eſt, vt-

pote

pote patens ad flumen ſuum: *Cilbianus* magis indiget, vt curatius a nobis perluſtretur. Ad Cayſtri fontes pertinet. Plinius lib. v cap. XXIX *Epheſus adluitur Cayſtro, in Cilbianis iugis orto, multosque amnes deferente, & ſtagnum Pegaſeum, quod Phyrites amnis expellit.* Ibidem, poſt paullo diſtinguit *Cilbianos* populos *in ſuperiores*, qui iugis montium Cilbianorum fuere propinquiores: & *inferiores*, in campis & demiſſioribus locis habitantes. *Epheſum*, inquit, *alterum lumen Aſiæ, remotiores conueniunt, Cæſarienſes, Metropolitæ, Cilbiani inferiores & ſuperiores: Myſomacedones, Maſtaurenſes.* Sic bene interpunxit Harduinus. Vulgaris lectio Myſomacedones in ſuperiores inferioresque diuiſit, id quod nummus Iuliæ Domnæ, quo expreſſum ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΩ, *Cilbianorum ſuperiorum*, refutatur. Alius, ſub Caracalla percuſſus, hanc epigraphen habet: ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΝΙΚΑΕΩΝ, ad inferiores ab Harduino refertur, cui oppidum illorum *Nicopolis* fuiſſe videtur, quam Notitia epiſcopatuum non in Aſia prouincia, vt ipſe dicit, ſed in Phrygia Salutari, parte prouinciæ Romanorum proconſularis, poſuit.

XXI.

Vltra Philadelphiam eſt *Tripolis* ad Mæandrum, quam Cariæ primam vrbem recenſet Ptolemæus: etiam Stephanus in Caria ponit: Notitiæ vero epiſcopatuum & prouinciarum in Lydia. Et Plinius in expoſitione Lydiæ: *Philadelpheni, & ipſi in radice Tmoli Cogamo flumini adpoſiti Meonii, Tripolitani: iidem, & Antoniopolitæ Mæandro adluuntur.* Si de inciſione dubitas, an ad Tripolin etiam Mæander pertineat; ſummus vir Ezech. Spanhemius pag. 888 nummo firmat inſcripto ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΑΙΑΝΔΡ. *Tripolitarum Mæandri*, ſiue *ad Mæandrum.* Epiſcopalem fuiſſe iam dictum, quum ad Notitias prouocabamus; in quibus eſt ὁ Τριπόλεως: Hierocli, qui vrbes ſimpliciter nominat, in Lydiæ eparchia ſub conſulari, Τρίπολις, *Tripolis*, loco tertio.

XXII.

Auſtralem partem Lydiæ, citerioremque ad Mæandrum, aut prope illum, *Tralles* tenent atque *Nyſa*, quibus Ptolemæus etiam *Metropolim* adiecit. Ex his *Tralles* nobiliſſimæ, frequentius plurali numero, quam ſingulari dictæ. *Trallis* ſingulariter eſt Plinii, Ptolemæi, Stephani: ceteri multitudinis numero Τράλλεις, *Tralles.* Strabo lib. XIV pag. 446 Μετὰ Μαγνησίαν ἡ ἐπὶ Τράλλεις ἐςὶν ὁδὸς ἐν ἀριςερᾷ τὴν Μεσογίδα ἔχουσιν, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὁδῷ καὶ ἐν δεξιᾷ τὸ Μαιάνδρου πεδίον. *Poſt Magneſiam* [Mæandri] *via Tralles ferens, ad læuam habet Meſogidem montem, a dextra Mæandri campum.* Laudat deinde a ſitu, qui natura vndique ſit munitus: deinde a frequentia & opibus. συνοικεῖται δὲ καλῶς εἴ τις ἄλλη τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ εὐπόρων ἀνθρώπων, *ſi qua alia ciuitas Aſiæ, hæc frequens eſt, ab opulentis viris habitata.* Cicero etiam pluratiuo numero, lib. III epiſt. v. ad Appium: *Tralles veni a. d.* VI *Kalend. Sextiles.* Et lib. v epiſt. XIV ad Atticum: *has* [litteras] *dedi Trallibus.* Et pro Flacco cap. XXIX *Verum eſto: negotiari libet.*

bet. cur non Pergami? Smyrnæ? Trallibus? Cæſar lib. III B. Civ. cap. CV *Trallibus in templo Victoriæ, vbi Cæſaris ſtatuam conſecrauerant, palma per eos dies inter coagmenta lapidum ex pauimento exſtitiſſe oſtendebatur.* Repetit eadem Valerius Max. lib. I cap. VI, & *Trallibus* quoque contigiſſe demonſtrat. Et Liuius lib. XXXVII cap. XLV *Sub idem fere tempus & ab Trallibus & a Magneſia, quæ ſuper Mæandrum eſt, & ab Epheſo, legati ad dedendas vrbes venerunt.* Polybius, Legat. XXXVI, Eumeni Romanos, victo Antiocho, dediſſe dicit Λυκαονίαν, Μιλυάδα, Λυδίαν, Τράλλεις, Ἔφεσον, Τελμισσόν· quæ Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX vertit, *Lycaoniam, & Milyada, & Lydiam, & nominatim vrbes, Tralles, atque Epheſum, & Telmiſſum.* Et Iuuenalis ſat. III verſ. 70

Hic Andro, ille Samo; hic Trallibus aut Alabandis.

2. De ſitu lis eſt. Stephanus, Τράλλις πόλις Λυδίας πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ, *Trallis vrbs Lydiæ ad Mæandrum fiuuium.* De Mæandro dubites an adluerit, quia Strabo poſitionem curatius deſcribens, etiam τὰ κύκλῳ, *quæ in circuitu,* fluminis nullam mentionem fecit: quin potius viam, quæ a Magneſia Tralles ferat, campum Mæandri, id eſt non mediocre ſpatium, a dextra habere dicit, quod inter flumen ſit & viam. Nihilominus chorographum falſi accuſare abſtinemus, ſi πρὸς illius interpreteris *prope,* quia Whelerus pag. 288 nummum profert, qui ſignum fluminis habet cum litteris ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, quod argumento ſit, flumini vrbem memorabili adpoſitam eſſe, vel prope illud ſitam; quod haud aliud quam Mæandri poteſt eſſe. Addit doctiſſimus peregrinator, etiam clariſſimi Smithii adiutus teſtimonio, ruinas vrbis huius conſpici *ſur vne montagne, qui eſt a vne demie lieuë du Meandre ſur le chemin de Laodicée a Epheſe,* quæ cum Strabone conueniunt, qui etiam in editiore loco, tamquam in *trapezio,* vt ait, poſuit. Et quia *vne demie lieuë*, dimidia leuca abeſt a flumine, omnino poteſt vrbibus, ad flumen illud ſitis, adnumerari.

3. Amœnitatem loci cetera nomina, ſeu cognomina oſtendunt. Plinius ſæpe indicato lib. V cap. XXIX *Trallis, eadem Euanthia, & Seleucia, & Antiochia dicta.* Stephanus: ἡ πρότερον λεγομένη Ἄνθεια, διὰ τὸ πολλὰ ἄνθη ἐκεῖ πεφυκέναι, *prius dicta eſt Antheia, quod multi flores ibi naſcerentur.* Ceteris Plinii nominibus ornamenta ab regibus data ſignificantur. Stephanus addit nomen Ευρυμνά, quod ſuſpectum Berkelio, videtur Εὐμενία, *Eumenia* legendum, quia vrbs Eumeni ab Romanis fuit dono data: & alibi (in Χάραξ) ipſum nomen Χάραξ, *Charax;* quod ſitum vrbis a Strabone deſcriptum, & τὰ κύκλῳ ἱκανῶς εὐερκῆ, *circuitum bene munitum* confirmat.

4. Gentile Stephano vnum Τραλλιανός, *Trallianus.* Sic in nummis pluribus ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, & Strabo dicto loco, Τραλλιανῶν πόλις, *Trallianorum vrbs.* Tacitus annal. IV cap. LV *Hypæpeni Trallianique Laodicenis & Magnetibus ſimul tramiſſi, vt parum validi:* ideoque templo Tiberii, de quo diſceptabatur, minus digni.

XXIII.

Nyſa vrbs vicina Trallibus, ſub *Meſogide* monte. Strabo lib. XIV pag. 447 Νύσα ἵδρυται πρὸς τῇ Μεσωγίδι, τὸ πλέον τῷ ὄρει προσανακεκλιμένη, *Nyſa ſita eſt ad Meſogidem, maiorem partem monti acclinata.* Adiicit, quaſi δίπολιν, *duplicem vrbem* eſſe, conualle & torrente alueo diremtam. Ptolemæus Νύσσα, *Nyſſa*, ſcripſit duplici, & in Caria poſuit: etiam Plinius in Caria: *Nyſa, Trallis, eadem Euanthia*, quæ coniunctio vicinitatem arguit. Itidem Stephanus in Caria cenſuit, & ſparſis locis alia eius nomina ſignificauit, *Pythopolim, Antiochiam, Athymbram.* Poſtremo loco, ſeu in voce Ἀθύμβρα dicit, ſitam eſſe πρὸς Μαιάνδρῳ, *ad* vel *prope* Mæandrum. In Caria autem ſcribunt, quia quidam vltra Mæandri ripam fines Cariæ protendunt: verius autem in veteri Lydia fuit, quam amnis ille terminabat, præſertim mare verſus. Ante laudatus Whelerus cum Smithio dicit eſſe *vn petit village enuiron a trois heures de diſtance de Trallis.* Addit nummum, quem huc refert, inſcriptum ΝΥϹΕΩΝ: in aliis nummis ΝΥϹΑΕΩΝ, quia ſecundum Stephanum gentile eſt varium Νυσεὺς, Νυσαεὺς, & Νυσαῖος. Strabo pag. 446 Πυθόδωρος ἀνὴρ Νυσαεὺς, *Pythodorus Nyſæ natus*, Pompeii amicus, cuius filia *Pythodoris* in Ponto poſtea regnauit.

XXIV.

In via inter Tralles & Nyſam pagus eſt *Acharaca*, in quo Πλουτώνιον, *Plutonium*, & νεὼς Πλούτωνος, *Plutonis templum*: & *Charonium antrum*, vbi ex ſomnis curationes morborum petebantur. Triginta a Nyſa ſtadiis locus eſt Λειμὼν, id eſt *Pratum*, vbi conuentus agebatur: quem putabant Homeri λειμῶνα Ἄσιον, *Aſium pratum* eſſe, inter Mæandrum atque Cayſtrum. Hæc ex Strabone pag. 447. Adde de *Charoneio*, quæ idem ſub finem libri XII ſcripſit, plura in illo Aſiæ tractu Χαρώνεια, *Charonea*, eſſe, τό τε ἐν Ἱερᾷ πόλει, καὶ τὸ ἐν Ἀχαράκοις τῆς Νυσαΐδος, καὶ τὸ περὶ Μαγνησίαν καὶ Μυοῦντα, *vnum Hierapoli, aliud ad Nyſææ regionis Acharaca, itidemque ad Magneſiam & Myuntem.*

XXV.

Superſunt nonnulla obſcuriora, aut quorum ſedes eſt incertior. Stephanus in Μητρόπολις ait, τρίτη, Λυδίας, *tertia huius nominis eſt Lydiæ.* Hæc illa *Metropolis* eſt, quam Ptolemæus inter Colophonem & Prienen circa Cayſtrum poſuit, itidemque in Lydiis numerauit, earumque fecit vltimam.

2. *Aegara* Ptolemæi incognita aliis: niſi forte Αἰγαία ſiue Αἰγαῖαι, *Aegææ*, Aeolidis eſt, eædem quæ Αἰγαὶ Strabonis: de quibus ſupra in fine Aeolidis actum fuit.

3. Nec notior *Iuliagordus*, Ἰουλιάγορδος, Ptolemæi, quam inter Hermum amnem & Sipylum montem ponit: haud dubie Γόρδος vel Γόρδοι, *Gordus, Gordi*, Notitiarum in Lydia, cum *Iuliæ* adſumto cognomine. Hierocles Γόρδος, *Gordus*: ceteræ Notitiæ, ὁ Γόρδων, *Gordorum* epiſcopatus. Socrates lib. VII cap. XXXVI ἀπὸ Γόρδου τῆς Λυδίας, *a Gordo Lydiæ* epiſcopum in Proconneſum translatum dicit.

XXVI.

Plinii *Antoniopolitæ* Mæandro adluuntur: qui ſint, ignotum, aut incertum.

tum. Eiusdem *Hermocapelitæ* lib. v cap. xxx videntur etiam ad Lydiam pertinere, quia in Notitiis Lydiæ oppidi nomen eſt Ἑρμοκαπηλία, *Hermocapelia:* ſed vbi eius poſitio ſit, nusquam, quod ſciam, proditum eſt. *Polychalandus* epiſcopalis vrbs Epiphanio, qui Hæreſi LXXIII pag. 874 memorat Phœbum quemdam, ἐπίσκοπον Πολυχάνδου τῆς Λυδίας, *epiſcopum Polychandi in Lydia.* In tribus Notitiis Lydiæ eſt ὁ Βαλάνδου, *Balandi* epiſcopus, quæ vox autem nimis ab illa videtur abeſſe.

XXVII.

Maſtaura & *Briula* ſeu *Briulla* addenda ſunt. In Notitiis, quod mirandum, inter Aſiæ & Lyciæ epiſcopatus ὁ Μαστάυρων, *Maſtaurorum* qui eſt, refertur; nam plurale *Maſtaura:* at Stephanus, Μάσταυρα πόλις Λυδίας, *Maſtaura vrbs Lydiæ.* Et Plinius lib. v cap. xxix extremo: *Myſomacedones, Maſtaurenſes, Briullitæ, Hypæpeni, Diosbieritæ,* atque ita cum Lydis coniuncti. Strabo lib. xiv pag. 447 clarius illuſtrat. Poſt Nyſæ Lydiæ explicationem ſcripſit: *Circumiacent trans* (πέραν) *Mæandrum memorabiles* κατοικίαι, ſiue *vici, Coſcinia & Orthoſia;* ἐντὸς δὲ Βρίουλα, Μάσταυρα, Ἀχάρακα, καὶ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐν τῷ ὄρει τὰ Ἀρόματα, *citra vero* [fluuium] *Briula, Maſtaura, Acharaca, & ſupra vrbem* [Nyſam] *in monte Aromata.* Intra ergo Mæandrum circa Tralles atque Nyſam *Maſtaura* fuerunt, e regione Orthoſiæ in Caria explicatæ. Et hæc *Maſtaura* in prouincia Aſiæ Notitiæ habent: altera earumdem, puto in Lyciam errore eſſe intruſa, quia in Notitia Hieroclis tantum in prouincia Aſia ſunt Μάσταυρα, *Maſtaura;* in Lycia, nulla.

XXVIII.

Briula, Βρίουλα, apud Strabonem legendum eſt, quod Plinii *Briullitæ,* ſiue vt in MSS. eſt, *Briulitæ* probant, & Notitiarum in prouincia Aſia ὁ Βριούλων, *Briulorum* epiſcopus. Iam dicta ciuilis Notitia, Hierocli tributa, habet in eadem prouincia Πρίουλλα, *Priulla,* quod in prima littera corrigendum eſt. *Acharaca* ſupra vidimus.

XXIX.

Aromata, o breui, Strabone ipſo monitore, generoſi vini prouentus commendauit, quod inde etiam cognominatur. Strabo dicto loco: Ἄριστος Μεσωγίτης οἶνος ὁ Ἀρομεὺς, *optimum de vinis Meſogiticis Aromenſe.* Forte ſcribendum *Aromatenſe,* Ἀροματεὺς, quia loci nomen pluratiuum eidem Straboni eſt.

XXX.

Montana illa vini feracia, quæ circa Nyſam ſunt, dicuntur mons *Meſogis,* ἡ Μεσωγὶς, vti recto caſu apud Strabonem eſt lib. xiv pag. 438. ἥ τε Μεσωγὶς, inquit, καὶ ὁ Τμῶλος, καὶ ἡ κατακεκαυμένη διαφόρως χρηστοινοῦσιν, *Et Meſogis, & Tmolus, & Combuſta regio excellunt generoſo vino.* Et pag. 447 ὑπερβᾶσι Τμῶλον τὸ ὄρος καὶ τὴν Μεσωγίδα, *ſuperantibus Tmolum montem & Meſogidem.* Stephanus geminata littera: Μεσσωγὶς ὄρος Λυδίας, *Meſſogis mons Lydiæ.* Ptolemæus hoc tractu montem locauit, qui vocatur Μισῆτις, *Miſetis,* quod corruptum ex Μεσωγὶς, *Meſogis,* videtur. De vino *Meſogita,* Μεσωγίτῃ, iam modo ex Strabone dictum eſt.

SECTIO II.

PHRYGIA.

XXXI.

Phryges vt antiquiſſima gens intra Taurum & Halyn; ita etiam maxima facile & ampliſſimæ poſſeſſionis fuit. Plinius lib. v cap. XXXII *Phrygia Troadi ſuperiecta populisque a promontorio Lecto ad flumen Etheleum prædictis, ſeptemtrionali ſui parte Galatiæ contermina: meridiana Lycaoniæ, Piſidiæ, Mygdoniæque: ab oriente Cappadociam attingit.* Nec vero Plinius omnem Phrygiam comprehendit, quia Helleſpontiacam, quæ Troadis pars maior erat, non penitus exponit; neque Mygdoniam, quæ Stephano μοῖρα φρυγίας τῆς μεγάλης, *pars Phrygiæ Magnæ* eſt; licet Epicteto Strabonis, quam attingit, forte rectius poſſis adſcribere. Lapſus enim eſt Plinius, quum in auſtrali termino Phrygiæ conſtituendo Mygdoniam hanc cum Lycaonia Piſidiaque coniungit, qui ipſe antea cap. XXX *Mygdones* ad ſuperiora loca reduxerat. Sane Strabo lib. XII pag. 395 Μύγδονας, *Mygdones,* in iis populis numerat, qui Olympum Myſorum montem circumcoluerunt. Turbatus igitur eſt ordo Plinii, vel ab ipſo negligentius tractatus, vel prauatus a deſcribentibus.

XXXII.

Duplex autem *Phrygia* eſt veteribus, *Maior* & *Minor,* quas ideo Liuius lib. XXXVII cap. LIV in Rhodiorum oratione, & cap. LVI in ſenatus conſulto *Phrygiam vtramque* vocat, & lib. XXXVIII cap. XXXIX eas nominatim interpretatur. De iis, quæ Romani, Antiocho ademta, Eumeni dono dederunt, *Adiecerunt,* inquit, *in Aſia Phrygiam vtramque; alteram ad Helleſpontum; Maiorem alteram vocant.* Strabo & Ptolemæus alteram quoque τὴν μεγάλην φρυγίαν, *Magnam Phrygiam* nominant; in alterius adpellatione corruptus Ptolemæus, rurſus μεγάλην vocans, quæ μικρὰ *minor* ſeu *parva* dicenda erat: Strabo varius eſt, Minorem nunc *Helleſpontiacam* dicens, nunc Ἐπίκτητον, *Epictetum* Phrygiam, id eſt adquiſitam, quæ duo nomina aliquando diſtinguere videtur, aliquando pro iisdem habere: aliquando Epictetum Magnæ attribuere. Libro II pag. 89 *Regio intra Halyn quæ dicitur, continet* - - - - Βιθυνοὺς, καὶ Μυσοὺς, καὶ τὴν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ λεγομένην Φρυγίαν, ἧς ἐστὶ καὶ ἡ Τρῳάς· - - - - ἐν τῇ μεσογαίᾳ τήν τε Φρυγίαν, ἧς ἐστι μέρος ἥτε τῶν Γαλλογραικῶν λεγομένη Γαλατία, καὶ ἡ Ἐπίκτητος, καὶ Λυκάονες καὶ Λυδοί· *Bithynos, Mæſos, & Phrygiam quæ ſuper Helleſponto eſt, cuius & Troas eſt.* - - - - *In mediterraneis autem eam Phrygiam, cuius pars Gallogræcorum ita dicta Galatia eſt, & Epictetus, & Lycaones, & Lydi.* Hîc Strabo nimis extendit Magnam Phrygiam, vt Lydos quoque & Lycaones complectatur, quos ceteri a Phrygibus diſcernunt, vt ſupra Plinium diſcreviſſe vidimus. De Gallogræcis verum eſt partem Phrygiæ occupaſſe. Epictetum, quam Strabo hic Magnæ adiudicauit Phrygiæ, alibi cum Minore comprehendit, ſeu ea quæ ad Helleſpontum eſt. Libro enim XII pag. 374

ὁ ποταμὸς Γάλλος, ἐκ Μόδρων τὰς ἀρχὰς ἔχων, τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας· αὐτὴ δ' ἐστὶν ἡ αὐτὴ τῇ Ἐπικτήτῳ, *Gallus fluuius oritur apud Modra in Phrygia, quæ ad Helleſpontum eſt. Hæc ipſa eſt, quæ Epictetus dicitur.* Et eodem libro pag. 388 τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας, - - - ἣν οἱ μὲν πρότερον ἐκάλουν μικρὰν Φρυγίαν, ἐκεῖνοι δ' Ἐπίκτητον ὠνόμασαν, *Phrygiæ ſuper Helleſponto, quam priores Minorem vocauerunt, hi vero* [Attalici] *Epictetum.* Et ibidem pag. 393 Φρυγία ἡ μὲν καλεῖται μεγάλη, ἧς ὁ Μίδας ἐβασίλευσε, καὶ ἧς μέρος οἱ Γαλάται κατέσχον· ἡ δὲ μικρά, ἡ ἐφ' Ἑλλησπόντῳ, καὶ ἡ περὶ τὸν Ὄλυμπον, ἡ καὶ Ἐπίκτητος λεγομένη. *Phrygia alia vocatur Magna, cuius rex fuit Midas, & cuius partem Galatæ occuparunt: Alia Parua, quæ Helleſponto imminet, & circa Olympum eſt, atque etiam Epictetus dicitur.*

XXXIII.

Ex quibus adparet, Paruam ſeu Minorem duas partes habuiſſe; vnam, quæ Helleſponto erat propior, ab illo etiam denominata: alteram, quæ ſub Bithynia circa Olympum, remotior ab Helleſponto, antea ſub Pruſiæ ditione, poſt κατὰ συμβάσεις, *ex pacto* conceſſa, Attalis ſiue Eumeni, ab his ἐπίκτητος, *adquiſita* fuit adpellata, vnde proprium deinde nomen factum Phrygiæ *Epicteti.* Eſt ergo *Epictetus*, laxe ſumta, eadem quæ Minor: ſtrictim, ab Helleſponti Phrygia diſtincta, & Olympo, monti Myſiæ ad Bithynorum fines ſubiecta.

XXXIV.

Euſtathius ad Dionyſii verſ. 810 τρεῖς Φρυγίας, *tres Phrygias* diſtinguit, *Magnam*, Midæ regnum, vsque Piſidiam: δευτέρα δὲ ἑτέρα Φρυγία ἡ μικρά, ἡ ἐν Ἑλλησπόντῳ καὶ περὶ Ὄλυμπον· καὶ τρίτη ἡ λεγομένη Ἐπίκτητος, *altera Phrygia eſt Minor, quæ ad Helleſpontum & circa Olympum: & tertia, quæ dicitur Epictetos*, in cuius vrbibus nominandis ad Strabonis auctoritatem prouocat. Non mala hæc tripartita diſtinctio, quia Epictetus Strabonis ab Helleſponto longius remota eſt, quamquam in eo falſus Euſtathius videtur, quod, quæ ſub Olympo monte eſt, cum Helleſpontia coniungit, ab Epicteto ſeparat, quum tamen, ſecundum Strabonem, quæ ſub Olympo eſt & Epictetus ſint eadem: id quod ex oppidis elucet, quæ ſuæ adſignat Epicteto Phrygiæ.

XXXV.

Sub finem enim lib. XII p. 396 ita Strabo Epictetum Phrygiam diſtribuit: τῆς δ' Ἐπικτήτου Φρυγίας Ἀζανοί τέ εἰσι, καὶ Νακόλεια, καὶ Κοτυάειον, καὶ Μιδάϊον καὶ Δορύλαιον, καὶ Κάδοι, *Epicteti Phrygiæ ſunt* [hæc oppida:] *Azani, Nacolea, Cotaeium, Midaium, Dorylæum, & Cadi.* Sed hæc oppida Ptolemæus in Phrygia Magna numerauit. Inde videlicet eſt, quod minus ipſe ſibi Strabo conſtare videatur, quia ſitus eiusmodi eſt, vt Maiori Phrygiæ conveniat magis, quam oræ Helleſponti, ideoque lib. II Maiori etiam attribuit. Quia vero pars noua erat, & pacto adquiſita, cum Minore alibi & Helleſpontia coniunxit: a quo vero ſatis longo interuallo diremta eſt. Non ergo errant, qui *tres Phrygias* cum Euſtathio conſtituunt, *Epicteto* ſeparatam partem adſignantes, quæ vero ita dicatur ſub Olympo eſſe, aut

iuxta

iuxta illum montem, vt nequaquam ſit illi contigua (Myſi enim propius accedunt ex hoc latere) ſed e regione illius poſt interuallum poſita; nec tota, ſed ex parte forſan circa Dorylæum. Quod vero de Helleſponti Phrygia in Troiano regno, cuius illa fuerat, ſatis ſupra actum fuit; iam de Epicteto proprie dicta incipiemus enarrare.

PHRYGIA EPICTETOS.

XXXVI.

Non eſt quod mireris, lector, nos *Phrygiæ Minoris*, Græce μικρᾶς, nullam habere rationem. Habemus vtique, & iam habuimus, referendo veterum diuiſiones, quibus quod non eadem, neque recentibus eſt Phrygia Minor, ſed aliis ſola illa, quæ ad Helleſpontum eſt, Troianus olim ager aut regnum, aut pars regni: aliis Epictetum, quæ procul inde in ortum ſita eſt, includit; Helleſponti partem, tamquam ſupra explicatam nunc prætermittimus: quæ reliqua eſt *Epictetos propria,* (nam laxe aliquando dicta Helleſponti etiam partem comprehendit) iam vnice explicamus, & titulo etiam præſcripſimus. Situm autem & numerum oppidorum quia, Strabone docente, modo cognouimus; ſola oppidorum in hac parte nobis ſupereſt explicatio.

XXXVII.

Prima vrbium, a Strabone memoratarum in Epicteto, ſunt Ἀζανοὶ, *Azani,* plurali forma: vnde regio dicta Ἀζανῖτις, *Azanitis*: ex qua Rhyndacus fluuius oritur. Strabo ibidem pag. 396 δι' ὧν χωρίων Ρυνδακὸς ῥεῖ ποταμὸς, τὰς ἀρχὰς ἔχων ἐκ τῆς Ἀζανίτιδος, *Per has regiones delabitur Rhyndacus fluuius, ortus ex Azanitide.* Oppidi nomen Ptolemæo, ſi ſanus eſt locus, Αἰζανὶς, *Aezanis* dictum: ſed ex eo clarum eſt, mendo hanc vocem non carere, quia integriorem poſteriores conſeruauerunt. Stephanus: Ἀζανοὶ, Φρυγίας πόλις, *Azani, Phrygiæ oppidum.* Notitia Leonis, & altera regiæ Gallorum bibliothecæ ὁ Ἀζάνων. *Azanorum epiſcopatus.* Hierocles, Ἀζανοί. Gentile Ἀζανῖται, *Azanitæ,* teſte Stephano.

XXXVIII.

Deinde, Strabonis ordine, eſt *Nacolea,* Νακόλεια, vti etiam vocem hanc diphthongo Ptolemæus, & Zoſimus, & Leo in Notitia ſcripſerunt: Stephanus & Hierocles Νακολία, *Nacolia.* Leo & Suidas etiam cum ω, o magno: ceteri, breui. Addit Suidas: εὕρηται καὶ οὐδετέρως τὰ Νακώλεια, *inuenitur etiam neutro genere plurali Nacolea, orum.* Ad hanc vrbem Procopius tyrannus a Valente oppreſſus eſt. Ammianus Marcellinus lib. XXVI cap. XXVII *Qua ſucceſſus alacritate Valens caſtra promouit ad Phrygiam, & prope Nacoliam collatis manibus partium dux in ancipiti Agilo rem excurſu prodidit repentino. - - - Hoc præter ſpem omnium viſo Procopius, ſalutis intercluſo ſuffugio, verſus in pedes circumiectorum nemorum ſecreta & montium petebat.* Et Zoſimus lib. IV cap. VIII de eadem re: ὁ δὲ μετὰ τὴν ταῖς Σάρδεσιν ἐπιδημήσας, κἀκεῖθεν ἐπὶ Φρυγίαν ἐλάσας, εὑρὼν δὲ τὸν Προκόπιον ἐν Νακολείᾳ τῇ πόλει. *Is* [Valens] *poſt victoriam Sardes ingreſſus,*

& inde profectus in Phrygiam in oppido Nacolia Procopio potitus eſt. Et Idatius Chronico ſub Valentiniano & Valente: *Ipſo anno idem hoſtis publicus & prædo intra Phrygiam Salutarem & in Nacolienſium campis ab auguſto Valente oppreſſus atque exſtinctus eſt.* Memoratur idem a Socrate lib. IV cap. V, cui vrbis nomen eſt Νακώλεια: & Sozomeno lib. IV cap. VIII, apud quem eſt Νακόλεια, *Nacolea*, o breui.

XXXIX.

Sequitur *Cotyaeium*, Κοτυάειον, vt Strabo, Ptolemæus & Stephanus ſcribunt: *Cotyaium*, vt Plinius lib. V cap. XXXII. Socrates quoque, vt Strabo, lib. IV cap. XXVIII ὁ Κοτυαέως, *Cotyaeii* epiſcopus. Non ergo cauſſa ſatis eſt, quod ordo alphabeti ita poſtulet, vt Berkelius Κοτιάειον vbique ſcribendum cenſeat, quia non ſemel litterarum ordo apud Stephanum turbatus eſt, cuius hic etiam in MSS. & olim excuſis eſt Κοτυάειον cum *y*, littera Pythagorica. Euſtathius corrupte Καττυεύειον, pro Κοτυάειον, in Dionyſ. verſ. 810.

XL.

Poſt hanc Strabo ponit *Midaium*, Μιδάϊον, quod Ptolemæi eſt Μιδάειον, *Midaeium*: quæ etiam Dionis, loco mox oſtendendo, & Stephani ſcriptura eſt: Plinius autem, vt Strabo *Midaion.* Hierocles Μεδάϊον, *Medaium*: Notitiæ epiſcopatuum, ὁ τοῦ Μηδαίου, *Medæi epiſcopus*; vtrumque praue. Dio Caſſius lib. XLIX pag. 403 refert, Sextum Pompeium, Magni filium, ab Octauiano victum fugatumque, in hoc oppido a Titio Furnioque, Antonii ducibus, captum, & poſtea iuſſu Antonii interfectum eſſe. ἔν τε, inquit, Μιδαείῳ τῆς Φρυγίας κατέλαβον, καὶ περισχόντες ἐζώγρησαν, *in Phrygiæ oppido Midaeio deprehenderunt, viuumque in poteſtatem redegerunt.*

XLI.

Succedit *Dorylæum*, Δορύλαιον Strabonis: Δορύλειον, *Doryleium* Ptolemæi: Δορυλάειον, *Dorylaeium* Stephani. Euſtathius dicto loco omnes hos ſcribendi modos repetit, dicitque κατὰ τὴν ὀρθογραφικὴν τέχνην, *ſecundum artem orthographicam* ſcribendum eſſe Δορύλλειον, *Dorylleium.* Gentile *Dorylæus.* Plinius lib. V cap. XXIX *Eucarpeni, Dorylæi, Midæi.* Et latina forma *Dorylenſis.* Cicero pro Flacco cap. XVII *Venio nunc ad Dorylenſium teſtimonium.*

XLII.

Tandem *Cadi*, Κάδοι, a Strabone ad Phrygiam Epictetum adiunguntur. Dubitare poſſes, an oppidum fuerit. Dixit enim *Azani*, *Nacolea*, *Cotyaeium*, *Midaion*, *& Dorylæum* πόλεις, *vrbes*; καὶ Κάδοι, *& Cadi.* Quod vero Plinius inde Caduenos ducit, quaſi *Cadienos*; & Κάδοι, *Cadi* in Phrygia oppidum Hierocli eſt; ac ipſe Ptolemæus in oppidis Mæoniæ numerauit; minus dubitare licet, ejus nominis oppidum in Phrygiæ, Lydiæ & Myſiæ confinio quondam fuiſſe. In *confinio* dixi, quia Strabo & eccleſiaſtici in Phrygia ponunt: Ptolemæus in Mæonia, id eſt Lydia: addit Strabo,

Strabo, Myſiæ quosdam tribuere. τὺς καὶ Κάδυς, inquit, ἔνιοι τῆς Μυσίας φασὶν, *& Cados quidam dicunt in Myſia ſitos eſſe:* quos Stephanus ſequutus eſt, Κάδοι πόλις Μυσίας, *Cadi oppidum Myſiæ.* Notitiæ epiſcopatuum in Pacatiana Phrygia ὁ Ἀκάδων habent in vulgatis libris: ſed Harduinus ad Plinii *Caduenos,* emendauit ex Quiniſexto concilio ὁ Κάδων. Eſt enim in ſubſcriptione: Philippus epiſcopus πόλεως Κάδων τῆς Πακατιανῆς. An in nummis etiam vrbs memoretur, lis eſt. Patinus pag. 169 in illo Domitiæ Domitiani legit ΚΑΛΟΗΝΩΝ, contra Harduinus ΚΑΔΟΗΝΩΝ, quia Caloë, quo refert ille, non vrbs, ſed lacus ſit Lydiæ, ipſa palus Gygæa ſecundum Strabonem: Holſtenius etiam ad Geogr. Sacr. pag. 140 ΚΑΔΟΗΝΩΝ legit, & ad vrbem *Cados* refert.

PHRYGIA MAGNA.

XLIII.

Phrygia Magna, ἡ Μεγάλη Φρυγία, nobis non ea eſt, quam Ptolemæus definit, comprehendens etiam Epicteton iam explicatam: ſed vt Strabo diſtinguit, ſine Epicteto, & quibusdam oppidis gentibusque eius tractum atque limites deſcribit lib. XII pag. 397. Ὑπὲρ τῆς Ἐπικτήτου πρὸς νότον ἐστὶν ἡ μεγάλη Φρυγία λιποῦσα ἐν ἀριστερᾷ Πισσινοῦντα - - - - ἐν δεξιᾷ δὲ Μαίονας καὶ Λυδὺς καὶ Κάρας, ἐν ᾗ ἐστὶν ἥτε παρώρειος λεγομένη Φρυγία, καὶ ἡ πρὸς Πισιδίαν καὶ τὰ περὶ Ἀμόριον καὶ Εὐμενίαν καὶ Σύνναδα· εἶτα Ἀπάμεια Κιβωτὸς λεγομένη, καὶ Λαοδίκεια, αἵπερ εἰσὶ μέγισται τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων. *Supra Epictetum, meridiem verſus, eſt Phrygia Magna, Peſſinunte ad ſiniſtram relicta; - - - - ad dextram Mæonibus, Lydis & Caribus. In hac eſt etiam Paroeia Phrygia,* id eſt Montana *dicta, & quæ ad Piſidiam eſt, & regio circa Amorium Eumeniamque, & Synnada: deinde Apamea cognomento Cibotos, & Laodicea, quæ ſunt maximæ vrbium Phrygiarum.* Quæ has vrbes circumiacent, oppida minora ſunt, e quibus etiam recenſet potiora. Quod vero ſitum ex Ptolemæi poſitione debemus petere, quum pauca de eo aliunde nobis conſtent; eius ordine & ratione a ſeptemtrione incipiemus, & in meridiem progrediemur.

XLIV.

Prima igitur eſt Ptolemæi Σύναος, *Synaos.* Hæc autem non eſt Strabonis Σαναὸς, *Sanaus,* quam ille cum auſtralibus coniungit, Aphrodiſiade, Coloſſis, Themiſonio, ceteris, vt adeo *Sanaus* Strabonis & Hieroclis ſit potius Ptolemæi Σανὶς, *Sanis,* quam *Synaos* eiusdem. Qui vero alius, præter Ptolemæum, *Synaum* memorauerit, nobis non ſuccurrit.

XLV.

In auſtrum ſubiacet *Ancyra,* Ptolemæi Ἄγκυρα Φρυγίας, *Ancyra Phrygiæ:* Strabonis Ἄγκυρα τῆς Ἀβασίτιδος, *Ancyra Abaſitidis* regionis, ab oppido forſan *Abaſa* vel *Abaſo* dictæ, lib. XII ſub finem: in Notitia epiſcopatuum ὁ Ἀγκυροσυνσοῦ, praue, quod legunt & emendant Ἀγκύρας Συνάυ, *Ancyræ Synai,* propter vicinitatem. Plinius lib. V cap. vlt. *Oppida ibi*

[in

[in Phrygia] *celeberrima, Ancyra, Andria, Celænæ*, cetera. Stephanus male confundit cum Ancyra Gallogræciæ. *

XLVI.

A Synao Ptolemæi in ortum procedentibus occurrit eiusdem *Tricomia*, Τρικωμία, locus aliunde vix aut minime notus: & vlterius *Amorium*, Αμόριον, circa Sangarium amnem. Præter Ptolemæum memorat etiam Strabo dicto loco τὰ περὶ Αμόριον, *regionem circa Amurium*, & quidem in Phrygiæ vrbibus maioris. Notitia epiſcopatuum in Galatia Secunda, ὁ τȣ̃ Αμορίȣ, *Amorii* epiſcopatus: nam in finibus eſt Galatiæ: in Notitia eccleſiæ altera, quæ Leonis auguſti nomen præfert, o magno, ὁ τȣ̃ Αμωρίȣ ſcriptum eſt: in Peutingeriana Tabula *Amurium*.

XLVII.

Hinc in auſtrum ordinatim ſibi ſuccedunt *Abroſtola*, *Prymneſia*, *Docimæum*. Prima, *Abroſtola*, Αϐρόςολα, parum cognita. Ptolemæus habet, & Tabula Peutingeriana, in qua etiam ſcriptum *Abroſtola*, XXIII millibus ab Amurio. In Notitia epiſcopatuum eſt Phrygiæ Salutaris ὁ Αϐροκλῶν, *Abroclenſis*, ignoto nomine, quod neſcio an ſcripturæ compendio ex Αϐροςόλων prauatum ſit.

XLVIII.

Altera, huic ſubiacens vrbs, eſt *Prymneſia*, Πρυμνησία Ptolemæi: in iam dicta Notitia ὁ τȣ̃ Προμισȣ̃, corrupte: in Hieroclis Notitia eiusdem prouinciæ Πρύμνησος, *Prymneſus*.

XLIX.

Tertium oppidum, magis in auſtrum vergens, *Docimæum*, Δοκίμαιον, vt Ptolemæus ſcripſit: Stephano Δοκίμειον, *Docimêum*: aliis ſine diphthongo, Hierocli Δοκίμιον, *Docimium*: Straboni Δοκιμία κώμη, *Docimia, vicus*, prope Synnada: Stephano autem πόλις Φρυγίας, *oppidum Phrygiæ*: in Peutingeriana *Docymeum*, XXXII millibus ab Synnadis, ſpatio ſatis longo; nec minori apud Ptolemæum: Strabo autem propinquius videtur poſuiſſe lib. XII pag. 397. Σύνναδα, inquit, ἐςιν ȣ̓ μεγάλη πόλις. πρόκειται δ' αὐτῇ ἐλαιόφυτον πεδίον, ὅσον ἑξήκοντα ςαδίων· ἐπέκεινα δ' ἐςὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τȣ̃ Συνναδικȣ̃ λίθȣ. ȣ̔́τω μὲν Ρωμαῖοι καλȣ̃σιν· οἱ δ' ἐπιχώριοι Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαίαν, *Synnada ſunt non magnum oppidum, cui campus oleis conſitus præiacet* LX *circiter ſtadiorum: ab altera parte eſt Docimia pagus, & lapicidina Synnadici lapidis. ſic enim Romani vocant: incolæ autem Docimiten & Docimæam.* Quum itaque idem marmor *Docimæum* vocetur & *Synnadicum*: liquido adparet, non poſſe loca illa magno ſpatio eſſe ſeiuncta. Et quia nec Ptolemæus, neque Peutingerianæ auctor quidquam Synnadis & Docimæo interpoſuerunt; non poteſt alia Strabonis Docimia, aliud Docimæum Ptolemæi, ſiue Tabulæ Docymeum eſſe. Idem marmor *metallum Docimenum* dicitur lege IX & XI Cod. Theod. de indulgentiis debitorum. vtrobique coniungitur cum Pro-

* Circa hoc opidum erat opidum *Blaudus*, teſte Strabone XII pag. 851 edit. Almel. Ei tribuit numum Vaillant. in num. Franciſci de Camps pag. 99.

Proconnenſi & Troadenſi. Proconneſi autem *marmor* laudatur, non fuſile metallum: quod Strabo prædictis verbis illuſtrat, cui λίθος, *lapis* eſt, quod apud Docimiam eruitur.

L.

Synnada, Σύνναδα, iam ex parte, Strabone auctore, deſcripta ſunt, πόλις ἐ μεγάλη, *non magna vrbs;* vicina Docimiæ ſiue Docimeo. Marmor etiam *Synnadicum* laudatum fuit eiusdem teſtimonio Strabonis. Eſt vtriusque numeri: maxime ac ſæpius pluratiui. Strabo itidem ante dictis verbis: περὶ Ευμενίαν καὶ Σύνναδα, *circa Eumeniam & Synnada.* Atque ita etiam Ptolemæus & Stephanus, Σύνναδα, id eſt τὰ Σύνναδα, *hæc Synnada.* Liuius lib. XLV cap. XXXIV *iamque Synnada peruenerant.* Et mox: *Romani ducem Gallorum Synnadis adlocuti.* Atque ſic etiam poſteriores. Notitia eccleſiæ, ὁ Συνάδων, *Synadorum epiſcopatus:* & Tzetzes ad Heſiodum pag. 71 ἐκ Συνάδων, *e Synadis:* Euſebius Hiſt. eccl. lib. VI cap. XIX ἐν Συνάδοις: niſi quod hi male N ſimplici ſcripſerunt, quod duplicandum erat, quia a συνναίειν, hoc eſt συνοικεῖν, *cohabitare* eſt, docente Stephano, quod Græci coloni cohabitarunt cum Phrygibus. Scripturam confirmat & coloniam illuſtrat egregius nummus Caracallæ, inſcriptus CΥΝΝΑΔΕΩΝ ΔΩΡΙΕΩΝ ΙΩΝΩΝ, quem Henr. Valeſius ad dictum Euſebii locum interpretatur, laudante & adprobante illuſtri Spanhemio pag. 883. Alios nummos præbet Harduinus, itidem ſignatos CΥΝΝΑΔΕΩΝ, duplicato elemento. Et in Marm. Arundell. pag. 93 ΚΕΙΟΝΑΣ ΣΥΝΝΑΔΙΟΥΣ, *columnas Synnadias.* Singularis forma Συννὰς, άδος, *Synnas*, adis, eſt. Martialis lib. IX epigram. LXXVI

De marmore omni, quod Caryſtos inuenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit.

Et Prudentius adv. Symmachum lib. II verſ. 246

Et quæ ſaxa Paros ſecat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculoſaque Synnas.

Et Statius lib. I Siluar. carm. V verſ. 36

Sola nitet flauis Nomadum deciſa metallis
Purpura, ſola cauo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipſe cruentauit maculis lucentibus Atys.

Idem lib. II carm. II verſ. 87

Synnade quod mœſta Phrygiæ fodere ſecures
Per Cybeles lugentis agros.

2. Ex quibus ſimul intelligitur, diuitem vrbem marmore fuiſſe, eoque maculoſo, id eſt candido, rubris interſtinctionibus variato, vt Salmaſius in Plin. Exerc. p. 394 interpretatur. Plinius lib. XXXV cap. I *vt purpura diſtingueretur* [lapis] *Synnadicus.*

3. Sed ad generis formam in nomine reuertamur. In Peutingeriana Tabula: *a Synnade*, vt Papinius. Sed alia etiam forma ſupereſt, *Synnada*, ſingularis, & feminea. Plinius lib. V cap. XXIX *Alter conuentus a Synnada accipit nomen:* niſi *Synnade* legendum eſt. Si conuentum habuit ad ius petendum, vtique non fuit vrbs exigua aut contemnenda, licet non fuerit ampliſ-

ſima, vt aliæ in Phrygia maiores: atque ita Strabonis verba, πόλις ἐ μεγάλη, *vrbs non magna*, ſunt intelligenda. Neque enim Romani iurisdictionem vrbibus aliis, quam celebrioribus, tribuebant. Imitati poſteriores ſunt vrbem *Synnada* caput Phrygiæ Salutaris conſtituentes, & eccleſiæ in illa prouincia facientes eam metropolim.

LI.

Circa Synnada ab ortu ſunt, ad Galatiæ fines, Ptolemæi *Melitara*, Μελίταρα; & *Iuliopolis*, Ιελιόπολις, vtraque obſcura & incognita, niſi quod Plinius in Cibyratico conuentu etiam *Iulienſes* numerat: notior autem Iuliopolis ad Bithyniam pertinet.

LII.

Ab occaſu Synnadis Ptolemæi poſitione obiacet *Eucarpia*, Ευκαρπία, quam Strabo in mediocribus ponit, & cum *Peltis*, *Tabeis*, *Lyſiade* coniungit. In Notitia epiſcopatuum Phrygiæ Salutaris eſt vndecimus ὁ Ευκαρπίας, *Eucarpienſis*: quem proxime inſequitur ὁ Λυσιάδος, *Lyſiadis* epiſcopatus.

LIII.

Lyſias autem, iam etiam a Strabone memorata, & a Plinio lib. v cap. XXIX, cui *Lyſias oppidum* eſt; ratione ſitus a Ptolemæo Eucarpiæ ad ſeptemtrionem opponitur, nullo interiecto oppido: & vlterius *Tribanta*, Τρίβαντα & *Docela*, Δόκελα, quæ neſcio an Διοκλία, *Dioclia* Hieroclis ſit. Dubium me facit, quod *Docela* in ſeptemtrione poſita: *Dioclia* in auſtrum magis videatur vergere, iis coniuncta, quæ ſpectant prouinciæ meridiem.

LIV.

Inde paullo occaſum verſus Ptolemæi *Conna* eſt, Κόννα, quæ Notitiæ Κόνη, *Cone* videtur, aut Hieroclis Κονιέπολις, *Coniopolis*: quæ etiam ſitu differunt, *Cone* in Salutari; *Coniopolis* in Pacatiana. Inter Synnada & Apameam Peutingeriana Tabula habet *Euforbium*, ſiue *Euphorbium*, vnde Plinio *Euphorbeni* ſunt lib. v cap. XXIX.

LV.

Ab Eucarpia in meridiem eſt Ptolemæi Δρέζον, *Druzum* ſiue *Druſum*: dein *Eumenia*, Ευμενία, ab Eumene conditore nominata. Eutropius lib. IV cap. II *Auxilio fuit Romanis in ea pugna* [aduerſus Antiochum] *Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit.* Strabo lib. XII pag. 397 τὰ περὶ Αμόριον καὶ Ευμενίαν, quæ Latine vertuntur, *regio circa Amorium Eumeniamque*, quæ ſi Ptolemæum ſequemur, diuiſo ſenſu intelligantur, *& regio circa Amorium, &* [alia] *regio circa Eumeniam*: nam longo ille interuallo hæc oppida ſeiunxit. Plinius lib. v cap. XXIX *Eſt Eumenia Cludro flumini adpoſita.* Cayſtro an Mæandro hoc flumen infundatur, ignotum eſt. In Notitia eccleſiæ ὁ Ευμενείας, *Eumeneiæ* (diphthongo ſcriptum eſt) epiſcopus memoratur: at in Hieroclis Notitia eſt ſine diphthongo Ευμενία. Hinc poſſeſſiuum *Eumeneticus*. Plinius lib. v cap. XXIX *Eumenetica regio.*

LVI.

Prope Eumeniam, itidem auſtrum verſus, poſita Ptolemæi *Tiberiopolis*, Τιβεριέπολις, quam Notitia etiam in epiſcopatibus Pacatianæ Phrygiæ ſecun-

ſecundo loco recenſet. Socrates lib. VII Hiſt. eccleſ. cap. XLVI ἐν Τιβερίου πόλει τῆς Φρυγίας, *Tiberiopoli Phrygiæ.*

LVII.

Inde in auſtrum paullo *Acmonia* recedit, Ἀκμονία, quæ Hieroclis Notitia eſt Ἀκμῶνα, *Acmona*, corrupte forſan: in Peutingeriana Tabula, *Agmonia.* Gentile *Acmonenſis* apud Ciceronem, & ipſa Acmonia *ciuitas Acmonenſis.* Pro Flacco cap. XV *Adgrediar iam ad ſingulas ciuitates: ex quibus ſit ſane nobis prima ciuitas Acmonenſis. Citat præco voce maxima legatos Acmonenſes. - - - - exſtant Acmonenſium litteræ. - - - laudationem, quam nos ab Acmonenſibus Flacco datam proferebamus, falſam eſſe dicebat.* Et Plinius lib. V cap. XXIX *Ex hoc conuentu* [Apameno] *deceat nominare Metropolitas, Dionyſopolitas, Euphorbenos, Acmonenſes, Peltenos, Silbianos.*

LVIII.

Propiora Mæandro, Ptolemæi ordine, ſunt Βλαύανδρος, *Blæandrus*; & *Stectorium* vt vetus interpres, & Agathodæmon in Tabula vocat; in Græco iam legitur ἰςόριον, *Iſtorium.* De *Blæandro* ſiue *Bleandro* nihil nouimus aliunde, quam quod Chalcedonenſi concilio epiſcopus *Bleandri* ſubſcripſit.

2. *Stectorium* quin nomen genuinum ſit, non eſt quod dubitemus, quia Notitia Leonis in Salutari Phrygia eſt ὁ Στεκτορίου, *Stectorienſis epiſcopus*, cuius etiam in Chalcedonenſi concilio mentio habetur: &, quod Holſtenius ad Car. de S. Paulo pag. 144 refert, in Ptolemæi codice MS. Barberino Στεκτώριον legitur, vbi in vulgatis eſt ἰςόριον.

LIX.

Circa Mæandrum ſunt Phrygiæ, vt aduerſo flumine cum Ptolemæo ab occaſu in ortum regrediamur, prima *Laodicea*, cognomine Λαοδίκεια ἐπὶ Λύκῳ, *Laodicea ſuper Lyco* flumine, vt Ptolemæus vocat, quamquam is Cariæ illam, non Phrygiæ, adſcribit: Strabo autem lib. XII ſub finem ſcripſit *Apameam & Laodiceam* eſſe μεγίςας τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων, *maximas vrbium Phrygiæ:* eamdemque poſt paullo tradit τὴν πρὸς τῷ Λύκῳ Λαοδίκειαν λέγεσθαι, *ad Lycum ſitam Laodiceam vocitari.* Deſcribit ibidem αὔξησιν, *incrementum* eius, quod ſua ipſius & patrum memoria habuerit; nam antea μικρὰ, *exigua* exſtiterat. Plinius lib. V cap. XXIX *celeberrima vrbe Laodicea. Impoſita eſt Lyco flumini, latera adluentibus Aſopo & Capro, adpellata prius Dioſpolis, dein Rhoas.* Stephanus, qui propter confinia Lydiæ tribuit, nominis noui docet originem: ἑτέρα Λυδίας, Ἀντιόχου κτίσμα τοῦ παιδὸς τῆς Στρατονίκης· τῇ γὰρ γυναικὶ αὐτοῦ ὄνομα Λαοδίκη, *Altera* [ex celebribus Laodicea] *eſt Lydiæ, opus Antiochi, Stratonicæ filii, cuius vxor Laodice adpellabatur.* Altera dicitur, ad diſcrimen celeberrimæ in Syria ad mare, cui nomen fuit a Laodice, matre Seleuci. Sacra eius eſt memoria, quippe in ſeptem illis ciuitatibus fuit, quas diuino ſpiritu Ioannes in apocalypſi vel monuit vel caſtigavit. Etiam Paulus laudauit eccleſiam eius, Coloſſ. II comm. I, & cap. IV comm. 13, 15, 16. Et Cicero eam memorauit, lib. II epiſt. XVII, & lib. III epiſt. V. Vtroque loco deſcripſit tamquam inſignem vrbem & emporium, vbi pecunia permutaretur: & lib. V epiſt. XX vocat *Laodicenſem ciuitatem.*

Tacitus quoque lib. XIV cap. XXVII laudauit. *Eodem*, inquit, *anno ex illuſtribus Aſiæ vrbibus Laodicea tremore terræ prolapſa, nullo a nobis remedio, propriis opibus reualuit.* Gentile in nummis perquam multis ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ; vide Harduinum: etiam vrbis nomen fluminibus ſuis diſtinctum in Commodi nummo, ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΛΥΚΟϹ ΚΑΠΡΟϹ. Et gentile Latinum ex Græco formatum, *Laodicenus*. Tacitus annal. IV cap. LV *Hypæpeni Trallianique Laodicenis & Magnetibus ſimul tramiſſi.* Quamquam vero ad Lycum vrbs ſita eſt, tamen ad Mæandri regionem referimus, quia non procul inde Mæandro Lycus adfunditur.

LX.

Lycus autem non exiguus amnis eſt, ſed ποταμὸς εὐμεγέθης, *iuſtæ magnitudinis fluuius*, vt Strabo ſub finem lib. XII tradit; qui apud Coloſſas in Mæandrum exit. Ortus ſupra Laodiceam ex monte *Cadmo*, ὑπὸ γῆν ῥυεὶς, εἶτ' ἀνακύψας, *mergitur aliquando & emergit.* Plinius lib. II cap. CIII *Subeunt terras rurſusque redduntur Lycus in Aſia, Eraſinus in Argolica, Tigris in Meſopotamia.* Curtius lib. III cap. I Lycum cum Marſya confundit, quaſi vnus fluuius ſit, aliter aliterque adpellatus, quod falſum eſſe Strabo & Plinius euincunt. Adi & Salmaſium in Solin. pag. 582.

LXI.

Alter amnis Κάπρος, *Caper* ſiue *Caprus*, qui adluit Laodiceam, præter Plinii antea productum teſtimonium, ex Strabonis verbis dicto loco clarus eſt: ἐνταῦθα καὶ ὁ Κάπρος, καὶ ὁ Λύκος συμβάλλει τῷ Μαιάνδρῳ, *Ibidem & Caprus & Lycus in Mæandrum incidunt.* Liquidiorem facit nummus Commodi paullo ante oſtenſus, (cuius nitidam figuram exhibet & explicat vir doctiſſimus Andr. Morellius Speciminis Tabula XII) cum Laodiciæ nomine, & genio, duo eius flumina nominatim referens ΛΥΚΟϹ, ΚΑΠΡΟϹ.

LXII.

Tertius fluuius, Plinii *Aſopus*, itidem Laodiceam adluens, minus eſt perſpicuus.

LXIII.

Ad idem flumen Lycum ſita etiam vrbs *Coloſſæ*, Κολοσσαὶ, ad cuius ciues apoſtolica exſtat epiſtola. Strabo lib. XII ſub finem: *Apamea cognomine Cibotos, & Laodicea ſunt maximæ Phrygiarum vrbium.* περίκειται δὲ ταύταις πολίσματα, Ἀφροδισιὰς, Κολοσσαὶ, Θεμισώνιον, Σαναὸς, Μητρόπολις, Ἀπολλωνιάς· *His circumſita ſunt oppida Aphrodiſias, Coloſſæ, Themiſonium, Sanaus, Metropolis, Apollonias.* Herodotus ſitum propius demonſtrat lib. VII cap. XXX Prætergreſſus vrbem Phrygiæ Anauam, ἀπίκετο ἐς Κολοσσὰς, πόλιν μεγάλην Φρυγίης, ἐν τῇ Λύκος ποταμὸς ἐς χάσμα γῆς ἐσβάλλων ἀφανίζεται· ἔπειτα διὰ σταδίων ὡς μάλιστά κῃ πέντε ἀναφαινόμενος ἐκδιδοῖ καὶ οὗτος ἐς τὸν Μαίανδρον, *peruenit Coloſſas, Phrygiæ oppidum eximium, vbi Lycus amnis hiatum terræ ſubit, deinde fere poſt quinque ſtadia emergens, elabitur & ipſe in Mæandrum.* Summatim vt dicam, prope exitum Lyci in Mæandrum ſitæ erant Coloſſæ, vrbs haud exigua. Memorauit etiam Xenophon lib. I Expedit. Cyri poſt initium: *Sardibus mouit: inde per Lydiam caſtris tribus, paraſangis* XXII *venit*

ad

ad Mæandrum fluuium: τῦτον διαβὰς ἐξελαύνει διὰ Φρυγίας ϛάθμον ἕνα, παρασάγγας ὀκτὼ εἰς Κολοσέας πόλιν οἰκȣμένην, εὐδαίμονα καὶ μεγάλην. *Hoc amne traiecto per Phrygiam caſtris vnis, paraſangis octo, venit Coloſeas vrbem celebrem, magnam & opulentam.* * Et Plinius lib. v cap. vltimo: *Oppida* [Phrygiæ] *Ancyra, Andria, Celænæ, Coloſſæ, Carina, Cotyaion.* Carolus de S. Paulo Geograph. S. pag. 241 in Pacatiana: *Coloſſa Straboni* lib. XII. *vulgo Chone.* Ad quæ verba Holſtenius pag. 141, COLOSSA. *Colaſſa, vnde Colaſſenſes, ad quos exſtat S. Pauli epiſtola, quorum nomen poſtea corruptum fuit in Coloſſenſes, quaſi a Coloſſo fuiſſet deductum. Codex Græcus admirandæ vetuſtatis in bibliotheca Vaticana* LXX *Interpp. & alius codex paruulus* ΚΟΛΑΣΣΕΙΣ *recte ſcribunt, & ſic in vulgatis omnino reponi debuiſſet.* ** Non eſt in Notitia eccleſiæ, quam idem Carolus ex Regio codice edidit cum Geographia ſua, repetiitque Iacobus Goarus Codini editor: vtique vero reperitur in Diſpoſitione orientalis imperii ex MS. Vaticano edita, & Hierocli tributa, qua inter Pacatianæ vrbes legitur ſexta Κολάσαι, *Colaſæ*, itidem prima vocali in medio, quod cum Holſtenii obſeruatione congruit. Gentile apud Strabonem dicto loco Κολοσσηνὸς, *Coloſſenus.* οἱ Κολοσσηνοὶ, inquit, πλησίον οἰκȣ̃ντες, *Coloſſeni prope* [Laodiceam] *habitant.*

LXIV.

Sequitur ſuperiori flumine, Ptolemæo duce, *Hierapolis*, de qua Stephanus: Ἱεράπολις μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας πόλις, θερμῶν ὑδάτων πολλῶν πλήθȣσα, ἀπὸ τȣ̃ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν, *Hierapolis inter Phrygiam & Lydiam ſita vrbs, aquis calidis abundans, a multitudine templorum ſic adpellata.* Quod inter Phrygiam Lydiamque dicit poſitam, in eo diſſentiunt ceteri plerique. Ptolemæus enim & Notitia eccleſiæ in Phrygia habent; & Plinius *Hierapolitas* cum Laodicenis in Cibyratico Phrygiæ conuentu ſcribit: & Vitruuius thermas illius laudans lib. VIII cap. III, *Hierapoli Phrygiæ*, inquit, *efferuet aquæ calidæ multitudo, ex qua circum hortos & vineas foſſis ductis immittitur.* Apuleius de Mundo cap. IV *vidi* & ipſe apud *Hierapolim Phrygiæ.* Ariſtoteles, quem ille expreſſit, ἐν Φρυγίᾳ, generatim. Et Photius cod. CXLII, ex Iſidori Vita, pag. 566 ἐν Ἱεραπόλει τῆς Φρυγίας, *Hierapoli Phrygiæ.* Non ergo dubitemus, quin Phrygiæ fuerit Hierapolis. Mæandro adpoſitam fuiſſe, antiqua lapidis inſcriptione, ab Holſtenio ad Stephanum producta, facile probatur, ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΗΣ ΠΡΟΣ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ ΠΟΤΑΜΟΝ, hoc eſt, *Menander Hierapoli ad Mæandrum oriundus.* Nominis originem modo Stephanus monſtrauit, *multitudinem ſacrorum.* Sed cui deo præcipue deuota hæc ciuitas fuerit, incertum eſt: nummi varias figu-

 ras

* Sed agnoſce fortunæ viciſſitudinem. Oroſius VII c. 7 *In Aſia tres vrbes, hoc eſt, Laodicea, Hierapolis, Coloſſæ terræ motu conciderunt* (ſub Nerone.)

** Πρὸς τȣ̀ς Κολασσαεῖς γράφων. Clemens Alexandrinus Stromat. V pag. 576 c, & Stromat. VI pag. 645 d, τοῖς Κολασσαεῦσι. Editio N. T. Baſileenſis per Nic. Brylingerum anno 1553, quæ in fronte, *collatis non paucis venerandæ fidei exemplaribus, accuratiſſima lima facta eſſe* dicitur, Κολασσαεῖς nominat *Colaſſenſes.* Ac Nou. Teſt. Syriacum ܩܘܠܣܣܝܢ habet & ܩܘܠܣܣܝܐ

Adde Monumenta Ingenior. tom. IV pag. 262, 263.

ras referunt Apollinis, Dianæ Epheſiæ, Aeſculapii, Hygeiæ ſiue Salutis: & Plinius lib. II cap. XCIII etiam Deæ Magnæ mentionem fecit. Aquas calidas & ſalubres etiam Strabo, præter Vitruuium Stephanumque, laudauit lib. XIII ſub finem: ἀντικρὺ Λαοδικείας Ἱεράπολις, ὅπε τὰ θερμὰ ὕδατα καὶ τὸ Πλετώνιον, ἄμφω παραδοξολογίαν τινὰ ἔχοντα, *ex aduerſo Laodiceæ eſt Hierapolis, vbi aquæ calidæ & Plutonium ſunt; vtraque res admiranda.* Plutonium, quod lib. XII extremo Χαρώνειον ἐν Ἱερᾷ πόλει, *Charonêum in Hierapoli* dixit, licet diſtinguat alibi, vt in *Nyſa* Lydiæ monſtratum eſt. Plinius interpres ſit iam dicto loco: *Spiracula vocant, alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes.* Apuleius itidem prædicto loco: *Vidi & ipſe apud Hierapolim Phrygiæ non adeo ardui montis vicinum latus natiui oris hiatu reſeratum, & tenuis, neque editæ marginis ambitu circumdatum, ſiue illa, vt poetæ volunt, Ditis ſpiracula dicenda ſunt, ſeu mortiferos anhelitus eos credi prior ratio eſt. Proxima quæque animalia, & in aluum prona atque proiecta venenati ſpiritus contagione corripiunt, & vertice circumacta interimunt.* Eadem refert ex Dione Xiphilinus in Traiano, quem peſtiferum locum dicit eſſe ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας, *apud Hierapolim Aſiæ.* Refert etiam Photius cod. CXLII ex Iſidori Vita, ἐν Ἱεραπόλει τῆς Φρυγίας ἱερὸν ἦν Ἀπόλλωνος, ὑπὸ δὲ τὸν ναὸν καταβάσιον ὑπέκειτο θανασίμες ἀναπνοὰς παρεχόμενον, *Hierapoli in Phrygia templum eſſe Apollinis, & ſub illo lacum ſeu foueam, mortiferas præbentem exhalationes,* vt nullum animal ſine periculo, & ne volando quidem pertranſire poſſit. Sed ſatis de ſpiraculo illo. Vrbis etiam mentio in ſacris eſt ſcripturis Coloſſ. IV. 13, ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ, καὶ τῶν ἐν Ἱεραπόλει, id eſt *Hierapolitarum,* vt Plinius ſupra dixit, ſiue *Hierapolitanorum.* In nummis eſt ΙΕΡΑΠΩΛΕΙΤΩΝ.

LXV.

Ante dictum nobis ordinem ſi ſequimur, trans Mæandrum eſt *Cibyra,* Κίβυρα, nobilis ciuitas, quam μεγάλην, *magnam* Strabo lib. XIII extremo dixit. Poſt Antiocheam ad Mæandrum, quam in Caria expoſuimus, πρὸς νότον ἡ Κίβυρά ἐστιν ἡ μεγάλη, *in meridiem verſus ſita eſt Cibyra magna:* a qua Romani conuentum iuriſdictionis denominauerunt. Quo ſitu factum, vt quidam in Caria cenſuerint, etiam Notitia epiſcopatuum. Phrygiæ vero vindicamus auctoritate Plinii & Ptolemæi; hic Κίβυῤῥα ſcripſit in Phrygia: ille lib. V cap. XXIX ineunte: *Mediterraneas iuriſdictiones indicaſſe conueniat. Vna adpellatur Cibyratica. Ipſum oppidum Phrygiæ. Conueniunt eo* XXV *ciuitates celeberrima vrbe Laodicea.* Et alio tempore Laodiceæ Cibyraticus conuentus fuit habitus. Cicero lib. V ad Attic. epiſt. vltima: *Quo die has litteras dedi, forum inſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum.* Et motu terræ hæc vrbs Tiberii temporibus quaſſata fuit & labefacta. Tacitus annali IV cap. XIII *Facta auctore eo ſenatus conſulta, vt ciuitati Cibyraticæ apud Aſiam, Aegirenſi apud Achaiam, motu terræ labefactis, ſubueniretur remiſſione tributi in triennium.* Ideo coloſſi Tiberiani baſi, quæ Neapoli ſupereſt, inter reſtitutas ciuitates Aſiæ numero ſeptima eſt CIBYRA, * qua ſcriptura refu-

* Sic ſcribit etiam Polybius de virtut. p. 1450.

refutatur Ptolemæi duplicatio Κίϐυῤῥα, *Cibyrra:* etiam ex nummis id confirmatur, præferentibus ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ, *Cibyratarum*, quod gentile eſt etiam Latinorum. Cicero Verrina VI cap. XIII *Cibyratæ ſunt fratres quidam, Tlepolemus & Hiero. - - - Hoſce opinor Cibyræ, quum in ſuſpicionem veniſſent ſuis ciuibus, fanum expilaſſe Apollinis, veritos pœnam iudicii ac legis, domo profugiſſe.* His Strabo extremo lib. XIII quatuor linguas tribuit, Piſidiam, Solymorum, Græcam atque Lydiam. Poſſeſſiuum *Cibyraticus*, vt *forum Cibyraticum*, Cic. V Attic. ep. XXI: *iurisdictio Cibyratica*, Plin. V cap. XXIX pr.

LXVI.

In eo tractu eſt etiam *Themiſonium*, Θεμισώνιον Ptolemæi. Strabo quoque lib. XII pag. 397 Κολοσσαὶ, Θεμισώνιον, Σαναὸς, *Coloſſæ, Themiſonium, Sanaus.* Hieroclis Notitia imperii orientalis in Pacatiana, Θεμεσόνιος, prauatis litteris. A quo in auſtrum plura obſcuriora oppida vsque ad Lyciam in Phrygia numerantur, *Sanis*, de qua ſupra in *Sanaus* dictum: *Sala*, *Phylacævm*, & *Gazena*, Γάζηνα Græce, terminus Phrygiæ ad Lyciam.

LXVII.

In occaſum ab hiſce fuerunt *Carura*, Κάρουρα, Strabonis lib. XII extremo, quam vrbem ipſe ὅριον τῆς Φρυγίας καὶ Καρίας, *terminum inter Phrygiam Cariamque* dixit. Idem lib. XIV pag. 456 ſitum propius oſtendit ita ab Epheſo iter in orientem definiens: ἐπὶ μὲν τὰ Κάρουρα τῆς Καρίας ὅριον πρὸς τὴν Φρυγίαν διὰ Μαγνησίας, καὶ Τραλλέων, Νύσης, Αντιοχείας ὁδὸς ἑπτακοσίων τετταράκοντα σαδίων, *Ad Carura, qui Cariæ limes ad Phrygiam eſt, per Magneſiam, Tralles, Nyſam, Antiocheam via* [ab Epheſo] *eſt* IↃCCXL *ſtadiorum.* Auguſtana Peutingeri Tabula

Antiochie. *Carura* XX *Laudicium Pylicum.*

quod vltimum nomen corruptum eſt ex *Laodicea epi Lycum*, id eſt ἐπὶ Λύκῳ fluuio; vt bene Holſtenius ad Stephanum Adnotationibus coniecit.

LXVIII.

Inter hoc oppidum & Laodiceam fuit ἱερὸν Μηνὸς Κάρου καλούμενον, *fanum*, vt Latinus interpres vertit, *Menſis Cari*, ſi modo μηνὸς adpellatiuum, non proprium eſt. Strabonis ætate fuit ibi διδασκαλεῖον Ἡροφίλειον ἰατρῶν μέγα, *magna ſchola medicorum ſectæ Herophileæ.* Vide lib. XII extrem.

LXIX.

A limite ad Mæandrum regreſſis ordine Ptolemæi occurrit *Diocæſarea*, cuius nominis vrbem in Phrygia quis alius præter Ptolemæum memorauerit, ignotum eſt. Quamobrem Salmaſio in Solin. pag. 582 *Diocæſarea* hæc videtur ipſa *Laodicea* eſſe, vna vrbe a Ptolemæo in duas ex nominibus diuerſis diuiſa & diſtracta. Quod enim, tamquam Iouis monitu condita, fuit etiam *Dioſpolis* dicta, & Polemo ſub Auguſto ornamenta addidit, id Plinio, hoc Strabone teſtante; credibile plane Salmaſio videtur, in Auguſti honorem Polemonem ex Dioſpoli feciſſe nomen *Diocæſaream.* Lucas Holſtenius autem in Ortel. pag. 69 eius nomen putat Κερετάπαν, ab Hierocle in Pacatiana Phrygia poſitam, fuiſſe, quia in Commodi nummo ſit ΔΙΟ-

ΚΑΙ-

ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ: niſi forſan concordia & fœdus duarum civitatum ſignificatur.

LXX.

Proxima eſt *Apamea*, inſignis vrbs, * cognomine *Cibotos*, ſecundum Agathodæmonis tabulam reductior a Mæandro: Tiberii autem nummo, ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, *Apameæ ad Mæandrum* inſcripto, eidem propinqua. Ptolemæo eſt Απάμεια Κιβοτὸς, *Apamea Cibotos*, o breui: at Strabo ſub finem libri XII Απάμεια ἡ Κιβωτὸς, longo o editionibus Aldi, Henrici Petri, Xylandri, Caſauboni. Nummorum illuſtratores variant: ὁ πάνυ Spanhemius, ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡCΥΑC ΚΙΒΟΤΟC. at Harduinus Hadriani nummum ſic exſcripſit, ΑΠΑΜΕΩΝ ΚΙΒΩΤΟC ΜΑΡCΥΑC. Placet o mega Salmaſio, vt Κιβωτὸς, *arca* vrbs dicta fuerit, quia emporium erat & quaſi mercium arca & receptaculum. Hanc enim & Laodiceam dicit Strabo μεγίςας τῶν κατὰ Φρυγίαν πόλεων, *maximas Phrygiarum ciuitatum eſſe*; & Apameam quidem ἐμπορεῖον μέγα τῆς ἰδίως λεγομένης Ασίας, δευτερεῦον μετὰ τὴν Ἔφεσον, *emporium magnum Aſiæ proprie dictæ, ſecundum ab Epheſo.* Sita eſt, vt idem Strabo tradit ad amnis Marſyæ, qui vrbem interluit, confluentem. Is enim extra vrbem infunditur Mæandro. Nomen habet ab *Apame* femina, quam Strabo dicit matrem conditoris Antiochi Soteris fuiſſe, Seleuci Nicatoris vxorem, filiam Artabazi. Stephanus aberrat, qui Seleuci matrem dicit, cuius vxor fuerat: nec non Liuius, cui ſoror eſt Seleuci regis, loco iam indicando.

LXXI.

Origo *Apameæ*, ſaltem incrementum, ex ruinis Celænarum fuit. *Celænæ* caput quondam Phrygiæ ad Marſyam amnem, & fontes Mæandri. ** Liuius

* Id eſt, ἐμπορεῖον μέγα δευτερεῦον μετὰ τὴν Εφεσον, *Emporium magnum & proxima poſt Epheſum dignitate.* Strabo XII p. 865.

** Mihi potius ſcribendum fuiſſe videatur *ad Marſyæ fontes & Mæandrum amnem*, vel *prope Mæandri & Marſyæ fontes*, vel *ad Marſyam & Mæandrum.* Nam ſcriptorum, qui Celænis verſati ſunt, hic vnice valere debet auctoritas. Primum igitur audiendus eſt Xenophon, qui quum regiam Artaxerxis domum in ipſis Celænis ſub arce ad fontes Marſyæ fluminis eſſe, Mæandrum vero ex regia Cyri æde leporario magno vel adiecta vel interpoſita oriri, deinde leporarium interfluere, tumque demum Celænas deferri dictitet: profecto ei conſequens eſt, vt Celænas ad Marſyæ fontes adpoſitas, Mæandri vero fontes ab vrbe remotiores fuiſſe, & Mæandrum iam flumen ad vrbem decurriſſe ſtatuamus. Deinde Maximi Tyrii valere debet ſuffragium, qui quum vnum & Mæandri & Marſyæ fontem oculis ſuis viderit, & partem communis fontis ad montem delatam mergi atque in vrbe ipſa emergere perſeueret: a Xenophonte hactenus nihil diffidet. Iam cum his teſtibus αὐτόπταις conciliandus eſt & Plinius & Liuius. Plinii ſcriptura, ſi rite corrigatur, cum Xenophonte & Maximo Tyrio conſentanea eſt. Etenim *Marſyas*, inquit, *ibi* (Celænis) *redditur, ortus ante paullo, mox conditus.* Vulgata quidem lectio: *Marſyas ibi redditur ortus ac paullo mox conditus*, vix ac ne vix quidem intelligitur. Magis tolerari poſſit interpunctio illa quoque, *Marſyas ibi redditur, ortus a paullo* (ſcilicet *ſpatio,*) *mox conditus.* Supereſt Liuius. Is concordat itidem. Scribit enim, Mæandri *amnis fontes Celænis oriri*, id eſt *prope Celænas, non procul a Celænis.* Nam quum Cæſar de Bello Gallico I c. 31 ſ. 12 *prælium Amagetobriæ factum eſſe* ſcripſit: hoc vult, *apud Amagetobriam, prope Amagetobriam* commiſſum eſſe prœlium. Ita, ſi primum teſtimonia perceperis, nomine ſuo digna: iam explicatiſſima videbuntur ſcriptorum illorum verba, qui alienam fidem ſecuti, ſuis tamen, quam alienis verbis, vti maluerunt. Et quia Marſyæ & Mæandro ſecundum Tyrium communis fons contigit:

Liuius lib. XXXVIII cap. XIII, quidquid huius rei eſt, clariſſime expoſuit: *Conſul,* inquit, *ad Antiochiam ſuper Mæandrum amnem poſuit caſtra. Huius amnis fontes Celænis oriuntur. Celænæ vrbs,* * *caput quondam Phrygiæ fuit. migratum inde haud procul veteribus Celænis, nouæque vrbi Apameæ nomen inditum, ab Apamea ſorore Seleuci regis. Marſyas amnis haud procul a Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. Famaque ita tenet, Celænis Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certaſſe.* ** *Mæander ex arce ſumma Celænarum ortus media vrbe decurrens* *** *per Caras primum, deinde Ionas, in ſinum maris editur, qui inter Prienen & Miletum eſt.* Et Plinius lib. V cap. XXIX de eadem re: *Tertius* [Aſiæ conuentus] *Apamiam vadit, ante adpellatam Celænas, dein Ciboton. Sita eſt in radice montis Signiæ, circumfuſa Marſya, Obrima, Orga fluminibus in Mæandrum cadentibus. Marſyas ibi redditur ortus, ac paullo mox conditus: vbi certauit tibiarum cantu cum Apolline, Aulocrenis: ita vocatur conuallis* X M. *paſſuum ab Apamia Phrygiam petentibus.* Stephano quoque eadem vrbs eſt Apamea & Celænæ. ἔστι καὶ, inquit, τῆς μεγάλης Φρυγίας [Απάμεια] ἥτις ἐκαλεῖτο Κελαιναί. *Eſt etiam magnæ Phrygiæ Apamea, quæ prius vocabatur Celænæ.* At vero propiora, quæ Liuius tradit, *haud procul* a veteribus Celænis eſſe Apameam. Et Strabo: ἐντεῦθεν ἀναστήσας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Σωτὴρ Αντίοχος εἰς τὴν νῦν Απάμειαν, *Inde* [Celænis] *ciues tranſtulit in eam, quæ nunc eſt, Apameam.* **** Diuerſæ igitur vrbes fuerunt, Celæna & Cibotos, ſed vicinæ, & vtraque ad Marſyam. Celænarum ciues Cibotum traducti, & hæc tum aliis ornamentis ab Antiocho aucta, tum nomine illuſtri Apameæ. Vetus nomen *Cibotos* ſæpe diſcriminis cauſſa adiicitur, ſicut in Mauretania *Cæſarea Iol:* atque ita etiam poſteriori æuo

recte item dicere licet, *Celænas* eſſe *prope Mæandri & Marſyæ fontes,* vel *ad Mæandrum & Marſyam amnes.* Simul iudicare iam licet de verſibus iſtis Nonni Dionyſiac. XIII extrem.

Καὶ οἱ λάχον ἀγκύλον ὕδωρ
Εἰς χθόνα δυομένοιο παλιννόστου ποταμοῖο
Μαιάνδρου σκολιοῖο διερπύζοντος ἐναύλων.
Quique vndas cepere recuruas
Amnis ſub terras lapſi pariterque reuerti
Mæandri torti, ſoliti peragrare canales.

Xenophonti & Tyrio conſentanea Strabo tradit. Nam libro XII p. 866 edit. Almelou. ex eadem palude fontes & Marſyæ & Mæandri ducit. Marſyam autem ſupra vrbem ſcatere dicit, tum deferri in ſuburbium citato & procliui curſu, tandem in Mæandrum infundi, iam flumine Orga leniter delabente auctum.

* Nonnus Dionyſiac. XIII v. 516 p. 382

Οἵτε Κελαινὰς χρυσοχόρους ἐνέμοντο
Καὶ ἱλαστήρια γοργοῦς.

** Vid. Claudian. II in Eutrop. v. 256. Adde Xenoph. de Expedit. Cyri lib. I p. 246 A, B. Ouid. Metamorph. VI, 382. Strabo lib. XII pag. 866.

*** Hæc in Marſyam potius conueniunt, vti Strabo, quem citauimus, docebit.

**** Poterat auctor etiam eo ex Strabone argumento vti, quod Celænæ mons vrbem cognominem habuerit. Ἄρχεται ἀπὸ Κελαινῶν λόφου τινὸς ἐν ᾧ πόλις ἦν ὁμώνυμος τῷ λόφῳ. *Mæander e Celænis colle quodam oritur, in quo vrbs erat colli cognominis.* Sic enim vertendum eſt, clarius quam vulgo fit. Ergo Celænæ ſaltem priores fuerunt Apamea, & non potuerunt honeſte nouo inſigniri nomine, niſi notabilis aliqua & rege digna commutatio ei eueniſſet. Immo verba Strabonis, quibus Apameæ ſitum deſcribit, curatius conſiderata, & cum Xenophontis deſcriptione Celænarum comparata, declarant, Celænas ab vtroque amne & Marſya & Mæandro percurſas eſſe, & Marſyæ fonti adpropinquaſſe. Apameam procul a fonte Marſyæ ad oſtia eius receſſiſſe, vbi Mæandro admiſceretur Marſyas.

in Peutingeri Tabula legitur *Apamea Ciboton.* Gentile Ἀπαμεὺς Græce, idque in nummis expreſſum ΑΠΑΜΕΩΝ: Latine *Apamienſes.* Tacitus lib. XII cap. LVIII *Tributum Apamienſibus, terræ motu conuulſis, in quinquennium remiſſum.* De *Celænis* etiam Curtius conſulatur lib. III ineunte: qui vero cum Marſya Lycum amnem confundit.

LXXII.

Mæandri & Marſyæ ortum paullo aliter, ac Liuius, deſcripſit Maximus Tyrius Diſſertatione XXXVIII, Φρύγες οἱ περὶ Κελαινὰς νεμόμενοι τιμῶσι ποταμοὺς δύο, Μαρσύαν καὶ Μαίανδρον. εἶδον τοὺς ποταμούς. ἀφίησιν αὐτοὺς πηγὴ μία, ἣ προσελθοῦσα ἐπὶ τὸ ὄρος, ἀφανίζεται κατὰ νώτου τῆς πόλεως, κᾆυθις ἐκδίδοι ἐκ τοῦ ἄστεος, διελοῦσα τοῖς ποταμοῖς καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὰ ὀνόματα. *Phryges, qui circa Celænas habitant, venerantur duos amnes, Marſyam & Mæandrum. Vidi ipſos fluuios: vnus fons illos emittit, qui ad montem accedens, contra dorſum vrbis mergitur, & rurſus emergit ex vrbe, fluminibus & aquas & nomina diſtribuens.* Et Herodotus VII cap. XXVI Mæandri fontes ad Celænas ponit, & alium amnem, qui Marſyas eſt, ab impetu *Cataracten* dictum, inde deducit.

LXXIII.

Hic Apameæ ſitus, a Liuio Plinioque deſcriptus, a Ptolemæi numeris, & Agathodæmonis tabula nimium quantum recedit, quod magno interuallo illi, & vel integro gradu circuli maiore, Celænarum tumulum & Mæandri fontem ab Apamea Ciboto ſeiungunt; & interiecto ſpatio, productoque Mæandri alueo, aliquot oppida conſtituunt Metropolim, Silbium, Philomelium, Pelten. Adeo incerta ſunt hæc mediterranea. Nihilominus deſerendum putamus Ptolemæum: ſequendum Liuium, qui ducem habuit Xenophontem. Hic lib. I Exped. Cyri poſt initium: ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς τρεῖς, παρασάγγας εἴκοσιν εἰς Κελαινὰς τῆς Φρυγίας, πόλιν οἰκουμένην, μεγάλην καὶ εὐδαίμονα. ἐνταῦθα Κύρῳ βασίλεια ἦν καὶ παράδεισος μέγας, ἀγρίων θηρίων πλήρης - - - διὰ μέσου δὲ τοῦ παραδείσου ῥεῖ ὁ Μαίανδρος ποταμὸς, αἱ δὲ πηγαὶ αὐτοῦ εἰσὶν ἐκ τῶν βασιλείων· ῥεῖ δὲ καὶ διὰ τῆς Κελαινῶν πόλεως. ἔστι δὲ καὶ μεγάλου βασιλέως βασίλεια ἐν Κελαιναῖς ἐρυμνὰ, ἐπὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ Μαρσύου ποταμοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει. ῥεῖ δὲ καὶ οὗτος διὰ τῆς πόλεως, καὶ ἐμβάλλει εἰς τὸν Μαίανδρον. *Inde* [a Coloſſis] *tertiis caſtris viginti paraſangas progreſſus venit Celænas, vrbem Phrygiæ bene habitatam, magnam & felicem. Ibi Cyrus regiam habebat & magnum paradiſum, plenum agreſtium ferarum. Per medium paradiſum fluit Mæander amnis, cuius fontes ex regia ſunt. Fluit vero etiam per vrbem Celænas. Eſt vero regis magni in Celænis regia, ſitu edito munita, ſuper fontes Marſyæ amnis, ſub arce. Et hic amnis per vrbem labitur, & exit in Mæandrum.* Ex quibus intelligimus, diſtantiam Celænarum & Apameæ Ptolemaicam defendi non poſſe, quia a Coloſſis Celænas viginti paraſangas habet Xenophon: Ptolemæo autem a Lyci confluente ad Mæandri fontem in Celænarum colle, ſunt circiter paraſangæ quadraginta. Sit ergo Apamea Ptolemæi loco non alieno, niſi quod reductior a Mæandro eſt: Celænarum autem collis, quo oritur Mæander, & vbi veteres Celænæ fuerant, a Ptolemæi poſitione per multas paraſangas reuocandus eſt, quia Plinius dicto loco

Aulo

Aulocrenas (ſic vocat montem, ex quo naſcitur Mæander) ab Apamea per conuallem x M. paſſuum, id eſt duarum & dimidiæ paraſangarum, ſeiunxit, quum Ptolemæo ſint prope paraſangæ viginti. Adi & Salmaſium in Solin. pag. 587.

LXXIV.

Vrbes tamen Ptolemæi, illo tractu poſitas, ſed ſine flumine, perſequemur. Prima illarum eſt *Metropolis*, Phrygiæ cognomento, quia eiusdem nominis alia Lydiæ ſiue Ioniæ eſt; alia Theſſaliæ. Stephanus duas Metropoles adſcribit Phrygiæ, ſed errat, Ionicam, quæ eadem & Lydia eſt, vel ſeparans, vel de loco ſuo mouens. Et Plinius duarum tantum *Metropolitas* lib. v cap. XXIX in Aſia memorat, hos in Epheſinum conuentum, illos in Apamenum transſcribens. Quæ vero propria Phrygiæ eſt, eam Stephanus dicit, Alexandrum hiſtoricum ſequutus, *ἀπὸ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν οἰκισθεῖσαν*, *a Matre deorum conditam*, quod Salmaſio & Berkelio incredibile videtur, qui legi malunt *ἐκεῖ τιμηθείσης*, *ibi cultam* Matrem magnam fuiſſe. Sane de cultu eius in hac vrbe teſtatur nummus, quem Holſtenius in Stephanum profert, habens turritum Matris deorum caput, parteque altera inſcriptus eſt ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣ, *Metropoleos ſanctæ*. Memorauit etiam Strabo ſæpe dicto loco, hoc ordine: *Ἀφροδισιὰς, Κολοσσαὶ, Θεμισώνιον, Σαναὸς, Μητρόπολις, Ἀπολλωνιάς*. Perperam Latinus interpres adpellatiue vertit: *& Apollonias metropolis.* diuiſe vertendum erat: *Metropolis, Apollonias.* Mentio huius vrbis eſt etiam apud Athenæum lib. XIII cap. IV, vbi Alcibiadis ſepulcrum in pago *Meliſſa* deſcribit. *ἐκηδεύθη ἐν Μελίσσῃ κώμῃ τῆς Φρυγίας ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ Φαρναβάζου. εἴδομεν δὲ καὶ ἡμεῖς τὸ ἐν Μελίσσῃ τοῦ Ἀλκιβιάδου μνῆμα ἐκ Συνάδων εἰς Μητρόπολιν ἀφικνούμενοι.* *Funeratus eſt in vico Phrygiæ Meliſſa, poſtquam inſidiis a Pharnabazo peremtus fuerat. Vidimus ipſimet ſepulcrum Alcibiadis in Meliſſa, quum ex Synnadis Metropolim proficiſceremur.*

LXXV.

Deinde eſt Ptolemæi *Σίλβιον*, *Silbium*, vnde Plinii ſunt *Silbiani* lib. v. cap. XXIX. Hierocli eſt *Σιβλία*, *Siblia*, transpoſitis litteris: ac in Eccleſiæ Notitia pluraliter *ὁ Σιβλίων*, *Sibliorum* epiſcopatus. Tractus hic eſt, quem Strabo nominat *Παρώρειον λεγομένην Φρυγίαν*, *Paroreion Phrygiam*, id eſt ad montes ſitam, ſeu in radicibus illorum.

2. Huic tribuit *Philomelium*, *Φιλομήλιον*, Ptolemæo inter Silbium & Pelten ſitum. Cicero quatuor ſyllabis, ſi recte codices habent, *Philomelum* dixit. Sæpe vſus eſt patrio caſu *Philomeli*, quem putares contractum in fine eſſe, vt quum lib. III epiſt. VIII ſcripſit, *quum Philomeli, quum Iconii eſſem:* & mox: *meus conuentus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli; tuus Tarſi.* At lib. XV epiſt. IV, vt in optimis libris eſt, non ſolum ſcripſit, *triduum Synnadis, totidem dies Philomeli;* verum mox etiam alio caſu, *quum cohortes apud Philomelum conſediſſent.* Ceteri omnes augent ſyllaba, *Φιλομήλιον*, *Philomelium* ſcribentes, Strabo, Ptolemæus, Stephanus; & *Philomelienſes* Plinius lib. v cap. XXVII.

LXXVI.

Vltima vrbium, quas ante Celænas Ptolemæus poſuit, ſunt *Peltæ*, Πέλται. Abſunt decem paraſangis ab horto Celænarum. Xenophon lib. I Exped. Cyri poſt initium: *Milites Græcos Cyrus luſtrauerat* ἐν τῷ παραδείσῳ, *in horto* iuxta Celænas. ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς δύο, παρασάγγας δέκα, εἰς Πέλτας πόλιν οἰκουμένην, *Inde profectus eſt duobus caſtris, decem paraſangis Peltas, bene cultum oppidum.* In Notitia epiſcopatuum eſt ὁ Πελτῶν, *Peltarum* epiſcopatus, in Pacatiana. Gentile *Pelteni* apud Plinium lib. v cap. XXVIII & XXIX.

LXXVII.

In hoc tractu inter Celænas & Coloſſas fuit oppidum Ἄναυα, *Anaya*, ſiue, vt interpres ſcripſit, *Anaua*, quod Herodotus lib. VII cap. XXX in Xerxis itinere ita collocauit: cuius non memini ab alio fieri mentionem.

LXXVIII.

A Mæandro & vicino tractu in orbem nunc per Galatiæ limitem ad ſuperiora & Sangarium fluuium redimus. Sunt in illo limite, quæ ſitus ratione ad Phrygiam referri poſſint, *Cinna, Dictis, Peteniſus, Carima*; a Ptolemæo vero tribuuntur Gallogræciæ, in qua etiam, ne turbemus eius ordinem, explicaturi ſumus. Circa Sangarium dicitur *Gordium*, vetus Phrygum regia fuiſſe, ſed maxime in ſitu ſignando diſſentiunt auctores. Curtius lib. III cap. I ait, *interlui Sangario amne:* Arrianus lib. I extremo, κεῖται ἐπὶ τοῦ Σαγγαρίου ποταμοῦ, *iacet* [Gordium] *ad Sangarium fluuium.* At dubitant recentes de ſitu ad Sangarium, immo negant quidam fortiter. Voſſius ad Iuſtini lib. XI cap. VII *Alii* [Gordium] *in Phrygia minore ad Sangarium ponunt: ſed inepte.* Sequitur hunc ducem Abr. Berkelius ad Stephanum: *Illi a vero aberrant, qui cenſent ad Sangarium amnem in minore Phrygia collocandam, & cum Sardibus eamdem faciendam.* Velim diſtinctius hæc vir doctiſſimus propoſuiſſet. Aberrant vtique, qui Sardes & Gordium vrbem eamdem putant, quod ex Oroſii lib. III cap. XVI hauſerunt; neque recte in minore Phrygia ſtatuitur, quam *Sangarius* non attingit, ſed ortus in maiore, eiusque partem perlapſus, per Bithyniam in Pontum exit; non in Propontidem, vt Liuius errabundus tradidit lib. XXXVIII cap. XVIII. Quæ vero de *Minore* Phrygia dicuntur, ab Arriani errore ſunt, qui de Gordio vrbe dicto loco ſcripſit, ἔστι μὲν τῆς Φρυγίας τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντου, *eſt Phrygiæ illius, quæ ſuper Helleſponto iacet.* Verius dixiſſet *Phrygiæ Magnæ.* Propior quidem vero, ſed non proximus Iuſtinus eſt, cum tradit: *Poſt hæc Gordium vrbem petit, quæ poſita eſt inter Phrygiam Maiorem & Minorem.* Vt vero hi in occaſum nimis hanc vrbem reducunt; ita iuſto longius videntur alii in ortum verſus proferre. Stephanus Byzantius: Γορδίειον πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας, πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, *Gordieium* (ſic vocat quod alii Gordion) *vrbs eſt Phrygiæ Magnæ ad Cappadociam:* Hoc auctore confiſi, Voſſius & ſequaces, negant ad Sangarium fuiſſe. At Strabo quoque lib. XII pag. 391 *Prope montem Dindymum Sangarius amnis defluit:* ἐπὶ δὲ τούτῳ τὰ παλαιὰ τῶν Φρυγῶν οἰκητήρια Μίδου, καὶ ἔτι πρότερον Γορδίου, καὶ ἄλλων τινῶν, οὐδ' ἴχνη σώζοντα,

ἀλλὰ

ἀλλὰ κῶμαι, μικρῷ μείζονες τῶν ἄλλων· οἷόν ἐϛὶ τὸ Γόρδιον, cetera. *Ad hunc fluuium ſunt Phrygum vetera domicilia, Midæ, & eo prioris Gordii, aliorumque nonnullorum, ne veſtigia quidem ſeruantia, ſed pagi, aliis paullo maiores. De his eſt Gordium*, reliqua. In quo ergo Strabo, Arrianus, Curtius conſentiunt, hoc eſt in ſitu Gordii ad flumen Sangarium, id non temere reiiciendum eſt. Neque ſitus ad Cappadociæ fines, quem Stephanus tradit, probari poteſt, quia iter Alexandri a Celænis Gordium, inde Ancyram Galatiæ, & in Paphlagoniam, tum demum ad Cappadociam Ciliciamque aliud docet. Vide Curtii, Arriani, Plutarchi narrationes, quorum illi a Gordio Phrygiæ Ancyram, quæ Gallogræcorum eſt, deducunt regem; hic pag. 674 in Paphlagonas, atque ex iis in Cappadoces duxit in Ciliciam. Medium ergo, quod certius eſt, cum Liuio teneamus, qui lib. XXXVIII cap. XVIII ita de Gordii poſitione tradidit: *poſtero die* [conſul] *ad Gordium peruenit. Id haud magnum quidem oppidum eſt, ſed plus quam mediterraneum celebre & frequens emporium. Tria maria pari ferme diſtantia interuallo habet, Helleſpontum, ad Sinopem, & alterius oræ litora, qua Cilices maritimi colunt. multarum magnarumque præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maxime locum mutui vſus contraxere.* Sed ex hoc ipſo loco Liuii conſtare putat Berkelius, Gordium alibi, quam ad Sangarium ſitum fuiſſe, quia originem fluminis ad oſtium vsque ibidem Liuius deſcribat, tum demum addat de Gordio quæ recitauimus. At vero nihil de Sangario Liuius, niſi in Phrygia oriri, & per Bithyniam in mare ferri: ſilens de oppidis, quæ eidem ſint adpoſita. Conſulem autem Romanum ab Alyattis Bithyniæ, & Cuballo Gallogræciæ caſtello, profectum, Sangario ponte traiecto, ad Gordium perueniſſe: quod propter magnos amnis & capaciſſimos anfractus ita eſſe poteſt, vt alia fluuium transmiſerit, alia & ex altera ripa adierit vrbem Gordium. De famoſo *Nodo Gordio* conſulantur Plutarchus, Curtius, Iuſtinus.

LXXIX.

Quæ reliqua ſunt in Phrygia Magna, incertæ poſitionis ſunt. *Agdamia* talis eſt. Socrates lib. VII cap. XXXVI Ὄπτιμος, ὁ ἀπὸ Ἀγδαμίας τῆς Φρυγίας, μετηνέχθη εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας, *Optimus, epiſcopus Agdamienſis in Phrygia, translatus eſt Antiochiam Piſidiæ.* Repetit Nicephorus lib. XIV cap. XXXIX.

LXXX.

Deinde *Gordiutichos* eſt & *Tabæ*, quæ Liuius coniungit lib. XXXVIII c. XIII. *Inde*, inquit [ab Antiochia] *ad Gordiutichos, quod vocant, proceſſum eſt. ex eo loco ad Tabas tertiis caſtris peruentum. in finibus Piſidarum poſita eſt vrbs, in ea parte, quæ vergit ad Pamphylium mare*; Stephanus in Lydia *Tabas* ponit, Τάβαι πόλις Λυδίας, *Tabæ vrbs Lydiæ.* Nomen apud Strabonem lib. XII corruptum eſt, pag. 392 Τιάβα, & pag. 397 Ταβέαι, niſi forſan diuerſa ſunt, quia hæ iunguntur cum mediæ Phrygiæ oppidis, Peltis, Eucarpia Lyſiade: illa deſcribitur vt in Cariæ Piſidiæque ſita finibus, quod Liuio, vt vidimus, eſt conſentaneum. εἰσὶ, inquit, τοῖς Φρυξὶν ὅμοροι, καὶ τῇ Καρίᾳ,

Τιάβα, καὶ Σίνδα, καὶ Ἄμβλαδα. *Phrygibus accedunt & Cariæ Tiaba & Sinda & Amblada.* lege *Tabæ.* Notitia Hieroclis eſt Ταβία, *Tabia* in Galatia Prima, ſed hæc aliena. Ταβηνὸν πεδίον, *Tabenum campum* cum Peltino coniunxit Strabo lib. XIII ad finem.

LXXXI.

Alterum oppidum Liuii eſt *Gordiutichos*, etiam Stephano Γορδιυτεῖχος πόλις Μίδε, *Gordiutichos vrbs Midæ.* An eadem *Gordiucome* Strabonis ac Plinii? Non videtur, quia hæc eſt *Iuliopolis*, Bithyniæ a Plinio altero vindicata lib. X epiſt. LXXXI. Tamen & Gordiutichos tribus caſtris aberat a Tabis, vt ex Liuio obſeruauimus.

LXXXII.

Fuit quoque *Appia* oppidum huius Phrygiæ. Notitia eccleſiæ in Pacatiana, ὁ Ἀππίας, *Appiæ epiſcopus.* Hieroclis Diſpoſitione Imperii in eadem prouincia, Απία, *Apia,* ſimplici elemento. * Gentile *Appiani.* Cicero lib. III epiſt. VII ad Appium Pulchrum: *Legati Appiani mihi volumen a te, plenum querelæ iniquisſimæ, reddiderunt.* Et epiſt. IX eiusdem libri: *Quas ad me litteras miſiſti, vnas de legatis a me prohibitis proficiſci, alteras de Appianorum ædificatione impedita: legi perinuitus.* Fuerunt in conuentu Synnadenſi. Plinius lib. V cap. XXIX *Alter conuentus a Synnada accipit nomen. Conueniunt Lycaones, Appiani, Eucarpeni, Dorylæi, Midæi, Iulienſes.*

LXXXIII.

Qui vero *Lycaones* hoc loco a Plinio commemorantur, videri poſſunt gens eſſe Lycaoniæ, præſertim quod idem Plinius lib. V cap. XXVII prædixerat, *Lycaonia in Aſiaticam iurisdictionem verſa; cum qua conueniunt Philomelienſes, Tymbriani, Leucolithi, Pelteni, Tyrienſes:* atque ita *Lycaones* cap. XXIX Harduinus interpretatur. Quod vero hi *Lycaones* in Synnadenſem conuentum cap. XXIX ſcribuntur, in quo alii, atque cap. XXVII nominati ſunt, cenſentur; non de iisdem Lycaonibus vtroque loco videtur Plinius egiſſe. Accedit, quod in Notitia epiſcopatuum in Salutari prouincia narratur ὁ Λυκαόνος, *Lycaonis epiſcopus,* quod certe locum ſingularem ſiue oppidum, vt ceteri epiſcopatus, arguit. Nec obeſt, cap. XXIX in conuentus Synnadenſis deſcriptione, poſt enumeratos claros populos adiici, *& reliqui ignobiles;* ſub quibus ii, quos cap. XXVII nominauit, intelligi fortaſſe posſint. Sed nihil proficitur. Haudquaquam enim Pelteni & Philomelienſes patientur, in ignobiliorum ſe cenſum populorum referri, qui nullis Phrygum claritate facile concedunt. Eſto, Lycaoniam præſide proprio caruiſſe, & nunc Cilicienſi proconſuli, vt ante ciuile bellum; nunc Aſiatico, poſt illius belli tempora & ſub Cæſaribus fuiſſe ſubiectam; non tamen inde conficitur, alteros Plinii *Lycaones*, & Notitiæ τὸν Λυκαόνος, eodem etiam referendos eſſe.

LXXXIV.

Ignoto ſitu etiam eſt *Pepuza*, vnde Phryges hæretici, illum locum cumprimis colentes, nominantur. Epiphanius Hæreſi XLVIII ſect. XIV

Τιμῶσι

* Huc referendus videtur locus Polybii V c. 77 extr. Κατασύρας τὸ Απίας πεδίον.

τιμῶσι οἱ τοιῦτοι καὶ τόπον τινὰ ἔρημον ἐν τῇ Φρυγίᾳ, Πέπυζάν ποτε καλυμένην πόλιν, νῦν δὲ ἠδαφισμένην. *Iidem illi deſertum quemdam locum in Phrygia venerantur, vbi Pepuza quondam oppidum fuit, quod ſolo nunc æquatum eſt.* In Notitia Orientis, Hierocli tributa, Pacatianæ Phrygiæ vrbs decima octaua eſt Πέπυζα, *Pepuza*, ſiue *Pepuſa*.

LXXXV.

Nec certior ratio eſt *Erizæ* apud Liuium lib. XXXVIII cap. XIV. De *Tabis* in finibus Piſidarum ſita vrbe egerat. *Tertio inde die ad Chaum amnem peruentum: inde profecti Erizam vrbem primo impetu ceperunt. Ad Thabuſion caſtellum, imminens flumini Indo, ventum eſt: cui fecerat nomen Indus, ab elephante deiectus. Haud procul a Cibyra aberant.* Cibyræ ſitum vidimus ſupra in finibus Cariæ, cui in Notitiis adſcribitur. Et quia *Tabæ* in Piſidiæ finibus, medio loco inter Tabas & Cibyram oportet *Erizam* eſſe cum *Thabuſio* caſtello & fluminibus *Chao* ac *Indo*. Synodo Quiniſexta, ἐπίσκοπος πόλεως τῶν Ερίζων τῆς Καρίας ἐπαρχίας, *epiſcopus vrbis Erizorum prouinciæ Cariæ*, Magnus nomine: & in Conſtantinopolitana III Ioannes ἐπίσκοπος πόλεως Ερίζων, *epiſcopus vrbis Erizorum* ſubſcripſit. Hæc propiora ſunt ad Liuii deſcriptionem, quam *Erezii* Pliniani lib. v cap. XXX, quos cum Apolloniatibus ab Rhyndaco, & Miletopolitis Plinius coniunxit.

LXXXVI.

Plinii *Andria* Phrygiæ lib. v cap. XXXII ignota eſt; etiam *Ceranæ*: neque notior eiuſdem *Carina*, niſi, eiecta littera legatur *Caria*, quod oppidum fuit in Phrygum finibus, aut in Pacatiana, in qua Notitiis eſt ὁ Καρίας, *Cariæ* vrbis *epiſcopatus*: Stephano Καρὶς; *Caris*, πόλις Φρυγίας, *Phrygiæ vrbs*. An eadem *Caria* Liuii, quæ *Hydrela* cognominatur? Videtur Ortelio, qui pro vrbe, non pro regione habet: & ſane inter oppidorum caſtellorumque nomina eſt conſtituta, ab regionum ſeparata nominibus. Verba hiſtorici ſunt lib. XXXVII cap. LVI, *De ſumma rerum ſenatus conſtituit, Lycaoniam omnem & Phrygiam vtramque & Myſiam, regias ſiluas & Lydiæ Ioniæque, extra ea oppida quæ libera fuiſſent quo die cum rege Antiocho pugnatum eſt; & nominatim Magneſiam ad Sipylum, & Cariam, quæ Hydrela adpellatur, agrumque Hydrelatarum ad Phrygiam vergentem, & caſtella vicoſque ad Mæandrum amnem & oppida, niſi quæ libera ante bellum fuiſſent; Telmiſſum item nominatim, & caſtra Telmisſium, præter agrum qui Ptolemæi Telmisſii fuiſſet; hæc omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt, regi Eumeni dari.*

LXXXVII.

Circa Cibyram ſunt etiam, quæ certo loco poni nequeunt. Moagetes, Cibyræ tyrannus, ditionis ſuæ illa fecerat. Liuius lib. XXXVIII cap. XIV *Poſtero die in caſtra tyrannus venit. - - - erant ſub eo, præter Cibyram, Sylêum, & quæ Alimne adpellatur.* Sileum etiam a Stephano eſt memoratum: Σίλειον, πόλις Φρυγίας, *Sileium oppidum Phrygiæ.* Notitiæ ὁ Αλινῶν, in Pacatiana, an de *Alimne* Liuii ſit, neſcimus.

LXXXVIII.

In eadem hiſtoria capite inſequenti XV memorauit Liuius in Phrygia *Obri-*

Obrimam & *Alandrum* fluuios: *Dinias, Beudos, Anabura,* & *Abbaſſum* oppida memorauit. Plinius lib. v cap. xxix ad Celænas & Apameam Ciboton *Obrimam* flumen ducit, & cum Marſya coniungit, quæ ambo cum *Orga* montem *Signiam* circumfundant, indeque cadant in Mæandrum. Huius Obrimæ fontes in Piſidarum finibus oſtendit Liuius prædicto loco. *Progreſſus,* inquit, *inde* [conſul ex agro Sagalaſſeno Piſidiæ] *ad Obrimæ fontes, ad vicum, quem Aporidos comen vocant, poſuit caſtra.* - - - Inde *profectus eo die in Metropolitanum campum: poſtero die Dinias Phrygiæ proceſsit: inde Synnada venit, metu omnibus circa oppidis deſertis. quorum iam præda graue agmen trahens vix quinque millium die toto itinere perfecto ad Beudos, quod vetus adpellant, peruenit. ad Anabura inde, & altero die ad Alandri fontes, tertio ad Abbaſſum poſuit caſtra. Ibi plures dies ſtatiua habuit, quia peruentum erat ad Toliſtoboiorum fines.* Ex quibus intelligimus, *Dinias* fuiſſe inter Metropolim & Synnada, notas vrbes Phrygiæ, vtraſque a Ptolemæo deſignatas. A Synnadis inde, vſque ad Toliſtoboiorum fines, qui ad ſeptemtrionem ſunt Galatiæ, cetera oppida ordine ponenda, *Beudi veteres,* & *Anabura,* & *Abbaſſus;* & inter hanc & Anaburam, *Alandri* fontes.

LXXXIX.

Et Stephani *Mandropolis* φρυγίας πόλις, *vrbs Phrygiæ,* * quam Sigonius Liuio xxxviii cap. xv vult reſtituendam. Nummus Titi, ΜΑΝΔΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΜΗΛΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Mandropolitarum & Philomelienſium concordia.* Sed hæc ignoto ſitu: etiam *Grunium* Phrygiæ caſtrum, apud Nepotem Alcibiade cap. ix, quod quidam *Grynium* Aeolidis putant eſſe, de quo ſuo loco diximus. Sed videntur diuerſa, quia illud caſtrum, hoc oppidum: illud in Phrygia, hoc in Aeolide: niſi in regionis nomine Nepos Cornelius aberrauit.

XC.

Plura ſunt Notitiarum in Phrygia, nec vero iis, quæ iam diximus, poſitionis ratione certiora, quorum vero nec nomina ſunt prætereunda: quæ num omnia tam antiqua ſint, vt ad veterem geographiam pertineant; an quædam medio æuo ſuperaddita, non habemus iam dicere. Forte in geographia medii æui plus dabitur occaſionis in illorum antiquitatem inquirendi. In Pacatiana, quam mediis illis temporibus partem dixere, hæc vrbium nomina, ſuper illa antea expoſita, occurrunt:

XCI.

Cydiſſus, Κύδισσος, vt ex MS. Hieroclem, apud quem editum eſt Κιδύσσης, Holſtenius emendat: vnde ſunt Κυδισσεῖς, *Cydiſſenſes,* populus Ptolemæi in Phrygia, quod itidem vocabulum ex Barberino codice laudatus Holſtenius reſtituit, pro quo vulgatum erat Κυδδησεῖς, *Cyddeſſes.* Ipſe παρὰ τὴν Βιθυνίαν,, *iuxta Bithyniam* ponit: Agathodæmon in Tabula inter Midæum & Nacoleiam.

XCII.

Deinde eſt *Tranopolis,* quam Carolus de S. Paulo Geogr. Sacr. pag. 240 *Traiano-*

* Adde Sponii Voyage III p. 221.

Traianopolim contractione nominis eſſe exiſtimat: Lucas Holſtenius autem in eam Adnotationibus pag. 140 nihil de nomine pleniore habet; vtique autem Τρανουπόλεως epiſcopum Synodicæ Gennadii ſubſcripſiſſe refert, perinde vt in Notitia epiſcopatuum eſt ὁ Τρανουπόλεως, *Tranopolitanus.* In Ortelium vero Adnotatis idem Holſtenius pag. 24 ſcripſit: AVGVSTA TRAIANA *legitur in nummo Seueri apud Triſtanum, in quo Cybele turrita leone vehitur. vnde hanc Traianopolim Phrygiæ recte intelligit.* Ptolemæus quidem *Traianapolim* inter Antandrum & Adramyttium paullo intus reductam habet, ſed falſo loco, vt in Myſia oſtendimus: eaque in ortum magis eſt proferenda, quo in maiorem cadat Phrygiam. Sic omnino fieri potuit, vt *Traianopolis* in *Tranopolis* poſteriore æuo, quemadmodum *Grenoble* ex *Gratianopoli*, a vulgo contraheretur.

XCIII.

Dionyſopolis etiam in hunc cenſum incertæ poſitionis referenda videtur. Stephanus: Διονύσου πόλις β′ Φρυγίας, κτίσμα Ἀττάλου καὶ Εὐμενοῦς, ξόανον εὑρόντων Διονύσου περὶ τοὺς τόπους, *Dionyſopolis altera eſt Phrygiæ* (prima ad Pontum eſt) *opus Attali & Eumenis, qui circa loca illa Bacchi ſimulacrum inuenerdnt.* Ciues eius *Dionyſopolitæ* dicti. Plinius lib. v cap. XXIX *Ex hoc* [Apameno] *conuentu deceat nominare Metropolitas, Dionyſopolitas, Euphorbenos, Acmonenſes, Peltenos, Silbianos.* Et Cicero lib. I ad Quintum fratrem epiſt. II cap. II de prouincia Aſiæ: *Dionyſopolitas, qui erant inimiciſſimi mei, leniui: quorum principem Hermippum non ſolum ſermone meo, ſed etiam familiaritate deuinxi.* Et nummus Golzii ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, quem Harduinus ex ſignis certis huic Phrygiæ Dionyſopoli vindicat: cuius, quod nequit dubitari, & alter eſt, inſcriptus, ΔΙΟΝΥΣΟ. Κ. ΜΗΤΡΟΠ. ΕΠΙ ΑΡΧ. ΑΥΡΗ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΩ. quæ idem ſic explet Harduinus: Διονυσοπολιτῶν καὶ Μητροπολιτῶν ἐπὶ ἀρχιερέως Αὐρηλίου, Κιλβιανῶν τῶν ἄνω. Trium ſocietatem, Dionyſopolitarum, Metropolitarum & Cilbianorum ſuperiorum, ſignificat.

XCIV.

Succedit in eadem Notitia ὁ Τιμένου θηρῶν, *Timeni venationes* quod vertunt: vtrumque falſo. Nam ſæpe laudatus vir ſummus, Lucas Holſtenius, ex nummis Valeriani & Gallieni, (Harduinus Salonini & Gordiani addit,) quibus inſcriptum eſt ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥΣΙΝ, verum nomen reſtituit Τημενοθύραι, *Temenothyræ*, quod diuiſum legitur in Concil. Chalced. act. VI ὁ Τεμένου θυρῶν. Pauſanias Attic. cap. XXXV adſcribit Lydiæ, vnde coniicitur, in finibus Lydiæ & Phrygiæ fuiſſe. Λυδίας, inquit, τῆς ἄνω πόλις ἐστὶν οὐ μεγάλη Τημένου θύραι, *Lydiæ ſuperioris non magna vrbs eſt, quæ Temeni thyræ* (ſiue portæ) *vocatur:* ibi gigantis oſſa ſtupendæ magnitudinis detecta prodit.

XCV.

Sunt præterea *Ceretapa*, Κερετάπα Hieroclis, vnde qui in nummo Antonini Pii leguntur ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ, *Ceretapenſium.* Concilio Epheſino ſubſcripſit epiſcopus τῆς κατὰ Κερατάπων ἐκκλησίας, *Ceratapenſis eccleſiæ*, A pro E in medio. Sed certior ratio nummorum & Hieroclis. Huius in-

certi generis *Ἄττυδα*, *Attyda*, & Μόσυνα, *Moſyna* Hieroclis : & Leonis Notitiæ *Sebaſte* ac *Attanaſſus*; quarum ſinguli epiſcopi Chalcedonenſi ſynodo ſubſcripſerunt. *Sebaſten* etiam Hierocles habet: præterea *Molten*, *Craſum*, *Iluzam*, Ιλȣ̃σαν.

XCVI.

Atque hæc in Pacatiana incerti ſitus oppida : non minus ſunt eadem conditione multa in Phrygia, quæ dicitur *Salutaris*, altera Magnæ Phrygiæ prouincia. Prima huiusmodi vrbium ſit *Polybotus*, Πολύβοτος, vt in Chalcedonenſi ſubſcriptum eſt : & apud Procopium Arcanæ Hiſt. cap. XVIII Πολύβοτος ἡ ἐν Φρυγίᾳ; *Polybotus Phrygiæ*. Hierocles corrupte Πολύγωτος, *Polygotus*.

2. Deinde in Notitia eſt ὁ Αυγȣστοπόλεως, *Auguſtopolitanus*. Suidas in *Eugenius*, Ευγένιος Αυγȣστοπόλεως τῆς ἐν Φρυγίᾳ γραμματικὸς, *Eugenius grammaticus Auguſtopoli in Phrygia*. Holſtenius huc refert Epiphanii Αυγȣστάδα, *Auguſtada*. Hæreſi enim LXXIII ſect. XXVI eſt Philicadus ἐπίσκοπος Αὐγȣστάδων Φρυγίας ἐπαρχίας, *epiſcopus Auguſtadorum Phrygiæ prouinciæ*.

XCVII.

Nec cognitum habemus, vbi *Otrum* vel *Otrus* in hac prouincia fuerit. In Notitia eſt ὁ Οτρȣ̃, *Otri* epiſcopus. Haud dubie is locus eſt, de quo Plutarchus in Lucullo pag. 497, ἐν Φρυγίᾳ περὶ τὰς λεγομένας Οτρύας *in Phrygia circa Otryas, quas vocant*.

2. Erat & *Merus*, Μηρὸς, oppidum in hac parte, vnde ὁ Μηρȣ̃, *Meri* epiſcopus in Notitiis : quod nomen Henr. Valeſius Sozomeno lib. V cap. XI reſtituit. Vide Adnotationes pag. 133.

3. *Cinaborium*, præter Notitiam, Concilium Chalcedonenſe habet.

4. *Phyteia* & *Nicopolis* Phrygum ignotæ, niſi quod in Notitia leguntur.

5. *Ipſus* ſiue *Hipſus*, Ἴψος, ibidem, & apud Hieroclem, & in Concilio Chalcedonenſi. Et Appianus Alexandrinus Bello Syriaco pag. 197 Seleucum dicit prœlio certaſſe cum Antigono περὶ Ἴψον τῆς Φρυγίας, *circa Ipſum Phrygiæ oppidum*. Sed quo loco Phrygiæ ſitum fuerit, non eſt nobis compertum.

XCVIII.

Montes nobiliores Phrygiæ ſunt *Sipylus* & *Meſogis*, de quibus ſupra diximus: & *Signia*, in cuius radice Plinius lib. V cap. XXIX dicit Apameam Ciboton ſitam. Verba ſupra etiam produximus.

2. *Dindymus* mons, * & plurali numero *Dindyma*, Phrygiæ a pluribus tribuitur. Vibius Sequeſter de Montibus : *Dindyma Phrygiæ*. Et Heſychius: Δινδυμένη, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων ὀρῶν τῆς Φρυγίας, *Dindymene, mater deorum, a Dindymis montibus Phrygiæ adpellata*. Strabo lib. XII duos montes habet *Dindymos*, vnum in Myſia apud Cyzicum, in quo cum illo Plinius

* Nonnus Dionyſ. XLVIII v. 853 p. 1298
Διπλόος αὐτοκέλευστος ἐμαιώθη τόκος
Αὔρης λυομένης ὠδῖνος, ὅθεν διδύμων ἀπὸ παίδων
Δίνδυμον ὑψικάρηνον ὄρος κεκλήσκετο Ῥείης.

Plinius & Apollonii ſcholiaſtes conſentiunt, ſicut ad *Cyzicum* demonſtravimus: alterum in Gallogræcia ad Peſſinuntem: in Phrygia Magna nullum. Ptolemæus autem longe iuga Διδύμȣ, *Didymi* montis (ſic ſcribit, eliſo N) a Troianis finibus, per Phrygiam in Gallogræciam vsque producit, lib. v cap. 11; eius τὰ δυτικὰ, *occidentales partes* ponit gradibus longitudinis 57, minut. 40; τὰ ἀνατολικὰ, *orientales* partes grad. 61, ſine minutis: & cap. IV de Galatia, τὰ ἀνατολικὰ, *orientalia* Didymi montis grad. ξβ, 62. qui locus in Galatiam incidit. Quamuis ergo duo montes eſſent, qui proprie *Dindymi* vocarentur, vterque ſacer deorum Matri, neuter autem in Phrygia maiore: tamen quæuis montana atque colles, quibus hæc diua fuit culta, quorum per Phrygiam fuerunt plurima, Dindyma in vniuerſum adpellabantur. Scholiaſtes Apollonii ad lib. I verſ. 985 de hac ipſa Magna dea: σύμπασα ἡ Φρυγία ἱερὰ τῇ θεῷ, *tota Phrygia huic deæ ſacrata eſt.* Hinc factum, vt Phrygii etiam montes a paritate religionis *Dindymi* vocarentur, quo Ptolemæus haud dubie reſpexit, & poetæ, in Phrygia hæc ſacra *Dindyma* conſtituentes. Accedit quod religioſiſſimus locus ad Peſſinuntem fuit, & in Dindymo monte iuxta illam vrbem, quæ in Gallogræcia poſtea cenſa fuit, quum antea eſſet Phrygiæ, quia omnis Gallogræcia pars Phrygiæ fuit, & Peſſinus in ora atque limite Gallorum ad Phrygiam Magnam, quæ poſtmodum definiebatur, vt infra oſtendemus, fuit poſita. Stephanus Troadi hunc montem adſcribit. Δίνδυμα, inquit, ὄρη τῆς Τρῳάδος, ἀφ᾽ ὧν Δινδυμήνη ἡ Ῥέα, *Dindyma, montes Troadis, vnde Rhea Dindymena dicitur.* Eadem ratio, quæ de Phrygia Magna iam ex Ptolemæi ſententia fuit propoſita. Variis locis hæc dea colebatur, & ab iis cognomina habebat, quæ permutata inter ſe poſtmodum fuerunt. Strabo lib. x pag. 323 οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἴδην κατοικȣ̃ντες, Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, *Phryges & Troianorum illi, qui circa Idam habitant, ipſi quoque Rheam colunt.* Vnde eadem *Idæa* quoque adpellata fuit. nam quod Strabo addit, nominant eam ἀπὸ τόπων Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πυλήνην, καὶ Πεσσινȣντίδα καὶ Κυβέλην, *a locis Idæam, & Dindymenen, & Pylenen, & Peſſinuntidem, & Cybelen.* Hæc de Dindymo. Vnum exemplum pluralis poeticum iuuat adiungere. Virgilius lib. IX verſ. 618

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges; ite per alta
Dindyma, vbi adſuetis biforem dat tibia cantum.

3. Mons quoque *Berecyntus* Phrygiæ huic deæ ſacer dicitur fuiſſe: vnde cognomen eius *Berecyntiæ.* Vibius Sequeſter de Montibus; *Berecyntus Phrygiæ: vnde mater deûm Berecyntia.* Seruius ad Aeneid. IX verſ. 82 *Berecyntia: Mater deûm, cuius vltima ſyllaba caret adſpiratione.* Male igitur vulgo ſcribunt *Berecynthus*, * *Berecynthia.* Strabo autem lib. x pag. 323 a populo cultore id deæ cognomen ducit. οἱ Βερέκυντες Φρυγῶν τι φῦλον. *Berecyntes genus quoddam Phrygum.* Subdit verba paullo ante prolata, Phryges & Troianos Rheam venerari. Heſychius; Βερεκύνται Φρυγῶν τι γένος, καὶ πρότερον Βερεκυντία ἡ Φρυγία, *Berecyntæ, Phrygum genus, & olim Phrygia*

* Sed in Creta quoque *Berecynthus* fuit, & ſic ſcribitur a Diodoro V pag. 333.

dicta fuit Berecyntia. Vbi vero hi Berecyntes coluerint, obſcurum eſt & incertum. Strabo extremo libro XII λέγεταί τινα φῦλα φρύγια ὐδαμῦ δεικνύμενα, ὥσπερ οἱ Βερέκυντες, *nationes quædam Phrygum nominantur, nusquam hodie exſtantes ; vt ſunt Berecyntes.* Plinius lib. V cap. XXIX non montem, ſed *tractum* dixit *Berecyntium*, & cum oppidis coniunxit, quæ circa Mæandrum ſunt. *Lyſias*, inquit, *oppidum, & Orthoſia, Berecyntius tractus, Nyſa, Trallis.*

4. Tandem videtur *Cybele* etiam montis nomen in Phrygia fuiſſe, nam Strabo lib. X pag. 323 & *Cybeles* deæ nomen ἀπὸ τόπȣ, *a loco* ducit, quem Ouidius IV Faſtor. verſ. 363 deſignat, quum Gallum amnem dicit labi *inter*

- - - *viridem Cybelen altasque Celænas.*

Adiectum, *viride*, eſt montium nemorumque : & *inter* duo loca meare, vicinitatem illorum arguit, & *Cybelen* haud longiſſime a Celænis abfuiſſe. Strabo XII pag. 391 Κύβελα, *Cybela*, pluraliter locum vocat : ἀπὸ τῶν Κυβέλων ἡ Κυβέλη, *a Cybelis Cybele* nominata.

XCIX.

Flumina nobiliora Phrygiæ ſunt *Mæander*, quem ſupra in Ionia circa oſtia expoſuimus : *Lycus, Caprus*, & *Marſyas*, quos recipit Mæander, itidem antea declarati. Dicitur poſtremus recto caſu ὁ Μαρσύας, *Marſyas*, atque ita Strabo, Liuius, Plinius, quorum verba ſupra protulimus : & *Marſya*, Latina forma, poetis maxime. Ouidius Metamorphoſ. lib. VI verſ. 400

Marſya nomen habet, Phrygiæ liquidisſimus amnis.

Et Claudianus lib. II in Eutrop. verſ. 264

Icarium pelagus Mycalæaque litora iuncti
Marſya Mæanderque petunt : ſed Marſya velox,
Dum ſuus eſt, flexuque carens : iam flumine miſtus
Mollitur, Mæandre, tuo.

2. *Sangarius*, qui & *Sagaris*, ex Galatia per Phrygiam in Bithyniam delabens, a Strabone lib. XII pag. 374 ita deſcriptus eſt : Σαγγάριος, ὗ μέμνηται καὶ ὁ ποιητής· ἔχει δὲ τὰς πηγὰς κατὰ Σαγγίαν κώμην ἀφ᾽ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντά πȣ ϛαδίων τῦ Πεσσινῦντος. διέξεισι δὲ τῆς Ἐπικτήτȣ Φρυγίας τὴν πλείω. μέρος δέ τι τῆς Βιθυνίας. *Sangarius, cuius & Homerus meminit. Fontes habet apud Sangiam pagum* CL *ſtadiis diſtantem a Peſſinunte. Perlabitur Epicteti Phrygiæ maiorem partem : partem etiam aliquam Bithyniæ.* De oſtiis eius in Bithynia dicemus. Dicitur etiam *Sagaris.* Plinius lib. VI cap. I *Sagaris fluvius ex inclytis : oritur in Phrygia : accipit vaſtos amnes, inter quos Tembrogium & Gallum : idem Sangarius a plerisque dictus.* In nummo quoque Iuliæ Piæ ΝΙΚΕΩΝ CΑΓΑΡΙC expreſſum eſt, vti poſt alios illuſtris refert Spanhemius. Nec vero nouum nomen *Sangarius.* Homerus Iliad. Π v. 719

ὃς Φρυγίην ναίεσκε ῥοῆς ἐπὶ Σαγγαρίοιο,
Qui Phrygiam habitabat fluenta ad Sangarii.

Et id poſtmodum quoque nomen præ altero inualuit. Solinus cap. XLIII *Sagaris fluuius ortus in Phrygia, dictusque a plerisque Sangarius.* Et Liuius lib.

lib. XXXVIII cap. XVIII *Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluens miſcetur ad Bithyniam Thymbri fluuio. Inde maior iam geminatis aquis per Bithyniam fertur, & in Pontum* (ſic legendum; non Propontidem) *ſeſe effundit.* Claudianus dicto II in Eutrop. verſ. 261

- - - - - Dindyma fundunt
Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus, Amazonii defertur ad oſtia Ponti.

3. Quo *Gallus* amnis referendus ſit, non conueniunt inter ſe auctores. Plinius lib. V cap. XXXII Galatiæ transſcribit. *Flumina*, inquit, *ſunt in ea* [Galatia] *præter iam dicta, Sangarium & Gallus, a quo nomen traxere Matris deûm ſacerdotes.* Et Herodianus lib. I cap. XI ἐν τῷ Πεσσινοῦντι πάλαι Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερωμένοι. *Peſſinunte Phryges olim orgia colebant ad Gallum fluuium, qui præterfluit vrbem, a quo euirati deæ ſacerdotes cognominantur.* At Stephanus: Γάλλος, ποταμὸς Φρυγίας, *Gallus eſt Phrygiæ fluuius.* Addit prius vocatum Τηρίαν, *Terian.* Et Ouidius Faſtor. lib. IV verſ. 363

Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celænas
Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.

Celænæ autem ſunt in media Phrygia. Cur *inſana* aqua Galli, mox ſtatim his Ouidius interpretatur,

Qui bibit inde, furit.

An autem Gallus prope Celænas fluat, iam diſpiciemus. Strabo prædicto lib. XII pag. 374 dicit, vbi Sangarius Nicomediæ a trecentis ſtadiis proximus eſt, συμβάλλει ποταμὸς αὐτῷ Γάλλος, ἐκ Μόδρων τὰς ἀρχὰς ἔχων τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας. αὕτη δ' ἐστὶν αὐτὴ τῇ Ἐπικτήτῳ, *infunditur in eum Gallus fluuius, ortus apud Modra in Phrygia ad Helleſpontum ſita, quæ & Epictetus eſt eadem.* Nec vero diſtinctior poſitio τῶν Μόδρων, *Modrorum* nobis eſt cognita. De amne *Gallo* ergo cum Strabone facimus: Plinium, Herodianum & Ouidium deſerendos eſſe cenſemus: niſi olim Peſſinuntius amnis etiam Gallus vocatus fuit, & Strabo de eo tantum loquitur, qui ſua id nomen ætate ferebat.

C.

Denique ſæpenumero ſupra eſt mentio geminæ Phrygiæ facta, *Pacatianæ* (quæ & *Capatiana* ſcribitur) & *Salutaris*; nec vero diuiſio illa manifeſto explicata; quod eo conſilio ita factum fuit, quia illa nomina medii æui ſunt, & ad illius temporis geographiam pertinent: iam vero ideo tantummodo memorata aliquando ſunt, vt ex qua parte Notitiarum aliquid deſumtum eſſet, quod forte adlegabamus, obſcurum nemini eſſet, omnibusque clare ac diſtincte conſtaret.

SECTIO III.

GALLOGRAECIA
SIVE
GALATIA.

CI.

Phrygiæ pars ſeptemtrionalis a Gallis occupata, nouo nomine *Galatia* dicta fuit, & quod inter Græcas colonias ſita erat, & ipſa Græcis permixta, *Gallogræcia.* Plinius lib. v cap. XXXII vocat *Galatiam*, quia quæ Latine *Gallia* eſt, Græcis eſt Γαλατία. Atque ita etiam Tacitus lib. XIII cap. XXXV *Habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus.* Liuius autem vocat *Gallogræciam* lib. XXXVII cap. VIII, & lib. XXXVIII cap. XVIII. Strabo vtroque nomine vſus eſt: lib. II pag. 89 τῆς Φρυγίας ἐςὶ μέρος ἡ τῶν Γαλλογραικῶν λεγομένη Γαλατία, *Phrygiæ pars eſt, quæ Gallogræcorum dicitur Galatia.* Idem lib. XII pag. 390 παρ' ἐκέντων ἔλαβον τὴν νῦν Βιθυνίαν καὶ Γαλλογραικίαν λεγομένην, *volentibus tandem* [Attalicis & Bithynis] *eam terram acceperunt, quæ nunc Bithynia dicitur & Gallogræcia.* Hinc duplex etiam incolarum nomen, *Galatæ*, & *Gallogræci.* Tacitus lib. XV cap. VI *Galatarum Cappadocumque auxilia.* Et Florus lib. II cap. XI *gens Gallogræcorum.* Liuius in bello Gallogræco fere ſemper vocat *Gallos* communi cum Europæis Gallis nomine. Vide lib. XXXVIII cap. XVI, XXI, ſequentibus: raro *Gallogræcos*, vt lib. XXXVII cap. XXXVIII *mille ferme equites: maxima pars Gallogræci erant.*

2. Vtriusque formæ vocabula in antiquis monimentis quoque leguntur. Gruterus pag. 402 num. 4 GALATIAE PROC. Et pag. 415 TOΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ; (quod etiam in nummo Neronis eſt ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ) & paucis interiectis ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. Et pag. 602 num. 9

DIOCLES TI. CAESARIS
MINISTER GERMANICIANVS
NATIONE GALLOGRAEC.
V. A. XXXV.

3. Hæc Galatia poſterioribus Græcis dicta aliquando eſt Γαλατία ἡ μικρὰ, *Gallia parua*, diſcriminis cauſſa, vt a magna Transalpina diſtingueretur, quia vtraque Græce Γαλατία nominatur. Socrates lib. VI Hiſt. eccleſ. cap. XVIII Λεόντιος ἐπίσκοπος Ἀγκύρας τῆς μικρᾶς Γαλατίας, *Leontius epiſcopus Ancyræ, quæ eſt in minore Galatia* ſiue *Gallia.* Eadem & *Gallia Græca* dicta, quod cum Latinorum compoſito *Gallogræcia* conuenit. Themiſtius Orat. XXIII pag. 299 ἐν Γαλατίᾳ τῇ Ἑλληνίδι, *in Galatia Græcanica.* Vnde Galatæ dicuntur Ἑλληνογαλάται, apud Suidam in voce Ἄγκυρα, id eſt *Gallogræci* ſeu *Græcogalli.*

CII.

CII.

Limites Galatarum ſunt inter Phrygiam, Cappadociam, Paphlagoniam Bithyniamque. Strabo lib. XII pag. 390 πρὸς νότον εἰσὶ τοῖς Παφλαγόσι Γαλάται, *Galatæ Paphlagonibus ab auſtro adiacent.* Plinius lib. V cap. XXXII poſt Phrygiæ deſcriptionem: *Simul dicendum videtur & de Galatia, quæ ſuperpoſita agros maiori ex parte Phrygiæ tenet, caputque quondam eius Gordium. Qui partem eam inſedere Gallorum, Toliſtobogi, & Voturi, & Ambitui vocantur: qui Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem, Trocmi: prætenditur Cappadocia a ſeptemtrione & ſolis ortu, cuius vberrimam partem occupauere Tectoſages & Teutobodiaci.* Et poſt paullo: *Attingit Galatiæ & Pamphyliæ Cabaliam: & Mylias, qui circa Barin ſunt, & Cyllanticum, & Oroandicum Piſidiæ tractum: item Lycaoniæ partem Obigenen.*

CIII.

Ignoti ſunt *Voturi* & *Ambitui* Pliniani: etiam Ptolemæi, quos vocat, *Proſeilemenitæ*, & *Bezeni*, niſi quod hi cum Lycaonibus apud ipſum cohærent, aut ipſis interſunt. Strabo tantummodo *tres gentes* Galatarum, τρία ἔθνη, numerat, quarum duæ a ducibus nominentur, Τρόκμοι καὶ Τολιστοβῶγοι, *Trocmi & Toliſtobogi;* tertia a Celtica gente Τεκτόσαγες, *Tectoſages*, qui Ptolemæo ſcripti ſunt Τεκτοσάκαι, *Tectoſacæ.* nam in Gallia Narbonenſi etiam ſunt *Tectoſages.* Liuius etiam lib. XXXVIII cap. XVI tres tantum numerat gentes, & illud *Toliſtobogorum* vocabulum propius ad originem ducit, dum *Toliſtoboios* nominat. Boiorum vero gens nota in Galliis. *Quum tres*, inquit, *eſſent gentes, Toliſtoboii, Trocmi, Tectoſagi; in tres partes, qua cuique populorum ſuorum vectigalis Aſia eſſet, diuiſerunt.* Ibidem & originem illorum & ex Transalpina migrationem deſcripſit, & per quas gentes tandem in Aſiam penetrauerint. Secundum tres hos populos etiam oppida diſtribuuntur, cuilibet genti ſua, quantum de iis ſciri poteſt: reliqua promiſcue ac ſine cura ordinis ſubiungemus. Quod vero Tectoſages metropolin Galatiæ tenebant, etiam magis in occaſum ſolis, vnde initium eſt geographis, inclinauerunt; ab iis initium facturi ſumus enarrationis. Id vero præmonere neceſſarium etiam viſum fuit, cum Strabone ac Plinio & hiſtoricis nos potius, quam cum Ptolemæo ſentire, qui ad maris oram etiam Galatas profert, & Paphlagoniam in Galatia includit, quas ceteri omnes ſeparauerunt, & nos infra quoque ſeparatim de Paphlagonibus, quum oram Ponti perluſtraturi ſumus, agemus.

CIV.

Sint itaque TECTOSAGES, vt Strabo & Plinius vocant, & in patria Transalpina vocati fuerant; ſiue *Tectoſagi*, vt Liuius adpellat, prima nobis gens ad explicandum. Singularis Τεκτόσαξ Stephani eſt Byzantii: Ptolemæi adpellatio Τεκτοσάκαι haud dubie prauata eſt.

CV.

Horum fuit *Ancyra*, caput gentis & princeps totius Galatiæ. Liuius lib. XXXVIII cap. XXIV *Supererat bellum integrum cum Tectoſagis. Ad eos profectus conſul tertiis caſtris Ancyram, nobilem in illis locis vrbem, peruenit.* Et

Plinius

Plinius vrbes præcipue memorabiles in gente qualibet enumerans, *Oppida*, inquit, *Tectoſagum, Ancyra: Trocmorum, Tauium: Toliſtobogorum, Peſinus.* Et Ptolemæus lib. v cap. IV in Tectoſacis ſuis primo loco ſic poſuit: Ἄγκυρα μητρόπολις: Palatinus codex additum habet ἐπίσημος, *Ancyra metropolis inſignis.* Miramur ergo cum Caſaubono, Strabonem tam leuem huius vrbis mentionem feciſſe, vt tantum φρούριον, *caſtellum* vocet Ancyram Galatarum: quam tamen Auguſtus ornamentis tantis honorauit, vt quaſi conditor illius vrbis vetuſtæ habitus fuerit. Tzetzes Chiliad. I verſ. 131

Τὴν Αγκύραν δ' ἣν ἔφημεν, τῆς Γαλατίας, εὗρον
Κτίσαι τὸν Οκταούιον Καίσαρα τὸν Ρωμαίων,
Ancyram autem, quam diximus, Galatiæ, inueni
Condidiſſe Octauium Cæſarem Romanum.

Teſtis eſt marmor ſeu monimentum illud, quod inde *Ancyranum* adpellatur, quo Auguſti res geſtæ atque merita enarrantur. Teſtis & inſcriptio, quam Romæ exſtare dicit Caſaubonus,

Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ
ΤΗϹ ΓΑΛΑΤΙΑϹ
ΑΝΚΥΡΑ.

Cui ſimilis eſt illa apud Gruterum pag. 415 num. I. ex qua ſupra aliquid excerpſimus. nam & ibi eſt ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΚΥΡΑΣ. quæ arguunt ſervatam illam dignitatem ſub Cæſaribus fuiſſe. Id quod plures illorum nummi confirmant, Commodi, Getæ, Caracallæ, Gallieni, Saloninæ, quibus omnibus ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ Ancyra vocitatur, quæ Galatiæ eſt; non Phrygiæ, quam vere Strabo πολίχνην, *oppidum* tantummodo vocat: noſtram vero etiam Libanius orat. XXVI dixit πρώτην καὶ μεγίστην Γαλατῶν πόλιν, *primariam & maximam Galatarum vrbem.* Et in eccleſiæ Notitiis etiam metropolitanam dignitatem conſeruauit. A Mida conditam aiunt, & nomen ab ancora reperta habere. Vide Pauſan. Attic. cap. IV, & Tzetzem dicto carm. II de Mida: qui ſimul ſitum hoc verſu vult deſignare:

Καὶ κτίσαι πόλιν Ἄγκυραν Γαλατικὴν πρὸς Ἅλυν,
Et condidiſſe [Midam] *vrbem Ancyram Galaticam ad Halyn.*

cui flumini adpoſitam fuiſſe, nemo, præter Tzetzem, quod ſciamus, dixit. Ptolemæus ſane longius reduxit: etiam Antonini itinerario pag. 31 aliquot oppida inter Ancyram & Cappadociæ fines ponuntur: & ſi Tectoſagum Ancyra fuit, non potuit proxima ab amni Haly eſſe, Trocmis eam partem obtinentibus. Strabo: Τεκτοσάγες τὰ πρὸς τῇ μεγάλῃ Φρυγίᾳ μέρη ἔχουσι, *Tectoſages magnam Phrygiam attingunt.* Nec vero longius ab Ancyra Halyn abfuiſſe, ex prœlio Romanorum cum Tectoſagis conſtat auctore Liuio lib. XXXVIII. nam Romani *ad Ancyram ſtatiua* habebant, cap. XXV ineunte: eluſi a Gallis colloquium ſimulantibus, *poſtero die omnibus copiis ad hoſtem perueniunt:* ibidem fine capitis. Fit prœlium in Magaba monte: Galli fugiunt: *conſul protinus ad ſequendos hoſtes miſit: per aliquantum ſpatium ſequuti octo millia hominum in fuga ceciderunt: reliqui flumen Halyn traiecerunt;* cap. XXVII. Vides hinc, quantum interuallum ſit inter Ancyram

cyram atque Halyn. Vt taceam hodiernum *Anguri* ſiue *Enguri*, quod, nomine prodente, pro veteri Ancyra habent, non modico ſpatio ab Haly flumine retractum eſſe.

CVI.

Plinius in Galatia habet etiam *Sebaſtenos*, ab vrbe *Sebaſte* dictos, quam in Tectoſagum regione fuiſſe inſcriptio vetus probat apud Gruterum pag. 427 num. 8

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ
ϹΕΒΑϹΤΗΝΩΝ
ΤΕΚΤΟϹΑΓΩΝ.

Nihil præterea de hac Sebaſte nobis ſuppetit. Neque enim Sebaſte, quam Notitia in Phrygia Pacatiana ponit, huc facile referri poterit.

CVII.

In eodem Tectoſagum tractu eſt etiam mons *Magaba*, medio fere loco inter Ancyram & Halyn amnem, vt ante paullo de prœlio & fuga Tectoſagum monſtrauimus. Liuius lib. XXXVIII cap. XIX *Certiora Oenoandenſium legati attulerunt: Toliſtoboiorum ciuitatem Olympum montem cepiſſe: diverſos Tectoſagos alium montem, qui Magaba dicatur, petiiſſe.* Et cap. XXVI *omnibus copiis* [Romani] *ad hoſtem perueniunt. Biduum natura montis per ſe ipſum exploranda, ne quid ignoti eſſet, abſumſit conſul: tertio die in quatuor partes diuiſas copias educit: duas vt medio monte duceret, duas ab lateribus vt aduerſus cornua Gallorum erigeret.* Rufus Feſtus Liuium expreſſit cap. XI *Manlius*, inquit, *Galatas perſequutus eſt; & confugientes partim in Olympum, partim in Magabam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detruſit.* Toliſtobogi ergo in Olympo: Tectoſages in Magaba victi ſunt.

CVIII.

In Ptolemæi Tectoſacis eſt inter oppida recto caſu propoſita etiam Κορβεῦντος, *Corbeuntis*, qui potius eſt patrius ab recto Κορβεὺς, *Corbeûs*, vt aliquid excidiſſe videatur, quod regat genitiuum. Strabo lib. XII pag. 391 nominantem caſum prodidit: *οἷόν ἐστι τὸ Γόρδιον καὶ Γορβειοῦς*, *quale* [regium domicilium] *eſt Gordium, & Gorbeiûs.* Videtur quidem Sangario adponere, quod de Gordio verum ſit; non autem de Gorbeiunte, cuius ſitum ita finiuit Antoninus itinere a Conſtantinopoli Antiochiam pag. 31

Dadaſtana		
Iuliopolim	M. P. XXVI	
Laganeos	M. P. XXIIII	
Minizum	M. P. XXIII	
Manegordum	M. P. XXVIII	
Ancyram	M. P. XXIIII	
Corbeunta	M. P. XX	[p. 45 Gorbeum]
Roſologiacum	M. P. XII	
Aſponam	M. P. XXXI.	

In libris praue *Corbeunca*, item *Corbeneunca* ſcriptum: Hieroſolymitano

Itinerario eiuſdem ætatis pag. 148 *Curueunta*, v pro B poſito, quod tolerabilius eſt: ſed nemo non veram lectionem ex Strabone & Ptolemæo perſpicit.

CIX.

Videmus etiam ex hoc itinere, quam propinquum Corbeunti ſit *Roſologiacum*, quæ ipſa Ptolemæi Ῥοσολογία eſt, itidem ab illo in Tectoſacis, quos vocat, ſcripta.

CX.

Nec dubitamus, quin *Minizus* Itinerarii Tectoſagum fuerit, itineris ita ratione ferente, quia infra Toliſtoboios eſt; citra Trocmos, & ipſam citra Ancyram, poſt Iuliopolim & Dadaſtanam, terminos Bithyniæ ad Gallogræcos. Locum non ignobilem fuiſſe, ex eo non incertum eſt, quia Arcadius auguſtus, aliquando ibi commoratus, leges dedit in vtroque codice exſtantes. Varie in iis ſcribitur, tribus ſyllabis *Minizus*, lege XXXIII Cod. Theod. de Epiſcopis, & Antonini Itinerario pag. 31; & contracte *Mnizus*, lege III eiuſdem codicis, de his qui ad eccleſias; & lege LVII de Appellationibus, qua, in Iuſtiniano codice num. XXIX eiuſdem tituli tepetita, ſcriptum eſt *Mniſo*, ſexto caſu; etiam Hieroſolymitano Itinerario *Mnizos*: & littera Græca *Mnyzus* lege XVI C. Th. de Pœnis, & lege VI Cod. Iuſtin. de Epiſcopali audientia. Sed quoquo modo ſcribatur *Minizus*, *Mnizus*, *Mniſus*, ſeu *Mnyzus*, idem locus eſt, & quidem in Oriente, quia Comitis orientis in iis mentio eſt, ipſæque leges eiuſdem argumenti, quaſi auulſæ, & eodem anno, menſe, die omnes datæ, præter illam, quæ ex titulo de Epiſcopis erat, triduo poſteriorem, quamuis & Gothofredus eam ad ceterarum diem cenſeat reducendam eſſe. Non ergo dubium ſupereſt, *Minizum* Antonini Galaticam eſſe, vbi hæ leges datæ fuerunt. Concilio Chalcedonenſi etiam act. VI memoratur epiſcopus Μνίζȣ, *Mnizi*. Hieroclis Diſpoſitione in Galatia conſulari legitur oppidum Ῥεγέμνηζος, *Regemnezus*, quæ haud dubie noſtra *Mnizus* eſt. In Peutingeriana exſtat *Mizago* inter Laganiam ab occaſu, & metropolim ſine nomine pictam multis turribus, quæ Ancyra eſt; hæc, inquam, *Mizagus* tabulæ ipſa *Mnizus* eſt, praue corrupteque ſcripta, quod ordo & diſtantia locorum probat. *Lagania*, quæ præcedit in tabula, ſunt *Laganei* in Itinerario.

CXI.

Alio itinere a Dorylæo Ancyram, intercedunt ante metropolim *Vindia* & *Papyra*, quæ *Vindia*, Οὐινδία Ptolemæi eſt, ſed in Toliſtobogis poſita: de quibus infra dicturi ſumus. Rurſus alio itinere ab Ancyra Tauiam, ſequuntur proxime metropolim *Bolelasgum* & *Sarmalium*, quorum alterum eſt Ptolemæi Σαρμαλία, *Sarmalia* in Tectoſacis. Cetera Ptolemæi in eadem gente, Ὤλενος, *Olenus*; Ἀγρίζαλα, *Agrizala*; Οὐίνζελα, *Vincela*; Λανδόσια, *Landoſia*; Δικτὶς, *Dictis*; Κάριμα, *Carima*; minus ſunt nobis cognita.

CXII.

Sequuntur GALATAE TOLISTOBOII ſiue TOLISTOBOGI, quibus etiam ſua oppida, quæ ſcimus fuiſſe, attribuemus. Liuius ſcripſit *Toliſtoboii* lib. XXXVIII cap. XIX, quaſi a *Boiis*, nota Gallorum etiam

iam gente, non tantum Germanorum, vocabulum ducatur: Strabonis codicibus vna pagina libri XII Τολιστοβῶγοι & Τολιστοβώγιοι ſcribuntur, altero haud dubie corrupto, redundante ſyllaba, quia Plinius lib. v cap. XXXII, & Florus lib. II cap. XI habent *Toliſtobogi:* Ptolemæus etiam Τολιστοβογοὶ, aut cum o magno, vt in Palatino eſt. Vergunt in occaſum & ſeptemtrionem. Strabo pag. 390 Τολιστοβώγιοι δὲ ὅμοροι Βιθυνοῖς εἰσὶ, καὶ τῇ Ἐπικτήτῳ καλουμένῃ Φρυγίᾳ, *Toliſtobogi contermini ſunt Bithynis & Phrygiæ Epicteto.*

CXIII.

Metropolis ſecundum Plinium fuit *Peſſinûs.* Sic enim ille dicto loco: *Oppida, Tectoſagum, Ancyra: Trocmorum Tauium: Toliſtobogorum, Peſinûs.* Ptolemæo autem prima eſt Γέρμα κολώνια, *Germa Colonia;* deinde Πεσσινοῦς, *Peſſinûs:* quia poſt Plinii tempora colonia forſan deducta fuit, ideoque Germa Peſſinunti prælata. Pesſinûs * Straboni eſt ἐμπορεῖον τῶν ταύτῃ μεγίστων, *emporium illa regione maximum.* Pauſanias Attic. cap. IV ſcripſit etiam Πεσινοῦς, ſimplici Σ, vt Plinius: at Strabo, Ptolemæus, Herodianus, Ammianus Πεσσινοῦς, *Peſſinûs,* littera geminata: quæ vtique ſcriptura vera eſt, quia in nummis apud Harduinum ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ.

2. Situm ita notauit Pauſanias dicto loco: ταύτην τε τὴν Ἄγκυραν εἷλον, καὶ Πεσινοῦντα ὑπὸ τὸ ὄρος τὴν Ἀγδίστιν, ἔνθα καὶ τὸν Ἄττυν τετάφθαι λέγουσι. *Hanc Ancyram* [Galli] *ceperunt, & Peſinuntem ſub monte Agdiſti, vbi Atyn dicunt ſepultum eſſe.* At Strabo pag. 391 ἔστι δὲ καὶ ὄρος ὑπερκείμενον τῆς πόλεως τὸ Δίνδυμον, ἀφ᾽ οὗ ἡ Δινδυμηνή, *Imminet vero mons Dindymus vrbi* [Peſſinunti] *vnde Dindymene dea dicta eſt.* An idem mons ſit diuerſis nominibus, neſcimus; ſaltem coniunctos ac vicinos oportet fuiſſe, quia vterque vrbi dicitur imminere. Strabo refert, ipſam deam ab indigenis vocari Ἀγγιδίστιν, *Angidiſtin,* vnde forſan contractum apud Pauſaniam montis nomen. Addit idem: πλησίον ὁ Σαγγάριος ποταμὸς ποιεῖται τὴν ῥύσιν, *prope* [Peſſinuntem] *Sangarius amnis defluit.* Iter Antonini a Peſſinunte Ancyram;

Peſſinunte	
Germam	M. P. XVI
Vindiam	M. P. XXIIII
Papyram	M. P. XXXII
Ancyram	M. P. XXVII.

2. Clara fuit antiquo fano Deæ Magnæ, ſiue Cybeles, cuius ſimulacrum inde Romani Punico II bello expetierunt. Herodianus lib. I cap. XI αὐτὸ τὸ ἄγαλμα διοπετὲς, ὥς λέγουσιν. - - - τοῦτο δὲ πάλαι μὲν ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος ἐς τινα τῆς Φρυγίας χῶρον· Πεσσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ· τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος, καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι. *Ipſum ſimulacrum cœlitus, vt aiunt, demiſſum eſt. - - - Fama eſt, hoc quondam de cœlo deferri in locum quemdam Phrygiæ, cui nomen Pesſinunti eſt a caſu ſimulacri de cœlo, quod primum ibidem viſum fuit.* Ammianus Marcellinus idem de origine nominis & antiqua religione refert lib. XXII cap. XXII [Valeſ. cap. IX] *Per Nicæam* [Iulianus] *venit ad Gallogræciæ fines: vnde, dextror-*

(V) 2

* De Peſſinunte Amm. Marcell. XXVI, 214.

trorſus itinere declinato, Peſſinunta conuertit, viſurus vetuſta Matris Magnæ delubra: a quo oppido, bello Punico ſecundo, carmine Cumano monente, per Scipionem Naſicam ſimulacrum translatum eſt Romam. - - - Quam autem ob rem hoc nomine oppidum ſit appellatum, variant rerum ſcriptores. Quidam enim figmento deæ cœlitus lapſo ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod cadere nos dicimus, vrbem adſeruere cognominatam. * Alii, quod Herodianus, quem ſequitur Marcellinus, ſupplet, a pugna Ili Phrygis & Tantali Lydi eo in loco commiſſa, dictam putant, διὰ τὸ ἑκατέρωθεν πεσεῖν ἱκανοὺς, *quod multi vtraque parte cecidiſſent.* Sed vtraque ratio fabuloſa eſt & nihili facienda. Hiſtoria transportati ſimulacri eſt apud Liuium lib. XXIX cap. X ſeq. & ibidem e carmine Sibyllino hæc verba referuntur: *Quandoque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincique poſſe, ſi mater Idæa a Peſſinunte Romam aduecta foret.* Prope fuit *Murus Megaleſius*, in cuius templo ſimulacrum deæ fuit, quod Romam eſt deuectum, teſte Varrone LL. lib. V cap. III.

CXIV.

Ptolemæi prima, tamquam metropolis in hac gente, eſt Γέρμα κολώνια, *Germa colonia*, prælata veteri metropoli propter coloniæ dignitatem. Sed non manſit diu ille honos, verum in Notitia Eccleſiæ Peſſinûs rurſus primo loco conſtituitur; Γερμοκολώνεια vero, ſeu *Germocolonia*, compoſito vocabulo, loco demum ſexto Galatiæ ſecundæ ſiue Salutaris. A quo deducta fuerit colonia, diſceptatur in nummo Commodi explicando, hanc præferente inſcriptionem: IMP. M. AVR. COM. ANTONINVS: & in aduerſa: COL. AVG. F. GERMENO. id eſt, *Colonia Auguſta Felix Germenorum*, vt Vaillantius interpretatur, qui auctorem putat Octauianum Cæſarem fuiſſe, *Auguſtæ* cognomine perſuaſus. Quum vero id omnium imperatorum, poſt Octauianum, cognomen fuerit, non dubitat Holſtenius in Stephanum adnotationibus, Veſpaſiano aut filiis tribuere, præſertim quod littera F in eo nummo videatur gentis Flauiæ ſignum eſſe, vnde ipſa colonia cognominetur *Flauia*. Dubitamus & ipſi, Auguſti auſpiciis deductam eſſe, aut veteranis datam illo tempore militibus. nam ſigna militaria cum aquila in altero nummo eiusdem Commodi expreſſa ſunt, inſcripto COL. GERMEN. Non enim videtur fieri poſſe, ſi Auguſti eſſet, vt nulla eius mentio ante Ptolemæum & Commodum facta ſit. Quapropter auctor illius inter Plinium & Ptolemæum videtur quærendus eſſe, & vel ipſe Commodus eſt, vel aliquis prope antecedentium. Quod enim Suidas Ptolemæum ſub Marco Antonino floruiſſe tradit, potuit vtique ſub Commodo Geographiam ſcripſiſſe, cuius Suidas nullam mentionem facit, ſed in καὶ ἄλλα *& alia*, tamquam vltimum opus intelligit.

CXV.

Inter Germam & Ancyram eſt *Vindia*, vti ex Antonini itinere ſupra vidimus; Ptolemæi Οὔινδία, *Vindia*.

CXVI.

Poſt quam eodem itinere eſt *Papyra*, deinde Ancyra. Parum cognita

Papyra

* Add. Tzetzes ad Lycoph. Alex. v. 355.

Papyra, & dubitanter huc Ortelius τὸ Παπιρίȣ λεγόμενον φρȣ́ριον, *Papirii Caſtrum* refert, cuius meminit Euagrius lib. III Hiſt. eccleſ. cap. XXVII, in quod Verina auguſta, a Zenone genero in Ciliciam relegata, regreſſa fuerit, Illo tyrannidem occupante, ibidemque mortua. Sed nihil certo definiri poteſt, quia non addit auctor, cuius prouinciæ fuerit.

CXVII.

In auſtrum a Peſſinunte deducta Ptolemæi Τολάςα χώρα, *Tolaſta regio,* & medio fere inter ea loco *Anarus:* & in ortum a Tolaſta regione *Veteſtum,* vt in Palatino codice legitur, pro *Vegiſto* vulgato.

CXVIII.

Strabo Toliſtobogis φρȣ́ρια, *caſtella* duo addit, haud dubie munitiſſima, τό, τε Βλȣ́κιον, καὶ τὸ Πήїον, ὧν τὸ μὲν ἦν βασίλειον Δηϊοτάρȣ, τὸ δὲ γαζοφυλάκιον, *Blucium & Peium, quorum illud arx regia & ſedes Deiotari fuit; hoc gazophylacium,* ſeu præſidium theſaurorum. Sed neutrum certo loco adſignari poteſt: Caſaubonus auctor eſt, prius in MSS. non Βλȣ́κιον, ſed Βλȣ́βιον, *Blubium* per B ſcriptum eſſe.

CXIX.

Toliſtobogorum fuit etiam haud dubie mons *Olympus,* quem Romano bello hæc gens inſederat, ſicut Tectoſages Magabam, ſuæ regionis montem. Vide quæ Liuius lib. XXXVIII cap. XIX & XX de hoc monte eiusque ſitu tradidit.

CXX.

TROCMI, Τρόκμοι, tertia gens, orientem verſus & ad Halyn colentes, ſiue, vt Strabo definit, τὰ πρὸς τῷ Πόντῳ καὶ τῇ Καππαδοκίᾳ, *ea quæ ad Pontum vergunt & ad Cappadociam* poſſidentes. Idem, φρȣ́ρια αὐτοῖς τετείχισαι τρία, *tria eis caſtella ſunt bene munita,* quæ ſunt *Tauium, Mithridatium,* & *Danala.* De primo ait: Ταȣ̃ιον ἐμπορεῖον τῶν ταύτῃ, *Tauium emporium eius regionis.* Plus ergo quam caſtellum fuit. Plinio Trocmorum primarium eſt *Tauium.* etiam Ptolemæo in oppidis primo loco, tamquam metropolis Trocmorum. In Notitia eccleſiæ & Hieroclis eſt Ταβία, *Tabia:* in Antonini Itinerario *Tauia,* cuius hoc iter eſt ab Ancyra Tauiam:

Ancyra	- - -
Bolelasgum	M. P. XXXIIII
Sarmalium	M. P. XXIIII
Eubrogim	M. P. XX
Adapera	M. P. XXIIII
Tauiam	M. P. XXIIII.

Inde iter eſt a Tauia Sebaſtiam Cappadociæ, vnde tractus quodammodo, quo ſitum fuerit, cognoſci poteſt: Ptolemæus citra Halyn poſuit, nec vero longe ab eo, latitudine paullo minore, quam Ancyræ. Gentile *Tauianus* eſt. Holſtenius in Ἄγκυρα Stephani, Mediceos nummos profert, quorum alter inſcriptus eſt ΤΑΟΥΙΑΝΩΝ, *Tauianorum;* alter, CΕΤΡΟΤΑΟΥΙΑΝΩΝ, quod in tres voces ille diſpeſcit hoc modo: CΕ. ΤΡΟ. ΤΑΟΥΙΑΝΩΝ, id eſt, *Seueriani Trocmi Tauiani.*

CXXI.

Strabonis *Mithridatium* ignotum aliis: *Danala*, vt idem deſcripſit, locus eſt, vbi Lucullus & Pompeius conuenerunt, quum ille huic prouinciam cum exercitu traderet. Plutarchus Lucullo pag. 516 συνῆλθον ἐν κώμῃ τινι τῆς Γαλατίας, *in vico quodam Galatiæ congresſi ſunt.* De ſitu, ſilentibus aliis, nihil conſtat.

CXXII.

Ptolemæus præterea Trocmis plura oppida adſignat, *Laſcoriam*, *Androſiam*, *Claudiopolim*, *Cariſſam*, *Phuibaginam*, *Duduam*, *Saralum*, *Vcenam*, *Raſtiam*, ſed pleraque obſcura: ſolum nomen clarius *Claudiopoleos*, quam vero nemo alius in Galatia nominauit, vt valde verear eamdem eſſe, quam idem etiam Bithyniæ lib. V cap. I adſcripſit his verbis: Κλαυδιόπολις, ἡ καὶ Βιθύνιον, *Claudiopolis, quæ & Bithynium:* cuius nummi præ ſe ferunt ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, & ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΩϹ, apud Harduinum. Sita enim in mediterraneis Bithyniæ non longe a finibus Galatarum. Sed eſto diuerſas eſſe, & hanc ad Halyn ſitam, vti ex Ptolemæi numeris Agathodæmon poſuit; nobilem vero fuiſſe, nemo facile perſuaſerit, vbi ceteri omnes tacent.

CXXIII.

Ad Halyn præterea poſuit Ptolemæus infra Claudiopolim, *Androſiam*; ſupra illam, *Cariſſam*, *Saralum*, *Raſtiam:* citra flumen, a Tauio in ſeptemtrionem, *Laſcoriam:* in auſtrum, *Phuibaginam*, *Duduam*, *Vcena*, Ὄυκενα. Illa Phuibagina, in Peutingeriana eſt *Euagina*; & Saralus, *Saralium*, hoc ordine in ortum hibernum:

Tauio XVI *Euagina* XXIIII *Saralio.*

CXXIV.

Trocmorum videtur etiam *Aſpona* ſiue *Aſpuna* fuiſſe, quia prope Cappadociæ fines fuit; quam antiqua, non adparet, quippe a poſterioribus tantum memorata. Ammianus lib. XXV ſub finem *municipium Galatiæ* dixit. *Poſt quæ*, inquit, *vt videbatur expedire diſpoſita, apud Aſpuna Galatiæ municipium breue Gallicani milites viſi* [Iouiano] *principi, ingresſique conſiſtorium poſt audita gratanter, quæ pertulerant, munerati redire iubentur ad ſigna.* Deinde eodem itinere ſcribit principem veniſſe ab Aſpunis Ancyram: ab Ancyra Dadaſtanam, vbi mortuus eſt. Hic ſitus probatur etiam Antonini itinere ab Ancyra, per Nyſſam, Cæſaream;

Ancyra	- - -
Gorbeum	M. P. XXIIII
Roſologiacum	M. P. XVIII
Aſponam	M. P. XX
Parnaſſum	M. P. XXII
Nyſſam	M. P. XXIIII.

In Notitia epiſcopatuum eſt ὁ Ἀσπόνης, *Aſponæ* epiſcopus: & Hieroclis, recto caſu Ἄσπονα. Socrates Hiſt. eccl. lib. VII cap. XXXVI Παλλάδιος ἀπὸ Ἑλενοπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἄσπωνα, *Palladius, Helenopolitanus epiſcopus, translatus*

latus eſt Aſpuna. Vtroque ergo numero inuenitur nomen, plurali apud Socratem & Ammianum: ſingulari apud Antoninum & in Notitiis. *Trocmorum* ſiue *Trogmorum* nomen videtur in Ciceronis *Troginorum* II Diuinat. cap. XXXVII ſub mendo latere.

CXXV.

Dubia ſunt, cuius gentis fuerint, *Cuballum Gallogræciæ* caſtellum, Liuii lib. XXXVIII cap. XVIII, & *Orciſtus* Notitiæ epiſcopatuum: & Strabonis Δρυναίμετον, *Drynæmetum*, locus iudicii & conuentus Galatarum. Ptolemæus addit gentem *Bezenorum*, cuius fuit Peteneſſus, ſiue Peteneſus, quæ etiam in Notitiis viſitur: & *Ciæna*, Κίαινα, Hieroclis *Cina*, Κίνα; vnde ὁ Κήνης, *Cœnæ* epiſcopus in Notitia. Sita hæc ad auſtrum, in Phrygiæ magnæ finibus, prope *Laodiceam Combuſtam*, quam Ptolemæus etiam Bezenis dat, alii ipſam in Phrygiam transſcribunt.

CXXVI.

Plinius plures populos adnumerat, *Attalenſes*, *Araſenſes*, *Comenſes*, *Dioshieronitas*, *Lyſtrenos*, *Neapolitanos*, *Seleucenſes*, *Timoniacenſes*, *Tebaſenos*: ſed plerique extra Galatiam poſiti ſunt propriam, vt Lyſtreni & Tebaſeni in Lycaonia, Seleucenſes in Piſidia, Neapolitani in Iſauria, Timoniacenſes in Paphlagonia: & præteritis ignotis, *Attalenſes* ſuſpecti Harduino, qui *Adadenſes* Piſidas ſubſtituendos autumat. Verum & Attalorum aliquid in Galatia fuit, quia ab Attalo, Pergameno rege, ſimulacrum Matris Magnæ, quod Romam deportatum fuit, impetrauerunt, vt Varro de LL. lib. V cap. III & Liuius lib. XXIX cap. XI tradiderunt. Sane is locum illum ſacrum magnifice ornauerat, quod Strabo lib. XII pag. 390 deſcripſit. Sic potuit in honorem regis etiam oppidum aliquod *Attalea* vocari, veteri nomine, vt ſolemne erat, nouo & honoratiori cedente.

SECTIO IV.

P I S I D I A.

CXXVII.

PISIDIA, Πισιδία, regio eſt inter Lydiam, Phrygiam, Pamphyliam, Cariam in montibus maiorem partem poſita, & in ipſis Tauri extremitatibus. Plinius lib. V cap. XXVII *Inſident verticem Piſidæ.* Et Strabo lib. XII pag. 392 τὸ πλέον αὐτῶν [Πισιδῶν] μέρος τὰς ἀκρωρείας τοῦ Ταύρου κατέχει, quæ Latinus interpres vertit, *maior Piſidarum pars extremitates Tauri montis tenet.* Poſſis & *ſummitates Tauri* vertere. Heſychius: ἀκρωρείαις, ταῖς ἄκραις τῶν ὀρέων· item, ἀκρώρεια μέν ἐστι ἡ κορυφή. Etſi enim ἄκρα, quando promontorium ſignificat, incidit in extremitatem; per ſe tamen vertex potius & ſummitas eſt, quam aliquid extremum. Ibidem Strabo oppidis enarratis: τούτων οἱ μὲν εἰσὶ τελέως ὀρεινοὶ, οἱ δὲ καὶ μέχρι τῶν ὑπωρειῶν καθήκοντες ἐφ' ἑκάτερα, ἐπί τε τὴν Παμφυλίαν καὶ τὴν Μιλυάδα καθήκοντες Φρυξὶ καὶ Λυδοῖς καὶ Καρσὶν ὅμοροι. *Horum alii plane ſunt montani: alii vtrimque vsque ad radices montium pertinent, Pamphyliam verſus & Milyadem, finitimi Phrygibus, Lydis & Caribus.*

CXXVIII.

CXXVIII.

Difficilis hinc quæſtio ſubnaſcitur, quorſum referenda ſit Piſidia, vtrum ad partem Aſiæ quæ intra Taurum eſt, an quæ extra illum poſita. Sic enim pacificatione cum Antiocho ab Romanis Aſia diuidebatur, vt, quæ citra Taurum erant, iis omnibus rex Antiochus abſtineret: quæ vltra montem, regi relinquerentur. Dubitandi rationem ipſi Romani nobis dederunt, nullam Piſidiæ mentionem in ſenatus conſulto facientes, quo partes cis Taurum, Antiocho auferendæ, deſignantur. Liuius lib. XXXVII cap. LVI ex illo recitauit, quæ de ſumma rerum ſenatus conſtituerat: neque in ipſa transactione diuiſioneque terrarum, quæ cis Taurum relinquerentur, Piſidia eſt memorata lib. XXXVIII cap. XXXIX, ſed quum ad partes illas ventum eſt, tantummodo narratur, *Lyciam & Cariam vsque ad Mæandrum Rhodiis datas: regi Eumeni, Phrygiam vtramque, & Myſiam, & Lycaoniam, & Milyada, & Lydiam.* Nihilominus Rhodiorum legati in ſenatu apud eumdem Liuium lib. XXXVII cap. LIV *Piſidiam* nominatim dicunt illo bello Antiocho ereptam. *Lycaonia*, inquiunt, *& Phrygia vtraque, & Piſidia omnis, & Cherſoneſus, quæque circumiacent Europæ, in veſtra ſunt poteſtate, quarum vnaquælibet regi adiecta, multiplicare regnum Eumenis poteſt: omnes vero datæ, maximis eum regibus æquare.* Ex Polybii legatione XXV deſumta ſunt, vbi etiam τῆς Πισιδικῆς eſt mentio. Rurſus quidem dubitare licet de Polybii interpretatione: Græca eius ſunt: καὶ γὰρ Λυκαονίαν, καὶ Φρυγίαν, τὴν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντου, καὶ τὴν Πισιδικὴν, πρὸς δὲ ταύταις Χεῤῥόνησον, καὶ τὰ προσοροῦντα ταύταις τῆς Εὐρώπης ἔξεστιν ὑμῖν, οἷς ἂν βούλησθε, δωρεῖσθαι, quæ vertenda videntur; *nam & Lycaoniam, & Phrygiam tam Helleſpontiacam, quam Piſidicam; adhæc Cherſoneſum & adiacentia in Europa, licet vobis, quibus volueritis, donare:* vt Phrygia Piſidica ſit Magna, Piſidiam attingens. Sed inſolens hæc adpellatio, vtut verborum ordo videatur poſtulare: & Caſaubonus quoque interpretatus eſt, *Lycaoniam enim, Phrygiam ad Helleſpontum, Piſidiam, item Cherſoneſum*, cetera: neque aliter Græca intellexit Liuius. Et alibi Polybius Piſidiam dixit τὴν Πισιδικήν. Lib. V cap. LXXII τοὺς τὴν Πισιδικὴν κατοικοῦντας, *Piſidicam incolentes.* vt ita potius excidiſſe aliquid, Liuio indice, qui *Phrygia vtraque* vertit, videatur, ac plene legendum: καὶ Φρυγίαν τὴν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντου καὶ τὴν μεγάλην καλουμένην, καὶ τὴν Πισιδικήν. Sed quoquo modo ſe Liuii interpretatio habet, videtur res ex eo non incerta, quia *Lycaonia*, quæ vltra Piſidiam eſt, in partibus cis Taurum ab Romanis fuit cenſa, & reuera Antiocho ademta, donataque regi Eumeni, vt ſupra ex Liuii lib. XXXVIII dictum eſt. Fuerit ad Taurum, fuerit in Tauro: tamen non vltra illum fuit, ideoque cum partibus cis Taurum poſitis a nobis etiam explicatur.

CXXIX.

Incolæ ſunt *Piſidæ*, vt Plinius dixit, *Inſident verticem Piſidæ.* quos *Solymos* quondam adpellatos, addit. Herodotus lib. I cap. CLXXIII Milyas ait olim *Solymos* dictos eſſe, quod minus Straboni placet lib. XII pag. 394, quia

quia ſic in Lycia fuiſſent, a qua disiunxerit Homerus, apud quem Iliad. Z verſ. 184 Βελλεροφόντης ὡρμημένος ἐκ τῆς Λυκίας
- - - Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι,
Bellerophontes, e Lycia profectus,
- - - *Solymis arma intulerit glorioſis.*
Ipſe vero Strabo lib. I pag. 23 perinde ac Plinius dixit Σολύμυς τὺς ἐν Πισιδίᾳ, *Solymos in Piſidia:* & mox, οἱ Πισιδικοὶ, puta Σόλυμοι, *Piſidici Solymi*, non a Milyis aut Lyciis, ſed aliis, quos per ſimilitudinem ita Homerus dixerit Odyſſ. E verſ. 283, diſtincti. Adde in Lycia ante dicta, & quæ mox in *Termeſſis*, Piſidiæ vrbe, dicturi ſumus.

CXXX.

Oppida Piſidarum ex Artemidoro hæc recenſet: *Selgam, Sagalaſſum, Petneliſſum, Adadatem, Briadem, Cremnam, Pityaſſum, Ambladem, Anabura, Sinda, Aaraſſum, Tarbaſſum, Termeſſum.* Ptolemæus lib. V cap. IV poſt Galatiam exponit etiam Πισιδίας μέρος, *Piſidiæ partem*, in qua ſunt *Antiochia, Apollonia, Amblada* & *Neapolis:* & cap. V poſt Pamphyliæ expoſitionem reliquum Πισιδίας, *Piſidiæ* enarrat, in quo *Selge, Petneliſſus, Cremna, Antiochia, Seleucia*, & alia obſcuriora. *Sagalaſſum* autem Lyciæ partibus adſcripſerat. Notitia eccleſiæ, etiam Hieroclis, *Antiochiam*, quaſi metropolim Piſidarum, primo loco habet: & alia oppida addit ſupra enarratis, *Laodiceam Combuſtam, Cibyram, Paralain, Metropolim, Pappa*, reliqua. Nos ordinem ſequemur a ſeptemtrione & Phrygiæ finibus inſtitutum, & ſicut Galatia ab latere adpoſita Phrygiæ erat, ita nunc alterum latus, quod in auſtrum vergit a Phrygia, hoc eſt Piſidiam ad perluſtrandum ingredimur.

CXXXI.

Incipimus ergo ab *Antiochea* ſiue *Antiochia*, metropoli in Notitiis, quæ *Piſidiæ* cognomentum habet. Strabo lib. XII pag 397 Αντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλυμένη, *Antiochia ad Piſidiam quæ cognominatur:* Ptolemæus lib. V cap. IV Αντιόχεια Πισιδίας, *Antiochia Piſidiæ:* Stephanus in hac voce: τετάρτη, Πισιδίας, *quarta huius nominis vrbs, eſt Piſidiæ:* Aelianus lib. XVI de Animal. cap. VII περὶ τὴν Αντιόχειαν τὴν Πισιδίας, *circa Antiochiam illam Piſidiæ.* Et S. Lucas Act. XIII. 14 παρεγένοντο εἰς Αντιόχειαν τῆς Πισιδίας, *profecti ſunt Antiochiam illam, quæ Piſidiæ eſt.* Plinius lib. V cap. XXVII *Inſident verticem Piſidæ, quondam Solymi adpellati: quorum colonia Cæſarea, eadem Antiochia.* Coloniam Romanam fuiſſe, etiam aliunde clarum eſt. Strabo dicto loco: ἔχυσα ἀποικίαν Ρωμαίων, *Romanorum coloniam habet* illa ad Piſidiam Antiochia. Auctorem prodit ætas Strabonis, & nouum nomen *Cæſareæ*, Auguſtum fuiſſe Cæſarem. Fuit Italici iuris. Paullus lege VII Digeſt. de Cenſibus: *In Piſidia eiusdem iuris* [Italici] *eſt colonia Antiochenſium.* Confirmant nummi epigraphen ferentes, COL. CAES. ANTIOCHIA, qui ad aliam Antiochiam, quam Piſidicam, non poſſunt referri, vtpote ſolam, quantum conſtat, Cæſareæ illuſtri nomine, Plinio teſtante, ornatam: quod Holſtenius ad Steph. contra Triſtanum, qui Alexandri ſimilem, ſignatum COL. CAES. ANTIOCH. de Syriæ Antiochia interpretatus eſt. Ptolemæus

duas Antiochias in Piſidia, vnam in ſeptemtrione regionis prope Lydiæ & Phrygiæ Magnæ fines: alteram in meridiem paullo inde remotam, circa Seleuciam; ceteri omnes vnam tantum in hac prouincia agnoſcunt. ideoque alterutra Ptolemæi ſuſpecta videri poſſit, quaſi Stephani Antiochiam Lydiæ, ſiue Strabonis illam ad Mæandrum, cum Piſidica confuderit, indeque orta ſit geminatio. Verum ſuperior in ſeptemtrionali limite Ptolemæo cum cognomine eſt Ἀντιόχεια Πισιδίας, & illam recte locatam eſſe ex Strabonis iam indicato loco elucet, quo Philomelio vicina dicitur, vti etiam apud Ptolemæum eſt: & non tam in Piſidia, ſed πρὸς, *ad* illam, in extremo limite poſita: qua loquendi formula & ante de Amynta vſus fuerat pag. 391, τὴν Ἀντιόχειαν ἔχων τὴν πρὸς τῇ Πισιδίᾳ, *Antiochiam poſſidens quæ ad Piſidiam eſt.* Integra verba prioris loci hæc ſunt: *Phrygiæ montanæ dorſo vtrimque campus ſubiacet,* καὶ πόλις πλησίον αὐτῆς, πρὸς ἄρκτον μὲν Φιλομήλιον, ἐκ θατέρου δὲ μέρους Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλουμένη, *& vtrimque vrbs etiam prope illam* [ῥᾶχιν ὀρεινὴν, montanum dorſum] *ſeptemtrionem verſus Philemelium; & in meridiem, Antiochea ad Piſidiam quæ vocatur.* Plane hæc conueniunt cum Ptolemæi poſitione prioris Antiochiæ, quam Πισιδίας, *Piſidiæ* cognomento notauerat.

CXXXII.

Huic Antiochiæ ab ortu ſunt *Orondici* apud Ptolemæum, populus ab vrbe *Orondis* vel *Oroandis*, forte tum deleta, dictus. Carolus Sigonius ad Liuii lib. XXXVIII cap. XXXVII non ex veteri codice, ſed ſuo ingenio, vbi Liuius Schefferi CIↃIↃXVIII excuſus *Oronda*, Gryphii & Gruteri *Oroanda* habet; vertit in *Oenoanda*, hanc tradens caſtigationis ſuæ rationem: *Oenoanda vrbs eſt Pamphyliæ auctore Stephano. Strabo mendum habet lib.* XIII *extremo,* Οἰνανδρῶν τε, *quum ſit legendum* Οἰνανδῶν τε. *Appianus lib.* IV Οἰνάνδεις *nominat. Quum autem hic Pamphyliæ alia Lyciæque oppida nominentur; profecto Oenoanda legendum, non Oroanda, quæ inter Gallogræcos eſſe ſupra traditum eſt.* Bis lapſus doctiſſimus vir in hiſce verbis: primum, quum Stephanum *Oenoanda* dicit Pamphyliæ tribuiſſe, cui vero eſt πόλις Λυκίας, *vrbs Lyciæ*: deinde quum *Oroanda* ponit in Gallogræcia, vbi nulla huius nominis eſt. Error tertius, quod mutari vult nomen, vbi nulla cauſſa mutationis, & repugnat Polybius. Liuii enim verba hæc ſunt: *a Perga L. Manlio cum quatuor millibus militum Oroanda ad reliquum pecuniæ, ex eo quod pepigerant, exigendum miſſo, ipſe* [conſul] *Apameam exercitum reduxit.* Liuius, vt pleraque ſua, accepit a Polybio, cuius legat. excerpt. XXXV hæc ſunt verba: ὁ δὲ Γναῖος, προσπεσούσης αὐτῷ τῆς τούτων παρουσίας, Λεύκιον μὲν τὸν ἀδελφὸν μετὰ τετρακισχιλίων ἐξαπέστειλε πρὸς τοὺς Οροανδεῖς πειθανάγκης ἔχοντας διάθεσιν, χάριν τοῦ κομίσασθαι τὰ προσοφειλόμενα τῶν ὁμολογηθέντων χρημάτων. Hoc eſt: *Cnæus, audito illorum aduentu, fratrem Lucium cum quatuor millibus militum ad Oroandenſes miſit, ad reliquum pecuniæ ex eo, quod pepigerant, accipiendum.* Quis non videt eamdem Polybii & Liuii hiſtoriam eſſe, & hunc ex illo *Oroanda*, non Oenoanda, exſcripſiſſe? Quod ad pactionem pecuniæ attinet, illa eodem Liuii libro, cap. XVIII. memoratur, vbi dicuntur

tur *legati Oroandenſium* ad conſulem Manlium veniſſe. Miror, ſummum virum Io. Fr. Gronouium cap. XVIII Oroandenſium reliquiſſe, at cap. XXXVII & XXXIX, a Sigonio perſuaſum, *Oenoanda*, quod falſum eſt, in contextum recepiſſe. *Oroanda* ergo & his locis Liuio reſtituimus. Nec cap. XVIII alia vrbs, Oroanda, Galatiæ forſan, ſi æque diis placet vt Sigonio, intelligitur, ſed idem nomen eſt, eadem hiſtoria, eadem pactio pecuniarum: licet in Gallogræcos expeditio ibidem deſcribatur. Legati enim aliunde aduenerunt ex Piſidarum finibus, quibus quod transeundum per Galatiam fuerat, conſuli de Gallogræcorum apparatu nuntiauerunt cap. XIX. Neque enim erat, vt *Oroandenſium* nomen cap. XVIII ſeruatum, ſtatim cap. XIX mutaretur in *Oenoandenſium*, vt Gronouiana editione factum eſt, quamuis nihil ibi Sigonius præceperat. *Oroanda* autem plurali numero, quo Liuius dixit, Piſidiæ fuiſſe vrbem, etiam auctore Plinio manifeſtum eſt. *Piſidarum*, inquit, *colonia Cæſarea, eadem Antiochia: oppida, Oroanda, Sagaleſſos.* Hinc ſunt *Oroandici*, ſiue *Orondici*, populus Ptolemæi, etiam Harduini iudicio: & Plinii *Oroandicus Piſidiæ tractus*, lib. v cap. XXXII.

CXXXIII.

Orondicis, quod metropolis haud dubie deleta erat, Ptolemæus duo, quæ ſuperabant, dat oppida, *Miſthium* & *Pappa*, quorum alterum, *Miſthivm*, ignotum: alterum, *Pappa*, etiam Hierocles in Piſidia poſuit: & in Notitia epiſcopatuum, ὁ Πάππων, *Papporum epiſcopus.*

CXXXIV.

Supra Orondicos, ſeptemtrionem verſus, eſt expoſitione Ptolemæi Λαοδίκεια κατακεκαυμένη, *Laodicea Combuſta*, quam ipſe in Bezenis, Galatiæ adiuncto populo & Lycaoniæ, recenſet, Hierocles autem & Notitiarum eccleſiæ auctores, quibus eſt ὁ Λαοδικείας τῆς κεκαυμένης, in Piſidia: Atque hinc Socrates illuſtratur, quum lib. VI. cap. XVIII ſcripſit: Λεόντιος ἐπίσκοπος Ἀγκύρας τῆς μικρᾶς Γαλατίας· Ἀμμώνιος Λαοδικείας τῆς ἐν Πισιδίᾳ, *Leontius epiſcopus Ancyræ in minore Gallia: Ammonius Laodiceæ illius, quæ in Piſidia eſt.* Eadem enim eſt ipſa, quæ *Combuſta*, a ſolo ignibus micante & terræ motibus tremente, vt Myſia Combuſta & regio circa Philadelphiam, de quibus ſupra diximus, cognominata. Sed alii in Lycaonia ponunt, vt infra videbimus.

CXXXV.

Ab Antiochia in occaſum hibernum eſt *Apollonia* Ptolemæi, prope Amblada, quibus a ſeptemtrione adiacet. Stephanus chorographus in Ἀπολλωνία: ιζ, Πισιδίας, ἡ πρότερον Μορδιαῖον, *Apollonia decima ſeptima eſt Piſidiæ, cui prius nomen Mordiæum fuit.*

CXXXVI.

Quæ propinque ſubiacent, Ἄμβλαδα, *Amblada*, a Strabone memorantur, &, quem is ſequitur, Artemidoro, Piſidiæ tributa: etiam a Ptolemæo in Palatino codice: nam vulgatus corruptus eſt. Stephanus: Ἄμβλαδα πόλις Πισιδίας, *Amblada vrbs Piſidiæ.* Plurali numero τὰ Ἄμβλαδα. Philoſtorgius lib. v cap. II de Aëtii exſilio: εἰς Ἄμβλαδα τοῦτον μεθορισθῆναι παρα-

κελεύεται, *hunc Amblada iusſit* [Conſtantius] *relegari.* Idem incolis τὸ βάρβαρον καὶ μισάνθρωπον, *barbaros & inhumanos mores* tribuit. Strabo ait Phrygiæ & Cariæ ὅμορα, *finitima* eſſe, & loci vinum laudat medicinæ idoneum. ὁ Ἀμβλαδεὺς, inquit, οἶνος πρὸς διαιτὰς ἰατρικὰς ἐπιτήδειος, *Ambladenſe vinum curationibus medicis eſt vtile.* Vnde etiam gentile Ἀμβλαδεὺς ſimul cognoſcitur.

CXXXVII.

Inter Amblada & Pappa eſt *Neapolis* Ptolemæi, vnde Plinio ſunt *Neapolitani* lib. v cap. xxxii in extremis finibus Galatiæ. Neque ſitus repugnat Ptolemæo, qui & ipſe de Galatiæ capite enarrat, & ſuperioribus Cariæ & Lycaoniæ partibus adiungit. nam eo vsque Galatiam ſuam extendit. *Lyſtreni*, inquit, *Neapolitani*, *Oeandenſes*, *Seleucenſes*.

CXXXVIII.

Antequam ex ſeptemtrione recedamus, de *Apamea* Piſidiæ aliquid dicendum eſt. In Notitia epiſcopatuum prouinciæ Piſidiæ eſt etiam ὁ Ἀπαμείας, *Apamenſis*, quod nomen apud Hieroclem in eadem prouincia prauatum Ὀπαμία eſt, vt tamen non difficilis ex veſtigiis ſit reſtitutio. Nemo præterea in Piſidia propria habet Apameam. Quod vero Notitiæ illæ Piſidicam prouinciam nimis in ſeptemtrionem promouent, & Laodiceam Combuſtam quoque ac Philomelium, & Metropolim, quæ in Phrygia cenſentur aliis, aut partim in Lydia, ſub ea comprehendunt; minus dubitare licet de *Apamea Ciboto* hanc Piſidicam intelligendam eſſe, in quo non tantum Carolum de S. Paullo in Geographia Sacra pag. 251 conſentientem habemus, ſed Octauium etiam Falconerium in docta de nummo Apamenſi diſſertatione id acriter pag. 176 propugnantem. *Quod ſi*, inquit, *quiſpiam Apameas a ſcriptoribus aliquando confuſas minime largiatur, ego contra non ſex tantum Apameas, ſed vel ſeptem aut octo ex diuerſis auctorum locis euincam. Nam, præter celebrem illam Phrygiæ, aliam quoque cognomento Ciboton ex Ptolemæo, & Græca Epiſcopatuum Notitia in Piſidia oſtendam, quæ tamen in ea prouincia nulla fuit, ſolaque Ptolemæo impoſuit regionum vicinitas. Phrygia enim, quæ Straboni* παρώρειος *ſeu pedemontana, Piſidiæ erat contermina.*

CXXXIX.

Inde paullum in meridiem digreſſis occurrunt *Beudos vetus, Seleucia*, & *Antiochia* alia, eodem ſic a Ptolemæo tractu poſita, id eſt ab occaſu in ortum, latitudine fere æquali. *Beudos Vetus*, Παλαιὸν Βεῦδος, memoratur etiam a Liuio lib. xxxviii cap. xv, *Beudos quod Vetus adpellant:* ſed ſitu quodammodo alio, ac Ptolemæus poſuit. Nam non capio, qua ratione Liuius in Toliſtoboios Galatas, qui Bithyniam Paphlagoniamque contingebant, a Synnadis per Beudos & Anabura ducat. Ambages magnæ ſunt, niſi in auſtrali etiam Galatia ſedes aliquas Toliſtoboii habuerunt, aut erratum in nomine gentis eſt a Liuio. Verba eius ſunt: *Inde Synnada venit metu omnibus circa oppidis deſertis: quorum iam præda graue agmen trahns, vix quinque millium die toto itinere perfecto, ad Beudos, quod Vetus adpellant, peruenit. ad Anabura inde, & altero die ad Alandri fontes, tertio ad Abbaſ-*

ſum

ſum poſuit caſtra. ibi plures dies ſtatiua habuit, quia peruentum erat ad Toliſtoboiorum fines. Ad Phrygiam alii hæc nomina referunt, quos ſupra pæne ſequuti eramus, itinere a Synnadis in Toliſtoboiorum fines ita ducente, quaſi in ortum æſtiuum illa oppida Synnadenſibus fuerint ſita. At rectam poſitionem Ptolemæi eſſe, ex eo nunc certi ſumus, quia & Strabo cum Artemidoro in Piſidia *Anabura* ponunt, quæ Liuius cum Βεύδει Vetere, vt proxima, coniungit.

CXL.

Seleucia, quæ apud Ptolemæum in ortum verſus adiacet, ab eodem discriminis cauſſa cognominatur Σελεύκεια Πισιδίας, *Seleucia Piſidiæ.* Et quia Piſidia ad Taurum eſt, Seleucia quoque hæc a Tauro cognominatur. Theodoritus lib. v Hiſt. eccleſ. cap. XXVII Σελευκείας τῆς πρὸς τῷ Ταύρῳ Μάξιμος, *Seleuciæ, quæ ad Taurum eſt, Maximus* erat epiſcopus. In Notitia epiſcopatuum, & quæ Hieroclis eſſe dicitut, Piſidiæ Seleucia cognominatur *Ferrea*, Σελεύκεια ἡ σιδηρὰ, an a metalli fodinis, non poſſum adfirmare. Ortelius hanc cum Pamphylia confundit, tamquam vna fuerit, ideoque ab Holſtenio notatur, quia Niceno concilio vtriusque antiſtites ſubſcripſerunt. Non enim contrahendæ ſunt, quaſi paucæ exſtiterint, quia Seleucus Nicator diverſis prouinciis vrbes a ſuo nomine inſigniuit. Appianus Syriacis pag. 201 ἐννέα ἐπωνύμως ἑαυτῷ πόλεις ᾤκισεν, *nouem vrbes de ſuo nomine Seleucias adpellatas condidit.*

CXLI.

Sequitur *Antiochia* Ptolemæi altera, Seleuciæ ab ortu ſolis obiecta. De hac ſilent alii, neque in Notitiis adparet: eamque extra locum celebrioris Antiochiæ, a Piſidia denominatæ, eſſe, ſupra Strabonis teſtimonio probatum fuit. An ergo alia Antiochia, præter illam ſuperiorem exſtiterit in Piſidia, pro certo adfirmare non poſſumus, quia ſola Ptolemæi fides vix ſufficit nobis ad probandum. nam & alibi multiplicauit aliquando, quæ vna erant, vt a doctis adhuc viris fuit obſeruatum, & exemplis illuſtratum pluribus.

CXLII.

Prope Beudos eſt *Baris*: inde in auſtrum magis, *Lyſinia*, *Cormaſa*. Hæc Ptolemæus: e quibus *Baris* etiam in Notitiis adparet tamquam epiſcopale oppidum: *Lyſinia* & *Cormaſa* etiam apud Liuium lib. XXXVIII cap. XV. *Conſul*, inquit, *profectus inde continentibus itineribus ad Cormaſam vrbem peruenit. Darſa proxima vrbs erat. eam metu incolarum deſertam, plenam omnium rerum copia inuenit. Progredienti præter paludes, legati ab Lyſinoe, dedentes ciuitatem, venerunt. Inde in agrum Sagalaſſenum ventum eſt.* Eadem Polybii Legat. XXXII leguntur, vnde hauſit Liuius: nec *Lyſinia*, vt Ptolemæus, ſed, vt Liuius, ἐκ Λυσινόης, *a Lyſinoe*: at pro *Cormaſa* ibidem eſt Κύρμασα expreſſum, & quidem pluraliter, Κύρμασα πόλιν λαβών.

CXLIII.

Inter Barin & Pergam Ptolemæo eſt *Comana*, quæ in Notitia eſt *Cona-*

ne, ὁ Κονάνης, quæ verior ſcriptura videtur. *Darſa*, proxima Cormaſæ, aliunde nobis, quam ex hoc Liuii loco, non eſt conſpecta.

CXLIV.

A Seleucia in auſtrum paullo eſt Ptolemæi *Proſtama*, deinde ortum verſus *Adada* & *Dyrzela*. Ignota *Proſtama*, niſi quod Attalus *Proſtamenſis* in Piſidia antiſtes ſubſcripſit Concilio primo Conſtantinopolitano.

2. Et *Adada* Ptolemæi ſunt, & in Notitia epiſcopatuum ὁ Αδάδων, *Adadorum* epiſcopatus. Adadenſis epiſcopus fuit etiam in dicto primo Conſtantinopolitano. Apud Hieroclem corrupte legitur ὀδάδα, id eſt ἀδάδα.

3. Sed Ptolemæi Δύρζηλα, *Dyrzela* obſcura eſt, niſi Ζόρζιλα, *Zorzila*, Hieroclis, ſiue Ζάρζηλα Notitiæ huc referas, quippe in prouincia Piſidia ibi eſt ὁ Ζαρζήλων, *Zarzelorum epiſcopus*.

CXLV.

His ſubiacent, itidem auſtrum verſus, Ptolemæi *Obaſa*, (in Agathodæmonis tabula *Olbaſa*, cuius nominis Ciliciæ alia eſt) & *Orbanaſſa*, & hæc ad Lycaoniæ Pamphyliæque limites propendens: ſed vtraque aliunde minus cognita, niſi quod Hierocles etiam in Pamphylia habet *Olbaſa*.

CXLVI.

Notior *Cremna colonia*, Κρῆμνα κολώνια Ptolemæi, a Strabone cum Artemidoro etiam in Piſidiæ oppidis numerata, quam ἄποικοι Ρωμαίων ἔχουσι, *Romani coloni teneant*. Idem eodem lib. XII pag. 392 ὁ δ' Αμύντας τὴν μὲν Κρῆμναν εἷλεν, *Amyntas autem Cremnam cepit*, inde aduerſus Homonadenſes profectus. Zoſimus lib. I cap. LXIX Lyciæ Cremnam tribuit: ſed maior vtriusque geographi auctoritas, quorum alter etiam in tractu Piſidiæ a Lyciorum finibus remotiore, ponit: interim ſitum bene, quod etiam nomen indicat, deſcripſit. Lydius, inquit, Κρῆμναν κατελάμβανε, πόλιν οὖσαν Λυκίας, ἐν ἀποκρήμνῳ τε κειμένην, καὶ κατὰ μέρος χαράδραις βαθυτάταις ὠχυρωμένην, *Cremnam occupauit, oppidum Lyciæ, ſitum in prærupto loco, & ex parte foſſis profundisſimis munitum*. In Notitia epiſcopatuum Pamphyliæ ὁ Κρήμνου, & in altera ὁ Κρημνῶν pluraliter.

CXLVII.

Prope afuit in ortum verſus Strabonis Πετνηλισσός, *Petneliſſus*, Ptolemæi Πεδνηλισσός, *Pedneliſſus*, in Palatino MS. Πλετενισσός, *Pleteniſſus*, quod nomen etiam Plinius habet, ſed in Pamphylia, de qua lib. V cap. XXVII, *Oppida eius: Side, & in monte Aſpendum, Pleteniſſum, Perga*. Sic Harduinus edidit, quia cum Palatino codice, iam laudato, etiam Pariſienſis Ptolemæi conſentiat, quam idcirco putat veram Plinii ſcripturam, vulgatæ *Plataniſtus* longe præferendam. Videtur ergo vrbs binominis fuiſſe, *Pleteniſſus* & *Petneliſſus*, quas non diuerſas fuiſſe, ſitus quoque idem poteſt demonſtrare. Plinius cum Aſpendo coniungit: & Strabo lib. XIV pag. 459 ὑπέρκειται ταύτης [Ασπένδου] Πετνηλισσός, *ſupra Aſpendum ſita Petneliſſus eſt*. In Pamphyliæ ergo confinio fuit ita, vt in Piſidia proprie & a Strabone lib. XII & a Ptolemæo lib. V cap. V cenſeretur. Gentile Πεδνηλισσεῖς, *Pedneliſſenſes*, Polybii lib. V cap. LXXII, ſeq.

CXLVIII.

CXLVIII.

Antequam in auſtralem limitem Piſidarum veniemus, prope quem nobiles vrbes *Termeſſus* & *Selga* ſunt; de vrbe *Sagalaſſo* dicendum eſt, male a Ptolemæo ad Lyciam reducta, quia ceteri omnes in Piſidia ſcribunt, Artemidorus, quem Strabo ſequitur prædicto loco libri XII: & Plinius, cui eſt *Sagaleſſus*: Notitia item eccleſiæ; & Hierocles, quamquam apud hunc, elapſa littera, ἀγαλασσὸς *Agalaſſus* legatur: præterea Arrianus, Suidas, Livius, quorum verba mox proferemus: & Stephanus, Σαγαλασσὸς πόλις Πισιδίας, *Sagalaſſus vrbs Piſidiæ*. Omnes hi *Sagalaſſus* ſcribunt, præter Suidam, cui eſt Σαγαλλησσὸς πόλις Πισιδίας, *Sagalleſus vrbs Piſidiæ*: & Plinium, cuius eſt *Sagaleſſus*, vt diximus: & Arrianus Σαλαγασσὸς, *Salagaſſus*, transpoſitis litteris: Strabo qui etiam Σαγαλασσὸν, *Sagalaſſum*, aliquoties dixit, addidit, καλοῦσι δ' αὐτὴν καὶ Σελγησσὸν, *vocant autem illam etiam Selgeſſum*. Primam tamen ſcripturam, *Sagalaſſus*, eſſe veram & optimam, etiam Veſpaſiani nummo probatur, qui præfert ΣΑΓΑΛΑΣΣΗΝΩΝ, *Sagalaſſenorum*. Nunc de ſitu diſquirendum. Ptolemæus errat, qui nimis in occaſum retrahit: nec latitudo eius, quam vulgo retinent, probata: minor enim gradu integro quam illa Selgæ & Termeſſi. At vero Strabo dicit, Sagalaſſum diſtare Apamea ἡμέρας ὁδὸν, *vnius diei itinere*, quo non poteſt, quin magis in ſeptemtrionem referatur, quia Apamea illa haud dubie eſt Phrygiæ Cibotos Apamea. Alexander a Perga in Phrygiam moturus Termeſſum iter habuit, deinde Sagalaſſum, vt Arrianus lib. I pag. 78 tradit, qui & Piſidiæ vindicat. ἦν δὲ αὕτη οὐ μικρὰ πόλις. Πισίδαι καὶ ταύτην ᾤκουν. *erat autem illa*, inquit, *non parua vrbs, quam Piſidæ incolebant*. Liuius lib. XXXVIII cap. XV iter conſulis Cn. Manlii ex Pamphylia in Phrygiam deſcribens, hunc ordinem ſeruauit: *Ex Pamphylia rediens ad flumen Taurum primo die, poſtero ad Xylinen, quam vocant, Comen poſuit caſtra. Profectus inde continentibus itineribus ad Cormaſam vrbem peruenit. Darſa proxima vrbs erat. eam, metu incolarum deſertam, plenam omnium rerum copia inuenit. Progredienti præter paludes, legati ab Lyſinoe, dedentes ciuitatem venerunt. Inde in agrum Sagalaſſenum, vberem fertilemque omni genere frugum ventum eſt. Colunt Piſidæ, longe optimi bello regionis eius, cum ea res animos facit, tum agri fecunditas & multitudo hominum, & ſitus inter paucas munitæ vrbis.* - - - - *Progreſſus inde ad Obrimæ fontes, ad vicum quem Aporidos comen vocant, poſuit caſtra. Eo Seleucus ab Apamea poſtero die venit. Aegros inde & inutilia impedimenta quum Apameam dimiſiſſet, ducibus itinerum ab Seleuco acceptis, profectus eo die in Metropolitanum campum.* E quibus intelligitur non longiſſime Sagalaſſum ab Apamea abfuiſſe. Sic coniungit etiam Strabo verbis extremis libri XIII μέχρι Σαγαλασσοῦ καὶ τῆς Απαμέων χώρας, *vsque ad Sagalaſſum & Apamenſium regionem*. Diſtinctius Strabo ſitum notauit ſæpe dicto lib. XII pag. 392 οἱ Σαγαλασσεῖς ἐπὶ τὰ ἐντὸς τὰ πρὸς τῇ Μιλυάδι, *Sagalaſſenſes ſunt introrſum ad Milyadem*. In occaſum ergo vergunt & ad limitem Cariæ, cuius pars cenſetur Milyas.

CXLIX.

CXLIX.

Inter Cremnam & Sagalaſſum ſitum erat *Sandalium*, vt Strabo diſponit, quod Stephanus dicit Πισιδίας χωρίον, *locum Piſidiæ*, quem *regionem* interpretatur Ortelius, & qui Latine vertit Stephanum, *regiunculam*. Malim *caſtellum* ſiue *oppidum*. nam hoc quoque aliquando χωρίον ſonat. Strabo enim, quum dixiſſet, Amyntam πολλὰ χωρία ἐξεῖλεν, ἀπόρθητα πρότερον ὄντα, ὧν καὶ Κρῆμνα, *multa caſtella* ſeu *oppida expugnaſſe, inexpugnabilia prius viſa, e quibus & Cremna fuit*; addit, τὸ δὲ Σανδάλιον ἐδ' ἐνεχείρησε βίᾳ προσάγεσθαι, μεταξὺ κείμενον τῆς τε Κρήμνης καὶ Σαγαλασσῦ, *Sandalium vero non tentauit vi adgredi, ſitum inter Cremnam & Sagalaſſum*. Ex quo ſatis elucet, munitiſſimum vel caſtellum fuiſſe, vel oppidum, non regionem. Confirmat nummus, cui inſcriptum eſt ΣΑΝΔΑΛΙΕΩΝ, quo etiam oppidum potius quam caſtellum fuiſſe comprobatur. Vrbium enim eſt procudere nummos, non caſtellorum.

CL.

In auſtrali plaga Piſidiæ ſunt duæ vrbes ceteris omnibus fere nobiliores, *Termeſſus* & *Selga*. Prior variis modis ſcribitur *Termeſſus*, *Termiſſus*, *Termeſus*, & *Termiſos*: ſed prima forma Τερμησσὸς, *Termeſſus* Straboni diverſis locis, & Ptolemæo, & Liuio probata, confirmatur nummo Mediceo epigraphen ferente ΤΕΡΜΗϹϹΕΩΝ, & in altera parte ϹΟΛΥΜΟϹ, quod herois nomen eſt, a quo *Solymi* dicti Piſidæ, præcipue Termeſſenſes. Strabo lib. XIII extremo, καὶ αὐτοὶ οἱ Τερμησσεῖς Σόλυμοι καλῦνται, *ipſi Termeſſenſes etiam Solymi vocantur*. Et poſt paullo in ipſa libri extremitate, ἡ Μιλυάς ἐςιν ἀπὸ τῶν κατὰ Τερμησσὸν ςενῶν, *Milyas eſt ab anguſtiis iuxta Termeſſum*. Idem lib. XII pag. 392 cum Artemidoro vrbes Piſidiæ enumerans, Τερμησσὸν, *Termeſſum* quoque in iis numerat. Et lib. XIV pag. 458 ὑπέρκειται αὐτῆς [Φασηλίδος] τὰ Σόλυμα ὄρος, καὶ Τερμησσὸς, Πισιδικὴ πόλις, ἐπικειμένη τοῖς ςενεῖς, δι' ὧν ὑπέρβασίς ἐςιν εἰς τὴν Μιλυάδα, *Supra Phaſelidem mons eſt Solyma, & Termeſſus Piſidica vrbs anguſtiis montium adpoſita, per quas eſt tranſitus in Milyadem*. Sic Baſileenſis Xylandri, & prior illa Henr. Petri, vt negligentia ſit, quod in Caſauboniana Τερμισσὸς legatur, ſecus ac in illa lib. XII & XIII ſcriptum editumque fuerat. Liuius lib. XXXVIII cap. XV *Termeſſenſes eo tempore Iſiondenſium arcem vrbe capta oppugnabant*. Et mox: *Termeſſo* [conſul] *pacem dedit*. Et Ptolemæus in ſua Carbalia, quam Pamphyliæ adnectit, Τερμησσός. At Dionyſius Characenus Τερμισσὸς ſcripſit verſ. 858

Τοῖς δ' ἐπὶ, Πισιδέων λιπαρὸν πέδον· ἧχι πόληες
Τερμισσὸς, Λύρβη τε, καὶ ἣν ἐπολίσσατο λαὸς
Πρίν ποτ' Αμυκλαίων, μεγαλώνυμος ἐν χθονὶ Σέλγη.
Hos vero poſt, Piſidarum pingue ſolum: vbi vrbes
Termiſſus, Lyrbaque, &, quam condidit populus
Olim aliquando Amyclæorum, magni nominis in terra Selge.

Et Stephanus: Τερμισσὸς πόλις Πισιδίας, *Termiſſus vrbs Piſidiæ*. In Notitiis epiſcopatuum vno Σ ſcriptum eſt Τερμεσὸς & Τερμισός. Nec contemnenda

illa

illa ratio eſt, quia Harduinus ex regio cimelio nomiſma produxit, cui inſcriptum eſt ΤΕΡΜΙϹΕΙΩΝ, & aduerſa facie æque ϹΟΛΥΜΟϹ, vt in nummo erat Mediceo. Eadem vrbs vocatur etiam *Telmiſſus*, apud Arrianum præſertim lib. I Exped. Alexandri, quod male in auctore hoc, vt inſignem errorem, quidam reprehendunt: quum alii, etiam ante ipſum, ita adpellaverint. Quæ enim Liuius lib. XXXVIII cap. XV de *Termeſſo* tradit, ea ita in Polybii fragmentis Legatione XXXI leguntur: ὁ δὲ Γναῖος συνεγγίσας τῇ Τελμισσῷ, πρὸς μὲν τούτους συνέθετο φιλίαν λαβὼν ν´ τάλαντα, *vbi Telmiſſo Cn. Manlius adpropinquauit, acceptis quinquaginta talentis, amicitiam cum illis pepigit.* Et Euſtathius ad Dionyſ. verſ. 859 poſtquam de Termeſſo ex Strabone egerat, ſubiungit: τινὲς διὰ τοῦ λ γράφουσι Τελμισσός. - - - σημείωσαι δὲ, ὅτι κρείττων ἡ διὰ τοῦ ρ προεκτεθεῖσα γραφή, *quidam hoc nomen per* L *ſcribunt: - - - nota vero, meliorem ſcripturam eſſe per* R, vt a Cariæ & Lyciæ vrbibus diſtinguatur. Videtur ergo & hæc ciuitas binominis fuiſſe, ab aliis hoc, ab aliis alio ſono vocabuli adpellata. Situs quodammodo ex ſupra dictis, maxime Strabonis verbis patuit. Addimus ex lib. XIII extremo eiuſdem auctoris: τῆς Τερμήσσεως ἄκρας ὁ ὑπερκείμενος λόφος καλεῖται Σόλυμος, quod vetus interpres vertit, *collis qui Termesſi promontorio imminet:* Xylander, quem & Caſaubonus ſequutus eſt, *tumulus qui ſupra Termesſium iacet promontorium.* Sed vbi promontorium vrbis mediterraneæ? malim *ſummitatem, verticem,* ἄκραν interpretari. Idem verbis modo ex lib. XIV prolatis: *Supra Phaſelidem* τὰ Σόλυμα ὄρος καὶ Τερμησσὸς Πισιδικὴ πόλις, *mons Solyma & Termeſſus vrbs Piſidica:* qui mons haud dubie eſt ille ante dictus λόφος, *collis* Solymus. vrbem autem ad Milyadis anguſtum aditum dicit ſitam eſſe, & tamen ἔγγιστα ὑπερκειμένην τῆς Κιβύρας, *proxime imminentem Cibyræ,* puta magnæ, quam ibidem lib. XIII extr. deſcripſerat. Hanc autem Ptolemæus in Phrygia circa Mæandrum poſuit, quam ſi etiam a ſitu Ptolemæi deduxeris, non tamen licebit ad Phaſelidem vsque, in ora maris ſitam vrbem, deferre. Eccleſiæ autem Notitia *Cibyram* Piſidiæ adſcripſit. Minus autem ſibi Strabo videtur conſtare, ex cuius diſcrepantiis ſi medius locus teneatur, forte propius ad id, quod tradendum erat, acceditur.

CLI.

Hinc in ortum magis & ad Pamphyliæ limitem eſt Selga, Σέλγη, vrbs μεγαλώνυμος, *magni nominis,* vt ſupra Dionyſius illam laudauit: Lacedæmoniorum colonia, vt Strabo tradit & Stephanus, qui *Amyclæi* Periegetæ ſunt, a vicino Spartæ loco ita adpellati. Vrbs frequens & valida, ita vt aliquando δισμυριάνδρος, *viginti millia virorum habuiſſe* perhibeatur, vt idem Strabo lib. XII pag. 392 narrauit. & ex eo repetiit ad Dionyſium Euſtathius. Arrianus lib. I pag. 76 ἐνταῦθα ἀφικνοῦνται παρ᾽ αὐτὸν Σελγέων πρέσβεις. οἱ δέ εἰσι καὶ αὐτοὶ Πισίδαι βάρβαροι, καὶ πόλιν μεγάλην οἰκοῦσι, *Ibi legati Selgenſium ad eum* [Alexandrum] *veniunt. Sunt autem & hi Piſidæ barbari, & magnam vrbem inhabitant.* Non pugnat hoc cum origine ex Spartanis, quæ exigua fuit: incrementa habuit ab accolis barbaris ἐκ τοῦ πολιτεύεσθαι νομίμως, *propter bonam reipublicæ adminiſtrationem,* quam vtique conditoribus Sparta-

nis imputauit. Liuius lib. XXXV cap. XIII dixit *Piſidas qui circa Selgam incolunt*, ad quos oppugnandos Antiochus profectus ſit. Bellicoſi fuerunt, eorumque res quasdam Polybius lib. V cap. LXXII deſcripſit. * Strabo dicto loco: *οἱ Σελγεῖς εἰσὶν ἀξιολογώτατοι τῶν Πισιδῶν*, *Selgenſes ſunt nobilisſimi Piſidarum.* Nummi quoque reperiuntur ſignati ΣΕΛΓΕΩΝ, & vnus Decii, qui fœdus cum conditoribus continuatum ſignificat hac formula: ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΣΕΛΓΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Lacedæmoniorum Selgenſiumque concordia.* Vrbs ſita in colle. Zoſimus lib. V cap. XV Οὐαλεντῖνός τις τὴν Σέλγην οἰκῶν· πολίχνη δ' ἄυτη Παμφυλίας ἐςὶν, ἐπὶ λόφε κειμένη, *Valentinus quidam Selgæ habitans: oppidum Pamphyliæ eſt in colle ſitum* cetera. πολίχνην, *oppidulum* dicit, quia Zoſimi æuo decreuerat: vnde etiam in quibusdam Notitiis negligitur: in Hieroclis, vitioſe ſcribitur Σέλπη, *Selpe*, pro *Selge*, itidemque in Pamphylia, quia inferiora Piſidiæ poſteriori æuo Pamphyliæ contributa ſunt, vti ex iisdem Notitiis manifeſtum eſt.

CLII.

Selgenſibus finitimi erant Κατεννεῖς, Strabone referente lib. XII pag. 392, id eſt *Catennenſes*, tamquam a *Catenna* dicti, ſed nihil de iis præterea nobis notum eſt. In Artemidori catalogo ſunt etiam *Brias*, *Pityaſſus*, *Sinda*, *Caraſſus*, *Tarbaſſus*: ſed de omnibus his nihil cognitum habemus: neque quidquam Strabo addit de iis; nuda tantum ex Artemidoro nomina recenſuit. *Sinda* quidem poſtpaullo cum Ambladis & Tabis coniunguntur, & cum illis ὅμορα τῇ Καρίᾳ, *Cariæ finitima* dicuntur: Hierocles autem Σίνδα, *Sinda* in Pamphylia ſcripſit, & Ἴσινδα, *Iſinda* vtroque loco quidam legi volunt; Strabonis, Berkelius in *Amblada* Stephani; Hieroclis, Holſtenius ad Geogr. Sacr. pag. 151, qui etiam *Piſinda* Ptolemæi ad hunc modum emendanda cenſet. An eadem Ισίονδα, *Iſionda* Polybii Legat. XXXI, vnde Liuio etiam lib. XXXVIII cap. XV reſtitutum ab Sigonio? non eſt quod dubitemus, quia conſenſio in nomine, etiam quodammodo in loco & ſede: quamuis *Iſionda* Liuii intra propriam & antiquam Pamphyliam fuiſſe adparet. In Notitia epiſcopatuum Pamphyliæ eſt ὁ Ισινδε, *Iſindenſis*.

CLIII.

Ptolemæus addit *Cretopolim*, *Vranopolim*, *Ariaſſum*. Prima ſcribitur in Palatino Κρητόπολις, in vulgatis Κρησσόπολις, *Creſſopolis*; a Polybio lib. V cap. LXXII Κρητῶν πόλις, *Cretenſium oppidum* diuiſe ſcribitur. Garſyeres, inquit, ἐμβαλὼν εἰς τὴν Μιλυάδα καὶ καταςρατοπεδεύσας περὶ τὴν καλεμένην Κρητῶν πόλιν, *in Milyadem irrupit & caſtra ita dictæ Cretenſium vrbi admouit.* Ex quo probatur, in Milyade regione hoc oppidum ſitum fuiſſe. Ptolemæus quidem Lyciæ Milyadem adnectit, ſed Strabo diſtinguit ac inter Piſidiam Lyciamque ponit mediam, quo fit, vt quædam Milyadis Lyciæ, quædam Piſidiæ tribuantur, quia veri limites Milyadis non ſunt penitus cogniti, nec Ptolemæi fines ad eam terminandam ſufficiunt.

CIV.

* Et c. 73 Ἔχεσι γὰρ δή τι τολμηρὸν ἀεὶ καὶ παραβολὸν ἐν τοῖς πολέμοις οἱ Σελγεῖς. *Amant enim Selgenſes in bellis conſilia vsque ad temeritatem audacia.*

CIV.

Idem Ptolemæus in Carbalia ſua, quæ videtur ipſa Cabalia eſſe, quam cum Lycia lib. v cap. III connectebat, ponit etiam vrbem *Milyadem* cum Corbaſa & Termeſſo, quæ nomen videtur regioni dediſſe, fortaſſe ſita ad Piſidiæ terminum, vt ad vtramque referri poſſit, ſicut Carbaliam ipſam quidem in capite IV de Pamphylia exponit, ſed tamquam mediam inter Piſidicas vrbes eius capitis, & Pamphylias mediterraneas.

CLV.

Ariaſſus Ptolemæi eſt quoque in Notitia Pamphyliæ, quia in mediterraneis Ptolemæus poſuerat, quæ pars, vt diximus, Pamphyliæ poſtea contributa fuit.

2. Finitima ſunt *Vranopolis* & *Corbaſa*, ſed aliunde fere in hoc tractu incognita.

3. *Pogla* Ptolemæi ſunt *Pugla* Notitiæ, quæ in Pamphylia τὸν Πέγλων, *Puglorum* epiſcopatum memorat.

4. *Lyrba* Dionyſii, quam cum Selga & Termeſſo verſ. 859 componit, ſic Λύρβη editione Rob. Stephani, & apud Euſtathium ſcribitur: at Λύβρη, *Lybra* editione Guil. Hilli Londinenſi, quod ſphalma putem typographi, niſi Hieroclis Notitia Pamphyliæ etiam Λύβρη ſcriptum inueniatur. In Notitia autem eccleſiæ altera prouinciæ eiusdem pag. 45 eſt ὁ Λίρβην, *Lyrbæ epiſcopatus:* Leonis autem Notitia, editione Goari, ὁ Λύρβης, *Lyrbæ.*

5. Nec conſtat, vbi *Tyrus* Stephani ſita fuerit. Ait enim in hac voce: ἔςι καὶ [Τύρος] πόλις Ινδικὴ, καὶ Λυδίας, καὶ Πισιδίας, *Eſt & Tyrus oppidum Indiæ, & Lydiæ, & Piſidiæ.* Ab hoc ſunt *Tyrienſes* Plinii lib. v cap. XXVII, vindicati ab Harduino ex MSS. & primis editionibus, quos male Hermolaus in Hyrienſes, qui nulli in hoc tractu ſunt, mutauerat.

SECTIO V.

LYCAONIA.

CLVI.

Lycaonia inter Pamphyliam, Cappadociam, Piſidiam, Phrygiamque contenta eſt. Ptolemæus quidem lib. v cap. II in Phrygiæ diſpoſitione habet etiam δῆμον παρὰ τὴν Λυκίαν, Λυκάονας, *populum apud Lyciam Lycaones:* ſed hi alieni ſitu ſunt, quos idem cap. VI ſub Cappadocia poſuit & in oppida ſua diuiſit. Nomen quidam a flumine *Lyco* ducunt, ſed quonam, quum plura eiusdem vocabuli ſint, Cappadociæ an Phrygiæ, (nam cetera remotiora ſunt) incertum eſt, quum neutrum Lycaoniam propriam attingat. Alii ex Arcadia ducunt, vbi notum & nobile nomen Lycaonis fuit. Euſtathius ad Dionyſii verſ. 857 λέγονται· Λυκάονες ἀπὸ Λυκάονός τινος Αρκάδος, πόλιν αὐτόθι κτίσαντος κατὰ χρησμὸν, *Lycaones dicuntur a quodam Lycaone Arcade, qui vrbem ibi* [in Lycaonia] *condidit monitus oraculo.* Sed hoc quoque incertum eſt, niſi plane fabuloſum. Relicta ergo nominis origine, regionem ipſam explicamus, quæ Λυκαονία, *Lycaonia* dicitur, & incolæ Λυκάονες, *Ly-*

caones. Dionyſius Characenus iam dicto loco poſt Pamphylias enarratas vrbes ſcripſit:

> Τῶν δὲ πρὸς ἀντολίην μεσάτην χθόνα ναιετάουσιν
> ἴδριες ἐν πολέμοισι Λυκάονες ἀγκυλότοξοι,

Ad orientem harum mediam terram habitant periti in bellis Lycaones, curuis vtentes arcubus. quamquam non tam ab ortu quam ad ſeptemtrionem, Lycaones ſunt Pamphyliis.

CLVII.

Hæc quoque regio *Lycaonia*, quamlibet Tauro proxima, & ex parte in Tauro ſita, ad Aſiam intra Taurum ab Romanis referebatur, & Antiochi ita bello fuit habita. Liuius lib. XXXVII cap. LIV, oratione Rhodiorum in ſenatu: *& Lycaonia, & Phrygia vtraque, & Piſidia omnis in veſtra ſunt poteſtate:* Ademerant autem Antiocho quæ intra Taurum erant. Et lib. XXXVIII cap. XXXVIII in pacis legibus: *Excedito vrbibus, agris, vicis, caſtellis cis Taurum montem vsque ad Halyn amnem, & a valle Tauri vsque ad iuga, qua in Lycaoniam vergit.* Quamuis autem hæc verba Lycaoniam excludere videantur, non tamen ita intelligenda eſſe euentus probat, quo Lycaonia Antiocho ademta regi Eumeni ab Romanis donata fuit. Liuius ibidem cap. XXXIX *Adiecerunt* [Romani donatis in Europa Eumeni] *in Aſia Phrygiam vtramque, alteram ad Helleſpontum, maiorem alteram vocant: & Myſiam, quam Pruſias rex ademerat ei, reſtituerunt: & Lycaoniam, & Milyada, & Lydiam.* Euſtathius ad Dionyſii verſ. 620 confirmat: Ἀσία, inquit, ἡ ἐντὸς τοῦ Ταύρου περιέχουσα Λυδοὺς, Κᾶρας, Λυκάονας, Παφλαγόνας, Ἴωνας, Αἰολεῖς, καὶ ἄλλους, *Aſia, quæ intra Taurum eſt, complectitur Lydos, Cares, Lycaones, Paphlagones, Iones, Aeolios, & ceteros.*

CLVIII.

Diuiditur Lycaonia in certas partes, quarum aliquam Plinius lib. v cap. XXVII vocat *tetrarchiam ex Lycaonia, qua parte Galatiæ contermina eſt.* Hanc ait XIV ciuitatum eſſe, in quibus *Iconium* celeberrima. In Phrygiæ confinio Strabo aliquam partem vocat τὰ Λυκαόνων ὀροπέδια ψυχρὰ καὶ ψιλὰ καὶ ὀναγρόβοτα, *colles planos Lycaoniæ frigidos, nudos, & agreſtibus agris abundantes.* Ibidem Iſauriam quoque partem facit. τῆς Λυκαονίας, inquit, ἐστὶ καὶ ἡ Ἰσαυρικὴ πρὸς αὐτῷ τῷ Ταύρῳ, *Lycaoniæ eſt etiam Iſaurica ad ipſum Taurum.* Quod vero Ciliciæ coniuncta eſt, quamquam in Tauro ſita, cum Cilicia extra Taurum explicabimus. Præter has Plinius memorat etiam vrbes alias Lycaoniæ quaſi propriæ. Poſtquam enim de tetrarchia ex Lycaonia, & Iconio principe eius partis vrbe dixerat, addit: *Ipſius Lycaoniæ celebrantur Thebaſa in Tauro; Hyde in confinio Galatiæ & Cappadociæ.*

CLIX.

Strabo pauca in Lycaonia memorat: vnam vrbem, *Iconium:* vnam κωμόπολιν, *vicum inſtar oppidi, Soatra* videlicet: & vnum vicum *Coropaſſum.* Præterea *Garſabora*, nec vero explicat, vicus fuerit an oppidum; in Lycaonia, an extra illam. De *Iconio* parce ſentit, ἐνταῦθα τὸ Ἰκόνιόν ἐστι, πολίχνιον εὖ συνῳκισμένον, *Ibi eſt Iconium, paruum oppidum, bene tamen ædificatum.*

tum. Contra Plinius: *vrbs celeberrima Iconium.* Et Hierocles: Ἰκόνιον μητρόπολις, *Iconium metropolis.* Et in Notitiis epiſcopatuum Lycaoniæ primo loco ponitur ὁ Ἰκονίȣ, *Iconienſis*, tamquam metropolitanus. At Ptolemæus lib. v cap. vi tertiam numero Lycaoniæ vrbem *Iconium* conſtituit. In Apoſtolorum hiſtoria etiam, vt vrbs magna & frequens, deſcribitur cap. xiv, 1, quæ πολὺ πλῆθος Ἰȣδαίων τε καὶ Ἑλλήνων, *magnam multitudinem Iudæorum & Græcorum* habuerit: & comm. 4 ἐσχίσθη τὸ πλῆθος τῆς πόλεως reliqua. Stephanus: Ἰκόνιον πόλις Λυκαονίας πρὸς τοῖς ὅροις τȣ̃ Ταύρȣ, *Iconium vrbs Lycaoniæ ad terminos Tauri.* Xenophon lib. i de Cyro minore pag. 147 in Phrygia ponit, ſed proximum Lycaoniæ. Inde, inquit, ἐξελαύνει εἰς Ἰκόνιον τῆς Φρυγίας πόλιν ἐσχάτην. ἐνταῦθα ἔμεινε τρεῖς ἡμέρας. ἐνταῦθα ἐξελαύνει διὰ τῆς Λυκαονίας σαθμȣ̀ς πέντε, παρασάγγας τριάκοντα, *proficiſcitur Iconium, extremam Phrygiæ vrbem, vbi triduum commoratus eſt: inde per Lycaoniam quintis caſtris triginta paraſangarum iter fecit.* Sed cum aliis nos in Lycaonia numeramus. Fabuloſe nomen ab εἰκὼν, *imago*, ducunt, quod poſt diluvium Prometheus & Minerua ex luto imagines feciſſent, quibus vita ab Iove fuerit reddita, indeque humanum genus reparatum. Sed ſic diphthongo Εἰκόνιον ſcribendum fuiſſet, quod etiam Stephanus adnotauit. Situm loci Ptolemæi tabula oſtendit, etiam recentior Natoliæ, ſi qua accuratior haberi poteſt, quia hodie ſupereſt, & *Cogni* vocatur, ſedes præfecti Turcici, ſicut ante ſæcula aliquot etiam Sultani fuerat.

CLX.

Propinquæ Iconio a ſeptemtrione *Lyſtra* ſunt, ab auſtro *Derbe.* Strabo poſthabuit *Lyſtra:* nec Ptolemæus clare poſuit, niſi quod lib. v cap. iv in Iſauria habet Λύσιρα in Palatino, *Lyſira* (vulgatus enim corruptior eſt) putant nonnulli *Lyſtra* legendum eſſe, atque ideo etiam in tabulas eius ſunt *Lyſtra* coniecta. At ſi ſitus a Ptolemæo deſignatus ſeſe recte habet, in Lycaonia potius quam Iſauria ſunt cenſenda, Iconio Lycaoniæ oppido interiecto. Etiam Hierocles in Lycaonia Λύσρα, *Lyſtra* poſuit; & in Notitia epiſcopatuum ὁ Λύσρων, *Lyſtrorum Epiſcopatus* ab Iconienſi eſt proximus in Lycaonia. Et in Apoſtolorum Actibus cap. xiv, 6 κατέφυγον εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας, Λύσραν καὶ Δέρβην, *fugerunt in Lycaoniæ vrbes, Lyſtram & Derben.* Singulari hic numero in libris ſcribitur: at mox commate 8 ἐν Λύσροις, *Lyſtris* pluraliter, vt dubitare liceat, an prior locus non Λύσρα, *Lyſtra*, eodem numero, habuerit. Fatum diuini Pauli, in hoc oppido lapidibus obruti, ex Actis illis notum eſt. Oppidani *Lyſtreni* Plinio dicti lib. v cap. xxxii, qui Galatiæ eos adiungit, cuius fines, vt ſupra diximus, in auſtrum ille nimis quantum protendit.

CLXI.

Derbe, Δέρβη, Stephano Φρȣ́ριον Ἰσαυρίας, *munimentum Iſauriæ.* Et Strabo Iſauriæ dat, ſed a latere tantum, Cappadociam verſus. Sic enim lib. xii pag. 391 Τῆς δ' Ἰσαυρικῆς ἐςὶν ἐν πλευραῖς ἡ Δέρβη, μάλισα τῇ Καππαδοκίᾳ ἐπιπεφυκὼς τὸ τȣ̃ Ἀντιπάτρȣ τυραννεῖον τȣ̃ Δερβήτȣ, *In latere Iſauriæ eſt Derbe, ſedes Antipatri Derbetis, maxime adhærens Cappadociæ.* Nihilominus ſacer ſcriptor,

ptor, vt modo in Lyſtris vidimus, πόλιν τῆς Λυκαονίας, *Lycaoniæ vrbem*, munitam puta, quia etiam Φρέριον dixit Stephanus, cenſebat: & in Notitia eccleſiæ ὁ Δέρβης, *Derbes* epiſcopatus in Lycaonia ſcribitur: Hierocli ſunt Δέρβαι, *Derbæ*, multitudinis numero, itidem in Lycaonia. Qui tenebat Antipater tyrannus, amicus Ciceronis proconſulis fuit. Lib. XIII epiſt. LXXIII ad Q. Philippum: *Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum hoſpitium, verum etiam ſumma familiaritas intercedit.* Ptolemæus *Derben* in *Antiochiana* poſuit, quæ qualis regio ſit, & vnde nomen acceperit, non eſt liquidum. Coniungit vero cum Lycaonia lib. V cap. VI.

CLXII.

Laodicea quoque *Combuſta*, ab aliis Piſidiæ vel Phrygiæ tributa, in Lycaonia a nonnullis ponitur. Stephanus in *Laodicea*: ἔστι καὶ ἄλλη Λυκαονίας, *Eſt & alia huius nominis in Lycaonia*; quæ ſitus ratione alia eſſe non poteſt, quam quæ *Combuſta* cognominatur. Strabo lib. XIV p. 456 de via Epheſo in orientem ferente: εἶθ' ἡ Λυκαονία μέχρι Κοροπασσοῦ διὰ Λαοδικείας τῆς κατακεκαυμένης, ὀκτακόσιοι τετταράκοντα, *Inde Lycaonia eſt vsque ad Coropaſſum, per Laodiceam Combuſtam*, IↃCCCXL ſtadia. quo poſito, non poteſt Laodicea illa non in mediam Lycaoniam cadere. Ptolemæus quidem lib. V cap. IV ſub Galatia in Bezenis eam ſcripſit: ipſe vero illos cum Lycaoniæ parte coniungit. Sic enim diſpoſuit: ὑπὸ τούτους οἱ Βυζηνοὶ καὶ μέρος τῆς Λυκαονίας, ἐν οἷς πόλεις: *Sub his Bezeni ſunt & pars Lycaoniæ, in quibus hæ ciuitates ſunt:* quas ordine enarrat, & in iis quoque *Laodiceam Combuſtam.* Adde quæ de eadem Laodicea paullo ante in Piſidia diximus.

CLXIII.

Ptolemæus in Lycaonia præter Iconium, habet *Paralain, Corna, Cannam, Caſbiam, Adopiſſum*, e quibus tantum *Paralais* & *Corna* aliunde nota ſunt, & illa quidem *Parlais* quoque ſcribitur & *Parlaos:* prauius *Paralla.* Ptolemæus Παραλάϊς, *Paralais:* nummo Marci Antonini, PARLAIS COL. id eſt *Parlais colonia*, de cuius deductione aut conditu nihil præterea notum eſt: Notitia epiſcopatuum in Piſidia, ὁ Παρλαοῦ, *Parlai* epiſcopus: alia vitioſius, ὁ Παράλλης, epiſcopus *Parallæ.* Et *Corna*, Κόρνα, eſt etiam apud Hieroclem: cetera ſolius nituntur auctoritate ac fide Ptolemæi.

CLXIV.

Plinius præter *Iconium*, quam *vrbem celeberrimam* laudauit, duo oppida Lycaoniæ adnumerat. *Ipſius*, inquit, *Lycaoniæ celebrantur Thebaſa in Tauro: Hyde in confinio Galatiæ atque Cappadociæ.* Parum cognita *Thebaſa*, vt in MSS. & ante Frobenium editis, qui *Tembaſa* intruſit, vocatur: *Hyde* paullo notior, qui in Notitia eccleſiæ in Lycaonia eſt ὁ Ὕδης, *Hydæ* epiſcopatus, ſiue epiſcopus.

CLXV.

Ptolemæi Antiochiana, quam cum Lycaonia lib. V cap. VI habet præter *Derben*, etiam *Laranda* & *Olbaſa.* Prior vrbs, *Laranda*, non incelebris eſt, a quibusdam nominatim Lycaoniæ adſcripta, ab aliis dubie in Piſidiæ & Iſauriæ confinio, quod Lycaoniam ſimul attingit, poſita. Stephanus:

Λάραν-

Λάρανδα πόλις Λυκαονίας, *Laranda ſunt vrbs Lycaoniæ.* Et Hierocles in Lycaonia habet Λάρανδα, *Laranda*, pag. 28. Strabo lib. xii pag. 391, vbi Antipatrum tyrannum Derbæ ſedem habuiſſe dixit, ſubdit, τοῦ δ' ἦν καὶ τὰ Λάρανδα, *huius & Laranda fuerunt.* nam plurali vox numero etiam aliis formata, vt Euſebio lib. vi Hiſt. eccleſ. cap. xix ἐν Λαράνδοις, *Larandis.* Diodorus Siculus lib. xviii cap. xxii *Larandæorum vrbem* dixit. *Perdiccas,* inquit, *& rex Philippus,* ἐχωρίσθησαν ἐκ τῆς Καππαδοκίας. καταντήσαντες δὲ εἰς τὴν Πισιδικὴν ἔκριναν ἀναστάτους ποιῆσαι δύο πόλεις, τήν τε τῶν Λαρανδαίων, καὶ τὴν τῶν Ισαυρέων, *exceſſerunt ex Cappadocia, & in Piſidiam profecti, duas vrbes, vnam Larandæorum, Iſaurenſium alteram, euertere decreuerunt.* Et Ammianus lib. iv cap. vii *venere prope oppidum Laranda.* Tractum autem deſcribit ibidem, qui in Iſauriam vergit vel pars illius eſt, ſicut Diodorus in Piſidiæ finibus eamdem vrbem collocabat. Aegre enim a veteribus illi fines diſtinguuntur, & pro temporibus diuerſis ipſi quoque mutati ſæpe fuerunt, vt alii vnam vrbem huic, alii finitimæ prouinciæ adſcribant.

CLXVI.

Quam autem *Olbaſam* hoc loco Ptolemæus ponit, ignota eſt aliis: nec notiora cetera duo eiusdem nominis oppida, quæ in Piſidia & Cilicia ponit, quamuis Piſidicum non Olbaſa, ſed Ὄβασα, *Obaſa*, ſecus ac vulgo profertur, in libris ſcriptum reperiatur.

CLXVII.

In Notitiis adduntur Lycaoniæ, *Onaſada, Miſtheia, Sabatra, Barate, Iliſtra, Perte.* Hierocles Ονάσαδα, in Notitia, ὁ Ονοσάδης. Obſeruauit autem Holſtenius pag. 153 in MS. Hieroclis codice eſſe Ουάσαδα, *Vaſada*, & in Chalcedonenſi concilio act. vi ὁ Ουάσδων, *Vasdorum* epiſcopus, vna elapſa littera.

CLXVIII.

Sabatra, plurale eſt, & epiſcopus ὁ Σαβάτρων, *Sabatrorum.* Ne dubites, Strabonis *Soatra* eſſe, in collibus Lycaoniæ (ὀροπέδια vocat) poſita. ἐν Σοάτροις πιπράσκεται τὸ ὕδωρ, *Soatris,* inquit lib. xii pag. 391, *tanta penuria aquæ eſt, vt etiam pretio vendatur.*

CLXIX.

Minus nota *Miſthia,* Μισθεία Hierocli, & ſic in Chalced. act. vi Armatius Μισθείας, *Miſtheiæ* ſubſcripſit.

CLXX.

Barate, Βαράτη Hieroclis, MS. Βάρατα, *Barata*; in Notitia eſt ὁ Βερέτης, *Beretæ* epiſcopus.

CLXXI.

Iliſtra, ſiue *Eliſtra, Ileſtra*; nam varie in Notitiis ſcriptum, ὁ Ηλίστρων, & ὁ Ιλήστρων: Hierocli Λίστρα, *Liſtra,* diſtincta a Lyſtris eiusdem prouinciæ: ſed haud dubie intercidit prima littera, & Holſtenius quoque *Iliſtra* adlegat ex ſuo Hierocle.

CLXXII.

Perte, ſeu *Perta* potius: vnde ὁ Πέρτων, in Notitia & Chalced. act. vi, ſub Iconienſi, *epiſcopus Pertorum.*

CLXXIII.

CLXXIII.

In eadem Lycaoniæ Notitia prauatum nomen eſt, ὁ Ουαμανάδων, *Onomadorum;* in alia, ὁ Οὐμανάδων, *Vmanadorum*, & apud Hieroclem Οὐμάναδα, *Vmanada.* Omnia praue. Verum nomen Ὁμόναδα, *Homonada*, & in Notitiis legendum ὁ Ὁμονάδων, *Homonadorum*, vti Holſtenius ex concilio citat Conſtantinopolitano. Strabo lib. XII populum Ὁμοναδεῖς, *Homonadenſes* vocat: & lib. XIV pag. 467 iungit cum iis, οἱ συνάπτοντες τοῖς Πισίδαις, *qui Piſidas contingunt.* Plinius lib. V. cap. XXVII *Contermina illi* [Iſauricæ] *gens eſt Homonadum, quorum intus oppidum Homona. Cetera caſtella* XLIV *inter aſperas conualles latent.* Videtur curtatum nomen *Homona*, eiusque loco *Homonada* legendum: vnde gentile Ὁμοναδεύς, plur. Ὁμοναδεῖς apud Strabonem, qui Tacito ſunt *Homonadenſes.* Annali enim III cap. XLVIII de Quirinio: *impiger militiæ, & acribus miniſteriis conſulatum ſub diuo Auguſto: mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis inſignia triumphi adeptus.* Per CILICIAM, puta Aſperam ſeu Tracheam, & Iſauriam, quarum fines contingit Lycaonia. Vnde Homonadenſes in Notitiis quidem Lycaoniæ tribuuntur; ab aliis Iſauriæ: immo in iisdem Notitiis *Iſaura* ſiue *Iſauropolis* in Lycaonia eſt recenſita. Adeo confines & impliciti inter ſe illarum regionum erant limites.

CLXXIV.

Tandem de vicis ſeu pagis Strabonis aliquid addendum ſeu repetendum eſt, (nam & ſupra aliquid diximus) quia & illi ſunt memorabiles. Sunt autem *Soatra* & *Coropaſſus.* De illis modo dicebamus, *Soatra*, Strabonis, videri eſſe Notitiarum *Sabatra.* Strabo XII pag. 391 Σόατρα δ' ἐςὶ κωμόπολις Γαρσαβόρων πλησίον, *Soatra ſunt vicus inſtar oppidi prope Garſabora.* Garſabora autem, ſiue, vt lib. XIV pag. 456 ſcripſit, Γαρσάουρα, *Garſauora* (ſic enim legendum videtur) ibidem dicitur πολίχνιον τῆς Καππαδοκίας, *Cappadociæ oppidulum*, ad quod via ex Epheſo per Laodiceam vtramque in orientem fert, inde Mazacam metropolim Cappadociæ, vt ita nec de ſitu Soatrorum, quæ πλησίον, *proxima* ſunt, neque de latitudine aut poli eleuatione, quam tractus viæ ſiue linea oſtendet, dubitare liceat. Alter vicus *Coropaſſus* inter Combuſtam Laodiceam & Cappadociæ fines, ab altero limite Lycaoniæ, qui Philomelium verſus IↃCCCXL ſtadiis remotus: quod ibidem Strabo tradidit. Priori loco κώμην *vicum* dixit pag. 391. De via in orientem per illa loca dicturi ſumus capite inſequenti V.

CAPVT V

DE

ASIA CIS TAVRVM SVB ROMANIS.

HActenus de Aſiæ citerioris antiquo ſtatu ſub Troianis, Syris & Pergamenis regibus: quamquam poſteriorum temporum rationes in ſingu-

lis

lis partibus ſparſim quoque adiunctæ fuerunt. Quod vero Romani his regionibus potiti nouam formam prouinciarum inſtituerunt, cuius frequentiſſime in Græcis Latiniſque monimentis eſt mentio; de illa vtique, antequam Taurum transſcendamus, diſtincte ac explanate aliquid dicendum eſt.

II.

Perſæ Lydis Aſiam cis Taurum atque Halyn; Perſis Alexander Macedo eripuerat: quo mortuo, regnoque inter duces diuiſo, Syri reges ſiue Seleucidæ poſt Antigonum, Demetriumque eius filium, ſibi plures aliquid de illa cœperunt vindicare. Partem Phrygiæ Galli occuparunt, graues ex eo tempore finitimis: partem, circa Pergamum, Philetærus, Lyſimachi in iis locis præfectus, inter turbas & ciuilia Macedonum bella obtinuit, & fratris filio Eumeni reliquit; hic patrueli Attalo, primo Pergamenorum regi Romanorumque ſocio aduerſus Philippum, Macedonem: cuius nepos Attalus, Eumenis filius, ab Attalo patruo & tutore educatus, Romanos heredes teſtamento ſcripſit, quorum non ſolum amicus perinde, vt pater, patruus ac auus, fuerat, verum etiam ea de cauſſa, quia Romani bello Antiochi confecto ampliſſimas regiones, Syro ademtas, patri eius Eumeni liberaliter donauerant, Lydiam, Lycaoniam, Milyadem & vtramque Phrygiam: etiam Myſiam, a Pruſia Bithyno occupatam reſtituerant. De Pergamenorum regum origine & ſucceſſione Strabo conſulatur lib. XIII pag. 429: de Romanorum liberalitate Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX. Romani heredes facti liberam Aſiam eſſe iuſſerunt: quem ſtatum Ariſtonicus turbauit, cui quod Aſiani fauerant, illo victo, tota hereditas in prouinciæ formam redacta fuit. Liuius epitoma LIX *Ariſtonicus, regis Eumenis filius, Aſiam occupauit, quum teſtamento Attali regis legata populo Romano, libera eſſe deberet.*

III.

Hinc illa *Aſia*, Romanorum prouincia, ſimpliciter illis *Aſia* dicta, rectaque a prætoribus, niſi bellum ex ea gerendum conſulare imperium poſtularet. Cuius ordinis Licinius Craſſus fuit, ab Ariſtonico cæſus: eiusque ſucceſſores M. Perperna & M. Aquillius, omnes pro conſulibus. Pacatæ autem prouinciæ prætores imponebantur, vt Mucius Scæuola Ciceronis ore lib. I de Oratore cap. XVII dicit, *quum ego prætor Rhodum veniſſem.* Rurſus Mithridatico bello proconſules Aſiam regebant, Sulla, Lucullus, alii; eoque finito, prætores, in quibus & Q. Cicero fuit, Marci frater; & Thermus, ad quem Ciceronis exſtant epiſtolæ libro XIII. Tandem Auguſtus Cæſar conſtituit, vt hæc & Africa perpetuo eſſent proconſulares, & in populi poteſtate: a quo tempore dicta fuit *Aſia proconſularis*, vt ſupra cap. I demonſtratum eſt.

IV.

Fines huius prouinciæ non iidem ſemper erant, ſed additum, demtum pro temporum ratione. Carolus Sigonius lib. I de Iure prouinciar. cap. X, vt primum conſtituta fuit, his limitibus definit: *Aſia, quam rex Per-*

gami Attalus, cognomento Philometor, a maioribus ſuis acceptam, populo Rom. teſtamento reliquit; Myſiam, Phrygiam, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam & Piſidiam comprehendit, quæ regiones in magna quidem Cherſoneſo, ſed cis Taurum omnes fuerunt. Bithynia excepta, & Galatia, & Lycia, quæ cis Taurum quidem, at extra hanc prouinciam fuerunt. Bithynia enim, & huic contermina Paphlagonia, tum ſuos reges habuerunt, quibus exſtinctis, prouincia quidem ibidem conſtituta, ſed ſeparata ab Aſiatica. Gallogræcia ſuis tetrarchis permiſſa: Lycia eodem tempore dono data Rhodiis.

V.

Idem quidem Sigonius cap. XI adſcribit *Lyciam* regionibus illis, quæ trans Taurum ſitæ erant. *Cariam*, inquit, *trans Taurum Lycia, Pamphylia ac Cilicia ſequebatur.* Et paucis interpoſitis: *Has regiones, Lyciam, Pamphyliam, Iſauriam & Ciliciam trans Taurum ſitas reges Syriæ poſt Alexandrum M. obtinuerunt.* Forte ad Strabonis verba reſpexit, quibus Taurum lib. XI pag. 358 dicit *a Caria & Lycia incipere*; ἄρχεται ἀπὸ τῆς Καρίας καὶ Λυκίας: ſed ipſe addit ibi, neque latitudinem neque ὕψος ἀξιόλογον, *altitudinem memorandam* habere: nec citeriore loco ἐξαίρεσθαι, *extolli*, niſi contra Chelidonias inſulas, quæ κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς Παμφυλίων παραλίας, *contra initium oræ Pamphyliorum* ſint. Non de Lycia, ſed de Pamphylia fuit diſputatum ab Antiochi legatis, ſitne tota trans Taurum cenſenda nec ne, quod Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIX tradidit: de Lycia autem numquam in diſceptationem venit, quæ quia ab Romanis Antiocho ademta, & illi intra Taurum regnare eſt permiſſum; haud dubie citra Taurum Lyciam Romani cenſuerunt.

VI.

An vero *Lycia* alterutrius pars prouinciæ, Aſiæ Ciliciæue, fuerit, quæſtione alia dubitatur. Non fuit, ſed ex quo in poteſtatem Romanorum venit, Antiocho erepta, Rhodiis tamquam auxiliorum præmium donata eſt, quod Liuius prædicto loco prodidit. Perſe autem Macedonico victo, cui Rhodii ſtuduerant, iuſſi hi ſenatus decreto *præfectos ex Lycia Cariaque deducere*, vt Liuius refert lib. XLV. cap. XXV. Tum libera facta *Lycia*, non autem immunis penitus. De libero Lyciorum ſtatu Strabo agit lib. XIV p. 457: quem Sulla confirmauit, quum in Aſia aduerſus Mithridatem bellum gereret, vt Appianus eodem bello pag. 355 ſeq. narrauit. Non autem immunem fuiſſe ex III Verrina Ciceronis de vrbana prætura cap. XXXVIII conſtare videtur. Verres enim, Dolabellæ legatus & pro quæſtore, dicitur *Lyciam, Pamphyliam, Piſidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æſtimando adflixiſſe.* Quum autem M. Brutus, quod auxilia negaſſent, Lycios grauius habuiſſet, M. Antonius triumuir ſolatii cauſſa immunitatem iis dedit. Appianus auctor eſt lib. IV Ciuil. pag. 1005 de Bruto: & lib. V pag. 1077 de Antonio: Λυκίους ἀτελεῖς φόρων ἀφιείς, *Lycios immunes tributorum fecit.* Hoc deinde beneficium vna cum ipſa libertate Claudius Cæſar ademit, Suetonio refe-

referente cap. XXV. Ex quo Lycia videtur Pamphyliæ rectori adiecta. Fragmentum lapidis Compſani in Gruteri opere pag. 491 num. 12

Q. VRBAN. AED. CVRVL
PRAETORI CVRAT. VIAE
AVRELIAE PROCONS. LY
CIAE PAMPHILIAE CONS
POLYTIMVS LIB.

Gemella inſcriptio, ſi non eidem poſita, in lapide Romano eſt apud eumdem Gruterum pag. 458 num. 6.

VII.

Poſtquam Cilicia extremo bello Mithridatico in Romanorum poteſtatem venit, ampla ibi & proconſularis prouincia conſtituta fuit, quæ non tantum vtramque Ciliciam, Aſperam & Campeſtrem, ac Iſauriam & Pamphyliam cum Cypro inſula complectebatur, verum etiam ex prouincia Aſiæ detracta & Ciliciæ adiecta quædam ſunt, pars Phrygiæ maioris, & Piſidia, & Lycaonia. Atque ſic auctæ prouinciæ P. Lentulus, Ap. Claudius & M. Cicero præfuerunt. De Phrygia certum eſt ex Ciceronis epiſtolis, VIII libri III ad Appium: IV libri XV ad Catonem: & ad Atticum XX, & XXI lib. V, quibus Laodiceæ, Apameæ, Philomeli, Synnadorum, quæ Phrygiæ oppida ſunt, mentionem habet eiusmodi, vt ius ibidem dixiſſe, rationes excusſiſſe, & alia quæ ad ciuitatum illarum meliorem ſtatum faciant, egiſſe, cognoſcatur. Quid? quod etiam Peſſinunte, quem Gallogræciæ Strabo, Plinius, Ptolemæus tribuunt, idem ius videtur exercuiſſe. Lib. II enim epiſt. XII ad Cœlium ſcribit: *Diogenes tuus a me cum Philone Pesſinunte diſcesſit.* vbi Manutius: *Peſſinûs ad Ciceronis prouinciam pertinuit.*

VIII.

Nec dubia res de *Lycaonia*, cuius *Iconium* eſt, oppidum iisdem epiſtolis & eamdem ob iurisdictionis cauſſam ſæpius memoratum. Et dicto lib. V ad Attic. ep. XX *exercitum luſtraui apud Iconium.* Et Piſidis Ciceronem præfuiſſe ex lib. I de Diuinat. cap. I clarum eſt. *Cilicum,* inquit, *& Piſidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipſi, volatibus auium cantibusque, certisſimis ſignis, declarari res futuras putant.* Has vero regiones ciuili bello Aſiæ redditas fuiſſe, idem lib. XIII epiſt. LXVII clarisſime ſignificat. *Ex prouincia mea,* inquit, *Cilicienſi, cui ſcis* τρεῖς διοικήσεις *Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius vſus, quam Androne Laodicenſi.* Hunc vero commendat Seruilio, Aſiæ proprætori, ad cuius prouinciam hæ diœceſes reductæ erant, & in iis quoque vrbs nobiliſſima Laodicea. Dubitat quidem vir eminentiſſimus Henr. Noriſius de Piſidia, an Cicerone ſuperſtite ad Aſiam fuerit relata, eiusque loco mauult Pamphyliam intelligere; quod vero cauſſam dubitationis non attulit, & Pamphylia, ſaltim maxima eius pars vltra Taurum eſt, Aſia autem, Romana prouincia, cis montem; Piſidiam cum Sigonio in tribus illis diœceſibus vtique numerandam eſſe cenſemus.

IX.

Fines ergo prouinciæ Romanorum, quæ *Aſia* ſimpliciter dicebatur, erant ab occaſu mare Aegeum, ab ortu Galatia & Cappadocia: a ſeptemtrione Bithynia, a qua Rhyndacus fluuius diſterminabat. Plinius lib. v cap. XXXII *Rhyndacus oritur in ſtagno Artynia iuxta Miletopolim: recipit Maceſton & pleroſque alios, Aſiam Bithyniamque diſterminans.* Quidquid ergo citra flumen Rhyndacum eſt, huius eſt prouinciæ, quam *Aſiam* Romani adpellant. verbi cauſſa Cyzicus, Parium, Lampſacus, Ilium, cetera. Paullus lege VIII Dig. de Cenſibus: *In prouincia Aſia duæ ſunt iuris Italici, Troas & Parium.* De *Caria* non eſt dubium, quin fuerit in prouincia: *Lycia* autem tempore conſtitutæ prouinciæ Rhodiorum fuit, deinde libera, vt prædiximus: Piſidia, Lycaonia, itidem eiusdem prouinciæ erant: poſt Cilicienſi contributæ cum parte Phrygiæ; rurſus tandem reductæ ad Aſiam. Reliqua *Phrygia*, & *Lydia*, cum *Ionia* & *Aeolide* præcipuæ partes erant huius prouinciæ, quæ ad Galatiam vsque & Cappadociam ab ortu, & ſeptemtrione partim extendebatur.

X.

Conuentus iuridicos prouincia Aſia habuit plures, eorumque nouem Plinius lib. v cap. XXIX & XXX nominatim memorauit, quos eo ordine, quo ipſe recenſuit, (a mediterraneis autem initium fecit) repetemus. Primus *Cibyraticus* eſt, a Cibyra magna, vrbe in Phrygiæ, Cariæ, Piſidiæ confinio, ideoque variis tributa prouinciis, cognominatus: de quo ita ineunte cap. XXIX, *Prius terga & mediterraneas iurisdictiones indicaſſe conueniat. Vna adpellatur Cibyratica. Ipſum oppidum Phrygiæ eſt. Conueniunt eo* XXV *ciuitates celeberrima vrbe Laodicea.* Id videtur dicere, a Cibyra quidem nomen conuentum habere, & ibi olim conueniſſe populos: poſtea, manente adpellatione, mutatam ſedem iurisdictionis, translatamque in celebriorem vrbem & frequentiſſimum Mæandri emporium Laodiceam. Hanc interpretationem ipſe Cicero iuuat lib. v ad Attic. epiſt. XXI ſiue vltima. *Idibus*, inquit, *Februariis, quo die has litteras dedi, forum inſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum.* Nam & alii conuentus non ibi ſemper acti fuerunt, vnde denominati erant; ſed ex loco populi in alium, vt commodum prætori erat, euocari poterant. Sic quia Laodicea emporium erat, quo plures confluebant; Cicero ibidem non tantum Cibyraticum, ſed alia quoque fora egit. Poſtquam enim dixerat, *Idibus Februariis forum inſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum*, addit ſtatim: *& Apamenſe ex idibus Martiis: ibidem Synnadenſe, Pamphylium, Iſauricum.* Manutius quidem ad eiusdem libri epiſtolam I Laodiceæ ſingularem conuentum & proprium attribuit, diuerſum a Cibyratico, quem Cicero commoditatis cauſſa ex ſua ſede euocatum habuerit Laodiceæ: verum cum Plinio potius ſentimus, qui vnum facit vtriusque ciuitatis Cibyræ & Laodiceæ conuentum: nec alibi meminimus mentionem ſingularem Laodiceni fieri. De eodem Strabo lib. XIII extremo: ἐν ταῖς μεγίσταις ἐξετάζεται διοικήσεσι τῆς Ασίας ἡ Κιβυρατικὴ, *in maximis Aſiæ diœceſibus habetur Cibyratica:* cuius iurisdictioni Plinius etiam Hierapolitas attribuit, & alios.

XI.

XI.

Secundus ordine Plinii conuentus erat *Synnadenſis*, qui a Synnada vel Synnadis nomen accepit. Conuenerunt eo Lycaones, Appiani, Eucarpeni, Dorylæi, Midæi, Iulienſes, reliqui.

2. Tertius *Apamenſis*, ab Apamea Ciboto nominatus, quo Metropolitæ, Dionyſopolitæ, Acmonenſes, Pelteni, Silbiani conueniebant.

3. Quartus *Alabandenſis* Cariæ, de quo Plinius dicto loco: *Alabanda libera, quæ conuentum eum cognominauit.* Prætermiſſis propioribus populis, in longinquioribus Hydiſſenſes, Apolloniatas, Trapezopolitas, Aphrodiſienſes nominauit.

4. Quintus eſt *Sardianus* a vetere Lydorum metropoli adpellatus. Plinius ibidem: *Sardiana nunc adpellatur ea iurisdictio, conueniuntque in eam extra prædictos, Macedones, Cadueni, Philadelpheni, & ipſi in radice Tmoli Mæonii, Tripolitani,* reliqui.

XII.

Sextus *Smyrnæus* fuit, de quo Plinius cap. XIX extremo: *Smyrnæum conuentum magna pars Aeoliæ frequentat, præterque, Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes a Sipylo.*

2. Septimus erat *Epheſinus*, primo loco, niſi aliæ rationes fuiſſent Plinio, ponendus, quia *Epheſus* vrbs prima & præcipua fuit Romanis. Noſter ibidem: *Epheſum, alterum lumen Aſiæ, remotiores conueniunt Cæſarienſes, Metropolitæ, Cilbiani inferiores & ſuperiores, Myſomacedones, Maſtaurenſes, Briullitæ, Hypæpeni, Dioshieritæ.*

3. Octauus eſt *Adramyttenus*, de quo Plinius cap. XXX *In ora* [eſt] *quæ ſinum cognominauit & conuentum, Adramytteos, olim Pedaſus dicta.* Hæc eſt illa Helleſpontia διοίκησις ſiue iurisdictio, de qua Cicero lib. XIII epiſt. LIII ad Thermum proprætorem Aſiæ: *ſi quid* [Genucilius] *habebit cum aliquo Helleſpontio controuerſiæ, vt in illam διοίκησιν reiicias.* Sic etiam Sigonius lib. I cap. X de Iure Prouinciarum interpretatur.

4. Nonus *Pergamenus* eſt apud Plinium. *Pergamena,* inquit, *vocatur eius tractus iurisdictio. Ad eam conueniunt Thyatireni, Mygdones, Moſſyni,* reliqui: item *Hermocapelitæ, Apollonidienſes.*

XIII.

Hi ſunt nouem illi iuridici in Aſia conuentus, quorum ſparſim Plinius mentionem fecit. An plures aliquando fuerint, non omnino certum. Cicero pro Flacco cap. XXIX videtur *Trallibus* etiam ius idem eamdemque dignitatem tribuiſſe. *Negotiari,* inquit, *libet: cur non Pergami? Smyrnæ? Trallibus? vbi & multi ciues Romani ſunt, & ius a noſtro magiſtratu dicitur?* Plinius autem Trallenſes in Alabandenſem conuentum transſcripſit. Etiam de Lycaonia dubitaueris, de qua itidem Plinius lib. V cap. XXVII *Lycaonia in Aſiaticam iurisdictionem verſa, cum qua conueniunt Philomelienſes, Tymbriani, Leucolithi, Pelteni, Tyrienſes.* Si verſa fuit iurisdictio, ergo prius ad aliam, Cilicienſem puta, prouinciam pertinuit. Cicero ſane proconſul Ciliciæ Iconii decem dies moratus fuit, non modo vt exercitum ibi caſtra

habentem luſtraret, verum etiam vt ius diceret. nam lib. v epiſt. xx Attico ſcripſit: *idem Iconii decem diebus fecimus. nihil ea iurisdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius.* Mutari autem pro temporum ratione iurisdictiones poterant, & alio alioque, prout commodum erat præſidibus, aut ipſæ prouinciæ mutatæ fuerunt, quod de Aſia factum aliquoties; transferri, aut plures contrahi in vnam.

SECTIO II.

AMYNTAE REGNVM.

XIV.

Multa quoque in illa cis Taurum Aſia in *Amyntæ* gratiam ſunt immutata. Fuerat ille Deiotari Galatiæ tetrarchæ, poſt regis γραμματεὺς, *ſcriba*, id eſt ſcrinii magiſter, atque etiam ϛρατηγὸς, *dux militiæ*, qui Deiotari auxilia Philippenſi bello M. Bruto addixit, ab eo autem ad Antonium & Cæſarem tranſiit. Auctor Dio Caſſius lib. XLVII pag. 355. Ideo poſt Deiotari mortem Antonius illum Galatiæ principem conſtituit. Idem Dio lib. XLIX pag. 411 ὁ Ἀντώνιος δυναϛείας, Ἀμύντᾳ μὲν Γαλατίας, καίπερ γραμματεῖ τȣ̃ Δηϊοτάρȣ γενομένῳ, ἔδωκε, καὶ Λυκαονίας Παμφυλίας τέ τινα αὐτῷ προσθείς· Ἀρχελάῳ δὲ Καππαδοκίας, ἐκβαλὼν τὸν Ἀραράθην. *Antonius Amyntæ, Deiotari quondam ſcribæ, Galatiæ principatum dedit, Lycaoniæ Pamphyliæque partibus adiectis: Archelao autem Cappadociæ, expulſo Ariarathe.* Nec tantum *dynaſtam* conſtituit, & datam ei regionem δυναϛείαν dixit, ſed regium etiam nomen & regni dignitatem conceſſit. Appianus enim lib. v Ciuil. pag. 1135 Amyntam Πισιδῶν βασιλέα, *Piſidarum regem* ab Antonio tradit factum eſſe, quod quatuor ante annis, quam Galatiam eidem daret, factum eſſe, ex huius ſcriptoris & Dionis chronologia vir ſummus Henr. Noris Cenotaph. Piſ. pag. 209 exiſtimat conſtare. Vnde eſt, quod Velleius Paterculus lib. II cap. LXXXIV Actiaco bello ipſum *regem* vocat. *Rex Amyntas,* inquit, *meliora & vtiliora ſequutus, transmiſit* [ab Antonio] *ad Cæſarem*: & Strabo lib. XII pag. 392 τὴν Ἀμύντȣ βασιλείαν, *Amyntæ regnum* aperte dixit.

XV.

Grata illa defectio Auguſto Cæſari fuit, nec ſolum firmauit Amyntæ regnum, ab Antonio acceptum, ſed auxit etiam adiecta Cilicia Aſpera, quam Antonius Cleopatræ donauerat. Strabo lib. XIV pag. 461 Ἀρχέλαος λαβὼν τὴν Τραχιῶτιν Κιλικίαν ὅλην πλὴν Σελευκείας· καθ' ὃν τρόπον καὶ ὁ Ἀμύντας πρότερον εἶχε, καὶ ἔτι πρότερον Κλεοπάτρα, *Archelaus accepit Aſperam Ciliciam totam: quemadmodum ante ipſum Amyntas habuerat, & ante hunc Cleopatra.* Non eſt dubium, quin eodem Auguſti beneficio etiam Iſauriam Amyntas, huic Ciliciæ connexam acceperit. nam & hæc pars eius regni fuit. Strabo itidem lib. XII pag. 391 ἐφ' ἡμῶν καὶ τὰ Ἴσαυρα καὶ τὴν Δέρβην Ἀμύντας εἶχεν, ἐπιθέμενος τῷ Δερβήτῃ, καὶ ἀνελὼν αὐτόν· τὰ δ' Ἴσαυρα παρὰ τῶν Ῥωμαίων ἑλών· *mea ætate & Iſaura & Derben Amyntas tenet, qui* [Antipatrum] *Derbetem inſidiis interfecit: Iſaura autem ab Romanis accepit.* Adiecit multa ipſe in Tauro

Tauro, exſcindens tyrannos, ipſorumque occupans caſtella. Strabo ibidem πολλὰ χωρία ἐξεῖλεν ἀπόρθητα πρότερον, ὧν καὶ Κρῆμνα, *multa caſtella cepit, numquam ante expugnata.* Quibus expeditionibus tandem vitam amiſit, quum aduerſus Homonadenſes bellum gereret, non tam hoſtium virtute, quam dolo vxoris tyranni Homonadenſium, quem occiderat, & captus & interfectus. Hæc Strabone auctore, lib. XII pag. 392.

XVI.

Ex quibus amplitudo nunc regni Amyntæ intelligitur, quod complexum fuit omnem Gallogræciam, omnemque Piſidiam & Lycaoniam cum partibus Pamphyliæ, forte iis quæ cis Taurum erant: nec non Iſauriam & totam Ciliciam Tracheam, cum multis aliis in Tauro oppidis & caſtellis, quæ tyrannis, qui tenebant, victis captisque, ſua fecerat pacis publicæ cauſſa, quam tyranni illi, plerique prædones, ſaltem finitima infeſtantes, nimiopere interturbarant.

XVII.

Non diu ſtetit hoc regnum, ſed vt cœpit in Amynta Antonii liberalitate; ita cum eodem etiam deſiit, quum duraſſet annos vndecim. Dio Casſius, qui per conſules omnia accurate ſignauit, initium ponit L. Gellio & M. Cocceio Nerua conſulibus, id eſt anno vrbis IↃCCXVII; cuius verba ex lib. XLIX ſupra protulimus: finem, Auguſto IX & M. Silano conſulibus, hoc eſt anno IↃCCXXVIII. Sic enim prodit lib. LIII pag. 514 τοῦ δ᾽ Ἀμύντου τελευτήσαντος, οὐ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἐπέτρεψεν, ἀλλ᾽ ἐς τὴν ὑπήκοον ἐσήγαγε. καὶ οὕτω καὶ ἡ Γαλατία μετὰ τῆς Λυκαονίας Ῥωμαῖον ἄρχοντα ἔσχε· τά τε χωρία τὰ ἐκ τῆς Παμφυλίας, πρότερον τῷ Ἀμύντᾳ προσνεμηθέντα, τῷ ἰδίῳ νομῷ ἀπεδόθη. *Amynta mortuo, regnum* [Auguſtus] *filiis eius non tradidit, ſed prouinciam populi Romani fecit: atque exinde Gallogræcia cum Lycaonia Romanum habere præſidem cœpit: oppida Pamphyliæ, quæ prius ſub Amynta fuerant, libertati ſunt reſtituta.* Cilicia Trachea, & forſan etiam Iſauria, quod ſupra ex Strabonis libro XIV expoſuimus, Archelao Cappadoci adiecta fuit. Quid vero de Piſidia factum? Et hanc cum Lycaonia prouinciæ formam accepiſſe, vnamque prouinciam cum Galatia factam eſſe, non obſcure Strabo vrbis inter Piſidicas in primis claræ, Sagalaſſi, exemplo ſignificauit ſæpe dicto libro XII pag. 392. Σαγαλασσός, inquit, ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἡγεμόνι τῶν Ῥωμαίων, ὑφ᾽ ᾧ καὶ ἡ Ἀμύντου βασιλεία πᾶσα, *Sagalaſſus ſub eo Romanorum eſt præfecto, qui Amyntæ regnum gubernat vniuerſum.* Et poſt paullo pag. 393 de Selgenſibus itidem nobili Piſidarum ciuitate, quæ diu libertatem ſuam defenderat: νῦν δὲ ὑπήκοοι τελέως γεγόνασι, καὶ εἰσὶν ἐν τῇ ὑπὸ Ἀμύντᾳ τεταγμένῃ πρότερον, *nunc plane ſunt ſubiecti* [Romanis] *cenſenturque in prouincia, quæ Amyntæ ante paruerat.*

XVIII.

Sic noua prouincia ex Galatia & adiectis regionibus facta, primusque eam M. Lollius pro prætore adminiſtrauit, quod Eutropius lib. VII cap. V obſeruat. Poſteriores principes pro lubitu partes alias adiecerunt. Tacitus lib. II Hiſtor. cap. IX *Galatiam ac Pamphyliam prouincias Calpurnio*

Aſpre-

Aſprenati regendas Galba permiſerat. A prætoribus fuit recta tam ex Auguſti inſtitutione, vti ex Eutropii verbis, *pro prætore*, vidimus, quam poſteriori æuo. Gruterus Inſcript. auctario pag. 1013 num. 4

HERCVLI
PACIFERO
ET MVSIS
L. FAB. VALERIANVS
PR. PR. PROV. GALA....

XIX.

Antequam ex Romana Aſia decedamus, de *Via*, quæ per illam in orientem tendit, aliquid adiicere viſum eſt, quam etſi nec priores populi ignorarunt, tamen ſub Romanis trita magis & patentior fuit, poſtquam omnes regiones, per quas fertur, prouinciæ Romanæ factæ ſunt, vel ſub amicis partim regibus erant, vel partim liberæ in clientela Romanorum. Strabo illud *iter ab Epheſo ad Euphratem* vsque de induſtria, adiectis diſtantiarum notis, deſcripſit lib. XIV pag. 456, ita exorſus : ἐπεὶ δὲ κοινή τις ὁδὸς τέτριπται ἅπασι τοῖς ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς ὁδοπορῦσιν ἐξ Ἐφέσυ, καὶ ταύτη μεν ἔπεσιν. *Quoniam vero communis quædam via trita eſt omnibus, qui ex Epheſo orientem verſus iter faciunt: & hæc iam ſuccedit.* Ipſa vero enarratio talis eſt: [Ab Epheſo] *ad Carura, qui Cariæ & Phrygiæ limes eſt per Magneſiam, Tralles, Nyſam, Antiocheam via eſt* IↃCCXL *ſtadiorum. Hinc Phrygia eſt: ibi per Laodiceam, Apameam, Metropolin, & Chelidonios, ad initium montani tractus, quo Holmi ſunt, ſtadia ſunt* IↃCCCCXX *ex Caruris. Ad Tyriarium vero, qui eſt limes montanorum ad Lycaoniam, per Philomelium, plures quingentis. Deinde Lycaonia eſt vsque ad Coropaſſum per Laodiceam Combuſtam* IↃCCCXL. *A Coropaſſo Lycaoniæ vsque ad Garſaura, oppidulum Cappadociæ, in ipſis eius finibus poſitum,* CXX. *Hinc ad Mazaca, primariam Cappadociæ vrbem, per Soandum & Sadacora* IↃCLXXX. *Hinc ad Euphratem & Tomiſum Sophenæ pagum per Herphenſe oppidulum ſtadia* CIↃCCCCXL.

2. Alia itinera per Aſiam habes Antonini Itinerario, a Conſtantinopoli Antiochiam Syriæ: a Callipoli Thraciæ ad Phrygiæ Laodiceam : & plura per Cappadociam inſtituta, ab Ancyra vel Tauia: nullum vero illorum ab Epheſo, metropoli Romanorum, per mediam ducit Aſiam, & ad Euphratem vsque, quemadmodum Strabonis illud, ab Romanis, maxime ſub Cæſaribus, tritum ac frequentatum fuit.

CAPVT VI

DE

PAMPHYLIA ET CILICIA.

HActenus in Aſia cis Taurum verſati fuimus : nunc transſcendendus Taurus, & reliquæ partes magnæ illius peninſulæ perluſtrandæ ſunt, in quibus primum occurrit *Pamphylia*, in qua Taurus incipit altiſſime adſur-

adſurgere, vt in controuerſiam venerit inter Antiochi legatos & Eumenem, cuinam in diuiſione Aſiæ, Romanorum auctoritate & belli iure facta, cedere debeat, *quia pars eius citra, pars vltra Taurum eſt:* quod Liuius refert lib. XXXVIII cap. XXXIX. Sed vtique maior pars trans montem eſt, idcirco iis regionibus, quæ extra Taurum ſunt, adſcribenda. Hanc excipiunt Iſauria, Cilicia vtraque, Cappadocia, & regiones Ponticæ. Sit ergo nobis prima

SECTIO I.

PAMPHYLIA.

II.

Pamphylia, Græca littera, an *Pamphilia* ſcribendum ſit, principio diſputari poteſt. Ciceronis caſtigatiores libri, a Grutero & Gronouio editi plerisque locis, quibus hoc nomen occurrit, I ſimplici *Pamphilia* & *Pamphilius* ſcriptum referunt, pro lege Manil. cap. XII; de Diuinat. lib. I cap. I, ad Attic. lib. V cap. XXI: in ſola Lentuli ad ſenatum lib. XII Epiſt. XV relictum eſt *in Pamphyliam.* Adprobatur antiquis inſcriptionibus Gruteri pag. 458 num. 6, & pag. 491 num. 12, quibus eſt LYCIAE PAMPHILIAE. Et Hierocles Diſpoſitione imperii, Επαρχία Παμφιλίας, ſi editum recte, elemento ſimplici expreſſit. Contra omnes alii, Græci Latinique, per Y ſcripſerunt Παμφυλία, Πάμφυλοι, *Pamphylia, Pamphylii,* Herodotus, Scylax, Polybius, Dionyſius Characenus, Strabo, Ptolemæus, & S. Lucas in Apoſtolorum Actis, Stephanus Byzantius, Euſtathius, Arrianus, Socrates, Notitia Eccleſiæ, aliique eccleſiaſtici: e Latinis Liuius, Mela, Plinius, Tacitus, ceteri. Stephani etiam deriuatio conſentit, ἀπὸ Παμφύλης, *a Pamphyle,* Rhacii & Mantûs filia, quod Euſtathius in Dionyſium verſ. 854 repetiit, addens & aliam rationem, ἢ ἀπὸ Παμφύλου τινὸς, *aut a Pamphylo quodam:* forſan illo, cuius meminit Lycophron verſ. 442. Vtrumque a φυλὴ vel φῦλος *tribus* eſt, quod etiam accentus in deriuato nomine confirmat. Lucanus lib. VIII v. 149

- - - - *Pamphylia puppi*
Occurrit tellus.

Hierocles ſcripturæ ſcatet vitiis: an Cicero ita ſcripſerit, incertum eſt, quia alii libri diſſentiunt, neque laudati vbique ſibi conſonant. Inſcriptionibus lapidum aliam ex pag. 402 num. 4 eiusdem operis LYCIAM PAMFYL. CILIC. & nummos certiores opponimus, Caii Cæſaris, inſcriptum ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ ΚΟΙΝΟΝ: & alium Gallieni, ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ ΣΙΔΗΤΩΝ, *Pamphyliorum Sidenſium:* & Hadriani, in quo eſt ADVENTVI AVG. PAMPHYLIAE. Sic Harduinus ex Occone: at Mediobarbi editione pag. 176 eſt PAMPHILIAE. Græcus autem nummus eſt ex theſauro Golzii: alter gazæ Gallorum regiæ, docente τῷ πάνυ Spanhemio pag. 897.

III.

Incolentes Græcis Πάμφυλοι dicti & Παμφύλιοι; & Latinis *Pamphyli* ac *Pamphylii.* Herodotus lib. I cap. XXVIII & lib. III cap. XC Πάμφυλοι; & Dionyſius verſ. 849

Ενθα βαθυκρήμνοιο φαίνεται ὄρεα Ταύρȣ
Παμφύλων καὶ μέχρι,

Ibi viſuntur Tauri, alta præcipitia habentis, montes, vsque ad Pamphylos. At Euſtathius in verſ. 459 eiusdem Dionyſii, & Stephanus gentile formant Παμφύλιοι, *Pamphylii.* Rurſus Euſtathius ad verſ. 118 Παμφύλιος κόλπος λέγεται ἀπὸ τȣ̃ τῶν Παμφύλων ἔθνȣς, *Pamphylius ſinus a Pamphylorum gente nominatur.* Liuius lib. XXXVII cap. XL *Piſidæ erant & Pamphylii & Lycii.* Idem vero lib. XLIV cap. XIV *Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream in curiam intulerunt.* Sic Gryphius, Gruterus, Gronouius ediderunt. Fœmineum gentile eſt Παμφυλὶς, *Pamphylis.* Dionyſius verſ. 454

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες,
Aliæ vero deinceps Pamphylides ſunt vrbes.

Stephanus diſputat de accentu, & πάμφυλις, Παμφύλιδες, propter υ longum, vult legendum eſſe.

IV.

Limes Pamphyliæ non idem eſt omnibus. Pomponius etiam Phaſelidem, quam ſupra in Lycia extremam ſcripſimus, Pamphyliæ adſignat. Lib. I cap. XIV *Phaſelis,* inquit, *a Mopſo condita, finis Pamphyliæ.* Sequutus hunc Plinius lib. V cap. XXVII in Pamphyliæ deſcriptione: *vltima eius oræ Phaſelis.* Et Stephanus, Φασηλὶς πόλις Παμφυλίας, *Phaſelis vrbs Pamphyliæ.* At Scylax, Strabo, Ptolemæus Phaſelin in Lycia ſcripſerunt, quos ſupra imitati ſumus. Immo Olbiam, quæ vltra Phaſelidem ſita eſt, Scylax attribuit Lyciæ, nec non Pergam in mediterraneis, quas vero Pamphyliæ cum Strabone reddemus. Hierocles Coraceſium, Ciliciæ ademtum, in Pamphylia locavit: & aliæ Notitiæ mutarunt non nulla, quæ vero, quod transſcendunt terminum antiquæ geographiæ, minus a nobis hoc loca attendenda ſunt. Strabonem ergo, qui lib. XIV accurate Pamphyliam, præſertim in ora, deſcripſit, preſſe in hac enarratione ſequemur.

V.

Sic autem incipit pag. 459: Μετὰ Φασηλίδα δ' ἐςὶν ἡ Ὀλβία τῆς Παμφυλίας ἀρχὴ, μέγα ἔρυμα, καὶ μετὰ ταύτην ὁ Καταῤῥάκτης λεγόμενος ἀφ' ὑψηλῆς πέτρας καταῤῥάττων ποταμὸς πολὺς, καὶ χειμαῤῥώδης, ὥςε πόῤῥωθεν ἀκȣ́εσθαι τὸν ψόφον. *Poſt Phaſelidem Olbia eſt, Pamphyliæ initium, magnum munimentum: & poſt eam Catarractes fluuius, ſic dictus, quia copioſus de excelſo ſaxo ſe proruit torrentis in morem, eiusque decidentis fragor longe auditur.* Plinius prædicto loco: *Catarractes, iuxta quem Lyrneſſus & Olbia, vltimaque eius oræ Phaſelis.* Et Ptolemæus lib. V cap. V Μετὰ τὴν Φασηλίδα, πόλιν Λυκίας, Παμφυλίας παράλια, Ὀλβία, Ἀττάλεια, cetera. *Poſt Phaſelidem, Lyciæ vrbem, Pamphyliæ ſunt maritima, Olbia, Attalea,* reliqua. Plura de Olbia non habemus, niſi quod Scylax in Lycia, cuius fines prorogauit, etiam Ὀλβίαν, *Olbiam,* memorauit.

VI.

Poſt Olbiam Ptolemæus *Attaleam* ponit; deinde *Catarracti* fluminis oſtia: Strabo autem, quem, tamquam Aſiæ huius peritiorem ſequimur, *Catarra-*

tarracten fluuium ante Attaleam habet, ſiue Olbiæ & Attaleæ interponit. Cur autem *Catarractes*, Καταῤῥάκτης vocetur, idem, vt modo prolatis verbis eius conſtat, exponit, quod inſtar torrentis de prærupto ſe ſaxo, magno cum fragore, præcipitet. Idem Pomponius Mela lib. I cap. XIV, ab ortu in occaſum in Pamphylia procedens, ſignificat. *Deinde*, inquit, *alii duo validisſimi fluuii, Ceſtros & Cataractes. Ceſtros nauigari facilis: hic, quia ſe præcipitat, ita dictus.* Ptolemæi interpres caſum aliter, *Catarractus*, ſecunda forma, fecit, ſed errabundus. Græce ſunt Καταῤῥάκτȣ ποταμȣ̃ ἐκϐολαὶ, quod putauit a Καταῤῥάκτος eſſe, quum a recto Καταῤῥάκτης ſit, vt ipſe Ptolemæus lib. IV cap. V & VII in Nilo καταῤῥάκτην τὸν μικρὸν, & καταῤῥάκτην τὸν μέγαν aut μείζονα, *Catarracten paruum, magnum, maiorem* quarto caſu ſcripſit. Et ſic quoque Straboni caſus exit: & Plinio *Catarractes*: & Suidæ pluratiuo numero καταῤῥάκται, *catarractæ*, de præcipitato Danubio. In Melæ libris, a Schotto, Voſſio, Gronouio recenſitis, hic Pamphyliæ fluvius ſimplici R, *Cataractes* ſcriptus eſt, quam litteram duplicant ceteri omnes.

VII.

Tum ſequitur *Attalia* ex Strabonis diſpoſitione, quam vtique veriorem altera Ptolemæi eſſe cenſemus. Sed coniecturam quamdam interiicit. Φασὶ, inquit, ἐν τῷ μεταξὺ Φασήλιδος καὶ Ἀτταλίας δείκνυσθαι Θήϐην τε καὶ Λυῤνησσόν, *Aiunt, inter Phaſelidem & Attaliam oſtendi Thebam ac Lyrneſſum*, quas profugi ex eiusdem nominis vrbibus, in agro quondam Troiano ſitis, condiderint, quas male Curtius lib. III cap. IV cum Periegeta ad Ciliciam transfert. Vide quæ ibi ad Curtium adnotauimus. Strabo Calliſthenem auctorem habet: ipſe vero in medio, vt dubiam incertamque rem, relinquit, quod pridem & hæ vrbes euerſæ erant, & tantummodo ex ruderibus obſcuris de ſede coniiciendum. Plinius tamen, *Catarractes, iuxta quem Lyrneſſus & Olbia, vltimaque eius oræ Phaſelis.*

2. Nunc ad *Attaliam*, a qua digreſſi ſumus, reuertimur. Strabo: εἶτα πόλις Ἀτταλία, ἐπώνυμος τȣ̃ κτίσαντος Φιλαδέλφȣ, *Deinde* [poſt Catarracten] *oppidum eſt Attalia, nomen habens a Philadelpho conditore.* Ptolemæo eſt Ἀττάλεια, *Attalea*, diphthongo: quemadmodum & Stephano eiusdem Philadelphi opus in Lydia, dictum eſt Ἀττάλεια, itidem diphthongo. Et diuinus Lucas Act. XIV, 25 noſtram quoque Ἀττάλειαν cum diphthongo ſcripſit. *Venerunt*, inquit, *Pamphyliam, & loquuti verbum Pergæ*, κατέϐησαν εἰς Ἀττάλειαν· κἀκεῖθεν ἀνέπλευσαν εἰς Ἀντιόχειαν, *deſcenderunt Attaleam: inde nauigarunt Antiochiam.* Hæc noſtra *Attalea* eſt, quia in Pamphylia, infra Pergam, in maritima ora, vnde nauigatio eſt. Exſtant nummi, ſub Auguſto, Tiberio, Commodo cuſi, cum inſcriptione ΑΤΤΑΛΕΩΝ: non autem clarum eſt, ad quam Attaleam pertineant, quamuis ad Lydiam referat Harduinus.

VIII.

Inter Catarracten & Ceſtrum poſuit Ptolemæus Μάγυδον, *Magydum* (ſic ſcriptum in Palatino) quod nomen vulgato Μάτυλος, *Matylus*, eſt præferen-

ferendum, quia in Hieroclis Notitia etiam in Pamphylia eſt *Μάγυδος*, *Magydus*, proxima a metropoli.

IX.

Deinde ὁ Κέϛρος, *Ceſtrus* fluuius Straboni & Ptolemæo eſt, Pomponio etiam verbis ſupra datis memoratus. * Ex oſtiis eius per LX ſtadia retro nauigatur Pergam, quam adluit, nobilem Pamphyliæ ciuitatem, de qua in mediterraneis dicturi ſumus. Straboni dicto libro p. 459 *εἶθ' ὁ Κέϛρος ποταμὸς, ὃν ἀναπλεύσαντι ϛαδίȣς ἑξήκοντα, Πέργη πόλις*, *Deinceps eſt Ceſtrus fluuius, quo adverſo ad ſexaginta ſtadia nauigatur Pergam.*

X.

Ptolemæus inter Ceſtrum & Eurymedontem fluuios nihil interpoſuit: Strabo autem *ἐπὶ τῆς θαλάττης*, *ſupra mare* ad quadraginta ſtadia a Ceſtro habet *πόλιν ὑψηλὴν, ὡς τοῖς ἐκ Πέργης ἔποπτον· εἶτα λίμνην εὐμεγέθη Καπρίαν*, *oppidum in arduo loco ſitum & Pergæ conſpicuum: poſt quod magnus lacus Capria.* Non nominauit oppidum, niſi commune ei nomen cum lacu fuit.

XI.

Tum demum *Eurymedontem* fluuium ponit, quo in Aſpendum vrbem a mari nauigari poſſit. ὁ Εὐρυμέδων Græce dicitur, *Eurymedon*, correpta media, ſiue penultima. Nobiliſſimus amnis, laudatus a pluribus. Ad hunc enim Cimon Athenienſis gemino prœlio, nauali & terreſtri, Perſarum copias deleuit. Thucydides lib. I pag. 66 *ἐγένετο μετὰ ταῦτα καὶ ἡ ἐπὶ Εὐρυμέδοντι ποταμῷ ἐν Παμφυλίᾳ πεζομαχία καὶ ναυμαχία Ἀθηναίων καὶ τῶν ξυμμάχων πρὸς Μήδȣς, καὶ ἐνίκων τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἀμφότερα Ἀθηναῖοι, Κίμωνος τȣ̃ Μιλτιάδȣ ϛρατηγȣ̃ντος.* *Poſt hoc Athenienſes ſociique cum Medis prœlium tam pedeſtre quam nauale commiſerunt, ad flumen Eurymedontem in Pamphylia: in vtroque & eodem die vicerunt, duce Cimone, filio Miltiadis.* Nauale præceſſit in Pamphylio mari, Cyprum verſus; vnde etiam *ad Cyprum* dicitur commiſſum: terreſtre inſequenti nocte ad Eurymedontem. Diodorus Siculus lib. XI cap. LX & LXI diſtincte deſcripſit, & Plutarchus in Cimone pag. 486. Laudat etiam Frontinus lib IV extremo. *Cimon, inquit, dux Athenienſium, victa claſſe Perſarum apud inſulam Cypron, milites ſuos captiuis armis induit, & iisdem barbarorum nauibus ad hoſtem nauigauit in Pamphyliam apud flumen Eurymedonta. Perſæ, quia nauigia & habitum ſuperſtantium agnoſcerent, nihil cauerunt: ſubito itaque oppreſſi, eodem die & nauali & pedeſtri prœlio victi ſunt.* Liuius etiam aliquoties huius amnis meminit. Lib. XXXIII cap. XLI *paulliſper ſeditione remigum eſt retentus in Pamphylia circa Eurymedontem amnem.* Et lib. XXXVII cap. XXIII *ad Eurymedontem amnem adpulſa claſſe.*

XII.

Ab Eurymedonte Ptolemæus ad *Sidam* venit, quam vltimam facit Pamphy-

* Nicander Alexiph. v. 401 p. 89.

τήν τε κίλισσαι
Πρηόνες ἀλδαίνȣσι περὶ Πλημμυρίδα Κέϛρȣ.

Addit Scholiaſtes: Κέϛρȣ, ποταμȣ̃ Παμφιλίας ἢ Κιλικίας.

Pamphyliæ litoralis: Strabo autem flumen interponit, non autem nominat, obſcurum forte. εἶτ᾽ ἄλλος ποταμὸς, καὶ νησία προκείμενα πολλά. *Deinde*, inquit *amnis alius, ante quem multæ paruæ inſulæ iacent.* Tum *Siden* ſiue *Sidam* ponit. εἶτα Σίδη, Κυμαίων ἄποικος· ἔχει δ᾽ Ἀθηνᾶς ἱερὸν, *Dein Side*, inquit Strabo, *Cumæorum colonia, habens Mineruæ templum.* Idem de colonia Scylax in Pamphylia: Σίδη, Κυμαίων ἀποικία, καὶ λιμὴν, *Side, Cumæorum colonia, & portus.* Portum etiam ex Ciceronis lib. III epiſt. VI ad Appium cognoſcere licet. *Quum*, inquit, *ille* [Phanias] *mihi reſpondiſſet, nihil me tibi gratius facere poſſe, quam ſi ad Sidam nauigaſſem.* Liuius quoque eius vrbis mentionem habet dicto lib. XXXVII cap. XXIII *ad Eurymedontem amnem adpulſa claſſe, audiunt ab Aſpendiis ad Sidam iam hoſtes eſſe.* In Notitia Eccleſiæ diuiſa Pamphylia eſt, & alterius partis *Side* facta metropolis; alterius *Perga.* Gentile Polybius format Σιδίτης, lib. V cap. LXXIII, Stephanus autem Σιδήτης, *Sidetes*: atque ita in nummis eſt, qui præferunt, Gallieni quidem, CIΔHTΩN ΠΡΩΤΑ ΠΑΜΦΥΛΩΝ, *Sidetarum, prima Pamphylorum:* Gordiani vero, CIΔHTΩN ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, quo fœdus cum Pergenſibus ſignificatur: & alio Gallieni, CIΔHTΩN ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC ΕΝΔΟΞΟΥ, *Sidetum ſplendidiſſimæ, illuſtris,* quod ſplendorem huius ciuitatis oſtendit. Sic legit illuſtris Spanhemius pag. 879; Harduinus autem ΕΝΔΟΞΩΝ, & ad ſequens ΝΕΟΚΟΡΩΝ refert. Et Tranquillinæ, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC CIΔHTΩN, quo ἀγών, Harduino interprete, intelligitur.

XIII.

Poſt Sidam finis Ptolemæo eſt Pamphyliæ: Straboni præfluit *Melas* amnis, & oppidum interiectum *Ptolemais.* Tum finis eſt Pamphyliæ, & Coraceſium ſuccedit initium Ciliciæ Aſperæ. Verba eius ſunt: εἶθ᾽ ὁ Μέλας ποταμὸς καὶ ὕφορμος· εἶτα Πτολεμαῒς πόλις· καὶ μετὰ ταῦθ᾽ οἱ ὅροι τῆς Παμφυλίας, *deinde Melas amnis & ſtatio: deinde oppidum Ptolemais: & poſtea termini ſunt Pamphyliæ.* Prope Sidam decurrit, vltra tamen eam, qua ſolis ortum illa ſpectat, natura frigidiſſimus. Pauſanias Arcad. cap. XXVIII ψυχρὸν μὲν δὴ ὕδωρ τοῦ Κύδνου τοῦ διεξιόντος Ταρσέως, καὶ Μέλανος τοῦ παρὰ Σίδην τὴν Παμφύλων, *frigida aqua Cydni eſt, qui Tarſenſium fines perlabitur: & Melanis, qui præter Sidam Pamphylorum decurrit.* Et Zoſimus lib. V cap. XVI συνέκλεισαν ἅμα τοῖς συμφυγοῦσι τριακοσίοις ἐν μέσῳ τοῦ Μέλανος ποταμοῦ καὶ τοῦ Εὐρυμέδοντος, ὧν ὁ μὲν ἐπέκεινα διαβαίνει τῆς Σίδης· ὁ δὲ διαρρεῖ τῇ Ἀσπένδῳ, *eum cum trecentis illis fugæ ſociis intra Melanem & Eurymedontem amnes concluſerunt, quorum alter ſupra Sidam labitur, alter Aſpendum interfluit.* Quam vero vrbem *Ptolemaidem* in hoc limite Strabo poſuit, ea nobis aliunde non eſt cognita aut perſpecta.

XIV.

Antequam ex litore recedamus, de Plinii promontorio *Leucolla* aliquid addendum eſt. *Oppida*, inquit, *eius* [Pamphyliæ] *Side, & in monte Aſpendum, Perga: promontorium Leucolla.* Salmaſius in Solinum pag. 178 *Alibi Plinio Leucolla promontorium in Pamphylia, qui poteſt eſſe portus Strabonis.* At Strabo ſub finem libri XIV in inſula Cypro: ἄλλος λιμὴν Λεύκολλα,

alius portus [Cypri] *Leucolla eſt.* Quoniam ergo & loco & ſpecie Leucolla Strabonis a Pliniana differt, illa in Pamphylia & promontorium; hæc in Cypro & portus dicitur; vtique diuerſæ ſunt cenſendæ, licet ſitum Plinii promontorio non poſſimus dare, quem nec ipſe definit, neque eius mentionem Ptolemæus habet, aut alius.

XV.

Mediterraneæ vrbes Ptolemæo in Pamphylia ſunt tres, *Perga, Siluon, Aſpendus.* Strabo addit Petleniſſum & Cibyram minorem. Harum tamen Perga & Aſpendus ſunt nobiliſſimæ. *Perga,* πέργη, * ad Ceſtrum flumen ſita, ſexaginta ſtadiis a mari, vnde ſubuehi in vrbem aduerſo amne poteſt, vt ſupra ex Strabone demonſtratum fuit. S. Lucas Act. XIII, 13 ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας, *Pergam Pamphyliæ vrbem venerunt.* Adde cap. XIV, 25. Fuit in dextra Ceſtri ripa, quod ex Melæ verbis adparet lib. I cap. XIV. *Duo,* inquit, *validiſſimi fluuii, Ceſtros & Catarac̄tes. - - - Inter eos Perga eſt oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum.* Si inter dictos eſt fluuios, non poteſt non a dextra ripa Ceſtri eſſe, ſpectareque ſiniſtram Catarractis. De *Diana Pergæa* nummus exſtat, in quo Dianæ imagini adſcriptum eſt ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΑΣ. Templum illud non in vrbe fuit, ſed extra eam in vicino monte. Strabo: Πέργη πόλις, καὶ πλησίον ἐπὶ μετεώρου τόπου τὸ τῆς Περγαίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ἐν ᾧ πανήγυρις κατ' ἔτος συντελεῖται, *Vrbs Perga, & prope illam in editiore loco Dianæ Pergææ templum, ad quod ſingulis annis ſacer eſt conuentus.* Liuius lib. XXXVIII cap. XXXVII de Manlio conſule: *tertiis ab Apamea caſtris in Pamphyliam peruenit. - - - Inde ad Pergam ducit, quæ vna in iis locis regio tenebatur præſidio. - - - - A Perga L. Manlio fratre cum* IV M *militum Oenoanda miſſo, ipſe - - - Apameam exercitum reduxit.* In Notitiis metropolis eſt Perga. Gentile *Pergæus.* Supra in *Side* nummum propoſuimus cum epigraphe, ΣΙΔΗΤΩΝ ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Sidetum & Pergæorum concordia.*

XVI.

Altera vrbs clara *Aſpendus* eſt, Ἄσπενδος Græce, ad Eurymedontem amnem ſita, in quam aduerſo flumine ſexaginta ſtadiis, vt Strabo obſeruauit, ex mari nauigatur: &, vt idem notat, πόλις εὐανδροῦσα ἱκανῶς, Ἀργείων κτίσμα, *vrbs valde populoſa, condita ab Argiuis:* quod propius vero eſt, quam Stephani opinio, auctorem quemdam Aſpendi nomine habuiſſe. Pars maior eius in rupe prærupta poſita erat. Arrianus lib. I Expedit. Alexandri pag. 74 ᾤκισται τῆς Ἀσπένδου τὰ μὲν πολλὰ ἐπὶ ἄκρᾳ ὀχυρᾷ καὶ ἀποτόμῳ· καὶ παρ' αὐτὴν τὴν ἄκραν ὁ Εὐρυμέδων ποταμὸς ῥεῖ, *ſita eſt Aſpendus magna ex parte in aſpera præruptaque rupe, quam Eurymedon fluuius adluit.* Quod ſi in tumulo aut rupe fuit, quomodo διαῤῥεῖ *perfluit* Aſpendum Eurymedon, vt Zoſimus loco paullo ante notato dixit? Sed nec totam vrbem Arrianus in colle ponit, verum τὰ πολλὰ, *maiorem eius partem,* vt nihilominus partem alteram, quæ depreſſo loco fuit, potuerit flumen intermeare. Gentile Ἀσπέν-

* Pergæ Itini ſpiſſamentum optimum fiebat. Dioſcorides lib. I. c. 67.

Ἀσπένδιοι, *Aſpendii* apud Polybiun lib. v. cap. LXXIII, & in nummo Treboniani Galli ΑϹΠΕΝΔΙΩΝ, *Aſpendiorum:* in quo luctatores inſculpti ſunt, ex ciuitatis illius more, quem Pollux etiam lib. IX cap. VI memorauit. Quum enim enarret, quid quiuis populus inſculptum ſuis nummis curarit, poſt alios dicit Ἀσπένδιοι παλαιςὰς, *Aſpendii luctatores.*

XVII.

Tertium oppidum Ptolemæi eſt Σίλλου, *Siluum*, cuius incertiores rationes ſunt. Sunt, qui putent eſſe Stephani Σύλλειον, *Syleum,* quod ille quidem πόλιν Φρυγίας, *oppidum Phrygiæ* dicit, addit vero, τινὲς δὲ Παμφυλίας, *quidam vero Pamphyliæ* dicunt eſſe. At *Sylêum* illud Polybius Legat. XXX, & Liuius lib. XXXVIII c. XIV ita deſcribunt, vt omnino in Phrygiam auſtralem magis, quam in Pamphyliam videatur cadere. Moageti enim tyranno aiunt tria oppida ſubiecta fuiſſe, *Cibyram, Syleum, Alimnen,* ſiue vt Polybius ſcripſit, *Alindam.*

XVIII.

Strabonis *Cibyra parua* ſeu *minor* a Ptolemæo ſcribitur in Cilicia Aſpera: Strabo autem pag. 459 in Pamphylia dicit, illius agrum inter Siden & Melam flumen (hæc autem Pamphyliæ ſunt) ad mare vsque procurrere. Poſt *Siden* enim ait: πλησίον δ' ἐςὶ καὶ ἡ Κιβυρατῶν παραλία τῶν μικρῶν· εἶθ' ὁ Μέλας ποταμὸς, *prope* [Siden] *eſt etiam Cibyratarum minorum litoralis ora: deinde fluuius Melas.* Haud dubie ergo ipſum oppidum quoque mediterraneum, *Cibyra minor,* citra Melam amnem, atque ita in Pamphylia fuit, prope tamen Tracheam, ſiue in finibus eiusdem.

XIX.

Deinde Strabo etiam in Pamphylia memorat *Petneliſſum,* quam in Piſidia Ptolemæus ſcripſit: quod argumento eſt, in confinio vtriusque fuiſſe. Strabo, poſtquam de Aſpendo egerat, ſubdit: ὑπέρκειται ταύτης Πετνηλισσὸς, *ſupra hanc* [Aſpendum] *Petneliſſus ſita.* Vulgatis Ptolemæi libris ſcriptum eſt Πεδνηλισσὸς, *Pedneliſſus,* per Δ, qua littera etiam apud Polybium legitur lib. v cap. LXXIII, qui itidem cum vrbe Aſpendo coniungit. Plinius ſcripſit *Pleteniſſus* dicto loco in Pamphylia. *Oppida eius,* inquit, *Side, & in monte Aſpendum, Pleteniſſum, Perga.* Et in Palatino Ptolemæi codice, etiam Pariſienſi, Πλετενισσός. quam genuinam Plinii ſcripturam eſſe inde Harduinus iudicat: nec vero damnat lectionem Strabonis & Polybii, vt potius binominem hanc vrbem fuiſſe cenſeat. Sed de hoc oppido pluribus dictum, Ptolemæo auctore in Piſidia.

XX.

Pamphyliæ quoque *Etenna* fuit, vnde ſunt Polybio lib. v cap. LXXIII Ἐτεννεῖς, *Etennenſes*, quos ille quidem τὴν τῆς Πισιδικῆς ὀρεινὴν, *Piſidiæ montana* inhabitare dicit; at quia addit, ὑπὲρ Σίδης, *ſupra Sidam* illa montana eſſe, non poſſunt in Pamphyliam non cadere: quæ vero Piſidiæ dicuntur, quia contingunt Piſidiam, vt vero maiori ex parte in ipſa ſint Pamphylia. Et Notitiæ Epiſcopatuum in Pamphylia eſt ὁ Ἐττένης, *Ettenenſis*, quod forte praua-

prauatum eſt ex *Etennenſis*: cuius epiſcopus memoratur etiam in concilio Chalcedonenſi.

XXI.

Hierocles in Pamphylia ſub conſulari [ὑπὸ κονσιλάριος mendoſe ſcriptum] XLII oppida enarrat, pleraque ignota, & notiora etiam nimis corrupte ſcripta: multa etiam ex Lycia, Piſidia, Cilicia in Pamphyliam transſcripta, vnde numerus excreuit. In iis eſt etiam Πανεμούτειχος, *Panemitichos*, incertum, quo loco ſitum: quod non ignobile fuiſſe ex nummo Iuliæ Domnæ clarum eſt, inſcripto ΠΑΝΕΜΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ, *Panemotichitarum.* Cetera præterimus, donec de ſcriptura, ſitu, auctoritate, & an propriæ Pamphyliæ fuerint, certiores aliunde redditi fuerimus.

XXII.

An *Seleucia* etiam inter vrbes Pamphylias fuerit, in controuerſiam venit. Nihil de illa Hierocles in extenſiore ſua Pamphylia: vtique autem in Piſidia Seleuciam, Ferream cognomine habet, & aliam in Iſauria metropolim, quæ Tracheæ Seleucia ad Calycadnum eſt. Ortelius, quam Piſidiæ dicunt, putat ad Pamphyliam pertinere, eamdemque Piſidiæ & Pamphyliæ Seleuciam eſſe: ſed duas diuerſas eſſe, Lucas Holſtenius pag. 174 contendit, idque probat ex concilii Nicæni ſubſcriptionibus. Varie illo æuo prouinciæ diuiſæ fuerunt, & vna vrbs nunc huic, nunc illi adſignata; tamen tanto viro habemus fidem, diſtinctam Pamphyliæ aliquam Seleuciam fuiſſe, diuerſam a Piſidica, licet vbi fuerit poſita, definire, ſilentibus ceteris, non poſſimus.

SECTIO II.

ISAVRIA.

XXIII.

Iſauria regio eſt Pamphyliam & Ciliciam contingens, aſpera & montana, in Tauro fere ſita, ſecundum quosdam ad mare vsque anguſto ſpatio procurrens. Zoſimus lib. V cap. XXV τὸ τῶν Ισαύρων πλῆθος, ὑπερκείμενον Παμφυλίας καὶ Κιλικίας ἐν τοῖς ἀβάτοις τοῦ Ταύρου καὶ τραχυτάτοις ὄρεσιν ἀεὶ βιοτεῦον. *Iſaurorum multitudo, quæ ſupra Pamphyliam Ciliciamque poſita ſemper in aſperrimis & inacceſſis Tauri montibus degit.* Stephanus, cui πρὸς τῷ Ταύρῳ, *ad Taurum eſt*, & Ptolemæus lib. V cap. IV, nullam mentionem partis habent maritimæ: habet autem Plinius lib. V cap. XXVII. *Ciliciæ*, inquit, *Pamphyliam omnes iunxere, neglecta gente Iſaurica. Oppida eius intus, Iſaura, Clibanus, Lalaſis: decurrit autem ad mare Anemurii regione ſupra dicti.* Anemurium Ciliciæ Aſperæ eſt, iuxta quod oppidum, Iſauriam regionem dicit ad mare vsque decurrere. Non dicit Anemurium Iſauriæ eſſe, ſed circa illud Iſauros aliquod poſſidere: nec aliam vrbem nominat, quæ illorum fuerit in litore, vt adeo illam maritimam partem minus celebrem fuiſſe oporteat. Quod vero Strabo lib. XII pag. 391 de Seruilio Iſaurico dixit, excidiſſe τὰ πολλὰ τῶν πειρατῶν ἐρύματα, τὰ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, *multa*

pirata-

piratarum munimenta, quæ ad mare erant; id dubium omnino eſt, fuerintne munitiones illæ in Iſauria propria, an vicinis in Pamphyliæ, Lyciæ, Ciliciæ, regionibus. Florus ſane lib. III. cap. VI, & Eutropius lib. VI cap. III in iis, quæ Seruilius euerterit, præcipue Phaſelidem, Olympum & Corycum nominant, quæ Lyciæ oppida fuerunt ad mare poſita, quod certum de prioribus: de Coryco etiam probatum ab eminentis ingenii viro, Henrico Noris Cenotaph. Piſan. pag. 216. Phaſelidem quidam Pamphyliæ transſcribunt, vt ſupra vidimus; ſed nemo eſt, qui Iſauriæ tribuerit.

XXIV.

Nomen regionis ab *Iſauris* ſiue *Iſauro* eſt, oppido munito ad Taurum, bis euerſo, primum a Perdicca poſt Alexandri mortem; iterum a Seruilio, qui cognomen inde accepit. De ſitu Stephanus: *Ἴσαυρα, οὐδετέρως, πόλις Ισαυρίας. ἡ δὲ Ισαυρία μεταξὺ Λυκαονίας καὶ Κιλικίας πρὸς τῷ Ταύρῳ. Iſaura, neutro genere, oppidum Iſauriæ. Iſauria autem Lycaoniam inter & Ciliciam ad Taurum ſita eſt.* Excidium primum, ſub Perdicca deſcripſit Diodorus Siculus lib. XVIII cap. XXII non tam ab ipſo Perdicca factum, quam ab incolis, obſidione ad deſperationem adactis, qui ſe & ſuos incendio abſumſerunt, ne capti in hoſtium poteſtatem venirent. *Τῶν Ισαυρέων πόλιν* vocat: nam Stephano auctore *Ισαυρεὺς* & *ἴσαυρος* gentile formatur. Idem *ὀχυρὰν καὶ μεγάλην πόλιν, καὶ πλήθουσαν ἀλκίμων ἀνδρῶν, munitam & magnam vrbem, viriſque fortibus abundantem* dixit: & poſt paullo *πόλιν γενομένην εὐδαίμονα ἐκ πολλῶν χρόνων, a multo tempore felicem & beatam ciuitatem.* Servilii oppugnatio euerſioque ex Strabone, Floro, aliis nota eſt.

2. Vrbs Straboni *τὰ ἴσαυρα, Iſaura*, plurali numero, atque ita etiam Stephanus: dubie Plinius & Ptolemæus *ἴσαυρα, Iſaura*, neutro an femineo genere, incertum. Floro eſt *Iſaurus*: nec dubium quin etiam ſingulariter *Iſaura* dicta olim fuerit. Sic Ammianus lib. XIV cap. XXV [Valeſ. cap. VIII] cuius verba mox proferemus: & ad eum locum emendauit Henr. Valeſius in Trebellii Pollionis tyranno Trebelliano: *palatium in arce Iſauræ conſtituit*: vbi vulgo legitur *Iſauriæ*, quod etiam defendi poteſt. Decrevit vrbs, ex fato ſub Seruilio reſtituta, nec priſtinam recuperauit dignitatem. Ab Romanis dono accepit Antipater Derbæus: quo ſublato ad Romanos rediiſſe neceſſe eſt. Plinius ſine laude memorauit: nec Ptolemæus primo loco prouinciæ, ſed extremo poſuit. Ammianus dicto loco: *Iſaura antehac nimium potens, olim ſubuerſa vt rebellatrix interneciua, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca.* Cetera notandum Strabone auctore duo fuiſſe Iſaura, vetera & noua, coniuncta tamen ita & propinqua, vt ceteri ſcriptores pro vna vrbe habuerint. Verba Strabonis ſunt, *Ισαυρία κώμας δύο ἔχουσα ὁμωνύμους· τὴν μὲν Παλαιὰν καλουμένην, ἐυερκῆ, Iſauria duos vicos habet eiuſdem nominis* [quo regio adpellatur] *qui Vetus ex iis vocatur, munitus eſt,* cetera.

XXV.

Plinius, vt ſupra oſtendimus, in Iſauria tria oppida habet, *Iſaura,*

Clibanum, & *Lalaſin.* Primum vidimus: alterum ignotum eſt: *Lalaſis* Harduino videtur Stephani *Laliſanda* eſſe, de qua idem refert, νῦν, *ſuo æuo* Δαλίσανδα, *Daliſanda* vocari. Vnde in notitia Hieroclis, & alia ex regio codice pag. 51, prouinciæ Iſauriæ epiſcopalis vrbs Δαλίσανδος, *Daliſandus*, memoratur. Quid? quod Palatino codice Ptolemæi in Cataonia *Daliſandus*, hoc ordine & diſpoſitione legitur: Κύβιστρα, Κλαυδιόπολις, Δαλίσανδος, *Cybiſtra*, *Claudiopolis*, *Daliſandus*: vbi vulgatum Δακίσανδος. Eſt & *Dalaſis* regio Ciliciæ apud eumdem Ptolemæum lib. v cap. VIII, quod nomen propius ad Plinii *Lalaſin* accedit, cui etiam ſitus reſpondet, niſi quod hoc oppidi, illud regionis eſt.

XXVI.

Et Ptolemæo in Iſauria præter Iſaura, duo ſunt oppida, Σαυάτρα, *Savatra*, quod ignotum: & Αὔσιρα *Auſira*, quod Caſaubono ipſa videtur Iſaura eſſe, quia tantum litteræ transpoſitæ ſint: quod vero in Palatino eſt Λύσιρα, *Lyſira*, ſunt qui putent *Lyſtra* Lycaoniæ ſignificari, præſertim quia Lyſtrorum nusquam alio loco mentionem Ptolemæus fecit.

XXVII.

Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXV [Valeſ. VIII] in Iſauria & *Seleuciam & Claudiopolin* cenſet. *Superatis*, inquit, *Tauri montis verticibus, qui ad ſolis ortum ſublimius attolluntur, Cilicia ſpatiis porrigitur late diſtentis, diues bonis omnibus terra: eiusque lateri dextro adnexa Iſauria, pari ſorte vberi palmite viret & frugibus multis: quam mediam nauigabile flumen Calycadnus interſcindit. Et hanc quidem, præter oppida multa, duæ ciuitates exornant, Seleucia opus Seleuci Regis; & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar. Iſaura enim antehac nimium potens, olim ſubuerſa, vt rebellatrix interneciua, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca.* Sed ex his facile intelligitur, non veterum Iſauriam, ſed vt ſuo æuo ampliata erat, Ammianum deſignare. *Seleucia* enim, ad Calycadnum poſita, veteribus geographis, Straboni lib. XIV pag. 461, Plinio lib. v cap. XXVII, & Ptolemæo lib. v cap. VIII, non in Iſauria, ſed Cilicia Aſpera ineſt: poſteriori autem æuo, quod ex Eccleſiæ Notitiis manifeſtum eſt, metropolis facta fuit Iſauriæ, cuius fines latius per Ciliciam interea fuerant prorogati, quippe Notitiis illis plures Ciliciæ vrbes, Celenderis, Anemurivm, Lamus, Irenopolis, aliæ, quæ veterum conſenſione in Cilicia erant, Iſauriæ, ampliatæ prouinciæ, adſcriptæ ſunt. In his etiam *Claudiopolis* eſt, illa eadem, quam Ammianus nominauit: quæ num in vetere Iſauria fuerit, an extra illam, in prolatis finibus, nunc nobis disquirendum eſt.

XXVIII.

Claudius Cæſar, Druſi filius [non ille Gothicus] plures colonias cum in alias orbis partes, tum maxime in orientem deduxit, & de nomine ſuo adpellauit. Teſtis *Claudiopolis* Bithyniæ, cui & *Bithynium* nomen fuit, auctore Ptolemæo lib. v cap. I: & alia in Paphlagonia ad fines Galatiæ, eidem Ptolemæo cap. IV *Neoclaudiopolis*, prius Andrapa dicta: & *Claudiopolis*, ad Euphratem in minore Armenia, quam Io. Harduinus, vir doctisſimus, & illam

illam Ptolemæi in Cataonia lib. v cap. vii eamdem eſſe putat, quod nobis ſecius videtur. Plinius enim lib. v cap. xxiv ita de ſua tradit: *Euphrates apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad occaſum ſolis agit.* Itaque iuxta Euphratem oportuit eſſe. Cappadocia autem & minor Armenia communes fines habent & ſæpe confuſos atque permixtos, vt, quæ Armeniæ ſunt, Cappadociæ tribuantur. Ptolemæus autem de ſua Cataoniæ, quam prouinciam Armeniæ minoris facit, ita:

Κύβιστρα	ξϛ	λη	δ
Κλαυδιόπολις	ξε γ	λζ	ϛ
Δαλίσανδος	ξζ γ	λη	L′γ
	long.	lat.	
Cybiſtra	66	38	15
Claudiopolis	65, 20	37,	10
Daliſandus	67, 20	38,	50

E quibus adparet, Claudiopolim Cybiſtris eſſe citeriorem, etiam magis in auſtrum ad Taurum montem recedere: atque ita Ptolemæi hanc Claudiopolim ab Euphrate minimum quatuor gradibus remotam in occaſum ſolis eſſe. Non igitur cum Harduino facere poſſumus, qui rectius Ptolemæi *Claudiadem* in Lauinianeſina Armeniæ prouincia, quam hanc ex Cataonia Claudiopolim cum Pliniana comparaſſet: nec dubitamus Ammiani & Notitiarum in Iſauria Claudiopolim eſſe ipſam illam, quam Ptolemæus in Cataoniæ extremis ad occaſum finibus locauit, quæ vero ſecundum veterem geographiam non ad Iſauriam, ſed Cataoniam Cappadociæ, quo & Cybiſtra Ptolemæus refert, [non autem Strabo, vt infra in Cataonia dicemus & Tyanitide] pertinuit.

SECTIO III.

CILICIA.

XXIX.

Cilicia, ampliſſima regio, inter Pamphyliam patens Syriamque, circumuallataque ita montibus, Tauro maxime, qui a tergo obtenditur, & Amano, Armeniam verſus, vt paucos aditus, eosque anguſtos, quas *Pylas* vocant, habeat. Tergum claudit Taurus mons: alterum latus mare mediterraneum. Diuiditur in *Aſperam* & *Campeſtrem*, vt Strabo vocat: Ptolemæo Campeſtris eſt Propria Cilicia: Aſperam idem in minores regiunculas *Selentidem* & *Cetidem* diſpeſcit, de qua diuiſione ſilent alii. Nos Strabonem potiſſimum ſequemur, primo Aſperam, quia ab occaſu eſt, expoſituri: deinde Campeſtrem ſiue Propriam.

CILICIA ASPERA
ſiue
TRACHEA.

XXX.

Cilicia Aſpera, Græce τραχεῖα, *Trachea*, Straboni & Ptolemæo; nomen habet a locorum aſperitate, quia σπανίως ἔχει τι χωρίον ἐπίπεδον, *raro habet locum aliquem planum.* A ſeptemtrione Iſauriam & Homonadenſes habet. Vocatur etiam τραχειῶτις, *Tracheotis*, & incolæ τραχειῶται, *Tracheotæ.* Hoc ex Strabonis XIV pag. 459.

XXXI.

Initium Plinius lib. V cap. XXVII a Mela fluuio facit. *Oppida*, inquit, *Myanda, Anemurium, Coraceſium, finisque antiquus Ciliciæ Melas amnis.* Strabo autem hoc flumen Pamphyliæ dedit, quem ſupra etiam ſequuti ſumus: Ciliciæ autem initium conſtituit in *Coraceſio.* πρῶτον τῶν Κιλίκων φρούριον τὸ Κορακήσιον, *Primum Cilicum caſtellum eſt Coraceſium.* In petra prærupta dicit ſitum eſſe. Ceteri tamquam oppidum deſcribunt. Plinius dicto loco: *Oppida, Myanda, Anemurium, Coraceſium,* Et Liuius lib. XXXIII cap. XX *Coraceſium præter ſpem clauſis portis tenebat eum*; Antiochum puta. Ptolemæus lib. V cap. V Κορακήνσιον, *Coracenſium,* ſcripſit, itidemque primum locum Aſperæ Ciliciæ a Pamphylia fecit.

XXXII.

Sydra, Συδρὴ, Strabonis; Σύεδρα, *Syedra* Ptolemæi ſequitur: & poſt eam *Hamaxia* eiusdem Strabonis: quo loco fere Ptolemæo lib. V cap. VIII [nam diuiſit Tracheam & diuerſis de ea locis agit] eſt Ἰωτάπη, *Iotape*, cuius etiam Plinius inter Ciliciæ oppida mentionem habet. *Selinûs*, inquit, *Arſinoe, Iotape, Doron.*

XXXIII.

Sequitur Σελινοῦς, *Selinûs*, Straboni fluuius: ceteris etiam oppidum. Plinius prædicto loco, & Ptolemæus inter oppida enarrant, & hic quidem tali inter maritimas vrbes ordine: *Iotape, Selinûs, Antiochia ſuper Crago.* Liuius lib. XXXIII cap. XX de Antiocho rege: *ſuperato Anemurio* [*promontorium id Ciliciæ eſt*] *Selinunte recepto,* - - - *Coraceſium præter ſpem clauſis portis tenebat eum.* In hoc oppido Traianus mortuus eſt, quod inde *Traianopolis* etiam vocatum fuit. Dio ſiue Xiphilinus in Traiano extremo: ἐς Σελινοῦντα τῆς Κιλικίας ἐλθὼν, ἣν δὴ καὶ Τραϊανούπολιν καλοῦμεν, ἐξαίφνης ἀπέψυξε, *Selinuntem Ciliciæ veniens, quam nos Traianopolim adpellamus, illico exſpirauit.*

XXXIV.

Deinde Straboni eſt Κράγος πέτρα περίκρημνος καὶ πρὸς θαλάττῃ, *Cragus prærupta ad mare petra*; & Ptolemæi Ἀντιόχεια ἐπὶ Κράγῳ, *Antiochia ſuper Crago.*

2. Poſt quam Ptolemæi Νεφελὶς, *Nephelis*, oppidis adnumerata, ſita ad pro-

promontorium eiuſdem nominis. Liuius dicto loco: *Rhodii Legatos ad regem miſerunt Nephelida, [promontorium Ciliciæ eſt, inclutum fœdere antiquo Athenienſium] ſi eo non contineret copias ſuas, ſe obuiam ituros.*

3. Deinde eſt Strabonis *Charadrûs* caſtellum cum ſtatione, Χαραδροῦς ἔρυμα, καὶ αὐτὸ ὕφορμον ἔχον. Scylax quoque, Χαραδροῦς πόλις καὶ λιμὴν, *Charadrûs oppidum & portus.*

XXXV.

Inde *Anemurium* promontorium, Ανεμούριον ἄκρα, Straboni eſt, vbi Ciliciæ continentem dicit quam proxime ad Cypri promontorium Crommyon accedere. Liuius lib. XXXIII cap. XX *ſuperato Anemurio: promontorium id quoque Ciliciæ eſt.* Pomponius Mela lib. I cap. XIII *Duo deinde promontoria ſunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis; & quod Ciliciam a Pamphylia diſtinguit, Anemurium, interque ea Celendris & Nagidos, Samiorum Coloniæ: ſed Celendris Sarpedoni propior.* Adpoſitum oppidum fuit eodem nomine. Plinius: *Oppida, Myanda, Anemurium, Coraceſium.* Scylax: Ανεμούριον ἄκρα καὶ πόλις, *Anemurium promontorium & oppidum.* Ptolemæus quoque in oppidis numerauit poſt Nephelidem, *Anemurium,* quod primum fecit regionis *Cetidis,* ſicut ſuperiora in *Selentide* cenſuit, quæ partes ipſi ſunt Ciliciæ Tracheæ. Et ne de oppido dubitetur, nummos proferre poſſumus, Alexandri Seueri & Valeriani, quibus inſcriptum eſt ΑΝΕΜΟΥΡΙΕΩΝ, *Anemurienſium.* Adi Harduinum.

XXXVI.

Succedit *Nagidus,* colonia Samiorum, vt modo Pomponii verbis relatum fuit. Stephanus: Νάγιδος πόλις μεταξὺ Κιλικίας καὶ Παμφυλίας, *Nagidus oppidum inter Ciliciam & Pamphyliam.* Opinionem videlicet Pomponii Melæ eſt ſequutus, qua Anemurium terminus inter vtramque regionem ſtatuitur. Variæ enim de fine Pamphyliæ fuerunt geographorum ſententiæ, vt ſupra etiam dictum fuit. Nos Strabonem & Ptolemævm ſequuti ſumus. In mendo latet hic locus apud Strabonem, qui ita reſtituendus eſt, etiam Caſauboni iudicio: κατὰ τοῦτον [τὸν παράπλουν] δ' ἐστὶ Νάγιδος πόλις πρώτη μετὰ τὸ Ανεμούριον, *inter ea, quæ prænternauigantur, prima vrbs poſt Anemurium eſt Nagidus.* Male prima vrbis littera ad verbum reducta erat, ἐστιν Ἄγιδος.

XXXVII.

Circa hæc loca Ptolemæus habet *Arymagdum* fluuium: & poſt illum *Arſinoën,* oppidum, quod etiam Strabo, Plinius, Stephanus memorarunt: iſte εἶτ' Αρσινόη, πρόσορμον ἔχουσα, *deinde* [poſt Nagidum] *Arſinoe eſt, habens nauium ſtationem:* ille, prædicto loco, *Selinûs, Arſinoe, Iotape:* hic, Αρσινόη - - - πέμπτη Κιλικίας, *Arſinoe, - - - quinta eius nominis, in Cilicia eſt.*

XXXVIII.

Sequitur *Celenderis,* Κελένδερις, Strabonis & Ptolemæi ordine; cuius etiam Ioſephus lib. I de Bello Iud. cap. XX mentionem fecit. ὡς εἰς Κελένδεριν κατέπλει, *quum,* inquit, *Celenderin adnauigaſſet.* Apollodorus lib. III cap. XIV num. 3 ἐκ Συρίας ἐλθὼν εἰς Κιλικίαν, πόλιν ἔκτισε Κελένδεριν, *ex Syria in Cilici-*

Ciliciam delatus [Sandocus, Aſtynoi filius, Phaethontis nepos] *vrbem Celenderin condidit.* Mela & Tacitus tribus ſyllabis *Celendris* ſcripſerunt. Ille, loco ſupra prædicto: *inter ea* [promontoria] *Celendris & Nagidos; Samiorum coloniæ.* Si enim vel maxime Sandocus ille condidiſſet, tamen Samii in eam colonos mittere potuerunt. Tacitus annali II cap. LXXX *Piſo caſtellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celendris, occupat.* Caſtellum etiam oppidum munitum eſt: aut oppidum antea in caſtelli formam redactum fuit. Strabo tamen, Κελένδερις, πόλις λιμένα ἔχουσα, *Celenderis, oppidum cum portu.* Regio adiacens *Celenderitis* dicta. Plinius lib. V cap. XXXVII Amnes, *Saros, Cydnus Tarſum, liberam vrbem procul a mari ſecans: regio Celenderitis cum oppido.*

XXXIX.

Proxima Ptolemæi Ἀφροδισιὰς, *Aphrodiſias*, a Veneris cultu & templo haud dubie adpellata. Plinius in Cilicia: *promontorium & oppidum Veneris, a quo proxime Cyprus inſula.* Liuius lib. XXXIII cap. XX *Coraceſium eo tempore Antiochus operibus oppugnabat: Zephyrio, & Solis, & Aphrodiſiade, & Coryco, & ſuperato Anemurio* [*promontorium id quoque Ciliciæ eſt*] *Selinunte recepto, omnibus his aliisque eius oræ caſtellis aut metu aut voluntate ſine certamine in deditionem acceptis, Coraceſium præter ſpem clauſis portis tenebat eum.* Et Diodorus Siculus lib. XIX cap. LXIV ἐντεῦθεν παρακομισθεὶς εἰς Ἀφροδισιάδα τῆς Κιλικίας, *Inde Aphrodiſiadem Ciliciæ delatus.*

XL.

Holmus Strabonis prope illum locum fuit. ὅλμοι, *Holmi* videtur Caſaubono legendum, quia Stephanus, hunc Strabonis locum referens, pluraliter ſcripſit ὅλμοι, πόλις Τραχείας Κιλικίας, ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς, *Olmi,* [nam etiam ſine adſpiratione ſcribunt] *vrbs Aſperæ Ciliciæ, vbi antea habitabant, qui nunc Seleucienſes ſunt.* Poſteriora verba Strabonis ſunt, iisque ſignificatur, Holmienſes Seleuciam Calycadni translatos fuiſſe. Plinius gemino modo hoc nomen ſcripſit *Holmia* & *Holmæ*, niſi corruptum eſt alterum. De Seleucia enim ſic dixit: *Seleucia ſupra amnem Calycadnum, Tracheotis cognomine, a mari relata, vbi vocabatur Holmia.* Et paullo ante eodem de Cilicia capite. *Promontorium Sarpedon: oppida, Holmæ, Mylæ.* Prætermiſit locum Ptolemæus, qui forſan deſertus ipſius ætate, translatis olim incolis, fuit.

XLI.

Tum ſequitur proxime Σαρπηδὼν, *Sarpedon*, promontorium, apud Strabonem. Ptolemæus quoque ante Calycadni oſtia hoc promontorium *Sarpedonem* poſuit: poſt illa Zephyrium, de quo poſtea. Nobilius factum Romanorum cum Antiocho pacificatione. Inter pacis enim conditiones & hæc conſcripta legitur apud Liuium lib. XXXVIII c. XXXVIII. *Neue nauigato citra Calycadnum, neue Sarpedonem, promontoria.* Appianus Syriac. pag. 181 ita expreſſit: ὅρων μὲν Ἀντιόχῳ τῆς ἀρχῆς εἶναι δύο ἄκρας, Καλύκαδνόν τε καὶ Σαρπιδόνιον, *Antiocho limites regni duo promontoria ſint, Calycadnum & Sarpidonium.* Sic Car. Stephanus & Alex. Tollius ediderunt, ſed perperam.

ram. Strabo enim & Ptolemæus per η ſcripſerunt Σαρπηδών: & Latini *Sarpedon*, E longo, Liuius, Plinius, Pomponius, quorum verba antea ſunt producta. Zoſimus lib. I cap. LVII Apollinis inde cognomen fuiſſe refert, & Strabo lib. XIV pag. 465 Dianæ. Ille ait, ἐν Σελευκείᾳ τῇ κατὰ Κιλικίαν Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἵδρυτο, καλουμένου Σαρπηδονίου, καὶ ἐν τούτῳ χρηστήριον, *Seleuciæ, quod eſt oppidum Ciliciæ, templum Apollinis erat, quem Sarpedonium vocant, & in templo erat oraculum:* hic [Strabo] de Diana: ἐν τῇ Κιλικίᾳ ἐστὶ καὶ τὸ τῆς Σαρπηδονίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν καὶ μαντεῖον, *In Cilicia eſt quoque Dianæ Sarpedoniæ templum & oraculum.* Nomen Pomponius a *Sarpedone* rege ducit, haud dubie Homerico illo heroe, qui Λυκίων ἀγὸς, *Lyciorum dux* ſiue rex Iliad. E verſ. 647 dicitur. *Duo*, inquit Mela, *promontoria ſunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis; & quod Ciliciam a Pamphylia diſtinguit, Anemurium.* Videtur etiam oppidum adpoſitum fuiſſe eiusdem nominis. Scylax enim in Cilicia: Σαρπηδὼν πόλις ἔρημος καὶ ποταμὸς, *Sarpedon oppidum deſertum & fluuius.* Suſpectus locus eruditis, præſertim in voce ἔρημος, quam ὅρμος legendum Voſſius cenſet, vel ὅρμος ἔρημος: Hudſonius in Λάτμος, *Latmus*, quod fluminis nomen eſt, conuertit: neuter in πόλις aliquid deſiderat. Sed æque poteſt & illa vox prauata eſſe, quod non leuiter ex eo videtur confirmari, quia nemo aliorum de vrbe *Sarpedone* quidquam commemorauit.

XLII.

Calycadnus fluuius inter duo promontoria, Sarpedonem & Zephyrium, in mare exit. Hic enim ordo eſt Ptolemæi:

Σαρπηδὼν ἄκρα	*Sarpedon promontorium*
Καλυκάδνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ	*Calycadni fl. oſtia*
Ζεφύριον ἄκρον.	*Zephyrium promontorium.*

Strabo hæc pariter coniungit ita: εὐθύς ἐστιν ἡ τοῦ Καλυκάδνου ἐκβολὴ, κάμψαντι ἠϊόνα ποιοῦσαν ἄκραν, ἣ καλεῖται Σαρπηδών. πλησίον ἐστὶ τοῦ Καλυκάδνου καὶ τὸ Ζεφύριον, καὶ αὕτη ἄκρα, *Statim ſunt Calycadni oſtia, ſi litus flexeris, quod promontorium efficit, cui nomen Sarpedon. Vicinum eſt Calycadno Zephyrium promontorium.* Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXV [Valeſ. cap. VIII] *mediam* (Iſauriam) *nauigabile flumen Calycadnus interſcindit.* Si Stephano credimus, idem flumen & Calydnum quondam dixere. Sic enim in Ὑρία ait: ἔστιν Ὑρία καὶ κατὰ Ἰσαυρίαν Σελεύκειαν, ἣ παραῤῥεῖ ὁ Καλύκαδνος, ὃν Καλυδνόν τινες καλοῦσιν. *Eſt etiam Hyria iuxta Iſauriam Seleuciam, quam Calycadnus adluit, quem Calydnum aliqui vocant.* Sed verius conſtantiusque nomen *Calycadnus* eſſe, præter libros, etiam nummi probant ſub Seuero & Gordiano cum epigraphe percuſſi: ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. * *Seleucienſium, qui ad Calycadnum ſunt.* Fuit & promontorium hoc nomine apud Liuium lib. XXXVIII cap. XXXVIII & ad Appianum in Syriacis, quorum verba paulo ante in *Sarpedone* attulimus. Forte vnum

ex

* Et ſub C. Vibio Trebon. Gallo, in Numiſm. de Camps pag. 107. Adde num. P. Lic. Valeriani pag. 109.

ex iis eſt, inter quæ exit Calycadnus, Zephyrium videlicet, quia Sarpedonis diſtincta ibidem habetur mentio.

XLIII.

Zephyrio autem promontorio caſtellum vel oppidum eodem nomine adiunctum fuiſſe, ex Liuii narratione lib. XXXIII cap. XX videtur liquido probari. Ait enim, *Zephyrio & Solis & Aphrodiſiade, & Coryco, &, ſuperato Anemurio, (promontorium id quoque Ciliciæ eſt) Selinunte recepto; omnibus his aliisque eius oræ caſtellis aut metu aut voluntate ſine certamine in deditionem acceptis.*

XLIV.

Hic Ptolemæus finem fecit Ciliciæ Tracheæ; incipit a Coryco Propriam: Strabo Aſperam ad Solos vsque producit. Plinius, Mela, Scylax nihil diſtinctionis habent, ſed vnam Ciliciam a Pamphylia ad Syriam protendunt, vt neuter illorum ſuffragio de limite inter vtramque iuuari poſſit. Strabo autem poſt Zephyrium addit Tracheæ *Pœcilen petram* Ποικίλη Græce; per quam gradibus adſcendatur Seleuciam: & *Anemurium* promontorium alterum: tum demum Κώρυκον ἄκραν, *Corycum* promontorium, quod initium Ciliciæ Propriæ eſt Ptolemæo, quamuis hic tantum oppidum memorat; promontorii rationem nullam habet, quemadmodum nec Strabo oppidi. Fuiſſe autem vtrumque aliorum conſenſu facile probatur. Plinius in Cilicia: *Iuxta mare Corycos, eodem nomine oppidum, & portus, & ſpecus.* Pomponius lib. I cap. XIII *Non longe hinc Corycos oppidum portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti adnexum. Supra ſpecus eſt, nomine Corycius, ſingulari ingenio, ac ſupra quam deſcribi facile ſit, eximius.* Stephanus Κώρυκος πόλις Κιλικίας, *Corycus, oppidum Ciliciæ.* Ciues eius ſunt gentili nomine Κωρύκιοι, *Corycii,* & Κωρυκιῶται, *Coryciotæ,* eodem auctore Stephano. Nummus e theſauro Golzii, ΚΩΡΥΚΙΩΝ, *Coryciorum:* alius Caracallæ, & iterum alius Alexandri Seueri, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ *Coryciotarum.* * Miranda autem prorſus ſunt, quæ de *Corycio ſpecu* ſiue *antro* auctores referunt. Strabo ita ſitum lib. XIV pag. 461 deſcribit: Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι ςαδίοις ἐςὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀρίςη Κρόκος φύεται, *Corycum* ** *promontorium, ſupra quod ad viginti ſtadia antrum eſt Corycium, in quo optimus crocus naſcitur.* Mela etiam verbis modo recitatis, *ſupra, ſpecus eſt nomine Corycium.* SUPRA, puta *Corycum* oppidum maritimum, portu fere incluſum atque cinctum. Addit de figura antri, quod ſit κοιλὰς, *cauerna rotunda,* ſaxoſo ſupercilio cincta, plena intus virgultis ſemper virentibus. παρέσπαρται, *conſita iuxta eſſe,* quæ crocum ferant. Meminit etiam Curtius lib. III cap. IV, ſed omnium clariſſime Pomponius Mela cap. de Cilicia. *** *Supra,* inquit, *ſpecus eſt nomine Corycius, ſingulari ingenio, ac ſupra quam deſcribi facile ſit, eximius. Grandi namque hiatu patens montem litori adpoſitum, & decem ſtadiorum*

cliuo

* Et alius P. Lic. Valeriani in Numiſm. de Camps pag. 109 ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΣΥ. ΝΑΥΑΡΧΙΣ.

** Nonnus Dionyſiac. I p. 24.

*** Add. Apollod. Biblioth. I c. 6 § 3.

cliuo ſatis arduum ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc alte demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pendentibus vndique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur, adeo mirificus & pulcher, vt mentes accedentium primo adſpectu conſternat: vbi contemplati durauere, non ſatiet. Vnus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amœnas vmbras & opaca ſiluæ quiddam agreſte reſonantis riuis hinc illinc fluitantibus. Vbi ad ima peruentum eſt, rurſus ſpecus alius aperitur. - - - Deinde aliquamdiu perſpicuus: mox & quo magis ſubitur, obſcurior, ducit auſos penitus, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens, tantummodo ſe oſtendit, & vbi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demerſus abſconditur. Hæc exſcripſit Solinus cap. XXXVIII. de Cilicia, vt tamen quædam vel mutarit, vel alia addiderit; quos inter ſe Salmaſius componit p. 544 ſeq. Quod vero de altero ſpecu Pomponius tradit, in quo ingens amnis ſe extollat, & breui poſt ſpatio mergatur; ex Strabonis verbis lib. XIV pag. 461 Salmaſio etiam, acris iudicii viro, videtur hauſiſſe, nec vero adſecutus eſſe Strabonis mentem & ſententiam. Ait geographus: *ἔςι δὲ καὶ ἄντρον αὐτόθι, ἔχον πηγὴν μεγάλην, ποταμὸν ἐξιεῖσαν καθαροῦ τε καὶ διαφανοῦς ὕδατος, εὐθὺς καταπίπτοντα ὑπὸ γῆς*; quæ Pomponius ſic interpretatus eſt, quaſi diceret, in ima Corycii ſpecus parte rurſus alterum ſpecus pandi: quod haud ſcio [Salmaſii verbis vtor] an ſatis rectum ſit. Cæterum longior aditus ad ſpecum de valle intelligendus eſt, etiamſi auctores de illo, quaſi & ipſe ſpecus ſit, aut pars illius, loquantur.

XLV.

Ptolemæus poſt Corycon habet proxime vrbem *Σεβαςὴν, Sebaſten*, quæ alia non eſt quam inſulæ Eleuſæ oppidum, quod *βασίλειον, regiam* fecit Archelaus Cappadox, poſtquam Tracheam Ciliciam Auguſti beneficio accepit, ut Strabo dicto ſæpe loco tradidit. Id enim mutato nomine *Σεβαςὴν, Sebaſten* dictum eſſe, auctor Ioſephus eſt lib. VI Antiquit. cap. VIII. * Inſula autem, eodem, Strabone referente, eſt *προσκειμένη τῇ ἠπείρῳ, proxima continenti*, vt vrbem eius ſine errore notabili in continente Ptolemæus cenſuerit. Stephanus, qui *Ἐλαιοῦσσα*, *Elæuſſa*, diphthongo & duplicato ſibilo ſcripſit, etiam inſulam dixit *μετὰ τὴν ἤπειρον, ἡ νῦν Σεβαςὴ, πρὸς τῷ Κωρύκῳ, ſtatim poſt continentem, quæ nunc Sebaſte vocatur, apud Corycum poſita.* Inſulam hic Sebaſten vocat, credo quod parua eſt, quam vrbs fere totam occupauit. Oppianus, Cilix poeta, de Piſcat. lib. III verſ. 209 ſine diphthongo ſcripſit, *ἄςυ*

Κωρύκιον ναίουσι καὶ ἀμφιρύτην Ἐλεοῦσαν,

oppidum Corycium colunt, & circumfluam Elëuſam. Plinius in inſulis & continente Ciliciæ Elëuſam poſuit, errans haud dubie de ſitu continentis,

* Joſeph. Antiquit. XVI c. 4 ſ. 6 pag. 796 *Ἡρώδης δὲ πλέων σὺν τοῖς παισὶν ὡς ἐγένετο κατὰ Κιλικίαν ἐν Ἐλεούσῃ τῇ μετωνομασμένῃ νῦν Σεβαςῇ, καταλαμβάνει τὸν βασιλέα τῆς Καππαδοκίας Ἀρχέλαον. Herodes cum filiis nauigans, quum ad Ciliciam in Elëuſa, nunc Sebaſte nominata, verſaretur, offendit regem Cappadociæ Archelaum.*

tis, quia ne in litore quidem poſuit, ſed mediterraneis oppidis adnumerauit.

XLVI.

Deinde fluuius hanc inter inſulam & Solos, continentis vrbem, in mare ſe effundit, quem Λάτμον *Latmum* Strabo vocat: Ptolemæus & Stephanus Λάμον, *Lamum.* Incertum, quænam ſcriptura genuina ſit, & an forſan cum tempore id nomen, eiecta littera, immutatum fuerit. Stephanus tamen ad Polyhiſtorem Alexandrum, maiorem Strabone hiſtoricum prouocauit: vnde coniicere licet, antiquum & verum nomen *Lamum* eſſe.* Idem refert, adiacentem regionem dici Λαμουσίαν, *Lamuſiam:* Ptolemæus eam vocat Λαμωτίδα, *Lamotidem*, in qua *Lamum* oppidum ponit, ſed intus, in mediterraneis ſitum, ac eodem adfuſum flumine. Strabo κώμην, *vicum* dixit. Hoc flumen Straboni terminus eſt Ciliciæ Tracheæ. εἰσὶ δ', inquit, ὅροι ταύτης [τῆς Τραχείας Κιλικίας] μεταξὺ Σόλων τε καὶ Ἐλεούσης ὁ Λάτμος ποταμὸς, καὶ κώμη ὁμώνυμος, *Fines eius* [Ciliciæ Aſperæ] *ſunt inter Solos & Elëuſam Latmus fluuius & pagus eodem nomine.*

MEDITERRANEA TRACHEAE.

XLVII.

In mediterraneis Ciliciæ Aſperæ vrbs præcipua fuit *Seleucia*, ad Calycadnum amnem poſita, cognominata *Trachea* vel *Trachiotis.* Ptolemæus, Σελεύκεια Τραχεῖα, *Seleucia Trachea*, ſiue *Aſpera:* Plinius ſæpe dicto loco: *Seleucia ſupra amnem Calycadnum, Trachiotis cognomine, a mari relata, vbi vocabatur Holmia.* Translatio illa Holmienſium fuit ſupra in *Holmo* ſiue *Holmis* ex Strabone explicata. Hic enim lib. XIV pag. 461 ita: εἶθ' Ὄλμοι, ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς. Κτισθείσης δ' ἐπὶ τῷ Καλυκάδνῳ τῆς Σελευκείας, ἐκεῖ μετεκίσθησαν. *Deinde Holmus eſt, vbi quondam habitarunt, qui nunc Seleucienſes ſunt, &, condita ad Calycadnum Seleucia, in eam ſunt translati.* Conditor Seleucus Nicator, vt Stephanus prodit: qui vero, quum antea *Olbiam* & *Hyriam* dictam refert, fallitur in Olbia, vt etiam Salmaſius ad Solini cap. XXXVI extr. obſeruauit. *Olbia* enim Pamphyliæ maritimæ eſt, prope Phaſelidem: *Olba* vero Ciliciæ Propriæ ſeu Campeſtris, ſupra Solos in montanis ſita, quam putat laudatus vir *Olbaſam* Ptolemæi eſſe; Stephanum vero hanc Olbam cum *Holmo* vel *Holmis* confudiſſe. An vero *Hyria* antiquum nomen Seleuciæ fuit? ait quidem Stephanus in Σελεύκεια; πρότερον Ὀλβία ἐκαλεῖτο καὶ Ὑρία, *prius Olbia vocabatur & Hyria:* ſed ſibi ipſe non conſtat Stephanus. In Ὑρία enim, ἔστι Ὑρία κατὰ Ἰσαυρίας Σελεύκειαν, ἣ παραῤῥεῖ ὁ Καλύκαδνος. *Eſt etiam Hyria iuxta Iſauriæ Seleuciam, quam Calycadnus præterfluit.* Si eſt κατὰ, *iuxta* ſeu *apud* eam, non eſt ipſa Seleucia, neque in loco eius; ſed forte ex Hyria, vicino oppido, æque vt ex Holmis, deducti ciues ſunt in Seleuciam. Libera fuit Seleucia ſub Romanis. Strabo prædicto loco: Ἀρχέλαος λαβὼν

* Nonnus XXIV v. 50 p. 622

Ἡμετέρου δὲ γέραιρε Λάμου κουροτρόφον ὕδωρ.

ϐῶν τὴν Τραχιῶτιν Κιλικίαν ὅλην πλὴν Σελευκείας· καθ' ὃν τρόπον καὶ ὁ Ἀμύντας πρότερον εἶχε, καὶ ἔτι πρότερον Κλεοπάτρα, *Archelaus Trachiotin Ciliciam omnem* [ab Auguſto] *accepit, demta Seleucia: ad quem modum etiam ante Amyntas & Cleopatra poſſederant.* Seruauit illam libertatem etiam ſub poſterioribus Romanorum principibus, quod ex numis illorum manifeſtum eſt: Philippi Arabis, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΩΣ ΚΑ. ΕΛΕΥΗΕΡΑΣ & Gordiani, quo plene expreſſum eſt ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *Seleucienſium, qui ad Calycadnum ſunt, liberæ*, ſupple, ciuitatis. *

2. Quod vero Stephanus *Iſauriæ Seleuciam* dixit, id conſuetudine ſui temporis ita dixit, quo Iſauriæ fines per multam partem Ciliciæ prolati fuerant. Eadem enim eſt Seleucia Tracheæ Ciliciæ, & ad Calycadnum, & Iſauriæ, vt vel ex ſola Stephani deſcriptione, quam protulimus modo, luculentum eſt. Conſentiunt & ceteri. Concilium enim Seleucienſe, quod Sozomenus lib. IV cap. XVI dicit ἐν Σελευκείᾳ τῆς Ἰσαυρίας, *in Seleucia Iſauriæ* congregatum; Athanaſius de eodem concilio & Ariminenſi libro pag. 880 dixit ἐν Σελευκείᾳ τῇ τραχείᾳ, *in Seleucia Trachea*, vt Ptolemæus Seleuciam Cilicienſem vocat, habitum. Qua de cauſſa vtrumque coniunxit Socrates, de eodem concilio lib. II cap. XXXIX ſcribens: εἰς Σελεύκειαν τῆς Ἰσαυρίας, τὴν ἐπικαλουμένην Τραχεῖαν, συνεληλύθασι, *Seleuciam Iſauriæ, quæ Trachea cognominatur, conuenerunt.* Et Epiphanius Hæreſi LXXIII ſect. 23 συνελθόντες ἐν τῇ Σελευκείᾳ τῇ Τραχείᾳ καλουμένῃ κατὰ τὴν Ἰσαυρίαν, *conuenientes in Seleucia, quæ Trachea vocatur, in Iſauria.* Theodoritus autem errauit a vero, quando lib. II Hiſt. eccleſ. cap. XXVI Seleuciam hanc ad mare poſitam credidit. Ei enim eſt πόλις αὕτη τῆς Ἰσαυρίας πρὸς τῇ θαλάττῃ κειμένη, *vrbs hæc Iſauriæ ad mare poſita.* At Strabo antea dicto loco de Calycadno: ἔχει ὁ ποταμὸς ἀνάπλουν εἰς τὴν Σελεύκειαν πόλιν, *hoc flumine aduerſo nauigatur in vrbem Seleuciam.* Ergo paulo longius a mari reducta fuit. id enim ἀνάπλους poſtulat. Et Plinius lib. V cap. XXVII *Seleucia ſupra amnem Calycadnum, Tracheotis cognomine, a mari relata, vbi vocabatur Holmia.* Holmia illa ad mare fuit: inde vero incolæ introrſum *relati*, id eſt reducti & translati Seleuciam. Præterea Ptolemæus non in maritimis, ſed mediterraneis ſcripſit, licet modico interuallo a mari ſeiunctam.

XLVIII.

Cetera Ptolemæi oppida minus ſunt nota, & ab aliis fere præterita. *Clyſtrus* [pro quo Palatinus habet Κάϋστρος, *Cayſtrus*] forte ſolius Ptolemæi eſt occaſum verſus ab eodem poſita. Inde in ortum, circa *Arymagdum* fluuium, eiusdem Δομιτιόπολις, *Domitiopolis*, quæ Stephano eſt Δομετιούπολις, *Dometiupolis*, ſiue *Dometiopolis*: qui vero nihil addidit, niſi Ἰσαυρίας πόλις, *Iſauriæ oppidum* eſſe, puta protractis finibus amplificatæ, vt medio æuo Iſauria erat. Quis vero fuerit ille *Domitius*, nusquam, quod ſciam, memoratur. Quia Strabo & Plinius ignorant, videtur circa Domitiani tempora

* Erat Seleuciæ templum Apollinis & oraculum. Zoſimus I c. 57 pag. 92.

pora nouum nomen alicui oppido acceſſiſſe, vt ſit idem, quod *Domitianopolis*; vel a *Domitia*, vxore Domitiani, adpellata: cui non obſtabit, quod Δομετιανὄπολις Stephanus ſcripſit, quaſi virum auctorem indicans; quia ignoraſſe conditorem videtur, quod nullam eius mentionem habet: & alibi etiam poſteriores Græci a feminis denominatas vrbes virili genere pronunciant, verbi cauſſa Μαρκιανὄπολις, & Ἑλενὄπολις, quum illa a Marciana, Traiani ſorore; hæc ab Helena, Conſtantini matre, quod nemo neſcit, nomen trahat. De qua Græculorum inconſiderantia plus a nobis dictum eſt in Mœſia, lib. II cap. VIII pag. 592.

XLIX.

Supra Seleuciam circa eumdem fluuium Calycadnum eſt ex Ptolemæi diſpoſitione prima & proxima *Diocæſarea*, in Notitia eccleſiæ pag. 57 & ab Hierocle Iſauriæ tributa.

2 Deinde *Philadelphia*, in iiſdem Notitiis cenſa ſub Iſauria; fama autem cum illa Syriæ huius nominis vrbe, aut altera Lydiæ, minime comparanda.

3. Et tandem prope fontes Calycadni ac ſub Tauro monte *Flauiopolis*, quæ eſt Φλαβιὰς, *Flauias* Hieroclis & alterius Notitiæ in Cilicia Secunda. Itinerario Antonini adprobatur ſitus, quem Ptolemæus tribuit, itinere a Cæſarea Cappadociæ Anazarbum; & XVIII M. P. ſupra Anazarbum, Cæſaream illam verſus, ſita eſſe dicitur hoc ordine:

Cocuſo		
Laranda	M. P.	XVIII
Badimum	M. P.	XVIII
Prætorium	M. P.	XXII
Flauiada	M. P.	XXII
Anazarbum	M. P.	XVIII.

L.

Supra Corycum Ptolemæus *Lamum* habet ad fluuium eius nominis; & regionem *Lamotidem*, ab oppido Lamo, vel fluuio etiam adpellatam: in qua & *Antiochea* quædam, cum cognomine τῆς Λαμώτιδος. Concilio Chalced. act. III commemoratur eius epiſcopus Acacius. Stephanus in huius nominis vrbibus: τεσσαρεσκαιδεκάτη Ισαυρίας, ἡ Λαμωτὶς λεγομένη *decimaquarta Iſauriæ, Lamotis dicta.* Hæc an eadem ſit, quæ Ptolemæi ſuper Crago in Trachea, dubitatur, quia inter Lamum & Selinunta, quocum ille coniungit, magnum interuallum eſt. Attamen Notitiæ non niſi vnam Antiochiam in Iſauria habent.

LI.

In ortum vero & ſeptemtrionem reduxit *Irenopolim*, circa Calycadnum amnem; quæ in ante laudatis Notitiis eſt Ciliciæ Secundæ, & quidem apud Hieroclem hoc ordine: Εἰρηνὄπολις, Φλαβιὰς, Κασάβαλλα. Hoc oppidum antea *Neronias* dictum fuit. Theodoritus Hiſtor. Eccleſ. lib. I cap. VII Κιλικίας τῆς δευτέρας ἡ Νερωνιάς ἐστι πόλις, ἣν νῦν Εἰρηνὄπολιν ὀνομάζομεν, *Neronias vrbs Ciliciæ Secundæ eſt, quam nunc Irenopolim vocamus.* Eadem

Gela-

Gelaſius Cyzicenus Act. Concil. Nic. lib. II cap. VII, poſt Conſtantini orationem, tradit. Et quem Narciſſum Sozomenus lib. III cap. X epiſcopum Εἰρηνοπόλεως τῆς Κιλικίας, *Irenopolis Ciliciæ* vocat; eumdem Socrates lib. II cap. XXVI dicit τὸν Νερωνιάδος τῆς ἐν Κιλικίᾳ ἐπίσκοπον, *Neroniadis, quæ in Cilicia eſt, epiſcopum:* & Patres Concilii Sardicenſis in Synodica Epiſtola [Tom. I Oper. Athanaſ. pag 765] Νάρκισσον τὸν ἀπὸ Νερωνιάδος τῆς Κιλικίας, *Narciſſum a Neroniade Ciliciæ:* & ipſe Athanaſius principio Apologiæ de Fuga ſua, τὸν ἀπὸ τῆς πόλεως Νέρωνος, *ex Neronis vrbe* Narciſſum.

LII.

Eodem tractu videtur etiam Αὐγοῦστα, *Auguſta* Ptolemæi fuiſſe, quam ille paullo longius in ortum remouit, ferme ad flumen Pyramum: diuerſa ab Sebaſte maritima. Plinius quoque lib. V cap. XXVII eodem ſitu, *Anazarbeni, qui nunc Cæſarea: Auguſta, Caſtabala.* Hierocles etiam diſtinxit a Sebaſte, ſed prauatum nomen eſt alterum, Σεβαστὴ, Αγουστία, lege Αὐγοῦστα. In altera Notitia dicitur *Auguſtopolis*, in Cilicia Prima ſic: Σεβαστὴ, Κώρυκος, Ἄδανα, Αὐγουστόπολις.

LIII.

Supereſt *Olbaſa* Ptolemæi in Cetide mediterranea, quæ ipſi pars eſt Tracheæ: quam vero Salmaſius, vt ſupra in Seleucia dictum, putat *Olba* legendam eſſe. Strabo ſane pag. 462 *ſupra hæc* [Anchialen & Quinda] *& Solos montana ſunt, in quibus* ὄλβη πόλις, *vrbs Olba, Iouis habens templum, a Teucri filio Aiace dedicatum. Eius pontifex dominus erat Trachiotidos.* Hierocles in Iſauria: Διοκαισάρεια, Ολβὴ, Κλαυδιόπολις. quod in altera Notitia corruptum eſt Ολύα, pro Ολβὴ: itidemque cum Diocæſarea coniungitur.

LIV.

Denique fuit agreſtis natio huius Ciliciæ, quæ Archelao Cappadoci ſubiecta erat, cui nomen *Clitarum* fuit, aliquoties rebellis & Romanis legibus repugnans. Tacitus lib. VI cap. XLI *Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao ſubiecta, quia noſtrum in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abſceſſit, locorumque ingenio ſe ſe contra imbelles regis copias tutabatur.* Et lib. XII cap. LV *Nec multo poſt agreſtium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, ſæpe & alias commotæ, tunc Troſobore duce, montes aſperos caſtris cepere. Atque inde decurſu in litora aut vrbes, vim cultoribus ac oppidanis, ac plerumque in mercatores & nauicularios audebant: obſeſſaque ciuitas Anemurienſis.* Anemurium autem erat Ciliciæ Tracheæ oppidum, idque in ora maritima.

CILICIA CAMPESTRIS
SIVE
PROPRIA.

LV.

Campeſtris Cilicia, Græce ἡ Πεδιὰς, ita Straboni dicta fuit. Hæc eſt

pars altera, quæ ab oriente Aſperam conſequitur. Lib. XIV pag. 59 ita de diuiſione: Τῆς Κιλικίας τῆς ἔξω τοῦ Ταύρου, ἡ μὲν λέγεται Τραχεῖα, ἡ δὲ Πεδιάς, *Ciliciæ, quæ extra Taurum regio eſt, pars vna dicitur Aſpera, altera Campeſtris.* Ptolemæo Campeſtris eſt ἡ ἰδία. *Propria Cilicia*, quam hic a Coryco incipit: Strabo autem Campeſtrem ſuam a Solis, quæ poſt Pompeiopolis fuit adpellata. Sic enim p. 462 Μετὰ δὲ Λάτμον [Λάμον intelligit fluuium] Σόλοι πόλις ἀξιόλογος, τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχή, τῆς περὶ τὸν Ἰσσὸν, Ἀχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα, τῶν ἐκ Λίνδου· εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγιγνομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινος ἀξίους, καὶ μετωνόμασε Πομπηϊούπολιν. Poſt *Latmum* [Lamum] *ſunt Soli, vrbs memorabilis, alterius principium Ciliciæ, quæ ad Iſſum eſt: condita ab Achæis & Lindiis Rhodiorum.* * *In hanc, frequentia hominum deſtitutam, Pompeius Magnus piratarum reliquias transtulit, quas iudicabat potiſſimum ſalute & procuratione dignas, ac mutato nomine eam Pompeiopolin dixit.* Liuius conſentit de origine lib. XXXVII cap. LVI *Pro his quum gratias egiſſent Rhodii, de Solis vrbe, quæ in Cilicia eſt, egerunt. Argis & illos, ſicut ſe ſe, oriundos eſſe, ab ea germanitate fraternam ſibi cum iis caritatem eſſe.* Pomponius lib. I cap. XIII idem confirmat. *Deinde*, inquit, *vrbs eſt olim a Rhodiis Argiuisque, poſt piratis, Pompeio adſignante, poſſeſſa; nunc Pompeiopolis, tunc Soloe.* Sic & Latini diphthongo ſcribunt, Græcum caſum retinentes. Plinius in Cilicia: *Solœ Cilicii, nunc Pompeiopolis.* Ptolemæus lib. V cap. VIII Πομπηϊούπολις, ἡ καὶ Σόλοι, *Pompeiopolis, quæ & Solœ.* Sita ad mare fuit. Tacitus Annali II cap. LVIII *Vonones Pompeiopolim, Ciliciæ maritimam vrbem, amotus eſt.* Et Dio Caſſius lib. XXXVI pag. 18 ἐστὶ [Πομπηϊούπολις] ἐν τῇ Κιλικίᾳ τῇ παραθαλασσίᾳ, καὶ ἐπεπόρθητο ὑπὸ τοῦ Τιγράνου, Σόλοι πρότερον ὀνομαζομένη, *Pompeiopolis ſita eſt in Cilicia maritima, quæ, prius Soli vocata, vaſtata fuerat a Tigrane*, quibus cauſſa ſimul λειπανδρήσεως, *infrequentiæ* redditur, ob quam nouis colonis auxerit Pompeius. Xenophon lib. I Expedit. Cyri pag. 147 οἱ παρὰ τὴν θάλατταν οἰκοῦντες ἐν Σόλοις καὶ Ἰσσοῖς, *qui iuxta mare Solis & Isſis habitabant.* Amplitudinem & opulentiam ex mulcta colligo, quam Alexander impoſuit. Curtius lib. III cap. VII *ad vrbem Solos peruenerat, cuius potitus, ducentis talentis nomine mulctæ exactis, arci præſidivm militum impoſuit.* Eadem Arrianus lib. II. Nummus Harduini, icones Arati & Chryſippi Solenſium præferens, inſcriptionem habet ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

LVI.

An vero ab hac vrbe σολοικισμὸς, *ſolœciſmus* nominetur, quaſi Græci coloni barbarorum commercio vitiarint ſermonem patrium, non tam firmiter probatur, quam facile vulgo eſt creditum. Strabo lib. XIV pag. 456 dubitanter: ἀπὸ τοῦ Καρίζειν καὶ τὸ βαρβαρίζειν μετήνεγκαν εἰς τὰς περὶ Ἑλληνισμοῦ τέχνας,

* Apud Polybium exc. legat. XXV pag. 1146 Προσῆλθον αὖθις οἱ Ῥόδιοι πρὸς τὴν σύγκλητον, ἀξιοῦντες περὶ Σόλων τῶν Κιλικίων. διὰ γὰρ τὴν συγγένειαν ἔφασαν καθήκειν αὐτοῖς προνοεῖσθαι τῆς πόλεος ταύτης. Εἶναι γὰρ Ἀργείων ἀποίκους Σολεῖς καθάπερ καὶ Ῥοδίους. *Accedunt iterum legati Rhodii ad Senatum, & de Solis vrbe, quæ in Cilicia eſt, cum iis agunt. nam propter generis communionem ſui eſſe officii, vt ciuitati illi conſulant. Argis & illos ſicut ſeſe oriundos eſſe.*

τέχνας, καὶ τὸ σολοικίζειν, εἴτ' ἀπὸ Σόλων, εἴτ' ἄλλως τȣ̃ ὀνόματος τȣ́τȣ πεπλασμένȣ, *a Cariſſando etiam barbariſſare ad artes ſermonis Græci deductum eſt, & ſolæciſſare, ſiue ab vrbe Solis hæc vox, ſiue aliunde hoc nomen effictum eſt.* Suidas in voce Σόλοι, incertus eſt, a Cypri an Ciliciæ vrbe ſolœciſmus ſit, ἀφ' ὧν, *a quibus*, inquit pluraliter, hac vel illa, ὁ σολοικισμός. Addit aliam vocabuli originem, ἢ σολοικισμὸς, ὁ τȣ̃ σόȣ λόγȣ αἰκισμὸς, *vel ſolæciſmus eſt ſaluæ orationis fœdatio.* Euſtathius ad Dionyſii verſ. 875 etiam ad incertam famam refert, Φασὶ δὲ καὶ τὸν σολοικισμὸν ἐντεῦθεν λαβεῖν τὴν ἀρχὴν, ὡς ἀνδρῶν ποτε Ἀττικῶν οἰκησάντων ἐκεῖ, καὶ τὴν εὐγενῆ παρακοπέντων Ἀττικὴν γλῶτταν, καὶ ἐξαγροικιωθέντων διὰ τὸν ἐν Σόλοις οἰκητμόν. *Aiunt etiam Solæciſmum inde* [ex Solis] *originem cepiſſe, quod Attici quondam homines ibi habitantes elegantiam Attici ſermonis mutilarint, & per habitationem in Solis agreſtes quaſi facti ſint.*

LVII.

Poſt Solos aliud promontorium *Zephyrium*, diuerſum ab illo eiusdem nominis ad Calycadnum, Strabo & Ptolemæus habent.

2. Deinde Ptolemæo ſunt *Cydni* oſtia: Strabo autem interponit *Anchialen*, antiquam vrbem, quam quidam dicunt a Sardanapalo conditam: alii ab Iapeti filia Anchiale. Strabo Ariſtobuli fide refert Ἀγχιάλην μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, κτίσμα Σαρδαναπάλȣ, *Anchialen, paullulum ſupra mare ſitam, opus Sardanapali eſſe:* ibique μνῆμα, monumentum repertum eſſe, cui præſcriptum ſit: CΑΡΔΑΝΑΠΑΛΟC Ο ΑΝΑΚΥΝΔΑΡΑΞΕΩ ΠΑΙC ΑΓΧΙΑΛΗΝ ΚΑΙ ΤΑΡCΟΝ ΕΔΕΙΜΕΝ ΕΝ ΗΜΕΡΗ ΜΙΗ. *Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialen & Tarſum vna die ædificauit.* Repetunt hæc Athenæus, Arrianus, Stephanus, Tzetzes Chiliadum auctor, ſed certiores rationes non adferunt: immo Stephanus præfert Athenodori ſententiam, ab Anchiale Iapeti filia hanc vrbem conditam, quod etiam Diodorus Grammaticus, & rex Ptolemæus confirmarint. Hoc idem de conditrice, Iapeti filia, tradit etiam Euſtathius ad dictum locum periegetæ Dionyſii. Et Plinius *Anchiales* ſcripſit in oppidis Ciliciæ: Arrianus autem lib. II Ἀγχίαλος, *Anchialus.* Alexander, inquit pag. 91, ἄρας ἐκ Ταρσȣ̃ τῆ μὲν πρώτῃ εἰς Ἀγχίαλον πόλιν ἀφικνεῖται, *mouens ex Tarſo, primo die Anchialum venit.* Addit, ex ambitu & fundamentis murorum coniici, magnam olim vrbem extitiſſe. Fluuius præterlabens Ἀγχιαλεὺς, *Anchialeus* dictus eſt Stephano atque Euſtathio.

LVIII.

Sequuntur deinde *Cydni* oſtia. Strabo: Μετὰ τὴν Ἀγχιάλην αἱ τȣ̃ Κύδνȣ ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλȣ́μενον. *Poſt Anchialen ſunt Cydni oſtia iuxta locum, qui Rhegma* [id eſt ruptura, inruptio maris] *vocatur.* Locus ille eſt λιμνάζων, *ſtagnans*, & Tarſenſibus ἐπίνειον, *nauale* præbet. Fluuius ille in Tauri parte, qua ſupra Tarſum eſt, oritur, mediamque vrbem Tarſum perlabitur, limpidus & frigidiſſimus, ideoque Alexandro pæne exitialis. * Male Xylandri verſio Strabonis, etiam a Caſaubono repetita, habet, *ortus*

[Cyd-

* Add. de latitudine Xenophon de Cyri expedit. I pag. 248. D.

[Cydnus] *e iacente ſupra vrbem* [Tarſum] *Tarſo.* Græce enim eſt, ἀπὸ τῦ ὑπερκειμένυ τῆς πόλεως Ταύρυ: quod etiam antiquiore verſione recte expreſſum eſt. Sed de Tarſo in mediterraneis dicemus.

LIX.

Proximus, Ptolemæo auctore, Σάρος, *Sarus* amnis, ſiue illius ἐκϐολαὶ, *oſtia.* Plinius quoque in Cilicia *Amnes, Saros, Cydnus Tarſum ſecans.* Liuius lib. XXXIII cap. XLI memorat *Sari capita*, quæ non fontes ſunt, vt *caput* fluminis alias ſonat: ſed in litore ad oſtia, tumuli forte ac rupes, ſicut Κυνὸς κεφαλαὶ in Theſſalia ſunt montes atque tumuli. Locus enim fuit, quem naues præteribant, vti ex hiſce Liuii verbis adparet: *Inde profectum eum ad Capita, quæ vocant, Sari fluminis, fœda tempeſtas oborta prope cum omni claſſe demerſit: multæ naues eiectæ; multæ ita hauſtæ mari, vt nemo in terram enauerit.* Appianus Alexandrinus Syriacis pag. 144 ed. Toll. naufragium hoc dicit ſimpliciter factum ἀμφὶ τὸν Σάρον ποταμὸν, *circa Sarum fluuium*, vbi is in mare ſe effundit. Cedrenus pag. 540 ed. Baſil. dicit Sarum perluere Mopſueſtiam, Ciliciæ vrbem. τέμνεται ἡ πόλις αὕτη μέσον τῷ Σάρω ποταμῷ, *ſecatur hæc vrbs media Saro flumine.* At fallitur Cedrenus, quia Ptolemæus Sarum cis Pyramum locauit: Mopſueſtiam vltra Pyramum. Confirmat Ptolemæi ordinem Procopius lib. V de Aedific. cap. V, Mopſueſtiam a Pyramo, non a Saro, adlui ſcribens; Adana autem Saro. Praue Sarus in Xenophontis lib. I de Cyri expedit. pag. 149 Φάρος, *Pharus* ſcribitur: ordine autem eodem, quo Ptolemæus poſuit, inter Tarſum & Pyramum memoratur.

LX.

Circa hæc loca Pomponius *Ammodes* promontorium, id eſt arenoſum, ἀμμῶδες, ponit lib. I cap. XIII. *Procul inde* [inquit, ab Iſſo puta] *Ammodes promontorium inter Pyramum Cydnumque fluuios iacet.* Deinde nihil geographi vsque ad *Pyrami* amnis oſtia habent. Strabo pag. 464 Μετὰ τὸν Κύδνον ὁ Πύραμος ἐκ τῆς Καταονίας ῥέων, *Poſt Cydnum eſt fluuius Pyramus, e Cataonia decurrens.* In Ptolemæi libris hic ordo eſt: *Cydni oſtia, Sari oſtia, Pyrami oſtia*, nullo oppido interiecto, aut flumine alio. In nobilioribus fluuiis Ciliciæ eſt, a multis memoratus. Curtius lib. III cap. IV *Campeſtris eadem* [Cilicia] *qua vergit ad mare, planiciem eius crebris diſtinguentibus riuis. Pyramus & Cydnus, incluti amnes, fluunt.*

2. Præterfluit oppidum *Mallon*, quæ in maritimis quidem ponitur a Ptolemæo, nec vero proxime ad mare fuit, ſed per amnem ad eam nauigabatur ex mari. Mela dicto loco: *Pyramus Iſſo prior* [quam Cydnus] *Mallon præterfluit.* Scylax in Cilicia: ποταμὸς Πύραμος, καὶ πόλις Μαλλὸς, εἰς ἣν ἀνάπλυς κατὰ τὸν ποταμὸν, *fluuius Pyramus & oppidum Mallus, ad quam aduerſo nauigatur amne.* Curtius lib. III cap. VII *Pyramo amne ponte iuncto ad vrbem Mallon peruenit.* Vtriusque, vrbis & fluminis mentionem etiam habent Plinius & Arrianus, ille in Ciciliæ deſcriptione, hic lib. II expeditionis Alexandri. Stephanus quoque Byzantius: Πύραμος, ποταμὸς ἐν Μάλλῳ τῆς Κιλικίας. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Λευκόσυρος. *Pyramus amnis in Mallo*

Mallo Ciliciæ. Vocabatur prius Leucoſyrus. ἐν Μάλλῳ, id eſt in Mallotide regione. Neque enim vrbem permeat, neque vere adluit, ſed in propinquo præterlabitur. Strabo poſt Pyrami deſcriptionem: πλησίον δὲ καὶ Μαλλὸς, ἐφ' ὕψυς κειμένη, κλίσμα Αμφιλόχυ καὶ Μόψυ τῦ Απόλλωνος καὶ Μαντῦς, *Prope* [Pyramum] *eſt Mallus, ſita loco edito, condita ab Amphilocho, & Mopſo Apollinis filio & Mantûs.* Vnde oraculum eius loci Dio Caſſius in Commodo Αμφιλόχυ χρηςήριον, *Amphilochi oraculum* dicit, quod per ſomnia reſpondebat. Hoc autem dicit fuiſſe ἐν Μαλλῷ πόλει τῆς Κιλικίας, *in Ciliciæ vrbe Mallo.* Ptolemæus poſt Pyramum ab ortu hanc vrbem locauit, vt ab Tarſo & Anchiale adiri non potuerit, niſi Pyramo traiecto. Pompeius etiam in hanc vrbem piratas deduxit. Appianus Mithrid. pag. 394 *Eos vero piratas, qui videbantur non ſuapte malitia, ſed, amisſis bello facultatibus, ad hoc vitæ genus veniſſe,* ἐς Μᾶλλον καὶ Ἄδανα καὶ Επιφάνειαν, *Mallum, Adana, Epiphaniam, & ſi quod aliud erat infrequens oppidum,* συνῴκιζε, *habitatum duxit.* Regiuncula circumiecta Μαλλῶτις, *Mallotis* Straboni dicta. *Alexander,* inquit pag. 465, *phalangem duxit e Solis* διὰ τῆς παραλίας, καὶ τῆς Μαλλώτιδος, ἐπί τε Ἴσσον καὶ τὰς Δαρείυ δυνάμεις, *per oram maritimam & Mallotidem ad Iſſum & Darii copias.* Sed ſatis de Pyramo fluuio & vrbe Mallo, quam Argiuorum coloniam fuiſſe, Arrianus auctor eſt.

LXI.

Hoc tractu etiam *Magarſos* fuit. Plinius: *Oppida, Mallos, Magarſos, & intus Tarſos.* Stephano eſt μέγιςος ὄχθος ἐν Κιλικίᾳ πρὸς τῇ Μαλλῷ, *maximus collis in Cilicia iuxta Mallum.* Sed & oppido a colle nomen inditum. Lycophroni verſ. 444, Μέγαρσος, *Megarſus* dictus ὄχμος ἁλιβρὸς, *exeſus tumulus,* quod cum Stephano conuenit. Tzetzes ibi ſcholiaſtes: ἡ Μέγαρσος πόλις κεῖται πρὸς ταῖς ἐκχύσεσι τῦ Πυράμυ ποταμῦ, *Megarſus oppidum iacet ad æſtuarium Pyrami fluuii.* Sic poſitio Magarſi ignota eſſe non poteſt. Mineruæ cultus ibi celebris. Arrianus lib. II Exped. Alex. pag. 92 ἐς Μαγαρσὸν ἧκε, καὶ τῇ Αθηνᾷ τῇ Μαγαρσίδι ἔθυσεν, *Magarſum venit, & Mineruæ Magarſidi ſacrificauit.* Ex his Strabo lib. XIV pag. 465. emendandus eſt, quum in vulgatis legitur περὶ Μάργασα τῦ Πυράμυ πλησίον, *circa Margaſa prope Pyramum:* ſcribendum Μάγαρσα, *Magarſa,* vt omnes ſcripſerunt.

LXII.

Ptolemæus a Mallo ad Σεῤῥέπολιν κώμην, *vicum Serropolim* tranſit, ignotum aliis, quem quidam putant Plinii *Casſipolim* eſſe, æque incognitam, alterutro nomine fortasſis vitiato: tum demum procedit ad Αἰγὰς, *Ægas,* Ciliciæ vrbem, quam proxime poſt Mallum Strabo enarrauit. Μετὰ Μαλλὸν Αἰγαῖαι πολίχνιον, ὕφορμον ἔχον, *Poſt Mallum,* inquit, *Aegææ ſunt, quæ ſtationem habent.* Sic enim adpellat tribus ſyllabis: * ceteris diſſyllabum eſt, Ptolemæo Αἰγαὶ, vt vidimus iam: Plinio *Ægæ,* qui dicto loco, *oppidum Ægæ liberum.* Et Stephanus: Αἰγαὶ πόλις Κιλικίας, *Ægæ oppidum Ciliciæ,* qui

* Φερεὰς τινὰς ἐν Αιγέαις ὄντας ἐνίκησε. Dio l. 47 p. 393. ed. Plant.

qui eius nominis plures in Macedonia, Thraciæ cherſoneſo, Euboea, Aeolide, Lydia & alibi notauit. Lucanus lib. III verſ. 225

Deſeritur Taurique nemus, Perſeaque Tarſos,
Coryciumque patens exeſis rupibus antrum,
Mallos, & externæ reſonant naualibus Ægæ.

Porphyrogennetus autem themate XIII, quod eſt Seleuciæ, ſcripſit tribus ſyllabis & ſingulariter Αἰγαῖα, *Ægæa.*

LXIII.

Circa Ægas incipiunt *Pylæ Amanicæ.* Strabo: *Poſt Mallum Ægææ ſunt, oppidum cum ſtatione:* εἶτ' Ἀμανίδες πύλαι, ὕφορμον ἔχουσαι, *deinde Amanides Portæ cum ſtatione.* Locus ad mare eſt, quia portum ſeu nauium ſtationem habet: mirum vero, ibi pylas Amani eſſe cis Pinarum amnem & Iſſum. Sed alios audiamus de his pylis: non enim eodem modo deſcribuntur. Curtius lib. III cap. IV ait, *tres aſperos aditus & peranguſtos eſſe, quorum vno in Ciliciam intrandum ſit:* ſed quia de primo ingreſſu Alexandri loquitur, eosque aditus omnes *per dorſum qua maxime cedit mari,* hoc eſt per Taurum ducit; ad Amanides has portas aut Syriæ pylas referre ex iis, niſi vim auctori facias, non potes. Aliæ ergo ab illis ſeptemtrionalibus pylæ ſunt, per quas Alexander in Syriam penetrauit, aut Darius venit ad Iſſum, ſi modo hic per pylas eo venit. Nam Arrianus lib. II pag. 94 dicit, ὑπερβαλὼν δὴ τὸ ὄρος Δαρεῖος τὸ κατὰ τὰς Πύλας Ἀμανικὰς καλουμένας, ὡς ἐπὶ Ἰσσὸν προῆγε, καὶ ἐγένετο κατόπιν Ἀλεξάνδρου λαθών. *Darius ſuperato monte, qui prope Pylas Amanicas eſt, Iſſon verſus mouit, Alexandrum imprudens a tergo relinquens.* Sic Bonauent. Vulcanius vertit & Blancardus adprobauit, vt κατὰ ſit *iuxta, prope;* neque ipſas Pylas transgreſſus Darius videatur, ſed montem iuxta illas: forſan illis non capientibus tantum numerum ac multitudinem. At Calliſthenes, qui expeditioni huic interfuit, in Polybii fragmentis lib. XII cap. VIII, Φησὶ μὲν Ἀλέξανδρον ἤδη διαπορεύεσθαι τὰ στενὰ, καὶ τὰς λεγομένας ἐν τῇ Κιλικίᾳ Πύλας. Δαρεῖον δὲ χρησάμενον τῇ διὰ τῶν Ἀμανίδων λεγομένων Πυλῶν πορείᾳ, κατᾶραι μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Κιλικίαν. *Iam Alexander, inquit, fauces & quas Ciliciæ Pylas vocant, ſuperauerat: Darius vero per Amanidas Pylas ducto agmine in Ciliciam cum copiis peruenit.* Curtius lib. III cap. VIII *Forte eadem nocte & Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, peruenit.* Et Plutarchus Alexandro pag. 675 ἐπορεύετο Δαρεῖος εἰς Κιλικίαν, ἅμα δὲ Ἀλέξανδρος εἰς Συρίαν ἐπ' ἐκεῖνον. ἐν δὲ τῇ νυκτὶ διαμαρτόντες ἀλλήλων, αὖθις ἀνέστρεφον. *Darius in Ciliciam profectus: ſimul contra illum Alexander in Syriam. Nocte autem quum a mutuo concurſu in itinere aberraſſent, vterque ſe retro receperunt.*

LXIV.

Ex quibus intelligitur, inter Syriam Ciliciamque duas vias anguſtas eſſe, geminasque pylas ſiue portas, *Amanicas,* paullo ſuperiores reductioresque a mari, per quas Darius intrauit Ciliciam; & *Cilicias* ſiue *Syras,* * propio-

* Vid. etiam Xenophon de expedit. Cyri I p. 253 A. B.

propiores mari, quibus vſus eſt Alexander: nec vero illas diſiunctas longius, ſed vicinas, vt ex eadem Perſarum Macedonumque tranſitione luculentum eſt. Neque negamus alteras anguſtias illas ab Ægis initium habere, quia longiores quodammodo vtræque fuerunt, & Arriano auctore, Alexander vix binis caſtris a Mallo profectus pylas illas ſuperauit. Quod vero idem auctor dixit κατὰ τὰς πύλας, *iuxta Portas* Darium tranſiiſſe, vel laxe vſus eſt voce κατά: vel propter multitudinem non portas tantum, ſed inuios etiam montes, qui iuxta ſunt, viam præbuiſſe, præſertim iis barbaris, qui ex montanis & ſyluoſis regionibus exciti erant.

2. Superiores illæ Pylæ, quæ in Amano monte ſunt, ab eodem etiam monte nominantur, a Plinio *Amani Portæ:* Strabone, & ex Calliſthene Polybio, Ἀμανίδες πύλαι, *Amanides Pylæ:* a Ptolemæo & Arriano Ἀμανικαὶ πύλαι: ſicuti Curtio *Amanicæ Pylæ.* Has Ptolemæus in mediterraneis cenſet lib. v cap. VIII extremo, quia recedunt a mari in ſuperiora: alteræ autem, quæ *Ciliciæ* aut *Syriæ Pylæ* vocantur, ſunt propiores mari, & per illas progreſſus ac regreſſurus Alexander, nauigio explorare iuſſit, quid de Iſſo, vt rumor erat, factum fuiſſet: quod Arrianus refert lib. II pag. 95. Has enim diſtinctas eſſe ab Amanicis, ex Darii & Alexandri tranſitu, ſine occurſione facto, clarum eſt. Diſtinxit & Curtius, vt Holſtenius ad Ortelium in *Amanides*, interpretatur: & Plinius quoque diſtincte lib. v cap. XXVII *mons Crocodilus, portæ Amani montis.* Et paucis interiectis *oppidum Ægæ liberum, amnis Pyramus, portæ Ciliciæ: oppida Mallos, Magarſos.* Harduinus quidem has poſteriores de Tauri montis in Ciliciam anguſto tranſitu interpretatur: verum ab ipſo Plinio, quem explicat, confutatur, qui hoc loco non limitem ad Cappadociam, ſed maritimam Ciliciæ oram deſcribit, vt oppida, quibus coniungit, clariſſime oſtendunt. Strabo etiam lib. XIV pag. 465 Ἀμανίδας πύλας, *Amanides pylas* poſt Ægas dicit incipere: & breui poſt in ſinu Iſſico memorat τὰς πύλας λεγομένας, ὅριον Κιλίκων τε καὶ Σύρων, *Pylas, quæ ita dicantur, limitem Ciliciæ atque Syriæ.*

LXV.

Amanus autem mons a Tauro procurrit & eius quaſi ramus eſt. Strabo lib. XIV pag. 465 Ἀμανίδες πύλαι, εἰς ἃς τελευτᾷ τὸ Ἀμανὸν ὄρος ἀπὸ τοῦ Ταύρου καθῆκον, ὃ τῆς Κιλικίας ὑπέρκειται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος, *Amanides Pylæ, in quas Amanus mons deſinit, a Tauro proueniens, & ſupra Ciliciam orientem verſus iacet.* Eumdem & Cappadociam attingere circa Melitenen, idem Strabo docet lib. XI pag. 958 *Taurus porrectus orientem verſus, conualles non ita magnas habet Cilicum.* εἶτα τῇ μὲν, τὸ Ἀμανὸν ἀπ᾽ αὐτοῦ σχίζεται, τῇ δὲ ὁ Ἀντίταυρος, ἐν ᾧ τὰ Κόμανα ἵδρυται, τὰ ἐν τοῖς ἄνω λεγομένοις Καππάδοξιν. Οὗτος μὲν οὖν ἐν τῇ Καταονίᾳ τελευτᾷ· τὸ δὲ Ἀμανὸν ὄρος μέχρι τοῦ Εὐφράτου καὶ τῆς Μελιτηνῆς πρόεισι. *Hinc ab vna parte Amanus ab eo abſcinditur; ab altera Antitaurus, in quo ſita ſunt Comana, vrbs ſuperioris Cappadociæ: atque hic quidem in Cataonia deſinit; Amanus autem mons vsque ad Euphratem & Melitenen progreditur.* Ex qua parte Cappadoces dicuntur in eo habitare. Lucanus lib. III verſ. 244

Cappadoces, duri populus non cultor Amani.

Ex altera parte vergit vtique ad Syriam. Cicero lib. v ad Attic. epiſt. xx *Tarſum veni a. d.* III *non. Octobres: inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia in aquarum diuortio diuidit.* Quem montem & caſtella eius oppugnans, caſtra ad Iſſum habuit. *Caſtra*, inquit, *paucos dies habuimus, ea ipſa, quæ contra Darium habuerat apud Iſſum Alexander. - - - Ibi dies quinque morati, direpto & vaſtato Amano, inde diſceſſimus.* Adde lib. II epiſt. x ad M. Cœlium, qua eadem narrantur, & montani incolæ dicuntur *Amanienſes.*

LXVI.

Sed vt in viam reuertamur, vnde per Amani portas digreſſi fueramus, ad *Iſſum*, Alexandri victoria nobile oppidum venimus. Græce Ἰσσὸς fere omnibus dictum: Xenophonti autem Ἰσσοὶ, pluraliter, lib. I ἀναβάσεως pag. 147. De ea ita Strabo lib. XIV pag. 465 Μετὰ δὲ Αἰγαίας Ἰσσὸς, πολίχνιον, ὕφορμον ἔχων· καὶ ποταμὸς Πίναρος. Ἐνταῦθα ὁ ἀγὼν συνέπεσεν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Δαρείῳ, καὶ ὁ κόλπος εἴρηται Ἰσσικός. *Poſt Ægeas Iſſus eſt paruum oppidum cum ſtatione & amnis Pinarus. Ibi Alexander cum Dario pugnauit: & inde nomen ſinui Isſico.* Grandiori ſtilo, vt ſolet interdum, Pomponius Mela in Cilicia ſcripſit: *In receſſu intimo locus eſt magni aliquando diſcriminis, fuſorum ab Alexandro Perſarum, fugientisque Darii ſpectator ac teſtis. Nunc ne minime quidem, tunc ingenti vrbe celebris Iſſo fuit, & hac re ſinus Iſſicus dicitur.* Facile crediderim, olim maiorem fuiſſe celebrioremque Iſſum, quam Strabonis & Pomponii ætate fuit. Xenophon lib. I Expedit. Cyri min. pag. 149 ἐξελαύνει εἰς Ἰσσοὺς τῆς Κιλικίας ἐσχάτην πόλιν, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ οἰκουμένην, μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, *Iſſos, Ciliciæ vrbem vltimam, mari adpoſitam, magnam ſane ac opulentam, peruenit.* Et Diodorus Siculus lib. XVII cap. XXXII ὁ Ἀλέξανδρος τὴν μὲν Ἰσσὸν πόλιν ἀξιόλογον καταπληξάμενος ἐχειρώσατο. *Alexander Iſſum, nobilem vrbem, formidine perculſam, occupauit.* Deinde rurſus Darius, Ciliciam ingreſſus, hanc vrbem cepit, & relictos ibi Macedonas crudeliter interfecit: quod ab Arriano adnotatum eſt. Stephanus tradit, a Macedonum victoria Iſſon adpellatam *Nicopolin* fuiſſe: verum Strabo & Ptolemæus huius oræ Nicopolin ab Iſſo ſeparauerunt, pro diuerſis ea oppidis habentes. *Sinus Iſſicus* ea latitudine eſt, vt in Syriam quoque excurrat, & Strabo Roſum quoque, quæ Syriæ eſt, eidem imponat.

LXVII.

Poſt Iſſum eſt amnis Πίναρος, *Pinarus*, quem Ptolemæus, vt minorem forſan, neglexit: Strabo autem, vt vidimus, *Poſt Aegæas*, dicit, *Iſſus eſt*, καὶ ποταμὸς Πίναρος, *& fluuius Pinarus.* Sic legendum, non Πίνδος, quia omnes ceteri *Pinarum* vocant, præter Plutarchum, in cuius Alexandro praue itidem Πίνδαρος ſcriptum librariorum oſcitatione eſt. Arrianus videtur ante Iſſum poſuiſſe lib. II pag. 95 de Dario Ciliciam ingreſſo dicens: τὴν Ἰσσὸν καταλαβὼν - - - ἐς τὴν ὑστεραίαν προὐχώρει ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Πίναρον, *capta Iſſo, die poſtero ad Pinarum flumen proceſſit.* Prorſus an retro proceſſit?

ceſſit? puto retro, quia Plutarchus Alexandro ait p. 675 διαμαρτόντες ἀλλήλων αὖθις ἀνέστρεφον, *cognito, in mutuo occurſu ſe aberraviſſe, vterque* [Alexander & Darius] *reuerterunt.* Nam itidem Arrianus pag. 100 ſcripſit, Darium, quum audiuiſſet Alexandrum inſtructa acie aduentare, quinquaginta millia equitum διαβιβάζειν πέραν τοῦ ποταμοῦ Πινάρου, *miſiſſe trans flumen Pinarum,* retinendi Alexandri cauſſa, ὅπως τὴν λοιπὴν δύναμιν καθ' ἡσυχίαν συντάξειε, *vt reliquum exercitum ſecurius poſſet inſtruere;* inter quem & Alexandri aciem, qui ex Pylis redierat, Pinarus amnis interfluebat, vt Curtius III cap. VIII adnotauit. Intellige vero de Darii maiore exercitu, non de transmisſis equitibus, qui non videntur Alexandrum ſuſtinuiſſe. Ceterum, *Pinari* verum nomen eſſe, quod ſcripſimus, præter Arrianum, auctores Dionyſius, Plinius, Stephanus & Auienus ſunt. Periegeta ille verſu 867 - - - ποταμῶν

Τηλόθεν ἀρχομένων, Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο,

fluuiorum procul orientium, Pyramique Pinarique. (Sic Robertus Stephanus legit: non ἐρχομένων, *deuenientium*) id quod Auienus ita expresſit mutata quantitate:

- - - - *ſulcant duo flumina terram:*
Pyramus hic vndas, hic voluit Pinarus æquor.

Plinius lib. V cap. XXVII in Cilicia. Flumina, *Andricus, Pinarus, Lycus.* Et in Ἰσσὸς Stephanus: ἐκεῖ καὶ ποταμὸς Πιναρὸς ὀνομαζόμενος, *ibi & fluuius, cui nomen eſt Pinarus.* Reddi ergo hoc nomen Straboni & Plutarcho debet, ſicut dudum Curtio reſtitutum eſt, apud quem ſuperiori æuo vitioſe *Pyramus* lègebatur.

LXVIII.

Iſſus tam Xenophonti, vt ſupra diximus, quam Ptolemæo eſt vltima Ciliciæ ad mare ſitæ: poſt quam Pylæ ſunt, communis Ciliciæ Syriæque terminus. Nec vero hæ ſtatim ab Iſſo incipiunt, ſed ſi proprie illas, & vbi anguſtisſimæ ſunt, intelligas, interiecto ſpatio viæ non modico, ſed vel quinque circiter paraſangarum. Xenophon de Cyro Minore lib. I pag. 150 ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμὸν ἕνα, παρασάγγας πέντε, ἐπὶ Πύλας τῆς Κιλικίας καὶ τῆς Συρίας. *Inde* [ab Iſſo) *caſtris vnis paraſangis quinque, ad Pylas Ciliciæ Syriæque pervenit.* Sunt hæ inferiores Pylæ & maritimæ, a ſuperioribus ſiue Amanicis diuerſæ. Eas Xenophon breuisſimas facit, &, vbi portarum ſpeciem anguſto tranſitu habent, tantummodo pylarum nomine dignas cenſet, ſecus ac alii, qui illas propius Iſſum, vbi anguſtioris viæ initium eſt, incipiunt nominare. Sed quum ſatis ſupra de Pylis dictum ſit: hic tantum eodem auctore Xenophonte adiungimus, vtrimque Pylis, ſic vere anguſtis, munimentum, τεῖχος, cum præſidio adpoſitum fuiſſe, Cilicum illic, hic Syrorum. δύο, inquit, τείχη, καὶ τὸ μὲν ἔσωθεν, πρὸ τῆς Κιλικίας, τὸ δ' ἔξω, πρὸ τῆς Συρίας: vtrumque dicit φυλακήν, *præſidium* habere, illud Cilicum, hoc Syrorum.

LXIX.

In ſpatio illo tot paraſangarum, quæ inter Iſſum & anguſtiores portas

tas ſunt, *Alexandria*, Macedonis Alexandri monimentum, eſt poſita, hodie Alexandretta ſiue Aleſſandrona, portu ſuo & mercatu nota. Ptolemæus l. v. c. xv Syriæ, quaſi primam eius vrbem, adſcribit: Strabo in oppidis ſinus Iſſici, qui Cilicia non continetur, ſed in Syriam etiam excurrit, recenſet etiam Ῥωσὸν, καὶ Μυρίανδρον ἑτέραν πόλιν, καὶ Ἀλεξάνδρειαν, *Rhoſum*, & *Myriandrum, vrbem aliam*, & *Alexandream*, ſine diſtinctione regionis, ad quam poſitionis ratione referatur. Alii vero, & rectius in Cilicia illam cenſent, quia ante fauces anguſtiores, limitem vtriusque regionis, conſtituta eſt. Plinius lib. v cap. xxvii in Ciliciæ deſcriptione: *ſinus Iſſicus: oppidum Iſſos: inde Alexandria.* Et Stephanus in hac voce: Ἀλεξάνδρεια, - - - - ὀγδόη, τῆς Κιλικίας, *Alexandrea*, - - - *octaua*, *Ciliciæ.* nam plures eius nominis vrbes enumerat. Notitiæ, Hieroclis & altera, etiam in Cilicia ſcribunt, quibus vero minus in hoc loco eſt fidendum, quia Ciliciæ limitem ad finem vsque ſinus Isſici extendunt, vt Rhoſus etiam in Cilicia numeretur. Vt vero hæc Alexandrea ab vrbibus ceteris, eodem nomine vſis, diſcernatur, a vicina Iſſo cognominatur apud Ptolemæum, Ἀλεξάνδρεια ἡ κατὰ Ἰσσὸν, *Alexandria, quæ ad Iſſum eſt:* quod cognomen Latinis litteris Rauennas geographus anonymus lib. v cap. viii expreſſit *Alexandria cata Iſſon:* & contractis craſi voculis Peutingeriana Tabula, *Alexandria catiſſon*, cum vrbis celebrioris, vt ſolemne in illa Tabula, ſigno notabili adpoſito. Nicolaus Toinardus Diſſert. de nummis Traiani, Caracallæ, Commodi, Alexandrinis tradit, eſſe in eorum aliquibus Alexandriæ nomini ΚΑΤΑ ΙϹϹΟΝ adiectum, hoc eſt *apud Iſſum*, vt Ciliciæ vrbs ſignificetur: non, ΠΡΟϹ ΙϹϹΟΝ, vt ſuperiori Diſſertatione ediderat. Quod ſi eſt, non obiter Ptolemæi cognomen adiunctum eſt, ſed ex valida loquendi conſuetudine, tot monimentis diuerſorum ſæculorum adprobata. Memoratur hæc *Alexandria* etiam Antonini itinere, quod a Conſtantinopoli per Cappadociam Ciliciamque ducit vsque Antiochiam ad Orontem.

MEDITERRANEA CILICIAE CAMPESTRIS.

LXX.

Primas in mediterraneis vrbs *Tarſus* tenet, Græce Ταρσὸς, & antiquitate, & frequentia, multisque ornamentis, facile aliis antecellens. * Originem & adpellationem Periegeta ad Pegaſi & Bellerophontis fabulam refert, verſ. 868 ſeqq.

Κύδνȣ τε σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος,
Ταρσὸν ἐϋκτιμένην, ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος
Ταρσὸν ἀφεὶς, χώρῳ λίπεν ȣ̋νομα, τῆμος ἀφ' ἵππȣ
Ες Διὸς ἱέμενος πέσεν ἥρως Βελλεροφόντης.

Quod Auienus ita conuertit verſ. 1031 ſeqq.

Cydnus item mediæ diſcernit mœnia Tarſi.

Pegaſus

* Add. Nonni Dionyſ. XLI v. 357 p. 1072.

Pegaſus hoc olim ſuſpendit ceſpite ſe ſe,
Impreſſæque ſolo liquit veſtigia calcis:
Eſſet vt inſignis reuoluta in ſæcula ſemper
Nomen humo. Clari poſt vltima Bellerophontis
Hic ceſpes late producit Aleius arua.

2. A Pegaſi vngula, quam ibi amiſerit, nomen vrbis fingunt, quia Ταρσὸς etiam *planta pedis* eſt. Idem Stephanus ex Polyhiſtore Alexandro refert: ex Thrace autem Alexandro, ἀπὸ τῆς τοῦ Βελλεροφόντου πτώσεως, *a lapſu Bellerophontis* dictam, τῆς ἐκείνου χωλείας ὑπόμνημα ποιουμένων τῶν ἀρχαίων, *eius claudicationis memoriam priſcis* [hoc nomine] *facientibus.* Sed miſſis hiſce & aliis fabulis, vt illa de Perſeo conditore, quam Solinus habet cap. XXXVIII, & Ammianus lib. XIV cap. XXV: unde Lucanus etiam lib. III verſ. 225

Deſeritur Taurique nemus, Perſeaque Tarſos: *

quibus non diſſimilis de Sardanapalo traditio eſt, quam & Stephanus repetit, de Tarſo præter alias origines referens, κτίσμα Σαρδαναπάλου, *opus Sardanapali* eſſe; miſſis, inquam, his, putamus, quod idem chorographus poſt multas alias opiniones de Tarſo dixit, ἄποικος Ἀργείων, *colonia Argiuorum* eſt, propius accedere ad fidem faciendam: quamuis & huic opinioni aliquid fabulæ Strabo admiſcuerit. *Tarſus,* inquit, κεῖται μὲν ἐν πεδίῳ· κτίσμα δ' ἐστὶ τῶν μετὰ Τριπτολέμου πλανηθέντων Ἀργείων κατὰ ζήτησιν Ἰοῦς, *ſita eſt in campo, & colonia Argiuorum, qui Iûs quærendæ cauſſa cum Triptolemo vagati ſunt.*

3. Antiquiſſimam vrbem *Tarſon* eſſe, circa originem fabulæ oſtendunt: eamdemque a Græcis ortam, ſaltem colonia Græcorum auctam, mirabile ſtudium Græcarum artium & diſciplinarum probat. Strabo enim lib. XIV pag. 463 de Tarſenſibus: Τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρός τε φιλοσοφίαν καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονεν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ εἴ τινα ἄλλον τόπον δυνατὸν εἰπεῖν, ἐν ᾧ σχολαὶ καὶ διατριβαὶ τῶν φιλοσόφων καὶ τῶν λόγων γεγόνασι. *Tantum his hominibus ſtudium rerum philoſophicarum & diſciplinarum omnium, quas encyclias vocant, inceſſit, vt & Athenas & Alexandriam, & ſi quis alius locus, vbi philoſophiæ & humaniorum artium ſcholæ ſunt, ſuperauerint.* Egregia laus bene conſtitutæ ciuitatis. Ex quo intelligere licet, quam non ignarus Paulus apoſtolus doctrinæ & philoſophiæ fuerit, etiam Græcæ linguæ & eloquentiæ peritus ante, quam Gamalieli in theologia Iudaica formandum ſe & inſtruendum tradidiſſet.

4. *Cydnum* amnem mediam vrbem perlabi, magna auctorum conſenſione certum eſt. Dionyſii verba μέσην διὰ Ταρσὸν, *per mediam vrbem,* ſupra cognouimus. ** Strabo prædicto loco, διαρρεῖ αὐτὴν μέσην ὁ Κύδνος, *mediam vrbem Cydnus perfluit:* Mela lib. I. cap. XIII *Cydnus per Tarſum exit:* Plinius lib. V cap. XXVII *Cydnus Tarſum, liberam vrbem procul a mari*

* Epigrammat. Græc. lib. I ep. 3. add. Nonni Dionyſiac. XVIII v. 291 p 504.
** Add. Nonnus Dionyſiac. lib. I p. 24, & præſertim Xenophon de Cyri expedit. I p. 248 D.

mari ſecans. Arrianus lib. II pag. 89 Κύδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως, *Cydnus fluit per mediam vrbem:* & Curtius lib. III cap. V *mediam* [vrbem Tarſon] *Cydnus amnis interfluit.* Inſignem & maximum Ciliciæ amnem eſſe, Ammiani verba lib. XIV cap. XXV oſtendunt: *Ciliciam, quæ Cydno amne exſultat, Tarſus nobilitat.* Cetera de flumine ſupra in maritimis dicta: ſalubritatem eius Strabo neruis & podagra laborantibus commendat.

5. De ipſa *Tarſo* ciuitate Strabo: εὐανδρεῖ καὶ πλεῖστον δύναται, τὸν τῆς μητρόλεως ἐπέχουσα λόγον, *populoſa eſt & præpotens, & metropolis dignitatem ſuſtinet.* Plinius *vrbem liberam* dixit: & fuerat, credo, antiquitus libera, vt colonia Græca: etiam ſub Romanis, quod ipſum hoc Plinii teſtimonium adfirmat. An vero etiam colonia Romana? nego fuiſſe Plinii æuo, aut proxime inſequenti, quia nullum eius rei veſtigium in nummis adparet ante Caracallæ vel Elagabali tempora, ex quibus demum nummus hac epigraphe ſupereſt apud Patinum pag. 310, ΚΟΛ. --- ΙΟΝ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. quod Harduino ita ſupplendum ex aliis nummis videtur, ΚΟΛ. ΑΝΤΟΝ. (vel ΑΝΤΩΝ) quia triumuiris hæc ciuitas ſtuduit, * etiam antea Cæſaris partes ſequuta, ideo male a C. Caſſio multata fuit, quod damnum triumuirorum beneficentia penſatum. Dio Caſſius hæc narravit lib. XLVII pag. 342, & adeo pronos Tarſenſes in partes fuiſſe oſtendit, vt vrbem ſuam *Iuliopolim* maluerint adpellari. Verba Dionis hæc ſunt: οὕτω προσφιλῶς τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ, καὶ δι' ἐκεῖνον καὶ τῷ δευτέρῳ οἱ Ταρσεῖς εἶχον, ὥστε καὶ Ἰουλιόπολιν σφᾶς ἀπ' αὐτοῦ μετονομάσαι. *Adeo Cæſari priori, & eius gratia etiam poſteriori Tarſenſes fauebant, vt & vrbem ſuam Iuliopolim vocauerint.* Faciles omnino in nouis adſumendis nominibus erant, quæ in Caracallæ, Macrini, & Alexandri honorem ſumſiſſe nummi, qui ſuperſunt, teſtantur huius inſcriptionis: ΑΔΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Hadrianæ Tarſi metropoleos:* ** item, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗC CΕΥΗΡΑC ΤΑΡCΟΥ, ΜΗΤΡΟΠΟ. *Antonianæ Seueræ Tarſi metropolis.* etiam, ΤΑΡCΟΥ ΜΑΚΡΙΝΙΑΝΗC ΜΗΤΡ. *Tarſi Macrinianæ metropolis:* & tandem, ΑΔΡ. CΕΟΥΗ. ΑΛΕΞΑΝ. ΜΗΤΡ. ΤΑΡC. *Hadrianæ Seueræ Alexandreæ metropolis Tarſi.*

6. Quamquam vero antiquitas coloniæ probari non poteſt, non dubitandum tamen, ius Romanæ ciuitatis Tarſenſibus inde a Cæſaris temporibus, ſaltem triumuirorum, ſi non omnibus, pluribus tamen, & in iis etiam Pauli patri fuiſſe datum, quia natus apoſtolus ciuis Romanus fuit, eoque iure ſecundum legem Porciam vſus eſt Act. XVI, 37, & cap. XXII, 25, 28.

7. De ſitu Tarſi, quod addamus, ſupereſt. Ptolemæus in mediterraneis Ciliciæ ſcripſit: Plinius *procul a mari* poſitam dixit: ideoque ſuſpectus nobis Strabonis locus eſt, quo legitur, κἀκεῖθεν οὐ πλείους πέντε [στάδιοι] ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Κύδνου, *Inde* [a Tarſo] *non plura quam quinque ſtadia ſunt*

* Vid. Dio etiam lib. XLVII p. 394.

** Etiam in L. Aurelii Veri numis talis cernitur inſcriptio. Vid. Numiſm. Franciſci de Camps pag. 39. Eſt ibidem pag. 59 alius numus ΑΔΡΙΑΝΗC CΕΟΥΗΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC.

ſunt ad Cydni oſtia. Breuius vero hoc ſpatium eſt, quam vt propterea geographi vrbem a litorali tractu & maritima ora eximant, ſcribantque in mediterraneis. Puto πεντήκοντα *quinquaginta* Strabonem ſcripſiſſe, quia recentes auctores ſex millibus paſſuum a mari abeſſe tradunt. Albertus quidem Aquenſis lib. III cap. XIV ſcribit, Francos ex mœnibus Tarſi Friſiorum Flandrorumque naues *trans tria milliaria ab vrbe* in mari vidiſſe: ſed ſine dubio leugas Gallicas intelligit, de Francorum expeditione, cui ipſemet intererat, ſuas hiſtorias componens: vt cum aliorum ſex millibus paſſuum conueniant, etiam Straboni emendato reſpondeant, quia XLVIII ſtadia conficiunt: quo ſpatio admiſſo, & Plinio & Ptolemæo, de longiore diſtantia, ſua ſeruabitur auctoritas.

LXXI.

Hæc de Tarſo, principe vrbe Cilicum in parte mediterranea: poſt quam Ptolemæo ſunt Ἄδανα, *Adana.* Plinius lib. V cap. XXVII *Solæ Cilicii, nunc Pompeiopolis: Adana.* Stephanus, Ἄδανα, Κίλισσα πόλις, οὐδετέρως. *Adana, vrbs Ciliciæ, neutro genere.* Addit fabulam, ab *Adano,* Cæli & Terræ filio, conditam eſſe, adiuuante *Saro,* Adani ſocio: ab illo vrbem, ab hoc amnem, qui antea *Cœranos* dictus fuerat, *Sarum* adpellatum. Puto originem fabulæ ex eo eſſe, quod vrbs ad *Sarum* flumen poſita, nec vero a flumine, ſed aliunde nomen habebat. De ſitu Procopius lib. V Aedific. cap. V Ἄδανα πόλις· ἧς δὴ ἐς τὰ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ποταμὸς φέρεται, Σάρος ὄνομα, ἐκ τῶν ἐν Ἀρμενίοις ὀρῶν κατιών. ναυσίπορος δὲ ὁ Σάρος ἐστὶ, *Adana vrbs, quam ab oriente præterlabitur amnis Sarus, ex Armeniæ montibus decurrens. nauigabilis autem eſt Sarus.* Et Dio Caſſius lib. XLVII pag. 345 οἱ Ταρσεῖς πρὸς τὰ Ἄδανα, ὅμορά τε σφίσι καὶ διάφορα ἀεὶ ὄντα, ὥρμησαν, *Tarſenſes aduerſum vrbem Adana, quæ vicina ipſis, & cum qua ſemper controuerſiam habuerant, impetum fecerunt.* Memorauit etiam Appianus Bello Mithridat. pag. 394 piratas captiuos, ἐς Μαλλὸν καὶ Ἄδανα καὶ Ἐπιφάνειαν συνῴκιζε, *Mallum, Adana, Epiphaneam,* [Pompeius] *habitare iuſſit.* In nummis legitur ΑΔΑΝΕΩΝ, in vno cum effigie Veneris e mari emergentis: in aliis, cum cognominibus, ab Hadriano & Iulia Domna adſumtis, ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ, qui Valeriani nummus eſt, beneficium vero Hadriani memorat: item, ΙΟΥΛΙΑΝ. ΔΟΜΝΑΝ. CΕΒ. ΑΔΑΝΕΩΝ, ſi Harduini emendatio certa eſt. nam ab aliis in hoc vltimo legitur ΟΔΑΝΕΩΝ. In Eccleſiæ Notitiis Ἄδανα, *Adana* vrbs ſunt epiſcopalis: & Adanorum epiſcopus in Niceno & Chalcedonenſi conciliis habetur. Plurimis nomen eſt plurale: Zonaras tamen in Nicephoro Phoca quarto caſu Ἄδαναν.

LXXII.

Tertia Ptolemæi in mediterraneis vrbs eſt Καισάρεια πρὸς Ἀναζάρβῳ, *Cæſarea ad Anazarbum.* Videtur ſic a monte cognominare, cui ὁμώνυμος vrbs fuerat, antequam *Cæſarea* diceretur: quod etiam ex Stephano liquet, cuius mox verba proferemus. Plinius dicto loco: *Anazarbeni, qui nunc Cæſarea.* Ex quo adparet, erraſſe Suidam, in Ἀνάζαρβος quum ſcripſit, *Cyindam* olim vrbem dictam, deinde *Diocæſaream,* qua terræ mo-

tu collapſa, Neruam imperatorem miſiſſe quemdam Anazarbum nomine qui inſtauraret, a quo *Anazarbus* dicta fuerit. Plinius enim, longe ante Neruæ imperium exſtinctus, iam ſua ætate *Anazarbenos* ciues vocauit: nec nomen illud ab inſtauratore eſt (quamquam & Ammianus lib. XIV cap. XXV dixit, *Anazarbus, auctoris vocabulum referens*) ſed a monte, vt non obſcure Ptolemæi verba probant, & clarius Stephani, Ἀναζαρβὰ πόλις Κιλικίας, κέκληται ἀπὸ τοῦ προκειμένου ὄρους, *Anazarba vrbs Ciliciæ, dicta ab adiacente monte:* vtut dubius ſubiiciat, ἢ ἀπὸ Ἀναζάρβου τοῦ κτίσαντος, *aut ab Anazarbo conditore.* Quamuis autem *Cæſarea* aliquando in Auguſti gratiam, vel Tiberii, adpellata fuit; tamen *Anazarbus* inualuit, & nouum oblitteratum eſt. Nummi enim Lucii Veri & Valeriani ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΝ habent ſine mentione Cæſareæ. Hierocles in Cilicia Secunda Ἀνάζαρβος μητρόπολις, *Anazarbus metropolis:* atque ita etiam altera Notitia eſt epiſcopatuum. Patria fuit Dioſcoridis, qui apud Suidam dicitur Ἀναζαρβεὺς ἰατρὸς, *Anazarbenſis medicus:* & Oppiani poetæ Cynegetici, in cuius vita etiam non aliter, quam Ἀνάζαρβος, *Anazarbus* dicitur. Sub Iuſtiniano horribiliter terræ motu fuit concuſſa. Procopius Hiſt. Arcan. cap. XVIII σεισμοὶ καθεῖλον καὶ τὴν ἐν Κίλιξιν ἐπιφανεστάτην Ἀνάζαρβον, *terræ motibus proſtrata etiam Ciliciæ vrbs illuſtriſſima Anazarbus.* Ex quo quam ſplendida fuerit cognoſcitur, & digna omnino, quæ metropolis fieret Ciliciæ Secundæ. Cedrenus quoque in ſeptimo Iuſtini anno pag. 299 de eadem clade: Ἀνάζαρβος, μητρόπολις β′ Κιλικίας ἐπτώθη ὑπὸ σεισμοῦ φοβερωτάτου, *Anazarbus metropolis Secundæ Ciliciæ horribili terræ motu proſtrata fuit.* Etiam in Antonini itinere a Cæſarea Anazarbum, & in Tabula Peutingeriana *Anazarbo*, ſexto caſu, ſcribitur: quod ideo cumulatius adnotandum fuit, vt metatheſis quorumdam confutetur, qui *Anabarza* vel ex induſtria, vel librariorum culpa reliquerunt, in quibus Zonaras eſt, de eodem terræ motu ſub Iuſtino Thrace, πόλις Ἀνάβαρζος ἢ Ἀνάβαρζα, *vrbs Anabarzus ſiue Anabarza* ſcribens: & in Nicephoro Phoca p. 161 αἱρεῖ τὴν Ἀνάβαρζαν, *Anabarzam capit.* quem ad modum in Philoſtorgii lib. III cap. XV Gothofredi editione legitur εἰς τὴν τῆς Κιλικίας Ἀνάβαρζον ἀφικόμενος, *in Ciliciæ Anabarzum veniens:* Valeſius autem Ἀνάζαρβον, *Anazarbum* edidit; vt veteres omnes ſcripſerunt, vt etiam in nummis, quod vidimus, expreſſum eſt: quorum vnus a Patino pag. 256 exhibitus figuram Fluuii decumbentis habet cum ſubſcriptione ΑΝΑΖΑΡΒ. qui fluuius *Pyramus* eſt, Anazarbum præterlabens. Leuior mutatio in caſu eſt, quem pauci in Α formant, vt Stephanus ille Byzantius, de quo ſupra; aut in Η ſiue η, vt Nicephorus Calliſtus lib. XIV cap. XXXIX pag. 529 Φλαβιάς ἐστιν ὑπὸ τὴν Ἀναζάρβης μητρόπολιν, *Flauias eſt ſub Anazarbes metropoli:* item, ἐπισκοπὴ Ἀναζάρβης, *epiſcopatus Anazarbæ ſiue Anazarbes.* *

LXXIII.

Supra Mallon, citra Pyramum amnem eſt *Alëius Campus.* Strabo iam dicto loco, poſtquam de Mallo egerat, ὑπέρκειται τῆς παραλίας ταύτης Ἀλήϊον πεδίον

* Add. Spanhemii orb. Rom. Exerc. II c. 15 p. 408 ſeqq.

πεδίον, δι' οὗ Φιλώτας διήγαγεν Ἀλεξάνδρῳ τὴν ἵππον, *Supra hanc oram maritimam Campus Alëius eſt, per quem Philotas duxit Alexandro equitatum.* Eadem Arrianus lib. II pag. 92 Φιλώτᾳ δοὺς ἄγειν διὰ τοῦ Ἀληΐου πεδίου ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Πύραμον, *Philotæ negotio dato, vt duceret* [equitatum] *per Alëium campum ad flumen Pyramum.* Plinius ſæpe dicto loco: *oppida, Mallos, Magarſos, & intus Tarſos. Campi Aleii: oppida Caſſipolis, Mopſos liberum, Pyramo impoſitum: Thynos Zephyrium, Anchiale.* Totum locum exſcripſi, vt de numero Plinii iudicari poſſit. Quia ante narrauerat *oppida*, videri poteſt caſu patrio *Campi Aleii* poni, vt, quæ ſequuntur oppida in campo Aleio ſita fuerint. Quod in iis etiam ſunt maritima, campus autem ſupra oram in mediterraneis fuit; interciſio vulgaris excuſari poteſt, vt *Campi Aleii* pluratiuo numero a Plinio ſint adpellati. Ceteri ſingulari omnes. Dionyſius periegetes verſ. 872

Κεῖθι δὲ τὸ πεδίον τὸ Ἀλήϊον, - - - -

quod interpres Auienus vertit verſ. 1036

Hic ceſpes late producit Alëius arua.

LXXIV.

Ad Pyramum ſita erat *Mopſueſtia*, infra Anazarbum, proprior mari & oſtiis. Strabo in oppidis numerat, quæ in ſinu Iſſico ſint poſita: ſed & paullo longius reducta alia in illo habet numero. Ptolemæus quoque in mediterraneis poſuit. Græce ſcribunt coniuncte Μοψουεστία, Ptolemæus, Porcopius, alii: diuiſe Μόψου ἑστία Strabo, Stephanus, ceteri. Plinio eſt *Mopſos* ſimpliciter. *Oppida*, inquit, *Caſſipolis, Mopſos liberum, Pyramo impoſitum.* Et Stephanus: Μόψου ἑστία, πόλις Κιλικίας ἐπὶ τῷ Πυράμῳ ποταμῷ, ἀπὸ Μόψου τοῦ μάντεως, *Mopſi Heſtia oppidum Ciliciæ ad Pyramum amnem ſita, quæ a Mopſo vate nomen habet.* * Et Procopius de Aedific. lib. v cap. v Πόλις δέ που ἐστιν ἐν Κίλιξιν ἡ Μοψουεστία, τοῦ μάντεως, ὥς φασιν, ἐκείνου τοῦ παλαιοῦ ἔργον. ταύτην ποταμὸς παραῤῥεῖ Πύραμος, τῇ μὲν πόλει γινόμενος ἐγκαλλώπισμα, *Vrbs eſt Ciliciæ Mopſueſtia, vatis, vt ferunt, illius antiqui opus. Eam adluit amnis Pyramus, ſingulare vrbi ornamentum ferens.* Ex quo conſenſu adparet, aberrare illos a vero locorum ſitu, qui Mopſueſtiam flumini Saro, multum citeriori adponunt. Zonaras in Nicephoro Phoca pag. 161 τῆς Μοψουεστίας μέσον ποταμῷ τῷ Σάρῳ διαιρομένης, *flumine Saro mediam Mopſueſtiam diuidente.* Cedrenus de eodem imperatore, Mopſueſtiam obſidente, pag. 540 τέμνεται ἡ πόλις αὕτη μέσον τῷ Σάρῳ ποταμῷ *ſecatur hæc vrbs media a Saro fluuio.* Pyramo, vterque verius, vt vidimus, ſcripſſet. Ornamenta habuit ab Hadriano, cuius & nomen adſumſit. Nummus Antonini Pii ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ, *Hadrianorum Mopſeatarum.* Sic enim ciues eius adpellantur. Stephanus: ὁ πολίτης Μοψεάτης, κατὰ παραγωγὴν μιᾶς τῶν λέξεων, *Ciuis Mopſeates, quaſi formatum ab vna & ſimplici dictione.* Dignita-

(Ee) 2

* Epigrammat. Græc. lib. IV c. εἰς πόλ. p. 500

Μόψου τήνδ' ἐσορᾷς κλεινὴν πόλιν, ἥνποτε μάντις
Δείματο, τῷ ποταμῷ κάλλος ὑπερκρεμάσας.

gnitatem vrbis oſtendit etiam inſcriptio Græca, Antonino Pio facta, apud Gruter. pag. 255 num. 4, quæ præmiſſo Antonini titulo, ita habet:

- - - - - - - - - ΤΩ ΕΥΕΡΓΕΤΗ ΚΑΙ CΩΤΗΡΙ
ΑΔΡΙΑΝΗC ΜΟΨΟΥΕCΤΙΑC ΤΗC ΚΙΛΙΚΙΑC ΙΕΡΑC ΚΑΙ
ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΗC
ΚΑΙ CΥΜΜΑΧΟΥ ΡΩΜΑΙΩΝ - - - - - - - - - - -

euergetæ ac ſeruatori Hadrianæ Mopſueſtiæ Ciliciæ, ſacræ, liberæ, & aſyli, ſuis legibus viuentis, & fœderatæ ac ſociæ Romanorum. In Notitiis ſecundum locum in Cilicia Secunda habet.

LXXV.

Proxima Mopſueſtiæ fuerunt *Caſtabala*, a Ptolemæo etiam proxime poſt illam poſita. Aberrauit Stephanus, quum ad Strabonis XII prouocauit. Strabo enim ineunte illo libro Cappadociæ *Caſtabala* memorauit, quæ aliquando Ciliciæ tributa erant, poſt Cappadociæ reſtituta, ſita apud Cybiſtra, in Tauro, aut fere trans illum. Agit enim de præfectura περὶ Καςάβαλά τε καὶ Κύβιςρα μέχρι τῆς Αντιπάτρȣ Δέρβης τȣ͂ λῃςȣ͂, *circa Caſtabala & Cybiſtra vsque ad Derben Antipatri prædonis.* Alia ergo ſunt Ptolemæi & Plinii Caſtabala, ſita in auſtrali parte, reducta tamen a mari, inter Pyramum Pinarumque amnes, & inter Aegas ac Alexandriam. Antoninus itinere a Conſtantinopoli Antiochiam:

Aegas	- - - - - - -	
Catabolon	M. P.	XXVI
Bais	M. P.	XVI
Alexandriam	M. P.	XVI.

Prauum autem *Catabolon*, quod nemo dubitat, *Caſtabalum* eſſe, ſingulari numero etiam a Curtio lib. III cap. VII dictum. *Motis caſtris*, inquit, *& Pyramo amne ponte iuncto, ad vrbem Mallon peruenit: inde alteris caſtris ad Caſtabalum.* E quibus perinde ſitus, & eadem ratione, vt ex itinere Antonini illius, cuius nomen Itinerario præſcriptum eſt, non poteſt eſſe ignotus. In Notitiis eſt in Cilicia Secunda Καςάβαλα & Καςάβαλλα ſcriptum: ſed præſtat ſcriptura prior & lambda ſimplex, vt ceteri omnes id vocabulum conſignauerunt.

LXXVI.

Ptolemæi ordine ſuccedit *Nicopolis*, quam Strabo in oppidis Iſſici ſinus numerauit. Nec vero hi duo concordant, ſed Ptolemæus procul a ſinu, ſub Tauro monte, latitudinis gradu λζ, hoc eſt XXXVII locauit, quo Alexander numquam venit, cui Strabo videtur tamquam auctori, ſaltem memoriæ eius & honori tribuiſſe, quum in ſinu eam, qui ab Iſſo nominatur, poſuit. Medium locum videtur auctor Itinerarii tenuiſſe itinere a Nicopoli Edeſſam, quod per Commagenam ita ducit:

Nicopoli	- - - - - -	
Aliaria	M. P.	XIII
Gerbediſſon	M. P.	XV

Dolichen	M. P.	XX
Zeugma	M. P.	XXIV
Cannaba	M. P.	XXV
In Medio	M. P.	XXII
Ediſſam	M. P.	XVIII.

LXXVII.

Tandem Ptolemæus in mediterraneis Ἐπιφάνειαν, *Epiphaneam* ponit, quam etiam Plinius & Stephanus in Cilicia; Notitiæ epiſcopatuum in prouincia Secunda habent. Cicero lib. XV epiſt. IV diei itinere ab Amano monte reducit. *Pacare*, inquit, *Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere conſtitueram. Quumque me diſcedere ab eo monte ſimulaſſem, & alias partes Ciliciæ petere, abeſſemque ab Amano iter vnius diei, & caſtra apud Epiphaneam feciſſem; a. d.* IV *idus Octobres, quum adueſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, vt a. d.* III *idus Octobres, quum luciſceret, in Amanum adſcenderem.* Numeri in Ptolemæi expoſitione propius Nicopolim nos ducunt, a qua in Agathodæmonis tabula ſeiungitur longius Epiphanea. Sed magis fidendum tabulæ, quæ minus prauari poteſt quam numeri. Nec longe ab Iſſo videtur abfuiſſe, quia Cicero reuertens ex illa Amani parte, in quam vna nocte ab Epiphanea profectus erat, *caſtra*, quod in eadem epiſtola eſt, *in radicibus Amani habuit apud aras Alexandri quatriduum.* Aræ autem, victoriæ monimentum, in ripa Pinari fuerunt poſitæ, vt Curtius lib. III cap. XII refert, iuxta locum, in quo pugnatum fuerat. Quod lib. II epiſt. X ad Cœlium dicit, *victoria iuſta imperatorem adpellatus ſum apud Iſſum, quo in loco Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum, Clitarchus tibi narrauit.* Non longius ergo ab hoc loco remota videtur Epiphanea oppidum fuiſſe.

2. Denique *Amanicas Pylas* Ptolemæus in hac parte mediterranea adiungit, de quibus ſupra quum de Syriæ Pylis, ſiue Ciliciæ, in maritimis ageremus, abunde quoque dictum fuit.

LXXVIII.

Superſunt in ipſo Amano monte ſita, quæ Cicero deſcribit lib. XV epiſt. IV ad Catonem, a ſe oppugnata, capta, vaſtata. *Quum caſtra*, inquit, *apud Epiphaneam feciſſem, a d. quartum idus Octobres, quum adueſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, vt a. d.* III *idus Octobres, quum luciſceret, in Amanum adſcenderem, diſtributisque cohortibus & auxiliis, - - - pleroſque nec opinantes oppreſſimus qui occiſi captique ſunt, intercluſi fuga. Eranam autem, quæ fuit non vici inſtar, ſed vrbis, quod erat Amani caput; itemque Sepyram & Commorin, acriter & diu repugnantibus, Pomtino illam partem Amani tenente ex antelucano tempore vsque ad horam diei decimam, magna multitudine hoſtium occiſa cepimus, caſtellaque ſex capta, complura incendimus.* Ex his *Eranam* notamus, caput Amani, vicum magnum: item *Sepyram* & *Commorin*, etiam vicos vel caſtella. Sita fuerunt in ea Amani parte, ſub cuius radicibus Aræ Alexandri erant: & deſcendens Cicero ſtatim locum caſtris cepit, quo Alexandri aduerſus Darium caſtra fuerant,

rant, prope Iſſum oppidum, vt ibidem Cicero & lib. v ad Attic. epiſt. xx refert.

LXXIX.

Hinc ad oppidum *Pindeniſſum* exercitus adductus, quod *Eleutherocilicum* * erat, ſiue eorum, qui neque ſub regibus vnquam fuerant, Romanæ autem prouinciæ hoſtes ſempiterni. Hoc oppidum, quod munitiſſimum erat, operoſa obſidione cinxit, vallo, aggere, foſſa, ſex caſtellis circumdedit, aggere, vineis, turribus multisque tormentis oppugnauit, & ſeptimo demum ac quinquageſimo die cepit: quod iisdem epiſtolis, etiam lib. II epiſt. x ad Cœlium narratur. Situm oppidum fuit *altiſſimo & munitiſſimo loco*, prope Amanum montem, quod ex Ciceronis expeditione liquet: non in ipſo Amano; alioqui non Erana, ſed Pindeniſſus, caput montis fuiſſet, quia & maior hæc & munitior fuit quam Erana. Plura de eo oppido non habemus.

LXXX.

Non longe aberant *Tibarani*, populus æque, vt Eleutherocilices Romanis infeſti. Cicero dicta ad Catonem epiſtola: *His* [Eleutherocilicibus] *erant finitimi pari ſcelere & audacia Tibarani: ab his, Pindeniſſo capto, obſides accepi.* Alii vero hi ab illis Tibarenis fuerunt, quos Strabo lib. XII pag. 378 in Ponto locauit, τῆς Τραπεζοῦντος ὑπερκειμένους, *ſupra Trapezuntem ſitos*: quamquam nolimus negare, eiusdem fuiſſe originis, & hos forſan ab illis in has partes Ciliciæ eſſe profectos: niſi grauius diſcrimen in vna littera velimus quærere, dum, qui Straboni ſunt Τιβαρηνοὶ, *Tibareni*; in melioribus Ciceronis libris ſcribuntur *Tibarani*.

LXXXI.

Antequam ex Cilicia in Cappadociam diuertamus, de *Pylis*, quibus iter in Cappadociam eſt, dicendum reſtat. Cilicia fere vndique, vbi a mari diſcedit, cingitur montibus, Tauro & Amano, & paucos eosque difficiles ac anguſtos habet aditus. Curtius lib. III cap. IV *Perpetuo iugo montis aſperi ac prærupti Ciliciæ includitur: quod quum a mari ſurgat, velvti ſinu quodam flexuque curuatum, rurſus altero cornu in diuerſum litus excurrit. Per hoc dorſum, qua maxime introrſum mari cedit, aſperi tres aditus & peranguſti ſunt: quorum vno Cilicia intranda eſt.* Et paullo ante: *Aberat ea regio* [Cappadociæ] *quinquaginta ſtadia ab aditu, quo Ciliciam intramus. Pylas incolæ dicunt, arctisſimas fauces, munimenta, quæ manu ponimus, naturali ſitu imitante.* Poſtea vero, eodem cap. IV, *Alexander fauces iugi, quæ Pylæ adpellantur, intrauit. Contemplatus locorum ſitus, non alias magis dicitur admiratus eſſe felicitatem ſuam; obrui potuiſſe vel ſaxis confitebatur, ſi fuiſſent, qui in ſubeuntes propellerent.* Quos tres aditus *introrſum qua maxime iugum a mari recedat*, dixit, non memini ab aliis ſcriptoribus memorari, qui tres quidem notificant, ſed non omnes introrſum a mari quam maxime cedentes. Amanicæ enim Pylæ, & his vicinæ Syræ, in ora ſunt & mari proximæ, neque recedunt introrſum longe, aut abeunt maxime

* Nominis huius origo apud Diodorum Sicul. III pag. 188 videre eſt.

maxime a mari, vt verear, Curtium de tribus accepiſſe, & omnes tres plagæ, qua transeundum Alexandro ex Macedonia erat, adplicuiſſe, quod non raro ille in geographia, etiam alibi locorum aberrauit. Arrianus lib. II vnius aditus meminit, quo Alexander ex Cappadocia Ciliciam intrauit, quas πύλας τῆς Κιλικίας, *Ciliciæ pylas* ſiue *portas* vocat: diſtinctius Cicero lib. v ad Attic. epiſt. xx *Tauri pylas*, quia per Taurum præbent tranſitum. *Perrexi,* inquit, *in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit. - - - - Itaque confeſtim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas. Tarſum veni a. d.* III *non. Octobres.* Videtur easdem pylas, quas Alexander, tranſiiſſe, quia vterque inde ad Tarſum recta ferebatur. Quod ſi diverſæ ſunt, non tamen longius videntur ſeparatæ eſſe, quemadmodum geminæ & propinquæ pylæ in Syriam ex Cilicia ferebant, vt ſupra ex Arriano & Plutarcho probatum fuit. Quod ſi plures hoc loco per Taurum fuerunt tranſitus, vnus tamen facilior frequentiorque, quem Strabo lib. XII pag. 370 deſcripſit, ſupra Tyanitidem eſſe, quæ ſubiaceat τῷ Ταύρῳ τῷ κατὰ τὰς Κιλικίας πύλας, καθ' ἃς εὐπετέσαται καὶ κοινόταται πᾶσιν εἰσὶν αἱ εἰς τὴν Κιλικίαν καὶ τὴν Συρίαν ὑπερβολαί· *Tauro* [Tyana ſubiacent] *ad Cilicias portas: iuxta quas facillimi eius ſunt omnibusque communisſimi in Ciliciam & Syriam tranſitus.*

CAPVT VII
DE
INSVLA CYPRO
ET MINORIBVS ALIIS.

I.

DE inſulis Aſiæ adiacentibus ab occaſu ſolis, actum ſupra fuit cap. II huius libri. Nunc per auſtralem plagam prouehemur ab Rhodo vsque in Syriam, vbi paucæ minores occurrunt: maxima autem *Cyprus* compenſat quidquid huic mari deeſt inſularum. Quemadmodum igitur Strabo poſt Ciliciæ explicationem, Cyprum inſulam, quæ obiecta eidem eſt, exponit: ita nos pariter ex Cilicia in hanc inſulam diuertimur, vt tamen minores aliquas ſub Lycia & Pamphylia non negligamus.

II.

Scylax Caryandenſis cap. de Lycia, poſtquam de Rhodo egerat, εἶτα Χελιδονίαι, ἀκρωτήριον καὶ νῆσοι δύο, καὶ Διονυσιὰς νῆσος. *Deinde,* inquit, *Chelidoniæ ſunt, promontorium & duæ inſulæ: & inſula Dionyſias*, ſiue vt Voſſius legendum cenſet, *Dionyſia.* Stephanus quoque tantum duas habet Chelidonias. εἰσὶ καὶ, inquit, Χελιδονίαι πέτραι, ὧν πολλάκις ἐμνήσθημεν. Δύο δέ εἰσι κεκλημέναι, ἡ μὲν Κορύδελα, ἡ δὲ Μελανίππεια. *Sunt etiam Chelidoniæ petræ, quarum ſæpe meminimus. Sunt autem duæ vocatæ, vna quidem Corydela, altera vero Melanippea.* niſi duas tantum nominatas dixit, reliquam vel reliquas ſine nomine. Dum *petras* vocat, conſentientem Ptolemæum habet,

bet, cui lib. v cap. III extremo ſunt Χελιδόνιαι σκόπελοι, *Chelidoniæ ſcopuli.* Ceteri tres numerant Chelidonias. Strabo lib. XIV pag. 458 εἶθ' ἱερὰ ἄκρα καὶ αἱ Χελιδονέαι τρεῖς νῆσοι τραχεῖαι, πάρισοι τὸ μέγεθος, ὅσον πέντε σταδίοις ἀλλήλων διέχουσαι· τῆς δὲ γῆς ἀφεστᾶσιν ἑξαστάδιον. *Deinde Sacrum promontorium eſt, & Chelidoneæ tres inſulæ aſperæ, magnitudine æquales, inter ſe quinque, a continente ſex ſtadiis disiunctæ.* Et Plinius lib. v cap. XXXI *In Lycio mari Illyris, Telendos, Attelebuſſa, Cypriæ tres ſteriles; & Dionyſia, prius Caretha dicta. Deinde contra Tauri promontorium peſtiferæ nauigantibus Chelidoniæ totidem.* Quas ante nominat, quia a Cypro Rhodum progreditur, ab ortu ſunt Chelidoniarum, ſed minus notæ: niſi quod *Atelebuſam* Ptolemæus Pamphyliæ ſubiecit. Ab occaſu, ſiue inter Chelidonias & Rhodon, Strabo dicto loco habet νησία πολλὰ, *multas paruas inſulas*, e quibus ſolam maximam Κισθήνην, *Ciſthenen* nominauit. De Chelidoniis autem, earumque numero clare aperteque Dionyſius perieg. v. 505

- - - - - ἄντα δὲ πέζης
Αἰγυπτίης Ῥόδος ἐστὶν, Ἰηλυσίων πέδον ἀνδρῶν,
Τήνδε μετ' ἀντολίην δὲ Χελιδόνιαι γεγάασι
Τρεῖς νῆσοι, μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Ex aduerſo autem oræ Ægyptiæ Rhodus eſt, Ialyſiorum ſolum hominum. Poſt hanc, orientem verſus, Chelidoniæ tres ſunt inſulæ, magnum Patareum intra promontorium. Situm propius Lucianus in Nauigio deſcripſit. *Aiebat,* inquit, *ſe tempeſtate magna iactatos decimo tandem die per anguſtias illas* ἐπὶ Χελιδονέας, *ad Chelidoneas, vbi parum abfuerit, quin omnes ſubmergerentur. Noui autem, aliquando etiam* παραπλεύσας καὶ αὐτὸς Χελιδονέας, *præteruectus ipſe Chelidoneas, quanti ſe eo loci attollant fluctus, & maxime flante Africo, ſi quando adſumſerit & Auſtri partem aliquam ſecum.* μετ' ἐκεῖνο γὰρ δὴ συμβαίνει μερίζεσθαι τὸ Παμφύλιον ἀπὸ τῆς Λυκιακῆς θαλάσσης. *nam ab eo loco contingit diuidi Pamphylium mare a Lycio.* Hinc intelligimus, quare Plinius *peſtiferas nauigantibus* has inſulas ſupra dixerit. Vim & impetum tempeſtatis Lucianus maxime obiecto promontorio, eiusque poſitioni tribuit, quod Liuius lib. XXXIII cap. XLI *Chelidonium promontorium* vocat. *Cyprum,* inquit, *tendens, quum Chelidonium promontorium ſuperaſſet, paulliſper ſeditione remigum eſt retentus in Pamphylia circa Erymedontem amnem.* Hoc ipſum eſt *Sacrum* Strabonis promontorium, ἱερὰ ἄκρα, vt ſupra vidimus; & Plinii *promontorium Tauri*, de quo etiam in Lycia multum diximus. *Chelidonium* autem vocatur, quia e regione eſt inſularum Chelidoniarum. Plinii inſula *Dionyſia*, eſt Scylacis *Dionyſias*, ſiue *Dionyſia*, vt forte legendum eſt; quam prope Chelidonias poſuit.

III.

Hæc de Chelidoniis. Sunt autem inter ipſas & Rhodum plures aliæ, νησία πολλὰ, vt ſupra a Strabone vocari diximus, id eſt *multæ paruæ inſulæ*; ſeu, vt Plinius ait lib. v cap. XXXI, *multæ ignobiles* in Lycio mari: e quibus notiores, *Megiſta*, cuius ciuitas interiit, vt Plinius notauit; quæ etiam Ptolemæus Μεγίστη, id eſt *Maxima* eſt in mari Lycio lib. v cap. III: & contra Chimæ-

Chimæram *Dolichiſte*, vt etiam Plinius poſitionem deſignauit: & Ptolemæo ibidem Δολιχίςη: qui & poſt Chelidonias habet in Pamphylio mari *Κράμβουσαν. Crambuſam*, quæ Plinio *Crambuſſa* ſcribitur. Strabo lib. XIV p. 461 Ciliciæ ſubiecit. Sic enim recenſet: *Poſt Calycadnum eſt petra Pœcile, cui inciſi ſunt gradus, qua Seleuciam itur:* deinde Anemurium promontorium: hinc Κράμβουσα νῆσος, καὶ Κώρυκος ἄκρα. *Crambuſa inſula, & Corycum promontorium, ſupra quod ad* XX *ſtadia eſt antrum Corycium, in quo crocus naſcitur.* Hunc ordinem ſeruauit Strabo: ad quem proxime Stephanus quoque accedit, cui eſt Κραμβοῦσα νῆσος περὶ Σελεύκειαν τῆς Ισαυρίας, *Crambuſa inſula circa Seleuciam Iſauriæ*, quæ eadem ad Calycadnum Seleucia eſt. De *Atelebuſa* Plinii & Ptolemæi, in Pamphylio mari ſita, ſupra aliquid diximus. * De *Elæuſa* ſiue *Elëuſa* inſula Ciliciæ, quam Archelaus rex condidit & habitauit, dictum in continente Ciliciæ, cui proxima eſt. Strabo enim iam dicto loco: εἶτ᾽ ἡ Ελέουσα νῆσος μετὰ Κώρυκον, προσκειμένη τῇ ἠπείρῳ, ἣν συνῴκισεν Αρχέλαος καὶ κατεσκευάσατο βασίλειον. *Deinde poſt Corycum Elëuſa inſula eſt, adiacens continenti, quam Archelaus condidit, & regiam ſibi fecit.* Adiacet autem Ciliciæ Aſperæ, quam Archelaus tenuit; ſed in limite Campeſtris, ſeu vbi Trachea deſinit. Hæc igitur de minoribus inſulis: ſequitur maior, aut maris huius maxima

INSVLA CYPRVS.

IV.

De Cypro, ** nobiliſſima inſula, Plinius lib. V cap. XXXI *Cilicium mare ex quinque maximis* [mediterranei inſulis] *Cyprum habet, ad ortum occaſumque Ciliciæ, ac Syriæ obiectam, quondam nouem regnorum ſedem.* Regnorum numerum a Mela accepit, qui lib. II cap. VII *Cypros*, inquit, *recto iugo inter Ciliciam Syriasque porrigitur ingens, vt quæ aliquando nouem regna ceperit, & nunc aliquot vrbes ferat: quarum clariſſimæ Salamis & Paphos, &, quo primum ex mari Venerem egreſſam accolæ adfirmant, Palæpaphos.* De Cypri regulis Alexandri temporibus Arrianus lib. II a pag. 34, & Diodorus lib. XIX cap. LXXIX conſulantur. De nominibus Cypri antiquis, quæ plura dicuntur fuiſſe, ita Plinius ex aliorum relatione: *Vocatam ante Acamantida, Philonides: Ceraſtin, Xenagoras: & Aſpeliam, & Amathuſiam, & Macariam: Aſtynomus, Crypton, & Coliniam, prodiderunt.* *** Rationes nominum *Acamantidis*, & *Amathuſiæ*, & *Macariæ* non obſcuræ ſunt; iſtud enim a promontorio, illud ab vrbe, hoc a fertilitate dictum eſt. Lycophron duo nomina habet, quorum alterum ipſum *Ceraſtis*, ſed caſu alio eſt: alterum *Aſpeliam* Plinii corruptam vocem eſſe arguit. Sic enim verſ. 447 Alexandræ:

Οἱ

* Videlicet §. 2.

** Ælian. V de Anim. cap. 56 Καὶ λέγουσί γε Κύπριοι εὔγεων οἰκεῖν χῶρον, καὶ ταῖς Αιγυπτίων ἀρούραις τολμῶσιν ἀντικρίνειν τὰς σφετέρας. Sed hoc & multa alia de Cypri fertilitate Io. Meurſius in libro de Cypro Amſtelodami An. 1675 edito iam præcepit.

*** Plura cum de his, tum aliis nominibus dabit Meurſius de Cypro, qui c. 2 & 3 ſtudioſe collegit.

Οἱ πέντε δὲ Σφήκειαν εἰς Κεραστίαν
Καὶ Σάτραχον βλώξαντες, *

Quinque in Spheceam Ceraſtiam & Satrachum venientes: id eſt Teucer, Acamas, Cepheus, Agapenor & Praxander in Cyprum ferentur, vt Tzetzes interpretatur. qui de nominibus ita: ἡ Κύπρος πρότερον Σφήκεια ἐκαλεῖτο, ὥς φησι Φιλοστέφανος ἐν τῷ περὶ Κύπρου, ἀπὸ τῶν ἐνοικησάντων ἐκεῖσε ἀνδρῶν, οἳ ἐκαλοῦντο Σφῆκες. ἐκαλεῖτο δὲ Κεραστία, ** ὡς μὲν Ανδροκλῆς ἐν τῷ περὶ Κύπρου λέγει, διὰ τὸ ἐνοικῆσαι αὐτῇ ἄνδρας οἳ εἶχον κέρατα· ὡς δὲ Ξεναγόρας ἐν τῷ περὶ Νήσων, διὰ τὸ ἔχειν πολλὰς ἐξοχὰς, ἃς κέρατα καλοῦσι. *Cyprus olim Sphecea vocabatur, vt Philoſtephanus in libro de Cypro tradit, ab incolis, qui Spheces dicebantur. Vocata vero etiam Ceraſtia, vt quidem Androcles in de Cypro dicit, quod homines incoluerint, qui cornua haberent: aut vt Xenagoras de Inſulis libro, quod multas* [terræ in mare] *prominentias habeat, quas* [Græci] κέρατα, *cornua appellent.* Fabula Androclis explodenda eſt: Xenagoras autem quod res eſt iudicauit: & talis inſignis protenſio terræ inter Salaminem & Clides eſt. *** Nihilominus Ouidius, vt poetæ ſolent, fabulæ inhæret, aut ad illam alludit lib. x Metamorph. verſ. 222

- - - *gemino quondam quibus aſpera cornu*
Frons erat: vnde etiam nomen traxere Ceraſtæ.

Lycophronis autem Satrachus ſecundum Tzetzem eſt non ipſa inſula, ſed πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου, *oppidum & flumen Cypri:* vtrumque vero ignotum. Strabo lib. XIV inſulæ magnitudinem ita deſcribit, vt κύκλος, *ambitus* eius ſit κατακολπίζοντι, *ei, qui omnes illius ſinus permeet,* CIↃ CIↃ CIↃ CCCCXX ſtadiorum: longitudo autem a Clidibus ad Acamanta, id eſt ab ortu in occaſum, terreſtri itinere, ſit CIↃ CCCC ſtadiorum. Conuenit fere cum Timoſthene qui apud Plinium in circuitu habet CCCCXXVIII. M. IↃ: Iſidorus autem CCCLXXV. M. qui ſinuum lacinias poſthabuit. Nunc ad oram per latera explicandam ſuccedemus: deinde mediterranea.

LATVS SEPTEMTRIONALE.

V.

A ſeptemtrionali latere incipimus, quod maxime vicinum eſt Ciliciæ, vnde progreſſi ſumus. Poſt Acamantem, quod occidentalis vltimum eſt ſeptemtrionem verſus promontorium, occurrit in ſeptemtrionali latere *Arſinoe* Ptolemæi & Strabonis, reginæ Ægyptiacæ nomen ferens, quia Cyprus Ægyptiorum fuit Macedonum, ſiue Ptolemæorum. Strabo lib. XIV ſub finem: πρὸς ἕω μετὰ τὸν Ακάμαντα πλοῦς εἰς Αρσινόην πόλιν, καὶ τὸ τοῦ

Διος

* Nonnus Dionyſiac. XIII v. 431 pag. 376
Εθωρήσσοντο δὲ πολλοὶ, οἳ ἔλαχον
Σφηκείας ἀλίκλυπον ἄντυγα νήσου
Κύπρον εὐπτερύγων θεοδέγμονα νῆσον ἐρώτων.

** Nonnus Dionyſiac. XIII v. 441 p. 376
- - Καὶ Παφίην ὤδινε Κεραστάδος εἰς χθόνα Κύπρου.

*** Erat Cyprus Veneri ſacra. Euripid. Bacch. v. 400. Id quod ex antiquitate etiam memorabile eſt. Vidit iam Meurſius omnia huius inſulæ commemorabilia complexus diligentisſime.

Διὸς ἄλσος, *Poſt Acamantem, orientem verſus, ad oppidum Arſinoen nauigatio eſt, & ad Iouis lucum.*

2. Deinde eſt *Callinuſa* promontorium Ptolemæi.

3. Tum *Solæ* ſiue *Soli*, Σόλοι, oppidum. Sic Ptolemæus locauit: etiam Strabo, εἶτα Σόλοι πόλις, λιμένα ἔχουσα καὶ ποταμὸν, καὶ ἱερὸν Ἀφροδίτης καὶ Ἴσιδος, *Deinde* [poſt Arſinoen & Iouis lucum] *vrbs Solæ, habens portum & flumen, & templum Veneris ac Iſidis.* Sic legendum Σόλοι, cum Scylace, Plutarcho, Ptolemæo, & Plinio, non vt editum eſt Σόλους. Plinius lib. v cap. XXXI *Salamis, Amathûs, Lapethos, Solæ.* Idem ergo nomen Solorum Cypri & Ciliciæ: non autem illa ab hac denominationem habuit, ſed a Solone ſapiente ac legumlatore Athenienſi. qui in Cypro exſulans apud regulum *Æpeæ*, perſuaſit illi, vt vrbem ſuam ex loco aſpero & ſterili transferret in ſubiectum καλὸν πεδίον, *amœnum & bonum campum:* quod ille fecit, & τῷ Σόλωνι τιμὴν ἀποδιδοὺς, Αἴπειαν καλουμένην τὴν πόλιν πρότερον, ἀπ' ἐκείνου Σόλους προσηγόρευσε, *in honorem Solonis, vrbem antea Æpêam dictam, Solos nominauit.* Hæc Plutarchi fide in Solone pag. 93. Æpeæ etiam meminit Stephanus.*

VI.

Vbi maxime in ſeptemtrionem excurrit, promontorium eſt, Straboni dictum Κρομμύου ἄκρα, Ptolemæo Κρομμύων ἄκρα, hoc eſt *cepæ* vel *ceparum* promontorium. Latine etiam expreſſum videmus in extrema epiſtola Caſſii ad Ciceronem, quæ lib. XII epiſt. XIII eſt, ſecundum P. Victorii lectionem ſcripta *idibus Iun. Cypro, a Crommyu acride.* Victorium Græuius & Gronouius ſequuntur. Sed MSS. mire inter ſe diſſentiunt.

VII.

In medio latere eſt vrbs *Lapathus*, ſiue *Lapethus*, ſiue *Lapithus*; nam tot modis ſcribitur. Strabo: ἐν τῷ μεταξὺ Λάπαθός τε ἐστὶ πόλις, ὕφορμον ἔχουσα, *in medio* [latere] *vrbs eſt Lapathus, ſtationem habens.* Stephanus Λάπηθος ſcripſit, vt Plinius *Lapêthus* Latine. Stephanus prouocat etiam ad Alexandrum Epheſium, in verſu, qui, obſtante metro, corrumpi non poteſt, ita ſcribentem:

Βήλου δ' αὖ Κίτιόν τε καὶ ἱμερόεσσα Λάπηθος.

Rurſus autem Beli Citium, & amabilis Lapethus. Ptolemæo eſt Λάπιθος, *Lapithus* per iota; & Diodoro Siculo lib. XIX cap. LIX ὁ Λαπίθιος βασιλεὺς, *rex Lapithius*, etiam per iota. Nihilominus Plinii & Stephani ſcripturam ducimus præferendam eſſe, quia in Golzii Græcia Tab. XXVII nummus cum palmæ icone eſt, inſcriptus ΛΑΠΗΘΕΩΝ. Cyprum autem etiam palmas ferre, Plinius auctor eſt lib. XIII cap. IV. Nec deſunt indicia, Stephanum Strabonis verba ſublegiſſe, ὕφορμον ἔχουσα καὶ νεώρια, quæ eadem apud Stephanum in Λάπηθος leguntur, niſi quod hic ἔφορμον habet, vbi ille ὕφορμον. Quod ſi eſt, coniicere licet, in Strabonis illum codice non Λάπαθος, ſed Λάπηθος etiam legiſſe.

VIII.

Hinc Ptolemæo ſunt *Lapithi* fluminis oſtia, haud dubie ad ipſam vr-

* Adde Meurſii libr. citat. cap. 7 pag. 19, 20.

bem cognominem: deinde Κερωνία, *Ceronia*; Scylaci Κερύνεια, *Cerynia*. bene; quia Diodoro, loco antea dicto, regulus ὁ Κερυνίτης, *Cerynita* vel *Cerynenſis* in Cypro eſt: qui conſenſus vtique veriorem ſcripturam confirmat, & Ω Ptolemæi corruptionis arguit. Caſaubonus putat in Strabonis libris hanc vrbem ſub prauato vocabulo νεώρια latere, quod ad Lapathum ibidem tractum ſit: verum quia & Stephanus illa verba cum Lapetho legit, non eſt quod mendum in voce illa ſuſpicemur. Succedit apud Ptolemæum *Macaria* oppidum, quod totius inſulæ antiquum nomen fuiſſe, ſupra ex Plinio demonſtratum eſt.

IX.

Tum denique ſequitur *Aphrodiſium*, inter quod & Lapathum nihil apud Strabonem eſt, præter ſuſpectam *Agidum*, quam alii *Nagidum* legunt, verba, καθ' ἣν ἦν Ἄγιδος, ita diuidentes, καθ' ἣν ἡ Νάγιδος. * De Aphrodiſio autem Strabo ita: εἶτ' Ἀφροδίσιον, καθ' ὃ στενὴ ἡ νῆσος, *deinde Aphrodiſium eſt, iuxta quod inſula coanguſtatur.* Salamini eſt oppoſitum, & eum ea peninſulam illam, quæ hinc in ortum ſolis ad Clides vsque protenditur, tamquam in iſthmo, laxiore tamen, claudit. Diſtat enim a Salamine Aphrodiſium LXX ſtadiis ex Strabonis dimenſione.

X.

Prope abeſt, in ortum verſus, Ἀχαιῶν ἀκτὴ, *Achiuorum acta* ſiue litus, vt Strabo & Ptolemæus vocant, ita nominatus locus, quod Teucer, qui Salaminem condidit, hîc προσωρμίσθη πρῶτον, *primum adpulerat*, a patre Telamone ex patria eiectus.

XI.

Extrema in hoc latere, boream ſpectante, Ptolemæo eſt Καρπασία, *Carpaſia*, ſita in ipſis anguſtiis peninſulæ. Strabo, Καρπασία λιμένα ἔχουσα, *Carpaſia, portu prædita:* Scylax diphthongo ſcripſit Καρπάσεια, *Carpasêa*. At Stephanus quoque ſimplici littera Καρπασία, *Carpaſia:* & Diodorus Siculus lib. XX cap. XLVIII de Demetrio Antigoni filio: διέπλευσεν εἰς τὴν Κύπρον, καὶ τὸ μὲν πρῶτον κατεστρατοπέδευσεν ἐν τῇ παραλίᾳ τῆς Καρπασίας, *in Cyprum* [ex Cilicia] *nauigauit, & in Carpaſiæ ora caſtra poſuit*, - - - *deinde* εἷλε κατὰ κράτος Οὐρανίαν καὶ Καρπασίαν, *vi cepit Vraniam & Carpaſiam.* Plinius ſcripſit *Carpaſium*, neutro genere.

XII.

Vrania autem Diodori incerta & nomine & ſitu eſt. quidam enim malunt Ἡρανίαν, *Erania* legere. Sed quodquod nomen fuit, haud procul a Carpaſia fuit, quia in Carpaſiæ ora caſtra Demetrius habuit, & illa vrbe ac Vrania potitus ad Salamina obſidendam progreſſus eſt.

LATVS ORIENTALE CYPRI.

XIII.

Ex Ptolemæi diſpoſitione hic primum eſt Οὐρὰ βοὸς, ἄκρα, *Cauda bovis, promontorium:* pro quo in Palatino eſt codice Κλεῖδες ἄκρα, *promontorium*

* Add. Meurſius l. c. cap. 13 pag. 42.

rium Clides, quamquam *Clides* aliis ſunt inſulæ huic extremo promontorio obiectæ. Promontorium Plinius *Dinaretum* dixit, vnde longitudinem inſulæ metitur. Verba infra in *Acamante* proferemus.

XIV.

Strabo etiam ibi promontorium & montem agnoſcit, cuius ſummitatem *Olympum* vocat. εἶτ' ἄκρα, inquit, καὶ ὄρος· ἡ δ' ἀκρώρεια καλεῖται Ὄλυμπος ἔχουσα Ἀφροδίτης Ἀκραίας ναὸν, ἄδυτον γυναιξὶ καὶ ἀόρατον. *Deinde* [poſt Carpaſiam] *eſt promontorium & mons: ſummitas autem Olympus vocatur, in qua Veneris Acrææ fanum eſt, quod adiri aut conſpici a femina nefas habetur.*

XV.

Præiacent (πρόκεινται) illi monti vel promontorio αἱ Κλεῖδες, *inſulæ Clides*, & quidem πλησίον, *e propinquo*, vt idem Strabo adnotauit. De numero lis eſt. Strabo: εἰσὶ δὲ αἱ μὲν Κλεῖδες νησία δύο προκείμενα τῇ Κύπρῳ κατὰ τὰ ἑωθινὰ μέρη τῆς νήσου, *Sunt autem Clides duæ paruæ inſulæ ante Cyprum ſitæ ad ortiuas eius partes.* Plinius autem numerat quatuor. *In eodem*, inquit, *ſitu Eleuſa inſula eſt: & quatuor ante promontorium ex aduerſo Syriæ, Clides.* Addidit Strabo tamen verbis antea memoratis (πρόκεινται δὲ πλησίον αἱ Κλεῖδες, *præiacent, prope promontorium, Clides*) ſignificationem aliarum, e quibus Plinius numerum ſuum auxit. Continuo enim adiecit, καὶ ἄλλαι δὲ πλείους, *& aliæ plures.*

XVI.

Adiungit etiam *Carpaſias inſulas* ab oppido Carpaſia per iſthmum ſeu anguſtam ibi terram XXX ſtadiis diſtantes: quæ corrupte in Ptolemæi lib. V cap. XIV extremo leguntur Κάρπασαι νῆσοι, *Carpaſæ inſulæ.*

XVII.

Deinde Ptolemæi eſt Ἐλαία ἄκρα, *Elæum promontorium*, & tum vrbs Σαλαμὶς, *Salamis.* Strabo: καὶ μετὰ ταύτας ἡ Σαλαμὶς, *& poſt has* [inſulas Carpaſias] *eſt Salamis.* Pomponius Mela lib. II cap. VII *Cypros nunc aliquot vrbes habet, quarum clariſſimæ Salamis & Paphos.* Plinius lib. V cap. XXXI *Oppida in ea* [Cypro] XV, *Nea Paphos, Palæpaphos, Curias, Citium, Corineum, Salamis, Amathûs, Lapethos, Solæ*, cetera. Thucydides lib. I pag. 73 πλεύσαντες ὑπὲρ Σαλαμῖνος τῆς ἐν Κύπρῳ, *ſuper Salaminem, quæ in Cypro eſt, nauigauerunt.* quod addendum erat, vt diſtingueretur a Salamine in ſinu Græcorum Saronico. A Teucro enim condita eſt, Telamonis filio, vt Strabo narrat: * is vero in patriæ memoriam, pulſus a parente, hanc ipſam quoque, quam in Cypro vrbem condidit, *Salaminem* adpellauit. Horatius lib. I oda VII

Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro:
Certus enim promiſit Apollo,
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.

(Ff) 3 Vnde

* Add. Nonnus Dionyſiac. XIII verſ. 461 pag. 378, Æſchylus, Velleius, item Iſocrates Euagor. p. 454 ſqq. vbi plura de fatis vrbis, item p. 460, 468. Omnia hæc vt video Meurſius occupauit cap. 20 libri citati.

Vnde Scylax in Cypro: Σαλαμὶς Ἑλληνὶς, λιμένα ἔχουσα κλειτὸν χειμερινὸν, *Salamis vrbs Græca, portum clauſum habens, & commodum ad hibernandum.* Diodorus Siculus lib. XX cap. XLVIII de Demetrio poliorceta, quum cepiſſet Carpaſiam Cypri, ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα, *mouit cum exercitu aduerſus Salaminem.* Et mox: Μενέλαος διέτριβεν ἐν Σαλαμῖνι, *Menelaus* [Ptolemæi dux] *tum Salamine ſubſiſtebat.* Et cap. XLIX Δημήτριος δὲ τὴν τῶν Σαλαμινίων ὁρῶν πόλιν οὐκ εὐκαταφρόνητον οὖσαν, *Demetrius videns Salaminiorum vrbem non contemnendam eſſe.* Et cap. L Πτολεμαῖος κατενεχθεὶς τῆς Κύπρου πρὸς τὴν Πάφον, - - - κατέπλευσεν εἰς Κίτιον, τῆς Σαλαμῖνος, ἀπέχον σταδίους διακοσίους, *Ptolemæus ad Cyprum delatus circa Paphon, inde nauigauit Citium, quod ducentis ſtadiis a Salamine diſtat.* Et Polyænus lib. IV cap. VII ſtrateg. VII Δημήτριος ἐπολιόρκει Σαλαμῖνα τὴν ἐν Κύπρῳ, *Demetrius oppugnabat Salaminem in Cypro.* Idem lib. V cap. XX Μενεκράτης Σαλαμῖνα τὴν ἐν Κύπρῳ βουλόμενος ἑλεῖν, *Menecrates volens Salaminem in Cypro capere.* Hæc de veteri Salamine: nomen *Conſtantiæ* ad aliud æuum, aliamque geographiæ partem reſeruatur.

XVIII.

Ptolemæus addidit huic lateri *Pedæi* fluminis oſtia poſt Salaminem: & tandem Ἀμμόχωστον promontorium, id eſt arenæ aggerem, pro quo in Palatino legitur Πηδάλιον ἄκρον, & in margine Ἀμμόχωστος. Dubites vero Ammochoſtum eſſe Pedalium, quia Strabo Pedalium promontorium in auſtrino latere poſuit, interiectis inter illud & Salaminem oppidis, alia *Arſinoe,* & *Leucolla*, alio portu. Sit ergo *Ammochoſtum* promontorium: Pedalium, ſi verum nomen, latere ſequenti interpretabimur.

LATVS CYPRI AVSTRALE.

XIX.

Si ab ortu, vbi deſiimus, in occaſum ſolis progredimur, ex Ptolemæi diſpoſitione primi occurrunt Θρόνοι, πόλις καὶ ἄκρα, *Throni, oppidum & promontorium:* deinde Δᾶδες ἄκρα, *Dades,* promontorium aliud: & tandem *Citium*, vrbs notiſſima. Strabo autem hunc ordinem ſeruat a Salamine occaſum verſus: εἶτ' Ἀρσινόη πόλις καὶ λιμήν. εἶτ' ἄλλος λιμὴν Λεύκολλα, *deinde* [poſt Salaminem] *eſt Arſinoe, oppidum & portus: dein alius portus Leucolla.* Meminit *Thronorum* etiam Strabo, ſed oppidum an promontorium ſit, non expreſſit; tantummodo dixit, Curiadem promontorium abeſſe ἀπὸ Θρόνων, *a Thronis,* ſeptingentis ſtadiis. Manſit forſan promontorii nomen: oppidum autem Throni in reginæ honorem videtur *Arſinoe* vocatum; quæ alia Arſinoe ab illa eſt, quam ſupra in ſeptemtrionali plaga iuxta Solos expoſuimus.

XX.

Tum demum Strabonis Πηδάλιον ἄκρα, *promontorium Pedalium* ſequitur, ſupra quod λόφος τραχὺς, ὑψηλὸς, τραπεζοειδὴς *collis aſper, altus, menſæ forma* ſit, Veneri ſacer, a Clidibus IↃCLXXX diſtans ſtadiis. Meurſius

cenſet

cenſet Ἰδάλιον, *Idalium* legendum, * qui ſane Veneri ſacer locus in Cypro fuit: *Pedalium* autem, quaſi falſatum, ignotum omnibus. Facile adſentimur, quia poetis celebratum eſt *Idalium:* quod, niſi Pedalium eſt, locum adſignare non poſſumus. Lucanus lib. VIII verſ. 716

- - - ab Idalio Cinyrææ litore Cypri.

Et Virgilius Aeneid. I verſ. 681

Aut ſuper Idalium ſacrata ſede recondam:

& mox verſu 692

- - - fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos.

Ad priorem locum Seruius: *Idalium Cypri nemus eſt, in quo oppidum breue; vt paullo poſt, Idaliæ lucos.* Sane & Plinius, ac Theocriti ſcholiaſtes in Cypro oppidum huius nominis agnoſcit, ad Idyll. XV verſ. 100

Δέσποιν' ἃ Γολγον τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας,
Domina, quæ & Golgum & Idalium dilexiſti;

breuiter commentatus eſt: Γολγὸς πόλις Κύπρȣ. - - - Ἰδάλιον δὲ, πόλις καὶ αὐτὴ Κύπρȣ, *Golgus oppidum Cypri: & Idalium eſt oppidum Cypri.* Etiam Stephanus, Ἰδάλιον πόλις Κύπρȣ, *Idalium, oppidum Cypri.* Sæpius tamen mons & nemus a veteribus dicitur. Catullus Pelei & Thetidis nupt. verſ. 96, quaſi Theocritum expreſſiſſet, ad Venerem:

Quæque regis Colchos, quæque Idalium frondoſum.

Et Propertius lib. II elegia XIII

- - - - - percusſit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.

XXI.

Hinc ad Κίτιον, *Citium* progreditur Strabo tractu ſinuoſo & aſpero: & Ptolemæus quoque poſt promontorium ſuum, quod *Dades* dixit: ſine alius loci interiectione, *Citium* oppidum poſuit. Nobile Zenonis ortu, Stoicorum principis, vt Strabo adnotauit: & Diogenes Laërtius principio Vitæ: Ζήνων Κιττιεὺς, ἀπὸ Κύπρȣ πολίσματος Ἑλληνικȣ̃, *Zeno Cittienſis, ex Cypri ciuitate Græca.* nam ſcribunt quidam etiam geminata littera; plures autem ſimplici. Hic mortuus eſt Cimon Athenienſis. Nepos in Vita: *Cyprum cum ducentis nauibus imperator miſſus, quum eius maiorem partem inſulæ deuiciſſet, in morbum implicitus, in oppido Citio eſt mortuus.* Plutarchus quidem Vita extrema, ἀπέθανε δὲ πολιορκῶν Κίτιον, *mortuus eſt in obſidione Citii:* & forte ſic Thucydidem intellexit lib. I pag. 73 Κίμωνος ἀποθανόντος ἀπεχώρησαν ἀπὸ Κιτίȣ, *Cimone mortuo receſſerunt a Citio:* Diodorus autem clare lib. XII cap. III dixit, Cimonem expugnaſſe Citium, Κίτιον μὲν καὶ Μαλὸν ἐξεπολιόρκησε, *Citium quidem & Malum* [Cimon] *expugnaverat.* Plinius de oppidis Cypri: *Nea Paphos, Palæpaphos, Curias, Citium,* reliqua. Aberat a Salamine ducentis ſtadiis, vt ante paullo in illa vrbe Diodori verbis oſtendimus. * *

XXII.

* Libro de Cypro c. 12 & c. 28.

* * Eſt Citii nomen ex hebraico כתיים. Vide Meurſium copioſe hæc probantem c. 10 p. 30 ſeqq.

XXII.

In hoc tractu etiam Μαλὸν, *Malum* fuit, quod oppidum vna cum Citio Athenienſes Cimone duce, vt modo ex Diodori lib. XII cap. III vidimus, expugnauerunt. Hanc vrbem Ptolemæus Lagi euertit, & ciues Paphum deduxit. Idem Diodorus lib. XIX cap. LXXIX *Praxippum Lapithii regem territorii, & Ceryniæ dynaſtam, animi alieni ſuſpectos, comprehendit:* καὶ Στασίοικον, τὸν τοῦ Μαλιέως· καὶ τὴν μὲν πόλιν κατέσκαψε, τοὺς δὲ οἰκοῦντας μετήγαγεν εἰς Πάφον, *etiam Staſiœcum territorii Malienſis; vrbem vero euertit, ac incolas Paphon deduxit.* Sed verum eius locum deſignare non poſſumus: poſt Citium autem memorauimus, quia Diodorus cum Citio coniunxit, Κίτιον καὶ Μαλὸν, *Citium & Malum* [Cimon] *expugnauit*, lib. XII cap. III.

XXIII.

Ptolemæus inter Citium & Amathunta poſuit Τετίου, *Tetii* amnis oſtia. Plinius cum Citio *Corineum* coniunxit, & ſi ordinem poſitionis ſeruauit, vt putat Harduinus; inter Citium & Salamina fuit. Sic enim illa oppida perſecutus eſt: *Curias, Citium, Corineum, Salamis, Amethus, Lapethos;* cetera. At quia in Amethunte & Lapetho declinat a vero ordine, neque in Corineo fidem illi tuto habere poſſumus. An vero hæc Κόρη, *Core* ſit in Notitia Hieroclis memorata, aliis iudicandum relinquimus.

XXIV.

Amathûs tam apud Strabonem quam Ptolemæum, poſt Citium in occaſum verſus ſequitur. Scylax: Ἀμαθοῦς, αὐτόχθονές εἰσιν, *Amathûs, cuius incolæ ſunt indigenæ.* Tacitus lib. III annal. cap. LXII a conditore nomen habere Cypriorum relatu memorat. *Cyprii,* inquit, *tribus delubris, quorum vetuſtisſimum Paphiæ Veneri auctor Aerias, poſt filius eius Amathus Veneri Amathuſiæ, & Ioui Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, poſuiſſent.* Veneri ergo vrbs ſacra fuit, vt aliæ plures Cypri. Virgilius ita illa Ioui loquentem inducit Aen. X verſ. 51

Eſt Amathûs, eſt celſa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus.

Aerifodinis diuitem fuiſſe, Ouidius teſtatur Metamorph. X verſ. 220 *fecundam Amathunta metalli* vocans: & verſ. 530

- - - *non alio repetit Paphon æquore cinctam*
Piſcoſamque Cnidon, grauidamque Amathunta metalli:
Abſtinet & cælo: cælo præfertur Adonis.

Et Pauſanias Bœot. cap. vlt. ἔστι δὲ Ἀμαθοῦς ἐν Κύπρῳ πόλις. Ἀδώνιδος ἐν αὐτῇ καὶ Ἀφροδίτης ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον. *Eſt in Cypro vrbs Amathûs: in ea Adonidis & Veneris fanum vetuſtisſimum.* Inde eſt quod verbis iam prolatis Venerem *Amathuſiam* apud Tacitum cognominari intelleximus. *

XXV.

Ab Amathunte proximum Straboni & Ptolemæo eſt Κουριὰς, *Curias* promontorium: & deinde Κούριον πόλις, *Curium oppidum*, inter quod & promon-

* Add. Meurſ. c. 8 pag. 21 ſeqq.

promontorium Ptolemæus habet *Lyci* amnis oſtia. Oppidum Plinius *Curiadem* vocat communi nomine cum promontorio. *Nea Paphos,* inquit, *Palæphaphos*, *Curias*, *Citium*, cetera. Stephanus tamen, vt Strabo & Ptolemæus: Κούριον πόλις Κύπρου, *Curium oppidum Cypri.* Et Ariſtoteles Mirabil. ſub finem, ἐν Κουρίῳ τῆς Κύπρου, *in Cypri vrbe Curio.* Fuit, quod Strabo addit, Ἀργείων κτίσμα, *Argiuorum opus*, ſeu ab Argiuis conditum. Ptolemæus deinde promontorium habet, cui Φρούριον, *Phrurium*, id eſt caſtellum & munimentum, nomen eſt, in quo finit latus meridianum. At Strabo & Curium occidentali lateri adſcripſit: ἀρχὴ τοῦ δυσμικοῦ περίπλου τὸ Κούριον, *initium occiduæ circumnauigationis eſt Curium.* Malim vero auſtrinæ plagæ cum Ptolemæo relinquere, quia figuræ, quam huius inſulæ recentes pictores nobis adferunt, eſt omnino accommodatius.

LATVS CYPRI OCCIDENTALE.

XXVI.

A Curio ſunt *Treta* & *Booſura* Strabonis, obſcura nomina: Ptolemæi autem *Drepanum* promontorium. Deinde vtrique eſt Πάφος παλαιά, *Paphus vetus*, * decem ſtadiis a mari reducta, ſtationem tamen (ὕφορμον) nauium habens, & antiquiſſimum fanum τῆς Παφίας Ἀφροδίτης, *Paphiæ Veneris.* ** Ad hanc Venus, e ſpuma maris nata, vt fingebatur, dicitur primum concha adpuliſſe. Pomponius lib. II cap. VII *Cypri vrbes clariſſimæ Salamis & Paphos, & quo primum ex mari Venerem egreſſam accolæ adfirmant, Palæpaphos.* *** Ad hanc quoque ſolemnes pompæ a Noua Papho per viam LX ſtadiorum, vt Strabo notauit, ducebantur. nam tanta diſtantia erat Paphi Veteris a Noua.

2. Inter has ab vtroque geographo *Zephyrium* promontorium locatur: & aliud quod *Arſinoen* Strabo vocat.

3. Idem *Nouam Paphon* ab Agapenore dicit conditam, portu inſtructam & templa habentem εὖ κατεσκευασμένα, *affabre facta & ornata.* Plinius ſæpe dicto loco: *Oppida in ea* [Cypro] XV; *Nea Paphos, Palæpaphos, Curias, Citium*, cetera. Vtraque Veneri dedicata, nec diſtinguunt poetæ. Virgilius lib. X verſ. 86.

Eſt Paphos, Idaliumque tibi, ſunt alta Cythera.

Et Horatius lib. I oda XXX

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron.

Et lib. III oda XXVIII, - - - - *Paphon*
Iunctis viſit oloribus.

4. Sine cognomine aut diſcriminis nota ſi ponitur, plerumque *Paphos Nova* intelligitur, quemadmodum Strabo etiam, quando παλαιὰν Πάφον

* Hæc eſt fortaſſe illa quam Cinyras extruxit. Apollodor. III c. 13 §. 3. Vidit hoc quoque Meurſius & multa alia de Papho c. 14 pag. 42-44, & de fano Veneris c. 15.

** Πάφον θ', ἂν ἑκατόμοι βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ καρπίζουσιν ἄνομβροι. Euripid. Bacch. 404-406. Ergo flumen etiam habuit. Etiam hoc iam a Meurſio præreptum video.

*** Vid. etiam Nonnus Dionyſiac. XIII v. 456 pag. 378.

φον deſcripſerat, ſubiicit, εἶθ' ἡ Πάφος, κτίσμα Ἀγαπήνορος, *deinde Paphos, opus Agapenoris.* Et in vulgatis Plinii libris, *Paphos, Palæpaphos,* cetera: Harduinus autem ex MSS. nonnullis *Nea* adiecit, quemadmodum Ptolemæus habet Πάφος νέα, & Πάφος παλαιά. Noua illa eſt ipſa etiam *Paphus,* quam Paulus apoſtolus adiit, Simonem magum ibi conuicit, proconſulem Sergium euangelio illuminauit. Act. apoſt. XIII, 6 Διελθόντες τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου, *inſulam* [Cypron] *vsque Paphum peragrantes:* & commate 13 ἀναχθέντες ἀπὸ τῆς Πάφου οἱ περὶ τὸν Παῦλον, ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας, *qui cum Paulo erant, a Papho profecti venerunt Pergam Pamphyliæ.*

5. Hanc terræ motu concuſſam Auguſtus inſtaurauit, & *Auguſtam* vocari voluit. Dio Caſſius lib. LIV pag. 537 Παφίοις σεισμῷ πονήσασι καὶ χρήματα ἐχαρίσατο, καὶ τὴν πόλιν Αὔγουσταν καλεῖν κατὰ δόγμα ἐπέτρεψε, *Paphiis terræ motu adflictis largitus eſt, iusſitque vrbem Auguſtam nominari.* nam Πάφιοι *Paphii,* gentile incolarum nomen, quod etiam Stephanus adnotauit. Et nummi Golziani cum Veneris & Cupidinis effigie ΠΑΦΙΩΝ inſcripti ſuperſunt. An vero *Auguſtæ* nomen vrbi hæſerit, incertum prorſus, nec eius adpellationis exempla aut documenta alia habemus. Ab vrbe, tamquam propria ſede Venus Παφία, *Paphia* cognominatur, vt ſupra ex Strabonis XIV extremo; & Taciti annali III cap. LXII, vbi *delubrum Veneris Paphiæ* oſtendebatur, comprobatum eſt. Sic & Virgilius Georg. II verſ. 64 *Paphiæ myrtus,* id eſt Veneris.

XXVII.

Tandem eſt *Acamas* promontorium, extremum in hoc periplo, poſt quod ſeptemtrionale latus, a quo cœpimus oram explicare, incipit. Strabo XIV extr. εἶθ' ὁ Ἀκάμας ἐστὶ μετὰ Πάφον· εἶτα πρὸς ἕω μετὰ τὸν Ἀκάμαντα πλοῦς εἰς Ἀρσινόην πόλιν, *deinde eſt Acamas poſt Paphum: poſt Acamantem, orientem verſus, Arſinoe oppidum.* Ab Arſinoe autem cœpimus per ſeptemtrionalem oram in orientem progredi. Ptolemæus, Ἀκάμας ἄκρα, *Acamas promontorium.* Plinius de Cypro: *Longitudinem inter duo promontoria, Dinaretum & Acamanta, quod eſt ad occaſum, Artemidorus* CLXII. IↃ prodidit. Et Agathemerus lib. I cap. IV Ἀπὸ Μυριάνδρου ἐπὶ Κλεῖδας Κύπρου, στάδια αυ'. ἐπὶ Ἀκάμαντα ἀκρωτήριον στάδια γτ', *A Myriandro ad Clidas Cypri, ſtadia* CIↃ CCCC: *inde ad promontorium Acamanta, ſtadia* CIↃ CIↃ CIↃ CCC. Lucianus in Nauigio pag. 859 iter ex Aegypto in Aſiam commemorans, dicit ἑβδομαίους ἰδεῖν τὸν Ἀκαμάντα, *ſeptimo die vidiſſe Acamantem* promontorium.

MEDITERRANEA CYPRI.

XXVIII.

Ptolemæus tantum tria oppida in mediterraneis nominauit. Primum eſt Χύτρος, *Chytrus,* Plinio pluraliter *Chytri:* iuxta illius numeros ſupra Citium fuit poſitum.

XXIX.

Alterum eſt Τριμηθοῦς, *Trimethûs,* non longe inde ſitum. Stephano Τρεμιθοῦς, κώμη Κύπρου, *Tremithûs vicus Cypri.* In Notitia Hieroclis in Cypro

pro eſt τριμηθούντων, primo caſu, quod forte τριμηθοῦντον, *Trimethuntum* legendum eſt, ſicut ex *Hydrûs* fit Latine *Hydruntum*: ex *Sipûs*, *Sipuntum*. Cedrenus quidem eadem forma vſus eſt, ſed patrio caſu, Spyridonem in Niceno concilio vocans ἐπίσκοπον Τριμιθούντων, *epiſcopum Trimithuntorum*. Sic & Baſil. ed. p. 236 & Pariſ. p. 287 legitur.

XXX.

Tertia vrbs Ptolemæi eſt Ταμασσὸς, *Tamaſſus*, quam intus ſupra Curium poſuit. Eodem modo ſcripſit Strabo, Hierocles, Ταμασσὸς, *Tamaſſus*. Stephanus autem, Ταμάσεος πόλις Κύπρου, *Tamaſeus oppidum Cypri*: etiam Plinio *Tamaſeus* eſt: quæ forma non eſt reiicienda, quia etiam in Golzianis nummis eſt ΤΑΜΑΣΙΤΩΝ, *Tamaſitarum*. Et Ouidius Metamorph. lib. x verſ. 643

Eſt ager, indigenæ Tamaſeum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima.

Tamaſeum, id eſt Ταμασεῖον. Quidam huc referunt Homeri verba Odyſſ. A. verſ. 184 - - - πλέων

Ες Τεμέσην μετὰ χαλκὸν, - - -

nauigans in Temeſam propter æs: vbi Dydymus quoque, Τεμέση πόλις Κύπρου, *Temeſa vrbs Cypri*. Sed Stephanus addit, ἀπιθάνως, *non probabile eſſe*. Sane Strabo quoque lib. VI pag 176 de hoc ita diſputat in Italia, Bruttiorum exponens Temeſam ſiue Temſam: Τάυτης τῆς Τεμέσης φασὶ μεμνῆσθαι τὸν ποιητὴν, οὐ τῆς ἐν Κύπρῳ Ταμασσοῦ, (λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως) τῷ

Ες Τεμέσην μετὰ χαλκὸν - - -

καὶ δείκνυται χαλκουργεῖα πλησίον, ἃ νῦν ἐκλέλειπται. *Huius Temeſæ* [Italicæ] *aiunt Homerum mentionem feciſſe, non Tamaſi quæ Cypri eſt (vtroque enim modo ſcribitur) quum dixit, - - - proficiſcor Temeſam propter æs: & ſane in viciniā oſtenduntur officinæ ærariæ, quarum hodie defecit vſus.* Eadem ratio eſt in verbis Statii lib. I Achill. verſ. 413

Aera domant Temeſæ. - - - - -

Sed quamvis nullum aut tenue a poetis ſit præſidium: tamen Cypri Tamaſus ſiue Tamaſſus æris prouentu abundauit. Strabo lib. XIV extremo: μέταλλά τε χαλκοῦ ἐστιν ἄφθονα τὰ ἐν Ταμασσῷ, ἐν οἷς τὸ χαλκανθὲς γίνεται, καὶ ὁ ἰὸς τοῦ χαλκοῦ, *metalla copioſa apud Tamaſſum ſunt, in quibus & flos æris naſcitur & ærugo.* Et Stephanus: Ταμάσεος πόλις Κύπρου, διάφορον ἔχουσα χαλκὸν ἐν μεσογείᾳ. *Tamaſeus vrbs Cypri, æs habens præſtantisſimum in mediterranea.* Hoc illud eſt, quod Plinius lib. XXXIII cap. V & Hieronymus Vita Hilarionis *æs Cyprium* dixerunt; vulgus *cuprum*. Hæc de tribus Ptolemæi.

XXXI.

Supra Solos Strabo aliud oppidum locauit, *Limeniæ* nomine, ὑπέρκειται, inquit, ἐν μεσογαίᾳ Λιμενία πόλις, *ſupra* [Solos] *ſita eſt vrbs Limenia in mediterraneis.*

XXXII.

Addimus incerti ſitus quædam, de quibus non conſtat, in ora fuerint, an in mediterranea inſulæ parte. Plinius tria oppida, quæ interierint,

rint, commemorat. *Fuere & ibi Cinyria, Marium, Idalium.* De *Idalio* ſupra diximus, & periiſſe facile concedimus.

2. *Cinyria* etiam a Nonno lib. XIII verſ. 451 memoratur, ſcribiturque Κινύρεια, *Cinyrea*, ſiue *Cinyreia* diphthongo, & fertur nomen a Cinyra, priſco rege habere: ſed ſitu plane incognito.

3. *Marium* Plinii etiam a Diodoro lib. XIX cap. LIX laudatum eſt, quod regulum habuerit ſuum, ab aliarum vrbium regulis diſtinctum. οἱ κράτιστοι, inquit, βασιλεῖς πρὸς Πτολεμαῖον πεποίηνται συμμαχίαν· ὁ δὲ Κιτιεὺς, καὶ Λαπίθιος, ἔτι δὲ Μάριος καὶ Κερυνίτης τὴν πρὸς αὐτὸν Φιλίαν συντέθεινται. *Cypri reges potentiores cum Ptolemæo ſocietatem contraxerunt: Citienſis autem & Lapithius, præterea & Marius, & Cerynites ad ipſius amicitiam ſe contulere.* Scylax in Cypro: Μάριον Ἑλληνὶς, *Marium* [vrbs] *Græcæ originis.* Stephanus Byzantius ait, nomen hoc poſtmodum cum *Arſinoes* nomine fuiſſe permutatum: Μάριον πόλις Κύπρου, ἡ μετονομασθεῖσα Ἀρσινόη, *Marium vrbs Cypri, quæ poſtea vocata eſt Arſinoe.* Strabo geminam Arſinoen in Cypro habet, vnam inter Acamantem & Solos in ſeptemtrione: alteram in meridie inter Salaminem & Citium; vtramque maritimam: Ptolemæus autem tantum vnam, quæ Acamantem inter & Solos eſt. Et quia Plinius dicit Marium *fuiſſe*, id eſt intercidiſſe, veroſimile eſt de altera, quam ſilet Ptolemæus, illam nominis mutationem intelligendam eſſe. Harduinus autem ad Plinium Notis, aliam ab his & mediterraneam Arſinoen interpretatur. *Ex ipſius*, inquit, [Marii] *ruinis, creuiſſe mediterraneam Arſinoen, ex Stephano colligimus.* Sed vnde probetur mediterranea poſitio, fatemur nos ignorare. neque enim Stephanus de illa quidquam tradit in Μάριον, neque in Ἀρσινόη, præter illam transnominationem.

XXXIII.

Et *Golgi*, vrbs Cypri, Veneri ſacrata, ideoque nominata a pluribus. Pauſanias Arcad. cap. V dicit, antequam Agapenor Paphum coloniam deduceret, & in ea Veneri templum conderet, ἡ θεὸς παρὰ Κυπρίων τιμὰς εἶχεν ἐν Γόλγοις καλουμένῳ χωρίῳ, *deam Cyprios Golgis, paruo oppido, coluiſſe.* Sed Paphos Vetus habuit templum vetuſtiſſimum. an ergo eadem *Golgi?* diſtinxit Plinius: quamquam qui Paphon geminam recenſent, Strabo & Ptolemæus, Golgos prætermittunt: & qui Golgos referunt, vt Stephanus & poetæ, vnam tantum Paphon memorant. Sed fuerint diſtincta oppida, quia vix certum in tanta haberi poteſt obſcuritatis antiquitate, perinde vt in eo, quod Stephanus refert, Paphon olim *Erythran* fuiſſe nominatam. Idem Stephanus, Sicyoniorum coloniam fuiſſe prodidit, Γολγοὶ πόλις Κύπρου, ἀπὸ Γόλγου τοῦ ἡγασαμένου τῆς Σικυωνίων ἀποικίας, *Golgi vrbs Cypri, a Golgo duce coloniæ Sicyoniorum nominata.* Veneris in ea cultum plures tradiderunt. Catullus carm. XXXVII de Venere:

Quæque Anconam Cnidumque arundinoſam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos.

Et carmine LXV, ſiue Epithalamio Pelei, verſ. 96

Quæque regis Colchos, quæque Idalium frondoſum.

Et

Et Lycophron in Alexandra verſ. 588

- - - γαῖαν ἵξονται θεᾶς
Γόλγων ἀνάσσης. - - -

in terram venient deæ [Veneris,] *Golgorum reginæ.* Et ſingulari numero *Golgus* ac *Golgum.* Theocritus Idyllio XV verſ. 100 ad eamdem Venerem:

Δέσποιν᾽, ἃ Γολγόν τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας,
Domina quæ & Golgum & Idalium dilexiſti.

Vbi ſcholiaſtes: Γολγὸς πόλις Κύπρου, *Golgus oppidum Cypri.* Et Stephanus: λέγεται καὶ Γολγὸν οὐδετέρως· ἀφ᾽ οὗ Γολγία ἡ Ἀφροδίτη, *Dicitur etiam* [præter pluralem formam, quam expoſuerat] *Golgum neutro genere: vnde Venus Golgia cognominatur.*

XXXIV.

Minus etiam cognita eſt *Satrachus.* Lycophron v. 448 memorauit verbis ſupra datis, quum de nominibus inſulæ ageremus. Interpres Tzetzes expoſuit, πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου, *oppidum & flumen Cypri:* ſed qua parte, quo loco, prorſus eſt incertum.

XXXV.

Nec certiora Plinii *Epidaurum,* Stephani *Creſium, Eryſthea, Lacedæmonia, Tegeſſus, Meſine,* & *Hyle,* vnde Apollo *Hylates,* Ὑλάτης, cognominatus, ibidemque cultus eſt; etiam in *Eryſthea* & *Tembro,* & *Ledrum* quod etiam *Leuteon* dictum fuit. Sozomenus lib. I cap. XI λέγεται εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν τοὺς ἐπισκόπους τῆς Κύπρου· εἶναι δὲ σὺν αὐτοῖς Σπυρίδωνα τοῦτον, καὶ Τριφύλλιον τὸν Λεδρῶν ἐπίσκοπον, *Aiunt epiſcopos Cypri aliquando congregatos fuiſſe, inter quos erat Spyridon hic, & Triphyllius Ledrorum epiſcopus.* Et Hieronymus Catalogo ſcript. eccleſ. *Triphyllius, Cypri Ledrenſis, ſiue* Λευτεώνος *epiſcopus, eloquentisſimus ſuæ ætatis.*

XXXVI.

Talis obſcura vrbs eſt etiam Nonni Κρεμάσεια, *Cremaſea,* lib. XIII verſ. 455, quæ forte clara olim, nobis autem plane incognita, nec quidquam de ſitu definiri poteſt.

XXXVII.

Hæc de Cypro ſatis ſint. Finem facerem, niſi celebria quædam vrbium nomina me retinerent, quæ ab Io. Meurſio ſunt etiam in Cypro poſita, ſed quod pace induſtriæ eius & famæ dixerim, falſo ſunt Cypro inſulæ contributa. Sunt autem *Berytus, Cnidus, Cythera.* Impoſuere viro doctisſimo Græculi quidam grammatici, qui maiori ſæpe licentia, quam ἀκριβείᾳ ſcripſerunt. Prima illarum vrbium eſt *Berytus,* quam ille lib. I cap. IX in Cypri vrbibus numerat, & quidem auctoritate Strabonis. Sed humanum quid paſſus eſt vir doctisſimus, quia Strabo lib. XIV pag. 469 in Cypri expoſitione *Beryti* quidem mentionem fecit, verum tamquam vrbis Syriacæ, non Cypriæ. Poſtquam enim de Citio, Zenonis patria, egerat, hæc adiecit: ἐντεῦθεν εἰς Βηρυτὸν στάδιοι χίλιοι πεντακόσιοι, *inde* [a Citio] *ſunt Berytum ſtadia* CIↃ IↃ: quæ millia paſſuum CLXXXVII cum dimidio conficiunt. Quis non videt ex diſtantiæ longinquitate Berytum extra Cy-

 prum

prum cadere? Mentionem fecit inter Citium & Amathunta, inter quas vrbes debuiſſet Berytus Cypria, ſi quæ eſſet, ſita fuiſſe: ſed ipſæ hæ vrbes, quæ continerent inter ſe Berytum, vix XX, aut ſi large metiaris, XXV millibus paſſuum diſſidebant.

XXXVIII.

Altera eſt *Cnidus*, quam cap. X addidit Cypro, auctoritate Ioannis Tzetzæ, Chiliad. I cap. I, de Cteſiæ hiſtorici patria ſcribentis:

Ὁ δὲ Κτησίας ἰατρὸς, υἱὸς τȣ̃ Κτησιόχȣ,
Ἐξωρμημένος πόλεως ἐκ Κνίδȣ τῆς Κυπρίας,
Cteſias autem medicus, filius Cteſiochi,
Ortus ex vrbe Cnido Cypria.

Hic Cypriam vrbem Cnidum dixit, quod poetas vidit Veneri dicare, vt Horatius III oda XXVIII; cui plures in Cypro conſecratæ ſunt: quaſi vero Cnidus in Cariæ cherſoneſo non pari religione, vt Cyprus, hanc deam coluerit. Pauſanias Attic. cap. I Κόνων ᾠκοδόμησεν Ἀφροδίτης ἱερὸν, τριήρεις Λακεδαιμονίων κατεργασάμενος περὶ Κνίδον τὴν ἐν Καρικῇ χεῤῥονήσῳ. Κνίδιοι γὰρ τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα, καὶ σφίσιν ἐστὶν ἱερὰ τῆς θεȣ̃, *Conon ædificauit Veneris templum, Lacedæmoniorum triremibus ad Cnidum in Cariæ peninſula profligatis. Cnidii enim Venerem in primis colunt, cuius templa apud eos ſunt.* De Venere Cnidia etiam Plinius conſulatur lib. XXXVI cap. V nec vero ille, nec ceteri geographi, aut hiſtorici, Cnidum aliam noverunt, quam nobilem illam vrbem Cariæ. Quod ad patriam attinet Cteſiæ, maior nobis Strabonis eſt auctoritas quam Tzetzæ. Ille vero lib. XIV pag. 451, vbi de Cnido Cariæ agit, ἐντεῦθεν, inquit, καὶ Κτησίας ὁ ἰατρεύσας μὲν Ἀρταξέρξην, συγγράψας δὲ τὰ Ἀσσυριακὰ καὶ τὰ Περσικά. *Inde* [Cnido Cariæ] *ortus eſt etiam Cteſias, Artaxerxis medicus, qui Aſſyriaca ſcripſit & Perſica.*

XXXIX.

Tertia ſunt *Cythera*, de quibus Meurſius lib. I cap. XI *Cythera intra Cypri vrbes memorantur a Virgilio.* Exempla addit ex Æneid. I v. 680

- - - - *ſuper alta Cythera,*
Aut ſuper Idalium ſacrata ſede recondam.

Et Æneidos X verſu 51

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atque Cythera
Idaliæque domus.

An vero ſe Virgilius obſtrinxerat, tantum Cypri loca, non alia, his verſibus enarrare? Veneri grata loca in animo erant, ſiue in Cypro eſſent, ſiue alibi terrarum. *Cythera* autem, inſula cum oppido eiusdem nominis, Veneris cultu in primis clara erat, ſita ad Laconicam, ſupra Malean promontorium. Nam, quod Pauſanias Lacon. cap. XXIII refert, ibi fuit ἱερὸν τῆς Οὐρανίας ἁγιώτατον, καὶ ἱερῶν ὁπόσα Ἀφροδίτης παρ' Ἕλλησιν ἐστὶν ἀρχαιότατον, *fanum Veneris Vraniæ, eorum omnium, quæ apud Græcos Veneri dicata ſunt, maxime priſcum & ſacroſanctum.* At Heſiodi ſcholiaſtes ad Theogon. verſ. 192 Κύθηρα ἐστὶ πόλις Κύπρȣ, *Cythera ſunt vrbs Cypri.* Falſo. nam ipſe

ipſe Heſiodus hoc loco, quem Græculus interpretatur, Cythera ab Cypro diſtinxit. De ſpuma, *ἀφρῷ*, ex qua Venus procreata, ait,

- - - - - - - *τῷ δ᾽ ἐνὶ κούρη*
Ἐθρέφθη. πρῶτον δὲ Κυθήροισι ζαθέοισιν
Ἔπλετο· ἔνθεν ἔπειτα περίῤῥυτον ἵκετο Κύπρον,

in qua puella innutrita eſt. primum vero ad Cythera diuina vehebatur: inde tum circumfluam peruenit ad Cyprum. Vides Heſiodo non alia Cythera curæ eſſe, quam quæ ſunt inter Laconicam & Cretam: interpres autem a mente eius, quam interpretatus eſt, aberrauit.

CAPVT VIII

DE ORA PONTICA, AC PRIMVM DE BITHYNIA ET PAPHLAGONIA.

I.

IN ſeptemtrionem nunc peninſulæ magnæ Aſiaticæ adſcendimus, & quæ ſub Ponto Euxino * iacent, ad exponendum contemplamur. Ab occaſu prima eſt *Bithynia*, cuius limites vndique certi ſunt, præter plagam ab ortu ſolis, vbi aliter atque aliter pro temporum diuerſitate finita fuit. Nos Bithyniam propriam ad Hypium vſque flumen ducemus: cui vero Mariandenorum Cauconumque regiones adiiciemus vsque ad Parthenium amnem: a quo ad Halyn *Paphlagonia* eſt propria: cetera, in Colchos vsque, *Pontus*, regio puta ſeu regnum, vocantur; & *Cappadocia Pontica*, quod Cappadoces olim ad Pontum vſque habitauerant, quorum partem Mithridates Perſa ſibi ſubiecit, & nouum regnum ibi, *Pontum* videlicet, conſtituit. Quod ergo Ponti incolæ origine ac genere Cappadoces erant, de vniuerſa Cappadocia, hoc eſt, etiam de *Cappadocia Magna* ſimul agemus, atque finiemus quæ in peninſula Aſiæ erant, ſiue in vniuerſa citeriore Aſia, mediterraneo mari & Euxino Ponto comprehenſa.

SECTIO I.

B I T H Y N I A.

II.

Bithynia olim *Bebrycia* vocabatur, quod *Bebryces* antiqui eius eſſent incolæ. Regebatur Argonautico æuo ab Amyco Neptuni filio, a Polluce ſingulari certamine interfecto. Seruius ad Æneid. v verſ. 373 *Amycus fuit Neptuni filius & nymphæ Melies: qui a Polluce victus eſt pyctali certamine. Bebrycia autem ipſa eſt Bithynia.* Et Hyginus fab. XVII *Amycus, Neptuni & Melyes filius, Bebryciæ rex.* Et Valerius Flaccus lib. IV verſ. 99

Proxi-

* Habet meatus ſubterraneos, per quos aqua egeratur. Vid. Ariſtot. Meteorol. I c. 13.

Proxima Bebrycii panduntur limina regni:
Pingue ſolum, & duris regio non inuida tauris:
Rex Amycus.

Pulſi poſt Bebryces ſunt a Thracibus, * Bithynis atque Thynis, vt Strabo lib. XII pag. 373 notauit, & nomen inde etiam confirmat, quia *Thynias* ſit litus ad Apolloniam & Salmydeſſum. Ab his nouum nomen *Bithyniæ*. Plinius lib. V extremo *Bithynos* a *Thynis* diſtinguit. Vbi de Boſporo dixerat eique adiacentibus oppidis; ſubdit deinde: *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni.* Diſtinguit quoque periegetæ Dionyſii ſcholiaſtes Euſtathius ad verſ. 795 τὴν ἐπέκεινα ἐπὶ Πόντον ὀρεινὴν οἱ Θυνοὶ ἔχον, ἄχρι ποταμοῦ Κάλητος, ὡς εἶναι ὁμόρους τούς τε Θυνοὺς, καὶ τοὺς Βιθυνοὺς, *Ex altera parte* [Thraciæ oppoſita] *ſupra Pontum montana tenent Thyni, vsque ad amnem Caletem, vt adeo finitimi ſint Thyni & Bithyni.* Supra de Hypio flumine ex ſcholiaſte Apollonii ad lib. II p. 192 protulimus verba, quibus Hypiam oppidum dicebat παρὰ τῷ ποταμῷ ἐν τῇ Θυνίᾳ, *iuxta fluuium* [Hypium] *in Thynia* ſitum eſſe, hoc eſt, in Thynorum regione. Sed obſoleuit hæc diſtinctio, cum ipſo Thynorum & Thyniæ vocabulis, omnesque ibi populi *Bithyni* vocati, & omnis ille tractus ſiue regio *Bithynia.*

III.

Eius itaque *Bithyniæ* fines ab occaſu ſunt Boſporus Thracius & pars Propontidis: ab auſtro Rhyndacus fluuius & Olympus mons: a ſeptemtrione Pontus Euxinus: ab ortu non idem limes ab omnibus conſtituitur. Strabo, vt ipſe diſerte dicit, non antiqua hic tempora perſequitur, ſed Mithridatis vltimi & Romanorum. Plinius lib. V cap. XXXII videtur vsque ad Parthenium fluuium proferre, quia *Bithynion* quoque, quod nomen etiam probabile facit, inter Hypium Partheniumque amnes ſitum, in Bithynia recenſet. Ptolemæus latius extendit, & vt ſui temporis prouincia erat, partem Paphlagoniæ comprehendit: alteram partem Galatiæ adſcribit, vt ſupra demonſtrauimus. Nec vero Bithyniam tantum vocat, ſed Πόντον καὶ Βιθυνίαν, *Pontum & Bithyniam:* eiusque finem ad mare facit *Citorum:* in mediterraneis *Iuliopolin.* Quod vero diuerſas gentes in hoc tractu videmus fuiſſe, Bebryces ſeu Bithynos ab occaſu: deinde Mariandynos, & Homeri Caucones; Bithyniam propriam vſque ad Hypium amnem proferimus: reliquarum gentium partem tamquam acceſſionem adiicimus usque ad Parthenium amnem, qui finis eſt ad Paphlagoniam: quod ideo maiori iure videmur facere, quia in adiecta illa parte Bithynion ſitum eſt, quod haud dubie a Bithynis poſſeſſoribus, quamquam alio tempore, non antiquiſſimo, nomen accepit. Primum oram perluſtrabimus: deinde ſuccedemus ad mediterranea interpretanda.

IV.

Ab oſtiis Rhyndaci prima vrbs ad Propontidem fuit Μύρλεια, *Myrlea,* quam Philippus rex Macedoniæ, Demetrii filius, Perſei pater, euertit, & Pruſiæ Bithyno, ſocio ſuo, tradidit, qui illam inſtauratam ab vxoris nomine *Apame-*

* Herodot. VII c. 5.

Apameam nominauit. Hæc Strabo narrat lib. XII pag. 388. Stephanus autem ita: Μύρλεια, πόλις Βιθυνίας, ἡ νῦν λεγομένη Ἀπάμεια, ἀπὸ Μύρλου, τοῦ Κολοφωνίων ἡγεμόνος. Νικομήδης δὲ ἐπιφανὴς, Προυσίου δὲ υἱὸς, ἀπὸ τῆς μητρὸς Ἀπάμας Ἀπάμειαν ὠνόμασεν· οἱ δὲ, ἀπὸ Μυρλείας Ἀμαζόνος. *Myrlea, vrbs Bithyniæ, nunc Apamea dicta, a Myrlo, Colophoniorum duce condita. Verum Nicomedes Epiphanes, Pruſiæ regis filius, a matre Apama adpellauit Apameam. Alii autem a Myrlea Amazone ſic dictam perhibent.* Hinc eſt quod Scylax Caryandenus, longe ante Pruſiam & Nicomedem ſcribens, eamdem Μύρλειαν, *Myrleam* vocauit veteri nomine: Ptolemæus nouo tantum Ἀπάμειαν, *Apameam.* Plinius lib. X epiſt. LVI *Quum vellem Apameæ cognoſcere publicos debitores, & reditum, & impendia; reſponſum eſt mihi, rationes coloniæ nunquam eſſe lectas ab vllo proconſulum.* Et Zoſimus lib I cap. XXXV ἐπιδραμόντες δὲ Νικαίᾳ καὶ Κίῳ καὶ Ἀπαμείᾳ, καὶ Προύσῃ· *incurſionibus autem vexantes Nicæam, & Cium, & Apameam, & Pruſam.* Romani eo coloniam deduxerunt. Strabo: οἱ Ἀπαμιεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο Ῥωμαίων, *Apamienſes coloniam Romanorum acceperunt.* Plinius lib. V cap. XXXII *Apamea quæ nunc, Myrlea Colophoniorum:* & poſtea eodem capite: *intus in Bithynia colonia Apamena, Agrippenſes, Iuliopolitæ, Bithynion.* ſed falſo *intus* ad Apamenam coloniam refertur, quæ in ora eſt, etiam ſecundum Ptolemæum: de ceteris autem recte ſe habet. Vlpianus lege I Digeſt. de Cenſibus: Eſt & in Bithynia *colonia Apamena.* Adde quæ modo Plinii epiſtola Apamæi de *coloniæ* ſuæ rationibus dicebant. Gentile Apamæus & Apamenus. Traianus ad Plinium epiſt. LVII *libellus Apamæorum.* Coloniam *Apamenam* iam vidimus a Plinio & Vlpiano adpellatam.

V.

Proximum huic erat Ptolemæi Δασκύλειον, *Daſcylêum:* quod ita etiam Strabo ſcripſit, ſed ad paludem *Daſcylitidem* poſuit, vt intus ſitum videatur fuiſſe: niſi hæc palus prope mare ſeu Propontidem fuit. nam & Plinio, cui *Daſcylos* tribus ſyllabis eſt, etiam in maritima ora ſitum eſt. *In ora*, inquit, *Daſcylos.* A Mela nomen habet, qui lib. I cap. XIX *Trans Rhyndacum eſt Daſcylos.* In Notitiis autem eſt Δασκύλιον, *Daſcylium.*

VI.

Hinc ad ſinum oblongum Κῖος ſiue Κίος. *Cius* oppidum erat, a quo ſinus accepit nomen. Scylax in capite *Myſia:* ἀκρωτήριον τοῦ Κιανοῦ κόλπου, καὶ ἐν ἀριστερᾷ Κίος πόλις, καὶ Κίος ποταμός. *promontorium Ciani ſinus, & ad ſiniſtram Cius vrbs, & Cius fluuius.* Hanc, vt Strabo tradit, itidem Philippus, Demetrii filius, κατέσκαψε, *euertit*, & Pruſiæ συγκατασκάψαντι, *euerſionis ſocio* reliquit, qui vrbem in loco condidit, quam Προυσιάδα, *Pruſiadem* adpellauit. Hæc eſt illa ad mare *Pruſias*, cuius nummus extat ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΩC ΘΑΛΑCCAN, *Pruſienſium ad mare:* & Memnon apud Photium Cod. CCXXIV pag. 383 ὁ Τριάριος ἐπὶ Προυσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιον μετὰ τῆς δυνάμεως παραγίνεται, *Triarius Pruſiadem verſus, quæ ad mare eſt, cum exercitu proficiſcitur:* licet in veteri nomine aberret, quum ſubdit: αὕτη δὲ Κίερος τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο, *hæc Cierus ante vocata fuit;* quum ceteris omni-

bus nomen priſcum ſit κίος, *Cius.* Nec vero vetus nomen inducto nouo oblitteratum eſt penitus. Mela & Plinius *Cion* vocant: alterius nominis rationem non habent. Ille dicto lib. I cap. XIX *Duo ſunt inde* [a Myrlea] *modici ſinus: alter ſine nomine Cion amplectitur, Phrygiæ haud longe iacentis opportuniſſimum emporium*, cetera: quæ fere Plinius repetiit: *amnes, Hylas & Cios, cum oppido eiusdem nominis, quod fuit emporium non procul accolentis Phrygiæ, a Mileſiis conditum.* Zoſimus quoque lib. I cap. XXXV Κίον vocat, *Cium:* etiam Hierocles in Notitia prouinciæ Ponticæ.

2. Sed ad alterum nomen explicandum reuertimur, quod *Pruſias* eſt, non *Pruſa;* vt Strabo vocauit, & Memnon apud Photium, & Stephanus inter hæc nomina clare diſtinxit. Προῦσα τῆς Προυσιάδος διαφέρει, *Pruſa,* inquit, *a Pruſiade differt.* Vtraque quidem Bithyniæ: ſed *Pruſiadem* ait a Pruſia, Zielæ filio conditam; *Pruſam* autem πόλιν μικρὰν, *paruum oppidum,* a Pruſia, qui cum Cyro bellum geſſerit. Hæc eſt illa, quæ *ſub Olympo* ſita cognominatur. * Id Strabo nos docet pag. 388, Προῦσα ἐπὶ τῷ Ολύμπῳ τῷ Μυσίῳ, κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος, *Pruſa, ad Olympum Myſiæ poſita, opus eſt Pruſiæ, qui cum Crœſo bellum geſſit.* Eadem ætas Crœſi & Cyri: & errat Plinius lib. V cap. vlt. *intus* dicens *Pruſam ab Hannibale ſub Olympo conditam:* longe antiquior fuit, vt vidimus, & ex Crœſi ac Cyri ſæculo tam originem quam nomen habet. Si vero Hannibal Pruſiæ poſterioris auſpiciis ad condendam vrbem aliquid contulit, ad Pruſiadem potius, quam Olympenam Pruſam contulit. Diſtinctæ enim hæ vrbes ſunt, non eadem, vt multi ſentiunt, & nos quoque ad Plinii epiſtolas aliquando: diſtinctæ, inquam, ſunt & ſitu & ætate.

3. Pruſa, antiqua, in mediterraneis ſub Olympo monte poſita, quemadmodum Ptolemæus etiam in mediterraneis ſcripſit Προῦσαν τὴν πρὸς τῷ Ολύμπῳ, *Pruſam ad Olympum ſitam: Pruſias* vero longe poſterius a Pruſia Zielæ filio condita, maritima fuit, antea *Cius* dicta, ad fluuium *Cium,* & alium, qui adluebat, *Hylam,* vt Solinus memorat cap. XLII. nam & Plinius dicto loco: *amnes Hylas & Cios, cum oppido eiusdem nominis.* Huc fabulam trahunt de Herculis ſocio & argonauta Hyla, dum aquatum exierit, hoc amne a nymphis raptum fuiſſe, quod Strabo iam dicto loco adiecit. Pruſias autem non ſub Olympo fuit, ſed ad *ſinum Cianum,* & ſub alio monte, cui nomen *Arganthonius* erat. Strabo iterum: ὑπέρκειται τῆς Προυσιάδος ὄρος, ὃ καλοῦσιν Αργανθώνιον, *ſupra Pruſiadem mons eſt, qui Arganthonius vocatur.* Hic ſane alius ab Olympo eſt, & longe ab illo remotus, de quo etiam Apollonius lib. I verſ. 1178

Αμφ' Αργανθώνειον ὄρος, προχοάς τε Κίοιο,
Circa Arganthoneium montem, & oſtia Cii.

Hæc ſatis oſtendunt, diuerſas eſſe Pruſiadem & Pruſam ſub Olympo: & vtramque a *Pruſa ad Hypium,* de qua poſt dicemus, diſtinguendam, quod Salma-

* Προῦσα ἐπὶ γηλόφου ὤκισται καὶ τεῖχος ὀχυρὸν περιβέβληται, *Pruſa tumulo impoſita eſt & firmis circumdata mœnibus.* Nicetas in Balduin. c. 2 pag. 389 A. Circa meridiem mons Olympus ab ea paullum recedit, vt idem mox docet.

Salmaſius etiam ad Solinum cap. XLII luculenter demonſtrauit. Notandus etiam Io. Harduinus eſt, qui de Nummis Vrbium pag. 411 de Pruſa πρὸς Ὑπίῳ, *ad Hypium* agens, ſubdit: *Hanc Memnon apud Photium cod.* CCXXIV *Προυσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιον vocat.* Longiſſime enim ſeiunctæ fuerunt Pruſias ad Cianum ſinum Propontidis; & Pruſa ad Hypium flumen, quod Pontum Euxinum in Mariandynorum finibus inlabitur: neque Pruſa πρὸς τῷ Ὑπίῳ ποταμῷ, *ad Hypium flumen*, Ptolemæo eſt ἐπιθαλάσσιος, *maritima*, ſed in mediterraneis eamdem ſcripſit, perinde ac illam ſub Olympo monte: *Pruſiadem* vero inter Nicomediam & Daſcylêum vtique in ora poſuit maritima. Hæc nomina interdum confunduntur, & Domitiani epiſtola, quæ ſub Plinii epiſt. LXVI libri X continetur, *circa Pruſiadem* ager dicitur, qui ex epiſt. LXXXV ineunte videtur iuxta *Pruſam ad Olympum* fuiſſe: quamuis id certo inde probari non poſſit; & ſi poſſit, tamen ſpondere non poſſumus, *Pruſiadis* vocem in Domitiani epiſtola genuinam & incorruptam eſſe. Gentile Pruſiadis Strabo format Προυσιεύς, *Pruſienſis:* a Pruſa autem Stephanus Προυσαεύς, *Pruſaëus*, & Latine, vt Plinius habet lib. X epiſt. LXVI, *Pruſenſis.*

VII.

Poſt Pruſiadem Ptolemæus ponit *Aſcanii* lacus ἐκβολάς, *exitus* in mare: dein Ποσείδιον, *Poſidium* promontorium: tum vero eſt Νικομήδεια, *Nicomedia*, * caput Bithyniæ, condita a Nicomede Zipœtis filio, Zelæ patre, Pruſiæ auo. Tzetzes Chil. III hiſtor. CXV verſ. 950

> Ὁ τοῦ Ζιποίτου μὲν υἱὸς ἐκεῖνος Νικομήδης,
> Ὁ κτίσας Νικομήδειαν.
> *Zepœtis quidem filius ille Nicomedes,*
> *Qui condidit Nicomediam.*

Stephanus tradit, ἀπὸ Νικομήδους τοῦ Ζήλα παιδὸς, ἐπισημοτάτου βασιλέως, *a Nicomede Zelæ filio, incluto rege* conditam eſſe. Malim ſcripſiſſet τοῦ Ζήλα πατρὸς, *patre Zelæ:* quia Pruſias filius Zelæ fuit; Zela filius Nicomedis; hic Zepœtis. Strabo lib. XII pag. 388 tantummodo vrbem conditoris nomen referre dicit, ἑνὸς τῶν Βιθυνικῶν βασιλέων, *vnius ex Bithyniæ regibus*, quo nihil quidem definit, ſatis autem indicat, vetuſtum hunc regem fuiſſe, non vnum ex poſtremis ac notioribus. Plinius lib. V cap. vlt. *Eſt in intimo ſinu* [Aſtaceno] *Nicomedia Bithyniæ præclara.* Ammianus lib. XVII cap. XIII *Bithyniæ vrbium matrem* dixit: Pauſanias Eliac. I cap. XII τὴν μεγίστην τῶν ἐν Βιθυνίᾳ πόλεων, *maximam Bithyniarum vrbium.* **

2. Idem ait, τὰ πρὸ τούτου antea vocatam fuiſſe *Aſtacum*, quod nomen a Nicomede rege mutatum fuerit: quocum conſentiunt Trebellius Pollio in Gallienis cap. IV & Ammianus lib. XXII cap. XII. Ille, *Scythæ*, inquit, *Aſtacum, quæ poſtea Nicomedia dicta eſt, incenſam grauiter vaſtauerunt:* hic, *Aſtacum ſequuto tempore Nicomediam a rege cognominatam.*

(Hh) 2 3. Stra-

* Περικαλλὴς dicitur ab Athenæo lib. I p. 20 C, vt Alexandria χρυσῆ.

** Exuſta fuit ſub imperatore Valeriano a vagantibus Scythis. Zoſimus I cap. 35, qui felicitatem eius & magnitudinem & opes prædicat ibidem.

3. Stephanus autem dicit *Olbiam* fuiſſe adpellatam: Ptolemæus *Nicomediam* & *Olbiam* & *Aſtacum* diſtinxit, tamquam tria vicina oppida. *Olbiam* etiam Scylax habet, & ſinum inde *Olbianum* denominat. Eſt Nicomedia in *ſinu Aſtaceno* ſita, vt Plinius modo dixit; & Strabo dicto loco: ὁ Ἀςακηνὸς καλȣ́μενος κόλπος, μέρος ὢν τῆς Προποντίδος, ἐν ᾧ ἡ Νικομήδεια, *Aſtacenus ſinus pars eſt Propontidis, in eoque ſita Nicomedia:* * quod autem Nicomedia ſit ipſa *Aſtacus*, non videtur mihi probabile. Plinius ibidem: *Fuit & Aſtacum, vnde & ex eo Aſtacenus idem ſinus.* FVIT, ruinas notat conſueto ſtilo Plinii. Mela lib. I cap. XIX *Duo ſunt* inde modici ſinus: alter ſine nomine Cion amplectitur; *Phrygiæ haud longe iacentis opportuniſſimum emporium: alter Olbianos, in promontorio fert Neptuni fanum, in gremio Aſtacon, a Megarenſibus conditam.* Idem ergo Olbianus ſinus, qui Aſtacenus; & Scylaci etiam *Olbianus* dictus, ex quo nauigetur in Cianum. Videtur vtrumque oppidum, *Aſtacum* & *Olbia*, in ruinis iacuiſſe, quum Nicomedia, vtrique vicina, floreret; nec per incrementa huius reſurgere potuiſſe. Dixit Ἀςακὸς, *Aſtacos*, Ptolemæus & Mela: *Aſtacum*, neutro genere, Plinius. *Nicomedia* autem clariſſima fuit non tantum ſub ſuis regibus, ſed ſub Romanis etiam, a Plinio etiam Bithyniæ prætore conſulari poteſtate, memorata ſæpius lib. X epiſt. XVI, XL, XLII, L, Diocletiani regia; etiam, ſi Nicephoro fides eſt lib. VII extremo, Conſtantini, dum Conſtantinopolim ædificauit.

VIII.

Poſt tria illa continua *Nicomediam*, *Olbiam*, *Aſtacum* Ptolemæus obſcurum locum habet *Tararium*, niſi prauatum eſt vocabulum: dein *Acritan* promontorium: tum vero *Chalcedonem* Boſporo adpoſitum oppidum.

IX.

Fuerunt autem notiora inter Nicomediam & Chalcedonem interiecta, *Pronectus* & *Drepanum*, ſiue Drepane. Stephanus: Πρόνεκτος, πόλις Βιθυνίας, πλησίον τῆς Δρεπάνης, ἣν ἔκτισαν Φοίνικες, *Pronectus oppidum Bithyniæ, prope Drepanen, quod Phœnices condiderunt.* Si Phœnices condiderunt, perantiquum oportet eſſe, vt omnes illorum coloniæ. Hanc etiam *Prænetum* & *Prenetum*, poſteriores dixerunt. Socrates lib. VI cap. XVI καταλαμβάνει αὐτὸν ἐν Πρενέτῳ· ἐμπόριον δὲ τȣ̃το καταντικρὺ τῆς Νικομηδείας κείμενον, *offendit illum Preneti, quod emporium eſt ex aduerſo Nicomediæ ſitum.* Itaque etiam in ſinu Nicomedienſi ſiue Aſtaceno. Hierocli Bithyniæ oppidum ſecundum eſt Πρίνετος, *Prinetus*, quod idem eſt. In Leonis Notitia Πραίνετος, *Prænetus:* in alia *Prenetus*, Πρένετος.

X.

Hinc Boſporum verſus, *Drepane* ſiue *Drepanum*. Stephanus: ἔςι καὶ Δρεπάνη Βιθυνίας, πρὸς τῷ Ἀςακηνῷ κόλπῳ, *Eſt etiam Drepane in Bithynia ad ſinum Aſtacenum.* Etymologico autem Magno ita ſitus deſcribitur: Δρέπανον δὲ καὶ χώρα Βιθυνίας πρὸς τῷ Βοσπόρῳ κειμένη, *Drepanum eſt etiam locus Bithyniæ ad Boſporum ſitus.* Fuit ergo Boſporo proximum, ſeu inter Aſtacenum

* Nicetas in Alex. Comnen. III c. 6 pag. 342 A, addi huc poſſit.

cenum ſinum & Boſporum, vt ab vtroque denominari potuerit: atque remotior, quam Pronectus, a Nicomedia. Hanc *Drepanen* ſiue *Drepanum* eum locum eſſe Nicephorus Calliſtus tradit lib. VII cap. XLIX, quem Conſtantinus *Helenopolim* in matris honorem adpellauerit. τὴν πόλιν Δρέπανον, Ἑλενόπολιν, τὴν μητέρα τιμῶν προσηγόρευε, *oppidum*, inquit, *Drepanum, matrem honorans, Helenopolim adpellauit.*

XI.

Sequitur *Chalcedon* ſiue *Calchedon*, antiqua vrbs ipſi impoſita Boſporo, qui Europam & Aſiam diſterminat. Plinius dicto loco: *Rurſus coeuntibus terris, anguſtiæ pertinentes vsque ad Boſporum Thracium. In iis Chalcedon libera, a Nicomedia* LXII ID, *Proceraſtis antea dicta: dein Colbuſa: poſtea Cæcorum oppidum, quod locum eligere neſciſſent, ſeptem ſtadiis diſtante Byzantio, tanto feliciore omnibus modis ſede.* Cæcorum quum oppidum dicitur, ad Apollinis reſpicitur oraculum, quo Byzantii conditoribus reſponſum fuit, ποιήσασθαι τὴν ἵδρυσιν, ἀπεναντίον τῶν τυφλῶν, *vt locum e regione cæcorum caperent.* quo Megarenſes notabantur, qui quum priores in iſta loca nauigaſſent, non vidiſſent commoditatem aduerſi litoris, deteriore loco Chalcedonem ſtatuiſſent. Hæc Strabo lib. VII pag. 221. Eadem Tacitus lib. XII cap. LXIII narrat ita: *Artisſimo inter Europam Aſiamque diuortio Byzantium in extrema Europa poſuere Græci. quibus Pythium Apollinem conſulentibus, vbi conderent vrbem? redditum oraculum eſt, quærerent ſedem cæcorum terris aduerſam. Ea ambage Chalcedonii monſtrabantur, quod priores illuc aduecti, præuiſa locorum vtilitate, peiora legiſſent.* Strabo lib. XII pag. 387 ἐπὶ μὲν τῷ στόματι τοῦ Πόντου Χαλκηδὼν ἵδρυται, Μεγαρέων κτίσμα, *In ore Ponti Chalcedon ſita eſt, condita a Megarenſibus.* Et Stephanus: πρὸς τῷ στόματι τοῦ Πόντου, καταντικρὺ τοῦ Βυζαντίου, *ad os Ponti, ex aduerſo Byzantii.* Claudianus de IV conſulatu Honorii verſ. 176

- - - - - - - *caligine liber*
Boſporus aduerſam patitur Chalcedona cerni,

puta, ex Byzantio.

2. In hanc ſe vrbem imbellis Cotta, Bithyniæ præſes, Mithridatico bello abdidit: etiam Nudus, præfectus claſſis, victus terreſtri pugna ab regiis, ἔφυγεν ἐπὶ τὰς πύλας τῆς Χαλκηδόνος, *refugit ad portas Chalcedonis*, vt Appianus Alexandrinus refert B. Mithrid. p. 367, Eutropius lib. VI cap. V.

3. Auxit famam vrbis *concilium Chalcedonenſe* contra Eutychianos ibidem congregatum, quo etiam ἐδόθη τῇ Χαλκηδονέων μετροπολιτικὰ δίκαια, *Chalcedonenſium ciuitati iura metropolitana conceſſa ſunt*, vt Euagrii lib. II extremo, ſeu quisquis auctor ſummarii rerum in ſynodo illa geſtarum eſt, quod ſecundo libro additur, eſt proditum: ideoque Hierocles *Chalcedonem* primo loco in Bithynia poſuit.

4. Ceterum plerisque libris ſcriptum eſt Χαλκηδὼν, *Chalcedon:* in omnibus contra nummis ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ, ſiue Dorica dialecto ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ, vt viri peritiſſimi antiquitatum obſeruarunt, Ez. Spanhemius pag. 76, Petrus Seguinus pag. 145, & Io. Harduinus pluribus exemplis: qui

etiam Plinium ex nummis correxit *Calchedon* ſubſtituens in locum vulgati *Chalcedon.* Seguinus etiam Strabonem dicit καλχηδὼν ſcripſiſſe, ſed neſcio ex quo codice id adprobetur. Editionibus Aldi, Xylandri & antiquiore Baſileenſi, ac Caſauboni legitur χαλκηδὼν, *Chalcedon:* niſi quod ſemel in Aldina pag. 246 eſt καλκηδὼν, vtrobique cum Kappa, manifeſto typothetæ lapſu, quia ſtatim tertio & quarto poſt verſu eſt χαλκηδὼν, & ἱερὸν τὸ χαλκηδόνιον. Memnon autem apud Photium cod. CCXXIV pag. 381 ed. Hœſchel. ſcripſit κατὰ Καλχηδόνα πόλιν, *iuxta vrbem Calchedonem:* & τῷ Καλχηδονίων λιμένι, *portu Calchedonio.* In codice Canonum eccleſiæ, ab Iuſtello vulgato, etiam Καλχηδὼν legitur. Vide illuſt. Spanhemii de Vſu Numiſm. pag. 76, qui etiam cenſet, quin vera & genuina ſcriptura ſit, Καλχηδὼν, *Calchedon*, nefas eſſe amplius dubitare. * Peutingerianæ tabulæ eſt *Calcedonia*, praue, & incerto modo, vtrum capite an medio exciderit adſpiratio.

XII.

Proxima ab Chalcedone Straboni eſt *Chryſopolis*, vicus, ** & deinde *fanum Chalcedonenſium.* Sic tradit: ἐπὶ τῷ ϛόματι τοῦ Πόντου Χαλκηδὼν ἵδρυται, Μεγαρέων κτίσμα. καὶ κώμη Χρυσόπολις, καὶ τὸ ἱερὸν τὸ Χαλκηδόνιον. *In ore Ponti Chalcedon eſt poſita, Megarenſium opus: & Chryſopolis vicus: & fanum Chalcedonium.* Hæc in ſeptemtrionem ita ferri, ex Peutingeriana etiam liquet, qua Chryſopolis ſupra Chalcedonem, ad Pontum verſus, eſt poſita. Non longe a Chalcedone fuiſſe, ex Zoſimi lib. II cap. XXX probatur, vbi veteris Byzantii murus ad κέρας, *Cornu*, excurrens, dicitur ἀντικρὺ Χρυσοπόλεως, *e regione Chryſopolis fuiſſe.* Amplum portum aut nauale habuit, quo Chalcedonenſes vtebantur. Socrates Hiſt. eccleſ. lib. I cap. IV πρὸς Χρυσόπολιν τῆς Βιθυνίας, ἐπίνειον δὲ τοῦτο τῆς Χαλκηδόνος ἐϛιν, ἡττηθεὶς ἐξέδωκεν ἑαυτὸν, *ad Chryſopolin Bithyniæ, quod Chalcedonis nauale eſt, deuictus* [Licinius Conſtantino] *ſe dedidit.* Stephanus Byzantius: Χρυσόπολις πλησίον Χαλκηδόνος ἐν Βιθυνίᾳ, τὸν ἀνάπλουν πλέοντι ἐν δεξιᾷ, *Chryſopolis eſt prope Chalcedonem in Bithynia, renauiganti ad dexteram.* Ammianus lib. XXII cap. XII *Europam & Bithyniam* [mare] *intercurrens per Chalcedona, Chryſopolim & ſtationes tranſit obſcuras.* Et Xenophon Expedit. Cyri lib. VI extremo: ἀφίκοντο ἑκταῖοι εἰς Χρυσόπολιν Χαλκηδονίας, *ſexto die Chryſopolin Chalcedoniæ regionis venerunt.* Adde principium libri VII.

XIII.

Supereſt, vt de *Boſporo*, ſiue freto inter Byzantium & Chalcedonem aliquid dicamus, quia breuiores in eius deſcriptione in Thracia fuimus. Nomen eſt Βόσπορος, *Boſporus*, id eſt bouis traiectus, quia Io, Inachi filia, in vaccam mutata, traieciſſe vel pertranſiiſſe fingitur. Vide Hyginum fab. CXLV. Plinius lib. VI *ad Boſporos duos, vel bubus meabili tranſitu.* Hic generatim bouis tranſitum dicit propter freti anguſtias: Iûs mentionem

* Add. Spanhemii Orbis Roman. Exercit. II c. 18 pag. 459, 460.
** Ορέριον condiderant prætores Athenienſes Thraſybulus & eius collegæ, præſidioque munierant. Diodor. XIII pag. 288.

nem nullam habet. Habet autem Ammianus lib. XXII cap. XIII. *Boſpori,* inquit, *vocati, quod per eos quondam Inachi filia, mutata, vt poetæ loquuntur, in bouem, ad mare Ionium permeauit.* Sunt autem *duo Boſpori*, vt Plinius dixit, alter *Thracius*, de quo in præſenti; alter *Cimmerius*. Sic & Strabo vocat lib. II pag. 86, *Mæotis palus in Pontum effluit* κατὰ τὸν Κιμμερικὸν καλȣ́μενον Βόσπορον, *ad Boſporum Cimmerium: Pontus in Propontidem* κατὰ τὸν Θράκιον, *ad Thracium* Boſporum. Addit, τὸ γὰρ Βυζαντιακὸν ϛόμα ὅυτω καλȣ͂σι Θράκιον Βόσπορον, ὃ τετραϛάδιόν ἐϛι, *nam fauces ad Byzantium ſic vocant Thracium Boſporum: quarum latitudo eſt quatuor ſtadiorum.* Polybius autem lib. IV cap. XLIII tradit, Hermæum ſeu Mercurii fanum, quod ad medium fretum in Europa ſit, τῆς Ἀσίας ἀπέχειν περὶ πέντε ϛάδια· κατὰ τὸν ϛενωτατον δὲ τὸν τόπον ὑπάρχειν τȣ͂ παντὸς ϛόματος, *ab Aſia circiter quinque ſtadia abeſſe: eum vero locum anguſtisſimum freti eſſe.* Hic ait Darium pontem ſuperſtruxiſſe, quum in Scythas Europæos, qui trans Danubium ſunt, bellum moueret. Plinius quidem *ſeptem ſtadiis* Chalcedonem Byzantio diſtare ſcribit; ſed ibi laxius eſt fretum, vbi has vrbes interluit & Propontidi coniungitur. Polybius de ea parte dicto loco: τȣ͂ πόρȣ πλάτος ἔχοντος, *freto iam latitudinem habente.* Longitudo Boſpori ſecundum eumdem Polybium eſt CXX *ſtadiorum*, ſiue XV millia paſſuum. τοῦ δὴ ϛόματος, inquit, τοῦ τὸν Πόντον καὶ τὴν Προποντίδα συνάπτοντος, ὄντος ἑκατὸν ἔικοσι ϛαδίων τὸ μῆκος, *fretum quod Pontum & Propontidem coniungit, eſt centum & viginti ſtadia longum.*

XIV.

A Boſporo ad oram Ponticam progredimur, in qua, quantum Bithynia patet a Mariandynis & Cauconibus ſeparata, nihil fere niſi promontoria & exitus fluuiorum occurrunt. Ptolemæi hæc eſt enumeratio: *Bithyniæ promontorium, Artace* χωρίον, *locus* vel *vicus*; *Pſillidis fluuii oſtia, Calpæ fluuii oſtia, Sangarii fluuii oſtia, Hypii fluuii oſtia.* Arrianus autem Periplo Ponti a Boſporo primam habet Ῥήβαν, *Rhebam* fluuium, dein promontorium *Nigrum*: tum *Artanen* fluuium: a quo demum ad *Pſilin* fluuium, Ψίλιν, peruenitur. *Artanes* fluuius cum Ptolemæi Artace χωρίῳ conuenit, & alterutrum ſuſpectum corruptionis eſt, quaſi N & K permutata fuerint. Flumina autem & vici ſeu oppida adpoſita ſæpe ſunt eiusdem adpellationis. Ptolemæo ſunt Ψίλλιδος ποταμȣ͂ ἐκϐολαὶ, *Pſillidis fluminis oſtia*, duplicata littera. Atque ita etiam Strabo lib. XII pag. 374 μεταξὺ δὲ Χαλκηδόνος καὶ Ἡρακλείας ῥέουσι ποταμοὶ πλείους, ὧν εἰσιν ὅ, τε Ψίλλις, καὶ ὁ Κάλπας, καὶ Σαγγάριος, *Inter Chalcedonem & Heracleam amnes labuntur complures, quorum ſunt Pſillis, Calpas, Sangarius.* Plinius lib. VI cap. I *A faucibus Boſpori eſt amnis Rhebas, quem aliqui Rheſum dixerunt:* * *deinde Pſillis, portus Calpas, Sagaris fluuius ex inclutis.* Quod ergo hi duo, Plinius & Arrianus, in primo

* Nonnus Dionyſ. III v. 193 pag. 96.

Καὶ ῥόον ἑπταπόροιο πιὼν καὶ ῥεύματα Ῥήσȣ

Γνωτῷ κλῆρον ἔλειπεν ἔχειν καὶ σκῆπτρα Καϐείρων Δάρδανος κ. τ. λ.

mo amne *Rheba* conueniunt, in eo etiam Dionyſium conſentientem habent, qui verſ. 795

Ῥῆβας, ὃς Ποντοῖο παρὰ στομάτεσσιν ὁδεύει,
Ῥῆβας, οὗ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ,

Rhebas, qui Ponti iuxta oſtia decurrit: Rhebas, qui pulcherrimam aquam ſuper terram trahit. Non ergo fuit, quod Ptolemæus eum præteriret.

XV.

Calpas portus & amnis nobilior eſt, & præter iam dictos, Strabonem, Arrianum, Ptolemæum, Plinium, laudatur etiam a Xenophonte de Cyri exped. lib. VI iterum iterumque. Pag. 223 ηὐλίζοντο ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ πρὸς τῷ λιμένι. τὸ δὲ χωρίον τοῦτο ὃ καλεῖται Κάλπης λιμὴν, ἔστι μὲν ἐν Θράκῃ, τῇ ἐν τῇ Ἀσίᾳ. *caſtra habebant in litore ad Calpes portum. Locus autem, qui vocatur Calpes portus, eſt in Thracia Aſiatica,* hoc eſt in Bithynia. Situs eſt hic portus, quod additur ibidem, ἐν μέσῳ κεῖται ἑκατέρωθεν, *in medio ſitus eſt* inter Byzantium & Heracleam. Toto illo tractu ab Heraclea ad Byzantium in Ponti litore ἄλλη μὲν πόλις οὐδεμία οὔτε φιλία, οὔτε Ἑλληνὶς, *nulla alia vrbs eſt, vel Græca, vel Græcis fœderata.* Vicatim enim regio habitabatur. ibidem pag. 224 κῶμαι ἐν αὐτῇ εἰσί πολλαὶ καὶ εὖ οἰκούμεναι, *vici in ea ſunt multi, & bene habitati.*

2. In his etiam fuit χωρίον illud, quod Calpæ portus vocatur. Non enim nudus portus tam celebris potuiſſet eſſe ſine ædificiis. Ipſe Xenophon ibidem πόλισμα vocat, id eſt *oppidum.* ἐσκήνουν ἐν τῷ αἰγιαλῷ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ· εἰς δὲ πόλισμα ἂν γενόμενοι οὐκ ἐβούλοντο στρατοπεδεύεσθαι, *tentoria figebant in litore ad mare: in oppido* (ſaltem ad oppidum proxime) *noluerunt caſtra habere.*

XVI.

Tandem *Sangarius* eſt, Plinio *Sagaris,* & *inclutus* amnis. De illo dicto loco Plinius: *Sagaris fluuius ex inclutis. Oritur in Phrygia, accipit vaſtos amnes, inter quos Tembrogium & Gallum. Idem Sangarius a pleriſque dictus: a quo incipiunt Mariandyni ſinus.* Strabo Sangarium lib. XII pag. 374 ita deſcripſit: Fontes habere CL ſtadiis a Peſinunte: perlabi maiorem partem Phrygiæ Epicteti; partem etiam Bithyniæ, ita vt a Nicomedia abſit paullo plus trecentis ſtadiis, quo loco ei occurrat Gallus fluuius. Sic auctus & nauigabilis factus Bithyniam oſtiis ſuis definit. Claudianus lib. II in Eutropium verſ. 262

- - - - - - *Dindyma fundunt*
Sangarium, vitrei qui puro gurgite Galli
Auctus Amazonii defertur ad oſtia Ponti.

Adde quæ de Sangario ſupra in Phrygia a nobis dicta ſunt. Vere Plinius dixit, *pleroſque* hunc fluuium non *Sagarin,* vt ipſe, & imitatus eum Solinus; & Ouidius lib. IV Pont. epiſt. X verſ. 47, & in nummo Iuliæ Domnæ; de quo infra in *Nicæa;* ſed *Sangarium* vocare, in quo Græci etiam conſentiunt. De Homero vide ſupra in Phrygia. Scylax quidem Σαγάριος, *Saga-*

Sagarius, ſimplici littera legit, etiam Memnon apud Photium: at Apollonius lib. II verſ. 724

- - - ἀντιπέρην ποταμοῦ ϛόμα Σαγγαρίοιο,

contra oſtium Sangarii: & Dionyſius verſ. 811

- - - - παρ' ὕδασι Σαγγαρίοιο,

ad aquas Sangarii. Liuius errat, quum *in Propontidem ſe effundere* dicit: in Pontum enim, quod omnibus notum eſt, exoneratur. Cetera autem, quæ de hoc amne lib. XXXVIII cap. XVIII tradit, recte ſe ſe habent: *Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluens, miſcetur ad Bithyniam Thymbri* [Thymbreti, alii] *fluuio. Inde maior iam, geminatis aquis, per Bithyniam fertur, & in Propontidem* [lege, Pontum] *ſe ſe effundit, non tamen tam magnitudine memorabilis, quam quod piſcium accolis ingentem vim præbet.*

2. Flumen *Thymbris*, ſiue *Thymbres*, aut *Thymbretes*, eſt Plinii *Tembrogius;* Stephanus *Thymbrium* ex Troade deducit, qui forſan idem eſt, quum late aliquando Troas intelligatur, & quæ ab Propontide vſque ad Olympum montem ſunt, comprehendat.

3. De Gallo autem fluuio, quem itidem recipit Sangarius, dictum eſt ſupra in Phrygia.

XVII.

Hic finem facit Strabo Bithyniæ Propriæ, quam dicit Sangarium ὁρίζειν πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς, *oſtiis ſuis terminare.* Plinius quoque dixit *Mariandynos ſinus a Sangario incipere.* At Xenophon prædicto libro VI omnem oram ab Heraclea vſque Byzantium, a Thracibus & Bithynis coli adfirmat. quod ſi eſt, etiam *Hypius* amnis Bithyniæ propriæ tribuendus eſt. Sed eſto a Sangarii oſtiis *Mariandynos* incipere; de ipſa gente Strabo pag. 373 ex morum coniicit ſimilitudine, Mariandynos æque, vt Bithynos, origine Thraces eſſe, quod ſuo loco relinquimus. Nomen Stephanus & Euſtathius ad Dionyſii verſ. 788 ducunt ab Aeolio quodam, cui *Mariandyno* nomen fuerit, Strabo autem ex Theopompo refert, Mariandynum fuiſſe Paphlagoniæ partis dominum, qui hanc Bebrycum regionem inuaſerit, ſubactamque de ſuo adpellauerit nomine. Ipſa regio dicta eſt Stephano Μαριανδυνία, *Mariandynia;* ceteri tantum populum nominant, quem Ptolemæus, & Xenophon Exped. Cyr. lib. VI pag. 220, & Herodotus lib. III cap. XC & lib. VII cap. LXXII Μαριανδηνοὺς, *Mariandenos* vocant, (quamquam Herodoti libri ſibi non conſtant & lib. I cap. XXVIII Μαριανδυνοὶ, *Mariandyni* legitur) ceteri, quos ſcio, omnes per Y in penultima ſcribunt Μαριανδυνοὶ, *Mariandyni* Scylax, Strabo, Mela, Plinius, Athenæus; * & vt adpareat penultimam porrectam eſſe, poetas adiungimus, Apollonium lib. II verſ. 725

Καὶ Μαριανδυνῶν ἀνδρῶν ἐριθηλέα γαῖαν,

& Mariandynorum virentem terram: & Dionyſium Characenum verſ. 788

Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον - - - - &

* Qui libr. VI pag. 263 D *Mariandynos* Heracleotis ſe ſubieciſſe dicit pro ſuppeditandis rebus neceſſariis.

& Mariandynorum ſacrum ſolum: & Valerium Flaccum lib. IV Argonaut. verſ. 171

Et Mariandynûm patrias penetrauit ad vrbes.

Hi omnes etiam per Y ſcripſerunt, quæ haud dubie vera & genuina huius vocabuli ſcriptura eſt.

XVIII.

Ptolemæus addit Καύκωνας, *Caucônes*, quos Strabo poſt Mariandynos ab Heraclea ad Parthenium amnem locat. τοὺς Καύκωνας, inquit, ἱστοροῦσι τὴν ἐφεξῆς οἰκῆσαι παραλίαν τοῖς Μαριανδυνοῖς μέχρι τοῦ Παρθενίου ποταμοῦ, πόλιν ἔχοντας τὴν Τήϊον, *Caucones tradunt deinceps oram colere a Mariandynis vſque Parthenium fluuium, poſſidereque vrbem Teium.* Addit Calliſthenem etiam Catalogo Homeri poſt verſum 362 hos duos, qui abſunt a noſtris libris, legiſſe & recenſuiſſe,

Καύκωνας αὖτ' ἦγε Πολυκλέος υἱὸς ἀμύμων,
Οἳ περὶ Παρθένιον κλυτὰ δώματ' ἔναιον.

Caucones duxit Polyclis præclarus filius, qui circa Parthenium amnem habitant. Alibi etiam Homerus Cauconum meminit Iliad. K verſ. 429 & Y verſ. 329, quos interpres vocat ἔθνος Παφλαγονίας, *gentem Paphlagoniæ*, quia in limite colunt Paphlagoniæ. Rarum poſtmodum nomen Cauconum, quod hæc gens potentiori Mariandynorum videtur ceſſiſſe, illiusque nomen ad Parthenium uſque prolatum, ſolum inſequutis temporibus obtinuit. Vnde eſt quod Scylax poſt Paphlagonas ponit Mariandynos, & poſt hos, Thraces Bithynos, nulla ratione Cauconum gentis habita: & ſcholiaſtes Apollonii ad lib. II. verſ. 725 οἱ Μαριανδυνοὶ ὅμοροι τοῖς Παφλαγόσι, *Mariandyni finitimi ſunt Paphlagonum.* Nec plura de vtraque gente habemus exploratum, quam Mariandynos circa Heracleam; Caucones circa Teium vel Tium ſupra Pontum habitaſſe. Quamquam vero Scylax, Strabo, Plinius ſic inter Bithynos diſtinguunt & Mariandynos; & hos in Sangario finiunt: tamen quod Bithyni reges Pruſias & Nicomedes, vlteriora etiam poſſederunt, vt vel ſola vrbs *Pruſa ad Hypium* amnem ſuo nomine teſtis eſt; factum eſt, vt *Bithyni* generali vocabulo per totum tractum illum habitaſſe referantur, & a Boſporo vſque ad Parthenium, qui Paphlagoniam terminat, *Bithynia* adpelletur. Arrianus Periplo Ponti Euxini: ἀπὸ δὲ Τίου εἰς Βιλλαῖον ποταμὸν, στάδιοι εἴκοσιν. ἀπὸ δὲ Βιλλαίου ἐπὶ Παρθένιον ποταμὸν, στάδιοι ἑκατόν. μέχρι τοῦδε Θρᾷκες οἱ Βιθυνοὶ νέμονται. *A Tio ad Billæum fluuium, viginti ſtadia: a Billæo ad Parthenium fluuium, centum ſtadia. Hucusque Bithyni, qui quidem ſunt Thraciæ populus, ſe ſe extendunt.* Nos ergo oram a Sangario ad Parthenium continuamus ad illuſtrandum perſequi.

XIX.

Inter Sangarium & Hypium amnes, neque Ptolemæus neque Arrianus aliquid memorant. *Hypius* autem ſic ſcribi debet, Græce Ὕπιος, vt in nummis eſt, quos, intus Pruſam huic flumini adiacentem expoſituri, proferemus: non Ἵππιος, *Hippius*, vt perperam Ptolemæus ſcripſit: neque

que Ὕππιος, *Hyppius*, vt Arrianus: neque *Hippus*, vti in Plinii libris ante Harduini emendationem fuit; quamquam hic montem adpellat. Veram ſcripturam & cum nummis congruentem habet Scylax, & Apollonius lib. II Argonaut. verſ. 797

- - βαθυῤῥείοντες ὑφ᾽ εἱαμεναῖς Ὑπίοιο,
profundi ad paluſtria loca Hypii.

Scholiaſtes ad hunc locum: Φησὶν ὅτι οἱ Βέϐρυκες πόλιν ἀπετάμοντο τῆς Μαριανδυνῶν χώρας, καὶ μέχρι τȣ̃ Ὑπίου ποταμȣ̃ προσηγάγοντο τȣ̃ς ὅρȣς. ᾤκισαι δὲ παρὰ τῷ ποταμῷ ἐν τῇ Θυνίᾳ καὶ πόλις Ὑπία λεγομένη, *Aiunt, Bebryces vrbem Mariandynorum regioni ademiſſe, & uſque ad flumen Hypium protuliſſe fines. Condita autem in Thynia ad fluuium eſt vrbs, Hypia dicta.* Hoc ſi eſt, antiqui fines etiam vltra Sangarium, ad Hypium uſque fuerunt producti, quia Bebryces antiquiſſimi incolæ erant, & priores Thracibus Bithynis, a quibus *Bithynia* vocatur.

XX.

Ab Hypio Ptolemæus alium amnem ponit, *Elatam;* & deinde *Dioſpolin;* tum *Heracleam:* Arrianus autem inter Hypium & Heracleam duo emporia interiicit, *Lillium* & *Caletem*, Κάλητα ἐμπόριον, deinde per XX ſtadia, proxime Heracleam, *Lycum* fluuium. Fuerintne oppida emporia illa, an tantum ſtationes nauium, vbi ſtato tempore ad mercatum accolentes conuenerint, incertum: alterum vero probabilius, quia neque Xenophon ibi oppida inuenit, neque memorauit Ptolemæus, Arriano propemodum æqualis ætate.

XXI.

Dioſpolis Ptolemæi videtur fanum fuiſſe in agro Heracleenſium, quod religionis cauſſa in modum oppidi excreuerit.

XXII.

Lycum fluuium, cuius oſtia Arrianus prope Heracleam ponit, commemorauit etiam Apollonius lib. II verſ. 724

- - - - - ποταμοῦ ϛόμα Σαγγαρίοιο,
Καὶ Μαριανδυνῶν ἀνδρῶν ἐριθηλέα γαῖαν,
Ἠδὲ Λύκοιο ῥέεθρα.

oſtia fluuii Sangarii, & Mariandynorum terram virentem, & Lyci fluenta, ſubaudi, præternauigarunt. Et Scylax in Mariandynis: ἐνταῦθα πόλις ἐϛὶν Ἡράκλεια Ἑλληνὶς, καὶ ποταμὸς Λύκος, καὶ ἄλλος ποταμὸς Ὕπιος, *Illic eſt Heraclea vrbs Græca, & fluuius Lycus, & alius fluuius Hypius.* Et Ouidius de fluminibus in Pontum ſe effundentibus, lib. IV ex Ponto epiſt. x. verſ. 47

Huc Lycus, huc Sagaris. - - - -

XXIII.

Vrbs proxima amni Lyco *Heraclea* eſt, cognomine *Pontica:* Ptolemæo Πόντȣ Ἡράκλεια, *Ponti Heraclea:* in nummis Iuliæ Domnæ, Caracallæ, Getæ, Gordiani ΗΡΑΚΛΕΙΑϹ ΕΝ ΠΟΝΤΩ, *Heracleæ in Ponto.* Plinius lib. V cap. vlt. *oppidum Heraclea Lyco flumini adpoſitum.* * Verius

(Ii) 2 dixiſſet

* Vid. Scholiaſtes Nicandri ad Alexipharmaca v. 13, 14, 15 pag. 65.

dixiſſet propinquum, quia xx ſtadia intercedunt, vt Arriani Periplo conſtat. Ἀπὸ δὲ Λύκου, inquit, εἰς Ἡράκλειαν πόλιν Ἑλληνίδα Δωρικὴν, Μεγαρέων ἄποικον, στάδιοι εἴκοσι, *a Lyco ad Heracleam, Græcam Doricam ciuitatem, ſtadia viginti.* Plenius deſcribit Xenophon lib. vi Exped. Cyri minoris, pag. 220, ἀφίκοντο εἰς Ἡράκλειαν, πόλιν Ἑλληνίδα, Μεγαρέων ἄποικον, οὖσαν δ' ἐν τῇ Μαρυανδηνῶν χώρᾳ. καὶ ὡρμίσαντο παρὰ τῇ Ἀχερουσιάδι χεῤῥονήσῳ. ἔνθα λέγεται Ἡρακλῆς ἐπὶ τὸν Κέρβερον καταβῆναι, hoc eſt, *Heracleam venerunt, vrbem Græcam, Megarenſium coloniam, in Maryandenorum* [ſic ſcriptum eſt] *finibus ſitam. Expoſiti ſunt in Acheruſiade peninſula, quo loco Herculem aiunt* [ad inferos] *deſcendiſſe, vt Cerberum inde reduceret.* Fabulam de Cerbero adiungit etiam huic vrbi Euſtathius ad Dionyſii verſ. 791, Ἡράκλεια Μεγαρέων ἄποικος, περὶ τὴν Ἀχερουσία Χεῤῥόνησος, ὅπου φασὶν Ἡρακλέα τὸν ἐξ ᾅδου Κέρβερον ἀναγαγεῖν. *Heraclea Megarenſium colonia eſt, circa quam eſt cherſoneſus Acheruſia, vbi aiunt Herculem ex infernis Cerberum extraxiſſe.* Pomponium de eadem fabula paullo poſt proferemus. Strabo vrbem dicit εὐλίμενον καὶ ἀξιόλογον, *bono portu præditam, & aliis rebus memorabilem:* quæ initio libera fuerit, deinde aliquamdiu tyrannos paſſa, rurſus in libertatem ſe vindicauerit: poſtea ab rege Mithridate ſubiugata, eo deuicto, in poteſtatem venerit Romanorum, qui in partem eius deduxerint coloniam. Omnes Megarenſium coloniam dixerunt: his vero Pauſanias adiungit Tanagræos, tanquam ſocios & adiutores, Eliac. i cap. xxvi extremo: ἡ Ἡράκλεια πεπόλισται μὲν ἐπὶ Εὐξείνῳ Πόντῳ, ἀπῳκίσθη δὲ ἐκ Μεγάρων. καὶ Ταναγραῖοι δὲ Βοιωτῶν μετέσχον τοῦ οἰκισμοῦ, *Heraclea*, inquit, *in Euxino Ponto condita, colonia eſt Megarenſium: Tanagræi vero ſocii fuerunt in condenda illa.* Pomponius Mela ad fabulas refert originem l. i cap. xix. *In Ponto Euxino*, inquit, *Mariandyni vrbem habitant, ab Argiuo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur. Id famæ fidem adiicit: Iuxta ſpecus eſt Acheruſia, ad manes, vt aiunt, peruius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant.* At Mariandyni fuerunt barbari: Heraclea vero πόλις Ἑλληνὶς, *vrbs Græca*, vt Scylax, Xenophon, Arrianus, adpellaverunt.

XXIV.

Ab Heraclea Ptolemæus hunc habet ordinem: Ψύλλιον, Τῖον, Παρθενίου * ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Pſyllium, Tium, Parthenii fluuii oſtia.* Arrianus autem plura, exigua forſan omnia, inter Heracleam & Pſyllium, ſiue Pſyllam, loca interponit, *Metroum, Poſidæum, Tydaridas, Nymphæum, Oxinam* fluvium, *Sandaracam* paruum portum, *Crenidas.* ἀπὸ Κρηνίδων εἰς Ψύλλαν ἐμπόριον, *a Crenidibus ad Pſyllam emporium* venit: & hoc eſt Ptolemæi *Pſyllion*, mercatu locus nobilior, quam priora omnia, ad Heracleam vſque, quæ propter vilem conditionem atque obſcuritatem prætermittimus. Sit ergo nobis primum ab Heraclea *Pſyllium*, ſiue *Pſylla*, vt Arrianus vocat, & emporio commendat. Stephano etiam *Pſylla* eſt ex Menippi Periplo, atque inter Heracleam & Tium ponit, vt Salmaſius cap. xliii Exercit. Plin.

* Vid. Jac. Nicol. Loënſis Miſcell. Ep. lib. VI c. 17 pag. 510. & Xenoph. Cyri expedit. VI p. 374 E.

Plin. emendat. Menippus autem dixerat χωρίον, quod oppidum & caſtellum ambigue verti poteſt.

XXV.

Nonaginta ſtadiis a Pſylla abeſt vrbs *Tios* vel *Tion;* nam vtroque genere dicitur. Arrianus: ἐνθένδε εἰς Τῖον, πόλιν Ἑλληνίδα, Ἰωνικὴν, ἐπὶ θαλάττῃ οἰκουμένην, Μιλησίων καὶ ταύτην ἄποικον, ἐνενήκοντα, *Inde* [a Pſylla] *ad Tium, vrbem Græcam Ionicam, ſupra mare ſitam, & ipſam Mileſiorum coloniam, ſunt ſtadia nonaginta.* Hierocli & Stephano eſt Τίος, *Tius* recto caſu: Ptolemæo Τῖον, *Tium*, neutro genere: Straboni, qui auget ſyllaba, Τήϊον, *Tëium*, etiam neutro. Sic autem deſcribit: τὸ Τήϊον ἤδη πολίχνιον οὐδὲν ἔχον μνήμης ἄξιον, πλὴν ὅτι Φιλέταιρος ἐντεῦθεν ἦν, ὁ ἀρχηγέτης τοῦ τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων γένους, *Tëium oppidulum nunc eſt, quod nihil memoria dignum habet, niſi quod inde Philetærus ortus fuit, a quo genus eſt Attalicorum regum.* Sic in libris eſt: Stephanus autem in Strabone, quem nominatim citat, ſublegit Τίειον, *Tiêum*, τρισυλλαβῶς, *tribus ſyllabis.* Plinius autem lib. VI cap. I *oppidum Tium*, quod verum nomen eſt, vti non modo ex Ptolemæo & Arriano, nec non Stephano liquet, quibus iam vſi ſumus; verum etiam ex Luciani Pſeudomante, qui habet ἐν Τίῳ, *in Tio;* & ex gentili, quod in nummis legitur, ΤΙΑΝΩΝ, *Tianorum*, Antonini Pii: * & ΤΙΑΝΕΩΝ, *Tianenſium*, M. Aurelii Antonini. Non ergo tam vile oppidulum fuit, vt Strabo ſupra ſenſerat, ſed in eorum cenſu ſub Cæſaribus, quæ nummos illorum honori cudendi & ius & opes habuerunt: niſi Strabonis forſan ætate fuit adflictius, poſtea rurſus incrementa cepit.

XXVI.

Arrianus a Tio ad *Billæum* fluuium numerat viginti ſtadia: a Billæo ad *Parthenium* fluuium, centum ſtadia. *Billæi* etiam meminit hoc tractu Apollonius lib. II verſ. 793

> Ὅσσους Βιλλαίοιο μέλαν περιάγνυται ὕδωρ,
> *Quotquot Billæi atra claudit vnda.*

Memorat etiam *Billæum* fluuium Porphyrogennetus Conſtantinus lib. I themate VII, quo dicit Paphlagoniam ab occaſu finiri: in quo Plinium ſequutus videtur, lib. VI cap. II, qui etiam a *Billi* (ſic Billæum vocat) initivm fecit gentis Paphlagoniæ.

XXVII.

Parthenius autem vltimus Bithyniæ amnis, ſeu Bithyniam a Paphlagonia diſterminans, ex Arriani, quem ſequimur, diſtributione; Straboni ita dictus, quod per florida loca delabatur, lib. XII pag 374 ὁ Παρθένιος ποταμὸς, διὰ χωρίων ἀνθηρῶν φερόμενος, καὶ διὰ τοῦτο τοῦ ὀνόματος τούτου τετυχηκὸς, ἐν αὐτῇ τῇ Παφλαγονίᾳ τὰς πηγὰς ἔχων, *amnis*, inquit, *Parthenius, per florida delabens loca, indeque id nomen conſequutus* [quaſi Virgineus diceres] *fontes in ipſa habet Paphlagonia.* Alias nominis origines adfert Stephanus, e quibus prima eſt, ἐκ τοῦ συνεχῶς περὶ αὐτὸν τὴν παρθένον Ἄρτεμιν κυνηγετεῖν, *quod*

* Et Antinoo heroi apud Vaillant. ſelect. Numiſm. Franciſc. de Camps p. 21 dicat. num.

adſidue circa hunc amnem virgo Diana venari conſueuerit. Ceteras ex ipſo licet auctore recognoſcere.

BITHYNIA MEDITERRANEA.

XXVIII.

Vt a Rhyndaco amne cœpimus maritima explicare, ſic ab eodem ſumamus initium mediterranearum partium. Hunc inter amnem & Olympum montem, haud longe a mari, Ptolemæus *Cæſaream* ponit, quæ ante dicta fuerit Σμυράλεια, *Smyralea*, ſiue vt in Palatino eſt, Σμυρδιανὴ, *Smyrdiana.* Sed ignotum vetus nomen, quocumque modo ſcribatur: neque nouum multo notius, niſi quod in Notitiis epiſcopatuum, & Conciliis eius mentio habetur in Bithynia. Hierocles decimam Bithyniæ vrbem numerat Καισάρειαν, *Cæſaream:* & in alia Notitia ὁ Καισαρείας, *Cæſareæ epiſcopatus*, itidem in Bithynia.

XXIX.

Circa Olympum montem fuit etiam vrbs *Hadriani*, Ἀδριανοὶ, quam nummus Seueri, a ſummo viro Ezech. Spanhemio exhibitus, ad Olympum fuiſſe, epigrapha docet, quæ eſt ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟΣ ΟΛΥΜΠΟΝ, *Hadrianorum ad Olympum.* Notitiæ hoc nomen in Bithynia ſcribunt. Hierocles in hac prouincia, Ἀδριανοὶ, *Hadriani:* altera Notitia ὁ Ἀδριανῶν, *Hadrianorum epiſcopus.* Harduino videtur vrbs ea eſſe, quæ Plinio lib. v cap. XXXII dicta eſt *ciuitas Olympena:* niſi hoc loco *ciuitas* Latino more ſocietas eſt vicorum atque oppidorum, ſitorum circa Olympum montem, vt regio potius, quam vrbs vna intelligatur, *Olympene* videlicet, ſicut Ptolemæo ſunt Ὀλυμπηνοὶ, *Olympeni*, populus eiusdem regionis.

XXX.

In hoc tractu videtur etiam *Iuliopolis* fuiſſe, quam Plinius lib. x epiſt. LXXXI memorauit. Ait enim *Iuliopolitanos* eſſe *in capite Bithyniæ.* At quo in capite, loci an dignitatis? non dignitatis, quia id honoris Nicomediæ, & poſt hanc Nicææ tribuebatur: ergo loci, quod arguit in principio fuiſſe poſitam, vbi qui Roma veniebant, ingrediebantur prouinciam. Ex Plinii autem itinere, quo prouinciam adiit lib. x epiſt. XXVIII, Epheſum Romanos nauigaſſe videmus, & per Aſiam proconſularem acceſſiſſe ad Bithyniam. Ptolemæus quidem *Iuliopolim* quamdam in extrema Bithynia ad Galatiæ fines vltra Dadaſtanam memorat: verum hæc non eſt *in capite* Bithyniæ, vt Pliniana erat. Non enim ex Paphlagonia aut Gallogræcia initium prouinciæ huius Romani ſumebant, ſed ex loco, quem prius illi, Roma profecti, adiſſent, aut qui Romam verſus propior eisdem eſſet. Plinius lib. v cap. XXXII *Gordiu come, quæ Iuliopolis vocatur.* Deſcribit ibi Olympenen regionem: & proxime ponit Daſcylon in ora, & Apameam, quæ *Myrlea* etiam vocata fuerit. Itidem Strabo lib. XII p. 395 de Olympi montis ſiluis & natura munitis locis refert, fuiſſe in iis etiam *Gordu comen* Γόρδου κώμην, patriam Cleonis, ducis prædonum, qui illam auxerit, & πόλιν, *vrbem* fecerit, καὶ προσηγόρευσεν Ἰουλιόπολιν, & *Iuliopolin denomina-*

minarit. Nec vero proptérea Ptolemæus aberrauit, ſed gemina auctoritate, Itinerarii Antoniani, vt vocatur, & Tabulæ Peutingerianæ defenditur: vt adeo duas in Bithynia Iuliopoles fuiſſe certum ſit, vnam Plinii vtriusque & Strabonis in Olympena ad Myſiæ fines: alteram ad fines Paphlagoniæ aut Gallogræciæ, ab Itinerarii & Tabulæ auctoribus, & his antiquiore Ptolemæo commendata.

XXXI.

Maxime vero huc *Pruſa* cum *Olympi* cógnomine referenda eſt, de qua ſupra, quum de Pruſiade ad Cianum ſinum ſub monte Arganthonio ageremus, vt diſtinguerentur vrbes, quas multi confundunt, abunde ſimul dictum fuit. Summam vt repetamus, hæc Ptolemæo in mediterraneis eſt Πρῦσα ἡ πρὸς τῷ Ολύμπῳ, *Pruſa ad Olympum* ſita: quæ non a Pruſia, Zelæ filio; ſed multum antiquiore, qui cum Crœſo vel Cyro bellum geſſerat, condita, auctoris nomen refert. Strabo lib. XII pag. 388 Πρῦσα ἐπὶ τῷ Ολύμπῳ τῷ Μυσίῳ, κλίσμα Πρυσίυ τῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος, *Pruſa ad Olympum Myſium* [ad Myſiæ fines montem] *condita eſt ab illo Pruſia, qui cum Crœſo bellum geſſit.* Quod vero Stephanus hanc, quam a Pruſiade diſtinxit, vocat πόλιν μικρὰν, *paruum oppidum*, id forſan de ſua, aut quauis poſteriori ætate intelligit: Strabo enim vocat πόλιν εὐνομυμένην, *legibus bene conſtitutam ciuitatem*, quod, ſi non magnæ, mediocris tamen vrbis, non autem oppiduli, eſt indicium. Plinius hanc Pruſam cum Pruſiade confundit, dum lib. v cap. vltimo *Pruſam ab Hannibale ſub Olympo conditam* dicit, quod Strabo verbis modo prolatis refutauit, Crœſi, non Hannibalis, æuo hanc vrbem fuiſſe conditam adfirmans: quod & Stephanus ſignificauit, Cyrum, æqualem Crœſi, nominans, quocum bellum Pruſæ conditori fuerit, eius, quæ diuerſa ſit a Pruſiade, ab alio Pruſia, qui Hannibalis ætate fuit, condita.

XXXII.

A montanis Olympi deſcendimus ad lacum *Aſcanium*, cui nobilis vrbs *Nicæa* adiacet. * Strabo XII pag. 389 Νίκαια ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας, ἐπὶ τῇ Ασκανίῃ λίμνῃ, *Nicæa metropolis eſt Bithyniæ, ad Aſcanium lacum ſita.* Circumiacet πεδίον μέγα καὶ εὔδαιμον, *planities magna & frugifera:* ambitus vrbis ἑκκαιδεκαστάδιος, *ſtadiorum* XVI; κλίσμα Αντιγόνυ μὲν πρῶτον, *condita primum ab Antigono*, Philippi filio, qui etiam Αντιγονίαν, *Antigoniam* adpellauit: εἶτα Λυσιμάχυ, intellige κλίσμα, *a Lyſimacho etiam condita*, hoc eſt perfecta, quam Antigonus forte non abſoluerat; & hic demum ab uxore, Antipatri filia, abolito priore nomine, *Nicæam* nominauit. Hæc ex Strabone. Ptolemæo etiam in mediterraneis eſt Νίκαια, *Nicæa.* Stephanus & antiquius nomen, priusquam Antigonus amplificaret, prodidit: Νίκαια, πόλις Βιθυνίας, Βοττιαίων ἄποικος. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Αγκώρη· εἶτα Αντιγένεια· ὕστερον δὲ ἀπὸ τῆς Λυσιμάχυ γυναικὸ Νίκαια ἐκλήθη. *Nicæa eſt Bithyniæ vrbs, Bottiæorum colonia, prius adpellata Ancore: deinde Antigonea; poſtea vero ab vxore Lyſima-*

* Epigrammat. Græc. libr. III c. εἰς ἄνδρ. ὐκ ἐπισημ. pag. 291 Ιφθίμῳ τόδ' ἐπ' ἀνδρὶ φίλη πόλις ἤνεσ' ἀχαιῷ γράμμα παρ' εὐύδρυ νάμασιν ἀσκανίης. Κλαῦσε δὲ μεν Νίκαια.

Lyſimachi Nicæa dicta eſt. Memnon Photii cod. CCXXIV pag. 383 Nicæam vrbem a nympha quadam, Sangarii & Cybeles filia, denominatam tradit, quod vero, quia fabulam ſapit, prætermittendum ducimus. Plinius lib. V cap. vlt. *A Cio intus in Bithynia Pruſa ſub Olympo condita: inde Nicæam* XXV *millia paſſuum interueniente Aſcanio lacu. Deinde Nicæa in vltimo Aſcanio ſinu, quæ prius Olbia.* Quam primam deſcripſit, Aſcanio lacu ab Olympo & Pruſa ſeiunctam, celebris illa Nicæa eſt, quam omnes laudant, cuius tot nummi ſunt reliqui, quorum vno, in honorem Domitiani cuſo, ciues dicuntur ΝΙΚΑΕΙϹ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗϹ ΕΠΑΡΧΕΙΑϹ, *Nicæenſes primi totius prouinciæ:* alio Iuliæ Domnæ ΝΙΚΑΙΕΩΝ ϹΑΓΑΡΙϹ, *Nicæenſium Sagaris*, ſiue Sangarius; vt ne dubites Bithynicam Nicæam eſſe quæ laudatur: de altera vero *Nicæa*, quam Plinius *Olbiam* prius dictam tradit, niſi alia auctoritas accedat, non deſinam dubitare. Nec id de Olbia plane certum; quia Stephanus hoc nomen dicit Nicomediæ fuiſſe: Ptolemæus proxime ad Nicomediam conſtituit. Itaque vereri ſubit, ne Aſcanius lacus & Aſcanius ſinus, quem vocat, in errorem induxerit Plinium. Quis eſt enim ſinus Aſcanius? Aſtacenum ibi nouimus & Olbianum, qui idem eſt: & Cianum: Mirum vero a fluuiolo, qui ex lacu Aſcanio effluit in Propontidem, ſinum aliquem adpellari: quem, ſi omnino Olbia aliquando Nicæa dicta fuiſſet, *Aſtacenum* rectius, quam Aſcanium, vocitaret. Ceteri omnes non niſi vnam in Bithynia Nicæam tradiderunt, Strabo, Stephanus, Ptolemæus, Antoninus. Huius memoria ex bello Mithridatico, in quo Memnon apud Photium pag. 383 *Triarius a Pruſiade* ἐπὶ Νίκαιαν, Φρουρουμένην Μιθριδατίῳ Φρουρᾷ παραγίνεται, *aduerſus Nicæam, Mithridatis prædio cuſtoditam, proficiſcitur.* Illuſtrior memoria ex ſynodo a Conſtantino ibi congregata, vt notum eſt. Gentile in nummis Νικαεὺς & Νικαιεὺς, vt modo vidimus: poſſeſſiuum vulgo formant *Nicænum* vel *Nicenum:* ſed neutrum ad analogiam. Non enim eiusmodi denominationes Græci in αινος formant, vt *Nicænum* Latine efferres; ſed in ηνος potius, ex quo proprius *Nicenus* venit, non autem plene nomen vrbis ſibi adplicat, quod Salmaſius ad Solinum pag. 606 *Nicaënus* docet formandum eſſe, vti Epiphanius dixerit Νικαηνὰ σκεύη χαλκᾶ, *Nicaëna vaſa ænea.*

XXXIII.

Ab Aſcanio lacu regredimur rurſum ad ſinum Aſtacenum, vt *Libyſſam*, Hannibali fatalem locum, ibi inueniamus. Ptolemæus [qui Λίβισσα, *Libiſſa* ſcribit, ſecus ac ceteri, quorum conſtanter eſt Λίβυσσα, *Libyſſa*] in mediterraneis ponit, neque id male. In eo autem aberrat a vero loco, quod inter Aſtacenum & Cianum ſinus poſuit, in quo auctores plures ſibi aduerſantes habet. Eutropius lib. IV cap. II de Hannibalis morte: *quum Romanis tradendus eſſet, venenum bibit, & apud Libyſſam, in finibus Nicomedienſium, ſepultus eſt.* Ergo circa Nicomediam hic locus fuit: Ptolemæus autem Eribœam inter Libiſſam ſuam & Nicomediam poſuit. Et ſi vel maxime fines Nicomediæ extendas, tamen in ordine Ptolemæus errauit, dum Nicomediæ in auſtrum ſubiicit, quæ in occaſum illius Calchedonem

verſus

verſus conſtituenda erat. Vetus itinerarium, quod Antonini cuiusdam nomen præfert, itinere a Conſtantinopoli Antiochiam, ita habet:

Chalcedonia			
Pantichium	M.	P.	XV
Libyſſam	M.	P.	XXIIII
Nicomediam	M.	P.	XXII

Et in altero Itinerario, quod Hieroſolymitanum ſiue Burdigalenſe vocatur, hæc ſeries locorum deſcribitur: *A Conſtantinopoli tranſis Pontum, venis Calcedoniam, ambulas prouinciam Bithyniam.*

Mutatio	Naſſete	M.	VII. S.
Manſio	Pandicia	M.	VII. S.
Mutatio	Pontamus	M.	XIII.
Manſio	Libiſſa	M.	IX.

Ibi poſitus eſt rex Annibalianus, qui fuit Afrorum.

Mutatio	Brunga	M.	XII.
Ciuitas	Nicomedia	M.	XIII.

Et Peutingeriana Tabula idem ordo conſeruatus eſt:

Calcedonia XXXVII *Liuiſſa* XXIII *Nicomedia.*

De ſitu ergo inter Calchedonem & Nicomediam res certa eſt: diſtantia autem a mari dubitatur. Stephanus Byzantius ex Alexandro Polyhiſtore: Λίβυσσα φρούριον Βιθυνίας ἐπιθαλάσσιον, *Libyſſa caſtellum eſt Bithyniæ maritimum.* Et Plutarchus in Flaminio pag. 380 ἐν δὲ Βιθυνίᾳ τόπος ἐςὶν θινώδης ἀπὸ θαλάσσης, καὶ πρὸς αὐτῷ κώμη τις ȣ̓ μεγάλη, Λίβυσσα καλεῖται, *Eſt locus in Bithynia tumulos arenæ a mari habens, & in illo vicus quidam non magnus, Libyſſa nominatur.* Ptolemæus autem in mediterraneis ſcripſit, quod ita concilio ceterorum ſententiæ, vt *prope mare* Libyſſam fuiſſe exiſtimem, non ipſi mari adpoſitam, diſtantia ea ab illo, vt tam maritimis, quam mediterraneis adnumerari poſſit, vt ſolent quæ intra quatuor millia paſſuum, aut circiter illa, ab mari ſunt diſcreta. Plinius lib. v cap. vlt. deſcribit vt dudum deletam. *Fuit & Aſtacum*, inquit, *vnde & ex eo Aſtacenus idem ſinus. Fuit & Libyſſa oppidum, vbi nunc Hannibalis tantum tumulus.* Appiano Alexandrino Syriacis pag. 150 Libyſſa nec oppidum nec vicus eſt, ſed fluuius & inde nominatus campus. ποταμός ἐςι Λίβυσσος ἐν τῇ Βιθυνίᾳ καὶ πεδίον ἐκ τȣ̃ ποταμȣ̃ Λίβυσσα, *Fluuius,* inquit, *Libyſſus eſt in Bithynia, a quo ea regio campeſtris Libyſſa adpellatur.* Quod vero non obſtat, quo minus & oppidulum & vicus, quum eſſet, eodem nomine *Libyſſæ* vteretur.

XXXIV.

In vlteriora progredimur, vbi in ſeptemtrione erat *Pruſa ad Hypium* flumen, vel ſecundum alios, *ſub Hypio* monte. Amnis ille inter Sangarivm & Heracleam in Pontum Euxinum effluit. Arrianus Periplo Ponti: ἐνθένδε εἰς τȣ̃ Ὑπίȣ (ſic ſcribendum, vt poſtea monſtrabitur) τὰς ἐκβολὰς, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν, *Inde* [a Sangario] *ad Hypii oſtia, centum & octoginta ſunt ſtadia.* Hic ab occaſu proceſſit: contra ab ortu Scylax in Mariandy-

nis: ἐνταῦθα πόλις ἐςὶν Ἡράκλεια Ἑλληνὶς, καὶ ποταμὸς Λύκος, καὶ ἄλλος ποταμὸς Ὕπιος, *Illic vrbs Græca eſt Heraclea, & fluuius Lycus, & alius fluuius Hypius.* Apollonius lib. II Argonaut. verſ. 397

- - βαθυρρείοντος ὑφ' εἱαμεναῖς Ὑπίοιο,
profundi ad paluſtria loca Hypii.

Claritatem vrbis numiſmata loquuntur plura, quibus inſcriptum eſt ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ, *Pruſenſium ad Hypium:* & alius Macrini, ΜΗΤΡ. ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ, *Metropolis Pruſenſium ad Hypium.* Hæc vera nominis ſcriptura, quam etiam Scylax modo & Apollonius expreſſerat: ad eamque corrigendi Arrianus, qui Ὕππιος geminata littera, & Plinius, qui *Hyppus,* (quamuis montem is vocauit) ſcripſerunt, ſi recte editum eſt, nec librariorum culpa codices vitiati. Harduinus ſane reſtituit Plinio, nummos imitatus, *ſub Hypio monte:* dixit enim, *Pruſa item altera ſub Hypio monte.* Niſi errauit Plinius, ita videtur ceteris conciliari poſſe, quod ex monte forſan fluuius eiusdem nominis delabatur. Præiuit Apollonii ſcholiaſtes ad dictum verſum pag. 192 notans: ὁ Ὕπιος ὠνόμαςαι ἀπὸ τȣ̃ καταφέρεσθαι ἀπὸ τῶν Ὑπίων ὀρῶν, *Hypius fluuius nominatur ita, quia ab Hypiis montibus delabitur.* Huic igitur fluuio *Pruſa* vrbs a Pruſia rege fuit impoſita, quam, incertum, num nouam condiderit a fundamentis; an ornauerit veterem ampliaueritque. nam ad id flumen vrbs fuit *Hypia*, ſi fides eidem ſcholiaſtæ habenda eſt, quæ forte illa fuit, quæ ab amplificatoris nomine *Pruſa* poſtmodum eſt adpellata. Quod vero Harduinus de Nummis vrbium pag. 411 hanc maritimam facit, & eamdem, quam Memnon apud Photium cod. CCXXIV vocat Πρȣσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιον, *Pruſiadem ad mare ſitam;* id ſupra in *Pruſiade* refutauimus. Satis nobis iam eſt, Ptolemæum in mediterraneis Bithyniæ ſcripſiſſe, Πρȣ̃σα πρὸς τῷ Ὑπίῳ ποταμῷ, *Pruſa ad Hypium fluuium;* qui oppidum ſupra oſtia, interuallo non minimo collocauit: quem, quod ducem meliorem non habemus, ſequendum hoc loco ducimus.

XXXV.

Hinc in ortum ſolis circa *Elatam* fluuium Ptolemæus ponit *Bithynivm,* quod & *Claudiopolis* vocetur. Ait enim Κλαυδιόπολις, ἡ καὶ Βιθύνιον, *Claudiopolis, quæ & Bithynium.* Strabo lib. XII pag. 389 ἐν τῇ μεσογαίᾳ τῆς Βιθυνίας τὸ Βιθύνιόν ἐςιν, ὑπερκείμενον τȣ̃ Τηΐȣ, *in mediterraneo Bithyniæ eſt Bithynium, ſupra Teium* [ſiue Tium] *ſitum.* Ex quo longitudinem loci intelligimus, quia certa Tii ad Pontum poſitio. Patria fuit Antinoi, deliciarum Hadriani imperatoris. Ex Dione Xiphilinus in Hadriano pag. 262 ὁ Ἀντίνοος ἦν μὲν ἐκ Βιθυνίȣ πόλεως Βιθυνίδος, ἣν καὶ Κλαυδιόπολιν καλȣ̃μεν, *Ortus erat Antinous Bithynio, ciuitate Bithyniæ, quam etiam Claudiopolim adpellamus.* An colonia fuerit, dubitatur: nec id certo Plinii verba lib. V cap. vlt. probant: *Intus in Bithynia colonia Apamena, Agrippenſes, Iuliopolitæ, Bithynion.* Io. Vaillantius Claudii colonias enumerans, nullam memorat in Bithynia: nec nummus aut monimentum aliud ex illa reperitur. Sæpe autem ciuitates nomen principis Romani, a quo erant beneficio adfecti,

vel

vel honoris, vel etiam adulationis cauſſa ſibi impoſuerunt. Hæc poſtea caput prouinciæ Honoriadis facta, in Notitiis κλαυδιέπολις dicta, & primo loco poſita. Antoninus itinere a Claudiopoli Ancyram Galatiæ pag. 43 hanc Claudiopolim, vt tractus itineris per Cratiam probat, intellexit. Hunc enim ordinem ſeruat:

Claudiopoli			
Cratiam	M.	P.	XXIIII
Carum vicum	M.	P.	XXX
Legna	M.	P.	XXIV
Crentium	M.	P.	XXXII
Ancyram	M.	P.	XXIIII.

XXXVI.

Ex mediis ſola *Cratia* nota eſt, quæ & *Flauiopolis* fuit nominata. Ptolemæus in mediterraneis Bithyniæ: Φλαυιόπολις, ἡ καὶ Κράτεια, *Flauiopolis, quæ & Cratêa*, ſiue *Cratia*. Et nummo Seueri, ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙ. Ionice Κρητιέων pro Κρατιέων. Et alio Iuliæ Domnæ, ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Cratienſium Flauiopolitarum.* Notitia Hieroclis in prouincia Honoriade Κρατία, *Cratia:* & in altera, ὁ Κρατείας, *Crateæ epiſcopus.* In Authentic. Conſtitut. XXIX cap. I *Omnibus ex æquo vrbibus prouideat, quas vtraque prius habuit prouincia: hoc eſt, in Honoriade quidem, Pruſiadi, Cratiæ, Hadrianopoli, Tio, Claudiopoli, Heracleæ.* Ptolemæus Cratiam circa Parthenium amnem poſuit, ab oſtiis ſecundum Latinum interpretem, dimidio gradu: vt in Græco eſt codice, ſextante gradus, ſiue ſcrupulis decem, vt alterutrum oporteat corruptum eſſe.

XXXVII.

Fuit & *Hadrianopolis* in hoc tractu, auctore Hierocle in Honoriade prouincia, cuius etiam Nouella XXIX modo adlegatis verbis meminit. Hanc *Hadrianopolim* etiam Holſtenius, tamquam ab *Hadrianis*, vrbe circa Olympum Bithyniæ, diſtinguendam, Notis ad Carol. a S. Paulo pag. 167 commendat.

XXXVIII.

Ex ſeptemtrione ad vltima auſtralis partis, eiusdemque in ortum vergentis, progredimur, quo loco duo oppida Ptolemæus poſuit, *Dadaſtanam* & *Iuliopolim.* Quæ harum eſt citerior, *Dadaſtana* videlicet, eam mors imperatoris Iouiani nobilitauit. Socrates lib. III extremo: ἐν χωρίῳ τινὶ παραγίνεται, ᾧ προσωνυμία Δαδάστανα. μεθόριον δὲ ἐστὶ τοῦτο Γαλατίας καὶ Βιθυνίας, *in vicum quemdam, cui nomen eſt Dadaſtana, in finibus Galatiæ & Bithyniæ* [Iouianus] *venit.* Sozomenus lib. VI cap. VI de eodem Iouiano: ἀπιὼν ἐπὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν, ἐξαπίνης ἐν Δαδαστάνοις, χωρίῳ τῆς Βιθυνίας καθ' ὁδὸν, ἐτελεύτησεν, *proficiſcens Conſtantinopolin verſus, ſubito Dadaſtanis, Bithyniæ vico in via regia, exſtinctus eſt.* Et Theodoritus lib. IV Hiſtor. eccleſ. cap. V. ἐν Δαδαστάνῃ δὲ, κώμῃ δὲ αὕτη Βιθυνῶν καὶ Γαλατῶν ἐν μεθορίῳ κειμένῃ, τὸ τοῦ βίου τέλος ἐδέξατο, *Dadaſtanæ, qui vicus eſt ſitus in confinio Bithynorum Galatarumque, finem vitæ* [Iouianus] *habuit.* De eodem Ammianus lib. XXV

ſub finem: *Quum veniſſet Dadaſtanam, qui locus Bithyniam diſtinguit & Galatas, exanimatus inuentus eſt nocte.* Et lib. XXVI cap. XXIII *Vbi Dadaſtanam tetigit, in qua ſtatione periſſe diximus Iouianum,* cetera. STATIONEM vocat, id eſt φρούριον, caſtellum: Græci iam laudati, Socrates & Sozomenus χωρίον, quod inter ambiguas, quas habet, notiones, etiam *caſtellum* a multis vertitur; Theodoritus κώμην, *vicum:* quod argumento eſt, exiguum fuiſſe, nec eo ambitu, quo ſolent iuſta oppida. Ceterum hi omnes Δαδαστάνα, vt Ptolemæus & Theodoritus, ſingulari numero, etiam Ammianus *Dadaſtana:* ceteri pluraliter, vt frequenter Græci ſolent, Δαδάστανα; omnes, inquam, hi A in ſyllaba prima: ſolus Philoſtorgius Gothofredi lib. VIII cap. VIII τὰ Δεδάστανα, *Dedaſtana:* quod vero Valeſius ſua editione correxit & τὰ Δαδάστανα edidit: atque etiam Peutingerianæ Tabulæ eſt *Dadaſtana,* vocali prima.

XXXIX.

Extrema Ptolemæi eſt Ἰουλιούπολις, Iuliopolis, vtique alia ab illa, quam ſupra circa Olympum montem, aut inter hunc & mare cum Strabone ac vtroque Plinio defendimus. Nec ſuſpicari licet, Ptolemæi numeros, vt ſæpe factum, prauatos eſſe, quia eumdem ſitum etiam Itinerarium Antonini, & Peutingeri Tabula confirmant. Illo hic ordo locorum eſt obſeruatus itinere a Conſtantinopoli Antiochiam:

Nicæa			
Oriens Medio	M.	P.	XVI
Cotiæium	M.	P.	XXVIII
Dablim	M.	P.	XXVIII
Cænon Gallicanon	M.	P.	XXIIII
Dadaſtanam	M.	P.	XXI
Iuliopolim	M.	P.	XXVI.

Et Peutingeriana eadem ſerie a Nicæa:

Nicea XL *Tateabio* XXIII *Dablis* XL *Dadaſtana* XXVIII *Iuliopoli.* Hinc diſtantiam *Iuliopolis* a Dadaſtana, & vtriusque a Niceæ intelligimus. Qui *Iuliopolitæ* illi ſunt, quos Plinius lib. V extremo memorauit, *Agrippenſes, Iuliopolitas, Bithynion* coniungens; quos quia a *Gordiu come, quæ Iuliopolis vocatur,* vt antea deſcripſerat, diſtinguit; vtique ex hac vlteriori ſunt *Iuliopoli,* quæ in finibus ſita eſt Galatiæ.

XL.

Quæ in vtroque itinere *Dablis* eſt, plurali numero Δαβλεῖς, *Dables* Ptolemæi ſunt: ex cuius non minus diſpoſitione, quam itineribus & ſitus & diſtantia ab aliis perſpicitur. *Apolloniadem* Notitiarum credo Apolloniam a Rhyndacum eſſe, de qua ſupra.

XLI.

Obſcuriora Ptolemæi & aliunde haud cognita ſunt *Eribæa,* inter Cianum & Aſtacenum ſinum: *Callica:* Κάλλικα, inter Nicomediam: *Patauivm,* a meridie Aſcanii lacus: *Agrilium,* prope Olympum montem: *Protomacra,* inter Nicæam & Dadaſtanam: hinc vlteriores in ortum *Timæa,* dein

dein *Latanea*, Λατάνεια; & prope Parthenium amnem Κλεῖται, *Clitæ*, & tandem *Didaucana*, vel *Dedaucana*, inter Pruſam ad Hypium, & Bithynion. In quo tractu, qui poſtea Honoriadis nomen ſuſcepit, fuit etiam *Hadrianopolis*, vt in Hieroclis & altera Notitia eccleſiæ; nec non in Novella Conſtitutione XXIX cap. I eſt; hisce videlicet in prouincia Honoriade. Neque *Agrippenſes* Plinii in Bithynia, quos cum Iuliopolitanis ſupra memorabat, noti ſunt: neque eiusdem *Nicopolis*, ad Boſporum forſan, aut prope illum eſt certior. Sic autem de illa lib. V extremo: *Vltra Calchedona Chryſopolis fuit: deinde Nicopolis, a qua nomen etiamnum ſinus retinet, in quo portus Amyci.* Nihil quoque Harduinus habuit, quod ad hanc Nicopolin adferret. *Alyatta*, Stephani χωρίον Bithyniæ, id eſt locus vel oppidulum, haud dubie eſt quod Liuius lib. XXXVIII cap. XVIII *Alyattos* vocat, & ſic deſcribit, vt non longe a Galatiæ finibus videatur abfuiſſe. *Ducere*, inquit, *exercitum conſul ad Plitendum: deinde ad Alyattos caſtra poſita. Eo miſſi ad Epoſſognatum redierunt, & legati cum illis reguli, orantes, ne Tectoſagis bellum inferrent.*

XLII.

Inſulas in Ponto Ptolemæus contra Bithyniam recenſet, *Thyniadem*, & *Erithinos ſcopulos.* Strabo lib. XII pag. 374 vbi de oſtiis Sangarii egit, ſubiicit continuo: πρόκειται τῆς παραλίας ταύτης καὶ ἡ Θυνία νῆσος, *ante hanc oram ſita eſt inſula Thynia.* Ptolemæo eſt ἡ Θυνιάς, *Thynias*: & ceteræ, hinc orientaliores, οἱ Ερίθινοι σκόπελοι νῆσοι, *Erithini ſcopuli, inſulæ.*

SECTIO II.

PAPHLAGONIA.

XLIII.

A Parthenio fluuio Bithyniæ termino, quem etiam Xenophon lib. VI Exped. Cyri minoris memorauit, incipit *Paphlagonia*, cuius ſunt *Paphlagones*, quorum antiquiſſima inde ab Homero eſt memoria: qui Parthenium quoque Paphlagonibus tribuit, & vetuſtiſſima illorum oppida enumerat. Catalogo, verſ. 358 ſeqq.

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ,
Εξ Ενετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων,
Οἵ ῥα Κύτωρον ἔχον, καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο,
Αμφί τε Παρθένιον ποταμὸν κλυτὰ δώματ' ἔναιον,
Κρῶμνάν τ', Αἰγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ερυθίνους.
Paphlagonibus præerat Pylæmenis virile cor,
Ex Henetis, vbi mularum generatio agreſtium;
Qui Cytorum tenebant, & Seſamum circa habitabant,
Circaque Parthenium amnem claras domos poſſidebant,
Cromnamque, Aegialumque, & excelſos Erythinos.

Longitudo ſecundum rationes in Bithynia conſtitutas eſt a Parthenio vsque ad Halyn, nobiliſſimum Aſiæ fluuium. Pontum Euxinum a tergo

habet, ab oppoſita in auſtrum plaga, Galatiam. Ptolemæi ætate Paphlagoniæ nomen prouinciarum diuiſione ferme interierat. Partem enim Bithyniæ adiungit: maiorem dat Galatiæ, quam ad Pontum vsque dilatat, vt quum antea fuerit mediterranea regio, tum ſimul etiam facta ſit maritima. Sed poſt reſtitutum nomen, vti ex Notitiis manifeſtum eſt: & ante Ptolemæum Strabo illius, & Plinius rationem vtique habuerunt. Ille quidem arctiores fines facit Paphlagoniæ, verum non antiquos gentis fines, verum ampliatum regnum Mithridaticum perſequitur, quo factum, vt pauciora omnino Paphlagonibus relinquerentur: hic autem [Plinius lib. VI cap. 11] a *Billi* fluuio, aliis *Billæo,* qui cis Parthenium iuxta Tium labitur, ad Halyn vsque Paphlagoniam extendit. *Fluuius Bilis,* inquit, *vltra quem gens Paphlagonia, quam Pylæmeniam aliqui dixerunt, incluſam a tergo Galatia: - - - - amnis Halys, a radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociamque decurrens: oppida Gangre, Caruſa.* Xenophon quoque ad Halyn haud dubie hanc gentem produxit, dum Sinopen, quæ propinqua huic amni eſt, in Paphlagonia ſitam dicit lib. VI Expedit. Cyri poſt initium. Σινωπεῖς, inquit, οἰκοῦσι μὲν ἐν τῇ Παφλαγονικῇ· Μιλησίων δὲ ἄποικοί εἰσιν, *Sinopenſes habitant quidem in Paphlagonia: coloni autem ſunt Mileſiorum.* Quapropter rationes noſtras in Bithynia explicatas perſequuti, a Parthenio initium Paphlagoniæ conſtituimus, perducimusque vsque ad amnem Halyn.

XLIV.

A Parthenio prima vrbs maritima ſecundum Strabonem & Ptolemæum eſt Ἄμαστρις, *Amaſtris:* * etiam Arriani ſuffragio, qui diſtantiam quoque definiuit. Ἀπὸ Παρθενίου ἐς Ἄμαστριν πόλιν Ἑλληνίδα στάδιοι ἐνενήκοντα· ὅρμος ναυσίν, *A Parthenio Amaſtrin, vrbem Græcam, ſunt ſtadia nonaginta: vbi nauium portus.* Stephanus Byzantius: Ἄμαστρις πόλις Παφλαγονίας, ἡ πρότερον Κρῶμνα, *Amaſtris vrbs Paphlagoniæ, quæ prius Cromna dicta fuit.* Sed fallitur. Cromnam enim ab Amaſtri diſtinxit Ptolemæus, & Arrianus, qui CXX ſtadiis ſeparat, & medio loco oppidum Erythinos interponit. Malim in Plinii ſententiam concedere, qui lib. VI cap. 11 dixit: *Seſamum oppidum, quod nunc Amaſtris.* Seſamum, quod paullo ante in Homeri verſu vidimus: & de quod Scylax in Paphlagonia: Σήσαμος πόλις Ἑλληνίς, *Seſamus, vrbs Græca;* puta Mileſiorum colonia: *Amaſtrios* autem nomen dicitur a Perſica muliere, Oxyathræ, qui frater Darii fuit ab Alexandro debellati filia, vxore Dionyſii Heracleæ tyranni, accepiſſe. Sic Strabo & Stephanus. Nomen ergo poſterius eſt quam vt Scylax commemorare potuerit. Strabo lib. XII pag. 375 hæc ita conciliat: ἐκείνη ἐκ τεττάρων κατοικιῶν

* Lucian. in Toxari p. 71 Κατέπλευσα ἐς Ἄμαστριν τὴν ποντικήν. ἐν προσβολῇ δέ ἐστι τοῖς ἀπὸ Σκυθίας προσπλέουσιν οὐ πολὺ τῆς Καράμβεως ἀπέχουσα ἡ πόλις. *Nauigaui Amaſtrin vrbem Ponticam. Eſt autem hæc non multum a Carambi diſſita & e Scythia nauigantibus obiecta.* Ergo irriſores quoque irridendi ſui materiem præbent. Sed ſi *Ponticum* dicitur, quidquid in *prouincia* erat *Pontica,* quam Romani ſic adpellabant, irriſione nihil hic dignum eſt. Vide infra § 101.

κιῶν συνῴκισε τὴν πόλιν, ἔκ τε Σησάμου, καὶ Κυτώρου, καὶ Κρώμνης· τετάρτης δὲ τῆς Τηΐου. ἀλλ᾽ αὕτη μὲν ταχὺ ἀπέστη τῆς κοινωνίας, αἱ δὲ ἄλλαι συνέμειναν· ὧν ἡ Σήσαμος ἀκρόπολις τῆς Αμάστρεως λέγεται. *Hæc* [mulier] *ex quatuor ciuitatem compoſuit, ex Seſamo, Cytoro & Cromna: quarta fuit Teïos* (ſiue Tios) *quæ vero cito a ſocietate defecit: ceteræ vero in eadem manſerunt ita, vt tamen Seſamus arx & caput illarum fuerit.* Quæ ſic intelligas; Seſamum reginam illam præcipue ornaſſe, & de ſuo nomine vocitaſſe *Amaſtrin*, quæ vt ſplendidior eſſet, illi tria alia oppida contribuiſſe, ſicut & alibi pentapolin, tetrapolin aut tripolim denominatam videmus: a qua ſocietate Tiani poſtea receſſerint: Cromnam vero & Cytorum manſiſſe quidem, ſed tamen ab Amaſtri magis magisque fuiſſe exhauſtas. Nummi huius ciuitatis præclari ſuperſunt, Auguſti æuo percuſi, cum epigraphe, ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. Vide Patinum pag. 9. Hoc vero gentile eius. Plinius lib x epiſt. XCIX ad Traianum: *Amaſtrianorum ciuitas, domine, & elegans & ornata, habet inter præcipua opera pulcherrimam eamdemque longiſſimam plateam.* Similes nummos in Marco Antonino pag. 237 Patinus exhibet. Singularis autem ille eſt, quem illuſtris Spanhemius pag. 464 oſtendit, conditricis reginæ (nam Heracleenſes tyranni reges vocabantur) referens ita nomen: ΑΜΑCΤΡΙΟC ΒΑCΙΛΙCCΗC, *Amaſtrios reginæ.*

XLV.

Inde ſexaginta ſtadiis abſunt, Arriano auctore, Ερύθινοι, *Erythini*, quas ὑψηλοὺς, *excelſos* dixit Homerus, vt ſupra cognouimus. Et Apollonius lib. II Argonaut. verſ. 943

Σήσαμον, αἰπεινούς τε παρεξενέοντ᾽ Ἐρυθίνους,
Seſamon, & celſos præterierunt Erythinos.

Scholiaſtes λόφους περὶ Παφλαγονίαν, *tumulos*, ſiue *montes Paphlagoniæ* interpretatur: Stephanus autem, Ερύθινοι, πόλις Παφλαγονίας, *Erythini, oppidum Paphlagoniæ.*

XLVI.

Hinc totidem ſtadiis eſt *Cromna*, * Homero, Apollonio, Straboni, Plinio, Arriano, & Ptolemæo laudata. Homeri & Strabonis teſtimonia ſupra audiuimus: Apollonius dicto loco verſ. 944

Κρωβίαλον, Κρῶμνάν τε καὶ ὑλήεντα Κύτωρον,
Crobialum, & Cromnam, ſiluoſum Cytorum.

Stephanus πόλιν, *oppidum* dicit: Marcianus Heracleota χωρίον, generali vocabulo, quod ſæpe infra oppidum eſt. Meminit etiam Valerius Flaccus lib. II verſ. 105

Mox etiam Cromnam, atque iugo pallente Cytoron.

XLVII.

In eodem maritimo tractu ſcriptores Argonautici etiam *Crobialum* memorant, ſed quia nec Ptolemæus neque Arrianus eius mentionem faciunt,

* Tzetzes ad Lycophron. v. 522 Ἔστι δὲ καὶ ἡ Κρῶμνη πόλις Παφλαγονίας, ἐν ᾗ τιμᾶται ὁ Ποσειδῶν.

faciunt, certum locum deſignare non poſſumus. Apollonium de illo iam audiuimus: Valerius Flaccus lib. v verſ. 102

Altius in ventos recipit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus, & fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium.

XLVIII.

Sequitur intervallo xc ſtadiorum relicto, Κύτωρον, ſiue Κύτωρος, *Cytorum* ſiue *Cytorus*. Hoc oppidum poſt Cromnam proximum habent Ptolemæus & Arrianus. Homerum, Apollonium & Strabonem teſtes ſupra aduocauimus. Scylax in Paphlagonia: Κύτωρος πόλις Ἑλληνὶς, *Cytorus vrbs Græca*. Stephanus, Κύτωρος πόλις Παφλαγονίας, *Cytorus, vrbs Paphlagoniæ*. Strabo, τὸ Κύτωρον ἐμπορεῖον ἦν ποτε Σινωπέων, *Cytorum erat quondam emporium Sinopenſium*. Græcam autem dixit Scylax, quia haud dubie colonia Mileſiorum fuit, vt pleræque in Ponto. Plinius montem hoc nomine habet. *Mons*, inquit, *Cytorus a Tio* LXIII M. *paſſuum*. Potuit mons & oppidum, vel hoc in monte, communi vti adpellatione.

XLIX.

Inter Cytorum & Carambin promontorium Ptolemæo ſunt *Climax*, quam χωρίον, Latinus interpres caſtellum cognominat; & *Teuthrania*, ἡ καὶ Θύμαινα, *quæ & Thymæna* vocetur: Arrianus autem a Cytoro nauigauit ἐς Αἰγιαλοὺς, *ad Aegialos* ſexaginta ſtadiis: inde nonaginta ἐς Θύμηνα, *Thymena*. Sic ſcripſit ſine diphthongo, quæ eadem ſunt Ptolemæi *Thymæna*. Prior locus *Aegiali*, etiam Homero notus fuit, Catalog. verſ. 362

Κρῶμναν τ' Αἰγιαλόν τε, cetera,

ſingulari numero, vt ſupra integro verſu commonſtrauimus. Strabo quoque dicto loco: μετὰ δὲ Αἰγιαλὸν Κάραμβις, *poſt Aegialum Carambis eſt*.

L.

Nobiliſſimum promontorium *Carambis*, quod ita Strabo deſcripſit: Κάραμβις ἄκρα μεγάλη πρὸς τὰς ἄρκτους ἀνατεταμένη, καὶ τὴν Σκυθικὴν δὲ χεῤῥόνησον. ἐμνήσθημεν δ' αὐτῆς πολλάκις καὶ τοῦ ἀντικειμένου αὐτῇ Κριοῦ μετώπου, διθάλαττον ποιοῦντος τὸν Εὔξεινον πόντον. *Carambis eſt promontorium magnum, verſum ad ſeptemtriones & ad Scythicam Cherſoneſum. Sæpe eius mentionem fecimus, & oppoſiti Criu-metopi, quo Euxinus Pontus in duo maria diuiditur.* Plinius prædicto loco: *Promontorium Carambis vaſto excurſu. Fuit & oppidum eodem nomine.* Oppidi rationem videtur etiam Scylax habuiſſe, quia in Paphlagonia eius editum eſt, Κάραμος πόλις Ἑλληνὶς, vbi Voſſius & alii cenſent Κάραμβις, *Carambis* legendum eſſe: quia nulla Caramus in Paphlagonia. Si fuit oppidum, a Mileſiis non dubitatur conditum, ideoque πόλις Ἑλληνὶς, *Græcum oppidum* dicitur. Plures autem tantummodo promontorium memorant, Strabo dicto loco ἄκραν μεγάλην, *magnum promontorium* dicens; & lib. VII pag. 214 ἀκρωτήριον τὸ διαιροῦν εἰς πελάγη δύο τὸν Εὔξεινον πόντον, *promontorium quod Euxinum Pontum in duo quaſi maria diuidit*, id quod de oppoſito Κριοῦ μετώπῳ, *Criu-metopo* lib. XII, vt vidimus, etiam dixerat, quia neutrum id ſolum, ſed coniun-

cte

cte illud & communiter perficiunt. Ptolemæus, Κάραμβις ἄκρα, *Carambis promontorium:* & Dionyſius Characenus verſ. 785

- - - - Καράμβιδος ἔγγυθεν ἄκρης.
prope promontorium Carambin.

LI.

Inde Arriano & Ptolemæo eſt *Zephyrium:* huic deinceps *Calliſtratia,* quam neglexit Arrianus: vterque poſt ex longiore interuallo (CL ſtadiorum a *Zephyrio*) habent Ἀβώνου τεῖχος, *Aboni tichos* ſeu munimentum, σμικρὰν πόλιν, vt Arrianus & Stephanus tradunt, id eſt *paruum oppidum:* aut πολίχνιον, *oppidulum*, ſecundum Strabonem. Omnes enim mentionem eius faciunt, & ſitum Ptolemæus ac Arrianus ſatis definiunt. Patria fuit impoſtoris, qui renati Aeſculapii fabulam finxit, & callida arte Bithynos Paphlagonasque illuſit. Lucianus in Pſeudomanti de impoſtoris conficto vaticinio: ὡς αὐτίκα μάλα ὁ Ἀσκληπιὸς σὺν τῷ πατρὶ Ἀπόλλωνι μέτεισιν εἰς τὸν πόντον καὶ καθέξει τὸ τοῦ Ἀβώνου τεῖχος, *quaſi propediem Aeſculapius cum Apolline patre aduenturus in Pontum ſit, atque Aboni Tichos inhabitaturus.* * In nummo Antonini Pii, quem vir maximus Ezech. Spanhemius præbet pag. 177, ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ, cum gemino ſerpente, ſigno Aeſculapii: & in gemello Golzii, ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΙΤΩΝ ΓΛΑΥΚΩΝ, *Abonotichitarum Glaucon.* Id nomen enim Draconi ſuo, quem Aeſculapium impoſtor mentiebatur, impoſuiſſe legitur. Lucianus ibidem: καὶ ὄνομά γε τῷ θεῷ ἐπιτεθέν. Γλύκων γὰρ ἐκαλεῖτο, (lege ex nummo Γλαύκων.) *Etiam nomen deo impoſitum. Glaucon enim vocabatur.* Gentile autem Ἀβωνοτειχίτης eſt, vt Stephanus & Suidas tradunt; & ipſe Lucianus principio huius libri, Ἀλεξάνδρου τοῦ Ἀβωνοτειχίτου. Alexander autem nomen illius impoſtoris eſt. Idem oppidum poſtea Ionopolis fuit adpellatum. Lucianus dicto libro ſub finem: μέγα ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ τόλμημα τοῦ Ἀλεξάνδρου, τὸ αἰτῆσαι παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος μετονομασθῆναι τὸ Ἀβώνου τεῖχος, καὶ Ἰωνόπολιν κληθῆναι, *Et hoc inter alia facinus audax Alexandri, ab imperatore poſtulare, vt Aboni Tichos, commutato vocabulo, Ionopolis adpellaretur.* Videtur etiam impetraſſe. nam id nomen poſtea obtinuit. Heracleota Marcianus ſub finem Peripli: εἰς πόλιν Ἀβώνου τεῖχος, τὴν νῦν Ἰουνόπολιν λεγομένην, *in oppidum Aboni Tichos, quod nunc Iunopolis vocatur.* Hierocles etiam in Notitiæ ſuæ prouincia Paphlagoniæ ſcripſit Ἰουνόπολις, *Iunopolis*; quod nomen prauatum in Notitiis ceteris eſt: at Nouella conſtitutione XXIX cap. I *Ionopolis*, in Paphlagoniarum vrbium & Honoriadis recenſione.

LII.

Hinc Arrianus CL ſtadiis ducit ἐς Αἰγινῆτιν, *Aeginetin*, & LX deinde ἐς Κίνωλιν ἐμπόριον, *ad emporium Cinolin.* Prior locus Stephano eſt Αἰγινήτης, πολίχνιον καὶ ποταμὸς Παφλαγονίας, *Aeginetes, oppidulum & fluuius Paphlagoniæ.* Alterius nomen etiam a Marciano Heracleenſi pag. 72 per N ſcribitur, ἀπὸ Κινώλιδος, *a Cinolide;* ceteris per M. Strabo pag. 375 Μετὰ δὲ Καραμ-

* Adde huc ſis Themiſtii Orat. XXVII pag. 333 ſeq.

Κάραμβιν Κίμωλις, καὶ Αντικίμωλις καὶ Αβώνȣ τεῖχος, *Poſt Carambin Cimolis eſt, & Anticimolis, & Aboni caſtrum.* Videtur alium ordinem inſtituiſſe, Aboni munimentum poſtponens Cimolidi: quod vero in noſtro antea dato, quo Aboni caſtrum inter Carambin & Cimolin eſt, Ptolemæus, Arrianus, & Marcianus conſentiunt; non eſt quod ab illo recedamus. Sed hæc obiter. Ptolemæo noſtrum oppidum eſt Κιμωλὶς, *Cimolis:* Plinius lib. II *Oppida, Cimolis, Stephane.* Strabonis *Anticimolis* trans flumen vel paruum ſinum videtur fuiſſe poſita. In Melæ I cap. XIX legitur etiam *Cinolis, Anticinolis,* ſed ex coniectura Pintiani, quem Voſſius & Gronouius ſequuntur.

LIII.

Cimolidi Ptolemæus ſubiungit *Armenen;* deinde *Stephanen:* quæ Arrianus tranſponit, & Stephanen citeriorem habet quam Armenen; etiam loca quædam interponit, a fluminibus & promontorio denominata. Marcianus, qui preſſe alias Ptolemæum ſequitur, cum Arriano congruit in ordine ac diſpoſitione: ἀπὸ Κινωλίδος εἰς Στεφάνην κώμην ςαδια ρν'. *A Cinoli ad Stephanen vicum ſtadia* CL, (Arrianus CLXXX:) & tum demum præter Ποταμὸς χωρίον, *locum Potamos;* & paruum promontorium, quod *Syriadem* vocat, ducit ad *Armenen,* in omnibus ſic conſentiens Arriano. Vnde pronum nobis ad fidem eſt, turbatum ordinem Ptolemæi eſſe, & Stephanen in priorem locum reducendam. *Stephane* vero etiam a Ptolemæo κώμη, *vicus* tantum dicitur; a Plinio, vt modo narrauimus, inter oppida connumeratur: etiam chorographus Byzantius: Στεφανὶς πόλις Μαριανδυνῶν, *Stephanis, oppidum Mariandynorum,* quæ haud dubie eſt Stephane Paphlagoniæ.

LIV.

Tum *Armene,* Αρμένη, ſubſequitur, vicus aut oppidulum cum portu. Strabo, Αρμένη, κώμη τῶν Σινωπέων, ἔχȣσα λιμένα, *Armene, vicus, Sinopenſium cum portu.* Et Marcianus: εἰς Αρμένην κώμην καὶ λιμένα μέγαν, *in Armenen vicum & portum magnum.* Et Stephanus: Αρμένη κώμη Παφλαγονίας, *Armene vicus Paphlagoniæ.* Scylax autem, Αρμένη πόλις Ελληνὶς καὶ λιμὴν, *Armene oppidum Græcum & portus.* In quibusdam Græcis libris cum adſpiratione ſcribitur, vt ſit Latine *Harmene:* Plinius autem & Pomponius ſine illa, *Armene.* Omnes hi, Græci & Latini, quos nominauimus, ſcripſerunt mediam E breui: ſolus Xenophon ἀναβασ. lib. VI poſt principium vocali longa, εἰς Αρμήνην τῆς Σινώπης, *in Harménen, quæ Sinopenſium eſt,* quod non recens mendum, ex Stephano liquet, qui idem in Xenophonte obſeruauit. Tandem id quoque notatu dignum eſt, quod Mela lib. I cap. XIX ſcripſit, *Tum Cinolis, Anticinolis, &, quæ Paphlagoniam finit, Armene. Chalybes proximi vrbium clarisſimas habent, Amiſon & Sinopen.* Hic quia populos, non regiones, diuidit, potuit Armenen Paphlagonum quidem facere vltimam, reliqua vero Paphlagonii limitis dare Chalybibus, qui & ipſi, ſaltem ex parte, fuerunt in Paphlagonia. Et ſane Xenophon dicto loco: Σινωπεῖς οἰκȣ͂σι ἐν τῇ Παφλαγονικῇ, *Sinopenſes habitant in Paphlagonia.*

gonia. Et Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXII ἡ Σινώπη κειμένη ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ, *Sinope ſita eſt in Paphlagonia.*

LV.

Sequitur ipſa vrbs *Sinope*, Σινώπη, Ponticarum vrbium clariſſima. Abeſt ab Armene quadraginta ſtadiis, Arriano auctore: ſecundum Strabonem quinquaginta. Sita eſt ad peninſulam, cuius iſthmum occupat duobus tantum ſtadiis patentem; vlteriora autem peninſulæ ſunt vacua. Polybius lib. IV cap. LVII hæc prodit: quibus Strabo addit, vtrumque ad iſthmi latus egregium portum habere. Summa fuit antiquitate, vt vel ad Argonautas putet Strabo originem referri poſſe: & fabulam nominis, de Aſopi virgine filia, adiecit Apollonius lib. II verſ. 948. Immo quaſi tum condita fuiſſet, deſcribit Valerius Flaccus lib. V verſ. 108

- - - - - - alta Carambis
Raditur, & magnæ pelago tremit vmbra Sinopes.
Aſſyrios complexa ſinus ſtat opima Sinope:
Nympha prius blandosque Iouis quæ luſerat ignes,
Cælicolis immota procis.

Si fuit tam antiqua, tamen exigua fuit & ſine ſplendore, quem a Mileſiorum poſt colonia accepit. Strabo lib. XII pag. 376 ὕϛερον Μιλήσιοι τὴν εὐφυΐαν ἰδόντες, καὶ τὴν ἀσθένειαν τῶν ἐνοικούντων, ἐξιδιάσαντο, καὶ ἐποίκους ἔϛειλαν, *Poſtea Mileſii opportunitatem loci videntes & imbecillitatem incolarum, ſuam fecerunt, & eo miſerunt coloniam.* Ex quo vniuerſa vrbs Meleſiis tamquam auctoribus tributa fuit. Strabo paullo ante: ἔκτισαν αὐτὴν Μιλήσιοι, *Mileſii eam* [Sinopen] *condiderunt.* Xenophon lib. VI ἀναβασ. poſt principium: Σινωπεῖς Μιλησίων ἄποικοί εἰσι, *Sinopenſes ſunt Mileſiorum colonia.* Et Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXII ἡ Σινώπη Μιλησίων ἦν ἄποικος, κειμένη ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ, μέγιϛον εἶχεν ἀξίωμα τῶν περὶ τοὺς τόπους, *Sinope Mileſiorum colonia erat, ſita in Paphlagonia, ſummam in illis locis auctoritatem obtinuit.* * Ipſa quoque tam potens fuit, vt alias ex ſuis colonias deduceret, Ceraſuntem, Trapezuntem, claras in Ponto ciuitates, de quibus poſtea dicturi ſumus. Longo ſic tempore libertate vſa, tandem capta eſt a Pharnace, Ponti rege, auo Mithridatis ab Romanis debellati, ex quo regia ſedes Ponticorum regum facta eſt. Mithridates enim Euergetes ibi a ſuis interfectus eſt: Eupator autem ſeu vltimus Mithridates in ea vrbe natus & educatus: quæ Strabo refert lib. X & XII. Mithridatico bello Lucullus expugnauit. Cicero pro Lege Manil. cap. VIII de illo proconſule: *Sinopen atque Amiſum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta, ceterasque vrbes Ponti & Cappadociæ permultas vno aditu atque aduentu eſſe captas.* Romana deinde in eam colonia deducta fuit. Strabo lib. XII νυνὶ καὶ Ρωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, καὶ μέρος τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας ἐκείνων ἐϛὶ, *Nunc Romanorum recepit coloniam, quæ in partem vrbis agrique venit.* Et Plinius lib. VI cap. II *nunc eſt colonia Sinope.* Id quod num-

* Sinopenſium calliditas aduerſus Datamen obſidentem narratur ab Ænea Poliorcet. cap. 40 pag. 1715.

mis etiam illuſtratur, quibus eſt COL. IVL. SINOPE: item alio Caracallæ, C. I. AV. SINOP. id eſt *Colonia Iulia Auguſta Sinope:* & alio Getæ, C. I. F. SINOPES, *Coloniæ Iuliæ Felicis Sinopes.* Auguſtus ergo nouæ coloniæ auctor fuit.

LVI.

Inter Sinopen & Halyn amnem Arrianus ponit *Caruſam*, & Ζάγωρα, *Zagora:* Ptolemæus *Cyptaſiam*, & *Zaliſci* fluuii oſtia, & deinde *Galorum*, Γάλωρον, oppidum. omnia obſcura nomina, præter *Caruſam*, quam Scylax *Caruſſam* ſcripſit & Græcam vrbem vocitauit: Plinius autem ſimplici littera *Caruſa*, vt Harduinus ex MSS. emendauit. Ignota etiam *Coluſſa* Scylacis, & valde vereor, vt *Zagora* & *Galorum* ſint ſalua atque integra, nec forſan alterum ex altero prauatum.

LVII.

Halys amnis totius citerioris Aſiæ nobiliſſimus longo regionem illam tractu percurrit, olim Crœſi regnum finiens. * Curtius lib. IV cap. XI *Halys amnis, qui Lydiam terminat.* Plinius lib. V cap. II *Amnis Halys a radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociamque decurrens.* Et Herodotus lib. I cap. LXXII recte quidem imperium Medorum Lydorumque diſterminaſſe tradit, ductum autem videtur longius iuſto ἐξ Ἀρμηνίου ὄρεος διὰ Κιλίκων, *ex Armenio monte per Cilices* proferre, niſi & montem ſingularem huius nominis & Cilices trans Taurum Cappadocibus permixtos intelligat. Ipſe vero videtur proprios illo nomine deſignaſſe, quia paucis interiectis verbis dicit: ὁ Ἅλυς ποταμὸς ἀποτέμνει σχεδὸν πάντα τῆς Ἀσίης τὰ κάτω ἐκ θαλάσσης τῆς ἀντίον Κύπρου ἐς τὸν Εὔξεινον Πόντον, *Halys fluuius dirimit prope cuncta Aſiæ inferioris inde a mari, quod Cypro obiectum eſt usque ad Pontum Euxinum.* Sed quis Halyn vltra Taurum vidit & Cyprio propinquum mari? & fontes & curſus intra Taurum ſunt. Strabo, ipſe Cappadox, lib. XII pag. 376 de hoc amne: ἔχει τὰς πηγὰς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ, *fontes* [Halys] *habet in Cappadocia Magna.* Non ergo attingit Ciliciam propriam. Finem vero Paphlagoniæ eſſe ipſe agnoſcit ibidem Herodotus, ἔνθεν μὲν Συρίους Καππαδόκας ἀπέργει, ἐξ εὐωνύμου δὲ Παφλαγόνας, hoc eſt, *inter Paphlagonas Cappadocasque interfluere.* Eadem Strabo ibidem: *Galatas Paphlagonasque a Leucoſyris* ὁρίζει, *diſtinguit.* Apollonii ſcholiaſtes ad lib. II verſ. 366 Ἅλυς ποταμὸς Παφλαγονίας, *Halys fluuius Paphlagoniæ:* quod contra Melam ſupra adlegatum notamus, qui in Armene, citra Sinopen ſita, Paphlagoniam finiebat. Nomen *Halys* eſt ἀπὸ τῶν ἁλῶν, ἃς παραρρεῖ, *a ſalinis, quas præterfluit,* itidem Strabone dicto loco adnotante.

LVIII.

Haly amne finimus oram Paphlagoniæ, Herodotum & Strabonem imitati: Ptolemæus, qui Galatiam cum Paphlagonia commiſcet, quod ipſius forſan ætate Paphlagonia Galatarum prouinciæ contributa erat, nihilominus lib. V cap. V fatetur, τὰ ἐπὶ θαλάσσῃ οἱ κατὰ τὴν Παφλαγονίαν κατέχουσι, *maritima a Paphlagonibus teneri:* hic, inquam, vltra Halyn Galatiæ ſuæ mariti-

* De Haly adde Xenophont. Cyri Expedit. V pag. 358 D.

maritimæ, quæ Paphlagoniæ eſt, vrbem Ἀμισὸν, Amiſum adiicit, in quo & Plinium videtur ducem habuiſſe, qui dicto loco in Paphlagonia, (immiſcens tamen *gentem Cappadocum*) Amiſum cum Paphlagoniæ oppidis coniungit. *Oppida,* inquit, *Gangre, Caruſa, Amiſum liberum.* Nos autem hoc ad Pontum regionem, ſeu Cappadociam Ponticam, quia trans Halyn ſitum eſt, reiicimus.

PAPHLAGONIA MEDITERRANEA.

LIX.

Caput gentis & regia ſedes fuit *Gangra,* ſeu *Gangre,* ſingulari numero: vel plurali *Gangræ,* ſiue τὰ Γάγγρα, *Gangra.* Strabo lib. XII pag. 387 *Vltimus Paphlagoniæ rex Deiotarus fuit, Caſtoris filius, cognomento Philadelphus,* τὸ Μορζέως βασίλειον ἔχων, τὰ Γάγγρα, πολισμάτιον ἅμα καὶ φρούριον, *Morzeos regiam habens, Gangra, oppidulum ſimul ac caſtellum.* Morzes ſiue Morzus rex fuit Paphlagonum Antiochi M. temporibus. Liuius lib. XXXVIII cap. XXVI *Ariarathis Cappadoces & Morzi auxiliares in læuo* [cornu] *quatuor ferme millium numerum explebant.* Athenæus lib. III cap. VII ἐν Γάγγροις πόλει Παφλαγονικῇ, *Gangris, vrbe Paphlagoniæ.* At Plinius lib. VI cap. II *Oppida, Gangre, Caruſa, Amiſum liberum.* Gangre, ex Γάγγρη, quod & *Gangra* ſcribitur, ſingulari numero. Stephanus Byzantius: Γάγγρα, πόλις, θηλυκῶς, *Gangra oppidum, feminea forma:* cuius originem ex Alexandri libro de Paphlagonia deſcribit. Addit vero Eratoſthenem dixiſſe τὰ Γάγγρα, οὐδετέρως, *Gangra, neutro genere.* Socrates lib. II cap. XLIII σύνοδος ἐν Γάγγραις τῆς Παφλαγονίας συναχθεῖσα, *ſynodus Gangris Paphlagoniæ congregata,* femineo plurali. Et Sozomenus lib. III cap. XIV πλησιοχώρους ἐπισκόπους συνελθεῖν ἐν Γάγγραις τῇ μητροπόλει Παφλαγόνων, *finitimos epiſcopos Gangris conuenire, quæ metropolis eſt Paphlagoniæ.* Hac ſynodo vrbs notior facta. In Notitiis etiam primo loco, tamquam metropolis, ponitur, in quibus eſt ὁ Γαγγρῶν, *Gangrarum epiſcopus.* Et Epheſina ſynodo ſubſcripſit Βοσπόριος ἐπίσκοπος Γαγγρῶν τῆς μητροπόλεως ἐπαρχίας Παφλαγονίας, *Boſporius epiſcopus Gangrorum, quæ metropolis in prouincia Paphlagonia eſt.* Situm difficile eſt inuenire, quia nec Ptolemæus habet, neque in itinerariis adparet, præterquam quod Peutingeriana tabula *Gangaris* exſtat, quæ haud dubie *Gangra* eſt; vnde iter Pompeiopolin per XXXV dirigitur: hinc Sinopen per XXVII. Quæ ſi ita ſunt (nec vero certiora habemus) magnopere errant, qui ad flumen Halyn ponunt; vti fit in indice conciliorum, etiam Labbei editionis. Gentile Stephano eſt Γαγγρηνὸς, *Gangrenus.*

LX.

Ex eadem Peutingeri vetuſta Tabula *Pompeiopolis* Paphlagoniæ in longe alium locum, ac Ptolemæus poſuit, reducenda eſt. Hic enim poſuerat in parte maxime auſtrali prope Ancyram Galatiæ: ex Tabula autem videmus inter Gangram & Sinopen conſtitutam eſſe, & XXVII mil-

libus paſſuum a Sinope remotam. quas Ptolemæus vrbes prope duobus gradibus disiunxit. Socrates lib. II cap. XXXIX & XL & XLII memorat Sophronium quemdam, τὸν Πομπηϊȣπόλεως τῆς ἐν Παφλαγονίᾳ, *Pompeiopolis, quæ in Paphlagonia eſt*, epiſcopum. Et Sozomenus lib. IV cap. XXII de eodem Sophronio: ὁ Πομπηΐȣ πόλεως τῆς Παφλαγόνος. Et Epheſino concilio ſubſcripſit Αργῖνος ἐπίσκοπος Πομπιȣπόλεως τῆς Παφλαγονίας, *Arginus epiſcopus Pompeiopolis Paphlagoniæ.* Etiam Hieroclis Notitia in Paphlagonia ſcriptum eſt Πομπιȣ́πολις, eliſa littera, quæ diphthongum quaſi faciebat. De ſitu ſupra dictum Ptolemæum in auſtrum deiicere: attollit magis Peutingeriana hoc ordine:

Gangaris XXXV *Pompeiopolis* XXVII *Sinope.*

LXI.

Cetera Ptolemæi ſunt minus nota, Ἄνδραπα ἡ καὶ Νεοκλαυδιόπολις, *Andrapa, quæ & Neoclaudiopolis*, quam *Olgaſi* monti ab auſtro ſubdit, orientem verſus: ad eumdem montem *Conica*, hinc in occaſum *Sacorſa*, atque *Moſon:* Et hæc in auſtrali latere. In ſeptemtrionali, *Zagira, Plegra,* Σέκορα, *Secora:* medio loco, *Eluia, Tobata, Xoana.* Ignota hæc nobis, nec quidquam eorum in Notitiis adparet. Plinio omnium primum in Paphlagonia oppidum eſt *Maſtya Mileſiorum:* poſtea Cromnam ponit & Amaſtrin. Ignota *Maſtya*, & mendi ſuſpectum vocabulum. Auguſtana Tabula *Maſtrum* habet cum oppidi non mediocris inſignibus, XII millibus vltra Tium, in orientem verſus. Sed nec Maſtrum aliunde eſt cognitum. Non autem dubitandum, quin idem ſit Maſtrum & Maſtya, quia illud auctor Tabulæ vltra Tium poſuit; hanc Plinius citra Cromnam: medio autem loco inter Tium & Cromnam *Amaſtris* eſt, quod nomen cum vtroque conuenit. Quod adfirmarem ita eſſe, niſi Plinius poſt paullo Amaſtrin ipſe commemoret, quæ Seſamus antea vocata fuerit. Sed alibi etiam ex vno duo oppida fecerunt Ptolemæus atque Plinius. Nihil autem hic definimus.

LXII.

Incertus etiam locus eſt *Mantinium*, de quo Socrates lib. II cap. XXXVIII *Quum audiſſet* [Macedonius] multos Nouatianos eſſe κατὰ τὸ Παφλαγόνων ἔθνος, καὶ μάλιςα κατὰ τὸ Μαντίνιον, *in Paphlagonia, & maxime circa Mantinium.* Iuſtinianus Nouella XXIX cap. I ſex Paphlagoniæ ciuitates conſtituit, *Germanicopolin, Gangram, Pompeiopolin, Dadybros, Tumulos Amaſtridis, & Ionopolin.* Quæ primo loco ponitur, *Germanicopolis*, eſt Ptolemæi Γερμανόπολις, *Germanopolis*, inter Tobatam & Xoanam interpretis, quæ Græce Σήλκα eſt, poſita. Præponitur Gangræ tamquam metropolis: tamen & Hierocles & Porphyrogennetus Gangram metropolin laudant, quaſi ſemper eo honore fuerit. *Dadybri* ſunt Hierocli Δάδυβρα, *Dadybra*, & in alia Notitia, ὁ Δαδύβρων, *Dadybrorum epiſcopus.* Quo loco fuerint, ignoratur. Cetera ſuperius ſunt explicata.

SECT. III.

SECTIO III.

PONTVS ſiue REGIO PONTICA.

LXIII.

Ampla regio, ab Haly amne ad Colchos vsque patens, a Ponto Euxino, ſupra quem ſita, nomen accepit, vt & ipſa *Pontus* adpelletur. Plinius & Ptolemæus cum Cappadocia coniungunt: ſed Strabo rectius ſeparauit. Fuerunt enim diuerſa regna, quod Mithridates in Ponto; Ariarathes in Cappadocia poſſederunt· & ipſa natura vaſtis montibus vtrumque regnum interſepſerat. Strabo lib. XII pag. 372 ὅριον δ᾽ ἐςὶ τȣ̃ Πόντȣ καὶ τῆς Καππαδοκίας ὀρεινή τις παράλληλος τῷ Ταύρῳ, *Iuga montium, Tauro parallela, Cappadociam a Ponto ſeparant.* Hi ſunt montes, quibus *vallatum* Pontum dixit Cicero pro Archia cap. IX. *Populus,* inquit, *Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regiis quondam opibus, & ipſa natura regionis circumvallatum.* Idem Strabo lib. XII pag. 377 de fluuio Iri: ἔχει τὰς πηγὰς ἐν αὐτῷ τῷ Πόντῳ, *fontes in ipſo Ponto habet.* In his ergo *Pontus* regio eſt, ſiue regnum Mithridatum, quod anguſtum primo, deinde magis magisque, etiam vltra hos fines, ampliatum fuit. Ipſe Ptolemæus maritimam hanc oram in tres partes, vt ſub Cæſaribus erant, diſtinguens, *Ponti* nomen ſingulis dat, non Cappadociæ, quarum occidentalem, *Pontum Galaticum* vocat; orientalem, *Pontum Cappadocium:* mediam, *Pontum Polemoniacum.*

LXIV.

Ab Haly fluuio ad Amiſum nihil omnino habet Ptolemæus: Arrianus nihil memorabile, ſed *Nauſtathmum*, & *Conopeium* lacum, & *Euſenen,* Εὐσήνην, quem locum Ptolemæus in mediterraneis poſuit. Strabone auctore interiacet Γαδιλὼν, *Gadilon,* & *Saramena,* cum fertili campo *Gandilonitide.* Ipſa autem Ἀμισὸς, *Amiſus,* vrbs Græca eſt, ἀξιόλογος, *illuſtris,* vt Strabo dicit, qui ex Theopompo refert, primo a Mileſiis fuiſſe conditam, poſtmodum auctam Athenienſium colonia. Ex quo eſt, quod Arrianus ſimpliciter ſcribat, Ἀμισὸς, πόλις Ἑλληνὶς, Ἀθηναίων ἄποικος, *Amiſus, vrbs Græca, Athenienſium colonia.* Plinius *Amiſum* dixit, neutro genere. Scylax non memorauit, neque Pontico ſuo itinere Xenophon: quorum tamen ætate exſtitiſſe, ex Polyæni lib. VII cap. XXI conſtat, vbi Datamen, Artaxerxis regis ducem, refert militibus, qui ſtipendium flagitabant, dixiſſe, δεῖν ἐς Ἀμισὸν ἀφικομένȣς κόψαι νόμισμα, *oportere ipſos Amiſum proficiſci & monetam cudere.* Aliquamdiu fuit libera, vt omnes Græcorum in Aſia ciuitates: poſt oppreſſa ab regibus Ponti, qui domicilium ibi ſeu regiam arcem condiderunt. Cicero pro Lege Manil. cap. VIII *Sinopen atque Amiſum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta,* Lucullum ait cepiſſe. Romani libertatem reddiderunt. Plinius lib. VI cap. III *Amiſum liberum.* Et nummis Hadriani, Ælii Veri, ac Caracallæ, ΑΜΙϹΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑϹ, *Amiſi liberæ.* Gentile Ἀμισηνὸς, *Amiſenus.* Plutarchus Lucullo pag. 514 Ἀμισηνῶν πόλις. Nummo Maximini ΑΜΙΣΗΝΩΝ. Plinius lib. X

lib. x epiſt. xciii ad Traianum: *Amiſenorum ciuitas, & libera & fœderata beneficio indulgentiæ tuæ, legibus ſuis vtitur.* Ei iunctum a Mithridate eſt oppidum *Eupatoria,* de quo in altera Eupatoria ſeu Magnopoli in mediterraneis dicturi ſumus.

LXV.

Ab Amiſo vterque ad Ἀγκῶνα, *Anconem,* id eſt Cubitum ſeu locum cubito ſimilem, ducunt: quem Ptolemæus vocat Λευκοσύρων ἀγκῶνα, *Leucoſyrorum,* qui fere Cappadoces ſunt, *Anconem,* ſiue Cubitum: Arrianus Ἀγκῶνα λιμένα, *Anconem portum,* iuxta quem *Iris* fluuius in Pontum ſe effundat. Apollonio lib. ii verſ. 369

- - - - μέγας καὶ ὑπείροχος Ἀγκὼν
Ἐξανέχει γαίης, - - - - - -

id eſt, *magnus atque eminens Ancon extenditur terræ:* quod ſcholiaſtes interpretatur, montibus circumdatum portum, qui in mare excurrant.

LXVI.

Fluuius autem ὁ Ἶρις, *Iris,* * (patrio caſu τοῦ Ἴριος) in ipſo Ponti regno oritur, & Comana Pontica pertranſiens, adluit Amaſiam, Strabonis, qui hæc narrat, patriam, auctusque *Lyco,* non ignobili flumine, per *Phanarœam* delapſus & Themiſcyram, Ponto infunditur. Apollonio eſt verſu 367 ἀγχίῤῥοος Ἶρις μειότερος, id eſt, *prope* [Halyn] *fluens, eoque minor.*

LXVII.

Lycus autem fontem in Armenia [minore] ſecundum Strabonem habet. Plutarchus Lucullo pag. 500, quum ipſe Lucullus περὶ τὴν Ἀμισὸν διέτριψε, hoc eſt, *lenta obſidione Amiſum oppugnaret,* Murena ibi relicto, adverſus Mithridatem profectus eſt, qui ἐν Καβείροις, *ad Cabira* ſtatiua habuerat. Hic autem διαβὰς τὸν Λύκον ποταμὸν, εἰς τὸ πεδίον προὐκαλεῖτο τοὺς Ῥωμαίους, *transgreſſus Lycum fluuium, in campum patentem prouocauit Romanos.* Plinius lib. vi cap. iii *Iris flumen deferens Lycum.*

LXVIII.

Inter Irin & Thermodontem fluuios nihil Arrianus amplo interuallo habet, niſi *Heracleum,* vbi portus ſit, cccLx ſtadiis ab oſtiis Irios; xL a Thermodonte: Ptolemæus autem antequam ad locum Herculis veniat campum memorat *Phanarœam* (ſic cum Strabone ſcribendum eſt, non, vt editum *Phanagoria,* quod vrbis, non campi, nomen eſt ad Cimmerium Boſporum) & *Themiſcyram,* quam ipſe quidem vt oppidum notat, quod etiam Scylax fecit, cui πόλις Ἑλληνὶς Θεμίσκυρα, *vrbs Græca Themiſcyra* eſt: Straboni autem eſt πεδίον, *campus* Themiſcyra, cuius miram laudat fertilitatem. ** Hecatæus apud Stephanum in *Chadiſia:* Θεμισκύρη πεδίον ἐστὶν ἀπὸ Χαδισίης μέχρι Θερμώδοντος; *Themiſcyre campus eſt a Chadiſia ad Thermodontem vsque.* Potuit eodem nomine & campus & oppidum in eo adpellari, præſertim quum plures oppidi mentionem faciant. Diodorus Sicu-

* Vid. Xenophon Expedit. Cyri V pag. 358 D.

** Duo regii iuuenes Plynos & Scolopythus in Cappadociæ Ponticæ ora iuxta amnem Thermodoontem conſederunt, campis Themiſcyriis ſibi ſubiectis. Oroſius I hiſt. c. 15 p. 40.

Sieulus lib. IV cap. XVI de Hercule: καταπλεύσας ἐπὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Θερμώδοντος ποταμοῦ πλησίον Θεμισκύρας πόλεως κατεστρατοπέδευσεν, ἐν ᾗ τὰ βασίλεια τῶν Ἀμαζόνων ὑπῆρχε, *nauigans ad oſtia amnis Thermodontis, prope vrbem Themiſcyram caſtra poſuit, in qua regia erat Amazonum.* * Et Appianus Bello Mithridat. p. 375 de Lucullo: ἐπολιόρκει ἑτέρῳ στρατῷ Θεμίσκυραν, *altero exercitu Themiſcyram oppugnabat.* Id vero nos dubios in hac re habere poſſit, quod Strabo Irin fluuium per Themiſcyram campum in Pontum deducit: quos vero iam audiuimus, Thermodonti quam Irii propiorem Themiſcyram ſtatuunt, inter quæ flumina mirum quantum ſpatium Arrianus ponit. Quod vero Strabo etiam ab altera parte Thermodontis rationem in campo illo deſcribendo habet, videri Arriani numerus corruptus poteſt. Etiam Herodotus lib. IV cap. LXXXVI Θεμίσκυραν τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι ποταμῷ, *Themiſcyram ad Thermodontem amnem,* vel ſupra illum, ſitam dixit: & Mela lib. I cap. XIX *Ad Thermodonta campus: in eo fuit Themiſcyrium oppidum.* Et Apollonius lib. II verſ. 371 Θεμισκύρειον ἄκρην, *promontorium Themiſcyréum,* & στόμα Θερμώδοντος, *oſtium Thermodontis* coniungit. ** Is vero campum illum non Themiſcyram, ſed verſ. 373 Δοίαντος πεδίον, *Dœantis campum* vocitauit; *⁎* ad quem locum ſcholiaſtes: Δοίας καὶ Ἄλκμων, *Dœas & Alcmon fratres* fuerunt: &, τοῦ Δοίαντος πεδίου εἰσὶ τρεῖς πόλεις, ἔνθα κατῴκουν αἱ Ἀμάζονες, Λυκαστία, Θεμίσκυρα, καὶ Χαλυβία, *tria oppida in Dœantis campo ſunt, vbi Amazones habitarunt, Lycaſtia, Themiſcyra & Chalybia.* Sed vt Amazonum res in fabulis latent, ita de oppidis illarum & habitationibus nihil certi poteſt definiri.

LXIX.

Lycaſtum tamen eſt Plinii lib. VI cap. III, idemque Pomponii Melæ *Lycaſto,* primo caſu, lib. I cap. XIX.

LXX.

Certius fuit oppidum *Chadiſia,* de quo Stephanus: Χαδισία, πόλις Λευκοσύρων, *Chadiſia oppidum Leucoſyrorum:* quod in ora fuiſſe non dubitamus, quia Menippus in *Periplo* memorauit, cum flumine *Chadiſio* ab amne Iri disiunctum centum ſtadiis. Fuit ergo in Themiſcyræ campi parte occidentali, vt ſupra ex Hecatæo idem Stephanus notauerat. Interiiſſe Ptolemæi & Arriani ſilentium probat. Plinius etiam flumen *Chadiſiam* loco dicto memorauit.

LXXI.

Fluuius Θερμώδων, *Thermodon* inſignis eſt propter Amazones, † vt credebatur, accolentes. Virgilius lib. XI verſ. 659

Quales

* Addatur idem II pag. 128.

** Themiſtius Orat. XXVII pag. 333 A, de Ponto & Phaſide locutus pergit: Ἐκεῖ δέ που καὶ ὁ Θερμώδων καὶ τὰ Ἀμαζόνων ἔργα, καὶ τὸ Θεμισκύριον, *vbi Thermodon & Amazonum opera & Themiſcyra extant.*

⁎ Nonn. Dionyſiac. XIII v. 516 p. 182

Καὶ δάπεδον Δοίαντος ἐπώνυμον.

† Oroſius I hiſtor. c. 15 p. 40, 41. Ouidius de Ponto IV ep. 10. Lyſias Orat. XXXI c. 2 p. 490. Apollodor. II c. 5 §. 9 p. 110. Themiſtius Orat. XXVII pag. 33 A. Diodor. II pag. 128.

Quales Thrëiciæ quum flumina Thermodontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

Et Propertius lib. III eleg. XIV

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontæis turba lauatur aquis.

Et Valerius Flaccus lib. IV Argonaut. verſ. 600

Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hic iam ſecat arua: memento.
Incluta Amazonidum, magnoque exorta Gradiuo
Gens vbi. *

Latinis libris hoc nomen perſæpe auctum ſyllaba *Thermodoon* conſpicitur: verum minus recte. Græci enim conſtanter in ſecunda ω habent, Θερμώδων, quod obſtat, quo minus Latinis carminibus *Thermodoon, Thermodoontis* legi poſſit, quia ſic ſecunda corriperetur. **

LXXII.

A Thermodonte fluuio Ptolemæus ad *Polemonium* oppidum progreditur: multa interponit Arrianus, ſed parui momenti omnia, Βῆριν, *Berin* fluuium; *Thoarin* fluuium; *Oenoën*, forſan oppidum: *Phigamuntem* fluvium: & *Phadiſanam* Φρȣ́ριον, *caſtellum:* tum vero ſequitur *Polemonium*, a Polemone rege, quem Antonius conſtituerat, ad mare conditum: a quo pars Ponti, vt Ptolemæus diuiſit, *Pontus Polemoniacus* vocatus fuit. Succedit apud vtrumque auctorem *Iaſonium promontorium*; poſt quod apud Arrianum Κιλίκων νῆσος, *Cilicum inſula*; & deinde oppidum Βοῶν, *Boon*, cum portu. ἐν Βοῶνι ὅρμος ναυσὶν, *in Boune*, inquit, *nauium eſt portus.*

LXXIII.

Proxima ſunt Κοτύωρα, *Cotyora*, nonaginta nempe ſtadiis a Boone. Xenophon lib. V Exped. Cyri min. pag. 209 ἀφίκοντο εἰς Κοτύωρα, πόλιν Ελληνίδα, Σινωπέων ἀποίκȣς, οἰκȣ̃ντας ἐν τῆ Τιϐαρηνῶν χώρα, *Venerunt Cotyora, Græcam ciuitatem, Sinopenſium colonos, habitantes in Tibarenorum regione.* *** Et Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXII de eodem Græcorum ex Perſia itinere: κἀκεῖθεν εἰς Κοτύωρα πόλιν παρεγενήθησαν Ελληνίδα, Σινωπέων ἄποικον, *Inde Cotyora venerunt, quæ Græca vrbs eſt & Sinopenſium colonia.* Plinius lib. VI cap. IV *Cotyorum* ſingulari numero. Praue Ptolemæus Κυτέωρον, *Cyteorum* ſcripſit, traiectis & mutatis priorum ſyllabarum vocalibus: nec ſanum, quod in Strabonis libris Κȣ́τȣρος vel Κύτωρος legitur. Corrigenda hæc ad Xenophontis & Diodori ſcripturam ſunt, vt Arrianus Xenophontem, quem nominatim laudauit, in hac voce imitatus eſt.

LXXIV.

Turbatiora ſunt, quæ vsque Trapezuntem apud diuerſos auctores ſequuntur. Ptolemæus *Hermonaſſam* proxime poſt Cotyora poſuit, quam alii cum Trapezunte coniungunt. Arrianus tradit, *Pharnaciam* eſſe veterum

* Amazones hæ ab Africanis ſecernendæ. Diodorus Siculus III pag. 185.
** Add. Xenophon Cyri Expedit. V p. 358 D. Themiſtius Orat. XXVI pag. 333 A.
*** Adde ſubſequentia ibidem.

terum *Ceraſuntem:* Strabo autem ex Cotyoris Pharnaciam eſſe conditam: Plinius & Ptolemæus diuerſa hæc oppida & a ſe disiuncta poſuerunt *Cotyora, Ceraſuntem,* & *Pharnaciam.* Xenophon quoque *Ceraſuntem* a *Cotyoris* diſtinxit, vt de diuerſitate illarum vrbium duarum vix liceat dubitare: an vero Pharnacia Ceraſuntis locum occupauerit, in vtramque partem diſputari poteſt. Ptolemæus non paruo interuallo ſeparauit: etiam Plinius, vt diuerſa oppida, diſcreuit: at Arrianus, qui Ponti oram nauigavit, ἄυτη ἡ Φαρνάκεια πάλαι Κερασῦς ἐκαλεῖτο, *hæc Pharnacia olim Cerasûs vocata fuit.* Nollem αὐτόπτῃ homini contradicere, niſi Strabo in Ponto natus, atque idcirco haud dubie peritus patriæ, itidem Pharnaciam a Ceraſunte diſtinxiſſet. εἶτα, inquit, Κοτύωρος πολίχνη, ἐξ ἧς συνῳκίσθη ἡ Φαρνακία· εἶτα Ἰσχόπολις κατεῤῥιμένη· εἶτα κόλπος, ἐν ᾧ Κερασῦς τε καὶ Ἑρμώνασσα κατοικίαι μέτριαι, *Deinde Cotyorus, paruum oppidum, ex quo Pharnacia eſt condita: tum Iſchopolis deiecta: dein ſinus eſt, in quo Ceraſus & Hermonaſſa ſunt, mediocria oppida.* Tantum abeſt, vt ex hiſce Pharnaciam & Ceraſuntem eandem eſſe probari poſſit, aut eodem loco impoſitam, vt potius diſcrimen earum & interuallum clariſſime perſpiciatur. Crederem Ceraſuntem oppidum euerſum fuiſſe, quum Arrianus nauigaret, vt de ſede eius nihil certi aut veri eidem conſtaret, niſi idem in notitiis eccleſiæ tamquam epiſcopalis vrbs memoraretur: * Cotyorum vero, vel Cotyora, tunc vicus (νῦν κώμη) quum Xenophontis æuo πόλις, *oppidum* fuiſſet, condita Pharnacia, forſitan exhauſtum fuit, quamuis ex interuallo ſitum eſſet.

LXXV.

Itaque Strabonem ſequuti poſt Cotyorum ſiue Cotyora in propinquo *Pharnaciam,* ſiue vt Plinius ſcripſit, *Pharnaceam* ponimus. Græci etiam diuerſo modo ſcribunt, Strabo & Ptolemæus Φαρνακία, *Pharnacia:* Arrianus Φαρνάκεια, *Pharnacea.* Conuenit in ſitu cum Strabone Plinius, per centum millia paſſuum Trapezuntem inde producens. Condita haud dubie a Pharnace rege fuit, auo Mithridatis vltimi, ab Romanis deuicti, patre Mithridatis Euergetæ, Romanorum in Punico bello ſocii. Meminit etiam Plutarchus Lucullo pag. 502 regias feminas depoſuiſſe Mithridatem περὶ Φερνακίαν, *circa Phernaciam* (ſic ſcripſit pro Φαρνακίαν) quas qui interficeret, miſiſſe ex fuga, quum victus fuiſſet a Lucullo.

LXXVI.

Deinde eſt Strabonis Ἰσχόπολις, *Iſchopolis:* quam proſtratam & euerſam dixit. Ptolemæus ſcripſit Ἰσκώπολις, *Iſcopolis.* Tum ſinus incipit; in quo *Cerasûs* ſita & *Hermonaſſa.* Mediocria oppida Strabo dixit: ſed *Cerasûs* forſan ſplendidior olim. Pomponius lib. I cap. XIX *Raræ vrbes: Cerasûs & Trapezûs maxime illuſtres.* Scylax pag. 80 Κερασῦς πόλις Ἑλληνὶς, *Cerasûs, Græcum oppidum.* Colonia enim Sinopenſium fuit. ** Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXI ἀνέζευξαν ἐκ Τραπεζοῦντος, καὶ τριταῖοι παρεγενήθησαν εἰς Κερασοῦντα, πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἄποικον, *profecti Trapezunte, tertio die venerunt*

* Memoratur etiam a Niceta in Alexio Comnen. III c. 6 pag. 340 D.

** Eadem docet Xenophon Cyri Expedit. V pag. 349 C, D. & in Colchide ponit, quod mireris.

nerunt Ceraſuntem, Græcam ciuitatem, & Sinopenſium coloniam. Hierocles in ſua Notitia *Ceraſuntem* quarto loco Ponti Polemoniaci conſtituit.

2. Ammianus Marcellinus lib. XXII cap. XIII hinc arborem & fructum *ceraſum* arceſſit. Poſtquam enim Ponti & Paphlagoniæ nobiliores vrbes enumerauerat, adiicit: *& Cerasûs, vnde aduexit huiusmodi poma Lucullus: inſulæque arduæ, Trapezunta & Pityunta continentes, oppida non obſcura.*

LXXVII.

Hinc Strabo ducit *Hermonaſſam:* multa autem interpoſuit Arrianus, inſulam *Arrhentiadem*, deinde *Zephyrium* cum portu: & *Tripolim*, quam & Plinius cum *Philocalea* memorauit lib. VI cap. IV; & *Argyria*, & *Philocaleam:* hinc *Coralla*, & *Sacrum montem*, & *Cordylam* portum: tum demum *Hermonaſſam.* Hanc Ptolemæus perperam ad Cotyorum, atque ita ante Iſcopolim & Ceraſunta collocauerat. Strabo enim & Arrianus conſentivnt in huius loci vicinitate Trapezuntina. Ille, pag. 378 τῆς Ἑρμωνάσσης πλησίον ἡ Τραπεζοῦς, *prope Hermonaſſam eſt Trapezûs:* hic in Periplo Ponti, ἀπὸ Ἑρμωνάσσης εἰς Τραπεζοῦντα, στάδιοι ἑξήκοντα, *ab Hermonaſſa Trapezuntem, ſtadia ſexaginta.* Strabo μετρίαν κατοικίαν, *mediocre oppidum.*

LXXVIII.

Ipſa vrbs *Trapezus* antiqua eſt, Græcis moribus ac inſtitutis, colonia quippe Sinopenſium. Xenophon Exped. Cyri minoris lib. IV ſub finem: διῆλθον ἐπὶ θάλατταν εἰς Τραπεζοῦντα, πόλιν Ἑλληνίδα, οἰκουμένην ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ, Σινωπέων ἀποικίαν, ἐν τῇ Κόλχων χώρᾳ, *ad mare tandem peruenerunt, in Trapezuntem, Græcam ciuitatem, Euxino Ponto impoſitam, Sinopenſium coloniam, in Colchorum finibus ſitam.* Eadem Diodorus lib. XIV cap. XXXI repetiit. Et Scylax in Macrocephalorum gente: Τραπεζοῦς πόλις Ἑλληνίς, *Trapezûs vrbs Græca.* Antiquitatis etiam Tacitus teſtis eſt lib. III Hiſt. cap. XLVII *Anicetus*, inquit, *Polemonis libertus Trapezuntem, vetuſtam Aſiæ ciuitatem, a Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam, ſubitus irrupit.* Hæc autem libera ſub Romanis, deuicto Mithridate, fuit. Plinius lib. VI cap. IV *Trapezûs, liberum*, puta oppidum. In nummis eius, qui inſcripti ſunt ΤΡΑΠΕΖΟΝΤΙΩΝ, Apollo capite radiato cernitur, quod argumentum Græcæ originis & inſtitutorum eſt, etiam ſtudiorum liberalium, quæ in hac ciuitate vsque ad vltima tempora, quibus a Turcis capta eſt, fuerunt conſeruata. Splendorem eius laudauit Mela; *maxime illuſtrem* vocans; commercia Euſtathius ad Dionyſii verſ. 688, ἡ Τραπεζοῦς, inquiens, κτίσμα Σινωπέων, μέγα ἐμπόριον, *Trapezûs Sinopenſium opus eſt, magnum emporium.* Situm oppidum in peninſula eſt, & montibus vallatum. Plinius dicto loco: *Trapezûs liberum, vaſto monte clauſum.* Ammianus quidem, prædicto ſupra loco, in *ardua inſula* dixit poſitam hanc vrbem fuiſſe, ſed ſæpe peninſulæ cum inſulis confunduntur. * Hic finis fuit Ponti regionis, quamuis multa adiungat Ptolemæus, quæ Colchorum erant. Strabo enim dicto loco: τῆς Ἑρμω-

* *Trapezûs* Zoſimo I, 33, 2 & 3 dicitur vrbs magna & frequens & duplici muro cincta.

Ερμωνάϲσης πλησίον ἡ Τραπεζȣ̃ς. εἶτ' ἡ Κολχὶς, *prope Hermonaſſam eſt Trapezûs: deinde Colchis.*

MEDITERRANEA PONTI.

LXXIX.

Mediterranea regni Pontici, quatenus a Paphlagonia æque ac Cappadocia diſtinctum eſt, & Mithridatibus paruit, non Ariarathibus; ſunt pleraque parum certa, & vel ſola ſtatuminanda Ptolemæi fide ac auctoritate. Pauca enim ſunt, quæ indigena Strabo de interioribus nobis tradidit. Lib. XII pag. 377 Irin fluuium deſcribit, eiusque occaſione oppida, huic flumini adpoſita, commemorat. *Iris*, inquit, *fontes habet in ipſo Ponto. Fluit* διὰ πόλεως μέσης Κομάνων τῶν Ποντικῶν, *per mediam vrbem, Comana Pontica,* quæ ſic a Cappadociis Comanis diſcernuntur. Non ergo longe abſunt ab amnis fontibus, quia hæc primum narrat, deinde ordinatim cetera, vsque ad oſtia, quibus in Ponticum mare exoneratur fluuius. Item pag. 383 de eadem vrbe: ὑπὲρ τῆς Φαναροίας ἐστὶ τά τε Κόμανα τὰ ἐν τῷ Πόντῳ, ὁμώνυμα τοῖς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ, καὶ τῇ αὐτῇ θεῷ καθιερωμένα, *Super Phanaræam ſunt Comana Pontica, eiusdem nominis, quo alia in Magna ſunt Cappadocia, eidemque deæ conſecrata.* Dignitatem pontificis, proximi ab rege, multis ibi verbis Strabo commendat. etiam ab Romanis conſeruatam & auctam tradit. Hoc eſt illud religioſum in Ponto fanum, cuius Cicero mentionem pro Lege Manil. cap. IX fecit. *Poſteaquam,* inquit, *L. Lucullus cum exercitu in regnum* [Mithridatis] *venit, erat grauis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum peruaſerat, fani locupletiſſimi & religioſiſſimi diripiendi cauſſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum.* Plinius lib. VI cap. III extremo: *Amaſia, Comana, nunc Manteium.* Videtur dicere, ſolum *Manteium*, id eſt oraculum, ſupereſſe. Verum tam Amaſia, quam Comana poſteriori etiam ſæculo exſtiterunt, vti ex Ptolemæo & Peutingeri Tabula manifeſtum eſt. Loci etiam atque oppidi Hirtius meminit Bello Alexandrino cap. XXXIV, *Copiæ celeriter omnes iuſſu Domitii Comana convenerunt;* in quibus erat etiam *legio ex tumultuariis militibus in Ponto confecta.* Et cap. XXXV *Ex Ponto a Comanis iugum editum ſilueſtre eſt, pertinens in Armeniam minorem.* Et Appianus B. Mithridat. pag. 379 *Ipſum Mithridatem* [ex prœlio ad Cyzicum] διαφυγεῖν ἐς Κόμανα περιεῖδον, *profugere in Comana paſſi ſunt: inde ad Tigranem.* Diua, quæ Comanis colebatur, Bellona erat. Hirtius B. Alexandr. cap. LXVI *Magnis itineribus per Cappadociam confectis* [Cæſar, ex Cilicia aduerſus Pharnacem mouens] *biduum Mazacæ commoratus venit Comana, vetuſtiſſimum & ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos eius deæ maieſtate, imperio & potentia ſecundus a rege conſenſu gentis illius habeatur.* Dubites, quæ Comana, Cappadocia an Pontica, ſignificentur. Memorat ipſe Hirtius, *in Cappadocia* templum ſitum eſſe, vt vix locus videatur dubitationi ſupereſſe: quod interpretes etiam commouit, & in his Goduinum etiam, vt de Cappadociis Comanis interpretarentur. Verum aliter ſentiendum,

endum, ſi propoſitum iter C. Cæſaris intueamur, quod ex Tarſo Ciliciæ in Pontum aduerſus Pharnacem feſtinanter faciebat. Mazaca venit Comana: inde *propius Pontum finesque Gallogræciæ acceſſit*, cap. LXVII: dein *in Pontum venit*, cap. LXIX. Ductus hic potius Comana Pontica oſtendit, quam Cappadocia, quæ vtroque Itinerario, Antonini, vt vocatur; & Peutingerianæ tabellæ, longe ſatis a Cæſarea, id eſt Mazaca, in ortum remouentur, Euphratem verſus & Commagenam. Itaque vel nomine aberrauit Hirtius, vel quod Pontica ad fines Cappadociæ magnæ erant, Cappadocum æque religioni illa, vt Ponti incolis patuerunt. Nihil autem inſtituto decedit, quia in vtrisque eadem dea ſecundum Strabonem, vt ſupra cognouimus, culta fuit. Diuam illam etiam Valerius Flaccus lib. VII Argonaut. verſ. 636 nominauit:

- - - *vel exſectos lacerat Bellona Comanos.*

LXXX.

Sed ad Irin fluuium redeundum eſt. Infra Comana ille *Daximonitidem* campum occaſum verſus perlabitur: deinde in ſeptemtrionem conuerſus, παρ' αὐτὰ τὰ Γάζιουρα, παλαιὸν βασίλειον, νῦν δ' ἔρημον, *præter ipſa Gaziura, veterem regiam, nunc autem deſertam*, decurrit: ac rurſus in orientem reflexus, adſumto Scylace, muros *Amaſiæ* præteruectus in Phanarœam effertur. Deſertæ illius regiæ nomen etiam Plinius tradit lib. VI cap. II Paphlagoniæ fines perſequens. *Gens*, inquit, *Cappadocum: oppidum Gaziura, & Gazelum: amnis Halys.* Atque ita videtur *Gaziuram* cis Halyn in Paphlagonia extrema, quæ incolas Cappadoces habuerit, collocaſſe: ſed maior eſt Strabonis, innati iſtis locis, auctoritas, cuius ſunt, quæ antea poſuimus.

LXXXI.

Ex quibus etiam ſitus *Amaſeæ*, patriæ Strabonis, cognoſcitur. *Iris*, inquit, παρ' αὐτὸ τῆς Ἀμασείας ἐνεχθεὶς τεῖχος, ἡμετέρας πατρίδος, πόλεως ἐρυμνοτάτης, εἰς τὴν Φαναροίαν πρόεισιν, *præter ipſum murum Amaſeæ, patriæ noſtræ, vrbis munitisſimæ, in Phanarœam campum defertur.* Procopius Arcan. Hiſt. cap. XVIII Ἀμάσεια, πρώτη ἐν Πόντῳ ἐτύγχανεν οὖσα, *Amaſea, primaria vrbs Ponti.* Ptolemæus etiam Ἀμάσεια diphthongo ſcripſit: Plinius autem *Amaſia*, & Hierocles Ἀμασία. *Oppida*, inquit Plinius in Cappadocia, *Comana, quod Sarus: Neocæſaream, quod Lycus: Amaſiam, quod Iris in regione Gazacena*, ſubaudi, præfluit. In nummis vtraque ſcriptura conſpicitur: Claudii, CΑΡΔΙΑΝΩΝ ΑΜΑCΕΙΑC, *Sardianorum & Amaſeiæ*, ſupple, ὁμόνοια, *concordia*: & Marci Aurelii, ΑΜΑCΕΙΑC ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. *Amaſeiæ, metropoleos primæ in Ponto*: & Seueri, ΑΔΡ. CΕΥ. ΑΝΤΩΝ. ΑΜΑCΙΑC ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝ. *Hadrianæ Seuerianæ Antoninianæ Amaſiæ metropolis primæ Ponti.* Eadem cognomina in nummo Caracallæ, cum nomine ΑΜΑCΙ. ΜΗΤΡ. *Amaſiæ metropoleos*: & in nummo Alexandri Seueri, ΑΔΡ. CΕΥ. ΑΛΕΞ. ΑΜΑCΙΑC ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝ. *Hadrianæ Seuerianæ Alexandriæ Amaſiæ metropolis primæ Ponti.* inde eſt, quod vulgo etiam *Amaſia* ſcribitur nulla diphthongi habita ratione.

LXXXII.

Iris hinc in Phanarœam egreſſus campum, *Lycum* amnem ex Armenia minore delapſum recipit, vt ſupra, quum de Iri in maritimis ageremus, ex Strabone & Plinio demonſtratum fuit. Hic enim clare lib. VI cap. III *Iris flumen deferens Lycum.* Ille lib. XII pag. 383, ἐπὶ τῇ συμβολῇ ἵδρυται πόλις, ἣν ὁ μὲν πρῶτος ὑποβεβλημένος Εὐπατορίαν ἀφ' αὐτοῦ προσηγόρευσε. Πομπήϊος δ' ἡμιτελῆ καταλαβὼν, προσθεὶς χώραν καὶ οἰκήτορας, Μαγνόπολιν προσεῖπεν, *Ad confluentem* [Irios & Lyci] *vrbs poſita eſt, quam primus conditor de ſe Eupatoriam nominauerat: Pompeius autem imperfectam inueniens, addito agro & habitatoribus, Magnopolin adpellauit.* Tractum hunc, qui circumiacet, *Magnopolitidem* Strabo nominat. Neque hæc illa *Eupatoria* eſt, quam Mithridates Amiſo adiunxit, quia illa in ora fuit: hæc noſtra intus ad Lyci confluentem: illa perfecta & regia; hæc inchoata tantummodo, a Pompeio demum perfecta. Strabo enim de noſtra ait: ἅυτη ἐν μέσῳ κεῖται πεδίῳ, *hæc in medio campo ſita:* de illa Appianus Mithrid. pag. 375, *Eupatoriam Mithridates* τῇ Αμισῷ παρῳκοδόμησε, καὶ βασίλεια ἡγεῖτο, *iuxta Amiſum condidit, habuitque pro regia.* Et Plinius lib. VI cap. II extremo: *Amiſo iunctum fuit oppidum Eupatoria, a Mithridate conditum.*

LXXXIII.

Paullo ante, auctore Plinio, percepimus, *Neocæſaream* Lycum amnem præfluere. Quam vrbem etiam Ptolemæus & Peutingerianæ Tabulæ auctor tradiderunt. Sub Chriſtianis metropolis facta, vti ex Notitiis epiſcopatuum liquet; quam in primis Gregorius, cognomine Thaumaturgus, nobilitauit. Socrates lib. IV cap. XXVII ὁ Ποντικὸς Γρηγόριος, ὁ ἐκ τῆς ἐν Πόντῳ Νεοκαισαρείας ὁρμώμενος, *Ponticus Gregorius, ex Neocæſarea in Ponto oriundus.* Et Sozomenus lib. VII cap. XXVII πυνθάνομαι τεθαυματουργῆσθαι Γρηγορίῳ τῷ θαυμασίῳ, ὃς πάλαι τὴν Νεοκαισάρειαν ἐπετρόπευσε, *miraculum illud ab admirando Gregorio, qui quondam Neocæſarienſem eccleſiam rexit, intelligo factum eſſe.* Et natus ergo Neocæſareæ fuit, & illius vrbis quoque epiſcopus fuit factus, antiquior ceteris Gregoriis ſanctis, vtpote Origenis diſcipulus. Ammianus lib. XXVII ſub finem *Neocæſaream vrbem Polemoniaci Ponti nobiliſſimam* dixit.

LXXXIV.

A Neocæſarea in æſtiuum occaſum *Sebaſtopolis* Ptolemæi recedit. Plinius lib. VI cap. III in Cappadocia ſua Pontica, id eſt Ponto: *Oppida habet, Comana, quod Sarus: Neocæſaream, quod Lycus: Amaſiam, quod Iris in regione Gazacena præfluit. In Colopena vero Sebaſtiam & Sebaſtopolin. Hæc parua, ſed paria ſupra dictis.* Eſt quod dubites de ſitu Ptolemæi, qui Sebaſtopolin circa Irin flumen poſuit, Sebaſtiam autem in auſtrum longe remouit: quum in Notitiis eccleſiæ vtraque Armeniæ Primæ, in qua Satala ſunt & Nicopolis, contribuatur. De *Sebaſtia* res certior eſt, quæ fere in plagam illam incidit: citerior autem Sebaſtopolis contributa vere videtur, vt de iis dicimus, quæ prouinciæ extra limitem adiudicantur. Iter Antoni-

Antonini a Tauia Galatiæ per Sebaſtopolin, Sebaſtiam vſque, rem poteſt declarare:

Tauia	-	- -
Mogaron	M. P.	XXX
Doranon	M. P.	XXIIII
Sebaſtopolim	M. P.	XL
Viriſam	M. P.	XXIIII
Phiaraſi	M. P.	XII
Sebaſtiam	M. P.	XXXVI.

LXXXV.

Eſt ibidem etiam aliud iter, via alia, a Tauia directum *Sebaſtiam*, vt non exiguum oppidum, quod Plinio videbatur, fuiſſe, inde probari poſſit: quemadmodum in Peutingeriana etiam inſignia maioris oppidi & clarioris habet, ad quod a Cæſarea Cappadociæ iter eſt directum. In illa ſcribitur *Seuaſtia*, facili, pro more illius ævi, litterarum v & b permutatione. Poſteriori æuo in Armenia cenſebatur, vt diximus, cuius portio in Ponticam regionem recedebat. Sic & Socrates lib. II Hiſt. eccleſ. cap. XLIII, Εὐςάθιος, ὁ τῆς ἐν Ἀρμενίᾳ Σεβαςείας, *Euſtathius Sebaſteæ in Armenia epiſcopus.*

LXXXVI.

Superſunt in hac Armeniæ ora quædam alia explicanda. *Zela*, τὰ Ζῆλα, quæ a Strabone lib. XII pag. 385 ita deſcribuntur: ἡ Ζηλῖτις ἔχει πόλιν Ζῆλα, ἐπὶ χώματι Σεμιράμιδος τετειχισμένην, ἔχουσαν τὸ ἱερὸν τῆς Ἀναΐτιδος, *Zelitis regio vrbem habet Zela, in aggere Semiramidis munitam, quæ Anaitidis fanum habet.* Multa de fano iſto addit, eiusque pontifice potente atque diuite, & multitudine hierodulorum. Olim templum Perſicorum ſacrorum erat, circa quod multi habitabant, ſine tamen vrbis ſpecie: Pompeius autem & multum agri adiecit, & πόλιν ὠνόμασεν, *vrbem nominauit.* Ptolemæus in Polemoniaco Ponto vrbem Ζῆλα, *Zela* recenſuit: Notitiæ in Helenoponto habent: Plinius lib. VI cap. III *Ziela* ſcripſit, & famam ex prœliis ibidem commiſſis addidit. *Iris flumen*, inquit, *deferens Lycum. Ciuitas Ziela intus, nobilis clade Triarii, & victoria C. Cæſaris: in ora amnis Thermodon.* Hirtius Bello Aexandrino etiam *Ziela:* præterea de oppidi ſitu & fama egregia narrauit: *Ziela eſt oppidum in Ponto, poſitu ipſo, vt in plano loco, ſatis munitum. Tumulus enim naturalis, velut manu factus, excelſiore vndique faſtigio ſuſtinet murum. Circumpoſiti ſunt huic oppido magni multique interciſi vallibus colles, quorum editisſimus vnus, qui propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarii, detrimentumque exercitus noſtri ſuperioribus locis atque itineribus pæne coniunctus oppido, magnam in illis partibus habet nobilitatem; nec multo longius millibus paſſuum* III *abeſt a Ziela. Hunc locum Pharnaces, veteribus paternorum felicium caſtrorum refectis operibus, copiis omnibus ſuis occupauit.* Dio Caſſius lib. XLII pag. 207 ſcripſit Ζέλεια, *Zeleia*, de Pharnace tradens: τὸν Καίσαρα ἐν τῇ ὁδῷ εἶναι, καὶ ἐς τὴν Ἀρμενίαν ἐπείγεσθαι πυθόμενος ἀνέςρεψε κἀνταῦθα αὐτῷ περὶ Ζέλειαν συνέτυχεν, *Cæ-*

ſarem

ſarem aduenire ac in Armeniam tendere cognoſcens, conuertit iter, eique ad Zeleiam occurrit. Nec vero in Armenia, ſed in Ponto ſita erat. Appianus Mithrid. pag. 387 de Triarii clade quum dixiſſet, addit, ὁ δὲ Μιθριδάτης ἐς Ἀρμενίαν, ἣν δὴ Ῥωμαῖοι βραχυτέραν Ἀρμενίαν καλοῦσιν, ἀνεζεύγνυε, *Mithridates victor in Armeniam, quam Minorem Romani vocant, ſe recipit.* Hic ſubticuit loci nomen. Plutarchus autem in Cæſare pag. 731 de eiusdem adverſus Pharnacem victoria, περὶ πόλιν Ζῆλαν μάχην μεγάλην συνάψας αὐτὸν μὲν ἐξέβαλε τοῦ Πόντου φεύγοντα, τὴν δὲ στρατιὰν ἄρδην ἀνεῖλεν, *ad vrbem Zelam ingenti prœlio commiſſo, fugatum Pharnacem ex Ponto eiecit, exercitum autem eius internecione deleuit.* Hæc haud dubie eſt vera ſcriptura Ζῆλα, *Zela,* in qua Strabo, Ptolemæus, Plutarchus & Notitiæ conſentiunt, niſi quod Plutarchus ſingulari forma terminat; plurali, Græcorum more, reliqui.

LXXXVII.

Strabo lib. XII pag. 383 montem in hoc tractu *Paryadren* nomine memorat, quem Plinius quoque lib. V cap. XXVII in Aſiæ vaſtis montium iugis numerat.

LXXXVIII.

Ad latus huius montis ab auſtro idem Strabo *Cabira,* τὰ Κάβειρα, locauit, quorum multa mentio in Mithridatico bello eſt. Strabonis hæc eorum eſt deſcriptio: πρὸς αὐτῇ τῇ παρωρείᾳ τοῦ Παρυάδρου, Κάβειρα ἵδρυται σταδίοις ἑκατὸν καὶ πεντήκοντά που νοτιώτερα αὐτῆς ἐστίν· ἐν δὲ τοῖς Καβείροις τὰ βασίλεια Μιθριδάτου κατεσκεύαστο. *Ad ipſum latus montis Paryadris Cabira ſita ſunt, ab iſto meridiem verſus CL circiter ſtadiis diſtantia. Cabiris autem arx regia Mithridatis exſtructa eſt.* Nondum vrbs erat, quamuis frequenter habitaretur, multisque operibus Mithridates exornaſſet. Pompeius vrbem fecit, vocauitque *Diopolin:* Pythodoris regina auxit, & Σεβαστήν, *Sebaſten* nominauit, ſuamque in ea regiam ſedem conſtituit. Hæc eſt illa *Sebaſte* Armeniæ in Martyrologiis V idus Ianuarias, & III nonas Februar. & VII idus Martias laudata, quia in Armeniæ finibus, Minoris videlicet, poſita eſt: qui ſitus *Sebaſtopoli* Notitiarum magis congruit, quam in Ponto illi, quam Itinerarium inter Tauiam & Sebaſteam pæne mediam conſtitutam habet. Nihil autem in re dubia definire licet. Sed ad priora tempora revertimur. Plutarchus Lucullo pag. 502 τὰ δὲ Κάβειρα λαβών, καὶ τῶν ἄλλων φρουρίων τὰ πλεῖστα, *Cabira cepit, & alia plura munimenta.* Appianus Mithridat. pag. 375 de ipſo Mithridate: *commeatus & arma & milites ſubmiſit* ἐκ Καβείροις, ἔνθα χειμάζων στρατὸν ἄλλον συνέλεγε, *e Cabiris, vbi hibernans exercitum alium colligebat.* Eutropius lib. VI cap. VII *Secundo prœlio apud Cabira ciuitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, quum XXX millia lectisſima regis, a quinque Romanorum mllibus vaſtata eſſent, Mithridates fugatus, & caſtra eius direpta.* Ducentis inde ſtadiis τὸ Καινόν, *Nouum,* præcelſus & munitiſſimus locus, quo Mithridates pretioſa ſua cuſtodiebat. Strabo pluribus deſcribit. Cetera in diuiſione dicemus.

DIVISIO PONTI.

LXXXIX.

Duplex Ponti diuiſio, in gentes, & in regiones. Gentes difficile eſt finire ſuis limitibus. Poſt Maryandynos Bithyniæ, Paphlagonesque, *Heneti*, antiquiſſimus populus, proximi fuerunt. Strabo lib. XII pag. 374 explicato Parthenio flumine, ἔπειτα ἡ Παφλαγονία, καὶ οἱ Ἐνετοὶ, *deinde Paphlagonia eſt*, *& Heneti.* Mentio illorum apud Homerum eſt in Catalogo verſ. 359, vbi itidem cum Paphlagonibus coniunguntur. Sed nulli poſthac in Paphlagonia Heneti, quod Strabo de migratione illorum in Italiam interpretatur. Plinius lib. VI cap. II *Oppidum Maſtya Mileſiorum: deinde Cromna. Quo loco Henetos adiicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi poſtulat.*

XC.

Sic Henetorum nomine in Aſia exſtincto, Paphlagones ad Halyn vsque habitarunt. Strabo iam dicto loco: τοὺς Παφλαγόνας πρὸς ἕω ὁρίζει ὁ Ἅλυς, *Paphlagones ab ortu Halys fluuius terminat.* Ab Haly veteres *Aſſyrios* aut *Syros* memorabant. Apollonius lib. II verſ. 965 de Argonautis:

> Λεῖπον Ἅλυν ποταμὸν, λεῖπον δ' ἀγχίῤῥοον Ἶριν,
> Ἠδὲ καὶ Ἀσσυρίης πρόχυσιν χθόνος.

Liquerunt Halyn fluuium, liqueruntque propinquum Irin, atque Aſſyriæ adluuionem terræ. Imitatus eſt Dionyſius periegeta verſu 772, cui eodem plane modo poſt Chalybas ab occaſu eſt Ἀσσυρίης πρόχυσις χθονός: quod Feſtus Auienus verſ. 949 Latine ita conuertit:

> *Poſt hos Aſſyriæ tenduntur iugera terræ.*

Sæpe ſcilicet Aſſyrii cum Syris, etiam ab hiſtoricis, permiſcentur, & hoc loco *Syri* iidem, qui & *Leucoſyri* dicebantur, id eſt Cappadoces, intelligendi ſunt. Strabo lib. XII pag. 373 μέχρι Λευκοσύρων, οὓς καὶ ἡμεῖς Καππαδόκας προσαγορεύομεν, *vsque ad Leucoſyros, quos etiam nos Cappadoces adpellamus.* Plinius lib. VI cap. III *Cappadox amnis, a quo nomen traxere, antea Leucoſyri dicti.* Hi etiam *Syri* adpellati ſunt, ab Herodoto præſertim, quod etiam Strabo pag. 374 obſeruauit. *Halys*, inquit, *inter Syros & Paphlagones in Pontum Euxinum exit* κατὰ τὸν Ἡρόδοτον, Σύρους λέγοντα τοὺς Καππαδόκας. καὶ γὰρ ἔτι καὶ νῦν Λευκόσυροι καλοῦνται, *vt Herodotus ait, qui etiam Syros vocat Cappadocas.* Herodoti locus eſt lib. I cap. VI; qui etiam cap. LXXII eiusdem libri, οἱ Καππαδόκαι ὑπ' Ἑλλήνων Σύριοι ὀνομάζονται, *Cappadoces a Græcis Syri adpellantur.* Cappadocia enim olim omnis regio erat a Tauro ad Pontum vsque Euxinum, ſub Perſis in duas ſatrapias, poſt in regna duo ſub Macedonibus diuiſa, quorum alterum *Cappadocia ad Taurum*, ſiue *Magna Cappadocia:* alterum *Cappadocia ad Pontum* ſiue *Pontica*, & ſæpius *Pontus* communi maris nomine vocitatur. Vide Strab. lib. XII ſub initium.

XCI.

De *Amazonibus*, quæ ab Apollonio ſubiunguntur, ſupra * dictum eſt,

* §. 71 huius Capitis.

eſt, circa Thermodontem fluuium vel fuiſſe, vel fingi ita, quaſi fuerint. Alii in illo tractu *Chalybes* ponunt, quos Mela longius reducit, & cis Halyn etiam conſtituit lib. I cap. XIX. *Paphlagoniam*, inquit, *finit Armene: Chalybes proximi vrbium clariſſimas habent Amiſon & Sinopen.* Nos vero cum Strabone Paphlagonas, apud quos Sinope erat, Haly amne finiri perſuaſi ſumus. Apollonius autem *Chalybas* vltra Thermodonta remouet, citeriora Amazonibus, quas laudauit, tribuens. Lib. II enim, verſ. 1003, poſtquam reliquerint Argonautæ Amazonum terram, diem, inquit, noctemque nauigantes

- - - - Χαλύβων παρὰ γαῖαν ἵκοντο,
ad Chalybum terram venerunt.

Strabo lib. XIV pag. 466 ſcribit, τοὺς Χάλυβας τοσοῦτον ἀφεστῶτας καὶ Σινώπης καὶ Ἀμισοῦ πρὸς ἕω, *tanto interuallo diſtare a Sinope & Amiſo in ortum ſolis*, vt meridianus illorum per Armeniam Minorem & Euphratem ſit ducendus. Herodotus tamen videtur etiam citeriores poſuiſſe *Chalybas*, in populis a Crœſo deuictis enumerans *Mariandynos, Chalybas, Paphlagonas, Thynos & Bithynos*, lib. I cap. XXVIII. Forte colonia eorum in citeriora loca venerat. Stephanus Chalybas ἐπὶ τῷ ποταμῷ Θερμώδοντι, *ad Thermodontem fluuium* locauit: ſed ne ſic quidem cum Strabone conuenit: neque cum Xenophonte, qui controuerſiam dirimere poteſt. Cyri enim expedit. lib. V reditum Græcorum ex vlteriore Aſia, vbi geſtum bellum fuerat, per Ponticas gentes deſcribens, a Trapezunte ait, & Ceraſunte veniſſe in *Moſynœcorum* fines: * inde ad *Chalybas*, qui ſub Moſynœcorum tum imperio erant: hinc ad *Tibarenos.* Sic enim pag. 209, ἐπορεύθησαν ὀκτὼ σταθμοὺς καὶ ἀφικνοῦνται εἰς Χάλυβας. οὗτοι ὀλίγοι ἦσαν καὶ ὑπήκοοι τῶν Μοσυνοίκων, καὶ ὁ βίος ἦν τῆς πλείστοις αὐτῶν ἀπὸ σιδηρείας. *Egreſſi inde, octo manſionibus ad Chalybas venerunt. Infrequens ea gens, & ſub Moſynœcorum imperio: omnes fere victum ex ferri metallis ſibi quærentes. Inde demum in Tibarenos venerunt.* Nomen gentis a ferri copia & officinis eſt. Scholiaſtes Apollonii ad dictum verſ. 1003 οἱ Χάλυβες μεταλλεύοντες σίδηρον πωλοῦσι, καὶ οὕτω τὰ ἐπιτήδεια πορίζονται, τραχεῖαν ἔχοντες πρὸς καρπὸν τὴν γῆν, *Chalybes ferrum ex terræ latebris eruunt & vendunt, vnde ſibi victum parant, aſperam inhabitantes terram.* Hinc eſt, quod Valerius Flaccus lib. V verſ. 141 ſeqq. huic genti poetico more inuentionem ferramentorum tribuit, poſt Thermodontis deſcriptionem:

Nocte ſub extrema clauſis telluris ab antris
Peruigil auditur Chalybum labor: arma fatigant
Ruricolæ, Gradiue, tui: ſonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent enſesque darent; odia ægra ſine armis
Errabant, iræque inopes, & ſegnis Erynnis.

* De Moſynœcis vide Xenoph. etiam libr. V. Cyri Expedit. p. 351 A, ſed adde infra § 96.

XCII.

Hæc de Chalybibus, ſed alieno loco, ſi Xenophontem ſequendum ducimus. *Tibareni* enim citeriores ſunt, in quorum finibus Cotyorum oppidum erat, de quo ibidem Xenophon, ἀφίκοντο εἰς Κοτύωρα, πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἀποίκους, οἰκοῦντας ἐν τῇ Τιβαρηνῶν χώρᾳ, *venerunt Cotyora, quæ Græca vrbs, Sinopenſes colonos habens, in regione Tibarenorum ſita.* Strabo lib. XII pag. 378 τῆς Τραπεζοῦντος ὑπέρκεινται καὶ τῆς Φαρνακίας Τιβαρηνοί τε καὶ Χαλδαῖοι, καὶ Σάννοι, οὓς πρότερον ἐκάλουν Μάκρωνας, καὶ ἡ μικρὰ Ἀρμενία, *Supra Trapezuntem & Pharnaciam Tibareni ſunt, & Chaldæi, & Sanni, qui olim Macrones dicebantur; ac minor Armenia.* Sunt plures hoc loco gentes, etiam ab aliis enumeratæ, quas difficulter diſtinguas ſuis limitibus. Apollonius lib. II verſ. 375 poſt Amazonas & Thermodonta narrat primum *Chalybas:* deinde ſubiicit,

Ἄγχι δὲ ναιετάουσι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοὶ
Prope vero habitant opulenti Tibareni.

Eodem ordine Pomponius Mela dicto loco: *Tibareni Chalybas attingunt, quibus in riſu luſuque ſummum bonum eſt.*

XCIII.

Tibarenis coniuncti erant *Genétæ*, Γενηταί. Plinius lib. VI cap. IV, *Gentes Genetarum, Chalybum.* Apollonius iam dicto loco - - - - Τιβαρηνοὶ
Ζηνὸς Εὐξείνοιο Γενηταίην ὑπὲρ ἄκρην,
Tibareni ſupra Iouis Euxini [Hoſpitalis] *Genetæum promontorium.* Et Valerius Flaccus lib. V verſ. 147 poſt Chalybes:

Inde Genetæi rupes Iouis. - - -

XCIV.

Sannos ipſe Strabo interpretatur antiquiore nomine Μάκρωνας, *Macrones:* quos etiam Apollonius ita lib. II verſ. 22 adpellauit,

Φέρβονται Φίλυρες. Φιλύρων δ' ἐξύπερθεν ἔασι
Μάκρωνες. μετὰ δ' αὖ περιώσια φῦλα Βεχείρων.

Paſcuntur Philyres: ſupra Philyras autem ſunt Macrones: poſt numeroſa gens Bechirorum. Auienus Dionyſii interpres a Colchide incipit verſ. 944 has gentes enumerare:

- - - - - - *Aſpera primum*
Byzerum gens eſt: diri ſunt inde Bechiri,
Macrones, Philyresque & pernix Durateûm gens.
Inde Tibareni, Chalybes ſuper, arua vbi ferri
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
Poſt hos Aſſyriæ tenduntur iugera terræ.

XCV.

Quos *Chaldæos* Strabo nominauit, eos ipſe pag. 378 interpretatur *Chalybas:* οἱ νῦν Χαλδαῖοι, Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, *qui nunc Chaldæi vocantur, olim dicti fuere Chalybes.* καθ' οὓς μάλιστα ἡ Φαρνακία ἵδρυται, *penes quos potiſſimum Pharnacia eſt.* Vt ſic rurſus vix dubitare poſſis de vera & antiqua ſede Chalybum & Tibarenorum, quia Pharnacia Chalybum & Cotyo-

Cotyora Tibarenorum non longe diſtant, & vtrumque cis Ceraſuntem eſt, vt adeo meridianus eorum, qui per Armeniam Euphratemque tranſeat, oblique quodammodo ducendus ſit, qui nihilominus ad vniuerſum relatus orbem, eſt directus.

XCVI.

Vltra Chalybas ſunt Xenophontis itinere *Moſynœci*, ſiue *Moſſynœci*, citra tamen Ceraſuntem. Dicuntur Μόσυνοι a Damaſceno Nicolao, Excerpt. Valeſ. pag. 517, & *Moſſyni* a Plinio & Mela. Origo nominis vtriusque a *μόσυν*, vel *μόσσυν*, *turris*, quia, vt Nicolaus ait, regem ſuum *ἐν πύργῳ*, *in turri* educabant: ſeu potius, vt plures reliqui, quia omnes aut plurimi in turriculis habitauerunt. Strabo prædicto loco de huius tractus gentibus, quos Ἑπτακωμήτας, *Septempaganos* vocat, *ἀγρίους τελέως*, *maxime feros*: *τινες ἐπὶ δένδρεσιν, ἢ πυργίοις οἰκοῦσιν, διὸ καὶ Μοσυνοίκους ἐκάλουν παλαιοὶ, τῶν πύργων μοσύνων λεγομένων*, *quidam in arboribus aut turriculis habitant, quæ cum μόσυνες dicantur, ipſos olim Moſynœcos adpellarunt.* Mela lib. I cap. XIX *Moſſyni turres ligneas ſubeunt: notis corpus omne perſignant.* Poſterius tantum Plinius expreſſit: *Moſſyni notis ſignantes corpora.* Dionyſius circumſcripſit eorum nomen, *οἳ μόσσυνας ἔχουσι δουρατέους*, *qui turres habent ligneas.* Euſtathius ibi: *τοὺς Μοσυνοίκους περιφράζων*, *Moſynœcos circumſcribit his verbis.* Poetæ geminant ſibilum, quod alii quidam imitantur. Apollonius lib. II verſ. 379 Μοσσύνοικοι, quos poſt promontorium Genetæum ponit.

XCVII.

Hi ergo ex Heptacometis, ſiue Septempaganis erant: in quibus Strabo etiam Βύζηρες, *Byzeres* numerat, quos Colchis proximos ponit Dionyſius, ab illis & Phaſide narrationem incipiens, v. 765

Βύζηρές τοι πρῶτα, καὶ ἀγχόθι φῦλα Βεχείρων,
Byzeres primo loco, & prope illos, Bechirorum gentes.

Chaldæos quoque ſiue Chalybas videtur adnumerare, vt ita Ἑπτακωμῆται ſint, qui circa Trapezuntem & Ceraſuntem coluerunt. Bellicoſi erant, ſaltem feroces. nam Pompeii *τρεῖς σπείρας κατέκοψαν*, *tres cohortes conciderunt.* Etiam *Bechiros* in eo numero fuiſſe non dubitamus, quia vicini Byzérum erant: quod etiam de *Sannis* ſiue *Macronibus* ſupra deſcriptis iudicamus. Quos vero *pernicem Durateûm gentem* Auienus dixit, nulli ſunt, isque grandi lapſus errore eſt, quia Græcum *δουρατέους*, quod vertit, adpellatiuum eſt, *ξυλίνους* expoſitum ab Euſtathio, id eſt *ligneas*, turres videlicet, quæ nomen & habitationem Moſynœcis dederunt: vt paullo ante verba integra Dionyſii protulimus. Sic non obſcure patet, quo ordine gentes Ponticæ ab Haly ad Colchos & Phaſidem ſe conſequutæ fuerint.

XCVIII.

Altera diuiſio Ponti in regiones eſt, & Ptolemæus tres Pontos diſtincte propoſuit, *Pontum Galaticum* ab occaſu, Galatiæ vicinum: & *Pontum Polemoniacum*, medio inter vtrumque loco, nomen habentem a *Polemone* (*ἀπὸ Πολέμωνος*) rege, quem Antonius inſtituit: & *Pontum Cappadocium*, qui inde in ortum profertur ad Colchos vſque. Prima origo eſt ab Antonio

tonio, triumuiro reipublicæ conſtituendæ, qui Orientem ſortitus multa in regnis & prouinciis mutauit. Pontum enim primo dedit Dario Pharnacis filio, vt Appianus v Ciuil. pag. 1135 tradit: deinde Polemoni, qui eo tempore, quo in Medos profectus Antonius erat, dicitur *ἐν τῷ Πόντῳ βασιλεύων, in Ponto regnans*, a Dione lib. XLIX pag. 407, cuius vidua Pythodoris Strabonis ætate imperabat, quam ipſe lib. XII laudauit. Filio Polemoni reddidit paternum regnum Caligula, vt Dio lib. LIX pag. 649 refert: quo concedente Nero prouinciam fecit. Suetonius cap. XVIII *Ponti modo regnum, concedente Polemone, in prouinciæ formam redegit.* Et Eutropius lib. VII cap. IX *Duæ prouinciæ ſub eo factæ ſunt: Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone: & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto.* Non autem iidem fines huius regni erant, quod Polemones & Pythodoris poſſederunt, & Ponti Polemoniaci, quem nobis Ptolemæus deſcripſit, qui multo arctior eſt. Strabo enim lib. XII pag. 382 tradit, Pythodoridem Tibarenos, Chaldæos *μέχρι Κολχίδος, uſque ad Colchidem*, & Pharnaciam & Trapezuntem poſſediſſe: quæ ex diſpoſitione Ptolemæi, in Cappadocio Ponto ſunt. Aliam ergo illius ætate diuiſionem prouinciarum fuiſſe oportet, quæ vniuerſum Pontum ita tripliciter diſpenſauit; vt *Ponti Galatici* ad mare fuerit *Themiſcyra*; intus, *Sebaſtopolis*, *Amaſia*, & *Comana Pontica*. Et *Ponti Polemoniaci* in ora, *Thermodontis* oſtia, *Polemonium*, & *Cotyorum*: in mediterraneis, *Neocæſarea*, *Zela*, *Sebaſtia*, & *Megalaſſus*, quæ etiam in Peutingeriana legitur: *Ponti* denique *Cappadocii* in maritimis *Pharnacia*, *Ceraſûs*, *Trapezûs*; mediterranea, *Cocalia*, *Cordyle*, *Trapezuſæ*, *Aſiba*, & alia obſcura. Neque conſtans hæc Ptolemæi diſtributio fuit, ſed nomen quidem Ponti Polemoniaci manſit, alia autem in eo cenſa oppida, Neocæſarea, Comana, Polemonium, Ceraſus, Trapezus, quæ quinque oppida, non plura, in Notitiis epiſcopatuum eidem tribuuntur.

XCIX.

Sunt præterea multa, ſed obſcura & incerta, vt Plinii *Sotira*, *Amazonium*, *Phanaræa* caſtellum: item *Tripolis* caſtellum: *Philocalea*, *Liuiopolis*: gens *Macrocephalorum*, quos a Pomponio habet. Lib. VI cap. III de prioribus ita: *In ora amnis Thermodon, ortus ad caſtellum, quod vocant Phanaræam, præterque radices Amazonii montis lapſus. Fuit oppidum eodem* [Thermodontis] *nomine: & alia quinque Amazonium, Themiſcyra, Sotira, Amaſia, Comana, nunc Manteium.* Et cap. IV, *Gentes, Tibareni, Moſſyni, notis ſignantes corpora: gens Macrocephali.* Et interiectis paucis: *Pharnacea oppidum, Tripolis caſtellum & fluuius. Item Philocalea, & ſine fluuio Liuiopolis.* Nihil addimus, niſi *Phanaræam* aliis campum eſſe ſeu regionem: *Macrocephalos* a Scylace etiam memorari, qui *Macrones* aliorum videntur eſſe, de quibus ſupra diximus. Plura ſunt apud Ptolemæum quæ prætermiſimus, in Galatico *Bœnaſa*, *Tobenda*, *Choloë*, *Piala*, *Pida*, *Sermuta*: in Polemoniaco, *Caruanis*, *Sarbaniſſa*, *Ablata*, *Sabalia*: in Cappadocio, *Aza*, *Mardara*, cetera. Fuerunt & *Ἴβωρα*, *Ibora* in Ponto, poſtea in Helenoponto, Nouell. XXVIII. *Helenopontum* octo vrbes implent, hoc eſt *Amaſia*, *Ibora*;

Ibora; reliqua. Hierocles praue Ἴϐυρα, *Ibyra.* Adi Valeſium in Sozomen. lib. VI cap. XXX.

PROVINCIA PONTICA ROMANORVM.

C.

Ad Ponti oram Romani prouinciam poſuerunt, Nicomede III Bithyniæ rege Sertoriani belli temporibus defuncto, qui teſtamento Romanos heredes regni ſcripſerat: quod ante paullo factum fuit, quam Lucullus contra Mithridatem in Aſiam proficiſceretur. Liuius epitoma XCIII *P. Seruilius proconſul in Cilicia Iſauros domuit, & aliquot vrbes piratarum expugnauit. Nicomedes, Bithyniæ rex, moriens, populum Romanum fecit heredem, regnumque eius in prouinciæ formam redactum eſt. Mithridates fœdere cum Sertorio icto bellum populo Romano intulit.* Nec vero ante Romani fructum ceperunt prouinciæ, quam Mithridates, qui occupauerat, a Lucullo fractus eſſet. Finito autem illo bello, Pompeius ex Mithridatis regno, iisque, quæ ille occuparat, adiecit multa: addidit Auguſtus etiam ex Paphlagonia, quum ſtirps regia, cui Pompeius reſtituerat ab Mithridate ablata, in Deiotaro Philadelpho defeciſſet.

CI.

Quamuis autem ſic aucta prouincia eſſet, tamen *Bithynia prouincia* vocabatur: & eadem *prouincia Ponti* ſiue *Pontica.* Plinius lib. IV epiſt. IX de Iulio Baſſo: *a Domitiano relegatus eſt: reuocatus a Nerua, ſortitusque Bithyniam, rediit reus, accuſatus non minus acriter, quam fideliter defenſus.* Et inſcriptio Mediolanenſis: C. PLINIVS C. F. C. N. CAECILIVS SECVNDVS COS. AVGVR. LEGAT. PRO PRAET. PROVINC. PONTI CONSVLARI POTESTATE. Hæc autem ipſa Bithynia cum dictis acceſſionibus eſt, quam rexit Plinius Secundus iunior. ex cuius epiſtolis ad Traianum datis adparet, quanta, aut quam longa fuerit prouincia, nempe a Calchedone uſque ad Amiſum & vltra. Epiſtola enim XCIX *Amaſtrianorum* ciuitatem, quæ in Paphlagoniæ finibus fuerat, in prouincia ſua eſſe oſtendit, ex Traiano quærens, an permittat tegi in Amaſtriana vrbe tætri odoris aquam. De *Sinope* teſtis eſt epiſtola XCI & XCII: de *Amiſo* epiſtola XCIII & XCIV. Reliqua Ponti ad Colchos vſque Pompeius Deiotaro Galatiæ tetrarchæ, poſt regi dedit, quæ deinde triumuiratu ab Antonio variis fuerunt donata. Strabo lib. XII pag. 376, *Poſt oſtia Halyos fluuii Gadilonitis eſt regio, cuius partem Amiſeni tenent,* τὴν δ' ἔδωκε Δηϊοτάρῳ Πομπήϊος, καθάπερ καὶ τὰ περὶ τὴν Φαρνακίαν, καὶ τὴν Τραπεζουσίαν μέχρι Κολχίδος καὶ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας, *partem alteram Pompeius Deiotaro dedit: etiam quæ ſunt ad Pharnaciam & Trapezuntem, vſque Colchos & Armeniam minorem.*

SECTIO IV.

CAPPADOCIA MAGNA.

CII.

Hactenus de Ponti regno, ſiue Cappadocia Pontica: ſequitur *Cappadocia Propria,* ſiue *Magna,* ſiue *ad Taurum* cognominata. Strabo ſub initium libri XII hanc diſtinctionem docuit, atque ita explanauit: *Cappadociam*, inquit, *Perſæ in duas diuiſerunt* σατραπείας, id eſt *prouincias: eas ab his acceptas Macedones* περιεῖδον, τὰ μὲν ἑκόντες τὰ δ' ἄκοντες, εἰς βασιλείας ἀντὶ σατραπειῶν περιςᾶσαν. ὧν τὴν μὲν ἰδίως Καππαδοκίαν ὀνόμασαν, καὶ πρὸς τῷ Ταύρῳ, καὶ νὴ δία μεγάλην Καππαδοκίαν· τὴν δὲ, Πόντον, οἱ δὲ τὴν πρὸς τῷ Πόντῳ Καππαδοκίαν, *Macedones*, inquit, *paſſi ſunt partim ſponte, partim inuiti, in duo regna mutari: quorum alterum proprie Cappadociam, & quæ ad Taurum, adeoque Magnam Cappadociam nuncupauerunt: alterum, Pontum, ſiue Cappadociam Ponticam.* Euſtathius ad Dionyſii verſum 974 eadem, laudato Strabonis nomine, repetiit: & diuiſionem Stephanus quoque Byzantius εἰς μείζονα καὶ ἐλάττονα, καὶ μικρὰν καὶ μεγάλην, *in maiorem & minorem:* item *in paruam & magnam* Cappadociam commendauit. Antiquus ſtatus Cappadociæ Magnæ ignotus eſt; vltimus, qui ſub Ariobarzanibus & Archelao fuit, tantummodo, nec tamen pleniſſime cognitus, & multa vbique tam de præfecturarum, quam oppidorum ſitu deſiderantur. Strabo ibidem: τῆς μεγάλης Καππαδοκίας νῦν μὲν οὐκ ἴσμεν πρώτην διάταξιν, *Magnæ Cappadociæ antiquam conſtitutionem ignoramus.*

CIII.

Sub Archelao, καὶ ἐπὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων, *& ſub regibus, qui proxime ante ipſum fuerunt*, Cappadocia εἰς δέκα ςρατηγίας, *in decem præfecturas* diuiſa fuit: e quibus quinque prope Taurum erant, *Melitena*, *Cataonia*, *Cilicia*, *Tyanitis*, *Iſauritis:* quinque reliquæ, remotiores a Tauro, obſcuris nominibus, *Lauinaſena*, *Sargaſena*, *Chamanena*, *Sargauena* [Gr. Σαργαυηνὴ] & *Moramena* * His adiecerunt Romani vndecimam, præfecturam de Cilicia, quæ ante Archelai fuerat, circum Caſtabala & Cybiſtra, uſque ad Derben Antipatri prædonis. Hæc ex Strabonis dicto loco: qui vero nec ſitum præfecturarum, neque quibus ſingulæ oppidis ornatæ ſint, declarauit. Ipſa quoque nomina ſuſpecta prauationis ſunt, quia Ptolemæus multa aliter ſcripſit, quædam etiam non in Cappadocia, ſed in Armenia minore cenſuit: videlicet *Melitenen*, *Cataoniam*, *Lauinianeſinam*, quæ Strabonis *Lauinaſena* eſt; & *Murianam*, quæ Strabonis *Moramena*, ſiue *Morimena* Plinii videtur eſſe. In ceteris quoque nominibus, præter *Tyanitidis* & *Ciliciæ*, aliquid immutatum eſt, & *Chamanam* Ptolemæus dixit Strabonis *Chamanenam:* & *Sargarauſenam*, quæ illius eſt *Sargaſena;* ſed & Plinius *Sargarauſenen* ſcripſit: Straboni autem quam *Sargauenam* Caſaubonus adiecit (neque enim in Aldina & Xylandrina reperitur) oppido falſa eſt, quoni-

* Vide infra §. 116 ſeqq.

quoniam Plinius & Ptolemæus contradicunt, ille *Garſauritidem* vocans lib. VI cap. III; hic *Garſauriam*, lib. V cap. VI.

CIV.

GARSAVRITIS Phrygiæ *prætenta* eſt, vt Plinius ait: in eaque ſecundum Ptolemæum *Archelais* poſita, & *Diocæſarea*, & *Tetrapyrgia*: atque hæc maxime in occaſum ſolis recedit. De prima ita Plinius iam dicto loco: *Cappadocia intus habet coloniam Claudii Cæſaris Archelaidem, quam præfluit Halys.* Quod Claudii nummo apud Golzium confirmatur, epigraphen ferente, COL. CAES. ARCHELAIS.

CV.

Inde in ortum eſt Ptolemæi Διοκαισάρεια, *Diocæſarea*, de qua etiam Plinius: *Reliqua ſui parte* [Cappadocia habet] *Diocæſaream*, *Tyana*, *Caſtabala*, cetera. Nummi quoque exſtant, vnus ΔΙΟΚΑΙCΑΡΙΑC ΑΝΤΟ. alter ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ inſcriptus: ſed incertum, Cappadociæ an Phrygiæ vrbis fuerint. Hunc certe Harduinus tribuit Phrygiæ; de illo dubitat Holſtenius. In Notitiis epiſcopatuum non adparet, niſi ſub alio aut veteri latet nomine. *Tetrapyrgia* Ptolemæi ſecundum Peutingerianam tabulam in Ciliciæ potius, quam Cappadociæ ſunt partibus.

CVI.

Idem Garſauriæ ab ortu præfecturam Ciliciam adponit; ab auſtro, Tyanitidem: Itinerarium autem *Nyſſam* & *Saſima*, quæ vix in aliam præfecturam, quam Garſauriæ, poſſunt cadere, interponit: quamquam Ptolemæus Νύσαν ſuam in Muriana vltra Tyanitidem & Ciliciam, & hac etiam auſtraliore ponat, quod falſum eſſe non dubitamus. Aut igitur amplianda eſt præfectura Garſauria, aut, quod malim, itidem in limite, Galatiam verſus, ei adiungenda *Muriana* eſt, quæ Plinii videtur MORIMENE, *Galatiæ prætenta*, lib. VI cap. III. Iter Antonini ab Ancyra Cæſaream, nos ducit, vt ita ſentiamus. Ibi enim ab *Aſpona*, Galatiæ vltima, *Parnaſſum* fertur (Hierocli Παρνασὸς eſt in Cappadocia ſecunda) atque hinc *Nyſſam*; ac deinde per duo obſcura oppida *Cæſaream*. Sic ergo *Parnaſſus* ſiue *Parnaſus*, cum *Nyſſa*, quæ proxima eſt, Murianæ ſiue Morimenæ fuit: cuius totius itineris rationes paullo poſt in *Nyſſa* expoſituri ſumus. *Nyſſam* autem Hierocles in Cappadocia Prima ſecundo loco poſt metropolin Cæſaream poſuit: quæ Gregorii epiſcopatu nobilior facta eſt, qui inde *Niſſenus* cognominatur. Socrates lib. V Hiſt. eccl. cap. VIII Γρηγόριος ὁ Νύσσης ἐπίσκοπος, ὁ Βασιλείου ἀδελφός· Καππαδοκίας δὲ καὶ ἥδε πόλις, *Gregorius Nyſſæ epiſcopus, frater Baſilii* [Magni, Cæſarienſis archiepiſcopi] *nam & hæc Nyſſa vrbs eſt Cappadociæ.* Et Nicephorus Calliſtus lib. XI cap. XLIV κατ' ἐκεῖνο διέπρεπον τοῦ καιροῦ, Βασίλειός τε ὁ μέγας, καὶ Γρηγόριοιν ἄμφω· ὅ, τε Θεολόγος, καὶ ὁ τῶν Νυσσαέων φωστήρ· - - - οὗτοι μὲν ἐν Καππαδοκίᾳ διέλαμπον. *Illo tempore enituere inter epiſcopos Baſilius magnus, & Gregorii ambo, theologus videlicet, & Nyſſaenſium lumen. - - - Et hi quidem in Cappadocia effulſerunt.* Gentile igitur Νυσσαεὺς, *Niſſaeus* auctore Calliſto eſt, quemadmodum in nummis aliarum vrbium, quarum nomen Νύσα, *Nyſa* ſimplici lit-

tera ſcribitur, ſicut noſtræ quoque apud Ptolemæum; eſt ΝΥΣΑΕΩΝ. Vt vero ſitus contra Ptolemæi poſitionem demonſtretur, Itinerarii Antoniniani ordinum ex itinere ab Ancyra Cæſaream per Nyſſam, oſtendo:

Ancyra			
Gorbeum	M.	P.	XXIIII
Roſologiacum	M.	P.	XVIII
Aſponam	M.	P.	XX
Parnaſſum	M.	P.	XXII
Nyſſam	M.	P.	XXIIII
Oſianam	M.	P.	XXXII
Saccaſena	M.	P.	XXVIII
Cæſaream	M.	P.	XXX.

CVII.

Alterum oppidum, quod ad Garſauriæ præfecturam videtur pertinuiſſe, aut non longe afuiſſe, ſunt *Saſima*, quorum primus epiſcopus Gregorius Nazianzenus fuit. Nicephorus Calliſtus lib. XIV cap. XXXIX ὁ θεῖος Γρηγόριος Σασίμων πρότερον τὴν ἐπισκοπὴν ἐκληρῶτο· Καππαδοκίας δὲ αὐτη ἡ πόλις· καὶ Ναζιανζῶ δὲ τῆς οἰκείας πατρίδος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχὼς, *diuinus Gregorius Saſimorum prius epiſcopatum ſortitus eſt, quod oppidum Cappadociæ eſt: deinde Nazianzi patriæ ſuæ epiſcopatus ei obtigit.* In Vita Nazianzeni refertur, Baſilium Cæſarienſem archiepiſcopum, quum prouinciæ diuiſione ipſi aliquot ciuitates ademptæ fuiſſent, ἐννοεῖ καταστῆσαι τοῖς Σασίμοις ἐπίσκοπον, *cogitaſſe, qui Saſimis epiſcopum conſtitueret:* eique eccleſiæ Gregorium Nazianzenum præfeciſſe. Ibidem dicuntur χωρίον τὰ Σάσιμα, λεωφόρου βασιλικῆς μέσον κείμενον καὶ τοῦ δημοσίου δρόμου ἔχον τὰ ἱπποστάσια, *oppidum Saſima ſitum in medio viæ regiæ, habens equorum ſtationes pro curſu publico.* Hierocles in Cappadocia ſecunda *Saſima* habet, Σάσιμα. Situm iter Antonini ab Conſtantinopoli Antiochiam, oſtendit clarius. Ducit ab Ancyra Galatiæ per Aſpona ad coloniam Archelaidem, quam Halys præfluit, vt ſupra vidimus. Sic autem monſtroſum nomen Andr. Schottus emendauit. Pergitur deinde hoc ordine:

Archelaide			
Nantianulum	M.	P.	XXV
Saſima	M.	P.	XXIIII
Andabalis	M.	P.	XVI
Tyana	M.	P.	XVI
Fauſtinopolim	M.	P.	XVIII.

CVIII.

Fuit & præfectura inter quinque illas ad Taurum Straboni dicta Ἰσαυρῖτις, ISAVRITIS, quamquam alii libri *Sauritis* referunt, fere illa, quam *Lycaoniam* præfecturam Cappadociæ Ptolemæus vocat. In hanc cadit Νῶρα, *Nora*, caſtellum Eumenis, quod Plutarchus in vita pag. 589 dicit ſitum ἐν μεθωρίῳ Λυκαονίας καὶ Καππαδοκίας, in *Lycaoniæ & Cappadociæ confinio.* Cornelius quidem Nepos cap. V dixit *Phrygiæ caſtellum:* ſed late quidam

Phrygiæ

Phrygiæ fines extenderunt. Strabo autem lib XII pag. 370 in Cappadocia cenſet, præfecturam eius non nominat: Eumenis vero, qui inſederat, mentionem nominatim facit. Diodorus Siculus lib. XVIII cap. XLI φρούριον κατὰ τὴν ἐρυμνότητα θαυμαστὸν, *caſtellum admirandæ munitionis* vocat. Strabo dicit ſua ætate Νηροασσὸν, Neroaſſum adpellari.

2. Fuerunt præterea τὰ Κάδυνα, *Cadyna* in illo tractu, in montibus Lycaoniæ, ſedes Siſini, qui Cappadociæ regnum, vt Strabo prodit, adfectauerat.

CIX.

TYANITIS præfectura in auſtrum maxime & ad Taurum vergit, Ptolemæo στρατηγία Τυανῖτις: etiam Straboni ἡ Τυανῖτις. Nomen regioni τὰ Τύανα, *Tyana*, dedere, quæ poſtea metropolis Cappadociæ ſecundæ facta. Strabo lib. XII pag. 370 *Duæ tantum præfecturæ vrbes habent;* ἡ Τυανῖτις τὰ Τύανα, ὑποπεπτωκυῖα τῷ Ταύρῳ, τῷ κατὰ τὰς Κιλικίας πύλας, *Tyanitis vrbem Tyana. Hæc* [Tyanitis] *ſubſtrata monti Tauro eſt, iuxta Cilicias Portas: vbi facillimus tranſitus in Ciliciam fit, & inde in Syriam. Vocatur autem* Εὐσέβεια, ἡ πρὸς τῷ Ταύρῳ, ἀγαθὴ δὲ καὶ πεδιὰς ἡ πλείστη, *Euſebia ad Taurum, fertilis & maxima ſui parte plana.* τὰ δὲ Τύανα ἐπίκειται χώματι Σεμιράμιδος, τετειχισμένῳ καλῶς, *Tyana autem impoſita ſunt aggeri Semiramidis, probe muris ſubſtructo.* Græci itaque pluraliter nomen vrbis efferunt: atque ita etiam Sozomenus lib. VI cap. XII σύνοδον ἀγόντων ἐν Τυάνοις, *celebrantibus* [epiſcopis] *Tyanis ſynodum.* Etiam Latini aliquando. Ammianus lib. XXIII cap. XIX *Apud Asbamei Iouis templum in Cappadocia, vbi ampliſſimus ille philoſophus Apollonius traditur natus apud oppidum Tyana, ſtagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, ſe ſeque reſorbens, numquam extra margines intumeſcit.* Et lib. XXV cap. XXXIII de Iouiano: *Tarſo profectus, extentis itineribus, venit oppidum Cappadociæ Tyana.* Flauius autem Vopiſcus Aureliano cap. XXII feminea forma vſus eſt. *Quum Tyanam*, inquit, *veniſſet, eamque occluſam reperiſſet*, cetera. Et cap. XXIII, epiſtola imperatoris ad Mallium Chilonem: *Occidi paſſus ſum, cuius quaſi beneficio Tyanam recepi.* Nummus Hadriani exſtat cum memorabili epigraphe: ΤΥΑΝΕΩΝ - - - ΠΡ-Τ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΥ. ΕΤ. ΚΑ. quam Harduinus ita interpretatur: Τυανέων Καπ. πρώτης, ἱερᾶς, ἀσύλου, αὐτονόμου, ἔτει κά, qui ſi Hadriani annus eſt, vltimus huius eſt principis. Gentile igitur eſt Τυανεὺς, Τυανεῖς: Vopiſcus autem dicto loco, *apud Tyanæos.* An etiam Ouidii *Tyanëius incola* lib. VIII Metamorph. verſ. 721 huc pertineat, dubitari poteſt, quia fabula illa *collibus* in *Phrygiis*, atque ſic procul a Cappadocia, acta fingitur verſ. 621. Minus autem dubito, quin Xenophontis Δάνα, *Dana*, ex Τύανα praue a ſcribis contracta fuerit, quum lib. I ἀναβάσ. Cyri pag. 147 ait: ἐλαύνει πρὸς Δάναν πόλιν οἰκουμένην μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, *profectum* [ab Iconio] *ad Danam eſſe vrbem frequentem, magnam & felicem:* vnde ſtatim per Pylas in Ciliciam progreſſus fuerit. Non enim conſentire Ortelio poſſum, qui ad *Danaën* Ptolemæi in Polemoniaco Ponto

 refert,

refert, obſcuram & longe nimis extra viam Cyri ſitam: *Tyana* autem clariora ſunt & prope Tauri tranſitum, vt Strabo deſcripſit, poſita.

CX.

Cetera Ptolemæi in Tyanitide ignota ſunt *Dagræ*, (alii *Dratæ* legunt) *Bazes, Siala:* digniora ab Romanis adiecta *Caſtabala* & *Cybiſtra.* Strabo dicto loco: οὐ πολὺ ἄποθεν ταύτης ἐστὶ τά τε Καστάβαλα καὶ τὰ Κύβιστρα, *non procul ab hac* [Tyanitide] *ſunt Caſtabala & Cybiſtra:* quæ paullo ante in vndecima præfectura ab Romanis adiecta cenſuerat. *Caſtabala* hæc alia ſunt a Ciliciis, vt ſitus & poſitio demonſtrat. Plinius quoque lib. VI cap. III Cappadociæ oppida hac ſerie enumerat: *Diocæſaream, Tyana, Caſtabala.* Fuit Caſtabalis τῆς Περασίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν, *Peraſiæ Dianæ templum*, ſic dictæ, quod per mare aduecta fuerit, vt Strabo explicat. Ibi ſacræ mulieres illæſis pedibus per prunas ambulabant.

CXI.

Alterum oppidum *Cybiſtra* ſunt, etiam a Cicerone memoratum lib. XV epiſt. II ad ſenatum de Ariobarzane rege: *tum a me diſceſſit in oppidum Cybiſtra.* Et epiſt. IV ad Catonem: *In Cappadocia extrema, non longe a Tauro, apud oppidum Cybiſtra caſtra feci: vt & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens noua finitimorum conſilia impedirem.* Idem Attico lib. V epiſt. XVIII *Nos in Cappadocia cum exercitu ad Cybiſtra.* Et lib. VI epiſt. I *Recentiſſimas a Cybiſtris te meas litteras habere ais, a. d.* X *Kal. Octob. datas.* Ptolemæus *Cybiſtra* in Cataonia præfectura cenſuit: Hierocles in Cappadocia Secunda.

CXII.

Eiusdem prouinciæ Secundæ fuit etiam *Fauſtinopolis* ab eodem laudata Hierocle in Notitia. Inter Tyana & Taurum ſita erat, ac ante in *Saſimis* iter Antonini vidimus, quo a Tyanis per Fauſtinopolim, nullo interiecto oppido, in Ciliciam Syriamque tenditur. Item *Andabalis* inter Saſima & Tyana, Antoniniano itinere. Quod & alio vetuſto itinerario, quod Hieroſolymitanum & Burdigalenſe dicitur, pag. 149 comprobatum eſt hoc ordine:

Manſio	Saſimam	- - -	
Manſio	Andauilis	M.	XVI
Ibi eſt villa Pampali, vnde veniunt equi curules.			
Ciuitas	Tyana		
Inde fuit Apollonius magus.			
Ciuitas	Fauſtinopoli	M.	XII
Mutatio	Caena	M.	XIII
Manſio	Opodanda	M.	XII
Mutatio	Pylas	M.	XIIII
Finis Cappadociæ & Ciciliæ.			

CXIII.

Præfectura CILICIA Cappadociæ pars eſt, cis Taurum, a Cilicia tam Aſpera quam Campeſtri, quæ trans Taurum ſunt, ſiue inter Taurum & mare,

mare, diſtinguenda maxime. Hæc præfectura caput totius Cappadociæ Magnæ tenet, cui vrbi olim nomen *Mazaca* fuit, poſtea nouum ſub Tiberio additum, *Cæſarea*, vt tamen prius non penitus exſtingueretur. Strabo dicto libro pag. 370 ἐν τῇ Κιλικίᾳ καλουμένῃ τὰ Μάζακα ἡ μητρόπολις τοῦ ἔθνους, καλεῖται δ' Εὐσέβεια, καὶ ἄυτη ἐπίκλησιν ἡ πρὸς τῷ Ἀργαίῳ. *In præfectura, quæ Cilicia dicitur, Mazaca ſunt, gentis metropolis. Ipſa quoque Euſebia vocatur, cognomine ad Argæum montem.* Sed *Euſebiæ* cognomentum, nouo *Cæſareæ* accedente, exſpirauit: in nummo tamen detrito reſiduum eſt ΕΥCΕΒΕΙΑC - - - - - ΑΡΕΙΑC, quod haud dubie legendum Εὐσεβείας Καισαρείας, præſertim quod mons quoque expreſſus eſt, qui Argæum ſignificat, ſicut in ceteris huius ciuitatis nummis, qui præferunt ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙCΑΡΕΙΑC, *metropolis Cæſareæ.* * Iuſtinianus nomen Cæſareæ ab Iulio vel Auguſto accepiſſe credidit. Nouella enim XXX ineunte ait: *Et populiſſima eſt* [Cappadocia] *& vrbem maximam præbet eiusdem cognominis cum cariſſimo nobis Cæſare, qui ſummo orbis terrarum arbitrio, quod nos obtinemus, bonum dedit principium.* At ſic Strabo illud nomen haud præteriiſſet, ſi iam tum ipſius æuo impoſitum fuiſſet. At Euſebius Chron. Tiberium iuſſiſſe Mazacam adpellari Cæſaream tradit. quod Eutropius lib. VII cap. VI confirmat. *Quosdam reges*, inquit, *per blanditias ad ſe euocatos numquam remiſit: in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem adpellari nomine ſuo iuſſit, quæ Cæſarea dicitur, quum Mazaca antea vocaretur.* Sextus quidem etiam Rufus cap. XI refert Cappadoces *ita maieſtatem Romanam coluiſſe, vt in honorem Auguſti Cæſaris Mazaca, ciuitas Cappadociæ maxima, Cæſarea nuncuparetur.* Fieri autem potuit vt a Tiberio in honorem patris Auguſti ita nuncuparetur, quemadmodum in Iulii patris honorem multas Iulias Auguſtus cognominauit. Et notanter dicitur, in *honorem Auguſti Cæſaris*; non, *ab Auguſto Cæſare.* Primum nominis *Cæſareæ* monimentum, quod nobis reliquum ſit, eſt nummus Neronis cum monte præcelſo epigraphen habens ΚΑΙCΑΡΕΙΑC. Deinde Plinius lib. VI cap. III *Cappadocia habet ſub monte Argæo Mazacam, quæ nunc Cæſarea nominatur.* Ptolemæus lib. V cap. VI Μάζακα, ἡ καὶ Καισάρεια, *Mazaca, quæ etiam Cæſarea nuncupatur.* Et Ammianus lib. XX cap. XXIII *apud Cæſaream Cappadociæ etiam tum degentem inuenere Conſtantium, Mazacam antehac nominatam, opportunam vrbem & celebrem ſub Argæi montis pedibus ſitam.* ** In Notitiis tantum *Cæſarea* vocatur: in Peutingeriana vtroque nomine, *Mazaca Cæſarea.* Situm vrbis ita deſcribit Strabo, vt a Ponto Euxino diſtet octingentis ſtadiis: a Ciliciis pylis ὁδὸν ἡμερῶν ἕξ, *itinere ſex dierum.* A Mazaca gentile idem format Μαζακηνὸς, *Mazacenus:* ab altero nomine pernotum eſt. *Argæum* montem dicit tantæ altitudinis, vt numquam vertex niuibus priuetur. Generoſos equos alit. Claudianus in Rufin. lib. II verſ. 30

* Confer Vaillant. Select. Numismat. Franc. de Camps pag. 64.

** Tu vide Zonaram tom. II Annal. ſub Valeriano.

- - - - *iam paſcua fumant*
Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum.

CXIV.

Sub hoc monte fuit etiam *Dacora,* vicus, patria Eunomii Ariani, in quam etiam a Theodoſio fuit relegatus. Sozomenus lib. VII cap. XVII ὁ μὲν ȣ̓ πολλῷ ὕϛερον τῆς φυγῆς τελευτήσας, ἔτυχε τῆς ἐν τῇ πατρίδι ταφῆς. κώμη δὲ αὕτη Καππαδοκῶν, Δακόρα ἦν δ᾽ ὀνομαζομένη, νομȣ̃ τῆς πρὸς τῷ Αργαίῳ Καισαρείας, *fato functus non longe poſt relegationem, ſepulturam in patria ſortitus eſt. Vicus hic erat Cappadocum nomine Dacora, ſitus in territorio Cæſareæ ad Argæum.* Philoſtorgius lib. X cap. VI de eodem Eunomio: εἰς τȣ̀ς ἑαυτȣ̃ διάγειν ἀγρȣ̀ς ἀφείθη. Δακοροηνὴ δὲ τοῖς ἀγροῖς τὸ ὄνομα, *dimiſſus, vt in propriis agris ageret. Dacoroëni autem illi vocantur.* Antea vero, lib. VI cap III dixit, ἑαυτȣ̃ πατρίδα τὴν Καππαδοκίαν, *eiusdem patriam Cappadociam fuiſſe.*

CXV.

In illo tractu fuit etiam Ναζιανζὸς, *Nazianzus,* patria S. Gregorii, epiſcopi eloquentiſſimi, qui *Nazianzenus* inde cognominatur. Socrates lib. IV cap. XI Γρηγόριος Ναζιανζȣ̃ πόλεως εὐτελοῦς, γειτνιαζȣ́σης τῇ Καισαρείᾳ, ἐπίσκοπος, *Gregorius, vilis oppidi Nazianzi, Cæſareæ vicini, epiſcopus.* Hæc vicinitas illa eſt, propter quam præfecturæ, in qua Cæſarea fuit, adiungamus, quia nihil de ſitu eius eſt proditum, nec vlla eius mentio in profanis geographis, aut vetuſtis itinerariis eſt habita. Quod vero in Notitiis non ei parti Cappadociæ, cuius caput Cæſarea eſt, ſed Cappadociæ ſecundæ, cuius Tyana ſunt metropolis, tribuitur; credo inter Cæſaream & Tyana Nazianzum fuiſſe poſitam. Vita Nazianzeni de ea ita traditur: πατρὶς αὐτῷ ἡ δευτέρα τῶν Καππαδοκῶν, πόλις δὲ Ναζιανζός· ἥ τις τοσούτῳ περιφανεςέρα γέγονεν ἐξ ἐκείνȣ, ὡς μέχρι τερμάτων τῆς οἰκȣμένης δι᾽ ἐκεῖνον γνωρίζεσθαι. *Patria ipſi fuit Cappadocia Secunda,* [natale] *oppidum Nazianzus, quæ ita illuſtris ab ipſo facta eſt, vt vsque ad fines terrarum orbis celebretur.* Suidas in Απολλινάριος & in Γρηγόριος non vrbem, ſed ϛαθμὸν, *ſtationem,* ſeu, vt poſteriores geographi loquuntur, *manſionem* vocat. Miror autem, ſi manſio fuit, qui factum ſit, vt nulla eius in itinerariis, per manſiones diſtributis, fiat mentio: quæ in hac Cappadociæ parte per Saſima, Tyana, Fauſtinopolim ducunt, & aut Cæſaream ferunt, aut ex illa alіorſum feruntur.

CXVI.

Hinc in ſeptemtrionem ad Galatiæ fines Ptolemæus præfecturam CHAMANEN locat, quæ Strabonis CHAMANENA eſt: in qua ille *Zamam, Andracam, Saruenam,* & alia obſcura oppida enumerat.

CXVII.

Ab ortu adiacet SARGARAVSENA, Strabonis *Sargaſena,* ex quo ſyllaba fortaſſis excidit, quia & Plinius & Ptolemæus *Sargarauſenæ* nomine conſentiunt. Et huius oppida ignobilia cuncta ſunt, quotquot Ptolemæus enumerauit, *Phiara, Sabalaſſus,* & reliqua incerti nominis, quia Palatinus codex a vulgato in iis diſcrepat: in quibus & Αριράθειρα, ſiue

Αρια-

Αριαράθιρα, *Ariarathira* ſunt, quæ regis conditoris nomen, ſi recte ſcriptum eſt vocabulum, oſtendit. Verius nomen Itinerario eſt *Ariarathia*, id eſt Αριαράθεια, itineribus a Sebaſtia & Nicopoli.

CXVIII.

Reliquas præfecturas Ptolemæus lib. v cap. VII in Armenia minore cenſet, e quibus præcipuæ *Cataonia* & *Melitene;* * quas vero Strabo in Cappadocia, vt vidimus, numerat. Et Plinius lib. VI cap. III *Cappadociæ pars prætenta Armeniæ maiori, Melitene vocatur: Commagenæ, Cataonia.*

CXIX.

De Ptolemæi *Muriana*, Strabonis *Moramena*, Plinii *Morimene*, quam Galatiæ prætendi dicit; ſupra in *Nyſſa* aliquid notauimus, quia Ptolemæus ſuam *Nyſam* in ea poſuerat. Dubitauimus de Ptolemæi ſitu tam vrbis quam præfecturæ, quia hoc Galatiæ prætenditur ſecundum Plinium, qui itinerario Antonini iuuatur, quo *Nyſa* ſiue *Nyſſa* Aſponis Galatiæ propinqua, vno tantum oppido interiecto, conſtituitur. Quod ſi eſt, Muriana Ptolemæi, quam ille ſupra Cataoniam & orientem verſus prope medio loco inter Galatiam & Euphratem locauit magnum per ſpatium in locum citeriorem reducenda erit.

CXX.

Lauinianeſina autem Ptolemæi, rectius Strabo videtur LAVINASENAM, Λαουινασηνὴν, nuncupaſſe: in qua Ptolemæus tria oppida ripenſia, ſiue πρὸς τῷ Εὐφράτει ποταμῷ, *ad Euphratem flumen* ſita, recenſet, *Cornen*, *Metita*, (Μέτιτα) & *Claudiadem:* quæ videtur Plinii *Claudiopolis* ad Euphratem eſſe lib. v cap. XXIV, vt ſupra in extrema Iſauria, quum de Claudiopoli ageremus, demonſtrauimus: Reducta ab ripa, obſcuriora ſunt omnia, *Caparcelis*, *Paſarne*, *Cizara*, *Sabagena*, *Nolaſene*, *Laugaſa*. Ad nobiliores ergo præfecturas, *Cataoniam* & *Melitenen* progredimur explicandas.

CXXI.

CATAONIAE Ptolemæus præter obſcura multa tribuit nobiliora oppida *Cybiſtra*, *Claudiopolim*, *Comana*, & *Mopſucrenen*. Strabo *Cybiſtra* non Cataoniæ, ſed nouæ præfecturæ, ab Romanis adiectæ, adſcripſit: ideo ſupra cum Tyanitide, cui adiacet, expoſuimus: *Claudiopolim* vero in extrema Iſauria explicauimus, quia Ammianus ei prouinciæ, pro temporum ſuorum conſuetudine, tribuebat, vnde repeti poſſunt. nam ſecundum veterem geographiam omnino Cataoniæ videtur contribuenda. *Comana* autem *Cappadociæ*, a Ponticis diuerſa, extra controuerſiam in Cataonia ſunt: de quibus ita Strabo lib. XII pag. 369 *In Antitauri conuallibus* (αὐλῶνας vocat) τὰ Κόμανα, καὶ τὸ τῆς Ενυοῦς ἱερὸν, *Comana ſunt & Bellonæ templum.* πόλις ἐςὶν δ' ἀξιόλογος, - - - Καταόνες δέ εἰσιν οἱ ἐνοικοῦντες, *vrbs eſt memorabilis: - - - Cataones ſunt qui incolunt.* Deinde pontificis dignitate deſcripta, qui ſummo honore poſt regem apud Cappadoces ſit, *Sarum* fluuium vrbem perluere dicit. διὰ τῆς πόλεως ταύτης ὁ Σάρος ῥεῖ ποταμός. *Per vrbem hanc*,

* Vide mox § 121 usque ad 130.

hanc, inquit, *Sarus amnis fluit.* Et Plinius lib. VI cap. III *Cappadocia intus habet coloniam Claudii Cæſaris Archelaidem, quam præfluit Halys: oppida, Comana, quod Sarus; Neocæſaream, quod Lycus*, intellige, *præfluit.* Ex quo ſitus quodammodo reſpectu Ciliciæ cognoſcitur, ſi fluminis decurſionem retro perſequamur. Multis itineribus Antonini illius, ſub cuius nomine Itinerarium vetus habemus, *Comanorum*, quæ in Cappadocia ſunt, facta eſt mentio: gemino a Sebaſtia Cocuſon, altero per Cæſaream, altero per compendium: & alio a Cæſarea Anazarbum: & rurſus alio a Sebaſtia, ibidem: & illo quod a Nicopoli tendit Arabiſſum. Satis ſit illorum vnum, idque primum, excerpere, quod a Sebaſtia per Cæſaream ducit Cocuſon.

Sebaſtia		
- - - -		
Cæſaream		
Artaxata	M. P.	XXIIII
Coduzabala	M. P.	XVIII
Comana	M. P.	XXIIII
Ptandari	M. P.	XXIIII
Cocuſon	M. P.	XXXVIII.

CXXII.

Oppidum *Mopſucrene*, id eſt μόψου κρήνη, vt Ptolemæus ſcripſit, ſiue *Mopſi fons*, ex eiusdem poſitione prope Taurum eſt, ſupra Tarſum & Lamum, Ciliciæ vrbes non ignotas. Hieronymus *viculum* vocat, quia exiguum videtur oppidum fuiſſe, ſi modo fuit oppidum, in quorum tamen numero recenſuit Ptolemæus. Nobilitauit mors Conſtantii, quem fatum ibi oppreſſit, quum aduerſus Iulianum proficiſceretur. Hieronymus Epitaphio Nepotiani, ſiue Epiſt. III, *Conſtantius, Arianæ fautor hæreſeos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Mopſi viculo moriens, magno dolore hoſti reliquit imperium.* Socrates Hiſt. eccleſ. lib. II extremo de eodem Conſtantio: ἐν Μόψου κρήναις ἐτελεύτα τὸν βίον, *Mopſu crenis vitam finiuit*, plurali numero: quemadmodum etiam Ammianus lib. XXI cap. XXIX [Valeſ. cap. XV] *venit Tarſum, vbi leuiore febri contactus, ratusque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti poſſe diſcrimen, petiit per vias difficiles Mopſucrenas, Ciliciæ vltimam huc pergentibus ſtationem, ſub Tauri montis radicibus poſitam.* Et Græci ceteri in eadem hiſtoria pluraliter nominant. Sozomenus lib. V cap. I ἐτελεύτησεν ἐν Μόψου κρήναις, *Mortuus eſt Mopſucrenis.* Philoſtorgius quoque lib. VI cap. V παρὰ τὰς Μόψου καλουμένας κρήνας, *ad Mopſi Crenas*, [fontes] *vti is locus vocatur.* Et Chronicon Alexandrinum ſiue Siculi Faſti ad Conſtantii vltimum annum pag. 684 ἐλθὼν εἰς Μόψου κρήνας, *veniens ad Crenas Mopſi*, ſiue *Mopſucrenas.* Sic etiam Hieronymus Chronico Euſebiano: *Conſtantius Mopſocrenis moritur.* Victor iunior quidem in Epitoma: *in radicibus Tauri montis apud Mopſocrenen febri acerrima interiit:* in MSS. autem pluralem *Mobscrenas*, vel *Mopſcrenas* eſſe teſtatur Hadrianus Valeſius Additamentis ad

ad fratris Notas in Ammianum. De ſitu maior eſt controuerſia. Vidimus Ammianum intra Ciliciæ fines poſuiſſe, tamquam extremum eius locum ſub Tauro. Et Theodoritus Hiſt. eccleſ. lib. II extremo: *ἐν τῇ Κιλικίᾳ τὸν βίον κατέλυσεν, in Cilicia* [Conſtantius] *mortuus eſt.* Accedit quod Henricus Valeſius, in dictum Ammiani locum, prauata Itinerariorum nomina huc trahat, Antoniniani *Namſucrone,* vt Aldus & Simlerus ediderunt: (Schottus enim & Surita *Nampirorone* legunt) & Hieroſolymitani *Manſuerine*, quorum vtrumque in mediam Ciliciam cadit: illud XXI millibus ab Aegis, maritimo poſt Mallon oppido; hoc, vere medio loco inter Pylas Tauri, & Tarſum, vtrimque milliariis duodecim. Nondum autem induci poſſum, vt nominibus illis Mopſocrenas latere credam. Magno enim auctores conſenſu extra Taurum, ſiue ad latus Tauri ſeptemtrionale poſuerunt; Ptolemæus in Cataonia Cappadociæ: Socrates dicto loco, *μεταξὺ Καππαδοκίας καὶ Κιλικίας, inter Cappadociam & Ciliciam:* & Sozomenus, *μεταξὺ Κιλικων καὶ Καππαδοκῶν τῶν πρὸς τῷ Ταύρῳ, inter Cilices & Cappadoces, qui ad Taurum ſunt.* Eutropius lib. X cap. VII de Conſtantio: *in itinere obiit inter Ciliciam Cappadociamque.* Et Hieronymus Euſebiano Chronico: *Conſtantius Mopſocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur.* Quod vero Ammianus in extrema Cilicia, & Theodoritus in Cilicia ſcribunt mortuum eſſe, ex diuerſitate limitum Ciliciæ pro temporibus diuerſis ortum eſt, quum, quæ in Tauro & ad Taurum ſunt, quamquam extrinſecus; quidam, prolatis finibus, citeriori prouinciæ tribuant, quemadmodum in Pamphylia & Iſauria quoque vidimus contigiſſe.

CXXIII.

Reliqua Ptolemæi in Cataonia ſunt occaſum verſus poſt Cybiſtra & Claudiopolim, *Tynna, Cabaſſus, Tirallis, Daliſandus:* & interiectis Comanis ac Mopſucrene, in ortum verſus, *Tanadaris* & *Leandis:* ſed ignota & obſcura omnia. Addenda *Cucuſus,* *Κουκουσὸς*, ſiue *Cocuſos,* non incelebris locus in Chriſtianorum monimentis. Aliquot itinera Antonini a Sebaſte *Cocuſon* ſunt directa: & illo, quod eſt a Cæſarea Anazarbum, ſitus verus cognoſcitur, fere medius inter duas vrbes illas. Vnde manifeſtum fit, Cataoniæ præfecturæ illud oppidum fuiſſe. In illo enim parte Cappadociæ fuit, quæ medio æuo Armeniæ ſecundæ conceſſit, & tandem tertiæ. Socrates lib. II cap. XXVI *ἐν Κουκουσῷ τῆς Καππαδοκίας, Cucuſi in Cappadocia.* Et Theodoritus lib. II cap. V *μετῴκισαν εἰς Κουκουσόν. πόλις δὲ αὕτη μικρὰ, πάλαι μὲν εἰς τὸ Καππαδοκῶν ἔθνος τελοῦσα, νῦν δέ γε τῇ δευτέρᾳ συναριθμουμένη, Cucuſum* [Paulum Conſtantinopolitanum] *relegarunt. Id paruum oppidum eſt, olim quidem Cappadociæ, nunc vero Armeniæ ſecundæ attributum.* Etiam Hierocles in Secunda Armenia recenſuit: Iuſtinianus, augens Armeniarum numerum, tertiæ adſcripſit, Nouell. XXXI cap. I. Euſtathius in Periegetæ verſ. 694 ſcripſit geminata littera *Κουκουσσός*· Itinerario eſt *Cocuſos.*

CXXIV.

Cataoniam a tergo claudit mons *Antitaurus,* ex Tauro in ſeptemtrio-

nem & ad Euphratem procurrens. Strabo lib. XI pag. 359 ἀπὸ τȣ̃ Ταύρȣ πρὸς ἄρκτον ἀπόσχιδες πολλαὶ γεγόνασι, μία μὲν ἡ τȣ̃ καλȣμένȣ Ἀντιταύρȣ, *a Tauro ſeptemtrionem verſus multæ portiones abſcinduntur, quarum vna eſt Antitaurus.* Idem lib. XII p. 369 ὁ Ἀντίταυρος τὰς ἄρκτȣς ἐγκέκλιται, καὶ μικρὸν ἐπιλαμβάνει τῶν ἀνατολῶν. εἶτ' εἰς τὴν μεσόγαιαν τελευτᾷ, *Antitaurus ad ſeptemtrionem inclinat, ac non nihil etiam ad ortum: deinde in mediterranea deſinit.* Ptolemæus lib. V cap. V ὁ Ἀντίταυρος τὸ ὄρος διήκων ἀπὸ τȣ̃ Ταύρȣ ὄρȣς μέχρι τȣ̃ Εὐφράτȣ, *Antitaurus mons pertingit a Tauro monte ad Euphratem.* Sunt in eo βαθεῖς καὶ στενοὶ αὐλῶνες, *profundæ & anguſtæ valles*, quod Strabo refert, in quarum vna τὰ Κόμανα, *Comana Cappadociæ* cum Bellonæ templo, de quibus ſupra dictum fuit.

CXXV.

Tandem MELITENE, Μελιτηνή, ex nobilioribus eſt Cappadociæ præfecturis: quam Strabo, recenſens præfecturas, primo loco poſuit. Euphrates ab ortu prælabitur, eamque dirimit a Sophene, Armeniæ maioris regione. Fertilis vt Sophene, plus quam ceteræ Cappadocum præfecturæ, adeo vt vinum etiam & oleum ferat: ex quo genere Strabo pag. 368 lib. XII laudat τὸν Μοναρίτην οἶνον τοῖς Ἑλληνικοῖς ἐνάμιλλον, *Monarite vinum, quod cum Græcis certet.* Ptolemæus Armeniæ minori adſcribit, quod ipſius æuo forſan ei fuit contributa: Strabo autem & Plinius lib. VI cap. III cenſent in Cappadocia. In vniuerſum Strabo Cappadociæ præfecturis πόλεις, *vrbes* pag. 370 denegat, præter Tyanitidem & Ciliciam, quarum illa *Tyana* habeat; Cilicia, caput gentis, *Mazaca.* Ptolemæus autem plura ſingulis præfecturis oppida adſignat, vicos forte connumerans maiores, aut ſui temporis deſcribens faciem, quod dubitare non licet, ſub Romanis cultiorem formam Cappadociam induiſſe, quam ante ſub regibus ſuis vſa fuerat. Tria ergo hic oppida Melitenæ dat, *Daguſam*, *Sinidem* coloniam, & *Melitenen*, cognominem regioni.

CXXVI.

Daguſa haud dubie eſt Itinerarii Theodoſiani *Daſcuſa*, itinere a Satala Melitenen per ripam, quinquaginta ſupra Melitenen milliariis in ripa Euphratis ſic poſita:

Daſcuſa		
Ciacam	M. P.	XXXII
Melitenen	M. P.	XVIII.

Plinius lib V cap. XXIV flumen Euphratis deſcribens, Daſcuſam a Melitene LXXIIII milliaribus in ſeptemtrionem verſus disiunxit. Oroſius lib. I cap. II antiquiſſimis libris *Daſcutam* vocat. Credo neutrum nomen malum eſſe, & dialecto potius, quam errori dandam variationem: Syri enim, vicini Cappadocibus, ſibilum in T mutare conſueuerunt. *Ciuitas Daſcuta*, inquit, *in confinio Cappadociæ & Armeniæ ſita eſt.* Hactenus bene: minus autem recte ſe ſe habent quæ adiecit; *haud procul a loco, vbi Euphrates naſcitur.* longe enim abhinc fontes eius fluminis remoti ſunt. Notitia Imperii ſub diſpoſitione Ducis Armeniæ, in Ponto, ſeu laterculo minore

nore adpoſito, habet *Alam Aurianam Daſcuſæ.* Ibidem etiam eſt *Ala prima Auguſta Colonorum, Chiacæ.* Hæc *Ciaca* eſt Itinerarii. Ptolemæo Κιάκις, *Ciacis* in mediterraneis Melitenæ.

CXXVII.

Tertia, *Melitene*, clarior. Strabo tantum regionem huius nominis aliquoties memorauit: nec oppidum fuit antequam Traianus rerum potiretur. Procopius lib. III de Aedific. cap. IV *In Armenia quondam Minori dicta, non procul a flumine Euphrate*, χωρίον, *locus* fuit, ἐφ' ᾧ δὴ λόχος Ῥωμαίων στρατιωτῶν ἵδρυτο, *vbi Romanorum milites ſtationarii collocati fuerant. Ac locum quidem* Μελιτηνήν, *Melitenen;* λόχον, *militum numerum, Legionem nuncupauerunt. Hic Romani olim* ἔρυμα ἐν τετραγώνῳ ἐπὶ χωρᾶς ὑπτίας ἐδείμαντο, *munitionem quadratam exſtruxerant plano in campo, ſedem militibus ac militaribus ſignis ſatis commodam.* μετὰ δὲ Τραϊανῷ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι δεδογμένον ες πόλεώς τε ἀξίωμα ὁ χῶρος ἀφῖκται, καὶ μητρόπολις κατέστη τῷ ἔθνει. *Poſt Traiani auguſti mandato vrbis dignitatem locus obtinuit, & gentis metropolis facta eſt.* Creuit ciuitas, vt munimenta non caperent, & latius in ſuburbiis, quam intra pomœria habitaretur. Anaſtaſius ergo auguſtus ampliare mœnia cœpit, Iuſtinianus perfecit, & prouinciæ ἐγκαλλώπισμα, *pulcherrimam vrbem* Melitenen reddidit. Prouinciam quidem Armeniam Minorem pro diuiſione illorum temporum intelligit, quemadmodum iam Ptolemæi æuo Melitene pars Armeniæ eiusdem fuit: Strabonis tamen & Plinii temporibus pars illa fuit Cappadociæ.

2. Hæc illa *Melitene* vrbs, antea caſtrum fuit, cui legio illa impoſita fuerat, quæ ſub Marco imperatore mirandam pluuiam Romanis; fulmina autem & tonitrua hoſtibus a Deo impetrauerat. Euſebius lib. V Hiſt. eccleſ. cap. V vocat τοὺς ἐπὶ τῆς Μελιτηνῆς οὕτως λεγομένης λεγεῶνος στρατιώτας, *milites legionis Melitenæ;* Xiphilinus autem in Marco: τάγμα τῶν ἀπὸ Μελιτηνῆς στρατιωτῶν *legionem militum a Melitena* euocatorum, ſiue qui vrbi & agro illi præſidio a longo tempore fuerant. Ab Auguſti enim æuo, vt Dio lib. LV pag. 564 notauit, τὸ δωδέκατον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ τὸ κεραυνοφόρον, *duodecima* [legio] *Fulminifera dicta, caſtra in Cappadocia habueruat.* Vnde opinio quibusdam nata, ſub Marco demum id cognomen ex miraculo acceſſiſſe legioni. In Itinerario frequens eius vrbis mentio, tamquam præcipuæ, ex qua itinera Cæſaream, & a Cæſarea & Cocuſo Melitenam inſtituuntur. Tabula quoque ex Theodoſii æuo Auguſtana habet prope Euphratem *Melentenis,* corrupte quidem, vt tamen verus locus inde & ſitus ignorari non poſſint. Hieroclis Notitia Μελιτηνή, *Melitene,* metropolis eſt Armeniæ Secundæ. Stephanus autem antiquiores, & in iis Strabonem ſequutus, Μελιτηνὴ πόλις Καππαδοκίας· οἱ πολῖται Μελιτηνοί, *Melitene vrbs Cappadociæ: ciues, Meliteni.*

CXXVIII.

Tertia vrbs Ptolemæi eſt Σινὶς κολώνια, *Sinis colonia.* Nihil, præter hæc, de hoc nomine reperitur. Coloniam vero dum dicit, videtur locus, quem ſine priſco nomine Procopius dicto lib. III cap. IV memora-

vit. Ἦν δέ τι Φρούριον ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ ἐν ἀκρωνυχίᾳ λόφου κατακρήμνου πεποιημένον τοῖς πάλαι ἀνθρώποις· ὁ δὲ Πομπήϊος ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς ἐξελὼν, καὶ τῆς χώρας πολέμῳ κύριος γεγονὼς, ἐκρατύνατό τε ὡς μάλιστα, καὶ Κολώνειαν ἐπωνόμασε. *In hac regione caſtellum vetus præcipitis collis inſidebat verticem. Quum id quondam Pompeius, Romani exercitus imperator, expugnasſet, prouincia bello ſubacta, muniuit ipſum ſedulo, & Coloniam adpellauit.* An huc forſan *Coloni*, quorum in *Ciaca* paullo ante ex Notitia imperii facta eſt mentio, referri poſſunt? non negatum imus: nec vero poſſumus adſeuerare.

CXXIX.

Hæc de Ripenſi Melitene: mediterranea obſcura omnis, cui a Ptolemæo hæc oppida tribuuntur: *Zopariſtus*, *Titariſſus*, *Cianica*, *Phuſipara*, *Euſimara*, *Iaſſus*, *Leugæſa*, & alia, quæ in variis voluuntur lectionibus, vt nec certum nomen ſit, ſicut *Leugæſa* in Palatino eſt *Leutæſa*. De *Ciaci* ſupra dictum in *Ciaca*, quum ripam, cui propinqua fuit, explicaremus.

CXXX.

Sunt alia quædam Cappadociæ tributa, quæ quod geographi ignorant, nec præfectura eorum ſignificata eſt, vtique prætermittimus; vnum tantummodo exemplum τῶν Κριτάλων, *Critalorum* Herodoti adferentes, vt incertum loci etiam de aliis cognoſcatur. Herodotus lib. VII cap. XXVI dicit de Xerxe, ἐπορεύετο ἐς Σάρδις ἐκ Κριτάλων ὁρμηθεὶς τῶν ἐν Καππαδοκίῃ, *iter ingreſſus eſt Sardes verſus, mouens ex Critalis Cappadociæ.* Sed quo loco fuerit, non exprimitur, niſi quod rex inde ad Halyn progreſſus ſit, eoque traiecto Cælenas venerit, indeque perrexerit Sardes.

CXXXI.

Hæc de Cappadociæ præfecturis. De *nomine* ſupereſt quod adiiciamus. Plinius lib. VI cap. III a flumine *Cappadoce* deducit. *Galatiæ*, inquit, *prætenta eſt Morimene: vbi diſterminat eos Cappadox amnis, a quo nomen traxere, antea Leucoſyri dicti.* Paruum oportet fluuium eſſe & ignobilem: ideoque ab aliis neglectus fuit. Apud Stephanum Herodianus forſan & Menander ἀπὸ κτιστοῦ, *a conditore* vel gentis vel regni, cui Καππάδοκος, *Cappadocus* nomen fuerit, deriuant. Sed etiam hoc incertum. Certius, ſicut barbara gens fuerunt Cappadoces; ita nominis quoque originem eſſe barbaram, ſiue ex barbara quadam voce ortam. Gentile eſt Καππάδοξ, vt Stephanus ſcripſit, *Cappadox*; & alia forma Καππάδοκος, Καππαδοκη, *Cappadocus*, *Cappadoca*: iterum alia, ὁ Καππαδόκης, *Cappadoca.* Dionyſius periegeta verſ. 973

Τῆς δ' ἤτοι μέσσης μὲν ἐπ' ἠπείροιο βαθείης
Καππαδόκαι ναίουσι,

atque huius media in continente vaſta Cappadocæ habitant. Latini plerumque dicunt *Cappadox*, *Cappadoces*, pro numero diuerſo: nec tamen alias aſpernantur flexiones. Horatius lib. I epiſt. VI verſ. 39

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum rex,

quod


Septemtrio
Meridies
Occidens
Oriens
BOSPORVS, MAEOTIS, IBERIA, ALBANIA, ET SARMATIA ASIATICA
Hyperborei
Montes
Rha fl.
Hippophagi Sarmatæ
Agathyrſi
Hamaxobii
Aſæi
Phthirophagi
Rhipæi montes
Perierbidi
Tanais fl.
SARMATIA
EVROPAEA
Alexandri Aræ
Cæſaris Aræ
Tanaitæ
Chænides
Materi
Rhymnici Montes
SCYTHIA INTRA IMAVM
Melanchlæni
Coraxi Ptol.
Iaxamatæ
Nauaris
Exopolis
Scymnitæ
Vali
Orgaſi
Iotæ ſeu Aſiotæ
Noraſſus M.
Mæotæ Europæi
Tanais
Pamardis
Marubius fl.
Patarue
Columnæ
Alexandrii
Serbi
Rhombites maior
Rhombites minor
MAEOTIS PALVS
MAEOTAE
Tyrambæ
SARMATIA ASIATICA
Aſturcani
Sarmaticæ Pylæ
Diduri
Olondæ
Vdæ
Aorſi
Carcine
Pſathis fl.
Anticites fl.
al. Vardanus
Zingi
Alani
Colica Gens
Mons Coraxicus
Caucaſus
Caucaſiæ Portæ
BOS PORA NI
Phanagoria
Sindi
Cercetæ
Heniochi
Oenanthia
Gerri
Teleba
Byce palus
Panticapæum
Theodoſia
Cherſoneſus Taurica
Cherſon
Bosporus Cimmerius
Pityus magnus
Corax fl.
Coraxi
Mechleſſus
IBERIA
ALBANIA
Nubium
Thabilaca
Chiauna
Gelda
Cercetius Sinus
Dioſcurias
COLCHIS PROPRIA
Hippus fl.
Cyaneus
Aginna
Madia
Boziata
Caſius fl.
Miſia
Chadaca
Albania
Criumetopon promont
Colchi
Varica
Artaniſſa
Cyta
Camechia
Adiabda
PONTVS EVXINVS
MARE CASPIVM ſeu HYRCANVM
Phaſis
Sarace
Sura
Harmaſtis
Armactica
Zani
Lazi
Zadris
Seumara
Oſica
Abſarum Caſtellum
Abſarus fl.
Ciſſa fl.
Pityus
Zaliſſa
Moſchi
Harmozica
Armactica
Toga
Carambe promont
Trapezus
Ophis fl.
Cyrus fl.
Moſchici montes
Araxes fl.
MEDIA
ATROPATENE
Caſpiana
Parthenius
Halys fl.
Iris fl.
PONTVS
Thermodon fl.
Paryadres M.
Armeniæ Fines
60
55
50
45

quod ex vulgari forma eſt, *Cappadox.* At Martialis lib. x epigrammat. LXXVI

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

Et Columella lib. x ſiue Cultu hort. verſ. 184 de lactuca:

Hæc ſua Cappadocæ ſeruat cognomina gentis.

Et Plinius lib. XIX cap. VIII *folio lactucæ Cappadocæ.* Idem lib. XXXVII cap. X *Cappadocia gemma,* quod a *Cappadociis* κ]ητικῷ.

CXXXII.

Sic etiam omnis Aſia citerior, ſiue magna illa peninſula ab Helleſponto ad Euphratem vſque eſt expoſita, præter *Minorem Armeniam,* antiquam illam & propriam, diſtinctam ab acceſſionibus, a Ptolemæo adiectis, (quas itidem in Cappadocia, cui detractæ ſunt, expoſuimus) eſt perluſtrata. Armeniam autem paruam cum magna & transeuphratæa coniungemus, & proxime poſt Boſporum & Colchos, adiacenteſque gentes explicabimus.

CAPVT IX

DE

BOSPORANIS, MAEOTIS, ATQVE COLCHIS.

I.

FAciem Ponti citeriorem, quam Aſiæ obuertit cultiori, contemplati ſumus: nunc quæ ab tergo ſunt, a Boſporo Cimmerio ad fines vſque Trapezuntinos, perluſtrabimus. Ad Boſporum, vbi in Pontum exit, Ptolemæus poſuit *Coroncondamam.* Strabo lib. XI pag. 341 vocat κώμην Κοροκονδάμην, *vicum Corocondamam*, & eſſe dicit τȣ̃ Κιμμερικȣ̃ καλȣμένȣ Βοσπόρȣ πέρας, *terminum Boſpori, qui Cimmerius adpellatur.* Iuxta hanc eſt εὐμεγέθη λίμνη, *iuſtæ magnitudinis lacus*, qui decem a pago ſtadiis in Pontum effluit: idemque partem amnis Ἀντικείτȣ, *Anticetæ* recipit, quem alii *Hypanin* vocant, & gemino oſtio exire dicunt, altero in Mæotin paludem, altero in Pontum Euxinum. Hoc præter Strabonem etiam Stephanus ex Alexandro Polyhiſtore refert. Quo fieri neceſſe eſt, vt parua inſula inter Boſporum, Pontum, Mæotim & lacum Κυροκονδαμῆτιν, *Corocondametin* eiuſque eluuiones ſit. Plinius *peninſulam* vocat lib. VI cap. VI, ſequutus Melam lib. I cap. XIX. *Obliqua,* inquit, *regio, & in latum modice patens, inter Pontum paludemque ad Boſporum excurrit: quæ duobus alueis in lacum & in mare profluens Corocondamam peninſulam reddit.* Verius *inſulam* dixiſſet, vti Dionyſius verſ. 550 ἀπειρεσίην νῆσον, *immenſam inſulam* dixit; & Strabo quoque ante dicto loco.

II.

Oppida quatuor in ea poſuit Mela, *Hermonaſſam, Cepos, Phanagoriam,* & in ipſo ore *Cimmerium.* Corocondamæ rationem nullam habet, ſed

inſulæ id nomen dat: quæ vero ſi fuit oppidum, prope locum Hermonaſſæ fuiſſe neceſſe eſt, in auſtrali illius inſulæ parte. Dionyſius verſ. 552 ἐΰκτιτες Ἑρμώνασσα, *bene conſtructa Hermonaſſa.*

III.

Inde *Cepi* ſunt, Κῆποι, id eſt Horti, qui oppido videntur nomen dediſſe. Plinius, *Cepi Mileſiorum*, puta colonia. Diodorus lib. XX cap. XXIV φυγὼν εἰς τοὺς καλουμένους Κήπους, *fugiens in oppidum Cepos, vti adpellatur.* Strabo in vrbibus ἀξιολόγοις *memorabilibus* numerat, vt iam dicemus.

IV.

Supra Cepos ad Boſporum, paludem verſus, erat *Phanagoria*, vt Plinius & Mela & Ptolemæus nominant: ſiue Φαναγόρου πόλις, *vrbs Phanagoræ*, vt Scylax & Strabo dicto loco adpellauerunt: hic vero ibidem etiam: ἥ τε Φαναγορία ἐστι πόλις ἀξιόλογος, καὶ Κῆποι, καὶ Ἑρμώνασσα, *Phanagoria eſt memorabilis vrbs, & Cepi, & Hermonaſſa.* Apud Dionyſium eſt Φαιναγόρη, *Phænagora*, credo metri cauſſa: quia ceteri conſtanter *Phanagoria*, ſine diphthongo. Apud hanc vrbem eſt fanum *Veneris* τῆς Ἀπατούρου, *Apaturæ*, id eſt doloſæ, ab ἀπάτη: quia dolo ibi gigantes auxilio Herculis fingitur occidiſſe. Plinius *Phanagoria, & pæne deſertum Apaturos.* Idem inter Cepos & Phanagoriam interponit *Stratocleam* ad Boſporum.

V.

Vt autem Hermonaſſa in ipſo aditu Boſpori iuxta Pontum eſt: ita vltimo in oſtio ad paludem Mæotin fuit *Cimmerium*, Plinio ſic diſtribuente; ſiue, vt Mela ait, in ipſo ore, puta Mæotidos. Ab hoc oppido Boſporus ille cognominatus eſt *Cimmerius.* Ptolemæus hic Κιμμέριον ἄκρον, *Cimmerium promontorium* poſuit. Populus Κιμμέριοι ſiue Κιμμερικοὶ, *Cimmerii*, quos potentes quondam in Boſporo fuiſſe, & Aſiam vsque Ioniam vaſtaſſe, Strabo refert.

VI.

Extra inſulam, quam lacus cum Hypani fluuio facit, eſt *Sindica* terra, culta ab *Sindis* ſiue *Sindonibus.* Strabo ibidem: Τῶν Μαιωτῶν εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σίνδοι, *De Mæotis Sindi ſunt*, & ceteri. Mela dicto loco: *in confinio Mæotidis Sindones:* & mox: *Sindos in Sindonum* [regione] *ab ipſis terrarum cultoribus condita eſt.* Male in Scylacis Periplo Σιντοὶ per τ ſcribuntur: quia ſtatim ſequitur Σινδικὸς λιμὴν, *Sindicus portus*, per δ, quod vitium prioris coarguit. Ipſa inſula, quam deſcripſimus, fuit Sindorum ſiue Sindonum. Oppidum vero illorum *Sindos*, vt Mela modo nominauit: Plinio lib. VI cap. V ciuitas *Sindica*; Ptolemæo Σίνδα κώμη, *Sinda vicus:* Straboni Σινδικὸς λιμὴν καὶ πόλις, *Sindicus portus & oppidum.* Regio dicitur *Sindica.* Strabo dicto loco: αἱ πόλεις πέραν Ὑπάνιος ἐν τῇ Σινδικῇ, *oppida trans Hypanim in Sindica.*

VII.

Antequam in ora Ponti progrediamur, qui ſupra Sindos *Mæotæ*, ſiue gentes *Mæoticæ* fuerunt, perluſtrabimus. Strabo dicit eodem loco: *De Mæotis ſunt Sindi, Dandarii, Toreatæ, Agri, Arrichi: ad hæc* Τάρπητες, *Tarpetes, Obidiaceni,*

diaceni, Sittaceni, Doſci, alii plures: nec non Aſpungitani inter Phanagoriam habitantes & Gorgippiam habitantes per ↄ *ſtadia.* Pomponio Melæ ſunt *Toretæ*, haud dubie iidem, qui *Toreatæ*, extra Mæotidis confinium, & vlteriores Sindonibus.

VIII.

Ptolemæus lib. v cap. ix ad Tanain, prope oſtia, oppidum eodem nomine *Tanain* poſuit, quod & Stephanus ex Alexandro Polyhiſtore, nec non ipſo Strabone (lib. vii) memorat, & πόλιν Ἑλληνικὴν, *vrbem Græcam*, & emporium dicit; ferme in loco, vbi nunc Aſof eſt. Inde per latus Mæotidos orientale perſecutus, miſſis obſcuris & varia lectione laborantibus, Ptolemæus narrauit poſt oſtia *Paniardin* oppidum. *Rhombitæ maioris & minoris* [Ῥομβείτου μεγάλου, μικροῦ] oſtia: & inter vtrumque oſtium *Azaram* oppidum. Deinde *Tyramben* oppidum, *Atticitæ* fluuii oſtia; *Geraſam* oppidum, & *Pſatis* oſtia: dein *Vardani* oſtia, *Cimmerium* promontorium. Strabo lib. xi pag. 340 etiam vtrumque *Rhombiten* narrat disiunctos ↄ ccc ſtadiis: & a minore per ↄ c ſtadia *Tyrambam*, & flumen *Anticitam*, Ptolemæi Atticiten. & a cxx ſtadiis κώμην τὴν Κιμβρικὴν, *Pagum Cimbricum*, ἀφετήριον τοῖς τὴν λίμνην πλέουσιν, *vbi naues ſoluunt paludem nauigantes.*

IX.

Confuſa ſunt hæc flumina, & videtur Ptolemæus Atticitam ſiue Anticitam, vt Strabo vocat, cum Vardano permutaſſe. Nam ſi pars Anticitæ lacum Corocondamenſem perfluit, & inſulam Sindorum facit, vt Strabo tradit; vltimus is ad auſtrum eſt fluuius Mæoticus, quem perperam Ptolemæus ſupra Vardanum & Pſatin poſuit. Clare Strabo pag. 341 *In lacum hunc* [Corocondametin] ἐμβάλλει ἀπόρρωξ τις τοῦ Ἀντικείτου ποταμοῦ, *influit pars quædam Anticitæ fluminis, & facit inſulam, concluſam lacu hoc, & Mæotide, & flumine.*

X.

Ab Sindis orientem verſus in litore ſunt τὰ Βάτα, *Bata*, vicus & portus, Sinopenſi oppoſitus, cccc ſtadiis a portu Sindico. A Batis Artemidorus τὴν Κερκετῶν παραλίαν, *Cercetarum maritimam oram* recenſet, portus & pagos habentem, tum *Achæorum:* inde *Heniochorum:* poſt *Pityunta magnum* vſque ad *Dioſcuriadem.* Qui vero Mithridatis res ſcripſerunt, primos in hoc tractu a Sindis *Achæos* ponunt, deinde *Zygos, Heniochos, Cercetas, Moſchos, Colchos.* Hæc Strabo, cui poſterior ordo harum gentium veriſimilior, quam ille Artemidori videtur. Ptolemæus *Achæos* Boſporo viciniores ſtatuit: poſtea *Cercetas*, dein *Heniochos;* tandem *Suenochalcos.* Arrianus in Ponti Periplo etiam *Achaiam veterem*, vt vocat, propiorem Sindicæ poſuit.

XI.

Oppida in Ponti ora Ptolemæus poſt *Sindicum* portum, & *Sindam* (quæ ſeparat, & Sindam intus ponit) recitat *Bata oppidum* Latina verſione, quod vero in Græco non apparet: deinde eſt Ἀχαΐα κώμη, *Achæa vicus:* item,

Cerceti-

Cerceticus portus & *Tazos* oppidum in *Cercetis:* & in *Heniochorum* populo *Ampſalis*, oppidum: &, interlabente *Burca* fluuio, *Oenanthia:* & in *Suanocolchis* (ſic legendi ſunt quos Σανοκόλχους vocauit; *Suani* enim in hoc tractu ſunt Plinio) Καρτερὸν τεῖχος, *Validus Murus:* & tum *Corax* fluuius, vbi initium eſt Colchorum. De *Suanis* addo Plinii teſtimonium lib. VI cap. IV *Gens Salæ, antiquis Phthirophagi dicti; & Suani. Flumen Cobum e Caucaſo per Suanos fluens.* De nomine *Heniochorum*, Solinus cap. XV & Ammianus lib. XXII cap. XV tradunt ex fabulis, a Caſtoris & Pollucis ἡνιόχοις, id eſt aurigis eſſe, qui & gentem illam & vrbem Dioſcuriadem condiderint.

XII.

Poſt Heniochos Scylaci Κοραξοὶ ἔθνος, *gens Coraxorum* eſt: * deinde *Corica*, ſiue, vt Voſſius emendat, *Colica* gens: vltra quam *Melanchlænos* ponit: dein *Gelonos:* tum demum *Colchos*. Et Plinius de his lib. VI cap. V, ſed ſine ordine: *Ponti regio Colica, in qua iuga Caucaſi ad Riphæos montes torquentur: - - - reliqua litora feræ nationes tenent, Melanchlæni, Coraxi vrbe Colchorum Dioſcuriade.* Stephano etiam ſunt Κῶλοι, *Coli*, gens ſub Caucaſo, & ὑπώρειαι τοῦ Καυκάσου καλοῦνται Κωλικὰ ὄρη, ἡ χώρα, Κωλική, *radices Caucaſi vocantur Colici montes: regio, Colica.* Idem Κοραξοὶ, ἔθνος Κόλχων, πλησίον Κώλων, *Coraxi, gens Colchica, vicina Colorum.*

XIII.

Mediterranea Boſporanorum, etiam laxe dictorum & ſupra Pontum longe procurrentium (nam nomen etiam iis datur, qui Boſporanis ſubiecti erant) admodum obſcura ſunt: & vel nihil Ptolemæus memorat, vel ignobilia nomina, *Scopelus*, *Cucunda*, & ſi quæ alia. Mæoticis ab oriente adponit *Iaxamatas*, prope Tanaim: *Pſeſſios*, *Themæotas*, *Tyrambas*, *Arichos*, e quibus *Arichi* ſiue *Arrichi* in has gentes maxime in auſtrum vergunt, a Strabone etiam Mæoticis adnumerati, ſcriptique Ἀῤῥιχοί: ceteri ignotiores ſunt. De Mæotide & Tanai dictum in Europa: de Caucaſo monte, qui has gentes ex parte tangit, dicemus in Iberia: de Sarmatis Aſiaticis ſiue Scythis, infra ſingulari capite: nunc Boſporani potiſſimum & Pontici populi nobis curæ ſunt.

XIV.

Boſporani, vt diximus, proprie ſunt Bosporum accolentes: laxa notione autem plures, inde Colchidem verſus habitantes, præſertim qui regulis Bosporanis paruerunt. Hi vero Aſiatici cognominati erant: diſtincti ab Europæis Boſporanis. Strabo ita diſcreuit & Boſporanos vniuerſos ita deſcripſit lib. XI pag. 341 *Reliqua ad dextram, trans Hypanim ſita ſunt in Sindica. Eſt & Gorgippia, & Sindicorum regia vicina mari, & Aborace.* Τοῖς δὲ τοῦ Βοσπόρου δυνάσταις ὑπήκοοι ὄντες ἅπαντες Βοσπορανοὶ καλοῦνται· καὶ ἔστι τῶν μὲν Εὐρωπαίων Βοσπορανῶν μητρόπολις τὸ Παντικάπαιον· τῶν δ' Ἀσιανῶν τοῦ Φαναγόρου· καλεῖται γὰρ οὕτως ἡ πόλις. *Qui vero Boſpori regulis parent, omnes Boſ-*
porani

* Apud hos Coraxos eſt effluxus maris illius, *circa Profunda Ponti*, vt adpellantur. Ariſtotel. Meteorol. I c. 13 extrem.

porani dicuntur. Caput Europæorum Boſporanorum eſt Panticapæum: Aſianorum, Phanagori vrbs. nam & ſic vocatur, quæ alioqui dicitur Phanagoria. Aſiaticis Boſporanis Mithridates imperauit, ſaltem ex parte: ceteris, & Europæis ſe bellum illaturum ſimulauit, vt Romanos falleret. Cicero pro Lege Manilia cap IV *poſteaquam exercitus permagnos, quibuscumque ex gentibus potuiſſet, comparaſſet, & ſe Boſporanis, finitimis ſuis, bellum inferre ſimulaſſet, vsque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit.*

COLCHIS PROPRIA.

XV.

Colchi ab ortu accolunt Euxinum Pontum: & regio Κολχὶς, *Colchis;* ſed non iidem apud omnes eius termini. Strabo lib. XII p. 378 initium facit a Trapezunte, vt ſupra in Ponto expoſuimus. In enarratione enim Ponticarum vrbium ait, ἡ Τραπεζȣ̃ς· εἶθ' ἡ Κολχὶς, *Trapezus; deinde Colchis.* Ptolemæus autem vſque ad Phaſin extendit Pontum prouinciam; ſaltem Ponto Cappadocio adnectit. In ſeptemtrionali limite maior conſenſus eſt. Ptolemæus lib. V cap. IX poſt Coracem fluuium ſcripſit, ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν πλευρὰν τῆς Κολχίδος πέρας, *hinc terminus eſt ad latus Colchidis.* * Strabo lib. XI pag. 342 *deſinit ora Pontica* [ex Boſporanis ducta] πρὸς τὸν Πιτυȣ̃ντα καὶ τὴν Διοσκȣριάδα· ταῦτα γὰρ τὰ χωρία συνάπτει τῆς Κολχίδος τῇ λεχθήσῃ παραλίᾳ. *ad Pityuntem & Dioſcuriadem: quæ Colchidis dictam oram attingunt.* In vtroque principe geographo adquieſcemus: quamuis quidam vltra hunc terminum videantur Colchidem prorogare.

XVI.

Initium ergo ſecundum Strabonem eſt Πιτυȣ̃ς, *Pityûs*, quem ibidem Strabo etiam τὸν Πιτυȣ̃ντα τὸν μέγαν, *Pityuntem magnum* dixit, frequentem haud dubie vrbem & emporium. Diſtare dicit a Dioſcuriade CCCLX ſtadiis: Arrianus autem tantum CCCL. Sic itaque in extremo limite Colchidis, ac prope extra illum, hæc vrbs *Pityûs* ſita fuit, ideoque Strabo dixit συνάπτειν τῆς Κολχίδος παραλίαν, *contingere Colchorum maritimam oram.* Plinius lib. VI cap. V. *In intimo eo tractu Pityûs oppidum opulentiſſimum ab Heniochis direptum eſt.* id eſt, in intimo receſſu maris Pontici. Theodoritus lib. V Hiſt. eccleſ. cap. XXXIV εἰς Πιτυȣ̃ντα μετῴκισαν. τέρμα δὲ τȣ̃το καὶ τȣ̃ Πόντȣ καὶ τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας, τοῖς ὠμοτάτοις γειτονεῦον βαρβάροις, *Pityuntem transportarunt: quod oppidum terminus & Ponti eſt & imperii Romani, immaniſſimis vicinum barbaris.* Munitum erat operibus & præſidiis, vt decet oppidum limitaneum: ideoque Φρȣ́ριον dictum Procopio, quamuis iſto tempore vrbs ita decreuerat, vt imperator Nouellæ XXVIII præfatione cenſeat: *Pityûs & Sebaſtopolis inter caſtra potius, quam vrbes numerandæ ſunt.*

* Nonnus Dionyſiac. XIII verſ. 248 pag. 366

Ξηνοφόνων σοφὸς (Ἀςέριος) ἦλθεν ἐς ἔθνεα βάρβαρα Κόλχων,
Ἀςερίȣς τ' ἐκάλεσσε, καὶ ὤπασεν ȣ̃νομα Κόλχων
Κρητικόν. κ. τ. λ.

ſunt. Procopius lib. IV B. Goth. cap. IV Φρούρια τε δειμάμενοι ἐπιθαλασσίδια δύο, Σεβαστόπολιν καὶ Πιτυοῦντα, δυεῖν ἡμέραιν ὁδῷ ἀλλήλοιν διέχοντα, φρουρὰν ἐνταῦθα στρατιωτῶν τὸ ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο, *Et in litore duo caſtella* [Romani] *condiderunt, bidui diſtantia itinere, Sebaſtopolim & Pityunta, in quibus antiquitus præſidia conſtituerunt.* Eius præſidii etiam meminit Zoſimus lib. I cap. XXXII τοῖς ἐν τῷ Πιτυοῦντι στρατιώταις, *militibus, qui Pityunte erant.*

XVII.

Inde orientem verſus per CCCLX, aut CCCL ſtadia *Dioſcuriadem* itur, vti ex Strabone & Arriano iam monſtrauimus. Græci per diphthongum ου ſcribunt Διοσκουριάς, Scylax, Strabo, Ptolemæus, Arrianus: etiam Plinius; & Mela Schotti ac Voſſii editionibus: Gronouiana autem, & Solinus Salmaſii, *Dioſcorias.* Originem nominis pandit idem Mela I cap. XIX *In Heniochorum finibus Dioſcurias, a Caſtore & Polluce Pontum cum Iaſone ingreſſis condita eſt.* Ammianus XXII cap. XV, & Iſidorus Orig. XV cap. I alios auctores nominant, Amphitum & Cercium, aurigas Caſtoris & Pollucis: a quibus Heniochorum gentem adpellatam etiam Strabo dicto loco tradit. Adde Plinium lib. VI cap. V. Sed vtrumque eſt ex fabulis, & nomina ad fabulas conficta & adplicata videntur. Arrianus Ponti periplo dicit nomen poſtea in Sebaſtopolis mutatum eſſe. *a Trapezunte,* inquit, *ad Dioſcuriadem* τὴν νῦν Σεβαστήπολιν καλουμένην, *quæ nunc Sebaſtopolis vocatur, ſunt ſtadia* MMCCLX. Ptolemæus quoque lib. V cap. X in Colchide: Διοσκουριὰς ἡ καὶ Σεβαστόπολις, *Dioſcurias, quæ & Sebaſtopolis:* quamquam poſteriora verba abſunt a Palatino codice. Stephanus, Ἔστι καὶ ἑτέρα [Διοσκουριὰς] περὶ τὸν Πόντον, ἥ τις Σεβαστόπολις καλεῖται, *Eſt & alia Dioſcurias circa Pontum, quæ Sebaſtopolis adpellatur.* Plinius autem diſtinguit Sebaſtopolim a Dioſcuriade. Lib. VI cap. IV ait: *Gens Abſidæ, caſtellum Sebaſtopolis, a Phaſide centum* M. P. Et cap. V *Coraxi vrbe Colchorum Dioſcuriade iuxta fluuium Anthemunta, nunc deſerta: quondam adeo clara, vt Timoſthenes in eam* CCC *nationes diſſimilibus linguis deſcendere prodiderit: & poſtea a noſtris* CXXX *interpretibus negotia ibi geſta. Sunt qui conditam eam ab Amphito & Telchio, Caſtoris & Pollucis aurigis putent, a quibus ortam Heniochorum gentem feram conſtat. A Dioſcuriade oppidum Heracleum: diſtat a Sebaſtopoli* LXX. M. *paſſuum.* Obſcure dictum. Aut enim *Heracleum* tanto interuallo diſtat a Sebaſtopoli, aut ipſa Dioſcurias; a qua conditum Heracleum. Sed quisquis ſenſus eſt Plinii, errat, ſi LXX millibus paſſuum Sebaſtopolim remouit a Dioſcuriade. Eſto fuiſſe diſtincta & Sebaſtopolim tamquam caſtellum ſuperadditam vrbi Dioſcuriadi; tamen coniuncta proxime fuiſſe neceſſe omnino eſt. Procopius enim verbis ſupra prolatis dixit Sebaſtopolim itinere bidui diſtare a Pityunte: at idem ſpatium tam Strabo, quam Arrianus, dixerunt inter Pityuntem & Dioſcuriadem eſſe, ille CCCLX, hic CCCL ſtadia: id eſt quadraginta circiter & tria ſiue quinque millia paſſuum, quod cum bidui itinere conuenit. Quod ſi ergo Dioſcurias deſerta fuit ætate Plinii, vel caſu fortunæ quodam, vel exhauſta ab addito nouo caſtello; mirum non eſt, quod Arrianus & Stephanus, & forte etiam Ptolemæus,

mæus, eamdem putarunt Dioſcuriadem & Sepaſtopolim eſſe, præſertim poſtquam euerſa Dioſcurias eſſet, & Sebaſtopolis in illius quaſi locum ſucceſſiſſet. Ammianus autem vſus eſt veteri nomine, ſicut nouo poſteriores ceteri: & vnius tantum ſinguli, præter Plinium, mentionem ſub alterutro nomine faciunt, quod etiam Arriani & Stephani opinionem non leviter confirmat.

XVIII.

Dioſcurias eſt vltimum Ponti punctum in linea, qua ille orientem verſus procurrit: & initium eſt iſthmi Euxino & Caſpio mari interiecti. Vtrumque Strabo obſeruauit pag. 343. A Dioſcuriade flectitur Pontus in auſtrum: in quo tractu Ptolemæo primus eſt fluuius *Hippus*: Arrianus *Aſtelephum* interponit. Ptolemæus deinde *Neapolim* habet, ignotam aliis; & *Cyaneum* flumen, Arrianus *Tarſuram*; *Singamum*, *Chobum*, Χῶβον. Sed alium illum *Hippum* oportet eſſe, quam qui a Strabone pag. 343 & Plinio influens in Phaſin deſcribitur. *Cobum* Plinius ſine adſpiratione ſcribit, & e Caucaſo per Suanos deducit. Memorat etiam ceteros Arriani, caſu paullisper aliter inflexos. *Amnes*, inquit, *Singames*, *Tarſuras*, *Aſtelephas*, *Chryſorrhoas*. Tum Ptolemæo proxime ante Phaſin eſt fluuius *Chariſtus*; Arriano, *Charieis*, Χαρίεις, εντος; Plinio *flumen Charien*, XC ſtadiis a Phaſi.

XIX.

Oppida inter hos fluuios Ptolemæi ſunt obſcura, etiam nomine incerta. De *Neapoli* diximus: deinde eſt in vulgari Græco Γιγάνεον, in Palatino Σιγάνεον, Verſione *Tiganeum*: & *Thiapolis*, Palat. Αἰάπολις, *Aeapolis*: vtrumque inter Cyaneum & Chariſtum: ſed incertum ſcripturæ eſt argumentum obſcuritatis. *Aea*, Αἶα, laudatur a Plinio & Stephano, ſed diſſentientibus in ſitu: ille enim XV M. P. reducit a mari; hic ſtadiis trecentis, vt dubitare poſſis ſitne maritima Ptolemæi Aeapolis. Meminit vrbis *Aeæ* etiam Apollonius lib. II verſ. 424, & 1096, ſed de ſitu nihil certi prodit, niſi quod potuerit adnauigari. ibi enim πλόον ἐξ Αἴης, *nauigationem ex Aea* dixit: hic, ἐξ Αἴης ἐνέοντο, *ex Aea nauigabant*. Plinius cum iis coniungit, quæ ad ripam Phaſidis ſita erant. *Oppida*, inquit, *in ripis habuit complura celeberrima, Tyndarida, Circæum, Cygnum, & in faucibus Phaſin. Maxime autem inclaruit Aea*, XV *millibus paſſuum a mari*. Ex his ſimul alia mediterranea, quæ circa Phaſin ſunt, cognoſcimus, ſi modo certa ſint ea nomina, nec ab Harduino in Plinium ingeſta, qui Periegetam auxilio vocat, cui v. 698 circa Phaſin

- - - - κατὰ χθόνα Τυνδαριδάων
Κόλχοι ναιετάουσιν·

iuxta terram Tyndaridarum Colchi habitant: & mox verſ. 692

Κιρκαίου κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο,

Circæi per dorſum ſe voluens campi. Nec *Cygnum* certius, quod quibusdam duplex videtur Plinius ſtatuiſſe, hoc ad ripam Phaſidis: aliud, extremo cap. IV, *Cygnus flumen & oppidum*: quod longe ab illo in ſeptemtrionem videtur reductum eſſe.

XX.

Phaſis * fluuius Colchicorum maximus. Strabo xi pag. 343 *Reliqua Colchis maiore ſui parte imminet mari. Perfluit eam* φᾶσις μέγας ποταμὸς, *Phaſis magnus fluuius, ex Armenia ortus, Glaucum & Hippum recipiens, a vicinis profluentes montibus.* - - - *Impoſita eſt Phaſidi vrbs eiusdem nominis,* ἐμπορεῖον τῶν Κόλχων, *Colchorum emporium, ab vna parte fluuio, ab altera lacu, a tertia mari cincta.* Plinius lib. vi cap. iv *Clariſſimus Ponti* [fluuius] *Phaſis. Oritur in Moſchis: nauigatur, quamlibet magnis nauigiis,* xxxviii mio *paſſuum: inde minoribus longo ſpatio: pontibus* cxx *peruius. Oppida in ripis habuit complura: celeberrima, Tyndarida, Circæum, Cygnum, & in faucibus Phaſin. Maxime autem inclaruit Aea,* xv *millibus paſſuum a mari, vbi Hippos & Cyaneos, vaſti amnes, e diuerſo in eum confluunt.* Quem *Cyaneum* amnem vocat, Straboni eſt Γλαῦκος, *Glaucus.* Pomponius lib. i cap. xix *Hic Colchi; hic Phaſis erumpit; hic eodem nomine, quo amnis eſt, a Themiſtagora Mileſio deductum oppidum: hic Phryxi templum, & lucus fabula vetere pellis aureæ nobilis.* Græca ergo vrbs Phaſis, & Scylaci quoque Φᾶσις Ἑλληνὶς πόλις.

XXI.

Mediterraneis ad Phaſidis ripas vrbibus, quas Plinius ſupra recenſuit, adnumeranda etiam eſt Κύτα, *Cyta,* patria Medeæ. Stephanus: Κύτα πόλις Κολχική, πατρὶς Μηδείας, *Cyta vrbs Colchica, patria Medeæ.* Ex quo Voſſius emendat Scylacem, in cuius libris legitur καὶ ἀνάπλους ἀνὰ τὸν ποταμὸν ϛαδίων ρπ΄, εἰς πόλιν Μάλην μεγάλην βάρβαρον, ὅθεν ἡ Μήδεια ἦν, *& nauigatio aduerſo flumine* [Phaſide] *eſt ſtadiorum* clxxx *ad Malam ciuitatem barbaram, vnde erat Medea,* ad *Cytam,* Κύτην, legi vult Voſſius. Satis id de patria etiam poetæ confirmant, quibus *Cytæis* dicta fuit Medea. Sic Scaliger emendat Propertium lib. i eleg. i

- - - - - *& ſidera & amnes*
Poſſe, Cytæi, tuis ducere carminibus:

pro eo, quod vulgo legebatur *Cytæinis* carminibus. Et *Cytæa* terra, Colchis. Valerius Flaccus lib. vi verſ. 693

Tum iuuenem terris Parcæ tenuere Cytæis.

XXII.

Fuit etiam ad Phaſim caſtellum *Sarapana,* ad quod vsque flumen nauigabile eſt. Strabo iam dicto loco: ἀναπλεῖται μέχρι Σαραπανῶν, ἐρύματος δυναμένου δέξασθαι καὶ πόλεως συνοικισμόν, *Surſum nauigatur* [Phaſis] *vsque ad Sarapana, quod caſtellum eſt ita capax, vt oppidum in eo poſſit eſſe.*

XXIII.

Venimus nunc ad tractum, qui inter Phaſim eſt & Trapezuntem. Ptolemæus hic nihil admodum memorabile habet. Poſt Phaſim in ora ponit *Opiuntem,* quæ in Palatino eſt Πιτίουσα, vnde *Pityûs* legendum coniectatur;

* Hippocrates de acribus aquis & locis cap. 37 pag. 349 Αὐτός τε ὁ Φᾶσις ϛασιμώτατος πάντων τῶν ποταμῶν καὶ ῥέων ἠπιώτατα.

ieƈtatur; ſed alius a ſuperiore: inde eſt *Chordyle, Morthula, Xyline,* obſcura oppida: *Ciſſæ* fluuii oſtia, *Apſorri* oſtia: tandem *Sebaſtopolis.*

2. Arrianus autem hoc ordine, quæ inter Phaſim & Trapezuntem ſunt, expoſuit: Stadiis CX a Phaſi eſt *Mogrus*, etiam nauigabilis, inde flumina *Iſis*, *Acinaſis*, *Bathys*, ſingula CX etiam ſtadiis a proximo remota: poſt LXX *Acampſis:* poſt XV *Apſarus*, qui Ptolemæi Apſorrus eſt; Plinii *Apſarus.* Ab Apſaro proximus fluuius *Archabis:* dein *Pyxites*, cuius & Plinius meminit, XC ſtadiis: & totidem *Prytanis*, vbi Anchiali regia: deinde *Athenæ;* quas Stephanus χωρίον *locum*, non πόλιν vocat, quod exiguvm videtur oppidum, vel vicus etiam, fuiſſe. Inde ſtadiis diſtinguit flumina: ab Athenis CLXXX *Adienum:* breuiori interuallo *Aſcurum* eſt: inde *Rhizium:* poſt quod *Calum, Pſychrum Ophis:* inde per XC ſtadia *Hyſſus* portus & amnis, a Trapezunte diſtans ſtadiis CLXXX.

3. Plinius de his ita lib. VI cap. IV *In ora ante Trapezunta flumen Pyxites: vltra vero gens Sannorum Heniochorum. Flumen Abſarum cum caſtello cognomine in faucibus, a Trapezunte* CXL *millia paſſuum. Eius loci a tergo montium Iberia eſt: in ora vero Heniochi, Ampreutæ, Lazi. Flumina, Acampſis, Iſis, Mogrus, Bathys. Gentes Colchorum. Oppidum Matium, flumen Heracleum, & promontorium eodem nomine, clariſſimusque Ponti Phaſis.* Confuſe hæc ponuntur. *Pyxiten* fluuium non ita vicinum Trapezunti eſſe, vt Plinii verba tradunt, ex Arriani iam deſcriptione cognouimus. *Abſari* ſiue *Apſari* diſtantia ab eadem vrbe cum Ptolemæi menſura fere congruit. *Heniochos* diſtinguit vt diuerſas gentes, nec vnius loci: ſupra etiam remotiores alios vltra Phaſim & vltra Colchorum limitem in tergo Ponti vidimus; & hi proprie *Heniochi* inter Dioſcuriadem & Boſporum. *Ampreutæ* ignoti, niſi, quod Harduino videtur, *Zydretæ* Arriani fuerunt. quos circa eumdem locum poſuit. *Lazi* notiores, Ptolemæi Λάζαι, *Lazæ,* ἐπὶ θαλάττῃ τῆς Κολχίδος, *in Colchidis ora maritima* habitantes. Videntur a Boſporo huc veniſſe. Arrianus enim παλαιὰν Λαζικὴν, *veterem Lazicam* cum Achæis coniungit: hos vero cum Sindis, qui Boſporum attingunt. Et paullo ante, Colchidos populos enarrans, in auſtrali parte ponit *Machelones;* deinde *Heniochos:* poſt quos, *Zydretas:* vltra hos, *Lazos;* dein ſunt *Apſilæ* & *Abaſgi*, qui tres populi etiam præfatione Nouellæ XXVIII memorantur. Sed tum Lazi amplius habitabant, in Colchorum ferme nomen ſuccedentes. Procopius lib. II Perſ. B. cap. XV Λαζοὶ τὰ πρῶτα τὴν Κολχίδα ᾤκουν, *Lazi principio Colchidem incolebant :* Iuſtiniani autem ætate latius in mediterraneis ad Iberiæ fines habitarunt, quorum metropolis *Archæopolis* dicta, cuius idem ſitum lib. IV Goth. cap. XIII & ſeq. deſcripſit. In extrema Colchide, Iberiam verſus, fuit *Rhodopolis*, quam Lazi euerterunt, quod idem Procopius dicto lib. IV Goth. cap. XIII notauit. Idem cap. I eiusdem libri : *Fieri non poteſt, Colchos non ipſos Lazos eſſe, quia hi circa Phaſim habitant :* τὸ δὲ ὄνομα μόνον οἱ Κόλχοι τανῦν ἐς τὸ Λαζῶν μεταβέβληνται, *ſolum nomen* COLCHI *nunc in Lazorum commutatum eſt.* Sed de his plura in Geographia Medii Aeui.

XXIV.

Tandem etiam Ptolemæi mediterranea, quæ Colchis adſignauit, ſunt perluſtranda. Sunt autem fere omnia longius a mari reducta, propiora finibus Iberiæ. In ſeptemtrione eſt *Mechleſſus*: deinde auſtrum verſus *Madia*; poſt *Sarace*; hinc longius in auſtrum vergit *Surium*: denique *Zadris* eſt. Sed obſcura omnia, neque ab aliis memorata: niſi *Madia* forſan, vt nonnullis videtur, eſt Plinii *Matium*, de quo ſupra diximus. Sed videtur Plinius ibi oram magis maris Pontici, quam fines Colchorum ad Iberiam deſcripſiſſe.

CAPVT X

DE

IBERIA ET ALBANIA.

I.

COlchidi proxima ab ortu eſt *Iberia*, Ἰϐηρία, cuius incolæ Ἴϐηρες Straboni, Stephano, Plutarcho dicti: Latine *Ibêres* & *Ibêri*. Mela lib. I cap. II *Caduſii, Hyrcani, Iberes*: & lib. III cap. V *per Iberas & Hyrcanos*. Plinius lib. VI cap. X *gens Iberum*. At Tacitus lib. VI cap. XXXIII *ſimul Iberi magnis copiis Armeniam irrumpunt*: & mox, *Iberi locorum potentes*: & Florus lib. III cap. V *Arthoces Iberis imperabat*. Poſſeſſiuum *Ibericus*. Plutarchus Pompeio pag. 637 de Cyro fluuio: ἐκ τῶν Ἰϐηρικῶν ὀρῶν ἀνιςάμενος, *ex Ibericis montibus oritur*. Communis itaque adpellatio huius regionis & gentis eſt cum Græco vocabulo Hiſpaniæ & Hiſpanorum.

II.

Tota Iberia eſt mediterranea, ab occaſu Colchidem habens & regionis Ponti partem: a ſeptemtrione Caucaſum montem: ab ortu Albaniam: a meridie Armeniam magnam. Hos limites Ptolemæus lib. V cap. XI deſignauit. Vndique montibus circumuallata eſt: ſaltem plurima ex parte. Strabo lib. XI pag. 344 τῆς δὲ χώρας τὰ μὲν κύκλῳ τοῖς Καυκασίοις ὄρεσι περιέχεται· προπεπτώκασι γὰρ ἀγκῶνες ἐπὶ τὴν μεσημϐρίαν εὔκαρποι, περιλαμϐάνοντες τὴν σύμπασαν Ἰϐηρίαν, καὶ συνάπτοντες πρός τε τὴν Ἀρμενίαν καὶ Κολχίδα, *Quæ eius regionis ſunt* [Iberiæ puta] *Caucaſiis montibus includuntur. Procurrunt enim* [ex Caucaſo] *flexi montes, quaſi cubiti, bene fertiles, univerſam cingentes Iberiam, & pertinentes ad Armeniam & Colchidem.* Hac ex parte montes vocantur *Moſchici*. Plutarchus dicto loco in Pompeio: Ἴϐηρες ἐπὶ τὰ Μοσχικὰ ὄρη καὶ τὸν Πόντον καθήκοντες, *Iberes ad Moſchicos montes & ad regionem Pontum pertingunt*. nam Pontus Cappadocius & Iberia & Colchis ac Armenia communes limites habent. Hos propter montes, per quos anguſti aditus patebant, munitiſſima eſt Iberia: ideoque Tacitus annali VI cap. XXXIII dixit: *Hiberi locorum potentes*. nam & *Hiberi* ſcribitur perinde, vt etiam Hiſpani *Iberi* & *Hiberi*.

III.

III.

Flumina multa planiciem illam (*πεδίον* Strabo dixit) quæ intra montes eſt, irrigant: maximus autem illorum eſt *Cyrus*, quem Κύρνον, *Cyrnum* Plutarchus dixit; Ptolemæus Κύῤῥον, *Cyrrhum.* Strabo: *ἐν μέσῳ πεδίον ποταμοῖς διάῤῥυτον, μεγίςῳ δὲ τῷ Κύρῳ, in medio* (intra montes) *campus eſt fluuiis irriguus, quorum maximus Cyrus eſt.* Addit in Armenia oriri, adſumtoque *Arragone*, ex Caucaſo defluente, per anguſtum alueum in Albaniam infundi. Plutarchus, vt ſupra recitauimus, ex *Ibericis montibus* oriri ait: quod eſt, ex montibus, qui Armeniam ſeparant ab Iberia. Plinius etiam *Cyrus* ſcripſit, vt Strabo, additque alium amnem *Iberum* nomine. *Armenochalybes*, inquit lib. VI cap. X, *habitant & Moſchorum tractus ad Iberum amnem in Cyrum defluentem.* Quem vero *Arragonem* ex Caucaſo Strabo deriuat, poſt paullo vocat Ἄραγον, *Aragum*, quum dicit ἐπὶ τȣ̃ Αραγȣ̃, & ἐπὶ τῷ Αραγῷ, *ad Aragum, ſuper Aragum*, eumque & Cyrum *συμπεσεῖν, confluere.* De Cyri oſtiis, duodecim numero, in Albania agemus, quam regionem percurrit, antequam Caſpio ſe mari infundat. Cetera flumina haud ſunt nominata.

IV.

Oppida Iberiæ Ptolemæo, a ſeptemtrione in auſtrum progredienti, hæc ſunt. Νούβιον, *Nubium*, ſed hoc tantum *κώμη*, vicus: *Aginna* ad Colchorum limitem: & inde in ortum ſolis *Vaſæda:* ac rurſus in meridiem *Varica*, *Sura*, *Artaniſſa Meſtleta*, & *Zaliſſa* ortum verſus: & *Armactica* ſive *Harmactica* ad fines Moſchorum reducta, quæ videtur pluribus *Harmaſtis* eſſe Plinii, quaſi in Ptolemæo forſan *Harmaſtica* legendum ſit. Ita enim Plinius lib. VI cap. X *Præualent oppida, Albaniæ Cabalaca; Iberiæ, Harmaſtis iuxta flumen; Neoris.* Quænam hæc *Neoris*, & vbi ſit, incertum. Harduinus ſuſpicatur eſſe Ptolemæi Varicam. Strabo tantum duo oppida nominat, ſed munita, etiam fluminibus. *Ab Armenia*, inquit, *anguſtiæ ſunt ad fluuios Cyrum & Aragum: qui πρὶν εἰς ἀλλήλȣς συμπεσεῖν, ἔχουσιν ἐπικειμένας πόλεις ἐρυμνὰς ἐπὶ πέτραις, prius, quam confluant, oppida munita impoſita habent, diſtantia inter ſe* XVI *ſtadiis*; & Cyro quidem τὴν Αρμοζικὴν, *Harmozicam*, quæ Caſaubono eſt ipſa Ptolemæi Harmactica; & ſuper Arago Σέυμαρα ſiue, vt in manuſcriptis eſt, Σευσάμορα, *Seumora* ſiue *Seuſamora.* Per hos aditus anguſtos primum Pompeium, deinde Canidium Baſſum intraſſe. Addendum oppidulum *Phrixi*, quod etiam *Ideeſſa* fuit adpellatum. Strabo de hoc lib. XI pag. 344 ἐςι καὶ πολίχνιον ἐν τῇ Ιϐηρίᾳ Φρίξου πόλις, ἡ νῦν Ιδείησσα, ἐυερκὲς χωρίον ἐν μεθορίοις τῆς Κολχίδος. *Oppidulum eſt in Iberia, Phrixi oppidum*, [quaſi Phrixopolis,] *quod nunc Ideeſſa dicitur, ſatis munitum in confinio Colchidis.* Idem lib. I pag. 31 ὑπόμνημα τὸ Φρύξιον, τὸ ἐν τοῖς μεθορίοις τῆς τε Κολχίδος καὶ τῆς Ιϐηρίας, *Phrixium monimentum in confinio Colchidis & Iberiæ.* Phrixus enim ante Argonautas in oras illas nauigaſſe traditur, vtroque loco Strabone referente.

V.

Regiones & populos ita hic notauit Plinius: *regio Thaſie, & Triare*

vsque

vsque ad Paryadras montes. Vltra ſunt Colchicæ ſolitudines, quarum a latere ad Ceraunios verſo, Armenochalybes habitant & Moſchorum tractus ad Iberum amnem in Cyrum defluentem: & infra eos Sacaſſani, & deinde Macrones ad flumen Abſarum. Sic plana & deuexa obtinentur. Rurſus ab Albaniæ confinio tota montium fronte gentes Syluorum feræ; & infra Lubienorum: mox Diduri & Sodii. Ex his Δίδουροι, *Diduri* etiam Ptolemæo cogniti lib. v cap. IX, in Sarmatia inter Caucaſum & Ceraunios poſiti.

VI.

Ex montibus *Paryadræ* montes Armeniæ ſunt, vbi perluſtrabimus. *Ceraunii* ſunt pars Caucaſi in Albania, vt Strabo deſignat. *Moſchi* populus ſunt inter Cappadociam, Colchos, Iberiam & Armeniam: a quibus dicti *Moſchici* montes, quos accolunt vel inhabitant, de quibus Strabo lib. I ſub finem, Iberiam ab Armenia ὁρίζειν, *ſeparare.* Etiam ad Cappadociam vsque procurrunt, eamque tam a Colchidis parte, quam ab Armenia minore & Iberia ſeiungunt, vt Strabo lib. v cap. XIII definiuit. Hos ſequutus Bochartus lib. III cap. XII de Moſchis ita & eorum montibus: *Moſchi habitant montes Moſchicos, qui Iberiam diuidunt ab Armenia, & vtramque a Colchide.* Non ergo Moſchi ſunt Moſſyni, cum quibus nonnulli confundunt: quos vero Herodotus lib. III cap. XCIV diſertis verbis ſeparauit. Regio vocatur Μοσχικὴ, *Moſchica.* Strabo pag. 344 ἡ Μοσχικὴ τριμερής ἐςι. τὸ μὲν γὰρ ἔχουσιν αὐτῆς Κόλχοι, τὸ δὲ Ἴβηρες, τὰ δὲ Αρμένιοι. *Moſchica tripartita eſt: partem eius Colchi; aliam Iberes; aliamque Armenii tenent.*

VII.

In ſeptemtrionem reuertimur, & ad *Caucaſios* * montes, qui latus illud Iberorum muniunt. Cum cura eos Strabo lib. XI pag. 342 deſcripſit ita: ἔςι ὄρος τοῦτο [Καύκασος] ὑπερκείμενον τοῦ πελάγους ἑκατέρου, τοῦ τε Ποντικοῦ καὶ τοῦ Κασπίου, διατειχίζον τὸν ἰσθμὸν τὸν διείργοντα αὐτά. *Mons Caucaſus vtrique ſuperimminet mari, Euxino & Caſpio, iſthmum, quo ea diſtinguuntur, tamquam murus intercludens.* Mons eſt altiſſimus ſeptemtrionalis Aſiæ, ſupra Colchos incipiens & ad Caſpium mare procurrens, plurimis ſcriptoribus nominatus. Herodotus lib. I cap. CCIV τὰ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης τῆς Κασπίης καλεομένης ὁ Καύκασος ἀπέργει, *Maris Caſpii partem, quæ ad veſperam vergit, Caucaſus diſterminat.* Valerius Flaccus lib. v verſ. 154

Vltimus inde ſinus, ſæuumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas conſurgens Caucaſus Arctos.

nam Prometheus fingitur in hunc montem relegatus. Vid. Hygini fab. LIV. A maxime barbaris habitabatur: quo Dido adluſit Aeneid. IV verſ. 366

- - - duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

2. In hoc monte ſunt famoſæ illæ *Portæ,* quæ *Caucaſiæ* vocantur, anguſtus tranſitus montis Caucaſi, per quem ex Sarmatia itur in Iberiam. Plinius

* De Caucaſo memorabilia habet Ariſtoteles Meteorol. I c. 13.

Plinius lib. VI cap. XI, *Ab iis* [gentibus Iberiæ, Diduris, Sodiis] *ſunt Portæ Caucaſiæ, magno errore multis Caſpiæ dictæ, ingens naturæ opus, montibus interruptis repente, vbi fores obditæ ferratis trabibus, ſubter medias amne diri odoris fluente, citraque in rupe caſtello, quod vocatur Cumania, communito ad arcendas tranſitu gentes innumeras: ibi loci, terrarum orbe portis diſcluſo, ex aduerſo maxime Harmaſtis oppidi Iberum.*

3. Quem errorem magnum dicit, harum portarum cum Caſpiis confu ſionem, ab eo nec liberari Tacitus poteſt, qui lib. VI Annal. cap. XXXIII *Sed Iberi, locorum potentes, Caſpia via Sarmatam in Armeniôs raptim effundunt.* At Caſpia via & porta longe ab Iberis diſtat: Caucaſia autem in Iberiam ducit, & inde in Armeniam. Procopius lib. IV Goth. cap. III *Caucaſi partes, quæ ad Orientem ſunt,* εἰς διεξόδȣς, *in portas exeunt, quæ Hunnos in Perſarum ac Romanorum oras inducunt, Tzur vna; altera veteri nomine Caſpia dicitur.* Illa, quæ *Tzur* deinde vocabatur, ante dicta fuit *Porta Caucaſia.*

A L B A N I A.

VIII.

Albania ab occaſu Iberiam habet: ab ortu mare Caſpium: ſeptemtrionem montes claudunt Caucaſii & Ceraunii, qui & ipſi ſunt pars Caucaſi: ab auſtro eſt Armenia & Cyrus amnis. Sic Strabo lib. XI pag. 345, & Ptolemæus lib. V cap. XII definiunt. Caucaſios montes, πρὸς τῇ θαλάττῃ μάλιςα, Κεράυνια ὄρη καλεῖσθαι, *maxime prope mare Caſpium, Ceraunios vocari,* Strabo ibidem auctor eſt: de Cyro termino Plinius lib. VI cap. X tradit: *Planitiem omnem, a Cyro vsque, Albanorum gens tenet.* Et Ptolemæus meridianum limitem, mare verſus, κατὰ τὰς ἐκβολὰς Κύῤῥȣ τȣ̃ ποταμȣ̃, *ſecundum oſtia Cyri fluminis* diſponit.

IX.

Fluuii Albaniæ, quæ in mare Caſpium exeunt, ſunt ſecundum Ptolemæum *Cyrus* in auſtrali termino, ſed omnium maximus; deinde *Albanus* ita adpellatus fluuius: poſt quem *Caſius:* vlterior *Gerrhus:* tandem *Soana,* finis ad Sarmatiam quæ Rha fluuium magnum ſpectat. Plinius lib. VI cap. XIII *Flumina per Albaniam decurrunt in mare, Caſius & Albanus: deinde Cambyſes, in Caucaſiis ortus montibus: mox Cyrus in Coraxicis, vt diximus.* De poſterioribus his ita Mela lib. III cap. V *Cyrus & Cambyſes ex radicibus Coraxici montis, vicinis fontibus editi, & in diuerſa abeunt, perque Iberas & Hyrcanos diu & multum diſtantibus alueis defluunt: poſt non longe a mari eodem lacu accepti in Hyrcanum ſinum vno ore perueniunt.* Valde hic peccat Mela, etiam iudice Iſaaco Voſſio, quod duos hos amnes vicinis fontibus ortos, vnum per Iberos, alterum per Hyrcanos ducit, iterumque coniungit vno ore. Forſan & amnes alii his nominibus in oriente & ad mare Hyrcanum fuere, quos turbauit & confudit Pomponius. Non ergo certior ordo & decurſus eſt fluminum Albaniæ, quam qui a Ptole-

mæo eſt traditus: niſi quod *Cambyſes* addendus videtur inter Cyrum & Albanum, ſi Plinii ordo ſe recte habet: & ab occaſu *Alazon* ſiue *Alazonius*, Strabonis ὁ Ἀλαζώνιος ποταμός: Plinio *Alazon* lib. VI cap. X *Gens*, inquit, *Iberum diſcreta ab iis* [Albanis] *amne Alazone in Cyrum e Caucaſiis montibus defluente.* Hic ergo fluuius *Alazon* diſterminat Albanium ab Iberia.

2. An *Araxes* etiam per Cyrum exeat in mare, non conſentiunt auctores. Ptolemæus vtriusque oſtia magno interuallo disiunxit. Strabo, exiguo: Poſt Cyri enim oſtiorum deſcriptionem ait pag. 346 πλησίον δὲ καὶ ὁ Ἀράξης ἐμβάλλει, *prope illa etiam Araxes in mare euoluitur.* Contra Plinius lib. VI cap. IX *Araxes eodem monte, quo Euphrates, VI mill. paſſuum interuallo; auctusque amne Muſi, & ipſe, vt plures exiſtimauere, a Cyro defertur in Caſpium mare.* Plutarchus Pompeio pag. 634 de Cyro amne: ἐν τῶν Ἰβηρικῶν ὀρῶν ἀνιστάμενος καὶ δεχόμενος κατιόντα τὸν Ἄραξιν ἀπ' Ἀρμενίας, ἐξίησι δώδεκα στόμασιν εἰς τὸ Κάσπιον. οἱ δὲ οὐ φασὶ τούτῳ συμφέρεσθαι τὸν Ἄραξιν, ἀλλὰ καθ' ἑαυτὸν, ἐγγὺς δὲ ποιεῖσθαι τὴν ἐκβολὴν εἰς ταυτὸ πέλαγος. *Oritur* [Cyrus] *ex montibus Ibericis, auctusque delabente ex Armenia Araxe, duodecim oſtiis in mare Caſpium ſe effundit: Alii negant confluere cum illo Araxem, ſed ſolum, prope tamen eum, euolui dicunt in idem pelagus.* Minus dubitanter de eodem Cyro Appianus Mithridat. pag. 401 πολλῶν ἐς αὐτὸν ἐμβαλλόντων ποταμῶν, καὶ μεγίστου πάντων Ἀράξου, *multi amnes in eum* [Cyrum] *influunt, & in his maximus Araxes.* Praue autem Plutarchus Κύρνον, Appianus Κύρτον dixerunt, qui ex ceteris corrigendi ſunt.

3. Diuerſas hasce ſententias conciliat Ptolemæus lib. V cap. XIII, *Araxes*, inquit, *a fontibus in orientem lapſus vsque montem Caſpium; vnde ad ſeptemtrionem flexus*, τῇ μὲν εἰς Ὑρκανίαν ἐκβάλλει, τῇ δὲ συμβάλλει τῷ Κύρῳ ποταμῷ, *partim in Hyrcanum mare exit, partim admiſcetur Cyro fluuio.* Hodiernæ tabulæ non habent proprium Araxis exitum in mare; ſed totum adfundunt Cyro: quod ita certum Iſaaco Voſſio ad Melam pag. 247 eſt, vt claris verbis ſcribat: *Araxes influit in Cyrum, vti non tantum Plutarchus & Appianus, ſed & hodierna docet experientia.* Quod ſi eſt; nec tamen negari debet in mare olim proprio alueo ex parte inuectum eſſe, quum & alia oſtia oblimata fuerint, & flumina curſus ſuos mutarint ac alueos antiquos. De Araxe reliqua in Armenia dicemus: De Araxe Maſſagetarum Herodoti lib. I cap. CCII & Dionyſii periegetæ verſ. 739 (vnde Melæ videtur confuſio eſſe;) dicturi ſuo loco ſumus, quum ad Oxum amnem deuentum fuerit.

4. Quæ vero de duodecim Cyri oſtiis dicuntur, etiam non vno modo explicata ſunt. In numero conſentiunt Strabo pag. 345, Plutarchus pag. 637, & Appianus pag. 401, niſi quod Strabo non ipſe adfirmat, ſed aliorum relatu nititur, dum φασὶ, *aiunt*, inquit, homines, adque ita in incertis rumoribus relinquit. Appiano πλωτοῖς *nauigabilibus* omnibus iſtis oſtiis in mare hoc flumen exire videtur, quod credibile non eſt: quia ipſe Strabo eorum τὰ μὲν τυφλὰ στόματα, *inter illa* eſſe, id eſt *cæca oſtia*, agnoſcit. Herodotus quadraginta oſtia poſuit, ſed alium a noſtro, vt

vt diximus, Araxem intelligit; & ne ſic quidem tantum numerum eruditis adprobauit.

X.

Vltra Cyrum, Mediam verſus, Strabo pag. 346 ponit *Caſpianam*, quam etiam Albaniæ adiungit, cuius ſic fines prorogandi ſunt: Ptolemæus autem illum tractum in Armenia cenſet. Strabonis verba ſunt hæc: Ἔϛι τῆς Ἀλβανῶν χώρας καὶ ἡ Κασπιανὴ, τȣ̃ Κασπίου ἔθνȣς ὁμώνυμος, ὅυπερ καὶ ἡ θάλαττα, ἀφανȣ̃ς ὄντος νυνί. *Ad Albaniam pertinet etiam Caſpiana, nomen a Caſpia gente gerens: vnde & mari adpellatio: ea gens nunc obſcura prorſus eſt.* Ptolemæus autem & *Caſpios* gentem, & montem *Caſpium* & *Portas Caſpias* inde in auſtrum & ad Mediam deducit; montem quidem longo tractu ab Araxe ad Mardos vsque, prope Aſſyrios: Portas autem longius inde remouet in orientem in iugo montium ponens, per quos in Parthiam ex Medorum regione tranſitur.

2. Plinius de gente diſſentit a Ptolemæo, cum Strabone faciens, lib. VI cap. XIII. *A Cyro*, inquit, *Caſpium mare vocari incipit: accolunt Caſpii.* quos longe a mari reduxit Ptolemæus. De portis vero multum diſputans, ad Ptolemæum propius accedit. *Corrigendus*, inquit ibidem, *eſt error in hoc loco multorum, eorum etiam, qui in Armenia res proxime cum Corbulone geſſere. Namque hi Caſpias adpellauere portas Iberiæ, quas Caucaſias diximus vocari: ſitusque depicti, & inde miſſi, hoc nomen inſcriptum habent. Et Neronis principis comminatio ad Caſpias portas tendere dicebatur; quum peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vix vllo propter adpoſitos montes aditu ad Caſpium mare. Sunt autem aliæ, Caſpiis gentibus iunctæ: quod dignoſci non poteſt, niſi comitatu rerum Alexandri Magni.* Quod ſi illorum fide, qui res Alexandri ſcripſerunt, in Caſpiis portis deſignandis ſtandum eſt, vix ad alias, quam Ptolemæi portas, adducemur, quia & Arrianus lib. III pag. 205 eo nos mittet, Caſpias portas duce illo quæſituros. Strabo lib. XI pag. 361 in Media quidem deſcribit, ſed videtur altius in ſeptemtrionem proferre quam Ptolemæus, quia Rageiam Medorum νοτιωτέραν, *auſtraliorem* πεντακοσίοις ϛαδίοις, *quingentis ſtadiis*, id eſt integro gradu latitudinis, ponit. Sed ſuſpectus hic numerus, quia in ſcriptis variat, & maior quoque inuenitur; quum minorem malim & vel πεντήκοντα, *quinquaginta* legere, quia Ptolemæus *Ragianam* regionem, ab Ragia Strabonis ſiue Ragis Tobiæ nominatam, proxime portas illas Caſpias conſtituit. Sed de his infra. Videntur itaque olim latius habitaſſe *Caſpii*, vt pylis his etiam nomen darent: quas vero nimis in auſtrum Ptolemæus reduxit, vltra tres gradus a mari Caſpio, quum duo vel vnus cum dimidio ſufficiant.

XI.

Oppida Albaniæ Ptolemæus ſecundum flumina diſtinguit, ſed ignobilia ſunt omnia. Inter Soanam & Gerrhum ſunt *Teleba* ad mare: *Thalbis* intus. Inter Gerrhum & Caſium ad mare *Gelda*; intus *Thiauna*, *Thabilaca*. Inter Caſium & Albanum amnes ad mare *Albana*: in mediterra-

neis *Chadaca*, *Miſia*, *Boziata*, & ſub Caucaſo *Chabala*, & eiusdem latitudinis *Chobata:* ſupra quas ſunt in Caucaſo (ſiue iam Ceraunium vocare malis) αἱ Ἀλβανίαι πύλαι, *Albaniæ portæ*, quæ alteræ illæ in Caucaſo ſunt, de quibus ſupra dictum, quum portas Iberiæ, ſiue proprie Caucaſias dictas, explicaremus. Hæ enim æque, ac Ibericæ, in cultiorem Aſiam Sarmatas ſeu Scythas infuderunt. Inter Albanum fluuium & Cyrum ad mare eſt *Gagara*, circa quam *Baruca*, *Sioda*, *Oſica*, *Abdiabda*, *Abliala*, *Camechia:* & ſub Caucaſo *Moſega*, *Samunis:* medio loco, *Iobula*, *Iuna*. Deinde fluuium ex Caucaſo in Cyrum deducit, cuius nomen ſilet, tantummodo ποταμὸν vocans, quem quidam *Alazonem* eſſe exiſtimant, ſed falſo; quia Alazone amne Iberum gens ab Albanis, vt Plinius ait, diſcreta eſt: inter hunc anonymum autem & Albaniæ terminum alia oppida *Negam*, *Dechlanam*, *Bacchiam*, *Tetagódam* interpoſuit. Alazon ergo, diſterminator Iberiæ atque Albaniæ, eſt illo citerior, in occaſum magis recedens, aut verum non eſt, quod Plinius dixit, Iberos ab Albanis diſcernere. Idem Plinius cap. x tantum vnum oppidum Albanorum nominauit, tamquam primarium atque præcipuum. *Præualent*, inquit, *oppida*, *Albaniæ*, *Cabalaca: Iberiæ*, *Harmaſtis.* Interpretibus *Cabalaca* eſt Χαβάλα, *Chabala* Ptolemæi: ſed quia hanc ad Pylas in extremo ſeptemtrione poſuit, dubitaueris, annon alia in medio regionis, tamquam prima & maxima, intelligenda ſit.

CAPVT XI
DE
ARMENIA VTRAQVE.

I.

ARmeniam vtramque dicimus *Maiorem*, quæ in ortum & ad Caſpium mare verſus recedit: & *Minorem*, quæ Maiori ab occaſu eſt adſita. Strabo lib. xi pag. 359 Εὐφράτης - - ῥέων ἐπὶ δύσιν διὰ τῆς Ἀρμενίας τῆς μεγάλης καλουμένης, μέχρι τῆς μικρᾶς, *Euphrates in occaſum labitur per Armeniam, Magnam dictam, vſque ad Paruam.* Latini malunt comparatiuo typo diſcrimen ſignificare, *Maior* & *Minor.* Plinius lib. vi cap. ix *Armenia Maior incipiens a Paryadris montibus.* Et paullo poſt: *Oppida celebrantur in Minore* [Armenia] *Cæſarea, Aza, Nicopolis: in Maiore, Armoſata*, cetera. Appianus Mithrid. p. 387 Minorem βραχυτέραν dixit.

II.

Nominis originem Græci trahunt ex fabula Argonautica, quaſi quidam *Armenus*, ortus Theſſaliæ oppido Armenio, inter Phæras & Lariſſam ſito, comes Iaſonis, in illa regione conſediſſet. Probabilius Bochartus in Phaleg lib. i cap. iii putat הר--מיני, quaſi *montem Mini* primigenium nomen eſſe, in qua opinione firmatum ſe dicit Ionathanis Chaldæi & Symmachi Græci interpretationibus loci eiusdem Amos iv, 3 *proiicientur Harmonam.* Ille enim vertit מן טורי הרמיני *vltra montes Harmini;* id eſt Arme-

Armeniæ: de hoc Theodoretus, ὁ δὲ Σύμμαχος τὸ Αρμανὰ Αρμενίαν ἡρμήνευσε, *Symmachus vocem* ARMANA *Armeniam interpretatus eſt.* Hieronymus in h. l. *transferri in Armon, montes Armeniæ, qui Medis Perſisque confines ſunt.* Et ante paullo ad idem caput: *Proiiciemini in locis Armeniæ, quæ vocantur Armona. Denique Symmachus ita interpretatus eſt: Et proiiciemini in Armenia: pro quibus LXX montem Remman: Aquila montem Armona: Theodotio montem Mona: quinta autem editio, excelſum montem transtulerunt.*

III.

Situs Armeniæ vniuerſæ (ſic Plinius vtramque vocat) a Caſpio mari eſt ſuper Albanos & Iberos, quos a ſeptemtrione habet, vsque ad gentes Ponticas, Trapezunti vicinas. Vtramque perluſtrabimus, diſtincte tamen, vt primum de Maiore, deinde de Minore agamus.

SECTIO I.

ARMENIA MAIOR.

IV.

Armeniæ maioris terminos ſecundum Strabonem lib. XI pag. 363 hos ponimus: a meridie Taurus eſt, quo a Meſopotamia dirimitur: ab ortu Media tam Magna quam Atropatia: a ſeptemtrione illa Caucaſi abſciſſa pars, quæ Albaniam & Iberiam meridianam vtramque ambit; aut ipſa Iberia & Albania: ab occaſu ſolis Minor Armenia, ſeu Paryadres montes, & gentes quædam Ponticæ, ac Euphrates. Ita etiam Ptolemæus lib. V cap. XIII, niſi quod ab occaſu etiam Moſchicos montes nominat: ab ortu partem maris Caſpii a Cyri oſtiis, maxime illam, quæ circa Araxis ſit oſtia. Pars enim illa, quam Ptolemæus inter vtriusque fluminis alueos, antequam in mare exonerentur, interceptam poſuit, & inde in auſtrum nonnihil in ora procurrit, quo referenda ſit, dubitatur, quum Strabo, vt vidimus, videatur Albaniæ ſub Caſpianæ nomine adiunxiſſe: Ptolemæus Armeniæ: quam etiam Atropateni, quos ſtringit, ſibi vindicare poſſint. Plinius quoque lib. VI cap. IX, latitudinem Armeniæ orientalem deſcribens, aut obſcurus eſt aut prauatus. *Latitudinem*, inquit, *in læua pandit ad Cyrum amnem transuerſa Araxem.* Si ſaluum eſt *transuerſa*, idem ſonet quod *transgreſſa*: ſin prauatum, cenſet Harduinus *transuecta* fortaſſis legendum eſſe. Vtro modo cum Plinio agas, conſentientem illum habebis cum Ptolemæo. Atque hæc de limitibus.

V.

FLVMINA Armeniæ maioris Strabo nominat ſex, quorum duo in Pontum exeant, *Lycus* & *Phaſis*: duo in Caſpium mare, *Cyrus* & *Araxes*: & duo in ſinum Perſicum, *Tigris* & *Euphrates*.

2. Ex his Lycus & Phaſis oriuntur quidem in Armenia, ſed breui confecto ſpatio egrediuntur; de quibus ſupra diximus in Ponto & in Colchide.

3. De *Cyro* dictum in Albania, Plutarcho auctore Ibericis oriri montibus: forſan iis, qui Iberiam ab Armenia diſcernunt, vt vtrique fons adſcribi regioni poſſit.

4. *Araxes* autem propior eſt Armeniæ, & magnam curſus ſui partem in ea exigit, campumque, quem perlabitur, denominat *Araxenum*, τὸ Ἀραξηνὸν πεδίον. Fons eius ſecundum Strabonem in eodem monte eſt, vnde oritur Euphrates, *Abo* videlicet, ſito inter Niphatem & Nibarum. Strabo lib. XI pag. 363 *Supra Maſium iacet iuxta Gorgodylenen Niphates*, εἶτ' ὁ Ἄβος, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Εὐφράτης ῥεῖ καὶ ὁ Ἀράξης, ὁ μὲν πρὸς δύσιν, ὁ δὲ πρὸς ἀνατολάς· εἶθ' ὁ Νίβαρος μέχρι τῆς Μηδείας παρατείνει. *deinde mons Abus, vnde & Euphrates & Araxes delabuntur, alter in occaſum, in ortum verſus alter: poſt Abum mons Nibarus vsque ad Mediam pertingit.* De curſu eius ibidem addit: *Araxes ortum verſus fertur adusque Atropatenen: ad occaſum deinde & ſeptemtriones declinat, ac primum Azaram præterfluit, deinde Artaxata: poſt, per Araxenum campum in mare Caſpium effunditur.* Num per ſe in mare exeat, an deferatur a Cyro, diſputatum eſt in Albania.

5. *Euphrates* tandem & *Tigris* ſunt in maioribus illis Armeniæ, a Strabone nominatis. Hos in Armenia oriri, omnes conſentiunt: * quo loco, & quem curſum teneant, maxima eſt diſſenſio. De Euphrate primum; deinde de Tigri etiam. Dixit iam Strabo, Euphratem in Abo monte oriri: ſed hunc cum Tauro connectit, aut partem cenſet eiusdem. Nam ibidem ait paullo ante ſuperiora verba: ὁ Εὐφράτης, ἀπὸ τῆς βορείου πλευρᾶς τοῦ Ταύρου τὰς ἀρχὰς ἔχων, τὸ μὲν πρῶτον ῥεῖ πρὸς δύσιν διὰ τῆς Ἀρμενίας, εἶτ' ἐπιστρέφει πρὸς νότον, καὶ διακόπτει τὸν Ταῦρον, *Euphrates in ſeptemtrionali latere Tauri ſcaturiens ab initio in occaſum fluit per Armeniam: deinde ad auſtrum ſe conuertens, Taurum perrumpit.* Et antea pag. 359 ponit πηγὰς ἐν τῷ προσβόρρῳ μέρει τοῦ Ταύρου, *fontes eius* [Euphratis] *in ſeptemtrionali parte Tauri,* atque itidem primo curſu eum deducit ἐπὶ δύσιν, *in occaſum*, per Armeniam Maiorem, μέχρι μικρᾶς, *adusque Minorem.* Sic in auſtrali parte Armeniæ naſcitur Euphrates, quia Taurus limes eius ab auſtro eſt; & per auſtralem etiam partem decurrit vsque Cappadociam, Armeniæ Minori conterminam; aut ad ipſam Minorem illam, ſeu eius quoque meridianum limitem, quem vt attingit, oportet curſum πρὸς δύσιν, *in occaſum* paulliſper in ſeptemtrionem flecti, quia Taurus, vnde oriebatur, inferior eſt, & prope Melitenæ parallelus. Tum vero in meridiem vertitur, vt Taurum perrumpat, & in Syriam euadat, nouoque flexu in Babyloniam. Hæc Strabonis de Euphratis ortu & curſu ſententia eſt.

a) In diuerſa omnia abit Plinius lib. V cap. XXIV *Euphrates*, inquit, *oritur in præfectura Armeniæ maioris Caranitide, vt prodidere ex iis, qui proxime viderunt, Domitius Corbulo, in monte Aba: Licinius Mucianus, ſub radicibus montis, quem Capoten adpellant, ſupra Zimaram* XII *M. paſſuum, initio Pyxurates nominatus. Fluit Derxenen primum, mox Anaiticam, Armeniæ regiones a Cappadocia excludens. Daſcuſa abeſt a Zimara* LXXV *M. paſſuum.* *Inde*

* Adde huc Polybium IX c. 35, qui memorabilia Euphratis exponit.

Inde nauigatur Paſtonam quinquaginta millia paſſuum: Melitenen Cappadociæ XXIIII *M. paſſuum: Elegiam Armeniæ decem M. paſſuum, acceptis fluminibus Lyco, Arſania, Arſano. Apud Elegiam occurrit ei Taurus mons: nec reſiſtit, quamquam* XII *M. paſſuum latitudine præualens. Omiram vocant irrumpentem: mox vbi perfregit, Euphratem; tum quoque ſaxoſum ac violentum.* Et paucis interiectis: *Apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad occaſum Solis agit. Primum hunc illi in pugna Taurus aufert: victusque & abſciſſus ſibimet, alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem. Ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte quo vult; illo prohibente ire qua velit.*

b) Hic ergo, auctoribus αὐτόπταις, Euphratem a ſeptemtrione in meridiem vſque ad Tauri occurſum recta linea deducit, & ipſos fontes cum monte Abo ſiue Aba in ſeptemtrione, ad occaſum vergente, locat: quæ omnia contraria ſunt Straboni. Euphratis ortum & in Tauro labores ſic Pomponius Mela lib. III cap. VIII ſcripſit: *Euphrates, immani ore aperto, non exit tantum, vnde oritur, ſed & vaſte quoque decidit. Nec ſecat continuo agros, ſed late diffuſus in ſtagna, diuque, ſedentibus & ſine alueo patulis, piger; poſt vbi marginem rupit, vere fluuius eſt, acceptisque ripis celer & fremens per Armenios & Cappadocas occidentem petit; ni Taurus obſtet, in noſtra maria venturus. Inde ad meridiem auertitur, & primum Syros, tum Arabas ingreſſus,* cetera.

c) Ptolemæus lib. V cap. XIII inter vtrumque mediam quaſi viam tenet, ac fontes quidem Euphratis ad ortum ponit, perinde vt Strabo, & longo tractu inde in occaſum dicit fluere antequam ſe flectat in meridiem: nec vero ex Tauro oriri, aut Abum in Tauro eſſe, ſed longe ſupra Taurum in ſeptemtrionem verſus; nec vero ſupra Paryadram aut Moſchicos montes, ſed infra illos, meridiem verſus, conuerſionem fluminis in meridiem fieri. Quæ quod curatius omnia Salmaſius in Solini c. XXXVII examinauit, illius verbis Ptolemæi ſententiam repetiiſſe nobis liceat. *Inter has,* inquit [Strabonis & Plinii] *opiniones quid ſequutus ſit Ptolemæus, haud adeo facile eſt cognoſcere, niſi quod ex vtraque miſcellam concinnaſſe, veteresque* [quos Strabo ſequutus fuerat] *cum recentioribus quaſi conciliaſſe videtur. Hoc habet ex veteribus, quod Euphratem ab ortu ſuo ad occaſum recta meare ſcribit; deinde ad meridiem flecti, nullo Tauri obſtaculo id cogente, ſed ipſo amnis curſu ſponte hoc faciente. Hanc* ἐπιστροφὴν *in eadem ponit latitudine cum fonte ipſo, quæ gradus habet quadraginta duo & trientem. At fontes in longitudine ponit graduum ſeptuaginta quinque & trientis,* ἐπιστροφὴν *vero ipſam in longitudine graduum ſeptuaginta vnius. Longe itaque diverſa hæc Euphratis* ἐπιστροφὴ πρὸς νότον *ab ea, quam Strabo, Mela, Plinius, aliique ad montem Taurum conſtituunt, & cuius cauſſam ſtatuunt eſſe ipſum Taurum.*

d) Non equidem miror, fontes Nili ignotos, aut falſo loco adſignatos vſque ad noſtram ætatem fuiſſe, quia longiſſime remoti ſunt a climate illorum, qui orbis faciem litteris conati ſunt delineare: & in ea gente ſiti, quacum rariſſimum hodieque Europæis & Aſiaticis eſt commercium. At

Arme-

Armeniæ, tam vicinæ Syris aliisque cultioribus populis, tam ignotam poſitionem, & tam dubios eius amnes eſſe, vt nobiliſſimi Euphratis, intra fines eius ſcaturientis, origo & fontes certo deſcribi non potuerint; id vero eſt quod maxime admiramur. Plinius tamen aliquid adfert, quod videtur ad excuſandam illam ignorantiam facere. Euphratem ait hoc nomen non ante ferre, quam Taurum montem perruperit, prius Pyxuratem vel Oromam nominari. Quod vero aliis fluminibus augetur, ab ortu & ſeptemtrione adlabentibus; factum, vt quidam maiorem ex illis, qui ab ortu venit, pro genuino; quidam ſeptemtrionalem habuerint pro Euphrate.

e) Salmaſius nihil quidem definit diſerte, Strabonem vero erroris arguit: in Plinii ſententiam, qui αὐτόπτας auctores ſequitur, inclinat: in recentiores tabulas, quibus ſupra Paryadrem & Moſchicos montes eius, ab ortu venientis, deflexio in auſtrum facta eſt, vehementer inuehitur; etiam in illam, quæ cum Ptolemæo editur, ſiue Agathodæmonis eſt, ſiue alius auctoris, aut poſtmodum a deſcribentibus interpolata. nam pleræque harum geminum Euphratem memorant, vtrumque ab ortu in occaſum ruentem, ſuperiorem ſeu borealem, quando ad minorem Armeniam ſeu Cappadociæ limitem peruenerit, flectentem ſe in auſtrum: & alterum, cum iſto confluentem ad medium Cappadociæ limites, ſeu inter flexum ante dictum & Tauri perruptionem medio propemodum loco: quod recte Salmaſius explodit.

6. *Tigris* alter ex maioribus eſt fluuiis, qui ex Armenia prorumpunt,* in ſinum Perſicum euntes. De fontibus etiam non vna eſt ſententia, ſed tamen altera alteri facilius concilianda. Strabo lib. XI pag. 359 ὁ Τίγρις ἐκ τοῦ νοτίου μέρους τοῦ αὐτοῦ ὄρους ἐνεχθεὶς, *Tigris ex auſtrali parte eiuſdem montis* [Tauri, ex quo Euphratem dixit oriri] *delatus, cum Euphrate Meſopotamiam facit.* Et pag. 364 ὁ Τίγρις ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν Νιφάτην ὀρεινῆς ὁρμηθεὶς, *Tigris a monte Niphate ruit:* ſed Niphaten ipſe partem Tauri credit, & in eadem ſerie connectit: vt ſupra vidimus, & infra de Montibus Armeniæ etiam oſtendemus. Sed quando vel Niphate, vel auſtrali latere Tauri oritur, non primus fons, ſed renaſcentis, poſtquam ſubter terram per longum ſpatium delapſus fuerat, ſignificatur. Plinius haud dubie ab iis edoctus, qui res in Armenia geſſerant, hæc clarius omnia expoſuit lib. VI cap. XXVII. *Tigris,* inquit, *oritur in regione Armeniæ maioris fonte conſpicuo in planitie. Loco nomen Elegoſine eſt. Ipſius, qua tardior fluit, Diglito: vnde concitatur, a celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit in lacum Arethuſam, omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exhalantem. - - - Fertur autem curſu & colore diſſimilis, transuectusque* [lacum] *occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur; ſubterque lapſus, a latere altero eius erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eumdem eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa perfert.* Illam alteram eruptionem, ex Tauri auſtrali latere, Strabo putauit primos eius fontes eſſe, qui ſic extra Armeniam,

* E montibus Vxiorum oriri ſcribit Diodorus XVII pag. 540.

am, Tauro definitam eſſent. Pomponius Mela lib. III cap. VIII *In parte altera, quæ pelagi oſtio aduerſa eſt, Babyloniorum fines Chaldæorumque ſunt, & duo clari amnes, Tigris Perſidi propior, vlterior Euphrates. Tigris vt natus eſt, ita deſcendens, vſque in litora permeat.* Ptolemæus etiam in media Armenia eius fontes ponit, ad latitudinis gradum XXXIX & trientem: plus quam gradu ſupra Taurum, triente minimum excedente: Quod recte ſe habet & cum Plinio congruit.

7. Hæc de maioribus Armeniæ fluminibus: minores etiam ſunt multi, e quibus *Muſis* eſt, quem Plinius lib. VI cap. IX memorauit, ignotum aliis, Araxi ſe adfundentem. *Auctus*, inquit, *Araxis amne Muſi, & ipſe a Cyro defertur in Caſpium mare.*

8. Tacitus lib. XV cap. IV *Nicephorium* addit, quem dicit *Tigranocerta* ambire: & cap. XV *Arſaniam*, inter Tigranocerta & Artaxata, ſed his propiorem, fluentem, quem Plinius lib. V cap. XXIV in Euphratem ſe dicit effundere. Plutarchus in Lucullo pag. 513 memorat, quum a Tigranocertis oppugnatum Artaxata iret, hoc flumen ei traiiciendum fuiſſe: quam oppugnationem vt præuerteret Tigranes, ἡμέρᾳ τετάρτῃ παρεστρατοπέδευσε τοῖς Ῥωμαίοις· ἐν μέσῳ λαβὼν τὸν Ἀρσανίαν ποταμὸν, ὃν ἐξ ἀνάγκης διαβατέον ἦν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς ἐπ᾽ Ἀρταξάτων πορευομένοις, *caſtris motis quarto die prope Romanos conſedit, medium capiens Arſaniam amnem, quem tranſire neceſſe erat petituris Artaxata Romanis.*

9. Denique etiam *Niphates* fluuius fuit, a Niphate, notiſſimo monte, ex quo oritur, nomen trahens. Lucanus lib. III verſ. 245

Armeniusque tenens voluentem ſaxa Niphatem.

Fluuiorum enim eſt ſaxa voluere: quod clarius Silii Italici lib. XIII verſ. 765 demonſtratur

- - - - *Pellæo ponte Niphaten*
Adſtrinxit.

VI.

MONTES Armeniæ plures nominantur. Ex *Caucaſo* procurrunt, qui ſeptemtrionem claudunt, & ab Iberia Albaniaque diſcernunt. *Taurus* ab auſtro diſterminat a Meſopotamia.

2. Ab occaſu ſunt montes *Moſchici*, de quibus in Colchide diximus.

3. Et *Paryadræ*, vnde initium ſumſit Plinius lib. VI cap. IX *Armenia maior*, inquit, *incipiens a Paryadris montibus.* Strabo lib. XI pag. 378 de his & ſimul aliis: ὁ Σκυδίσσης ὄρος τραχύτατον, συνάπτον τοῖς Μοσχικοῖς ὄρεσι τοῖς ὑπὲρ τῆς Κολχίδος, οὗ τὰ ἄκρα κατέχουσιν οἱ Ἑπτὰ Κωμῆται, καὶ ὁ Παρυάδρης, ὁ μέχρι τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας ἀπὸ τῶν κατὰ Σιδηνὴν καὶ Θεμίσκυραν τόπων διατείνων καὶ ποιῶν τὸ ἑωθινὸν τοῦ Πόντου πλευρόν. *Mons aſperrimus Scydiſſes coniungitur Moſchicis montibus, qui ſupra Colchidem ſunt. Extrema eius tenent Hepta Cometæ, & Paryadres, qui vſque ad minorem Armeniam a locis Sidenæ & Cappadociæ porrectus, orientale Ponti latus conficit.* In hoc monte gazophylacia condidit & muniuit Mithridates Eupator. Idem Strabo poſtpaullo pag. 382 ἡ τοῦ Παρυάδρου πᾶσα ὀρεινὴ τοιαύτας ἐπιτηδειότας ἔχει πολλὰς - - -

ἐτετείχιστο γοῦν ἐνταῦθα τὰ πλεῖστα τῶν γαζοφυλακίων. Totus mons Paryadres multas tales commoditates habet [ad muniendum, videlicet aquas, ſiluas, præruptos vertices] *ideoque plurima ibidem gazophylacia condidit.* Ex vtroque loco de ſitu huius montis, & longitudine, & arcibus eius munitis iudicari poteſt: a cuius extremitate incipit maior Armenia.

4. Sunt etiam *Coraxii* montes, qui Cyri fontes habent, de quo flumine ſic Plinius dicto loco: *Cyrus oritur in Heniochiis montibus, quos alii Coraxicos vocauere.*

5. Strabo eodem libro pag. 363 plures montes coniungit, & eos ſerie, qua ſe inſequantur, locat; *Maſium, Niphatem, Abum, Nibarum.* Vocat *Maſium*, qui Sophenen regionem ab auſtro finiat, ſicut a ſeptemtrione *Antitaurus*, vltra Euphratem ex Cappadocia protractus. *Sita*, inquit, *Sophene τοῦ τε Μασίου καὶ τοῦ Ἀντιταύρου, inter Maſium & Antitaurum.* Et quia hic in ſeptemtrionem procurrit, neceſſe eſt Maſium finire illam regionem a meridie. Non autem hic eſt ille Maſius, quem Ptolemæus lib. V cap. XVIII in Meſopotamia, latitudine XXXIV gradus & trientis poſuit, vtpote magno interuallo ſeiunctum ab illo in Armenia Strabonis.

6. Mons *Niphates*, poetis etiam celebratus, Ptolemæo pars Tauri eſt, longe remotus ab Abo, ſeptemtrionem verſus poſito: Straboni autem *Niphates, Abus, & Nibarus* in eadem ponuntur linea. *ὑπέρκειται πολὺ πρὸς ἕω, Supra* Maſium, inquit, *multo in orientem ſitus eſt Niphates, deinde Abus, poſt hunc Nibarus.* Antea pag. 359 de eodem Niphate: *ἔπειτα ἐξαίρεται πλέον, καὶ καλεῖται Νιφάτης. ἐνταῦθα δέ που καὶ αἱ τοῦ Τίγριδος πηγαὶ κατὰ τὸ νότιον τῆς ὀρεινῆς πλευρὸν, Deinde* [poſt Maſium, qui ſupra Tigranocerta] *altius attollitur id iugum, & vocatur Niphates. Ibi vero ſunt fontes Tigridis ad latus montis auſtrale.* Ptolemæus autem fontes Tigridis a Tauro in ſeptemtrionem remouet ad gradum XXXIX & trientem latitudinis. In Tabula autem, quæ ex Ptolemæi deſcriptione confecta eſt, etiam Niphates pars Tauri, in eadem linea, qua totus Taurus, conſtituitur. Poetæ quoque mentionem eius faciunt. Virgilius Georg. lib. III verſ. 30 *pulſum Niphaten* dixit, id eſt Niphatis incolas, Armenios. Horatius lib. II oda IX

Cantemus Auguſti tropæa
Cæſaris, & rigidum Niphaten:
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores voluere vortices.

7. Mons *Abus*, Ἄβος, fere ab omnibus antiquis parens Euphratis creditus, quam diuerſæ ſententiæ de fontibus Euphratis, tam varia etiam ſede ab auctoribus locatur. Strabo vt vidimus, partem Tauri facit poſt Niphatem: * Ptolemæus longe in orientem vltra Tigridis fontes plusquam duobus

* Huc pertinent, vt ego ſentio, præſertim illa verba eiusdem Strabonis ex libr. XI pag. 803 edit. Almel. *Λέγονται δὲ καὶ τῶν Αἰνιανῶν τινες, οἱ μὲν τὴν Οὐιτίαν οἰκῆσαι, οἱ δ' ὕπερθε τῶν Ἀρμενίων ὑπὲρ τὸν Ἄβον καὶ τὸν Ἴμβαρον. Μέρη δ' ἐστι τοῦ Ταύρου ταῦτα. ὧν ὁ Ἄβος ἐγγύς ἐστι τῆς ὁδοῦ τῆς εἰς Ἐκβάτανα φερούσης παρὰ τὸν τῆς Βάριδος νεών. Dicuntur autem Aenianum*

duobus gradibus refert, in latitudine XLI graduum: & Plinius, qui *Abam* vocat, cum fontibus Euphratis in ſeptemtrionali parte Armeniæ occidentalis poſuit, vt flumen inde recto curſu ad Cappadociæ limitem deduceret. Nihil ergo certi de hoc monte poteſt conſtitui, niſi quod ſit mons Armeniæ magnæ; &, vt opinio multorum tulit, fundat Euphratem.

8. Quo loco Plinius ſtatuit, proximum *Capoten* montem habet, ſub quo Licinius Mucianus, vt ſupra tradidimus, Euphratis fontes dicitur vidiſſe.

9. *Gordiæus* mons, τὸ Γορδιαῖον ὄρος, a Ptolemæo eadem latitudine, qua fons Tigridis, proxime ad illum ab oriente, ſtatuitur. Palatinus codex τὰ Γορδυαῖα ὄρη, *montes Gordyæi:* Xiphilinus in Traiano τὸ Κάρδυνον ὄρος, corrupte. Non autem dubitamus ab his montibus regionem, quam Pompeius inuaſit, Gordenen, Gorduenen, vel ſimiliter dictam fuiſſe. Nam & hæc in Armenia erat, vel eidem coniuncta, etiam in ditione Tigranis, Armeniorum regis. Sed de hac in regionibus dicemus plura. Montes Gordyæos Strabo coniungit cum Tauro, lib. XI pag. 359. *Auſtrini,* inquit, *trans Euphratem montes, a Cappadocia & Commagena ad orientem tendentes, primum vocantur Taurus: is Sophenen & reliquam Armeniam a Meſopotamia dirimit.* τινὲς δὲ Γορδυαῖα ὄρη καλοῦσι, *quidam Gordyæos montes adpellant.*

a) Non diſplicet explicatio, quod montes Gordyæi & Taurus cohæreant, vel illi ſint pars ipſius Tauri. Sic enim recepta ſententia, Gordyæos eſſe montes *Ararat,* in quibus Noæ arca conſederit, adprime confirmatur, quia deſcendens cum ſuis Noah, in Meſopotamiam proxime venit, quæ vtique ſedes prima patriarcharum fuit. *Ararat* autem ad Armeniam pertinere, magna plurimorum eſt in omni antiquitate conſenſio. Vt de Abydeno & Melone taceam, quorum verba Euſebius lib. IX. Præpar. Euang. cap. XII & XIX profert, Beroſus Chaldæus apud Ioſephum lib. X c. II de Senacheribi, Aſſyriorum regis, parricidis filiis refert, εἰς τὴν Ἀρμενίαν ἀπῆραν, *in Armeniam aufugiſſe,* pro quo Eſaias cap. XXXVII dixit, *in terram Ararat:* Septuaginta autem Græci perinde, vt Beroſus, εἰς Ἀρμενίαν. Vulgatus quoque interpres tam Geneſ. VIII, 4 *montes Armeniæ,* quam II Reg. XIX, 3 *terram Armeniorum,* transtulit. Et Alcimus Auitus lib. IV verſ. 539

Armeniæ celſis inſtabat montibus arca.

b) Qua autem in parte Armeniæ ſit mons ille arcæ receptator, nunc inquiramus. Hieronymus in Eſa. XXXVII extr. *Ararat regio in Armenia campeſtris eſt, per quam Araxes fluit, incredibilis vbertatis, ad radices Tauri montis, qui vſque illuc extenditur.* Non placet, quod Tauro ſubiectum Araxenum campum dicit, a quo magno interuallo diſtat: placet autem quod mox dicit, *arcam ad montes Tauri altiſſimos delatam fuiſſe.* Eſt potius *Ararat* Armenia vniuerſa; aut, ſi pars, auſtralis tamen & ſub Tauro, a quo longe abeſt, vt Strabo, Plinius, Ptolemæus deſignant, Araxes fluuius. Plu-

aliqui Vitiam incoluiſſe, aliqui ſupra Armenios vltra Abum & Imbarum, quæ Tauri partes ſunt. Abus autem propinquus viæ in Ecbatana ferenti eſt iuxta Baridis templum.

res interpretantur *Ararat* montes *Gordyæos*, qui vel pars Tauri ſunt, vel prope eumdem. Beroſus apud Ioſephum lib. I Antiq. cap. IV de diluuio & ſeruatis paucis in arca: λέγεται καὶ τοῦ πλοίου ἐν Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι. *Fertur & nauigii illius in Armenia ad montem Corduenorum pars quædam ſupereſſe.* Et in Targum Onkeloſii Geneſ. VIII, 4 montes Ararat Chaldaice transferuntur טורי קרדו *montes Kardu:* & alterum Targum, quod Ionathanis vocatur, per metatheſin (niſi lapſus deſcribentium eſt) טורי קדרון *montes Kadrun.* Epiphanius Hæreſ. XVIII extrem. ἔτι καὶ τὰ λείψανα τῆς τοῦ Νῶε λάρνακος δείκνυται ἐν τῇ τῶν Κορδυέων χώρᾳ. *Et adhuc reliquiæ Noachi arcæ in Cordyenorum regione oſtenduntur.* Et Elmacinus Arabs lib. I Hiſtoriæ Saracenicæ cap. I de Heraclio: *adſcendit in montem Gordi, & adſpexit locum arcæ*, puta Noachi, vt ibi præceſſit. Hæc de montibus Ararat, & arcæ Noachi ſede. Plura eiusdem argumenti tradit Bochartus lib. I Geogr. S. cap. III.

10. De *Nibaro* monte non habemus præter id, quod ſupra ex Strabone diximus. *

VII.

DIVISIO Armeniæ a Ptolemæo in tres partes maiores facta eſt. Primo tmemate partem ſuperiorem Armeniæ deſcribit, quæ ad ſeptemtrionem & orientem iacet inter Cyrum & Araxem. Secundo tmemate latus illud Armeniæ complectitur, quod ad occidentem verſum eſt vſque ad Euphratis flexum. Tertium tmema inter Tigridis fontes & illam partem Euphratis eſt, quæ Commagenen ab Armenia maiore ſeparat, vbi Taurum montem diuidit. Ita Salmaſius in Solinum pag. 438 Ptolemæum Latine vertit & explicat.

VIII.

Primo tmemati regiones Ptolemæus tribuit *Catarzenen*, Moſchicos montes verſus: & iuxta Cyrum amnem *Oſſarenen*, & Μωτηνήν, *Motenen:* iuxta Araxem autem *Colthenen;* & ſub ea *Soducenen;* ac Paryadrem verſus montem, *Sibacenen* & *Sacapenen.* Ignota nomina pleraque: nec his ſingulis ſuas Ptolemæus vrbes adſignat; ſed vniuerſas indiſtincte recenſet, & has quoque obſcuras plerasque, nullis illuſtratas hiſtoriis.

2. Prima Ptolemæi regio, *Catarzene*, videtur Strabonis Χορζηνή, *Chorzene* eſſe, quam cum *Cambyſena* lib. XI pag. 363 dicit προσβορρωτάτας εἶναι καὶ νιφοβόλους μάλιστα, *maxime ſitas eſſe ſeptemtrionem verſus, ideoque niuoſiſſimas*, quia Iberiam & Caucaſi partem attingant. *Cambyſenen* etiam Stephanus memorauit, Περσικὴν χώραν vocans, id eſt regionem Perſico imperio olim ſubiectam: ſicut alia Armeniæ vocatur *Xerxene.* Idem Strabo pag. 346 tradit, ex Iberia in Albaniam non recta propter inuios montes, ſed per *Cambyſenen*, ἄνυδρον καὶ τραχεῖαν, *aquis carentem & aſperam*, aditum eſſe; quo ſitus eius boreus confirmatur.

3. *Motene*,

* Mihi videtur idem eſſe, qui *Imbarus* dicitur Straboni. Vid. notam noſtram ad §. VI num. 7 & XV num. 4.

3. *Motene*, Μωτηνὴ Ptolemæi videtur Stephani Ωτηνὴ, *Otene* eſſe. Situs ſane congruit, quia vterque circa Cyrum amnem locat. De Ptolemæo ſupra vidimus: Stephanus ex Quadrati lib. II hæc adlegat: περὶ τὸν Κύρον ποταμὸν Ωβαρηνοί τε καὶ Ωτηνοὶ νέμονται, μέγα μέρος Αρμενίας ὄντες, *Circa Cyrum fluuium Obareni & Oteni colunt, magna pars exiſtentes Armeniæ.* Et ex lib. III Πάκορος ἐν τούτῳ περὶ Αρτάξατα καὶ τὴν Ωτηνὴν τῆς Αρμενίας διάγων, *Pacorus interea prope Artaxata & Armeniæ Otenen agens.* Inter Cyrum ergo & Araxem Otene regio eſt. Quod etiam Plinius lib. VI cap. XIII comprobauit. *Atropatene*, inquit, [ſeptemtrionalis pars Mediæ] *ab Armeniæ Otene regione diſcreta Araxe.* Iccirco iudicat Bochartus lib. II cap. IX, in Ptolemæo perperam ſcriptum Μωτηνὴ eſſe: quod nobis quondam ſecus videbatur, putantibus *Motenen* Ptolemæi & *Madenen* Sexti Rufi in Luculli expeditione eamdem eſſe. *Tigranocerta*, inquit hic cap. XV, *maximam Armeniæ ciuitatem, expugnauit. Madenam, opimam Armeniorum regionem obtinuit: per Melitenam ad Meſopotamiam deſcendit.* Quod *opimam* dixit, conuenit cum ſitu inter Cyrum & Araxem fluuios, qui fertilem reddunt regionem. Poſtquam vero Luculli iter, a Plutarcho deſcriptum, attentius conſideraui, dubitare cœpi de priore ſententia, quia non proxime Lucullus ad Artaxata peruenit, obſtante militum tumultu; minus Araxem amnem traiecit: ſed inter Arſaniam & Artaxata caſtra habens, in Meſopotamiam exercitum deduxit: neque per *Melitenen*, vt Rufus dixit, inde longius & trans Euphratem remotam, vt etiam hoc nomine ſuſpecta ſit Rufina lectio.

4. Ceteræ regiones, quas Ptolemæus tmemati ſuo primo tribuebat, incognitæ omnes, explicari minus poſſunt: niſi quod tractum ad Araxem amnem ſeorſum in vrbibus recenſet, quæ pars eſt τοῦ Αραξηνοῦ πεδίου, *Campi Araxeni*, δι' οὗ ὁ Αράξης ποταμὸς ῥέει, *per quem Araxes labitur*, vt Strabo deſcribit pag. 363. Deinde ἡ Σακασσηνὴ, *Sacaſſena*, forſan Ptolemæi *Sacapena:* quæ & ipſa πρόσχωρος, *confinis* Albaniæ, & flumini Cyro: dein *Gogarena*, frugum ferax; & *Phanena*, *Comiſena*, *Orchiſtena:* tum demum *Chorzena* & *Cambyſena*, de quibus ſupra dictum eſt. Plinius lib. VI c. IX addit *Cephenen*, Adiabenæ proximam. *Claudunt*, inquit, *eam* [Armeniam] *ab oriente montes, ſed non ſtatim, Ceraunii, nec Adiabene regio. Quod intereſt ſpatii, Cepheni tenent: ab his iuga: vltra Adiabeni tenent.* Sic emendat Salmaſius pag. 442 ex antiquis libris: vulgo *Sopheni* editum, quibus nullus locus in confinio Adiabenorum eſt. Κηφῆνοι vel Κηφῆνες Græce ſunt, & regio Κηφήνη, *Cephene.*

IX.

Secundum tmema Ptolemæi eſt occidentale, in quo ἀρκτικώτεραι, ſeptemtrionaliores regiones ſunt: *Baſiliſſene*, *Bolbene* & *Arſeta:* ſub his *Aciliſene* & *Auſtanitis:* & πρὸς αὐτῇ τῇ ἐκτροπῇ τοῦ ποταμοῦ, *ad ipſam flexionem Euphratis* alteram, a ſeptemtrionali (nam duæ ſunt Ptolemæo) diſtinctam; vbi Taurus curſum fluminis auertit; ad illam, inquam, ἐκτροπὴν, *Sophenen* nobiliſſimam regionem inter Euphratem & Antitaurum ſitam.

 2. Non

2. Non ſufficit hic numerus; aut nomina ſunt permutata. Plinius lib. v cap. xxiv, Euphratem ex ſeptemtrione deducens in auſtrum, fontes dicit, auctore Corbulone, in præfectura Armeniæ maioris *Caranitide* eſſe, quæ Strabonis Καρηνῖτις eſt pag. 364, vt Salmaſius reſtituit: in MSS. enim, Caſaubono teſtante, legitur Καρηνήτην quarto caſu; prauius in editis Παρανήτην. Coniungit Strabo *Xerxenen*, ab rege adpellatam, vt *Cambyſene*, quod de vtraque Stephanus notauit: etiam Plinius de Euphrate in Caranitide orto: *fluit Xerxenen primum, mox Anaiticam, Armeniæ regiones, a Cappadocia excludens.* Sic legendum, non, vt editum eſt, *Derxenem*, quod nihil eſt. Strabo enim dicto loco: Καρηνῖτιν καὶ Ξερξηνὴν, ἃ τῇ μικρᾷ Αρμενίᾳ ἐςὶν ὅμηρα, καὶ μέρη αὐτῆς ἐςί. *Carenitin & Xerxenen, quæ ſunt minori Armeniæ confines, eiusque partes.* Velim abeſſe poſteriora, aut mutari. Si enim confines ſunt minori Armeniæ, non ſunt eius partes: in ipſa enim ſunt partes, non in confinio: partes autem reuera ſunt Armeniæ maioris.

3. *Anaitica* eſt Xerxenæ proxima, per quam etiam Euphrates decurrit ductu a fontibus eo, quem Plinius deſcripſit. Strabo lib. xi extremo Αναΐτιδος, *Anaitidis* deæ meminit ab Armeniis ſingulari religione, ſed turpi & obſcena, cultæ. Perſica illa religio erat, vt tam ibi, quam antea pag. 352 eſt traditum. Templum eius diuæ etiam apud Zelam fuit, Armeniæ proximam, vt Strabo refert pag. 355. Ab hac ergo eiusque cultu nomen regionis ſeu prouinciæ.

4. *Aciliſene* Straboni quoque nota fuit, quam cum *Sophene* ita lib. xi pag. 363 deſcripſit: ἐκ τῶν προσαρκτίων μερῶν ἡ Σωφηνὴ κεῖται μεταξὺ τȣ̃ τε Μασίȣ καὶ τȣ̃ Αντιταύρȣ. ȣ̃τος δὲ ἀπὸ τȣ̃ Ευφράτȣ καὶ τȣ̃ Ταύρȣ τὴν ἀρχὴν λαβὼν, τελευτᾷ πρὸς τὰ ἑῶα τῆς Αρμενίας, ἀπολαμβάνων μέσην τὴν Σωφηνὴν, ἐκ θατέρȣ δὲ μέρȣς ἔχων τὴν Ακιλισήνην, μεταξὺ ἱδρυμένην τȣ̃ Ταύρȣ δὲ καὶ τῆς τȣ̃ Ευφράτȣ ποταμίας, πρὶν ἢ κάμπτειν αὐτὴν ἐπὶ νότον. *A ſeptemtrione* [reſpectu Commagenæ & Meſopotamiæ] *Sophena eſt, Maſium inter & Antitaurum: qui ab Euphrate & Tauro initium ſumens, in partes Armeniæ orientales deſinit, accipiens Sophenen in medium, ex altera parte habens Aciliſenen, ſitam inter Taurum & alueum Euphratis, antequam ille in meridiem ſe flectat.* Quoquo modo ſe alueus ille Strabonis habet, de quo ſupra dixi; id tamen certum eſt, in occidentali plaga ab Antitauro ad Maſium Sophenen eſſe: inde ad Taurum vsque Aciliſenen. Ptolemæus autem quia alium ductum Euphratis habet, procul a Tauro in Tabula, ipſius operibus adiecta, *Aciliſene*, & quidem ab ortu Sophenes poſita conſpicitur.

X.

Tertium tmema Ptolemæi, quod μεσημβρινώτερον dicit, id magis auſtrale quam cetera, ſitum eſt inter Euphratem & fontes Tigridis. Male Latinus interpres vertit *inter Euphratis & Tigridis fontes*, vbi Græce ſcriptum eſt μεταξὺ μὲν τȣ̃ Ευφράτȣ καὶ τῶν τȣ̃ Τίγριδος πηγῶν. Si enim inter vtriusque fontes eſſet, non poſſet ceteris eſſe auſtralius. Euphratem vero Salmaſius eam partem interpretatur, *quæ Commagenen ab Armenia Maiore ſeparat, vbi Taurum montem diuidit:* quod facile intelligimus, ſi, quantum

tum

tum Ptolemæus a Strabone in ductu Euphratis, a nobis ſupra deſcripto, diſſentiat, diſtinctius curatiusque cogitamus. In hac parte tres regiones Ptolemæus numerat, *Azetenen* ſiue *Anzitenen*, vt in Palatino eſt: & ſub illa *Thoſpitidem: εἶτα Κορινέαν, deinde Corineam;* ſed ignotas omnes. Addit ab oriente fontium Tigridis ſitam *Bagrauandenen*, ſeu vt in Palatino eſt; *Bagradauenen*, ſub qua locat *Gordenen*, *Cotæam*, *Mardos*, quos alii extra Armeniæ fines ponunt: & *Gordyneſiam*, in qua *Tigranocerta*, *Tigranoama* ſiue *Tigranaana*, & *Artagigarta* recenſet.

2. Ex his notior *Gordene* eſt, ſiue, vt plures vocant, *Gorduene*, *Gordyene*, etiam, *Corduene*, a Gordyæis montibus adpellata, qui etiam טורי קרדו *montes Kardu* vocantur ab Onkeloſio Geneſ. VIII, 4, incolæ Γορδυηνοὶ, *Gordyeni*; & *Gordueni*; & *Cordueni* apud Sextum Rufum cap. III. Et de his minime dubium eſt, quin intra Armeniam habitauerint loco, quem Ptolemæus ſuæ *Gordenæ*, & montibus huius nominis, adſignat; vt a nobis ſupra in montibus eſt demonſtratum. De populo & regione Plutarchus in Lucullo & Pompeio pag. 508, 512, 638, & alibi. De regione etiam Ammianus lib. XXV cap. XXIII Grut. ed. [Valeſ. cap. VII] in Ioviani imperatoris ignobili pacificatione: *Quo temporis* [quatridui inter pacis deliberationes exacti] *antequam hi* [Perſarum legati de pace offerenda] *mitterentur, ſi exabuſius princeps paullatim terris hoſtilibus exceſſiſſet, profecto veniſſet ad præſidia Corduenæ, vberis regionis & noſtræ, ex eo loco, in quo hæc agebantur, centeſimo lapide diſparatæ.*

3. Addi huic parti debet *Gorgodylena*, quam Strabo Niphati monti, qui pars Tauri eſt, ſubiecit, quum pag. 363 dicto libro dicit, *κατὰ τὴν Γοργοδυλην὚ὴν ὁ Νιφάτης, εἶτ᾽ ὁ Ἄϐος, iuxta Gorgodylenen Niphates eſt: deinde Abus.* Vtrumque vero montem in ſerie cum Tauro, vt ſupra vidimus, connectit.

XI.

Sunt præterea aliæ regiones Armeniæ, quæ certo tmemati aut loco non poſſunt adſignari. Tales *Cholobetena* eſt & *Taurantium*. Stephanus Byzantius: Χολοϐητηνὴ, *μοῖρα Ἀρμενίας, Cholobetene, pars Armeniæ eſt.* Bocharto lib. II cap. IX videtur a *Chul*, Arami filio, Semi nepote, quaſi eius בית, *domus* & habitatio. Altera eſt *Taurantium* Taciti, lib. XIV c. XXIV de Corbulone dicentis, quum ab Artaxatis aduerſus Tigranocerta iret; *in regionem Taurantium transgreſſus, inprouiſum periculum vitauit.* Florentino codice *Taurannicium*; Ryckiano *Tauramnitium* legitur, quaſi fluminibus, ex Tauro decurrentibus, rigetur illa regio. Propior ſane Tigranocertis eſt quam Artaxatis, quod ex itinere Corbulonis adparet: Tigranocerta autem in auſtrali Armeniæ parte & Tauro vicina erant. Vulgata ſcriptura, *Taurantium*, a Lipſio eſt.

XII.

Hactenus de regionibus: ſequuntur vrbes & oppida: ſed ne totidem quidem, quot regiones ſunt, habemus cognita. Magnus quidem oppidorum numerus apud Ptolemæum eſt, ſed pleraque obſcura ita, vt neque

in

in hiſtoriis vllis, neque in geographorum aliis libris inueniantur. Quanti enim hæc facienda primi tmematis, *Sala*, *Aſcura*, *Baraza*, *Lala*, *Sanguta*, *Sataphara*, *Toga*, *Varutha*, *Azatha*, *Cholua*, *Sedala*, *Surta*, *Taſtina*, *Cozola*, *Cotomana*, *Giſma*, *Choluata*, & alia? & in ſecundo tmemate *Zathua*, *Tiniſſa*, *Zoriga*, *Sana*, *Brizaca*, *Zogocara*, *Cubena*, *Cholua* alia, *Citamum*, *Anarium*, reliqua? & in tertio, *Elegerda*, *Mazara*, *Anzeta*, *Soita*, *Thoſpia*, *Corrha*, *Artaſigarta*, alia? ignobilia nomina ſunt, quæ ad rerum cognitionem nihil adferunt. Ea ergo perſequemur oppida, quæ comprobata ſunt ab hiſtoricis, & de quorum tam nomine quam ſitu conſtat certius.

XIII.

Metropolis & regia ſedes fuerunt *Artaxata*, adpoſita Araxi fluuio, Hannibalis, vt fama erat, ingenio regi Artaxæ ſeu Artaxiæ condita, a quo etiam nomen vrbs obtinuit. Strabo lib. XI pag. 363 ὁ Αράξης πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἐνεχθεὶς μέχρι τῆς Ατροπατηνῆς, κάμπτει πρὸς δύσιν καὶ πρὸς ἄρκτους, καὶ παραῤῥεῖ τὴν Ἄζαραν πρῶτον, εἶτ᾽ Αρτάξατα πόλιν Αρμενίων. *Araxes in ortum fertur vsque Atropatenam Mediam, vbi flectit ſe in occaſum & ſeptemtrionem, & primum Azaram præterfluit, deinde Artaxata, vrbem* [primariam] *Armeniorum:* poſtea per *campum Araxenum*, quod idem Strabo addit, effertur in mare Caſpium. De *Azara* nihil habemus, præter id quod Araxi fuerit impoſita poſt flexionem fluminis, citra tamen regiam Artaxata. Ad hanc igitur explicandam reuertimur.

2. Plinius lib. VI cap. IX *in campis iuxta Araxem Artaxata*. Et Tacitus lib. XIII cap. XXXIX Corbuloni *orta fiducia caput gentis Artaxata adgrediendi: nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ ſi amnem Araxem, qui mœnia adluit, ponte transgrederentur, ſub ictum dabantur: procul & latioribus vadis tranſiere.* Ab Iberis, Parthis, Romanis capta, quæ ſingula fata ab Tacito indicata ſunt, lib. VI cap. XXXIII; lib. XII cap. L; lib. XIV cap. XXIII

3. Vrbs *Artaxata* condita fertur ab Hannibale pro rege Artaxia. Strabo pag. 364 Αρτάξατα, ἣν [πόλιν] καὶ Αρταξιάσατα καλοῦσιν, Αννίβα κτίσαντος Αρταξίᾳ τῷ βασιλεῖ ἐπὶ τῷ Αράξῃ, *Artaxata, quæ vrbs etiam Artaxiaſata vocatur, condita ab Hannibale regi Artaxiæ, ſuper Araxe.* Plenius id deſcripſit Plutarchus Lucullo pag. 513 Λέγεται, *fama eſt, Hannibalem Carthaginienſem deuicto ab Romanis Antiocho, contuliſſe ſe ad Armenium Artaxiam, eique* εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον, *auctorem & ſuaſorem cum aliorum, tum etiam vrbis in ſede opportuna condendæ fuiſſe. Quod regi quum placuiſſet, atque ab eo contendiſſet, vt ipſe operis curam ſuſciperet, Hannibalem amplam & magnificam vrbem excitaſſe,* ἐπώνυμον τοῦ βασιλέως, μητρόπολιν τῆς Αρμενίας, *quæ ab rege adpellationem ſortita caput factum fuerit Armeniæ.* Dixit Plutarchus λέγεσθαι, *famam eſſe*, quaſi dubitauerit de re. Sane Cornelius Nepos in Vita Hannibalis nihil de exſilio eius Armenio narrauit, ſed victo Antiocho in Cretam primum; deinde in Bithyniam ad Pruſiam regem veniſſe, vbi etiam mortuus eſt. Stephanus dicit Artaxiam regem condidiſſe: de Hannibale ſilet.

4. Vrbis

4. Vrbis huius nomen plerique plurali numero efferunt, *Artaxata*, *τὰ Ἀρτάξατα*, vt exemplis Strabonis, Plutarchi ſupra adlatis; etiam Dionis lib. XXXVI [& XLIX p. 474] in Mithridatico bello; & in Nerone apud Xiphilinum: item Tacitus dicto loco, & lib. XIII cap. XLI *Artaxatis ignis immiſſus:* & lib. XIV cap. XXIII *Corbulo poſt deleta Artaxata vtendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta pergit.* Idem vero etiam ſingulari forma annali II cap. LVI *in vrbe Artaxata:* & lib. VI cap. XXXIII *vrbe Artaxata potiuntur.* Sed hæc pauca & rara ſunt: cum multis facit etiam Iuuenalis ſatyra II extrema, ſimul accentum docens & veram pronuntiationem:

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Hæc de *Artaxatis in campo* ſitis Araxeno, *πρὸς τῷ Ἀραξηνῷ πεδίῳ*, vt Strabo dixit pag. 364.

5. Eadem vero diſtinguenda ab *Arxata*, ſita *πρὸς τοῖς ὅροις τῆς Ἀτροπατίας*, *ad fines Atropatiæ*, quæ ſeptemtrionalis Media eſt, &, vt videtur, etiam ad Araxem, qui eos fines præterlabitur; quod itidem Strabo ibidem adnotauit. Ptolemæus lib. V cap. XIII plura oppida enumerauit *παρὰ τὸν Ἀράξην*, *ad Araxen* ſita (ſic legendum ibi eſſe, non *Euphratem* ex vno illorum *Artaxatis*, & ex ipſo tmemate Salmaſius dicto loco pag. 438 demonſtrauit) quæ vero, præter *Artaxata* iam laudata, ſunt omnia obſcura, ſic ab occaſu in ortum poſita: *Breſſus*, *Elegia* [diuerſa ab alia Plinii] *Chaſira*, *Chorſa*, *Thalina*, & hæc citra Artaxata: vltra hæc, *Naxuana*. De *Araza* Strabonis ſupra diximus.

XIV.

Secunda vrbs clarior Armeniæ fuit *Armoſata*, quæ & *Arſamoſata* dicitur, quippe hæc vnius vrbis vocabula ab eruditis viris cenſentur, in quibus Ezechielem Spanhemium, qui vnus inſtar omnium eſt, de Vſu & præſtantia Numm. p. 903, nominaſſe ſufficiat. Polybius Excerpt. Conſtantinianis de Virt. & Vit. ex lib. VIII pag. 1380 *Ξέρξου βασιλεύοντος πόλεως Ἀρμόσατα, ἣ κεῖται πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ, μέσον Εὐφράτου καὶ Τίγριδος· ταύτῃ τῇ πόλει παραστρατοπεδεύσας Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς*, *imperante regulo quodam Xerxe vrbi Armoſata, quæ media inter Tigrim & Euphratem eſt, Antiochus caſtra huic vrbi admouit.* Quod inter hos fluuios dicitur poſita, inducti quidam ſunt, vt in Meſopotamia cenſerent, in quibus & vir ſummus Lucas Holſtenius ad Ortelium Adnotationibus eſt. At Plinius in Armenia locauit lib. VI cap. IX. *Oppida*, inquit, *celebrantur in maiore* [Armenia] *Armoſata Euphrati proximum; Tigri Carcathiocerta.* Ptolemæus quoque in tertio Armeniæ tmemate *Ἀρσαμόσατα*, *Arſamoſata*, prope Taurum quidem, tamen intra Armeniam. Et Tacitus lib. XV cap. X in Armeniæ rebus *Arſamoſata* caſtellum memorat, etiam intra Taurum in Armenia ſitum, non in Meſopotamia. Quod vero Plinius *proximum* Euphrati poſuit, in eo fallitur, quum Ptolemæus Polybio de medio inter vtrumque flumen ſitu conſentiat: ſcilicet inter Euphratem, vbi mox Taurum perrupturus eſt: & inter Tigridem ex fonte ſuo per Armeniam ad

Taurum verſus decurrentem. *πόλιν*, *vrbem* dixit Polybius: in *oppidis* Plinius & Ptolemæus numerauerunt; id quod etiam nummus ibi poſt Taciti tempora cuſus, de quo mox dicemus, non leuiter videtur probare: *caſtellum* eſt Tacito, quod vel munitum ſonat oppidum inſtar caſtelli; vel oppido adiunctum caſtellum ſignificat, vbi coniugem & filium Pætus, tamquam in tuto loco abdiderat. Nomen, vt vidimus, geminum, *Armoſata* & *Arſamoſata*; illud Polybii, hoc Taciti & Ptolemæi: ſed Polybianum confirmatur nummo M. Aurelii Mediceo, quem laudatiſſimi viri Holſtenius & Spanhemius viderunt, inſcripto ΑΡΜΟϹΑΤΤΗΝΩΝ, *Armoſattenorum*. Nec vero reſpuendum eſt alterum, quod omnes codices habent, quod etiam Plinii videtur fuiſſe, quum in antiquis libris reliquum ſit *Arſamote:* in cuius locum Harduinus ex nummo *Armoſata* ſubſtituit.

XV.

Tertia vrbs eſt inter claras *Tigranocerta*, ab rege Tigrane Mithridatici belli tempore condita: ideo Appianus eiusdem belli deſcriptione *πόλιν νεοκατάσκευον*, *vrbem recens conditam* dixit. Sita erat vltra Tigris fontes, Taurum montem verſus, vt Ptolemæus locum deſignauit: in excelſo monte, quod Plinius adiecit; in parte Armeniæ auſtrali. Vnde eſt, quod Claudius Cæſar, Armeniam menſurus, latitudinis lineam a Tigranocertis ad Iberiam duxit. Plinius lib. VI cap. IX *Oppida celebrantur in maiore* [Armenia] *Armoſata, Euphrati proximum, Tigri Carcathiocerta: in excelſo autem Tigranocerta: at in campis iuxta Araxem Artaxata. Vniuerſæ magnitudinem Aufidius quinquagies centena millia prodidit. Claudius Cæſar longitudinem a Daſcuſa ad confinium Caſpii maris* XIII M. *paſſuum: latitudinem dimidium eius a Tigranocerta ad Iberiam.* Eumdem ſitum Tacitus lib. XV cap. V vicinitate vrbis Niſibis in Meſopotamia confirmat. *Centurio*, inquit, *apud oppidum Niſibin, ſeptem & triginta millibus paſſuum a Tigranocerta diſtantem, adit regem.*

2. Nominis adpellationem declarat Byzantius chorographus, quod ſit τῇ Παρθυαίων φωνῇ Τιγρανόπολις, *Parthorum lingua Tigranopolis.* Sed an a Parthis vox altera ſit, neſcio: certius Heſychius: Κέρτα, πόλις ὑπὸ Ἀρμενίων, *Kerta vrbs ſub Armeniis:* ſeu potius, *Kerta Armeniis vrbs eſt;* immo & Syris *Kerta, Karta,* קרתא, vnde etiam *Carthago* a Tyriis nominata eſt in Africa.

3. Munimenta & præfluentem amnem laudat Tacitus lib. XV cap. IV *Occupauerat Tigranocerta, vrbem copia defenſorum, & magnitudine mœnium validam. Ad hæc Nicephorius amnis haud ſpernenda latitudine partem murorum ambit: & ducta ingens foſſa, qua fluuio diffidebatur.*

4. Amplitudinem & ornamenta deſcripſit Plutarchus Lucullo p. 508 Τιγράνης μὲν ἐκλιπὼν Τιγρανόκερτα, μεγάλην πόλιν, ἐκτισμένην ὑπ᾽ αὐτοῦ, πρὸς τὸν Ταῦρον ἀνεχώρησε, *Tigranes relictis Tigranocertis, grandi vrbe, quam condiderat ipſe, ad Taurum ſe recepit.* Et poſt paullo: ἦν δὲ καὶ χρημάτων ἡ πόλις μεστὴ καὶ ἀναθημάτων, *erat autem opulentiæ plena & ornamentorum.* Strabo extre-

extremo lib. XI dixit κτίσμα ἡμιτελὲς, *ſemiperfectum opus*, propter Luculli aduentum, antequam conſummaretur: qui etiam populos, quos ex captis & vaſtatis oppidis eo deduxerat, in patriam ſuam remiſerit. Nihil autem defuit, quo minus & poſtea vrbs magna & frequens cenſeretur: vt vel ſolis Taciti teſtimoniis adprobari poteſt. Quod vero ibidem Strabo, πλησίον τῆς Ἰβηρίας, * *vicinam Iberiæ*, inter hanc & Zeugma Euphratis hanc vrbem poſuit, fateor me non intelligere, quum Zeugma Commagenæ Syriæ ab Iberia longius diſiuncta ſit, quam vt ex illorum conlatione loci interiecti ſitus deſignari queat. Quiduis ergo aliud ſub *Iberiæ* vocabulo latere ſuſpicor.

5. Tandem de genere vocabuli addo, Stephanum quidem tradere, οὐδετέρως, *neutro* genere efferri, vt Plutarchi verbis, quæ modo attulimus, expreſſum erat. Inuenitur vero etiam femininum. Appianus Bello Mithridat. pag. 363 Τιγρανόκερταν ἀφ' ἑαυτοῦ προσεῖπε, *Tigranocertam a ſe denominauit.* Tacitus vtroque genere vſus hoc vocabulo eſt, femineo lib. XIV cap. XXIV *legati Tigranocertâ miſſi.* Vide contextum, qui ſextum caſum poſtulat. Et lib. XV cap. V *apud oppidum Niſibin, ſeptem & triginta millibus paſſuum a Tigranocerta diſtantem:* at breui poſt, *omittere Tigranocerta* iubet: & cap. VI *exercitum a Tigranocertis deductum:* & cap. VIII *reciperandis Tigranocertis.*

XVI.

Alicuius nominis etiam *Artagêra* fuit, ambigui generis atque ſcripturæ: nobilitata vulnere Caii Cæſaris, ex quo etiam mortuus eſt. Strabo ſub finem lib. XI Ἀρταγῆρας ἀπέστησε μὲν Ἄδωρ ὁ φρούραρχος, *Artageras ad defectionem perduxit Ador, præſidii præfectus.* Velleius Paterculus lib. II cap. CII de Caio Cæſare: *circa Artageram grauiter a quodam, nomine Adduo, vulneratus.* Eamdem hiſtoriam perſequutus Zonaras Tomo II pag. 167 Ἄδδων γάρ τις τὰ Ἀρτάγειρα κατέχων, *Addo quidam Artagira tenens:* quam veram formam nominis, producta pænultima, putamus eſſe, ita vt diphthongus per *e* & *i* legi poſſit. Ptolemæus oppidum *Artagigarta*, ſitum inter Arſamoſata & Tigranocerta prope Taurum, quod videtur Artageira eſſe, leui prauatione in litteris facta poſterioribus. Quod ſi eſt, de ſitu eius non debemus ſolliciti eſſe, qui, ſi hoc repudiamus, incertus plane ac obſcurus eſt.

XVII.

Fuit etiam *Carcathiocerta*, Straboni & Plinio commemorata, qui vero ſitu admodum diſſentiunt. Ille enim lib. XI pag. 363 βασίλειον τῆς Σωφηνῆς Καρκαθιόκερτα, *regia Sophenes eſt Carcathiocerta:* hic vero lib. VI cap. IX *Oppida in* [Armenia] *maiore Armoſata Euphrati proximum; Tigri Carcathiocerta.* Quod ſi caput Sophenes eſt, vt dixit Strabo, quomodo Tigri proxima, quum Sophene potius ad Euphratem ſita ſit, quam ad Tigrim?

* Videtur *Iberia* hoc loco *Nibarus* eſſe, quem Strabo XI pag. 803 etiam *Imbarum* adpellare videtur. Is imminebat Tigranocertæ ita, vt hæc vrbs media eſſet inter Imbarum & Zeugma ad Euphratem.

grim? *Proximum* ergo Plinii videtur *propius* interpretandum, quia nec Armoſata ſiue Arſamoſata ſunt Euphrati ex Ptolemæi poſitione proxima, ſed tantum propinquiora quam Tigridi. Sic Carcathiocerta, ſi in Sophene interiori fuit, aut ad fines eius orientem verſus, vtique Tigridi etiam, quam Euphrati, fuit propinquior. Præter hos auctores nihil de ea ex hiſtoriis vel aliunde cognitum habemus. *Daſtira*, Δάςειρα, in ora occidentali Acilifenes. Strabo lib. XII pag. 382 τῆς Ακιλισηνῆς κατὰ Δάςειρα. Vide mox in Minore Armenia. *

XVIII.

Citerior ad Euphratem, prope Taurum fuit *Elegia* ſiue *Elegea*, Græce Ελέγεια. Plinius l. V c. XXIV de Euphratis curſu: *Nauigatur* [a Melitene] *Elegiam Armeniæ decem millia paſſuum, acceptis fluminibus Lyco, Arſania, Arſano. Apud Elegiam occurrit ei Taurus mons: nec reſiſtit, quamquam* XII *millium paſſuum latitudine præualens.* Stephanus chorographus: Ελέγεια χωρίον πέραν Ευφράτε, *Elegeia oppidum eſt trans Euphraten:* ideoque Plinius *Elegiam Armeniæ* dixit. Hæc autem ab altera *Elegia* Ptolemæi, Græce Ηλεγία, diſtincta eſt, quamquam Ptolemæus etiam ſcripſit ad Euphratem illam ſitam fuiſſe: quia vt ſupra oſtendimus, Salmaſius in Solinum p. 441 probauit, ibi *Araxem*, pro *Euphratem*, legendum eſſe, quod etiam ex longitudine ac latitudine, a Ptolemæo tributa, clarum eſt, quippe neutri cum loco conuenit, vbi Euphrates montem Taurum ſcindit, & in Syriam tendit: quod pluribus dicto loco demonſtrauit Salmaſius.

XIX.

Tandem etiam caſtella quædam circa Artaxata Strabo nominauit pag. 364 *Babyrſam* & *Olanen*, in montibus ſita, Φρέρια ὀρεινὰ, Tigranis & Artabazi γαζοφυλάκια, *theſaurorum receptacula*, quod multum munita fuiſſe arguit: hæc vero ὀ πολὺ ἄπωθεν ἐςὶ τῆς πόλεως, *haud longe ab vrbe* [Artaxatis] *aberant:* cuius generis dicit etiam multa ad Euphratem fuiſſe condita, quorum vero nomina & diſtantiæ ignorantur.

XX.

Aeque incerta ratio caſtelli eſt *Gornearum*, in quod rex Mithridates confugit, quum a fratre Iberiæ rege Pharaſmane eiusque filio Rhadamiſto pelleretur. Tacitus lib. XII cap. XLV *territum exutumque campis Mithridatem compulit in caſtellum Gorneas, tutum loco ac præſidio militum, quis Cœlius Pollio præfectus, centurio Caſperius præerat.*

SECTIO II.

ARMENIA MINOR.

XXI.

Armenia Minor, ἡ μικρὰ Αρμενία, Maiori ab occaſu oppoſita, interfluente Euphrate, non iisdem finibus a cunctis eſt circumſcripta. Strabo lib. XII pag. 382 quum de munitis gazophylaciis arcibusque a latere Paryadris montis & ad Armeniam Minorem ſitis egiſſet, ſubdit: εἰς ταύτας κατέ-

φυγε τὰς ἐϛχατιὰς τῆς Ποντικῆς βασιλείας ὁ Μιθριδάτης, ἐπιόντος Πομπηΐε, καὶ τῆς Ακιλισηνῆς κατὰ Δάϛειρα, εὔυδρον ὄρος καταλαβόμενος πλησίον δ᾽ ἦν καὶ ὁ Ευφράτης ὁ διορίζων τὴν Ακιλιϛηνὴν ἀπὸ τῆς μικρᾶς Αρμενίας, *in has vltimas Pontici regni margines Mithridates, ingruente Pompeio, refugit, montem aqua præditum, iuxta Daſtira Aciliſenes ſitum, occupans: prope autem Euphrates eſt, qui diuidit Armeniam minorem ab Aciliſena.* Mons ille aquoſus non fuit in Aciliſena, maioris Armeniæ præfectura, vt perperam vertit interpres Latinus: ſed cis Euphratem in Armenia Minore, e regione loci Aciliſenes, quem Daſtira adpellant. Ex quibus inconſtantia Strabonis de curſu Euphratis intelligitur. Si enim, vt ſupra deſcriptum fuit, ex Tauro ille ortus, in occaſum labitur vſque ad flexum quo Taurum penetrat; quomodo poteſt Armeniam minorem ab Aciliſena, quæ multo ſuperior eſt, disiungere? Hic enim cum aliis pluribus & ſenſit & ſcripſit; antea ſingulari aut veteri quadam de Euphrate vſus fuerat opinione. Ceteri limites ex oppidis, quæ tribuuntur huic Armeniæ, cognoſci quodammodo poſſunt.

XXII.

Strabo, iam dicto loco, nullum ibi nominat præter *Nicopolim*, Pompeii opus. Πομπήϊος, inquit, περὶ τὸν τόπον τῦτον πόλιν ἔκτισεν ἐν τῇ αὐτῇ μικρᾷ Αρμενίᾳ Νικόπολιν, καὶ νῦν συμμένει, καὶ οἰκεῖται καλῶς, *Pompeius in loco illo, in minore Armenia, condidit Nicopolim, quæ etiamnum conſtat, & commode habitatur.* Plinius lib. VI cap. IX *Oppida celebrantur in minore* [Armenia] *Cæſarea, Aza, Nicopolis.* De ceteris poſt dicturi ſumus: nunc ſola Nicopolis nobis curæ eſt. Et Stephani tertia Nicopolis ἐϛι τῆς μικρᾶς Αρμενίας, *minoris Armeniæ eſt.* Et Ptolemæus lib. V cap. VII, quo de Minore Armenia agit, quartum oppidum in mediterraneis, ſiue ab Euphrate remotis, ponit Νικόπολιν, *Nicopolin:* vbi ſitus latitudinem definit quadraginta vnum gradus & trientem: longitudinem ab Euphrate per duos ferme gradus reducit in occaſum. Sed Euphratis alueus, vt ſupra vidimus, eſt incertior. Hæc vrbs cognomen a conditore accepit, quo ab aliis eiusdem nominis fuit diſcreta. Dio Caſſius lib. XLIX pag. 415 de Antonio: καὶ τέλος ἐς τε τὴν Νικόπολιν τὴν τῦ Πομπηΐε αἰφνίδιον ἅμα τῷ ἦρι ἦλθε, *poſtremo repente ſub initium veris Nicopolim Pompeii venit.* Itinera Antonini, a Cæſarea Cappadociæ vnum, alterum ab Arabiſſo directum Satala, per hanc Nicopolim ducunt, fere eadem ſitus poſitione, qua Ptolemæus illud ſtatuerat. Medio æuo, vt Hierocles enumerat, fuit vrbs ſecunda Armeniæ primæ.

XXIII.

Aza, altera, quam Plinius nominabat, Armeniæ huius vrbs, quam Ptolemæus in Ponto cenſuit Cappadocio. Sita enim eſt longe in ſeptemtrionem a Nicopoli, longitudine pari, latitudine XLII graduum & ſextante: quæ eadem eſt latitudo Satalæ, in ortum paullo reductæ, eodem auctore Ptolemæo. Quod ſi ita eſt, vitium latet in Itinerario, quo Aza inter Nicopolim & Satalam locatur, ab hac XXVI M. P. vtroque itinere, antea indicato, ſeiuncta. In Auguſtana vero Tabula, qua *Haſſis* ſcribitur (ſicut etiam Aldina & Simleriana editione Itinerarii cum adſpiratione eſt *Haza*)

etiam XXV millibus a Satala ſeparatur: vt ita dubium ſit, vbi vitium hæreat, quia Tabula cum Itinerario contra Ptolemæum conſentit: niſi forte non recta via, ſed per ambages illud iter duxit; qualis anfractus in dicta Tabula Peutingeriana obſeruatur.

XXIV.

Tandem Plinius etiam *Cæſaream* in minore Armenia, & primo quidem loco, poſuit, ignotam ceteris geographis. Harduino videtur *Neocæſarea* illa eſſe, quam Nicephorus lib. VIII cap. XIV memorat, in Nicaëno conſilio fuiſſe Παῦλον τὸν Νεοκαισαρείας· ὄχθῃ δὲ τῇ τοῦ Εὐφράτου αὕτη παράκειται, *Paulum Neocæſareæ epiſcopum, quæ ripæ Euphratis eſt adpoſita.* Sed hæc potius eſt *Cæſarea* Euphrateſiæ, in Notitiis epiſcopatuum pag. 59 laudata; id quod etiam Holſtenio ad Ortel. pag. 128 viſum eſt. Itaque dubia plane ac incerta eſt illa Plinii Cæſarea, in minore Armenia poſita, quam nemo vmquam alius, quod conſtet nobis, in Armeniæ vrbibus memorauit.

XXV.

Satala quoque vrbs Armeniæ minoris, a pluribus celebratur. Ptolemæus in mediterraneis huius Armeniæ primo loco habet Σάταλα, *Satala*, latitudine XLII graduum & ſextantis. Xiphilinus ex Dione in Traiano: ἐς Σάταλα ἦλθε καὶ ἐς Ἐλέγειαν, τῆς Ἀρμενίας χωρία, *Satala venit & Elegeiam, Armeniæ oppida.* Laxe hic Armenia interpretanda, quia Satala in minore; Elegia in maiore ſita πέραν, *trans* Euphratem, vt ſupra Stephanus poſitionem eius definiuit: & ſatis longo a Satalis interuallo, quia hæc ad fines Ponti Cappadocii; Elegia ad montem Taurum prope fines Syriæ Commagenæ. Situm confirmat Itinerarium, ante dicto itinere a Cæſarea Cappadociæ Satalam: quo per Armaxa, Sebaſtiam & oppida alia *Zaram* & *Dagolaſſon* ducitur: inde

Nicopolim	M.	P.	XXIIII
Clotœdarizan	M.	P.	XXIIII
Ad Dracones	M.	P.	XXVI
Azam	M.	P.	XXIIII
Satalam	M.	P.	XXVI.

Idem ordo, eadem diſtantia ſeruatur itinere ab Arabiſſo Satalam, quo ad *Satalam* hoc ſingulare adſcriptum eſt, *Leg.* XV *Apollina.* id eſt, legio XV Apollinaris: quod cognomen in multis inſcriptionibus decimæ quintæ eſt, quæ in locis illis caſtra ſtatiua habuit, idque a longis temporibus: quippe Dio Caſſius, Auguſti Cæſaris legiones recenſens, lib. LV pag. 564 ſcripſit, ςρατόπεδον τὸ πεντεκαιδέκατον τὸ Ἀπελλώνειον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ, *Legio decima quinta Apollinea, in Cappadocia.* Et Gruter. pag. 434 inſcr. I

TRIB. MIL. LEG. XV
APOLLINARIS.

Nomen *Satala* vtriusque numeri eſt, Græcis plurale vt ex Dione cognovimus: atque ita etiam Socrates lib. II cap. XLII Ἐλπίδιον Σατάλων τῆς Ἀρμενίας (ſic legendum, non Macedoniæ, Valeſius probauit) *Elpidium Satalorum Arme-*


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
SYRIA
Taurus Mons
Samoſata
Edeſſa
Antiochia ad Taurum
COMMAGENE
Neronis
Cydnus Flu.
Lamotis
Lamus Fl.
CILICIA
CAMPESTRIS
Aleii campi
Pyramus Flu.
Pinarus Flu.
Antiochia
Tarſus
Mallos
Aegæ
Iſſus
Solæ, Pompeiopolis
Sinus Iſſicus
MARE CILICIUM
Amanus Mons
Epiphanea
Germanica
Aliaria
Doliche
Bemmaris
Zeugma
Seleucia
Apamea
Batnæ
Cannaba
Anthemuſia, quæ et Oſroene
Maſius Mons
Olibera
Ballathia
MESOPOTAMIA
Carræ
Anthemuſium
Acraba
Dauana
Chaboras Flu.
Aboras ſiue Chaboras
Euphrates Fl.
Europus
Cæcilia
Aniana
Cyrrhus, quæ et Cyrus
Singa
Amani Portæ
Pagræ
Immæ
Cyrrheſtica
Pinara
Minniza
Alexandria
Pylæ Syriæ
Gindarus
Batnæ
Bambyce, ſiue Hierapolis
Gerræ
Belius Flu.
Nicephorium
Callinicum
Myriandrus
Pieria
Gabe
Berrhoea, Beroea
Rhoſus
Pierius Mons
Litarbi
Singas Flu.
Callecome
Paphara
Gephyra
Chalcidene
Chalcis
Barbariſſus
Athis
Maguda
PARS
Seleucia
SELEUCIS siue ANTIOCHENE
Antiochia
Lydia
Reſapha
Thema
Chalybonitis
Alalis
Poſidonium
Heraclea
Daphne
Laodicea
Caſius Mons
Anticaſius M.
Orontes Fl.
Lyſias
Androna
Acoraba
Aſaph
Oriza
Circeſſus ſ. Circeſium
Chabora
Gordiani ſepulcrum
Zaitha
Dura
Sura
Rheſena
Elbia
CHALDAEA
Gabala
Paltos
Caſiotis
Belus Mons
Marathus
Balanea
Caranus naualе
Aradiorum
Aradus Inſula
Antaradus
Apamea
Apamene
Marſyas Flu.
Seleucia ad Belum
Mariama
Seriana
Chalybon
Adada
Alamata
Thapſacus Amphipolis
Euphrates Fluuius
Phatuſæ Vicus
Pombedita
Berſabora
Fiſſenia
Nearda
Sitha
MARIS
MEDITERRANEI PARS
MARE SYRUM
Lariſſa
Tolmideſſa
Palmyra, Thadmor
PALMYRENE
Chauchabeni
Dacira
Megia
Zaragarda
BABYLONIAE FINES
Euphrates Flu.
Simyra
Eleutherus Flu.
Orthoſia
Arca
Epiphanea
SYRIA
Solitudo Palmyrena
Coara
Raphane
Arethuſa
Tripolis
Dei Facies Prom.
Emeſa
Solaramia
Botrys
Mariame
Orontes Flu.
Byblus
Adonis
Danaba
Palæbyblus
Aphaca
Lycus
Mamuga
Laodicea Cabioſa, ſiue ad Libanum
ARABIA
Berytus
Libanus
Lybon
Leonum Oppid.
Heliopolis
Paradiſus
Iabruda
Arabes Scenitæ
Beana
Sidon
Leontes Flu.
COELESYRIA PROPRIA
Gaana
Sarepta
Caſama
DESERTA
PHOENICE
Abila
Abilene
Eleutherus falſus
Tyrus
Palætyrus
Antilibanus
Damaſcus
Atera
PHOENICIUM MARE
38
37
36
35
34

Armeniæ epiſcopum: & Sozomenus lib. IV cap. XIV eumdem Elpidium τὸν Σατάλων dixit. Itinerarium feminea forma, *a Satala; Satalam.*

XXVI.

Plura oppida huic Armeniæ, a Melitena regione diſtinctæ, Ptolemæus dat: quorum hæc παρὰ τὸν Εὐφράτην, *iuxta Euphratem* ſunt, vt Palatino codice ſcripta ſunt, *Sinibra, Aziris, Ladana, Zimara, Daſcuſa.* Priora ſubobſcura ſunt: notiora *Zimara* & *Daſcuſa.* Plinius lib. V cap. XXIV fontem Euphratis, ex Licinii Muciani relatione, oriri ſcribit *ſupra Zimaram* XII M. *paſſuum.* Et mox: *Daſcuſa abeſt a Zimara*, LXXV M. *paſſuum.* Breuius interuallum eſt in Antonini itinere a Satala Melitenen per ripam, & inde ad Samoſata: paullo longius in Tabula Peutingeriana: Vtriusque ordinem in conſpectum do:

Zimara			
Teucilam	M.	P.	XVI
Sabus	M.	P.	XXVIII
Daſcuſam	M.	P.	XVI.

Tabulæ autem hæc ratio eſt & ſeries:

Zimara XVIII *Zenocopi* XVIII *Vercuſo* XIII *Saba* XVIII *Daſcuſa.*

XXVII.

Mediterranea Minoris Armeniæ multa oppida Ptolemæus enumerat, in quibus vero nihil illuſtre eſt ac nobile, præter *Satala* & *Nicopolim*, de quibus diximus. Inter hæc duo *Domanam* ponit & *Tapuram*: ſed Peutingeriana Domanam habet ab occaſu Satalorum, XVIII millium interuallo ſeparatam. Vltra Nicopolim recitantur *Chorſabia, Charax, Dagona, Seleoboria, Caltioriſſa, Analiba, Piſingara, Godaſa, Eudixata, Carape, Maſata, Oromandrus, Iſpa, Phuphêna, Arane, Mardara, Orſa* ſiue *Orſara.* Sed præter nomina nihil habemus, quod de iis referamus.

Hæc de Armenia Minore.

CAPVT XII

DE

S Y R I A.

I.

SYria ab Amano & Tauro montibus inter Mediterraneum mare & Euphratem in meridiem procurrit: & vbi hic amnis in orientem ſe flectit, cum Arabia Deſerta communem limitem, ſed minus firmum diſtinctumque habet: auſtrale autem latus a quibusdam, ſacris præſertim ſcriptoribus Palæſtinæ ſeu Terræ Chanaan opponitur; ab aliis ad Aegyptum vſque & Arabiam Petræam extenditur, vt pars Syriæ Palæſtina ſeu Terra Sancta ſit. Sic Strabo non obſcure: Plinius lib. V cap. XII lucidius: *Iuxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus diſtincta nominibus. Namque Palæſtina vocabatur, qua contingit Arabas; & Iudæa; & Cœle;*

Cœle; dein Phœnice: & qua cedit intus Damaſcena: & eadem Meſopotamia inter Euphraten & Tigrin: quaque tranſit Taurum, Comagene: & vltra Armeniam Adiabene, Aſſyria ante dicta: & vbi Ciliciam attingit, Antiochia. Nimis laxe fines ponit Syriæ: ſed in hoc Melam ſuum ſequutus erat, qui prope iisdem hæc verbis lib. I cap. XI recitauit. Et ex hac opinione videtur emanaſſe, vt multi ſcriptores Syriam & Aſſyriam permiſceant ac confundant.

II.

Alii contra quidquid vltra Euphratem eſt, a Syria abſcindunt, quæ principum etiam geographorum, Strabonis & Ptolemæi, eſt ſententia. Sed hi vel longius in auſtrum deducunt Syriam, ad Aegyptum vſque, vt Strabo; vel Palæſtinam inde ſecernunt, ſaltem ſeorſum illam exponunt, vt Ptolemæus: cum quibus etiam nos faciemus, præſertim ideo, quia ſacri ſcriptores, qui omnium ſunt vetuſtiſſimi, non minus a Chanaan, quam ab Aſſur, Syriam, quam ארם, *Aràm* vocant, diſtinxerunt. Non negamus quidem, latius nomen Syrorum patuiſſe, etiam φωνὴν ſiue linguam eorum, quæ ferme eadem in Babylonia & Meſopotamia fuit. Strabo vtrumque confirmat. De lingua ait lib. II pag. 58 τῆς διαλέκτȣ μέχρι νῦν διαμενȣ́σης τῆς αὐτῆς, τοῖς τε ἐκτὸς τȣ̃ Εὐφράτȣ, καὶ τοῖς ἐντός. *eadem adhuc lingua vtuntur, & qui extra Euphratem colunt, & qui intra.* De nominis amplitudine idem lib. XVI ineunte: Δοκεῖ τὸ τῶν Σύρων ὄνομα διατεῖναι ἀπὸ τῶν τῆς Βαβυλωνίας μέχρι τȣ̃ Ισσικȣ̃ κόλπȣ, ἀπὸ δὲ τȣ́τȣ μέχρι τȣ̃ Εὐξείνȣ τοπαλαιόν. *Syrorum nomen videtur tendere a Babylonia vſque ad Iſſicum ſinum: & ab hoc olim vsque ad Euxinum.* Quod probat ex Cappadocum vtrorumque adpellatione, quum tam ii qui ad Taurum ſunt, quam qui ad Pontum, vocati fuerint *Leucoſyri*, id eſt albi Syri. Addo, & Meſopotamiam in ſacris Syriam vocari, nec vero ſimpliciter, ſed פדן ארם *Paddan Aràm*, Geneſ. XXVIII, 2, cap. XXXI, 18, Græcis ſeptuaginta vtroque loco Μεσοποταμίαν referentibus: incola vero Laban ibidem commate 20 & 24 dicitur הארמי, Aramæus; ſiue vt iidem interpretes verterunt, ὁ Σύρος, *Syrus*.

III.

Miſſa autem hac laxiore vocabuli notione, illam tantummodo, quæ *Syriam propriam* nobis exhibet, reſpicimus: ſiue *Syros* illos, qui a Leucoſyris Cappadociæ, & a Meſopotamiæ Syris ſeu Aramæis; nec non a Palæſtinenſibus ſiue Iſraelitis ac Iudæis diſtincti ſunt & ſeparati. De his iterum Strabo lib. XVI ineunte: οἱ ἰδίως ὑπὸ τῶν νῦν λεγόμενοι Σύροι, *qui proprie nunc Syri adpellantur.* Verum neque hi vno modo dicuntur, nec vno deſcribuntur limite. Aliquando enim abiunguntur a Phœnicibus, quos alia diuiſione comprehendunt. Lib. II pag. 86 Strabo: Συρία τε καὶ Φοινίκη, *Syria & Phœnice*, tamquam diſtinctæ regiones: alibi, dicto iam lib. XVI p. 515 inter μέρη, *partes* Syriæ etiam *Phœnicen* numerat, vt iam viſuri ſumus. Strictim ergo ſumta *Syria propria* excludit Phœnicen: paullo laxius, eamdem comprehendit.

IV. Diui-

IV.

Diuiſio nunc *Syriæ* expedienda eſt, cuius partes vt omnes intelligantur, Strabo iam dicto loco finitionem limitum totius Syriæ repetit, quod a ſeptemtrione habeat Ciliciam & Amanum: ab ortu Euphratem & Scenitas Arabas: ab auſtro Arabiam aliam & Aegyptum. His poſitis limitibus, partes inde a ſeptemtrione enumerat haſce; τήν τε Κομμαγηνὴν, καὶ τὴν Σελευκίδα, καλȣμένην τῆς Συρίας· ἔπειτα τὴν Κοίλην Συρίαν· τελευταίαν δ' ἐν τῇ παραλίᾳ τὴν Φοινίκην, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, τὴν Ιȣδαίαν, id eſt, *Commagenam, & Seleucidem cum Syriæ cognomento: deinde Cœleſyriam: tandem ad mare Phœnicen; in mediterraneis, Iudæam.* Ptolemæus non contentus hoc numero partium, addit alias, ex maioribus Strabonis deciſas, & aliter vbique ferme diſtribuit, vt ſint præter maritimas, in quibus & Phœnicen ponit; in mediterraneis *Commagene, Pieria, Cyrrhiſtica* ſiue *Cyrrheſtica; Seleucis: Caſſiotis* ſeu *Caſiotis; Chalybonitis; Chalcidice* ſiue *Chalcidene; Apamene; Laodicene; Phœnicia mediterranea; Cœleſyria; Palmyrene.* Pomponius, quem Plinius ſequitur, vt diximus, *Antiochiam* adiicit, non vrbis nomen, ſed regionis, quæ diſtinctius *Antiochene* vocari poteſt, & eadem eſt quæ Strabonis Seleucis. Nos maiores partes Strabonis (Iudæa tantum demta, quam ſingulari, quod inſequetur, Capiti ſeu ſectioni reſeruamus) ita in præſentia perſequemur, vt minorum etiam Ptolemæi, vbi opus fuerit, rationem habeamus.

SECTIO I.

COMMAGENE.

V.

Commagene, Græcis per duplicem ſcripta Κομμαγηνὴ, & gentile, ὁ Κομμαγηνὸς, *Commagenus:* in quo Strabo, Ptolemæus, Appianus Bello Mithridatico, Dio Caſſius lib. XXXV, & Ioſephus lib. XVIII Antiquit. cap. III conſentiunt: (licet apud hunc lib. VIII de Bello cap. XXVIII littera vna Κομαγηνὴ editum ſit, quod videtur ex lapſu eſſe deſcribentis;) atque ita etiam Ciceronis lib. XV epiſt. I in optimis codicibus eſt *Antiochi Commageni:* Taciti autem & Plinii libris ineſt littera vna ſcriptum *Comagene.* Ille annali II cap. XLII, *Antiocho Comagenorum defuncto:* & cap. LVI *Comagenis Q. Seruæus præponitur, tum primum ad ius prætoris translatis:* Sic meliores libri, etiam Ryckii. Plinii & Melæ codices cuſi ſunt incerti: & in hoc Schottus ac Gronouius *Commageni* ediderunt lib. I cap. II; Voſſius *Comageni:* in illo Harduinus lib. V cap. XII *Comagene;* idem cap. XXIV bis *Commagene.* E quibus adparet, geminato elemento a pluribus; certe a Græcis omnibus, hoc vocabulum ſcriptum eſſe: quos firmant nummi, quibus eſt ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, *Commagenorum.*

VI.

Fines Commagenæ hinc Amano, illinc Euphrate, a tergo Tauro monte artantur: a fronte, Seleucidem verſus & Cyrrheſticam ſunt dubii. Ptolemæus

lemæus nimis anguſtos ponit, Zeugma, Cæciliam, Immam Commagenæ ſubtrahens. Strabo quidem lib. XVI p. 516 *μικρὰν*, *paruam* regionem dixit Commagenem: ampliorem vero conſtituit quam Ptolemæus, dum Zeugma eidem tribuit, quam adimit Ptolemæus, Cyrrheſticæ prouinciæ adſcribens. Plinius, vt Harduinus interpretatur, fines profert longius lib. V cap. XXIV, *Cingilla*, inquit, *Commagenen finit: Imme ciuitas incipit.* Cingillam Harduinus *Κεκιλίαν*, *Cæciliam* Ptolemæi, Euphrati adpoſitam putat eſſe, quæ ſic vtique extrema foret, quia in auſtrali latere, quod deſcribit Plinius, vltima eſſet in ortum ſolis: Imme vero prima ab Antiochia.

VII.

Ab occaſu vt incipiamus, lex & inſtitutum monet geographorum. Ibi ad Amanum montem ex Ptolemæi diſpoſitione eſt *Germanicia*, quod Itinerario Antonini adprobatur, quo itinera a Germanicia Edeſſam, alterum per Dolichen & Zeugma; alterum per Samoſata deducitur. Frequens mentio eius in eccleſiaſtica hiſtoria, propter Neſtorium alumnum, & Eudoxium epiſcopum, vtrumque a ſana de Chriſto doctrina aberrantem. Socrates lib. II cap. XXXVII *Εὐδόξιος Γερμανικείας ἐπίσκοπος ὢν, Συρίας δὲ καὶ ἥδε ἡ πόλις*, *Eudoxius Germaniciæ, quæ & ipſa Syriæ vrbs eſt, epiſcopus.* Idem lib. VII cap. XXIX *ἦν τις ἐκεῖ Νεστώριος τοὔνομα, τὸ μὲν γένος Γερμανικεύς*, *erat ibi quidam Neſtorius nomine, ortus vrbe Germanicia.* Theodoritus lib. II cap. XXV *Γερμανίκεια πόλις ἐστὶν ἐν μεθορίῳ τῆς Κιλίκων, καὶ Καππαδοκῶν κειμένη, εἰς δὲ τὴν Εὐφρατησίαν καλουμένην ἐπαρχίαν τελεῖ*, *Germanicia vrbs eſt Euphratenſis, vt vocant, prouinciæ, in confinio trium prouinciarum Ciliciæ, Syriæ, & Cappadociæ.* Scilicet Euphrateſia medio æuo dicta fuit, quæ olim fuit Commagena, ampliatis paullisper finibus, vt illius æui geographia demonſtraturi ſumus. In qua prouincia Notitia Hieroclis & altera Epiſcopatuum *Γερμανικίαν*, *Germaniciam* habent Iota ſimplici ſcriptam; ſuperiores autem omnes diphthongo expreſſerunt *Γερμανίκεια*, etiam Zonaras & Cedrenus, in Copronymo vterque, & hic etiam in Neſtorii hæreſi: nec non Nicephorus Calliſtus lib. XIV cap. XXXIX. Chorographus quoque Byzantius, *Γερμανίκεια πόλις Εὐφρατησίας*, *Germanicia vrbs Euphratenſis prouinciæ.* Quadratum ait in Parthicis libris *χωρίον* dixiſſe, quod paruum & ignobile oppidum ſonat. Sed illuſtrius fuiſſe, vel illud argumento eſt, quod aliquando *Καισάρεια*, *Cæſarea*, quæ eximiarum vrbium dignitas eſt, fuit adpellata. De hac enim ſummi viri, Lucas Holſtenius ad Stephanum, & Ezechiel Spanhemius pag. 590, nummos interpretantur Iuliæ Domnæ & Iuliæ Mammææ; etiam Seueri & Peſcennii, inſcriptos ΚΑΙCΑΡΕΙΑC ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC *Cæſareæ Germanicæ:* quia omnes hi principes in oriente & circa Syriam egerunt: Peſcennius etiam ibidem purpuram ſumſit, in cuius nummorum antica legitur apud Patinum pag. 273 ſeq. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕCΚ. ΝΙΓΡΟC ΙΟΥCΤΟC CΕΒ. id eſt, *Imperator Cæſar Caius Peſcennius Niger Iuſtus Auguſtus.*

VIII.

Hinc in ſeptemtrionem, ad Tauri radices, fuit *Antiochia* Ptolemæi cum

cum *Tauri* cognomento, Ἀντιόχεια πρὸς Ταύρῳ ὄρει. Sed qui præter Ptolemæum huius mentionem fecerit, non habemus, niſi Plinii forſan *ad Euphratem* in Syria *Antiochia* huc referenda eſt, vt Harduinus refert. Verba ſunt lib. v cap. xxiv *Cingilla Commagenen finit; Imme incipit. Oppida adluuntur Epiphania & Antiochia, quæ ad Euphraten vocantur: item Zeugma,* cetera. De neutra aliunde conſtat, neque in Notitiis Euphratenſis Syriæ hæc nomina inueniuntur: & ſi Antiochia Plinii & Ptolemæi eſt eadem, quod Harduinus dixit; alterutrum oportet lapſum eſſe, quia Ptolemaicæ ſitus longe abeſt ab Euphrate: Pliniana ſi ad Taurum & Euphratem eſſet, Samoſatorum fere locum occupabit, aut Cholmadaræ oppidi.

IX.

Hæc enim vrbs, *Samoſata* ad Euphratem ſub Tauro eſt. Plinius lib. v cap. xxiv de Euphrate: *a catarractis* [quas Taurus fecit] *iterum nauigatur* xl *millia paſſuum. Inde Commagenes caput Samoſata.* Quinam ſint catarractæ illi, varie diſputatum a Salmaſio eſt in Solinum cap. xxxvii p. 443, nec vero inuenit, cui tuto inſiſti poſſit in tanta Strabonis, Ptolemæi ac Plinii de curſu Euphratis diſſenſione, ac ſilentio Itinerariorum, quæ inter Melitenen & Samoſata nec montis nec catarractæ mentionem habent. Quod vero certiora non ſuppetunt, in ſitu Samoſatorum, quem Ptolemæus poſuit, adquieſcendum eſt, ſecundum quem maior iuſto diſtantia illorum a catarractis ſeu Tauro videtur eſſe. Caput dixit idem Plinius prouinciæ eſſe, quod Strabo quoque lib. xvi ſcripſit, & regiam ſedem impoſuit. Κομμαγηνὴ, inquit, ἔχει ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, ἐν ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε. νῦν δὲ ἐπαρχία γέγονε. *Commagena vrbem habet natura munitam Samoſata, in qua regia ſedes fuit: nunc vero* [Commagene] *eſt prouincia.* Nempe regia fuit Antiochi, cui Pompeius Commagenen conceſſerat; quod etiam ſucceſſoribus manſit vſque ad Tiberium, qui Strabonis ætate prouinciam fecit: a Caligula & Claudio iterum permiſſa regibus: ſed rurſus prouincia ſub Veſpaſiano facta. Ioſephus etiam lib. vii cap. xxviii de Bello, & ſitum & amplitudinem delineauit: τὰ Σαμόσατα, τῆς Κομμαγηνῆς μεγίστη πόλις, κεῖται παρὰ τὸν Εὐφράτην, *Samoſata, Commagenes maxima ciuitas, ſita ad Euphratem ſunt.* Stephanus quoque Σαμόσατα πόλις Κομμαγηνῆς ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ, *Samoſata, vrbs Commagenæ ad Euphratem.*

2. His fere plurale eſt *Samoſata,* quod de Strabone & Ioſepho certiſſimum: de ceteris, etiam Ptolemæo probabile admodum; Ammiano autem ſingulare femineum. lib. xiv cap. xxvi [Valeſ. viii] *Commagena, nunc Euphratenſis, clementer adſurgit, Hierapoli, vetere Nino; & Samoſata, ciuitatibus amplis, illuſtris.* Idem lib. xviii cap. ix [Valeſ. iv] *nobis apud Samoſatam, Commageni quondam regni clariſſimam ſedem, parumper morantibus.* quamquam & lib. xx cap. xxvi [xi] plurali numero legitur. *

3. Exſtant etiam huius ciuitatis ſub diuerſis principibus nummi, prænomen *Flauiæ,* vt plurimum orientis, præ ſe ferentes. Præclarus ille Hadriani eſt, notatus ita: ΦΛΑ. CΑΜΟ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΜ. Et alius Seueri,

* Videtur arx adpoſita vrbi fuiſſe. Vid. Lucian. quomodo conſcrib. ſit hiſtor. p. 619.

ΜΗΤΡΟΠ. Φ. CΑΜΟCΑΤΗ. Et Philippi patris: ΦΛ. CΑΜΟCΑΤΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΜ. Sic fuit metropolis ante, quam noua diuiſio prouinciarum fieret: quo tempore Hierapolis prouinciæ Euphratenſis, quæ veterum Commagenam complectebatur, noua metropolis conſtituta fuit. Hinc Paulus Samoſatenus, hæreticus, Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus, ortus fuit. * Euſebius lib. VII cap. XXVII *τὴν ἐπισκοπὴν Παῦλος ὁ ἐκ Σαμοσάτων παραλαμβάνει, epiſcopatum* [Antiochenſem] *Paulus Samoſatenus accipit:* ſed hæreſi, quam fouebat, prodita, damnatus & deiectus eſt.

X.

Supra Samoſata, itidem ad Euphratem, poſt XII millia paſſuum eſt in Auguſtana tabula *Charmodara:* quam Ptolemæus *Cholmadaram* ſcripſit & in iis Commagenæ ſcripſit, quæ ſunt *πρὸς τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ, ad Euphratem fluuium.*

XI.

Ab occaſu proxima Samoſatis apud Ptolemæum ſunt *Ἄρηκα, Areca:* & inde in auſtrum paullo *Singa Σίγγα,* ad flumen *Singam,* de quo ita lib. V cap. XV Ptolemæus: *ὁ καλούμενος Σίγγας, ὃς ἀπὸ Πιερίας ἐνεχθεὶς πρὸς ἄρκτους, καὶ ἐπιστρέψας πρὸς ἀνατολὰς, συμβάλλει τῷ Εὐφράτῃ, Singas qui vocatur amnis, ex Pieria decurrit ſeptemtrionem verſus, & inde in orientem flexus miſcetur Euphrati.* Confluentes ſunt infra Samoſata ad tertiam circiter gradus partem. Plinius lib. V cap. XXIV hunc fluuium videtur *Marſyam* nominare, ſed alium a Marſya, qui Oronti inter Lariſſam & Apameam adfunditur. *A Samoſatis,* inquit, *latere Syriæ, Marſyas amnis* [in Euphraten] *influit.* Forte *Singas* vetus nomen; *Marſyas* a Macedonibus impoſitum.

XII.

In ſeptemtrione etiam *Perre* fuit, in Notitiis eccleſiæ Πέῤῥη in prouincia Euphratenſi. Duobus itineribus Antonini, a Satalis & Melitene Samoſata tendentibus, traditur XXIIII milliariis abeſſe a Samoſatis. Ordo itineris hic eſt:

Melitene			
Miaſenam	M.	P.	XII
Lacotenam	M.	P.	XXVIII
Perre	M.	P.	XXVI
Samoſata	M.	P.	XXIIII.

Exſtat etiam in Auguſtana Tabula itinere a Comanis Cappadociæ in Samoſata: ſed numerus ibi prauatus eſt.

XIII.

Interiora prouinciæ Ptolemæus pauca habet *Catamanam* & *Dolichen:* cetera eius tractus Cyrrheſticæ adnumerat. *Dolichen* autem alieno loco poſuit, nimis in occaſum & meridiem reducens. Antonini enim itineribus a Germanicia Edeſſam, altero XII, altero XV millibus citra Zeugma collocatur: in Tabula autem *Dolica* XLI millibus a Samoſatis. Non autem exiguum locum fuiſſe, ex eodem Itinerario cognoſcitur, quia inde iter

* Item Lucianus, quem vide de hiſtoria ſcribenda pag. 619.

iter dirigitur Serianen: etiam ex Tabula Auguſtana, in qua ſigno notatum eſt, quo oppida ſolent, quæ thermis aut aliis aquis ſalubribus ſunt prædita. Epiſcopum etiam Chriſtianis temporibus habuit, vti manifeſtum ex Notitiis eſt, quarto numero ciuitatum Euphratenſis prouinciæ Δολιχὴν, *Dolichen* recenſentibus. Quod enim in Hieroclis libro Δοληχὴ, *Doleche* legitur, id vitioſum haud dubie eſt, quod & Ptolemæus Δολίχη ſcripſit, & in Peutingerorum Tabula legitur *Dolica*.

XIV.

Chaonia, oppidum, quod Ptolemæus ad fines Pieriæ aut Cyrrheſticæ conſtituit, videtur *Hanunea* eſſe Antonini, media via a Dolicha ad Cyrrhum. Vide iter a Dolicha Serianen. Ita Aldus & Simlerus poſuerunt: in Neapolitano & Longolii libris etiam vt oppidum, XXV millibus a Dolicha, notatur, ſed ſcriptum eſt *Haminea*: Schottus & Bertius, abiecto millium numero, *Anunea* in titulum receperunt ad vocabulum *Serianen*; alios codices ſequuti: quibus vero ſumma milliariorum repugnat, quæ iisdem codicibus adſcripta eſt.

XV.

De *Imma* ſiue *Immis* ſupra diximus, Plinium inde incipere Commagenen, lib. V cap. XXIV *Cingilla*, inquit, *Commagenen finit: Imma ciuitas incipit.* Ptolemæo Ἴμμα, *Imma* eſt in Seleucide, latitudine XXXV graduum & trientis: quæ eadem eſt vrbis Chalcidis, & paullulum maior quam Antiochiæ: atque ita Imma inter Antiochiam & Chalcidem fere media. Congruit vetus illa iam ſæpius laudata tabula, in qua eſt

Antiochia XXXIII *Emma* XX *Calcida*.

2. Sextus Rufus cap. XXIV dicit Zenobiam *apud Immas* ab Aureliano victam eſſe: quem Iornandes ſequutus cap. LXXXIV addidit: *apud Immas vicum Antiochiæ*. Et Syncellus pag. 385 πλησίον Αντιοχείας τῆς κατὰ Συρίαν ἐν Ἴμμαις καλουμένῳ χωρίῳ τοὺς Παλμυρηνοὺς διαφθείρει, *prope Antiochiam Syriæ ad locum, cui Immæ nomen eſt, Palmyrenos vicit.* Vopiſcus Aureliano cap. XXV hoc primum prœlium dicit *apud Daphnen* commiſſum: & Zoſimus lib. I cap. L & LI id certamen ita deſcribit, vt prope Antiochiam, ſaltem non tanto ab illa ſpatio, quanto Ptolemæi & Tabulæ Imma eſt, pugnæ locum fuiſſe adpareat. Aut ergo aliæ ſunt Immæ Rufi, Iornandis, Syncelli, & Hieronymi in Chronico, corrupte quamquam ſcribentis *apud Timas haud longe ab Antiochia*; aut Rufus ſuos auctores ſequutus, prœlium Aureliani longius ab eo loco abduxit, cui ceteri auctores tribuerunt: quod malim, quam duas Immas admittere; aut reducere Immam Ptolemæi, cuius ſedem Peutingeri Tabula confirmat.

XVI.

Sed rurſus ad Euphratem nos conuertimus, quamuis, quæ ſequuntur, Ptolemæus non Commagenæ, ſed Cyrrheſticæ regioni attribuat: Strabo autem & Plinius *Zeugma*, quod medium in iis eſt, adſignant Commageno regno ſiue prouinciæ, vt poſtea intelligemus. Et ſi vera ſunt, quæ Harduinus ſupra propoſuit, Cingillam Plinii eſſe Cæciliam Ptolemæi; plura

quoque infra Zeugma Commagenæ contribuenda erunt: quemadmodum poſteriori Euphratenſi prouinciæ (quod nomen in Commagenæ locum ſucceſſit) ſunt etiam contributa.

XVII.

Primum poſt Samoſata eſt Οὔρημα, *Vrema*, ſupra Cingæ confluentem, vnde Socrati lib. III cap. XXV Abramius Οὐρίμων, *Vrimorum* epiſcopus nominatus eſt: infra confluentem eſt Ἀρȣδὶς, *Arudis:* ſed hæc obſcuriora.

XVIII.

Deinde nobiliſſimum eſt *Zeugma*, vbi ponte Euphrates traiiciebatur. Ζεῦγμα enim *pontem* ſignificat: & hinc nomen oppido. Strabo lib. XVI pag. 516, poſtquam de Commagena regione & vrbe Samoſatis dixerat, adiicit: ἐνταῦθα δὲ νῦν ἐςὶ τὸ ζεῦγμα τȣ̃ Εὐφράτȣ, *ibi vero nunc eſt pons Euphratis:* puta celebris ille, quem Romani frequentabant, in regiones hinc orientaliores profecturi. Plinius lib. V cap. XXIV *Cingilla Commagenen finit: Imme ciuitas incipit. Oppida adluuntur Epiphania & Antiochia, quæ ad Euphratem vocantur. Item Zeugma*, LXXII *millibus paſſuum a Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile.* Ex quibus adparet, non nudum pontem ibi fuiſſe, ſed adiunctum in Syriæ ripa eiusdem nominis oppidum, quia cum oppidis cenſetur, quæ adluuntur Euphrate. Quod idem clarius adfirmat lib. XXXIV cap. XV *Ferunt exſtare ferream catenam apud Euphratem amnem, in vrbe, quæ Zeugma adpellatur.* Plures tradunt Alexandrum Macedonem auctorem illius pontis fuiſſe. Plinius iam dicto loco, de ferrea catena apud Zeugma exſtante loquutus, *qua*, pergit, *Alexander Magnus ibi iunxerat pontem.* Et Dio Caſſius lib. XL pag. 128 Τῷ δὲ δὴ Κράσσῳ τὸν Εὐφράτην κατὰ τὸ Ζεῦγμα (οὕτω γὰρ ἀπὸ τῆς τȣ̃ Ἀλεξάνδρȣ ςρατείας τὸ χωρίον ἐκεῖνο, ὅτι ταύτῃ ἐπεραιώθη, κέκληται) διαβαίνοντι; *Craſſo autem Euphratem apud Zeugma (ſic enim ab Alexandri expeditione, quod ibi flumen transmiſit, adpellatur) tranſeunti*, cetera. Et chorographus Stephanus: Ζεῦγμα πόλις Συρίας ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ, ὃν Ἀλέξανδρος ζεύξας ἁλύσεσι, διεβίβασε τὰ ςρατόπεδα, *Zeugma oppidum Syriæ ad Euphratem, vbi Alexander, ponte catenis iuncto, traduxit exercitum.* Neque Lucanus, *Zeugma Pellæum* vocans lib. VIII verſ. 237, videtur aliud in animo habuiſſe.

2. Sed non deeſt quod quis dubitet de omni hac enarratione. Arrianus enim lib. III pag. 168 tradit Alexandrum apud Thapſacum, vbi Darii pontem ex parte ſolutum repererat, integrato illo, traduxiſſe exercitum. Quod etiam itineri Regis, ex Aegypto redeuntis, tendentisque ad Darium, Babylone copias mouentem, multo eſt conuenientius: nec credibile eſt, in Commagenam vsque adſcendiſſe, vt ibi Euphratem tranſiret; quum propinquiorem pontem, ab hoſte relictum, ad Thapſacum haberet: nec vllo auctore probari poteſt, Alexandrum in Commagenen vmquam iter habuiſſe. *

3. Multi præterea oppidi Zeugmatis & adiecti pontis mentionem faciunt,

* Vid. omnino Jac. Nicolaus Loenſis IV Epiphill. c. 8.

ciunt, citra tamen conditoris commemorationem. Plutarchus Craſſo pag. 554, *copias flumen* κατὰ τὸ Ζεῦγμα, *iuxta oppidum Zeugma quum traduceret.* Et Florus l. III c. XII de eadem expeditione: *quum Zeugma tranſiſſet exercitus.* Et Tacitus lib. XII cap. XII *poſitis caſtris apud Zeugma, vnde maxime peruius amnis.* Et Ammianus lib. XVIII [Valeſ. VIII.] *Nos diſpoſuimus properare Samoſata, vt ſuperato exinde flumine, pontiumque apud Zeugma & Caperſana iuncturis abſciſis, hoſtiles impetus, ſi iuuiſſet fors ulla, repelleremus.* Nec vero nouum Zeugma aut pons illius nouus fuit, ſed breui poſt Alexandrum tempore vtrumque videtur conditum. Plinius enim lib. V cap. XXIV, *Zeugma,* inquit, LXXII *millibus paſſuum a Samoſatis; tranſitu Euphratis nobile. Ex aduerſo Apamiam Seleucus, idem vtriusque conditor ponte iunxerat.* Meminit etiam, aut repetit lib. VI cap. XXVI. *Dicta eſt,* inquit, *in Zeugmate Apamia:* quibus ad ſuperiorem locum libri V digitum intendit. De hac *Apamia* nihil conſtat, niſi quod Harduinus exiſtimat eſſe Stephani vltimam, Απάμεια τῆς Περτσίας, Εδέσης πρὸς ἄρκτους, *Apameam regni Perſici* (Salmaſius enim Περσίας, Holſtenius Παρθιαίας legi vult) *Edeſſa ab ſeptemtrionibus obiacente.* Sic interpretor corruptum vel mutilum locum ex ſitu Edeſſæ, a Ptolemæo & itinerariis ſtabilito: ſecus ac Latinus interpres, *ad ſeptemtrionem Edeſſæ;* quum minimum XL millibus paſſuum Edeſſa in ſeptemtrionem declinet a Zeugmate.

4. Polybius & Strabo *Seleuciam* quamdam opponunt Zeugmati, non Apamiam. Ille lib. V cap. XLIII ὄντος αὐτοῦ κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους περὶ Σελεύκειαν, τὴν ἐπὶ τοῦ Ζεύγματος, *quum* [Antiochus] *illo tempore circa Seleuciam eſſet, quæ ſupra Zeugma eſt:* hic [Strabo] lib. XVI pag. 516 ἐνταῦθα νῦν ἐστὶ τὸ Ζεῦγμα τοῦ Ευφράτου· κατὰ τοῦτο δὲ Σελεύκεια ἵδρυται φρούριον τῆς Μεσοποταμίας, προσωρισμένον ὑπὸ Πομπηΐου τῷ Κομμαγηνῷ. *Eo loco nunc eſt Zeugma ad Euphratem: contra quod ſita eſt Seleucia, Meſopotamiæ caſtellum, a Pompeio adiudicatum* [Antiocho] *Commageno.* Forſan duo munimenti huius nomina fuere, alterum quod conditoris nomini, alterum quod vxoris eius, reſpondebat. Quod vero caſtellum illud Commageno regi Pompeius donauit, ex eo manifeſtum eſt, Zeugma illis temporibus Commagenæ fuiſſe; non, vt Ptolemæus cenſuit, in prouincia Cyrrheſtica.

XIX.

Poſt Zeugma in ripa eſt Ptolemæi ordine Εὐρωπὸς, *Europus,* quam Notitiæ etiam in Euphratenſi ponunt: & Plinius lib. V cap. XXIV *In Syria oppida, Europum, Thapſacum:* videlicet ad Euphratem, ad limitem Meſopotamiæ. Stephanus: Ευρωπὸς πόλις Μακεδονίας. - - - - ἔστι καὶ Συρίας ἄλλη. *Europus oppidum Macedoniæ - - - eſt etiam huius nominis aliud in Syria.* * Mos enim fuit Seleucidarum Syriæ oppidis vocabula Macedonica dare, vt Cyrrho, Berœæ, Chalcidi, & aliis.

XX.

Europum ſequitur apud Ptolemæum Κεκιλία, *Cecilia,* ſiue *Cæcilia:* in Peutingeri Tabula *Ceciliana,* quaſi nomen a caſtris Cæcilii cuiusdam acce-

* Adde huc Lucian. quomodo hiſtor. ſit conſcribend. pag. 618, 619.

acceperit. In Tabula ſunt inter Hierapolim & Zeugma; ab ipſo Zeugmate millibus paſſuum XXIIII, ſi numerus ſe recte habet. Signo quoque memorabilium oppidorum ibidem notata ſunt: ne putes caſtra aut munimenta ſine oppido fuiſſe.

2. An autem *Cingilla* ſit Plinii, vt, quod ſupra memorauimus, Harduinus ad Plinium Notis ſuſpicatur: non ſatis certum eſt: certius autem, quam Salmaſii opinio [in Solin. cap. XXXVII pag. 444.] *Gindara* pro *Cingilla* legendum eſſe; quod recte ibi Harduinus refutauit Emendatione LVI. Et hæc de Commagena ad Euphratem.

XXI.

Quæ intus ſunt eiuſdem latitudinis, aut maioris etiam, *Ariſeria, Regias, Ruba*, obſcura ſatis, Ptolemæus Cyrrheſticæ regioni, non Commagenæ, attribuit.

SECTIO II.

SELEVCIS CVM PIERIA.

XXII.

In Ptolemæi opere excidit titulus Syriæ ſeptemtrionalis maritimæ vsque ad Phœnicen, & oppida tantummodo enarrantur, quæque ſuo ordine ac ſerie. Vt vero ex mediterraneis eius cognoſcitur, ſupremo loco Pieriam, deinde Seleucidem, tandem Caſiotidem videtur poſuiſſe: e quibus partibus ipſi poſtrema eſt maxima: ſuperiores, & in his Seleucis etiam, perquam anguſtis finibus eſt contenta. Strabo autem, quidquid huius tractus eſt, *Seleucidem* vocat. Mela & Plinius hanc partem, vt ſupra vidimus, *Antiochiam*, id eſt, *Antiochenen*, nominauit, quæ & Strabonis Seleucis eſt eadem.

XXIII.

Prima poſt Ciliciæ Syriæue portas Μυρίανδρος, *Myriandrus*, in ſinu Iſſico ſita, vt Strabo lib. XIV pag. 465, & Plinius lib. II cap. CVIII, & Agathemeres lib. I cap. IV eius ſitum deſcribunt: nam in Syriam quoque ille ſinus excurrit: ſiue in ſinu Myriandrico, vt Stephanus eumdem adpellavit. Xenophon lib. I de Cyri expeditione pag. 150 quinque paraſangis a Ciliciæ finibus reducit, & ἐμπόριον vocat, vbi plures mercatorum naues conueniant. Idem a Phœnicibus ait conditam eſſe. Arrianus lib. II de Alexandri expeditione: δευτεραῖος ὑπερβαλὼν, ἐστρατοπέδευσε πρὸς Μυριάνδρῳ πόλει, *ſecundis caſtris quum Pylas ſuperaſſet, ad Myriandrum oppidum caſtra poſuit.*

XXIV.

Deinde eſt *Rhoſus* ſiue *Rhoſſus*, itidem ad ſinum Iſſicum, ſed qui ibi deſinit, quæ cauſſa eſt, cur multi, etiam ipſe Strabo dicto loco, in Cilicia cenſuerint: quæ diuerſitas ab incerto finium Ciliciæ atque Syriæ manavit: quos in Pylarum anguſtiis alii, & quidem rectiſſime conſtituunt; alii in extremitate ſinus Iſſici. Plinius lib. V cap. XXII *Oppidum Rhoſos: & ater-*

a tergo Portæ, quæ Syriæ adpellantur, interuallo Rhoſiorum montium & Tauri. In ora oppidum Myriandros.

2. Strabo & Ptolemæus geminata littera Ῥωσσὸς, *Roſſus* ſcripſerunt: & Euſebius lib. VI Hiſt. eccleſ. cap. XII ἡ κατὰ Ῥωσσὸν Παροικία, *parochia quæ circa Rhoſſum eſt.* At Peutingerianæ eſt *Roſus:* & Hieroclis Notitiæ in Cilicia Secunda Ῥῶσος, *Rhoſus.* nam ibi cenſuerunt poſteriori æuo. Synodi VII act. IV ἐν Ῥωσοπόλει τῆς Κιλικίας, *Rhoſopoli Ciliciæ.* At Ptolemæus ac Plinius in Syria ſcripſerunt, quos propter limitem ſupra conſtitutum nos quoque ſequuti ſumus.

3. Epiſcopalis fuit. Socrates lib. III cap. XXV memorat Ἀντίπατρον Ῥώσου, *Antipatrum Rhoſi epiſcopum.* Plutarchus in Demetrio pag. 904 αὐτῷ περὶ Ὀρωσσὸν ἀπήντησε Σέλευκος, *ei* [Demetrio] *occurrit Seleucus circa Oroſſum*, lege Ῥωσσὸν, *Roſſum.* ex Cilicia enim huc venerat Demetrius, a *Quinda*, quod Caſtellum Straboni eſt lib. XIV pag. 462 ſupra Anchialen.

XXV.

Inter Rhoſum & Seleuciam mons eſt *Pierius*, ad Græci ſimilitudinem a Macedonibus adpellatus; a quo nomen regioni datum *Pieriæ*, quæ pars Seleucidis eſt ſiue Antiochenæ. Ita autem hoc loco mons ille ſedem habet, vt longe in ſeptemtrionem etiam oblique procurrat, & cum Amano cohæreat. Strabo lib. XVI pag. 517 Πρὸς θαλάττῃ δὲ τούτων ἐστὶν ἡ Σελεύκεια, καὶ ἡ Πιερία, ὄρος συνεχὲς τῷ Ἀμανῷ, *Ad mare hinc eſt Seleucia, & Pieria mons Amano continuus.* Ptolemæus quoque lib. V cap. XV ἥ τε Πιερία ὄρος, οὗ τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας - - - λε γ, *& mons Pieria, cuius medium habet gradus* [latitudinis] XXXV *& trientem.* hæc prope eadem latitudo eſt, quæ vrbium Seleuciæ & Antiochiæ, vt proprie mons Pierius in hoc tractu ſit, quæ vero inde ad Amanum proferuntur partes hoc nomine, vt videtur, caruerint. Id quoque notatu non indignum, quod vterque geographus ἡ Πιερία femineo genere hoc montis nomen expreſſerit.

XXVI.

Inde ad *Seleuciam*, *Pieriam* cognomine, venitur, quæ Græce Σελεύκεια eſt, * quod vocabulum etiam *Seleucea* Latinis libris, iiſque cura critica emendatis legitur. Cicero lib. V Attic. epiſt. XX Septimo decimo Kal. Sept. venerat die XXVIII *Seleucea Pieria C. Trebonius, qui ſe Antiocheæ diceret apud Cæſarem vidiſſe Quintum filium cum Hirtio.* Plinius lib. V cap. XXII *In promontorio Seleucia libera, Pieria adpellata.* Et Ptolemæus: Σελεύκεια Πιερία, *Seleucia Pieria:* atque ita fere ſemper cum hoc cognomine, ne cum aliis oppidis, Seleuci nomen referentibus, confundatur.

2. Condita quidem non noua ab Seleuco Nicatore, ſed antea quoque oppidum fuit: ipſe vero cum nomine ſuo ornamenta maxima adiecit,

* De ſitu & rationibus huius Seleuciæ multa habet memorabilia Polybius V c. 59. Longiora quidem ſunt, quam quæ hic locum inueniant.

cit, & in maius auxit atque muniuit. Strabo iam dicto loco: ἐκαλεῖτο ἡ Σελεύκεια πρότερον Ὕδατος ποταμοί· ἔρυμα δέ ἐςιν ἀξιόλογον, καὶ κρείττων βίας ἡ πόλις, *Seleucia prius Aquæ flumina dicta: egregium munimentum & vrbs inexpugnabilis.*

3. Libera fuit ſub Romanis beneficio Pompeii, vt Strabo refert pag. 517, ἐλευθέραν αὐτὴν ἔκρινε Πομπήϊος, *Pompeius illam liberam pronuntiauit.* quod nummis huius ciuitatis egregie illuſtratur; Caii Cæſaris, inſcripto ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΠΙΕΡΙΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Seleuciæ Pieriæ liberæ:* & alio ex Seguini muſeo, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, quem noſtræ potius, quam Ciliciæ ad Calycadnum Seleuciæ, tribuit Harduinus: cui & illud ἱερᾶς bene conuenit. Etenim Appianus Syriacis p. 202. poſtquam Seleuci vrbes recenſuerat, tradit, φασὶ αὐτῷ τὰς Σελευκείας οἰκίζοντι, τὴν μὲν ἐπὶ θαλάσσῃ, διοσημίαν ἡγήσασθαι κεραυνοῦ· καὶ διὰ τοῦτο θεὸν αὐτοῖς κεραυνὸν ἔθετο, *Aiunt, in condenda ad mare Seleucia ſequutum augurium fulminis, ideoque ibi fulmen tamquam deum conſecratum voluit.* Quod itidem nummis ab illuſtri Spanhemio illuſtratum eſt pag. 393, quorum in auerſa fulmen alatum adparet, inſcripto vno, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ: altero, ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ & in altera facie, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ *Iuppiter fulminans Seleucenſium.* Etiam Iuppiter a vicino Caſio monte cognominatus ibi cultus fuit. Nummo Traiani ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ Π. ΣΥΡΙΑΣ ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ. *Seleucenſium Pieriæ Syriæ Iuppiter Caſius.* Exſtant & alii illuſtres huius ciuitatis nummi, vt eſt ille Caracallæ apud Patinum pag. 304 ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΠΙΕΡΙΑΣ: & Seueri pag. 282 ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ. Hoc autem proprio *Pieriæ* cognomento diſcriminatur ab aliis Seleuciis: quippe nouem vrbibus, vt Appianus dicto loco refert, id nominis rex Seleucus impoſuit: quibus duæ fuerint illuſtriſſimæ, ἥτε ἐπὶ θαλάσσῃ, καὶ ἡ ἐπὶ τοῦ Τίγρητος, *altera ad mare, altera ſupra Tigridem* fluuium. Igitur hoc alterum noſtræ eſt cognomentum, *Seleucia ad mare;* quo æque, vt *Pieriæ* vocabulo, ceteris ὁμωνύμοις ſeparatur.

XXVII.

Ab hac Seleucia vrbe nomen nobiliſſima Syriæ regio accepit, vt Σελευκὶς, *Seleucis* adpelletur, non paruis finibus concluſa, vt Ptolemæus circumſcripſit, ſed ampla, & usque ad Phœnicen in auſtrum ſe extendens, vt Caſiotidem quoque Ptolemæi comprehendat. Strabo lib. XVI pag. 516 ἡ Σελευκὶς ἀρίςη μέν ἐςι τῶν λεχθεισῶν μερίδων, καλεῖται δὲ Τετράπολις, καὶ ἔςι, κατὰ τὰς ἐξεχούσας ἐν αὐτῇ πόλεις, ἐπεὶ πλείους γέ εἰσι· μέγιςαι δὲ τέτταρες, Αντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ, καὶ Σελεύκεια ἡ ἐν Πιερίᾳ, καὶ Απάμεια δὲ καὶ Λαοδίκεια. *Seleucis eſt dictarum* [Syriæ] *partium præſtantiſſima, quæ & Tetrapolis vocitatur a quatuor ante alias (ſunt enim plures etiam) ciuitatibus claris ac illuſtribus: quæ ſunt Antiochia apud Daphnen; Seleucia in Pieria, Apamea & Laodicea.* Addit has quatuor fuiſſe ἀδελφὰς ἀλλήλων, *ſorores* dictas, propter concordiam. Vnum etiam auctorem habuerunt, Seleucum illum Nicatorem.

XXVIII.

XXVIII.

Haud longe a Seleucia, XL ſtadiis ſecundum Strabonem, ſunt *Orontis* amnis oſtia, nec quidquam Ptolemæus interpoſuit: * iccirco *claſſis Seleucena ad auxilium purgandi* [a piratis] *Orontis deputatur*, Lege VII. Cod. Theod. de Claſſicis. In Oronte circa oſtia ſtagnante fuit inſula *Melibœa*, quam Oppianus Cyneget. lib. II verſ. 120 admixta fabula, quaſi nympha fuerit & Orontes eius amator, poetice deſcripſit. Iſaacus Voſſius ad Melæ lib. II cap. III huc quoque Virgilii locum refert Aeneid. V verſ. 251

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Vulgo de Melibœa oppido Theſſaliæ interpretantur: vbi vero nulla tincta fuit purpura. Feſtus etiam Pompeius, *Melibœa*, inquit, *purpura a nomine inſulæ, in qua tingitur, eſt dicta.* Theſſalica autem Melibœa continentis oppidum: Syriaca demum inſula eſt, ſita in Oronte fluuio, qui antequam mari mergitur, late circa illam ſtagnat. Quod vero ante Maronem Lucretius lib. II verſ. 499 dixit:

Iam tibi barbaricæ veſtes, Melibœaque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore, cetera;

id Voſſius nihilominus de Syriæ Melibœa vult intellectum. *Theſſalicas*, inquit, *illas conchas dixit Lucretius, quia a Theſſalis vel condita vel nominata eſt Phœnicia illa Melibœa.* Phœnicia, id eſt Syra, quia mercatum purpuræ longe per Syriam exercebant. Sed quoquo modo ſe res de purpura habet, non tamen negari inſula in Oronte poteſt, ad quam Oppianus poeta dicto loco reſpexit, a verſ. 115 ſeqq. Orontes autem nobilis fluuius in Cœleſyria ortus, poſtea mergitur, & rurſus erumpit, vt Strabo tradit, adluitque multas vrbes, Arethuſam, Epiphaneam, Apameam, Antiochiam. Fontes ita Plinius deſcripſit lib. V cap. XLII *In ora amnis Orontes, natus inter Libanum & Antilibanum iuxta Heliopolin.* **

XXIX.

Poſt oſtia Strabo *Nymphæum* ſpecu ponit: dein τὸ Κάσιον, puta ὄρος, quod præceſſit, *montem Caſium*: *** ἐφεξῆς δὲ Ποσίδιον πολίχνη καὶ Ηράκλεια, *tunc ſequitur Poſidium oppidum & Heraclea.* Ptolemæus autem, omiſſo ſpecu & Caſio, ab oſtiis *Poſidonium*: inde *Heracleam* progreditur. Vtrumque oppidum etiam Plinius memorat lib. V cap. XX, ſed confuſo ordine *Dioſpolin* adiungens Palæſtinæ oppidum; & *Charadrum*, in Ciliciæ confinio portum. Sic enim differit: *promontorium in quo Laodicea libera, Dioſpolis, Heraclea, Charadros, Poſidium:* quod & Poſidonium idem eſt.

(Xx) 2 Ordo

* Vid. Nonnum Dionyſ. XVII v. 289 pag. 480. Add. Polyb. V c. 59, qui multa habet huius fluminis commemorabilia.

** Similia habet Polybius V cap. 59, qui eumdem Orontem per campum Amycæ Antiochiam pergere addit.

*** Apollod. Bibl. I c. 6 § 3 addatur. *Caſſium*, Κάσσιον adpellat Euſebius I cap. 10 Præparat. Euangel. ſed male.

Ordo vero & ſitus Poſidonii & Heracleæ, minus nobilium oppidorum, ex Strabone ac Ptolemæo ſatis certus eſt: *Caſii* autem montis incertior, quem Ptolemæus longe in meridiem reducit, ad latitudinem, quæ & oppidi Palti eſt. Dicit quidem Strabo pag. 517 πρὸς νότον τοῖς Σελευκεῦσι τὸ Κάσιον ὄρος καὶ τὸ Αντικάσιον, *ad auſtrum Seleucenſibus ſubiacet mons Caſius & Anticaſius;* * idem vero adiicit, Antiochenis ſubiacere ad auſtrum Apameam, quæ non mediocri ab Antiochia interuallo diſtat. Plinius autem lib. v cap. XXII etiam prope Seleuciam ponit. *Super eam*, inquit, (intellige Seleuciam) *mons eodem, quo alius, nomine, Caſius.* Et Ammianus lib. XIV cap. XXVI [Valeſ. VIII] *Orontes imos pedes Caſii montis illius celſi prætermeans.* E quibus Salmaſius colligit in Solini cap. XXXVI, ſitum montem eſſe inter Seleuciam & Antiochiam. At videtur montis huius adpellatio protracta longius fuiſſe, iugis quibusdam ex altiſſimo procurrentibus in auſtrum. Nam & Dionyſius Cœlen Syriam duo montium cacumina finire verſ. 901 dixit

Εσπερίου Κασίοιο, καὶ ἠώου Λιβάνοιο,

ab occidente Caſium; ab oriente Libanum. Nemo vero Cœlen hanc apud Antiochiam aut Seleuciam quærit. Vbi autem exſiſtit, altiſſimus certe eſt, ſaltem ex vno vertice. Plinius lib. v cap. XXII *Super Seleuciam mons Caſius: cuius excelſa altitudo quarta vigilia orientem per tenebras ſolem adſpicit; breui circumactu corporis diem noctemque pariter oſtendens.* Res tantæ admirationis, vt Cæſares etiam ad experiendum inuitauerit. De Hadriano Spartianus cap. XIV *In monte Caſio, quum videndi ſolis ortus gratia noctu adſcendiſſet, imbre orto fulmen decidens hoſtiam & victimarium ſacrificanti adflauit.* De Iuliano Ammianus lib. XXII cap. XXXIII *Præſtituto feriarum die Caſium montem adſcendit nemoroſum, & tereti ambitu in ſublime porrectum, vnde ſecundis gallíciniis videtur primi ſolis exortus.* Hi omnes de Syriæ monte Caſio illam de præmaturo ſolis ortu narrationem habent: Pomponius Mela lib. I cap. x de Arabiæ Caſio, id eſt Aegypti in Arabiæ confinio, idem de ſole a quarta vigilia conſpicuo refert: quem vero Plinius præter morem, tamquam ſuſpectum in hac re, deſeruit: & præter id, plures teſtes vni præualent. Res ipſa, etiam de Syriæ monte intellecta, minus fidei quam famæ habet, obſtante ipſa rerum natura & mathematica dimenſione, ne tanto ſpatio, quantum a quarta vigilia aut ſecundo gallicinio eſt, per loci altitudinem, cui Plinius quatuor millia paſſuum per directum dat, præuideri ſolem poſſe, facile credamus.

XXX.

Laodicea proxima in hac ora eſt, a ſitu etiam cognomentum adepta diſcriminis cauſa, πρὸς θάλασσαν, *ad mare.* Strabo lib. XVI pag. 517 εἶτα Λαοδίκεια, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ κάλλιστα ἐκτισμένη, καὶ εὐλίμενος πόλις χώρόν τε ἔχουσα πολύοινον πρὸς τῇ ἄλλῃ εὐκαρπίᾳ, *Deinde Laodicea eſt ad mare ſita, vrbs optime exſtructa, & portu commodo prædita, agrum habens præter ceteram frugum*

* Ad mare porrectum Caſium fuiſſe, ex Philone Byblio adparet apud Euſebium Præparat. Euang. I c. 10 pag. 37. E mari enim eiecti dicuntur ad Caſium montem.

frugum vbertatem, vini feraciſſimum. Lentulus filius ad Ciceronem lib. XII epiſt. XIV *Dolabella in Syria eſt: & , vt tu diuina tua mente proſpexiſti, & prædicaſti, dum iſti veniunt, Caſſius eum opprimet. Excluſus enim ab Antiochea Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus vrbe, Laodiceam, quæ eſt in Syria ad mare, ſe contulit. Ibi ſpero celeriter eum pœnas daturum.* Dedit omnino ibidem pœnas. Strabo enim prædicto loco ſubiicit: ἐλύπησε δ' οὐ μετρίως Δολαβέλλας καταφυγὼν ἐς αὐτὴν, καὶ ἐμπολιορκηθεὶς ὑπὸ Κασσίου μέχρι θανάτου, συνδιαφθείρας ἑαυτῷ καὶ τῆς πόλεως πολλὰ μέρη, *Dolabella* [Laodiceam] *non mediocriter adflixit, in eam confugiens, & vſque ad interitum a Caſſio ibi obſeſſus, ac multas vrbis partes ſecum perdens.* Cognomen optime expreſſum nummo videtur Theopatoris Alexandri: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΘΑΛΑϹϹΑΝ, *Laodicenſium, qui ad mare ſunt.* Vide Vaillantii Reges Syriæ pag. 262. Eodem modo Ioſephus lib. I de Bello cap. XVI Λαοδικεῦσι τοῖς παραλίοις ὑδάτων εἰσαγωγὴν, *Laodicenſibus maritimis aquæductum* Herodes condidit. Et Dionyſius Periegeta verſ. 915

Λαοδίκην θ' ἢ κεῖται ἐπ' ἠιόνεσσι θαλάσσης,

Laodicenque, quæ ſita eſt ad litus maris. Plinius dicto loco: *promontorium, in quo Laodicea libera.* prominentiam litoris intellige: non montem altiſſimum. Laudat etiam Ammianus lib. XIV cap. XXVI [Valeſ. VIII] inter quatuor vrbes (τετράπολιν Strabo dixit) quæ Syriam nobilitent, ſuntque *Antiochia, Laodicea, Apamia,* & *Seleucia.* Nomen habet a Laodice Seleuci conditoris matre, vt ſupra ex Strabone demonſtratum eſt.

XXXI.

Sequuntur in hac ora vſque ad Phœnicen tria oppida, ſecundum Ptolemæi diſpoſitionem, *Gabala, Paltos,* & *Balanæ.* Omnia ſunt etiam a Strabone & Plinio memorata. Ille lib. XVI pag. 518 τὰ Γάβαλα, plurali numero: ſingulari Plinius *Gabale.* Inuerſo enim ordine a Phœnice, *Hinc rurſus,* inquit, *Syria, deſinente Phœnice. Oppida, Carne, Balanea, Paltos, Gabale.* Diſtantiam Itinerarium Antonini pag. 32 definit:

Laodicea			
Gabalam	M.	P.	XVIIJ
Balanea	M.	P.	XXVII
Antaradon	M.	P.	XXIIII.

In Peutingeriana Tabula idem ordo, interiecta etiam *Palto* inter Balneas & Gabalam. Stephanus quoque illam mediam commemorat: Πάλτος πόλις Συρίας. *Paltus oppidum Syriæ.* Tertium oppidum varie ſcribitur, Ptolemæo Βαλαναῖαι. *Balanææ:* Straboni Βαλαναία, *Balanæa:* Plinio *Balanea:* Peutingeriana, *Balneis.* Non dubium, quin a balneis ſeu thermis nomen acceperit.

XXXII.

Tandem *Carne* Plinii addenda, quæ vltima ad Phœnicen eſt: cui etiam a Stephano adſcripta eſt: Κάρνη πόλις Φοινίκης, *Carne Phœnices oppidum.* Artemidorum adlegat, qui Κάρνες, *Carnus* ſcripſit; cetera quoque memorauit: ἔστι Κάρνος, καὶ συνεχῶς Πάλτος, εἶτα Γάβαλα πόλις, *Eſt Carnus, & ei*

ei proxime adiacet Paltus: deinde oppidum Gabala. Eadem, quæ Stephanus, Lycophronis ſcholiaſtes ad verba verſus 1291, ναῦται Καρνῖται κύνες, *nautæ Carnitæ canes.* Et quia *Carne* in limite Seleucidos & Phœnices erat, quo tractu inſula *Aradus* eſt, cui Strabo nauale tribuit, cui nomen ſit *Caranus*; non alienum, vt credamus, eſt, eumdem locum eſſe, qui, vna littera extruſa vel addita, Κάρανος a Strabone; Κάρνος ab Artemidoro: Κάρνη, *Carne*, a Stephano & Plinio vocitatur.

XXXIII.

Ipſam inſulam Strabo accurate deſcripſit pag. 518: *Sita* ἡ Ἄραδος, *Aradus ante importunum litus,* XX *ſtadiis a continente, inter nauale ſuum & Marathum. Eſt vero* πέτρα περίκλυστος, *ſaxum a mari circumfuſum,* VII *fere ſtadiorum ambitu, habitationibus plenum.* Plinius de eadem lib. V cap. XX ita: *Marathos; contraque Arados ſeptem ſtadiorum oppidum & inſula, ducentos paſſus a continente diſtans.* Plinius quidem in Phœnice cenſet; & Stephanus Ἄραδος νῆσος Φοινίκης, *Aradus Phœnices eſt inſula:* & Pomponius lib. II cap. VII *Arados etiam in Phœnice eſt parua, & quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam ſuper aliena tecta ſedem ponere licet.* Sed ita eſt in Phœnice, vt etiam Seleucidi adnumerari poſſit; quia in vtriusque eſt confinio: & magis Seleucidi, quia quæ contra, e regione dicuntur ſita eſſe Marathus & Antaradus; in Seleucide inſunt, ſiue Ptolemæi Caſiotide, ac intra flumen Eleutherum, quod terminat Seleucidem & Phœnicen.

2. *Antaradus*, oppidum inſulæ Arado oppoſitum, a Ptolemæo in mediterraneis cenſetur, quia paullisper recedit a mari. nec vero longius recedit, ſed iter per oram maritimam æque per Antaradum fertur, vt vidimus, ac per Laodiceam, Gabalam, Tripolim, quæ ipſi mari adiacent, nec vllo modo ſunt mediterranea. Vide Antonini Itinerarium, & Tabulam Peutingerianam.

3. Sed ad *Aradum* reuertimur, cui Strabo etiam Peræam, ſeu in continente regiunculam, tribuit pag. 519, χώραν ἐκλήσαντο τῆς περαίας πολλὴν, *bonam oppoſitæ continentis partem* [Aradiorum reguli] *poſſederunt.* * Et Curtius etiam lib. IV cap. I *Aradus inſula deditur regi. Maritimam tum oram, & pleraque longius etiam a mari recedentia, rex eius inſulæ Strato poſſidebat.* In quibus Arrianus lib. II pag. 119 oppida Marathum & Mariamen numerat, quæ Aradiorum fuerint: de quibus in mediterraneis dicturi ſumus.

SELEVCIS MEDITERRANEA.

XXXIV.

Seleucis, cuius maiorem partem Ptolemæus *Caſiotidem*, in mediterraneis caput habet totius Syriæ *Antiochiam* ſiue *Antiocheam*, ab aliis huius nominis, cognomine diſcriminatam vel ab Oronte fluuio, qui perfluit; vel adiacente Daphne, petito. Ptolemæus lib. V cap. XV Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ τοῦ Ὀρόντου ποταμοῦ, *Antiochea, quæ ad Orontem fluuium eſt.* Plinius lib. V cap.

XXI

* Adde huc Polybium V cap. 68.

XXI *Antiochia libera, Epidaphnes cognominata.* Sed de hoc cognomine infra pluribus. Strabo lib. XVI pag. 516 ἔστι δ' ἡ Ἀντιόχεια καὶ αὐτὴ τετράπολις, ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν. *Eſt autem Antiochea & ipſa tetrapolis, ſeu vrbs ex quatuor partibus compoſita.* Has dicit ſingulas ſuo muro diſtinctas; omnes vero comprehenſas vno eſſe. Diuerſi auctores tot partium: princeps illorum Seleucus Nicator fuit, qui a patris eam nomine adpellavit: ceteri Callinicus & Antiochus Epiphanis.

2. Antigonus μικρῷ πρότερον, *paullo ante* condiderat vrbem πλησίον, in propinquo, quam Ἀντιγονίαν, *Antigoniam* nominauit: cuius habitatores Seleucus in ſuam Antiochiam traduxit, iisque vnam ex partibus eius quatuor compleuit. Hæc Strabo: ſed Diodorus lib. XX cap. XLVIII non Antiochiam ſed in Seleuciam, alteram a ſe conditam vrbem, Seleucum Antigoniæ ciues abduxiſſe tradidit.

3. Quod de *Antigonia* illa pauca conſtant, ſicut breui poſt tempore etiam, quam condita fuerat, euerſa fuit atque deleta, pretium operæ nonnullum erit, hac occaſione, quam Strabo præbet in Antiochia, de illa quoque, quæ ſciri poſſunt, adnotare. Diodorus autem Siculus iam dicto loco ſeruauit, quæ de illa breuis durationis vrbe haberi poſſunt. De Antigono ita recenſet: *Hic illo tempore moratus* περὶ τὴν ἄνω Συρίαν, *in Syria Superiore, vrbem condidit ad Orontem fluuium, quam nominauit* Ἀντιγονίαν ἀφ' ἑαυτοῦ, *Antigoniam a nomine ſuo. Magnos ſumtus in eam fecit, ambitum* LXX *ſtadiorum ei deſignans. Idoneus enim locus erat ad inſidiandum Babyloniæ & ſuperioribus ſatrapiis, etiam* τῇ κάτω σατραπείᾳ, *inferiori ſatrapiæ, & præfecturis, quæ inde vſque ſunt ab Aegypto.* οὐ μὴν πολύν γε χρόνον συνέβη μεῖναι τὴν πόλιν, Σελεύκου καθελόντος αὐτὴν, καὶ καταγαγόντος ἐπὶ τὴν κλιθεῖσαν μὲν ὑπ' αὐτοῦ, ἀπ' ἐκείνου δὲ κληθεῖσαν Σελεύκειαν. *At non longo hæc vrbs tempore durauit. Seleucus enim illam deſtruxit, & oppidanos in aliam a ſe conditam, ſuoque nomine Seleuciam adpellatam, deduxit.* Stephanus quoque chorographus illius mentionem fecit in voce Ἀντιγόνεια. πέμπτη, inquit, ἐν τῇ Συρίᾳ, πλησίον Ἀντιοχείας, *Quinta huius nominis vrbs in Syria fuit, prope Antiocheam.*

4. Sed ad Antiochiam, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Plinius lib. V cap. XXI *Intus ipſa Antiochia libera, Epidaphnes cognominata, Oronte amne diuiditur.* EPIDAPHNES ex Græco, ἐπὶ Δάφνης, ita compoſita vox eſt, vt in Peutingeriana Tabula ſcriptum eſt *Alexandria Catiſſon*, id eſt, κατ' Ἰσσὸν, *iuxta Iſſum.* Hierocles, ſiue quisquis auctor eſt Notitiæ prouinciarum & vrbium in Orientali imperio, pag. 37 interpres eſt Plinii, quum in Syria Prima ſcripſit primo loco, qui metropoleos eſt, Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Δάφνην, *Antiochia quæ ad Daphnen eſt.* Vere autem fuit metropolis non eccleſiæ modo Chriſtianis temporibus; ſed olim etiam ſub regibus Macedonici generis. Strabo ante dicto loco: καὶ δὴ καὶ μητρόπολίς ἐστιν αὕτη τῆς Συρίας, καὶ τὸ βασίλειον ἐνταῦθα ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας. *Eſt etiam hæc* [Antiochia] *metropolis Syriæ, eratque ſedes ibi regia illorum, qui regioni imperitabant.* Theodoritus lib. V Hiſt. eccleſ. cap. II extremo: ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ

τῇ

τῇ τῆς ἑώας ἡγȣμένῃ, *Antiochiæ, quæ caput Orientis eſt.* Laudata etiam a Cicerone eſt pro Archia cap. III. *Primum*, inquit, *Antiochiæ* (*nam ibi natus eſt* [Archias] *loco nobili,*) * *celebri quondam vrbe,* ** *& copioſa, atque eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis adfluenti, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit.*

5. Sed maior gloria eſt, quod cum primis Chriſti doctrinam ſuſcepit, auctorque fuit nominis CHRISTIANI, *Actor.* XI, 26. Vnde medio æuo cognomen Θεȣπόλεος meruit. Procopius lib. II Aedific. cap. X, & lib. V cap. V Ἀντιόχεια, ἡ νῦν Θεȣπόλις λέγεται, *Antiochia, quæ nunc Theopolis*, id eſt DEI ciuitas, *adpellatur.* Sic etiam vocatur præfatione Nouellæ CIX.

6. Nummi etiam huius vrbis ſunt illuſtres, vnus, quem Spanhemius ὁ πάνυ oſtendit, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochenſium metropoleos liberæ;* qui Plinii verba ſupra de hac vrbe producta illuſtrat: alter Harduini, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΔΑΦΝΗΝ, *Antiochenſium, qui ad Daphnen ſunt.*

XXXV.

Daphne autem, ἡ Δάφνη, ſecundum Strabonem dicto loco, erat κατοικία μετρία, *mediocris vicus* ad habitandum; at μέγα ἄλσος, *ingens lucus* fontanis aquis irriguus, & in medio templum Apollinis ac Dianæ cum aſylo. Amplitudo luci eſt octoginta ſtadiorum: diſtantia vici & luci ab ipſa vrbe Antiochia, quadraginta. Ideo *ambitioſum Antiochiæ ſuburbium* Ammianus dixit lib. XIX extremo: Sozomenus loco iam indicando προάστειον. *** Antiquus illi lucus eſt adeo, vt Apollinis & Daphnes fabulam ibidem contigiſſe finxerint pagani. Sozomenus lib. V cap. XIX Δάφνη τὸ ἐπίσημον τῆς Ἀντιοχείας προάστειον, - - - ἡδύς τε καὶ λίαν ἐπέραστός ἐστιν, *Daphne, inſigne Antiochiæ ſuburbium - - - amœnus & iucundus locus*, addit, *ob aquarum copiam & temperiem cæli, auraſque molliter ſpirantes.* Ἐνταῦθα δὲ παῖδες Ἑλλήνων μυθεύȣσι Δάφνην τὴν Λάδωνος ποταμȣ̃, ἐξ Ἀρκαδίας φεύγȣσαν, Ἀπόλλωνα τὸν ἐραστὴν, εἰς ὁμώνυμον φυτὸν αὐτὴν μεταβαλεῖν. *Ibi fabulantur Græci, Daphnen Ladonis fluuii filiam, fugientem Apollinem amatorem, in arborem nominis ſui conuerſam eſſe.* Lauretum ergo illud nemus fuit, arboribus aliis permixtum; maxime cupreſſis, quæ poſtea ita multitudine accreuerunt, vt omne pæne nemus occuparent. Ibidem Sozomenus: κομᾷ μὲν ἄλσει κυπαρίσσων πολλῶν. ποικίλλεται δὲ τοῖς ἄλλοις φυτοῖς ἀναμὶξ ταῖς κυπαρίσσοις, *ornata eſt* [Daphne] *cupreſſorum nemore: ſed & aliis inter cupreſſos conſitis arboribus variatur.* Quod titulus Codicis extremo libro XI *de cupreſſis ex luco Daphnenſi non excidendis* comprobat. Auſonius autem ad originem, vel nomen etiam reſpexit, quum de Claris vrbibus ſcripſit:

Tertia Phœbeæ lauri domus Antiochea.

Pompeius, vt Eutropius refert lib. VI c. XI, *aliquantum agrorum Daphnenſibus*

* Hic iam parentheſis finienda, non, vt fere fit, paulo poſt.

** Hæc Καλὴ vocatur ab Athenæo lib. I p. 20 C, vti Alexandria Χρυσῆ.

*** Sic Zoſimus I cap. 52 Μοῖραν δέ τινα Παλμυρηνῶν λόφον καταλαβȣ̃σαν εὑρὼν ὑπερκείμενον Δάφνης τȣ̃ προαστείȣ κ. τ. λ. *Quum partem quamdam Palmyrenorum collem occupaſſe deprehendiſſet, imminentem ſuburbio Daphnes.*

ſibus dedit, quo lucus ibi ſpatioſior fieret, delectatus amœnitate loci & aquarum abundantia. Hieronymus in Ezech. XLVII, 18, ab auctore, neſcio quo, deceptus fuit, quum de Daphne Antiochena tradit: *Hic locus a Cn. Pompeio, qui primus Iudæam Romano ſubegit imperio, militari manu conſitus eſt, & ab eo, iuxta fabulam poetarum, Daphnes nomen accepit ob lauros & cypariſſos: quæ arbores in ipſo loco frequentiſſimæ ſunt.* Agri aliquid Pompeius adiecit, lucum nec primus conſeuit, neque nomen impoſuit: quod antiquius multum eſſe vel ex ſolo lib. II Maccab. IV, 33 potuiſſet recognoſcere: ὁ Ονίας παρήλεγχεν ἀποκεχωρηκὼς εἰς ἄσυλον τόπον, ἐπὶ Δάφνης τῆς πρὸς Αντιόχειαν κειμένης. *Reprehendit eum Onias, poſtquam in aſylum ſeceſſerat, quod in Daphne eſt, ſita ad Antiochiam.* Ammianus lib. XXII cap. XXXI tradit, Antiochum Epiphanem *ampliſſimum Daphnæi Apollinis fanum* condidiſſe: fons autem haud dubie a longis ante temporibus celebratus fuit, quem ibidem Ammianus cap. XXX *venas fatidicas Caſtalii fontis* (quia æque Apollini ſacer erat atque Caſtalius in Phocide) adpellat: quem Hadrianus obſtruxerit; recludi iuſſerit Iulianus.

2. Quod vero locus amœnitate ſua ad voluptates inuitabat, corrumpens plurimos, qui eum frequentabant; factum eſt tandem, vt prope infamis haberetur, quemadmodum *Daphnicis moribus agere* Vulcatius Gallicanus Auidii vita cap. V interpretatur *luxuria diffluere:* & Marci præfectus programma in parietibus fixit, vt, *ſi quis cinctus inueniretur apud Daphnen, diſcinctus rediret.*

XXXVI.

Supra Antiochiam ſunt tria oppida, quæ ſola Ptolemæus mediterraneæ Seleucidi tribuit, *Gephyra, Gindarus,* & *Imma.* De *Imma* ſupra diximus in Commagena, in cuius confinio Plinius lib. V cap. XXIV poſuit. *Gindarum* ex his Ptolemæus maxime in ſeptemtrionem remouit: vnde ſunt *Gindareni* Plinio lib. V cap. XXIII: Straboni autem lib. XVI pag. 517 eſt Γίνδαρος ἀκρόπολις τῆς Κυρηστικῆς, καὶ ληστήριον εὐφυὲς, *Gindaris acropolis Cyreſticæ* (ſic Cyrrheſticam vocat) *& aptum latronibus receptaculum.* In Tabula legitur *Gendarus.*

XXXVII.

Inter hanc & Antiochiam eſt *Gephyra:* vtraque inter Antiochiam & Cyrrhum. Peutingeriana in Tabula hic ordo, hæc diſtantia notatur:

Antiochia XXII *Gephyra* XXII *Gendarum* XXXVI *Cyrro.*

XXXVIII.

Infra Antiochiam, meridiem verſus, apud Ptolemæum ſequitur Σελεύκεια πρὸς Βήλῳ, *Seleucia ad Belum:* quam Plinius dicit *Seleuciam, quæ ad Belum vocatur.* Stephanus chorographus & Hierocles coniuncta voce Σελευκόβηλος, *Seleucobelus:* vnde *Seleucobelitanus* epiſcopus in Concilio Conſtantinopolitano I. nominatur, & Stephano gentile eſt Σελευκοβηλίτης. Vnde vero illud cognomen ſit, & qui *Belus* ille, incertum eſt. Harduinus ad Plinium intelligit montem huius nominis: Salmaſius ad Solinum c. XXXVI prope finem *amnem Belum.* Sane eſt fluuius Belus, ſed inter Tyrum & Ptole-

Ptolemaidem, qui, vt Tacitus lib. v Hiſt. cap. VII ait, *Iudaico mari illabitur.* ſed hunc amnem ex ſuperiore Syria ad Ptolemaidem uſque deducere contra ſuffragia geographorum eſt. Plinius dicto loco etiam *Chalcidem* dixit *cognominatam ad Belum:* quæ vero longe abeſt ab Seleucia, etiam Orontes interfluit, vt fluuius, qui vtrumque locum adluat, interfluente alio, nequaquam poſſit intelligi. Quod ſi mons eſt Belus, neceſſe eſt longe in ſeptemtrionem aut æſtiuum ortum procurrere, ſecarique a fluuio Oronte. neque enim certiores rationes habemus, quibus ſedes, quam Ptolemæus huic Seleuciæ dedit, aliorſum dimoueatur.

XXXIX.

Hinc in ortum ad Orontem iacet *Apamea,* Ἀπάμεια, prope Orontis & Marſyæ confluentem. Plinius lib. v cap. XXIII *Cœle habet Apamiam, Marſya amne diuiſam a Nazerinorum tetrarchia.* Ignoti *Nazerini* illi: videntur tamen ab ortu Apamenos accoluiſſe. Strabo lib. XVI pag. 517 dicit bene munitam Apameam eſſe, & quaſi in cherſonneſo ſitam ab Oronte & lacu pæne circumdatam, loco etiam adeo fertili, vt Seleucus ibi quingentos, quos habuit, elephantos aluerit. Hic autem conditor eſt vrbis, quam ab vxore Apama denominauit: eaque in quatuor clariſſimis Syriæ, a Seleuco conditis, vt ſupra Strabo tradidit, erat numerata. Sozomenus lib. VII cap. XV paganos dicit pro templis ſuis contra Chriſtianos ibi dimicaſſe: *Σύροι δὲ μάλιστα οἱ τοῦ ναοῦ Ἀπαμείας, τῆς πρὸς τῷ Ἀξίῳ ποταμῷ, ex Syris vero maxime* [repugnarunt] *qui templum Apameæ, ad Axium amnem ſitæ, tenebant.* Quisnam hic *Axius?* nomen ex Macedonia petitum, vt multarum Syriæ vrbium. Secundum Strabonem Orontes Apameam præterfluit: apud Plinium vicinus eſt Marſyas. Incertum vter nomen Axii acceperit, quod Vaillantius Oronti; Harduinus Marſyæ vult tribui. Neque error eſt Sozomeni: ſed nummo etiam id nomen confirmatur. Vaillantius nummum regis Alexandri Balæ profert Hiſtor. Syr. p. 261 inſcriptum ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΤΩ ΑΞΙΩ, *Apamenſium, qui ad Axium ſunt.* Quod certior in hoc Strabo eſt, Apameam ab Oronte adlui; quam Plinius, qui agrum tantum Apamenorum ait dirimi Marſya ab Nazerinorum tetrarchia, non ſignificans, quam prope ad vrbem id flumen accedat, veroſimilius eſt, Orontem a Macedonibus, tamquam nobiliorem fluuium, fuiſſe Axium adpellatum, quia hic ipſe in Macedonia fuit nobiliſſimus. Hanc vrbem ciuili Romanorum bello Cæcilius Baſſus obſedit: C. Caſſius obſidione liberauit. quod ipſe Caſſius Ciceroni narrat lib. XII epiſt. XII, *niſi milites, inuito Baſſo, legatos ad ſe miſiſſent, clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata.* Ioſephus lib. I de Bello cap. IX ἧκε Κάσσιος εἰς Συρίαν καταληψόμενος τὰς περὶ Ἀπάμειαν δυνάμεις, - - ἐλευθεροῖ μὲν Ἀπάμειαν τῆς πολιορκίας. *Caſſius in Syriam venit occupaturus copias, quæ circa Apameam erant, - - - & Apameam obſidione liberauit.* Quod etiam Dio Caſſius lib. XLVII pag. 342 narrat, voluiſſe Baſſum τὴν Ἀπάμειαν ὁρμητήριον οἱ τοῦ πολέμου facere, id eſt *Apameam ſibi ſubiicere, vt inde bellum aduerſariis ſuis inferret.* Hæc ſatis ſint de Apamea, ſi vnum eius ciuitatis nummum adie-

cero, qui ita eſt expreſſus: ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, cum elephantis effigie: quo illuſtratur, quod ſupra ex Strabone de elephantis Seleuci, & ex Sozomeno de templo Apamenſi, ab ethnicis contra Chriſtianos defenſo, dictum fuit.

XL.

Ab vrbe Apamea circumiectam regiunculam Ptolemæus Ἀπαμηνήν, *Apamenen* vocat, in eaque, præter metropolim, ponit Ναζάμα (Palat. cod. Νάζαβα) *Nazama* ſiue *Nazaba*, obſcurum: & *Thelmeniſſum*, æque incognitum oppidum: vnam autem nobiliorem vrbem Ἔμισσαν, *Emiſſam*. Scribitur varie: geminato ſibilo Ἔμισσα, *Emiſſa*, auctoribus Ptolemæo atque Stephano: quæ ſcriptura Salmaſio in Vopiſci Aurelianum videtur vera, quia Stephanus cum Λάρισσα, *Lariſſa*, vocabulum comparet. Idem tamen chorographus fatetur, Dionyſium poetam ſcripſiſſe ſimplici Ἐμίσων πόλιν, cuius verſus intercidit, ſeruatus autem ab interprete Auieno: & alios Ἔμεσαν ſcribere per E, etiam feminea forma, quum videatur plurale nomen fuiſſe. Hæc ex Stephano. Si vero ex nummis iudicandum eſt, Ἔμισα, *Emiſa* ſcriptura erit verior: vt Antonini Pii, ΕΜΙΣΗΝΩΝ, *Emiſenorum:* & Iuliæ Domnæ ac Caracallæ, ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ: & Elagabali, ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΜΙΣΩΝ ΗΛΙΑ ΠΥΘΙΑ, quem de ludis ex Græcia petitis interpretatur Harduinus. Alii per E ſcripſerunt, aut inconſtantes per I vel E. Strabo lib. XVI pag. 518 τὸ Ἐμεσηνῶν ἔθνος, *gens Emeſenorum:* & Plinius lib. V cap. XXIII *Emeſenos:* & Feſtus Auienus v. 1084

- - - *Emeſæ faſtigia celſa renident:*

vt Salmaſius dicto loco emendatius edidit. nam corrupte in libris *Emeſus faſtigia*. Herodianus lib. V cap. III exitu alio, ἀπὸ Ἐμέσου καλουμένης πόλεως, *ex Emeſo, oppido ita vocato;* vt primus caſus ſit Ἔμεσος. Zoſimus lib. I c. X Elagabalum Ἐμεσηνόν τι μειράκιον, *Emeſenum adoleſcentulum:* at cap. XXXIX διατρίβων κατὰ τὴν Ἔμισαν, *degens Emiſæ;* & cap. LI ἐπὶ τὴν Ἔμισαν ἀνεχώρησαν, *Emiſam diſceſſit:* & cap. LIV περὶ τὴν Ἔμισαν, *circa Emiſam:* & mox, Ἐμισηνοὺς, *Emiſenos:* atque ita MS. quoque Sylburgii variabat. Iulianus Petauii, in Cæſaribus de Elagabalo pag. 15 τὸ ἐκ τῆς Ἐμέσης παιδάριον, *puer Emeſenus;* & ſic etiam Sylburgius pag. 836. At idem Petauius Miſopogone pag. 89 Ἐμισηνοὶ, *Emiſeni:* vtrobique ἰῶτα habet vir exactiſſimus Ezech. Spanhemius, tam in Cæſaribus pag. 313, quam Miſopog. pag. 357. Latini perinde variant. Ammianus lib. XIV cap. XXVI [Valeſii cap. VIII] *Emiſſa & Damaſcus:* at lib. XXVI cap. XVIII [Valeſ. VI extr.] *ab Emeſa Heliogabalus exivit Antoninus.* Vopiſcus Aureliano cap. XXV *Emeſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt.*

2. Ex hiſce celebritas vrbis, quam tot ſcriptores memorarunt, luculentiſſime adparet: etiam patriam fuiſſe Elagabali imperatoris: addit Strabo, Sampſiceranum eiusque filium Iamblichum genti Emeſenæ imperaſſe. Situm iuxta Orontem & prope Libanon montem (cuius cauſſa Stephanus Φοινίκης Λιβανουσίας, *Phœnices Libanuſiæ* vrbem dixit) ex Dionyſii deperdito loco, cuius & Stephanus meminit, ſic deſcripſit Feſtus Auienus a verſu 1083

Vrbs mediis Apamea dehinc conſurgit in aruis,
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fouent, Emeſæ faſtigia celſa renident.
Nam diffuſa ſolo latus explicat, ac ſubit auras
Turribus in cælum nitentibus. incola claris
Cor ſtudiis acuit. - - - - - -
Denique flammicomo deuoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget.
Et tamen his certant celſi faſtigia templi.
Heic ſe indit iuxta tellurem glaucus Orontes.

Templum illud erat Elagabali dei, id eſt Solis, vt vel ex ſolo Herodiano conſtat loco antea indicato. vt alios ſcriptores vitæ Elagabali Antonini taceamus. Nec ignotus poteſt ſitus eſſe, quia hodie, vt nomen prodit, vocatur *Hamſa*, vocabulo ex *Emeſa* contracto. quod Conſtantinus Porphyrogennetus confirmat cap. XXV p. 59 τὸ Χέμψ, ἤτοι τὸ Ἔμεσσα, *Chemps, hoc eſt Emeſſa.*

XLI.

Hæc vrbs *Emeſa* ſiue *Emiſſa* ſubiacet Apameæ in auſtrum: in ſeptemtrionem vltra lacum *Lyſias* Strabonis, de qua dicto loco: ἡ Λυσιὰς, ὑπὲρ τῆς λίμνης κειμένη, τῆς πρὸς Ἀπάμειαν, *Lyſias, quæ trans lacum Apamenum ſita eſt:* intra Apameam & Emeſam interiacent ad Orontem *Lariſſa,* Apamææ proxima; *Arethuſa,* propior Emeſæ: media inter has *Epiphanea.* Zoſimus de his lib. I cap. LII δέχεται αὐτὸν Ἀπάμεια καὶ Λάρισσα καὶ Ἀρέθουσα, *excipiebat ipſum* [Aurelianum] *Apamea, & Lariſſa, & Arethuſa.*

XLII.

Ptolemæus, qui paruam prouinciam Apamenen conſtituerat, reliquas Epiphaneam, Lariſſam, quibus Arethuſam poſcit ſitus addi; cenſet in Caſiotide, quæ fere Seleucis illa Strabonis eſt. Ἐπιφάνεια, *Epiphanea*, iuxta Antonini itinerarium inter Lariſſam ſita & Arethuſam pari vtrimque XVI M. P. interuallo: vnde Plinii *Epiphaneenſes* ſunt lib. V cap. XXIII. Oronte fluuio adluitur, quod nos ciuis eius ac alumnus Euagrius Scholaſticus docet lib. III cap. XXXIV. Poſtquam τοὺς ὑπὸ Ἀπάμειαν ἱερέας, *epiſcopos ſub Apamenorum eccleſia* (erat enim metropolis Syriæ Secundæ Apamea) receſſiſſe a Seueri Antiocheni communione dixerat, addit, Κοσμᾶς τὴν ἡμετέραν ἐπισκοπῶν Ἐπιφάνειαν, ἣ τὸν Ὀρόντην σύνοικον ἔχει, καὶ Σεβηριανὸς Ἀρέθουσαν τὴν ἀσυγείτονα, *Coſmas epiſcopus noſtræ Epiphaniæ, quam Orontes fluuius adluit; & Seuerianus, epiſcopus vicinæ vrbis Arethuſæ,* libellum ad Seuerum miſerunt. In Conciliis quoque Niceno & Conſtantinopolitano I. huius Epiphaneæ epiſcopi ſubſcripſerunt.

XLIII.

Inter Apameam & Epiphaneam media *Lariſſa* eſt, vrbs, vt nomen fert, Macedonica. Strabo lib. XVI p. 518 inter Apameæ περιοικίδας *circumiacentes* vrbes primam nominat Λάρισσαν, *Lariſſan.* Plinius dicto loco *Lariſ-*

ſæos

ſæos memorat. Appianus Bell. Syr. pag. 201 inter vrbes Syriæ, quibus Græca nomina indiderint Macedones, *Arethuſam, Chalcidem, Lariſſam* nominat.

XLIV.

Arethuſa autem inter Emeſam ſita & Epiphaneam, ideoque, quod iam diximus, Epiphaneenſis Euagrius *ἀςυγείτονα, vicinam vrbem* adpellavit: & Zoſimus*, itidem verbis paullo ante prolatis, vna ſerie coniunxit *Apameam, Lariſſam, Arethuſam.* Strabo dicto lib. pag. 518 *ἡ Σαμψικεράμȣ Ἀρέθȣσα, Sampſicerami Arethuſa,* in cuius tyranni, ex Pompeii hiſtoria noti, poteſtate fuit. Theodoritus lib. III Hiſt. eccl. cap. VII Marcus *ὁ Ἀρεθȣσίων ἐπίσκοπος, Arethuſiorum epiſcopus.* Et Sozomenus lib. III cap. X *ὁ Μάρκος ὁ Ἀρεθȣ́σης τῆς Συρίας, Marcus Arethuſæ, quæ in Syria eſt, epiſcopus.* Idem lib. V cap. X *οἱ τὴν Ἀρέθȣσαν τῆς Συρίας οἰκȣ̃ντες, qui Arethuſam Syriæ incolunt:* & poſt paullo, *Ἀρεθȣ́σιοι Μάρκον τὸν γενόμενον αὐτῶν ἐπίσκοπον, ἐλεεινῶς διεχρήσαντο, Arethuſii Marcum, epiſcopum ſuum, miſerabiliter interfecerunt.*

XLV.

Ceterum, omnium fere oppidorum ac vrbium, circa Orontem fluvium poſitorum, & ſitum & diſtantias, iter Antonini ab Antiochia ad Emeſam ita habet diſpoſitas.

Antiochia			
Niaccaba	M.	P.	XXV
Caperturi	M.	P.	XXIIII
Apamiam	M.	P.	XX
Lariſſam	M.	P.	XVI
Epiphaniam	M.	P.	XVI
Arethuſam	M.	P.	XVI
Emeſam	M.	P.	XVI.

XLVI.

Hæc ſunt, quæ ad Strabonis Seleucidem poſſunt referri: Ptolemæus Caſiotidi ſuæ addit *Raphaneas, Antaradum, Marathum, Mariamen, Mamugam.* Ex his *Ραφανέαι, Raphaneæ* ipſi dictæ pluraliter, ſitæ inter Antaradum & Orontem. Notitiæ etiam pluralem numerum, quamquam corrupte, habent in Syria Secunda; Hieroclis *Ρεφαναῖε, Rephanæe:* alia, p. 159, *Ραμφανέαι, Ramphaneæ.* In Peutingeriana ſcribitur *Raphanis.* Ioſephus l. vlt. de Bello Iud. cap. XIII Græce, XXIV Latine, p. 976 de fluuio neſcio quo Sabbatico: *ῥεῖ μέσος Ἀρκαίας τῆς Ἀγρίππα βασιλείας, καὶ Ραφαναίας, fluit medius inter Arcæam regni Agrippæ, & Raphanæam.*

2. De Arcæa in Phœnice dicemus: fluuius ille Ioſephi, qui ſeptimo quoque die exareat, fabuloſus eſt, vt alius Iudæorum in vlteriori oriente. De *Antarado* diximus ſupra, quum oram legeremus, Aradum inſulam explicantes.

XLVII.

Marathus, Μάραθος, e regione inſulæ Aradi poſita. Arrianus lib. II

Exped. Alex. pag. 119 *Alexander ei tradidit* τὴν Ἄραδον τὴν νῆσον, καὶ τὴν Μάραθον τὴν καταντικρὺ τῆς Ἀράδου ἐν τῇ ἠπείρῳ ᾠκισμένην, πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, *Aradum inſulam, & Marathum, ex aduerſo Aradi in continente ſitam, vrbem magnam atque opulentam.* In eadem vrbe *Maratho* quum Alexander eſſet, legati Perſici cum litteris regis ipſum adierunt. Præter Arrianum, qui hoc narrauit, etiam Curtius lib. IV cap. I *quo* [Stratone Aradi rege] *in fidem accepto, caſtra mouit* [Alexander] *ad vrbem Marathon. Ibi illi litteræ a Dario redduntur.* Plinius lib. V cap. XX *Marathos, contraque Arados ſeptem ſtadiorum oppidum & inſula.* Strabo XVI pag. 518 Μάραθος πόλις ἀρχαία Φοινίκων κατεσπασμένη· τὴν δὲ χώραν Ἀράδιοι κατεκληρούχησαν, *Marathus, antiqua Phœnicum vrbs, nunc exhauſta: agrum autem eius ſorte diuiſum Aradii tenent.* Quæ cauſſa eſt, cur neque in Notitiis, neque itinerariis recenſeatur.

2. Ἔνυδρα, *Enydra* Strabonis poſt Aradum, ante Marathum narrata, in hoc tractu fuerunt; ſed prætermiſſa ab aliis.

XLVIII.

Mariame autem Ptolemæi, quam ab auſtro Raphaneis adpoſuit, in latitudine vrbis Emeſæ; hæc, inquam, notior eſt, & a pluribus memoratur. Ptolemæus & Hierocles Μαριάμη, *Mariame* ſcripſerunt: Notitia altera M duplicato Μαριάμμη, *Mariamma;* qua forma Plinius lib. V cap. XXIII *Mariammitanos* nominat, habitatores Mariammææ. Dupplicat litteram etiam Arrianus lib. II loco ante oſtenſo, vbi refert, Alexandrum Stratoni, Aradi inſulæ regulo, præter Marathum, dediſſe etiam Μαριάμμην πόλιν, *oppidum Mariammam.* Stephanus chorographus ſyllabam addit, Μαριαμμία πόλις Φοινίκων, *Mariammia oppidum Phœnicum:* cuius incolæ ſint Μαριαμμῖται, *Mariammitæ.* Decreuit, vt videtur iniuria temporum: ideoque vicus vocatur in Faſtis Siculis pag. 642 de Gelaſino martyre: τὸ λείψανον αὐτοῦ ἀπήγαγον εἰς τὴν κώμην τὴν λεγομένην Μαριάμμην, *reliquias eius deportarunt in vicum Mariammam,* vnde oriundus erat. Vltima Ptolemæi *Mamuga* aliunde non poteſt facile vel tenui luce illuſtrari.

SECTIO III.

CYRRHESTICA.

XLIX.

Cyrrheſtica interior regio eſt Syriæ inter Seleucidem, Commagenen & Euphratem. nam eo vsque orientalem terminum Ptolemæus profert. Nomen originis eſt Macedonicæ, quod in Macedonia vrbs *Cyrrhus* fuit, & populus *Cyrrheſtæ.* Caput regionis huius Syriacæ eſt Κύῤῥος, *Cyrrhus,* vt Ptolemæus & Stephanus ſcripſerunt; & ex Latinis Plinius, Tacitus, & auctor Itinerarii, R geminato; quod etiam nummi in nomine gentis Κυῤῥηστῶν cuſtodiunt: quæ ſine dubio antiqua & genuina ſcriptura eſt, ideoque alteri Κύρος, *Cyrus,* quæ in multis etiam libris adparet, præferenda.

L.

Regio ipſa dicitur *Cyrrheſtica*, Κυῤῥηστική: & populus *Cyrrheſtæ*, Κυῤῥησταὶ, per η *eta*, ſecus ac Stephanus ſcripſit Κυῤῥέστης: quia in nummis Traiani & Antonini Pii eſt ΚΥΡΡΗϹΤΩΝ, *Cyrrheſtarum*, *e* longo. Cicero lib. v ad Attic. ep. XVIII *hoſtis in Cyrrheſtica, quæ Syriæ pars proxima eſt prouinciæ meæ.* Plinius lib. v cap XXIII *Cyrrheſtice Cyrrhum, Gazatas, Gindarenos, Gabenos,* habet. In Ptolemæi libris per *iota* legitur Κυῤῥιστικὴ, *Cyrrhiſtica*, praue, ut ex nummis vidimus, quibus primariæ vrbis ciues (vnde populus & regio nominatur) ΚΥΡΡΗϹΤΑΙ ſunt. Nec Strabonis libri mendo carent, qui Κυρηστικὴ, littera ſimplici, referunt, quum tamen ibidem recte ſcriptum Ἀθηνᾶς ἱερὸν Κυῤῥηστίδος, *Mineruæ Cyrrheſticæ* fanum, quæ ibi locorum religioſius colebatur. Strabonis enim ætate vrbem ipſam Κῦρον, *Cyrum* fuiſſe vocatam, non adduci poſſum vt credam.

LI.

Vrbs enim Κύῤῥος, *Cyrrhus* eſt, ad æmulationem vrbis in Macedonia ſic adpellata. Stephanus Byzantius, Κύῤῥος πόλις Συρίας, *Cyrrhus, vrbs Syriæ.* atque ita etiam ſcripſit Plinius & Ptolemæus, vt ſupra vidimus. Tacitus annali II cap. LVII *Cyrri demum apud hiberna decumæ legionis convenere* Germanicus Cæſar & Piſo. Peutingeri Tabula *Cyrro.* Poſteriores alii Κύρος, *Cyrus* ſcripſerunt, Chriſtiani maxime, fabula forſan decepti, quam Procopius lib. II Aedific. cap. XI prodit, ab Iudæis conditam in honorem Cyri liberatoris fuiſſe. Notitiæ veteres Κύρος, *Cyrus* habent. Euagrius lib. I cap. X ὁ τῆς Κυρεστῶν ἐπισκοπήσας Θεοδώριτος, *eccleſiæ Cyreſtarum epiſcopus Theodoritus.* Et ipſis libris huius Theodoriti præſcriptum eſt ἐπισκόπου Κύρου, *epiſcopi ciuitatis Cyri.* Patria Auidii Caſſii, qui aduerſus Marcum Antonium rebellauit. Dio, aut Xiphilinus potius, in Marco: ὁ δὲ Κάσσιος Σύρος μὲν ἐκ τῆς Κύρου ἦν, *Caſſius* [Auidius] *Syrus ex ciuitate Cyro erat.* Ex quo corrigendus eſt Capitolinus in Marco cap. XXV *nec Cyprum voluit videre, ex qua erat Caſſius.* lege *Cyrrum*, quod Caſaubonus etiam obſeruauit.

2. Vetus nomen, antequam ſuum Macedones imponerent, ignoratur. Gennadius de Script. eccleſ. cap. LXXXIX *Theodoretus Cyri ciuitatis epiſcopus: a Cyro enim rege Perſarum condita ſeruat hodieque apud Syriam nomen auctoris.* Sed quod antiquiores ſilent, valde ſuſpectum hoc teſtimonium eſt. Situs ex Itinerario cognoſcitur, itinere a Cyrrho Emeſam:

Cyrrho			
Minnizam	M.	P.	XX
Beroam	M.	P.	XXII
Chalcida	M.	P.	XVIII
Arram	M.	P.	XX
Cappareas	M.	P.	XXIII
Epiphaniam	M.	P.	XVI

Arethu-

Arethuſam	M.	P.	XVI
Emeſam	M.	P.	XVI.

Adde ſequens iter, quod a Doliche Serianem ducit per Cyrrhon, Minnizam, Beroam, Chalcida. Multum ergo in ſeptemtrionem ſupra Chalcidem & Beroam remouetur: quo ſitus a Ptolemæo adſcriptus (cuius fortaſſe numeri prauati ſunt) falſitatis arguitur.

3. Chorographus ille Byzantius arcem huic vrbi addit nomine *Gindarum:* Κύῤῥος, inquit, *πόλις Συρίας, ἡ ἀκρόπολις Γίνδαρος*; Berkelius & Pinedo legendum cenſent, *ἧς*, *cuius*, vt ſenſus exigit. id eſt, *Cyrrhus oppidum Syriæ, cuius arx eſt Gindarus.* Ex Strabone hauſit, ſed male intellecto. Ait enim ille poſt Commagenæ & Antiochiæ deſcriptionem, *συνάπτει τούτοις ἡ* Κυῤῥηστικὴ *μέχρι δεῦρο παρατείνουσα. ἐνταῦθα δ' ἐστὶ πόλις* Γίνδαρος, *ἀκρόπολις τῆς* Κυῤῥηστικῆς, *His connexa Cyrrheſtica, eo vsque extenſa. Illic eſt oppidum Gindarus, arx Cyrrheſticæ.* Non ait Gindarum arcem Cyrrho coniunctam eſſe, ſed (ſi ſalua lectio eſt) propugnaculum & munimentum regionis. Et Plinius ac Ptolemæus longe a Cyrrho reducunt Gindarum, vt ſupra in finibus Commagenæ, quo Plinius refert, expoſuimus.

LII.

Deinde ex notioribus *Heraclea* Ptolemæi eſt, quam itidem ad fines Commagenæ ponit, ſupra Hierapolim & Berœam, ſeptemtrionem verſus. Strabo dicto lib. XVI pag. 517 Πρὸς ἕω ὁ Εὐφράτης ἐστὶ, *καὶ ἡ* Βαμβύκη, *καὶ ἡ* Βέῤῥοια, *καὶ ἡ* Ἡράκλεια *τῇ* Ἀντιοχείᾳ. - - - - *διέχει δὲ ἡ* Ἡράκλεια *σταδίους* εἴκοσι τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς ἱεροῦ. *Ad orientem Antiochiæ eſt Euphrates, & Bambyce, & Berœa, & Heraclea: - - - - Heraclea autem abeſt viginti ſtadiis a fano Mineruæ Cyrrheſtidis.*

LIII.

Succedit in auſtrum *Hierapolis*, quæ *Bambyce* olim dicta fuit, vt modo etiam Strabo adpellauit. Plinius lib. V cap. XXIII *Cœle habet Apamiam, Marſya amne diuiſam a Nazerinorum tetrarchia: Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog. Ibi prodigioſa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur.* De diua illa, quæ forſan *ἱερᾶς πόλεως*, *ſanctæ vrbis* nomen attulit, * Strabo lib. XVI extremo: *Multæ ſunt barbarorum nominum μεταπτώσεις, mutationes, quemadmodum* - - - - Ἀταργατὴν *τὴν* Ἀθάραν *ἐκάλεσαν*· Δερκετὼ *δ' αὐτὴν* Κτησίας *καλεῖ*, *Atagaten vocarunt Atharan: quam Cteſias adpellat Derceto.* Aelianus lib. XII Hiſt. Animal. cap. II Κατὰ *τὴν πάλαι* Βαμβύκην, *καλεῖται δὲ νῦν* Ἱεράπολις Σελεύκου *ὀνομάσαντος τοῦτο αὐτὴν, ἰχθύες εἰσὶν ἱεροὶ*, *Ad Bambycen olim adpellatam, quam Seleucus Hierapolim nuncupauit, ſunt piſces ſacri.* De his piſcibus refert, turmatim ire, duce prænatante, & inter ſe mire conſpirare & colere quaſi amicitiam, *τῆς θεοῦ τὴν ὁμόνοιαν καταπνεούσης*, *dea illam conſenſionem adflante.* Hæc illa *Atargatis* eſt ſiue *Derceto*, vt Plinius cum Strabone adpellauit: & quod hic etiam *Atharan* dici adiecit, inde quidam coniiciunt, Ἀσθάραν, *Aſtharan* forte, vt cum *Aſtarte* ſiue *Aſtoreth*, Syrorum dea, conueniat,

* Dicitur etiam *ἱερὰ* ſimpliciter. Vid. Lucian. de dea Syria, a princip.

niat, legendum eſſe. Opulentum huius fanum fuit, vt in eius theſauris ponderandis M. Craſſus aliquot dies, quum in Parthos pergeret, conſumſerit. Appianus Parthic. pag. 223 τὰ χρήματα τῆς ἐν Ἱερᾷ πόλει θεοῦ σταθμοῖς καὶ τρυτάναις μεταχειριζόμενος ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας, *ſacras deæ Hierapolitanæ pecunias trutina & pondere expendens per multos dies.*

2. Illuſtris ciuitas fuit & magni nominis, præſertim æuo poſteriori, quo Euphratenſis Syriæ facta eſt. Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXVI *Commagena, nunc Euphratenſis, clementer adſurgit, Hierapoli, Vetere Nino; & Samoſata, ciuitatibus amplis illuſtris.* Videtur auctore, neſcio quo, dicere, Hierapolim olim Ninum adpellatam fuiſſe, ſed ægre id doctis perſuaſerit, qui Bambycen nomen vetus, non aliud, cognitum habent: neque alia in Syria *Ninus* reperitur, niſi quod Philoſtratus lib. I cap. XIII ἀρχαίαν Νῖνον, *veterem Ninum* inter Antiochiam & Zeugma videtur collocare. Sed æque hic ſuſpectus eſt, aut ſuſpecto & incerto vſus auctore. Procopius lib. II de Aedific. cap. IX in Euphrateſiæ deſcriptione: τὴν Ἱερὰν πόλιν, ἥπερ ἁπασῶν πρώτη τῶν τῇδε τυγχάνει οὖσα, *Hierapolim, quæ omnium eo tractu vrbium eſt princeps ac nobiliſſima.* Et Ammianus lib. XXIII cap. IV vocat *ciuitatem capaciſſimam.*

3. Zoſimus poſitionis rationes nobis turbat, quum lib. III cap. XII de Iuliano, Antiochia egreſſo, ſcribit: Πέμπτῃ τὴν Ἱεράπολιν ἡμέρᾳ καταλαβὼν, ἔνθα ἔδει τὰ πλοῖα πάντα συνδραμεῖν, *quinto die Hierapolim venit, vbi cunctas naues conuenire iuſſerat,* Samoſatis, & aliis ex locis, quibus in Euphrate nauigatur. Quis non exiſtimet, ad Euphratem Hierapolim ſitam, vt naues ibi conuenire potuerint? Sed longe a flumine reduxit Ptolemæus: Strabo quatuor ſchœnis. * Ita enim lib. XVI pag. 515 ὑπέρκειται τοῦ ποταμοῦ σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. *Supra amnem* [Euphratem] *ſita, quatuor ſchœnis ab illo remota, Bambyce, quam & Edeſſam & Hierapolim vocant, in qua Syriam deam Atargatin colunt.* Clarius diſtantiam definit Tabula Peutingeriana, plenis verbis perſcriptum habens,

Ab Hierapoli Zeugma mil. paſ. XXIIII
Ab Hierapoli Ceciliana mil. paſ. XXIIII.

Iam vero & Zeugma & Cæciliana ſunt Euphrati, vt ſupra vidimus, adpoſita. Ammianus lib. XXIII cap. IV Iulianum dicit *Hierapoli, contractis copiis omnibus* [non nauibus] *Meſopotamiam propere ſigna commouiſſe. denique cum exercitu, Euphrate nauali ponte transmiſſo, veniſſe ad Batnas municipium Osdroenæ.* Aut ergo Zoſimus aberrauit, aut ἔνθα, *ibi,* ſolito laxius intellexit, vt e regione huius vrbis, ſiue contra illam, naues in Euphrate conueniſſe ſignificaret.

4. Tandem etiam de nummis huius ciuitatis eſt quod adiiciamus: qui ſane egregii ſunt, percuſſi ſub Traiano, Antonino Pio, Caracalla, Alexan-

* Vid. Lucian. de dea Syria init.

Alexandro, Philippo, cum inſcriptione: ΘΕΑΣ ΣΥΡΙΑΣ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Deæ Syriæ Hierapolitarum.*

LIV.

Inter Hierapolim & Antiochiam eſt *Beræa*, Βέροια, quam ita locat Procopius lib. II Belli Perſici cap. VII, Βέροια Ἀντιοχείας καὶ Ἱερᾶς πόλεως μεταξὺ κεῖται, δυεῖν δὲ ἡμερῶν ὁδῷ εὐζώνῳ ἀνδρὶ ἑκατέρας διέχει, *Beræa inter Antiochiam & Hierapolim ſita, eo interuallo ab vtraque diſtat, quod biduo percurrat expeditus viator.* Quod ſi eſt, Ptolemæi diſpoſitio immutanda erit, qui longitudinis differentiam Antiochiæ & Berœæ duos integros gradus fecit: Berœæ & Hierapolis, quadrantem vnius gradus. Stephanus Byzantius: Βέῤῥοια, - - - ἔστι καὶ πόλις Συρίας, λέγεται καὶ Βερόη. * οἱ δ' ἐγχώριοι, Βερόειαν· *Beræa: - - - eſt quoque vrbs Syriæ, quæ & Beroa dicitur: indigenæ Beroëam vocant.* Incolas Plinius dixit *Beræenſes*, ex ſcriptura Βέροια, *Beræa*, quæ etiam Notitiarum eſt. Appianus (tam Car. Stephani pag. 86, quam Tollii pag. 201) hoc nomen ρ duplici ſcriptum habet. ἔστιν, inquit, ἐν τῇ Συρίᾳ πολλὰ Μακεδονικῶν πολισμάτων ὀνόματα, Βέῤῥοια, Ἔδεσσα, Πέρινθος, cetera: hoc eſt, *ſunt in Syria multa Macedonicarum vrbium nomina, Berræa, Edeſſa, Perinthus*, &c. Atque ita etiam poſteriorum quidam ſcribunt, Cedrenus & alii. Sed verior ſcriptura cum ſimplici littera, quia in nummis ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ, Traiani apud Patinum pag. 184; Antonini Pii, apud Harduinum. Nec ipſa vrbs Macedoniæ, a qua nomen habet illa Syriæ, aliter, quam Βέῤῥοια, Act. Apoſt. XVII, 10, 13 ſcribitur.

2. Aliquot ſæculorum eſt traditio Berœam eſſe, quod hodie celebratur, emporium *Aleppo.* Nicetas Choniata in Ioanne Comneno cap. VII ἐπιστὰς τῷ Χάλεπ, τὸ δέ ἐστιν ἡ παλαιὰ λεγομένη Βέῤῥοια, *accesſit ad Chalep, quod eſt olim ita dicta Berræa.* Et Nicephorus Calliſtus lib. XIV cap. XXXIX Εὐστάθιος ἀπὸ Βεῤῥοίας, ἔιη δ' ἂν ἄυτη τὸ Χάλεπ, *Euſtathius a Berræa, quæ ipſa Chalep* hodiernum. Quod etiam his maior Io. Zonaras in Romano Lacapeno videtur cenſuiſſe. Nam dicit, hunc imperatorem miſiſſe exercitum, qui Chamadam, ὃς τοῦ Χάλεπ ἐκράτει, *Chalepi tyrannum* ſuperaret; hoc autem poſt cladem iterum rebellante, miſſus, qui denuo eum vicit, καὶ τὴν Βέροιαν, ἄτερ τῆς ἀκροπόλεως ἐξεπόρθησεν, *& Beræam* [principem eius vrbem, quæ ſupra Chalep dicebatur] *ſine arce tamen, vaſtauit.* Adſentitur Holſtenius in Steph. & Ortelium, & ex nomine Χάλεπ fluxiſſe adpellationem *Aleppo*, quæ hodie trita eſt, indubitanter adfirmat. Quæ ſi ita ſunt, non poteſt locus Berœæ obſcurus eſſe, ſi modo ipſa ſedes emporii Aleppo in recentibus tabulis eſſet certius conſtituta, quæ mire variant, quod mireris in loco ab Europæis quotidie frequentato. Aiunt vero fide digniores, Aleppo a mari ſeu Alexandretta abeſſe bidui itinere, ſiue leucis XXVIII. De latitudine poſtea ex veteri intinerario aliquid proferemus.

LV.

Quæ præterea Cyrrheſticæ a Ptolemæo attribuuntur, obſcuriora ſunt omnia:

* Βερόη Nonni Dionyſiac. XLI tantopere prædicata eſt Berytus, de qua vid. infra § LXXXIX huius Capitis.

omnia: a ſeptremtrione, *Ariſeria*, *Regias*, *Ruba*, *Niara:* in auſtrum vergentia, *Paphara*, *Thæna.* E quibus, quæ in ſeptemtrionem inclinant maxime, Commagenæ potius adſcribenda videntur: quemadmodum quæ ad Euphratem ſunt Zeugma, Cæciliana, itidem a Ptolemæo Cyrrheſticæ tributa, ſupra Commagenæ vindicauimus. Quæ relinquuntur infra Cæciliana, Cyrrheſticæ a Ptolemæo data, etiam ingnota ſunt, *Bethammaria*, *Gerra*, *Arimara*, *Eragiza:* niſi Bethammaria eſt *Bemmaris* Itinerarii: ſed loco non conueniunt, quia Bemmaris eſt ſupra Zeugma; Bethammaria infra illud & Cæciliana. Iter a Cyrrho Edeſſam, rem illuſtrabit:

Cyrrho			
Ciliza	M.	P.	XII
Abarara	M.	P.	X
Zeugma	M.	P.	XXII
Bemmarim	M.	P.	XL
Batnas	M.	P.	VIII
Edeſſam	M.	P.	X.

Etiam dubium ex hisce eſt, in Syria Bemmarim illam fuiſſe, nec potius in Meſopotamia aut Osdroëna? quia Batnæ trans amnem ſunt, quem haud dubie Cyrrho Edeſſam profecturi traiecerunt in Zeugmate.

LVI.

Aliud autem oppidum, *Minniza*, ſiue *Minica*, occurrit itinere a Cyrrho Emeſam, quod verius Cyrrheſticæ adſcripſeris: quod etiam repetitur itinere a Doliche Serianem:

Cyrrho			
Minnizam	M.	P.	XX
Beroam	M.	P.	XXII
Chalcida	M.	P.	XVIII &c.

SECTIO IV.

CHALCIDENE.

LVII.

Chalcidene, ſiue *Chalcidica*, eſt regio Syriæ, cuius *Chalcis* vrbs eſt primaria. Mediterranea tota eſt, nec etiam Euphratis attingit ripam, Chalybonitide interiacente: ab occaſu habet Antiochidem ſiue Seleuciæ regionem: a ſeptemtrione Cyrrheſticam: ab auſtro Apamenen & Cœleſyriam. Ptolemæo dicta χαλκιδικὴ, *Chalcidice;* Plinio lib. v cap. XXIII *Chalcidene.* De Cœle enim, quam longiſſime extendit, dicit habere, præter alia, & *Chalcidem, cognominatam ad Belum; vnde regio Chalcidene, fertiliſſima Syriæ.* Huius regulus fuit Ptolemæus Mennæi filius, de quo Ioſephus lib. XIV cap. XIII Πτολεμαῖος ὁ Μενναίȣ, δυναςεύων Χαλκίδος τῆς ὑπὸ τῷ Λιβάνῳ ὄρει, *Ptolemæus Mennæi filius, dynaſta Chalcidis, quæ ſub Libano monte eſt.* Idem lib. XX cap. III de Herode, Agrippæ maioris fratre, (qui ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟС in nummo Seguini cognominatur] ὁ τῆς Χαλκίδος βασιλεὺς Ηρώδης, *Chalcidos rex Herodes.*

2. Diuerſa cognomenta ab Belo & Libano petita videri poſſint, quaſi duas vrbes Chalcides in Syria ſtatuminarent: quæ vero vnica eſt, aliter atque aliter ab adiacentibus locis denominata, ad Belum vel montem vel fluuium verſus poſita, de quo ſupra in Seleucia ad Belum diximus: ab alio latere proſpiciens montem Libanum. Nec quiſquam de gemina Syrorum Chalcide mentionem fecit, ſed vnam eamdemque & Plinius & Ioſephus intelligunt, quæ Chalcidenes regionis caput fuit, & regulis ſedem ſub Romanis præbuit. Strabo lib. XVI p. 519 in montanis campi Marſyæ locat, per quem haud dubie flumen Marſya decurrit, & campo nomen dat. Poſtquam enim de πεδίων πρώτῳ τῷ Μάκρᾳ, *primo camporum Macra* dixerat, ſubdit: μετὰ τὸν Μάκραν ἐστὶν ὁ Μαρσύας, ἔχων τινὰ καὶ ὀρεινὰ, ἐν οἷς ἡ Χαλκὶς, ὥσπερ ἀκρόπολις τοῦ Μαρσύου, *Poſt Macram eſt* [campus] *Marſyas, habens etiam montana quædam, in quibus eſt Chalcis, arx & munimentum campi Marſyæ.* Longe producit hunc campum, eiusque ἀρχὴν, *initium* a Laodicea ad Libanum ſita, * petit. Stephani Χαλκὶς τετάρτη, *quarta huius nominis,* eſt πόλις ἐν Συρίᾳ, κτισθεῖσα ὑπὸ Μονίκου τοῦ Ἄραβος, *vrbs Syriæ, condita a Monico Arabe.* Situm ſupra ex Antonini Itinerario, itinere a Cyrrho Emeſam oſtendimus: nunc aliud a Doliche Serianam, quod idem demonſtrat, lubet adiungere:

Doliche -			
Cyrrhon	M.	P.	XXIIII
Minnizam	M.	P.	XXIIII
Beroam	M.	P.	XX
Chalcida	M.	P.	XV
Andronam	M.	P.	XXVII
Serianem	M.	P.	XVIII.

3. Nummi exſtant Traiani & Hadriani apud Patinum pag. 184 & 202, ſignati ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, quos de Syrorum Chalcide vir maximus Ezech. Spanhemius interpretatur, quia *Flauiæ* cognomen & aliis in Syria & Palæſtina vrbibus adiiciatur.

LVIII.

Reliqua oppida Ptolemæi in Chalcidena ſunt *Aſaphidama, Tolmideſſa, Maronias,* (Μαρωνειάς) *Coara.* Obſcura omnia. Prima in Tabula Agathodæmonis tantum *Aſaph* dicitur: & *Maronias* Ptolemæi eſt alia ab Hieronymi *Maronia* in Vita Malchi ſub initium, quam *non grandem viculum* dicit, ab Antiochia XXX millibus diſtantem in orientem. Ptolemæus autem hæc oppida Chalcidicæ collocauit, vt ab Chalcide metropoli in auſtrum omnia eo ordine, quo iam narrata ſunt, ſuccedant; ſola Maronias in orientem ſimul declinet. *SECT. V.*

* Polybius V c. 45 Ἧκε πρὸς τὴν Λαοδίκειαν, ἀφ' ἧς ποιησάμενος τὴν ὁρμὴν ὁ βασιλεὺς - - καὶ διελθὼν τὴν ἔρημον, ἐνέβαλεν εἰς τὸν αὐλῶνα τὸν προσαγορευόμενον Μαρσύαν, ὃς κεῖται μὲν μεταξὺ τῆς κατὰ τὸν Λίβανον καὶ τὸν Ἀντιλίβανον παρωρείας, συνάγεται δ' εἰς στενὸν ὑπὸ τῶν προειρημένων ὀρῶν κ. τ. λ. *Inde Laodiceam venit, vnde profectus rex - - & loca deſerta emenſus impetum fecit in conuallem Marſyam dictum, quæ inter Libani & Antilibani radices iacet & ab vtroque hoc monte in anguſtum redigitur.* Adde inſequentia, vbi caſtellum *Brochos* & *Gerra* ex vtraque anguſtiarum parte iacere ſcribit. De quibus vid. Polybius etiam V c. 61.

SECTIO V.

CHALYBONITIS.

LIX.

Adiungit Chalcidicæ ab ortu idem Ptolemæus CHALYBONITIDEM, a *Chalybone* (χαλυϐὼν in recto eſt) primaria regionis ita adpellatam præfecturam: de qua vero æque nihil notum eſt, vt de ceteris a Ptolemæo circumiectis; quæ ſunt *Acoraca*, *Derrhima*, *Spelunca:* & ad Euphratem *Barbariſſus* & *Athis.* * Hæc ſunt quæ in Chalybonitide Ptolemæus oppida enarrauit.

2. Ipſum caput *Chalybon* ita locauit, vt latitudinem habeat XXXV graduum: longitudinem LXXI cum triente. quæ ſi recte ſunt poſita; multum auſtralior vrbs Chalybon fuit, quam hodie eſt emporium Aleppo, aut medio æuo χάλεπ, *Chalep;* quod tamen nomen ex *Chalybon* deductum prauatione eſſe, atque ſic eamdem vrbem Chalybonem & Aleppo; ſunt qui perſuaſi nominis propinquitate non dubitent.

3. Et *Seriane* in hoc tractu fuit, cuius ſitum ex Itinerario monſtratum modo vidimus.

SECTIO VI.

PALMYRENE.

LX.

Palmyrenen etiam regionem amplam & multis oppidis excultam Ptolemæus laudat, ſed omnibus obſcuræ ſortis, nec ab alio auctore commemoratis, præter vrbem primariam, quæ nobiliſſima eſt. *Palmyra* enim a pluribus laudata, tam antiquis, quam illis, qui Odenathæ & Zenobiæ res, Galerii & Aureliani temporibus geſtas, ſcripſerunt. Plinius lib. V c. XXV *Palmyra vrbs nobilis ſitu, diuitiis ſoli, & aquis amœnis, vaſto vndique ambitu arenis includit agros; ac velut terris exemta a rerum natura, priuata ſorte inter duo imperia ſumma, Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper vtrimque cura. Abeſt a Seleucia Parthorum, quæ vocatur ad Tigrin,* CCCXXXVII *millibus paſſuum: a proximo vero Syriæ litore* CCIII *millibus: & a Damaſco viginti ſeptem propius;* hoc eſt CLXXVI. Sic ex MSS. Harduinus: alii augent numeros nimis quantum. Ptolemæus quoque ſcripſit παλμύρα, *Palmyra:* etiam Zoſimus lib. I cap. LIV & LXI; nec non Appianus lib. V Ciuil. & Procopius de Aedif. lib. II extremo; Zonaras in Aureliano: ac Latini, poſt Plinium, Vopiſcus, & Pollio, & Tabula Peutingeriana; omnes hi vocali pænultima Græca παλμύρα, *Palmyra* ſcribunt: ſolus Ioſephus lib. VIII Antiquit. cap. II παλμίρα, *Palmira.* Hic & originem Salomoni regi tribuit, ratus eam vrbem eſſe, quam rex ille in ſolitudine

* Epigramm. Græc. lib. III cap. εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμ. pag. 286

Νᾶσος ἐμὰ Θρέπτειρα τύρος, πάτρα δέ με τεκνοῖ
Ἀτθίς, ἐν Ἀσσυρίοις ναιομένα γαδάροις κ. τ. λ.

dine muniiſſe dicitur I Reg. IX, 18, & II Paralip. VIII, 4 τὴν πόλιν, inquit, οἰκοδομήσας, καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν, Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις· οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσιν Παλμιράν. *Hanc vrbem exſtructam & mœnibus validiſſimis munitam*, [Salomo] *Thadamoram adpellauit, quo nomine adhuc a Syris vocatur: Græci autem nuncupant Palmiram.* Sed vnus nihil efficit (ſi omnino ita ſcripſit, nec mendum eſt) contra tantam Græcorum Latinorumque conſenſionem: quam cum primis corroborat marmoris, in Syria reperti, inſcriptio, in qua eſt ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ, *Palmyrenus*, vocali Græca, apud Sponium Recherch. Curieuſ. pag. 59.

2. Situs vrbis a Plinio ſupra deſcriptus fuit: cui Ioſephum addo, qui vnius diei itinere ab Euphrate dicit abeſſe: & Appianum Ciuil. lib. V pag. 1079 οὐ μακρὰν οὖσα ἀπὸ Εὐφράτου, *non longe ab Euphrate diſtare*, dicentem. Ptolemæus longitudinem dat LXXI & dimidii; latitudinem XXXIV graduum. Procopius dicto loco in Phœnice quidem ponit, ſed τῇ παρὰ Λίβανον, *ea, quæ iuxta* (& vltra) *Libanum eſt*, vt ipſe diſtinguit: non illa maritima, quam Primam Phœnicen illo tempore vocabant, quo altera orientalior *Phœnice ad Libanon* adpellabatur.

3. Floruit maxime Palmyrena ciuitas, quum, Gallieno imperium deſerente, Odenathes Palmyrenus orientem ſeruaret, ab ipſis Romanis principibus, vt Trebellius Pollio in Gallieno cap. XII, & Salonino extremo tradit, adprobatus tamquam vindex imperii, & ſalutatus imperator. Augebatur per orientem eius imperium, vt exſtincto illo vidua Zenobia omnem Syriam, Aegyptum, Cappadociam & ipſam Ancyram Galatiæ poſſideret, Bithyniam etiam occupatura, niſi Aurelianus ſuperueniens reſtitiſſet. Vide Zoſimum lib. I cap. XLIV, XLV, L, & de Aegypto, in Aureliano Zonaram. Perquam etiam munita fuit Palmyra, ſiue a Salomone munimenta habuit, ſiue ab alio: ideoque Φρούριον a Stephano vocatur, non quaſi paruum caſtellum eſſet, ſed vrbs inſtar caſtelli emunita, & πόλις μεγίστη, *vrbs ampliſſima*, vt illam dixit Flauius Ioſephus. Videtur ornamentum vel inſtaurationem, aut incrementum aliquod ab Hadriano habuiſſe: quia Stephanus de ciuibus refert, οἱ αὐτοὶ Ἀδριανοπολῖται μετωνομάσθησαν, ἐπικτισθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος, *iidem etiam Hadrianopolitæ adpellati ſunt, vrbe ab imperatore inſtaurata*, ſiue aucta. Atque ita *Hadrianopolim* nouam habemus in Syria. Quod etiam inſcriptio illa, antea laudata, confirmat:

Λ. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟϹ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ cetera.

L. Aurelius Heliodorus Antiochi F. Hadrianus Palmyrenus. HADRIANVS, interprete Sponio eſt *Hadrianien* Gallice, id eſt *Hadrianenſis* ſiue *Hadrianopolitanus.*

4. Capta Zenobia, ſeruauit Aurelianus vrbem: poſtea quum rebellaſſet, Antiocho quodam (*Achillem* Vopiſcus in Aureliano vocat c. XXXI) purpuram ſumente; ſine pugna vrbem cepit & deleuit. Zoſimus cap. LXI ἀμαχητὶ τὴν πόλιν ἑλὼν, καὶ κατασκάψας, οὐδὲ τιμωρίας Ἀντίοχον ἄξιον διὰ τὴν

εὐτέ-

εὐτέλειαν εἶναι νομίσας, ἀφίησι, *vrbem ſine prœlio captam euertit, & Antiochum propter vilitatem ne ſupplicio quidem dignum cenſens, dimiſit.* Surrexit quidem, ipſo Aureliano iubente reſtitui, ſed ægre adeo, vt ἔρημος ἐπὶ πλεῖστον, *maiorem partem deſerta* Iuſtiniani temporibus eſſet, quod Procopius de Aedific. lib. II extremo adnotauit. In primis Solis templum diligentiſſime reparari voluit Aurelianus. Vide eiusdem epiſtolam ad Ceionium Baſſum, dicto Vopiſci cap. XXXI.

LXI.

Oppida *Palmyræ* ſubiecta, ſeu in *Palmyrene* a Ptolemæo poſita, ſunt hæc: *Reſapha, Cholle, Oriza, Putea, Adada, Adacha, Danaba, Goaria, Auera* (Αὔειρα) *Caſama, Odmana, Ateia*; & ad Euphratem, *Alalis, Sura, Alamata.* Satis obſcura & ignota omnia: quædam vero in Auguſtana quoque Tabula vetuſta leguntur, via quæ ab Apamea in deſerta Arabiæ loca exit, hoc ordine:

Centum Putea, Palmyra, Harae, Oruba, Cholle, Riſapa, Sure.

LXII.

Hæc *Sure* Ptolemæo ſita ad Euphratem: etiam Plinio lib. V cap. XXVI, quam paullo ante cap. XXIV extr. *Vram* dixerat, quo loco Euphrates in orientem ſe conuertit. Eadem in Notitia Imperii orientalis ſub Duce Syriæ vocatur *Flauia Firma Sura.*

LXIII.

Ibidem etiam *Reſapha* & *Adada* leguntur. Ripenſibus oppidis nobilius addo, *Thapſacum*, in Arabiæ Deſertæ, cui Ptolemæus tribuit, confinio. Plinius autem & Stephanus in Syria cenſent: quod ſi eſt, Palmyrenæ regioni, quæ ſola eo vſque excurrit, eſt adiiciendum. Ille lib. V cap. XXIV *At in Syria oppida, Europum, Thapſacum quondam, nunc Amphipolis.* Agit ibi de oppidis Euphrati amni vtrimque adpoſitis. Stephanus autem: Θάψακος, πόλις Συρίας πρὸς τῷ Εὐφράτῃ, *Thapſacus, oppidum Syriæ ad Euphratem.* In Ἀμφίπολις idem: ἔστι καὶ πόλις Συρίας πρὸς τῷ Εὐφράτῃ, κτίσμα Σελεύκου· καλεῖται δὲ ὑπὸ τῶν Σύρων Τούρμεδα. *Eſt etiam alia Amphipolis Syriæ ad Euphratem, a Seleuco condita: vocatur autem a Syris Turmeda.*

2. Barbarum nouum nomen, quod vix ſincerum, ſed, vt plurima peregrina, prauatum eſt, dimiſſum volumus: Græcum, *Amphipolis* a Macedonibus eſt: nec vero Seleucus condidit a fundamento, ſed renouauit forſan, & ornamenta addidit: quia longis ante Seleucum temporibus Thapſacus illa celebrata fuit. Xenophon de Cyri minoris expeditione lib. I p. 150 ἐξελαύνει ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, ὄντα τὸ εὖρος τεττάρων σταδίων· καὶ πόλις αὐτόθι ᾤκεῖτο μεγάλη καὶ εὐδαίμων, Θάψακος ὀνόματι. *Inde ad Euphratem peruenit, quatuor ſtadia latum. Ibi vrbs magna & opulenta habitabatur, Thapſacus nomine.*

3. Ibi Cyrus exercitusque pedibus flumen tranſmiſerunt, quod, Thapſacenis fatentibus, nemini ante tam facile contigerat: nec vero quisquam ἐβρέχθη ἀνωτέρω τῶν μαστῶν, *immerſus eſt altius, quam ad pectus.* Ibi & Darius ponte traiecit in Ciliciam aduerſus Alexandrum profecturus: & eodem

eodem refugit victus a Macedonibus. Arrianus lib. I p. 116 de fuga Darii: *ἐπὶ Θάψακόν τε πόλιν καὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν σπουδῇ ἤλαυνε*, *ad oppidum Thapſacum & flumen Euphratem celeriter contendit.* Et lib. III pag. 168 de Alexandro: *ἀφίκετο ἐς Θάψακον, καὶ καταλαμβάνει δυοῖν γεφύραιν ἐζευγμένον τὸν πόρον*, *Thapſacum venit: vbi duobus pontibus iunctum vadum reperit.* Strabo quoque *Thapſaci*, tamquam illuſtris loci, vnde menſura diſtantiarum petatur, meminit cum alibi, tum maxime lib. XVI, vbi etiam a Zeugmate non minus quam duobus millibus ſtadiorum abeſſe prodidit. Et pag. 513 *καθ' ἣν* [*Θάψακον*] *ἦν τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου τὸ παλαιόν*, *iuxta Thapſacum vetus pons fuit Euphratis.* Nec illud prætereundum eſt, in ſacris quoque litteris huius oppidi mentionem videri factam eſſe, I Reg. IV, 24, vbi Salomonis imperium מתפסח ועד עזה *a Thiphſach ad Gazam*, Græci, *ἀπὸ Θάψα ἕως Γάζα*, Vulgatus *Thaphſa*. Atque ibi נהר *flumen* Chaldæus bene Euphratem interpretatur. Adde eiusdem paraphraſin in comma 21. Idem cenſent Bonfrerius atque Grotius. Et admodum probabile eſt, quia Dauid fines imperii ad Euphratem, cui adpoſita eſt Thapſacus, protulerat, vt terminus ab oriente fuerit fluuius Euphrates iuxta Thapſacum; ab occaſu Gaza in finibus Aegyptiorum.

LXIV.

Tandem etiam de *Palmyrena ſolitudine* aliquid adiiciendum eſt. Plinius & longam & latam deſcribit lib. V cap. XXIV. *Euphrates*, inquit, *ita fertur vſque Vram locum, in quo conuerſus ad orientem relinquit Syriæ Palmyrenas ſolitudines, quæ vſque ad Petram vrbem, & regionem Arabiæ Felicis adpellatæ, pertinent.* Non dicit ad Petram vſque & Felicem Arabiam has ſolitudines vel Syriæ vel Palmyrenarum nomen tenere, ſed, quæ in Syria ſint Palmyrenæ ſolitudines, Arabicis coniunctas eſſe & per totam Deſertam Arabiam vſque in Petræam & Felicem continuari. Etiam latitudine Emeſam verſus recedunt. Ibidem cap. XXVI *Vltra Palmyram quoque ex ſolitudinibus iis aliquid obtinet Emeſa: item Elatium, dimidio propior Petræ, quam Damaſcus.*

SECTIO VII.

COELE SYRIA.

LXV.

Quidam coniuncte ſcribunt *Cœleſyria:* Græci plerumque diuidunt *ἡ Κοίλη Συρία*, *Cœle Syria*, quod rectius videtur, quia Plinius non ſolum ſeparat, verum etiam *Cœle* dicit ſimpliciter, ſuppreſſo aut intellecto *Syriæ* nomine. Lib. V cap. XII *Syria pluribus diſtincta nominibus. namque Palæſtina vocabatur, qua contingit Arabas, & Iudæa, & Cœle, dein Phœnice; & qua recedit intus, Damaſcena.* Et cap. XXIII *Nunc interiora dicantur. Cœle habet Apamiam, cetera.* Vetus inſcriptio Grut. p. 346 PROC. CHOSDROE - - - SYRIAE COELES. reliqua.

LXVI.

Variant maxime ſcriptores in finibus Cœles Syriæ conſtituendis, & ſæpe omnis Syria mediterranea vocatur *Cœle.* Plinius dicto loco c. XXIII, *Cœle habet Apamiam, - - - Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur: Chalcidem cognominatam ad Belum, vnde regio Chalcidene, fertiliſſima Syriæ: & inde Cyrrheſticæ Cyrrhum.* Sic ergo in Cœle ſunt Apamene, Chalcidene, & Cyrrheſtica: quæ a Ptolemæo quidem inde excluduntur; ipſe vero ſuam Cœlen Syriam longius iuſto in meridiem extendit, dum multa oppida Perææ, & ipſam Scythopolim, infra lacum Geneſareth cis Iordanem ſitam, Cauæ Syriæ, quam *Curuam* perperam interpres vertit, cum tota Decapoli adnumerauit. Quid? quod Strabo dicit lib. XVI p. 520 ἅπασα μὲν ὑπὲρ τῆς Σελευκίδος, ὡς ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον καὶ τὴν Ἀραβίαν ἀνίσχουσα χώρα, Κοιλησυρία καλεῖται, *Omnis regio ſupra Seleuciden in Aegyptum & Arabiam recedens, Cœleſyria vocatur.* Sed hæc laxa nimis & impropria vocabuli ſignificatio: propriam & genuinam ita ibidem Strabo explicat: ἰδίως δ' ἡ τῷ Λιβάνῳ καὶ τῷ Ἀντιλιβάνῳ ἀφωρισμένη, *proprie vero* [Cœleſyria] *regio eſt monte Libano & Antilibano definita.* Et ante paullo p. 519 δύο ἐστὶν ὄρη τὰ ποιοῦντα τὴν Κοίλην καλουμένην Συρίαν, ὡς ἂν παράλληλα; ὅ, τε Λίβανος καὶ ὁ Ἀντιλίβανος, *Duo montes ſunt, qui faciunt, quæ ita vocatur, Cœlen Syriam, iidemque paralleli, Libanus & Antilibanus.*

LXVII.

Omnis ergo diſſenſionis compoſitio redit eo, vt termini & limites vtriusque montis demonſtrentur: quos ita ibidem Strabo definiit, *incipere ambo* μικρὸν ὕπερθεν τῆς θαλάττης, *paullo ſupra mare; Libanum quidem prope Tripolim,* κατὰ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον μάλιστα, *maxime contra locum, qui Dei vocatur Facies: Antilibanum autem* κατὰ Σιδόνα, *iuxta Sidonem: deſinunt vero* ἐγγὺς, *prope Arabiæ montes, qui ſupra Damaſcenen ſunt, & montes Trachonitidis, atque in alios ibi montes deſinunt.* Diſcrepat Ptolemæus ſuis numeris lib. V c. XV, haud dubie prauatis & transpoſitis, quod ex Agathodæmonis Tabula adparet, ad Ptolemæi deſcriptionem olim exacte compoſita; quæ vero cum Strabonis diſpoſitione congruit.

2. Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXII a communi reliquorum ſententia recedit, & *Libanon* montem ab ipſis Pylis, quæ Syriam Ciliciæ connectunt, deducit, immo alterum eſſe qui Pylas faciat, & παρεκτείνει παρὰ τὴν Φοινίκην, *ad Phœnicen vſque pertineat.* Relinquimus auctori ſingularem opinionem, cum aliis, qui plures ſunt, nec minoris auctoritatis, facientes: quamuis facile concedamus, quod inde a Pylis montes ſint, qui alii alios contingentes in Phœnicen vſque continuatis iugis procurrant: quos, præter Diodorum, nemo Libanum adpellauit.

3. Plinius lib. V cap. XX videtur etiam a Strabone diſſentire, non quod vltra terminos hos montes proferat, ſed quod adpellationes *Libani* & *Antilibani* permutet. Sed facile conciliatur. *Sidon,* inquit, *artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens. A tergo eius mons Libanus orſus, mille quingentis ſtadiis Simyram vſque porrigitur, qua Cœle Syria cognominatur.*

Huic par, interiacente valle, mons aduerſus Antilibanus obtenditur, quondam muro coniunctus. Simyra autem in principio Phœnices poſt Seleucidem ſita ad mare eſt, inter Orthoſiam & Eleutheri amnis, Phœnicen finientis, oſtia, Ptolemæo auctore. Sed ipſe quoque Plinius Antilibanum auſtraliorem ponit Libano, quum ſubiicit: *Poſt eum* [Antilibanum] *introrſus, Decapolitana regio eſt, prædictæque cum ea tetrarchiæ, & Palæſtinæ tota laxitas.* Sunt qui ita interpretantur Plinium, vt latus occidentale, quod inter Simyram & Sidonem eſt, etiam Libano, quem dein a Simyra in orientem oblique ad ſuperiores Arabes vſque ducat: Antilibanum autem parallelo tractu, ſed auſtrali, huic opponat, & ab ortu flexo in ſeptemtrionem proceſſu eius, cum Libano coniungat: vt quaſi amphitheatrum ſit, eiusque formam referat. Nihil quidem de flexione Strabo aut Ptolemæus: at Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXVI *Acclinis Libano monti Phœnice regio, plena gratiarum & venuſtatis.* Phœnice autem cum mari a ſeptemtrione in auſtrum extenſa: ex quo ſitu videtur probari, vtrumque Libanum ab occaſu etiam conuenire, ſeu montibus transuerſis coniungi.

4. In ſacris לבנון, *Libanon;* Græce autem & Latine Λίβανος, *Libanus,* vtraque verſione, vocatur: aliquando LXX Interpretes Ἀντιλίβανος, *Antilibanus* verterunt, Deuteronom. I, 7; cap. III, 25; cap. XI, 24; Ioſ. I, 4; c. IX, I. videlicet, vbicumque de termino Palæſtinæ ſeu Cananææ ſermo eſt, cui Antilibanus propior eſt quam Libanus: Scriptura autem Hebraica vtrumque montem *Libanon* dicit, tam eum, qui Straboni, Plinio, Ptolemæo eſt Antilibanus, quam qui proprie vocatur Libanus: quod LXX Interpretes diſtinguunt, Palæſtinæ terminum, vt vidimus, reddentes Ἀντιλίβανον. Vterque cedris, aliisque proceris arboribus, in quibus Græci interpretes & κυπάρισσον, *cupreſſum* Eſa. LX, 13 numerant, eſt laudatiſſimus.

LXVIII.

Vrbes Cœleſyriæ propriæ, demta Decapoli, quam Ptolemæus addit, ſecundum eumdem ſunt *Heliopolis, Abila, Damaſcus,* & quædam oppida ignobiliora; quibus *Laodicenen* quoque Ptolemæi, in cauitate illa Libani vtriusque ſitam adiungimus, id eſt *Laodiceam* cognomine Cabioſam; *Paradiſum,* & *Iabrudam.*

LXIX.

Primam Ptolemæus conſtituit *Heliopolim,* * quæ ex illis maxime in ſeptemtrionem & occidentem ſimul recedit. Circa Orontis fontes fuiſſe, Plinius lib. V cap. XXII teſtis eſt. *In ora,* inquit, *amnis Orontes, natus inter Libanum & Antilibanum iuxta Heliopolim.* Situm curatius Itinerarium Antonini ſiue Aethici declarat, itinere a Damaſco Emeſam:

Damaſco			
Abilam	M.	P.	XXXVIII
Heliopolim	M.	P.	XXII

Conna

* Hæc colonia fuit & iuris Italici, ſi Vaillantium audias in numis coloniarum. Vid. tom. I pag. 228 & tom. II pag. 32, 81, 93, 237 & alibi Caracallæ, Getæ, Macrino, Philippo &c. numos percuſſit.

Conna	M.	P.	XXXII
Laodiceam	M.	P.	XXXII
Emeſam	M.	P.	XVIII.

Strabo lib. XVI pag. 518 Ἡλιὄπολις καὶ Χάλκις ὑπὸ Πτολεμαίῳ τῷ Μενναίȣ, τῷ τὸν Μαρσύαν κατέχοντι, *Heliopolis & Chalcis ſub Ptolemæo erant, Mennæi filio, qui Marſyam tenebat.* Sozomenus lib. I cap. VIII οἱ τὸν Λίβανον καὶ τὴν Ἡλιȣ πόλιν οἰκȣ̃σι, *qui Libanum & Heliopolim incolunt.* Et lib. V cap. X οἱ τὴν πρὸς τῷ Λιβάνῳ Ἡλιȣ́πολιν, καὶ τὴν Ἀρέθȣσαν τῆς Συρίας οἰκȣ̃ντες, *qui Heliopolim, quæ ad Libanum eſt, & Arethuſam Syriæ inhabitant.* Notitia Eccleſiæ Heliopolim in Phœnice Libaniſia ponit, quæ Cœleſyriam propriam comprehendit. Nominis originem nemo poteſt ignorare: tantum addo frequentem in Syria fuiſſe Solis cultum, vt Emeſæ ſub nomine Elagabali, Palmyræ, & alibi locorum.

LXX.

Non poſſum, quin mentionem loci cuiusdam, cui Ἄφακα, *Aphaca* nomen eſt, adiungam, quem Zoſimus lib. I cap. LVIII ponit μέσον Ἡλιȣπόλεώς τε καὶ Βύβλȣ, *medium inter Heliopolim & Byblum.* Miratur in eo fanum Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος, *Veneris Aphacitidis:* iuxta quod λίμνη, *lacus* eſt, circa quem ignes erumpunt. Lacum id ait mirabile habere, vt δῶρα, *donaria,* quæ offerantur, deæ accepta ſint, etiam leuiſſima, vt byſſina, mergantur: ſin ſecus, grauia etiam auri & argenti pondera ſupernatent. Superſtitionem ſubfuiſſe, ex Senecæ lib. III. Quæſt. Nat. cap. XXVI elucet, qui ſilens de eo, quod numini acceptum ſit aut ſecus; tantummodo dicit: *Eſt adhuc in Syria ſtagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta non poſſunt, licet grauia ſint. Huius rei palam cauſſa eſt.* nam ex grauitate aquæ maiore, quam res iniectæ ſint, deriuat cauſſam eius, quod mirabile imperitis videatur. Ipſum autem templum ſchola fuit nequitiæ, ideoque a Conſtantino euerſum. Euſebius de Vita eius lib. III cap. LV ἄλσος ἦν καὶ τέμενος, τὸ δ' ἦν ἔξω πάτȣ, τριόδων τε καὶ λεωφόρων ἐκτὸς, αἰσχρῷ δαίμονι ἀφροδίτης, ἐν ἀκρωρείας μέρει τȣ̃ Λιβάνȣ ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον· σχολή τις ἦν αὕτη κακοεργίας πᾶσιν ἀκολάστοις, *lucus & fanum deuium & extra viam regiam, turpi dæmoni, quem Venerem adpellant, in parte verticis Libani apud Aphaca conſtitutum. erat illic ſchola quædam nequitiæ omnibus impuris hominibus.* Quæ repetuntur Oratione de laudibus Conſtantini pag. 625. Quamuis vero hic ἐπὶ τȣ̃ Φοινίκων ἔθνȣς, *in Phœnicum gente* hoc fanum fuiſſe ibidem dicat, quod tamen in montanis Libani fuit; tamen nihil dicit a ſolito alienum, quia nouam illam in Libano Phœnicen ſiue Libaniſiam prouinciam, quæ Cœleſyriam & Palmyrenen complectebatur, intellexit.

LXXI.

Sed vt ad Ptolemæi deſcriptionem reuertamur, is *Abilam* inter Heliopolim & Damaſcum conſtituit cum *Lyſaniæ* cognomento. nam plene eius codice ſcriptum exſtat, Ἄβιλα, ἐπικληθεῖσα Λυσανίȣ, *Abila, cognominata Lyſaniæ:* quod cum ſancti Lucæ tetrarchiarum diuiſione cap. III commate I conuenit, Λυσανίȣ τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχȣ̃ντος, *eo tempore, quo Lyſanias tetrarcha*

Abilenæ erat: ex quo cognomen videtur regioni adhæſiſſe. An vero hic Lyſanias illius Lyſaniæ, qui patri Ptolemæo Mennæi ſucceſſerat, filius, aut, temporum ratione, nepos fuerit, incertum eſt. Vide Ioſephi lib. XIV cap. XXIII extremo, & lib. XV cap. IV. Huius vrbis etiam apud alios eſt mentio. Polybius lib. XVI apud Ioſephum lib. XII cap. III, *τὴν μὲν Βαταναίαν, καὶ Σαμάρειαν, καὶ Ἄβιλα, καὶ Γάδαρα παρέλαβεν Ἀντίοχος, Batanæam, & Samariam, & Abila, & Gadara Antiochus recepit.* Plinius lib. V cap. XVIII, quum Decapolitanam regionem expoſuit, ſubiicit hæcce: *Intercurſant cinguntque has vrbes tetrarchiæ, Trachonitis, Paneas, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte: Abila, Arca, Ampeloëſſa, Gabe.* Diſtantiam a Damaſco & Heliopoli (vtramque enim interiacet) ſupra ex Itinerario in vrbe *Heliopoli* propoſuimus. Auguſtana Tabula ita ſcriptum eſt a ſeptemtrione in auſtrum vergente ſitu:

Eliopoli	M.	P.	XXXII
Abila	M.	P.	XVIII
Damaſco.			

E quibus non incertum eſt, prauatos libros eſſe, qui alia vocali media, aut L duplicato hoc nomen referunt. In his Ioſephi Antiquitates ſunt lib. XX cap. V de Claudio Cæſare: *δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ καὶ Βαταναίᾳ, προσθεὶς αὐτῷ τὴν Τραχωνῖτιν σὺν Ἀβέλλᾳ· Λυσανίᾳ δὲ αὕτη γεγόνει τετραρχία. Agrippam donauit Philippi tetrarchia, & Batanæa, adiungens his Trachonitin cum Abella: quæ tetrarchia Lyſaniæ fuerat.* Et Notitia Eccleſiæ in prouincia Phœnice Libaniſia: *Laodicea, Heliopolis, Ἄβιλλα, Abilla, Damaſcus.* Vtroque loco *Ἄβιλα, Abila* legendum eſſe, non eſt quod dubitemus. Numeri vocabulum vtriusque eſt. Polybius, vt vidimus, pluraliter dixit: ſingulari Ioſephus poſteriore loco.

LXXII.

Damaſcus, Δαμασκὸς, vrbs antiquis, & tam ſacris quam profanis hiſtoriis celebrata: olim Syrorum regia, Hebræis דמשק *Dammæſæk* vocatur, quod LXX interpretes & omnes Græci ſcripſerunt *Δαμασκός·* Strabo lib. XVI pag. 520 *ἡ Δαμασκηνὴ χώρα διαφερόντως ἐπαινουμένη· ἔστι δὲ καὶ ἡ Δαμασκὸς πόλις ἀξιόλογος σχεδόντι καὶ ἐπιφανεστάτη τῶν ταύτῃ κατὰ τὰ Περσικά. Damaſcena regio in primis laudata eſt. Eſt vero etiam Damaſcus vrbs inſignis ac prope omnium clariſſima eius regionis, quæ contra Perſicum imperium ſita eſt.* Iulianus imperator epiſt. XXIV ad Sarapionem: *ἔδει τὴν Διὸς πόλιν ἀληθῶς, καὶ τὸν τῆς ἑῴας ἁπάσης ὀφθαλμόν. τὴν ἱερὰν καὶ μεγίστην Δάμασκον λέγω· τοῖς τε ἄλλοις ἅπασιν, οἷον ἱερῶν κάλλει, καὶ νεῶν μεγέθει, καὶ ὡρῶν εὐκαιρίᾳ, καὶ πηγῶν ἀγλαΐᾳ, καὶ ποταμῶν πλήθει, καὶ γῆς εὐφορίᾳ νικῶσαν, Aequum erat, veram Iouis vrbem, totiusque orientis oculum (ſacram & ampliſſimam Damaſcum dico) cum omnibus aliis rebus, ſacrorum elegantia, templorum magnitudine, temporum anni opportunitate, fontium nitore, fluuiorum multitudine, terræ vbertate ſuperare & antecellere,* cetera. Fluuiorum, qui rigant & adluunt, præcipuus eſt *Chryſorrhoas.* Plinius lib. V cap. XVIII *Plurimi* [ad Decapolim referunt] *Damaſcum, ex epoto riguis amne Chryſorrhoa fertilem.*

Strabo

Strabo pag. 519 τῶν ποταμῶν ὁ μὲν Χρυσοῤῥόας ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῶν πόλεως καὶ χώρας εἰς τὰς ὀχετείας ἀναλίσκεται σχεδόντι, *De amnibus Chryſorrhoas, ab vrbe & regione Damaſcenorum incipiens, totus fere in riuos regionis inſumitur.* Alium nominat Stephanus: Δαμασκὸς, πόλις Συρίας μεσόγειος, ὕπερθεν Φοινίκης, περὶ τὸν Βαρδίνην ποταμὸν, *Damaſcus vrbs Syriæ mediterranea ſupra Phœnicen, circa Bardinen fluuium.* Sed ignotus hic adeo, vt etiam vocabulum non nullis ſuſpectum ſit. Nummi huius ciuitatis plures proſtant, non autem antiquiores, quam ſub imperio Cæſarum: Auguſti, ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ, *Damaſcenorum:* Commodi ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ, *Metropoleos Damaſcenorum:* Caracallæ, ΚΟΛΩΝΙΑΣ ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠ. *Coloniæ Damaſci metropoleos:* Gordiani, ΚΟΛ. ΔΑΜΑ. ΜΗΤΡΟ. quod eodem modo legendum; & Otaciliæ COLONI. DAMASCO. METROP. Hinc gentile clarum eſt Δαμασκηνὸς, *Damaſcenus;* quod etiam chorographus habet: & nomen regionis, *Damaſcene,* apud eumdem & Strabonem.

LXXIII.

Circumiacent præter Abilam, antea laudatam, ignobilia oppida, a ſeptemtrione *Gaana:* ab occaſu *Ina,* & prope eam, auſtrum verſus, *Abida:* omnia ex Ptolemæi poſitione; de quibus vero nihil habemus cognitum.

LXXIV.

A Damaſco in æſtiuum ortum ſita eſt altera *Laodicea,* cognomento a maritima diſtincta. Ptolemæus caput regiunculæ fecit Λαοδικηνῆς, *Laodicenæ.* Cognomen ita eloquitur Καβίωσα Λαοδίκεια, *Cabioſa Laodicea:* pro quo in Peutingeriana eſt *Laodicia Scabioſa;* quod mendum puto. Ceteri omnes a *Libano* cognominant. Strabo lib. XVI p. 520 de Marſya regione: ἀρχὴ αὐτῆ Λαοδίκεια ἡ πρὸς Λιβάνῳ, *initium eius* [campi] *Laodicea eſt, ad Libanum ſita.* Plinius lib. V cap. XXIII *Laodiceni, qui ad Libanum cognominantur.* Nummus Antonini Pii ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΝ ΤΩ ΛΙΒΑΝΩ, *Laodicenorum in Libano:* & Caracallæ, ΛΑΩΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ, *Laodicenorum ad Libanum:* & Seueri, ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙΚ. ΣΕΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Iuliæ Laodiceæ Seuerianæ Metropoleos:* quem Harduinus ad hanc Libani Laodiceam refert. Colonia quoque fuit. Lege I Dig. de Cenſib. §. 3 *Eſt & Laodicena colonia in Syria Cœle, cui diuus Seuerus & imperator noſter ius Italicum ob belli ciuilis merita conceſſit.* In Notitia epiſcopatuum ſimpliciter Λαοδίκεια, *Laodicea,* in Libaniſia Phœnice, dicitur. Etiam in itinere a Seriane Scythopolim:

Seriane			
Salaminiada	M.	P.	XXXII
Emeſam	M.	P.	XVIII
Laodiciam	M.	P.	XVIII
Lybon	M.	P.	XXXII
Heliopolim	M.	P.	XXXII
Abilam	M.	P.	XXXVIII
Damaſcum	M.	P.	XVIII.

LXXV.

Cetera oppida, quæ Ptolemæus Laodicenæ dat, ſunt *Paradiſus* & *Iabruda.* Prius, *Paradiſus,* etiam Plinio lib. v cap. XXIII memoratum, ſed ſine ordine, cum Pinara & Pagris & vtraque coniungens Seleucia. Pagræ autem & Pinara apud Gindarum in ſeptemtrione erant. nam eo vsque Cœlen ſuam extendit. *Cæle,* inquit, *habet - - - - tetrarchiam, quæ Mammiſea adpellatur, Paradiſum, Pagras, Pinaritas, Seleucias præter iam dictam duas, quæ ad Euphratem & quæ ad Belum.* Byzantius Stephanus: Παράδεισος πόλις Συρίας, *Paradiſus oppidum Syriæ.* Alterum, *Iabruda,* ignotius eſt; niſi quod in Notitia epiſcopatuum Phœnices Libaniſiæ Κλίμα Ιαμβρούδων, *Clima Iambrudorum* legitur: quæ nomina proxime conueniunt. Quæ alia ſuperſunt apud Ptolemæum, in Decapoli & Palæſtina ac Arabia exponemus.

SECTIO VIII.

P H O E N I C E.

LXXVI.

Maritimus hic tractus inter Seleucidem Strabonis, & Palæſtinam propriam Φοινίκη adpellatur, quod *Phœnice* Latine eſt, non *Phœnicia*: & omnes veteres, * hodieque accuratiſſimus quisque *Phœnice* ſcribunt. Plinius lib. v cap. XIX *Redeundum eſt ad oram atque Phœnicem.* Et cap. XX *Hinc rurſus Syria, deſinente Phœnice.* Pomponius Mela lib. I c. XII *Phœnicen illuſtrauere Phœnices, ſollers hominum genus.* Et quid multa? nummus Antonini Pii PHOENICE.

LXXVII.

Nobilis hæc pars Syriæ adeo eſt, vt aliquando ipſi Syriæ reliquæ, tamquam ſeparata prouincia opponatur. Strabo lib. II pag. 86 ἐντεῦθεν Συρία τε καὶ Φοινίκη, καὶ Αἴγυπτος, *inde Syria, & Phœnice, & Aegyptus,* cetera. *Phœnices* ab inuentione artium nauigationumque laudantur. Mela iam dicto loco: *Phœnicen illuſtrauere Phœnices, ſollers hominum genus, & ad belli paciſque munia eximium. Litteras & litterarum operas, aliasque etiam artes, maria nauibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum prœliumque commenti.* **

LXXVIII.

Terminum a ſeptemtrione Ptolemæus conſtituit Ελευθέρου ποταμοῦ ἐκβολὰς, *Eleutheri fluminis oſtia ;* quocum & alii conſentiebant. Strabo lib. XVI pag. 518 ὁ Ελέυθερος ὁ πλησίον ποταμὸς, ὅν περ ὅριον ποιοῦνται τινες τῆς Σελευκίδος πρὸς τὴν Φοινίκην καὶ τὴν κοίλην Συρίαν, *Vicinus eſt amnis Eleutherus, quem*

* Præter Varronem L. L. IV c. 6 *Europa ab Europa Agenoris filia, quam ex Phœnicia Manlius ſcribit taurum exportaſſe.*

** Interpunctio hæc improbanda eſt, & melior lectio reſtituenda. quod vtrumque feci in Monument. Ingenior. tom. III pag. 168 § 7 ſeqq. Phœnices autem non fuiſſe inuentores arithmeticæ, ſed eorum maiores eam ſecum attuliſſe in Syriam, copioſe doceo in Monument. ingenior. XVIII tom. IV pag. 182-195.

quem aliqui terminum Seleucidis ad Phœnicen & Cœlen Syriam faciant. Plinius lib. v cap. xx *Tripolis, - - - Orthoſia. Eleutheros flumen.*

LXXIX.

Poſt flumen eſt Σιμύρα, *Simyra.* Plinius etiam dicto loco coniungit: *Orthoſia, Eleutheros flumen. Oppida: Simyra, Marathos*, reliqua. Et ante paullo, eodem cap. xx, *A tergo eius* [Sidonis] *mons Libanus orſus mille quingentis ſtadiis Simyram vsque porrigitur, qua Cœle Syria cognominatur.* Pomponius Mela lib. I cap. xII *locus ex numero Tripolis dicitur. Tum Simyra caſtellum, & vrbs non obſcura Marathos.* Stephanus alia caſu: Σίμυρος πόλις Συρίων, Ἔφορος δὲ Σίμυρα οὐδετέρως αὐτὴν φησι, *Simyrus vrbs Syriorum: Ephorus vero Simyra neutraliter eam vocat.* At Plinius etiam in A finit, femineo autem genere. Strabo lib. xvI pag. 518 corrupte Ταξύμιρα, *Taxymira*, quod mendum ex τὰ Ξύμιρα, vel potius τὰ Σύμιρα ortum eſt, vt connexio locorum clariſſime demonſtrat. Ait enim poſt Aradum deſcriptam: καὶ Ταξύμιρα τὸ ἐφεξῆς χωρίον. τούτοις δὲ ἡ Ὀρθωσιὰς συνεχής ἐστι, καὶ ὁ Ἐλεύθερος ὁ πλησίον ποταμός. *Et Taxymira deinde oppidum: iis vero Orthoſias contermina eſt, & in propinquo amnis Eleutherus.* Accedit, quod Simyræ nuſquam locorum, ſi hic non eſt, mentionem habet.

LXXX.

Sequitur ergo Simyram *Orthoſia* Ptolemæi atque Plinii; *Orthoſias* (Ὀρθωσιὰς) Strabonis. Caſus igitur ſiue exitus vocabuli; etiam forma declinandi, diuerſa ſunt. Plinius lib. v cap. xx *Orthoſia, Eleutheros flumen.* Ptolemæi interpres *Orthoſia:* Græcus dubie, accentu inuſitato, Ὀρθωσιὰ, quod excidiſſe Σ finale arguit, atque ita Ὀρθωσιὰς ſcripſiſſe. Sic plane Strabo pag. 518 τούτοις ἡ Ὀρθωσιὰς συνεχής ἐστι, καὶ ὁ Ἐλεύθερος ὁ πλησίον ποταμὸς, *his contermina eſt Orthoſia, & vicinus fluuius Eleutherus.* Auctor lib. I Maccab. cap. xv, 37 Τρύφων δὲ ἐμβὰς εἰς πλοῖον, ἔφυγεν εἰς Ὀρθωσιάδα, *Tryphon, naui conſcenſa, fugit Orthoſiadem.* Idem Strabo tamen pag. 519 verbis mox in *Tripoli* proferendis, etiam Ὀρθωσία, *Orthoſia.*

LXXXI.

Succedit *Tripolis* apud Ptolemæum, vrbs ſuperſtes hodieque nobile emporium. De origine, ſitu, & nomine præclare Diodorus Siculus lib. XVI cap. XLI κατὰ τὴν Φοινίκην ἐστὶ πόλις ἀξιόλογος ὄνομα Τρίπολις, οἰκείαν ἔχουσα τῇ φύσει τὴν προσηγορίαν. τρεῖς γάρ εἰσιν ἐν αὐτῇ πόλεις, σταδιαῖον ἀπ' ἀλλήλων ἔχουσαι διάστημα· ἐπικαλεῖται δὲ τούτων ἡ μὲν Ἀραδίων, ἡ δὲ Σιδωνίων, ἡ δὲ Τυρίων. *In Phœnice vrbs eſt Tripolis, conſentaneam naturæ ſuæ adpellationem habens. Tres enim in ipſa vrbes continentur, ſtadii interuallo a ſe diremtæ: vna Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum cognomentum habet.* Eadem fere Strabo lib. xvI pag. 519 Μετὰ δὲ Ὀρθωσίαν ἐστὶ καὶ τὸν Ἐλεύθερον Τρίπολις, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος τὴν ἐπίκλησιν εἰληφυῖα· τριῶν γάρ ἐστι πόλεων κτίσμα, Τύρου, Σιδόνος, Ἀράδου. *Poſt Orthoſiam autem & Eleutherum eſt Tripolis, quæ nomen ab re ipſa accepit: eſt enim condita a tribus vrbibus, Tyro, Sidone, Arado.* Plinius lib. v cap. xx *Tripolis, quam Tyrii & Sidonii obtinent.* Et Pomponius Mela lib. I cap. xII plane vt Diodorus: *Vltra, tria fuerunt ſingulis inter*

inter ſe ſtadiis ſe diſtantia; locus ex numero Tripolis dicitur. Idem his omnibus antiquior Peripli auctor Scylax pag. 99 declarauit: καὶ ἐν τῇ χεῤῥονήσῳ ἑτέρα πόλις Τρίπολις· αὕτη ἐστὶν Ἀράδου καὶ Τύρου καὶ Σιδῶνος· ἐν τῷ αὐτῷ τρεῖς πόλεις καὶ περίβολον ἑκάστη τοῦ τείχους ἴδιον εἶχεν. *In pæninſula alia vrbs Tripolis: quæ eſt ex Arado, Tyro & Sidone, deducta: in vno loco tres vrbes, & ſingulæ proprium murum habent.* Ac Byzantius chorographus: Τρίπολις πόλις Φοινίκης διὰ τὸ ἐκ τριῶν πόλεων ἔχειν ἀποικίας, Ἀράδου, Τύρου, Σιδῶνος· *Tripolis vrbs Phœnices eſt, ita dicta; quod ex tribus vrbibus colonias habeat, Arado, Tyro, Sidone.* Magno itaque conſenſu huius vrbis cum origo tum adpellatio comprobatur: an vero partes ſemper ita diſtinctæ manſerint, nec coaluerint in vnam ciuitatem proceſſu temporis; non habemus dicere: probabile tamen coaluiſſe & διάστημα, interuallum inter eas, ædificiis fuiſſe occupatum. Nummi plurimi exſtant Antonii cum Cleopatra, Auguſti, Neronis, Traiani, Seueri, Elagabali, inſcripti ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ: & Iuliæ Soæmiæ, ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ.

LXXXII.

Tripolim inter & Botryn eſt promontorium, quod *Dei facies* vocabatur: Ptolemæo Θεοῦ πρόσωπον ἄκρον, *Dei facies, promontorium.* Strabo dicto loco de eodem: τῇ Τριπόλει συνεχές ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον, εἰς ὃ τελευτᾷ ὁ Λίβανος τὸ ὄρος· μεταξὺ δὲ Τριήρης, χωρίον τι, *Tripoli continua eſt Dei facies, (quæ ita dicitur) in quam deſinit mons Libanus: interiacet oppidulum Trieres* [ſiue Triremis] *dictum.* Polybius lib. V cap. LXVIII μετὰ ταῦτα ποιησάμενος τὴν εἰσβολὴν κατὰ τὸ καλούμενον Θεοῦ πρόσωπον, *deinde* [Antiochus ab Arado] *nauigans exſcendit iuxta Theu proſopon, quod ita vocatur.* Hoc Mela in Phœnice dixit *promontorium Euproſopon.* Caſtellum impoſitum fuit. Strabo pag. 520 τὸ ἐπὶ τῷ Θεοῦ προσώπῳ φρούριον ἐπιτεθέν. At Scylaci tantum eſt ὄρος Θεοῦ πρόσωπον, *mons Theû proſopon,* vt Voſſius & Grouovius ediderunt: Holſtenius autem ad Ortel. pag. 192 Θεῶν πρόσωπον *Scylax,* plurali numero, neſcio ex quo codice, τῷ ſingulari numero, quem Ortelius Latine & Græce ſcriptum habet, oppoſuit.

LXXXIII.

Botrys, Βότρυς, oppidum Ptolemæi ordine ſuccedit. In Strabonis lib. XVI pag. 520 perperam editum Βόστρα, *Boſtra,* quod *Botrys* legendum eſt. * Plinius lib. V cap. XX de hac ora: *Oppida, Byblos, Botrys, Gigarta, Trieris, Calamos.* Peutingeri tabula *Botrus* ſcriptum, eodem ſitu quo Ptolemæus poſuit:

Byblo XII *Botrus* XX *Tripoli.*

LXXXIV.

Ipſa vrbs *Byblus,* Βύβλος, nobilior. Præter Plinium & Tabulam, de quibus iam diximus, etiam Ptolemæi eſt inter Berytum & Botryn: Strabo autem plenius de hac vrbe: τήν τε Βύβλον καὶ τὴν ἐφεξῆς ταύτῃ Βηρυτὸν, αἳ μεταξὺ κεῖνται Σιδόνος καὶ τοῦ Θεοῦ προσώπου· ἡ μὲν οὖν Βύβλος τὸ τοῦ Κινύρου βασίλειον, ἱερά ἐστι τοῦ Ἀδώνιδος. *Byblum & poſt eam Berytum: quæ inter Sidonem & Dei Faciem ſunt ambæ ſitæ. Byblus autem fuit Cinyræ regia, & ſacra Adoni-*

Adonidi. Pompeius vrbem hanc liberauit, tyranno ſecuri percuſſo. Hi omnes, etiam Stephanus Byzantius, cum Polybio, loco mox citando, per Υ, Græcam vocalem, ſcripſerunt. Zoſimi lib. I cap. LVIII & in Notitia Eccleſiaſtica prouinciæ Phœnices maritimæ, ſcriptum eſt I ſimplici Βίβλος, *Biblus:* ſed præſtat antiquos omnes Græcos Latinosque ſequi, cum quibus nummus Auguſti facit, ΒΥΒΛΙΩΝ, *Bybliorum* nomine percuſus, Ex Strabone addo, prope mare, non proxime, in excelſo loco fuiſſe conditam, ἐφ' ὕψȣς τινὸς μικρὸν ἄπωθεν τῆς θαλάττης.

LXXXV.

Fuit etiam *Palæbyblos*, vetus Byblus, * quam Ptolemæus in mediterraneis ponit: in cuius libris ſcriptum exſtat Παλαιόβιβλος, *Palæobiblus* per iota, praue, quia ipſe ſupra Βύβλος, *Byblus* littera Græca ſcripſerat. De ſitu eſt quod dubitetur, etiamſi demus Ptolemæo fuiſſe mediterraneam. Ipſe enim longe a mari reducit inter Arcam & Mariamen conſtituens in latitudine Botryos, quæ ſupra Byblon in ſeptemtrionem ſita eſt. Strabo autem & Plinius in auſtrum verſus a Byblo poſuerunt. Ille dicto loco a ſeptemtrione in meridiem progrediens: ἐῖτα μετὰ τάυτην Ἄδωνις ποταμὸς καὶ ὄρος Κλίμαξ, καὶ Παλαίβυβλος (ſic in MSS. eſt Caſaubono teſtante) ἐῖθ' ὁ Λύκος ποταμὸς, καὶ Βηρυτός. *Deinde poſt hanc* [Byblum] *eſt Adonis fluuius, & mons Climax, & Palæbyblus: poſtea Lycus fluuius, & Berytus.* Plinius lib. V cap. XX verſo itinere a meridie in ſeptemtrionem : *Berytus colonia, quæ Felix Iulia adpellatur. Leontos oppidum: flumen Lycos: Palæbyblos: flumen Adonis: oppida, Byblos, Botrys, Gigarta, Trieris, Calamos; Tripolis.* Auguſtana Tabula corrupte

Beritho VII *Balbyblos* - - *Byblo* XII *Botrus.*

Ex horum conſenſione auſtralis ſitus haud dubie contra Ptolemæum defendendus eſt: at in ortum quousque receſſerit a mari, definiri non poteſt: probabile autem non longe a Byblo noua fuiſſe ſeiunctam: quia quæ ſedes mutant retento nomine ciuitates, plerumque viciniores ſunt, vt in Tyro, Papho, Pharſalo obſeruamus.

LXXXVI.

Plinii *Leontos oppidum,* id eſt λέοντος, *leonis;* quod inter Berytum & Byblum ponit, infra Berytum, auſtrum verſus ponendum erat. Hic enim Ptolemæus Λέοντος, *Leontis* (ſiue Leonis) fluuii habet oſtia, cui ſine dubio adpoſitum oppidum fuit: & Strabo XVI pag. 520 μετὰ Βηρυτὸν ἐςὶ Σιδὼν, ὅσον ἐν τετρακοσίοις ςαδίοις· μεταξὺ δὲ ὁ Ταμύρας ποταμὸς, καὶ τὸ τȣ̃ Ασκληπιȣ̃ ἄλσος, καὶ Λεόντων πόλις, *poſt Berytum eſt Sidon, quadringentis ferme ſtadiis ab ea diſtans. Inter has flumen Tamyras, & Aeſculapii nemus, & Leonum oppidum.* Qui quod ſitu cum Ptolemæo congruit, hos potius, quam Plinium, in deſignando hoc oppido ſequimur. Scylax etiam plurali numero Λεόντων πόλις, *Leonum oppidum*, pag. 100. **

LXXXVII.

* Conditam eſſe tradit Philo Byblius apud Euſeb. Præparat. Euangel. I c. 10 pag. 37 à Saturno. Fabula, ſed vetuſtatis indicium.

** Confer. § XC.

LXXXVII.

Cetera, quæ Plinius prædicto loco memorat, ſunt *Gigarta*, *Trieris*, & *Calamos*. Priores etiam Strabonis ſunt: lib. XVI pag. 520 *Qui Libanum incolunt, ſuperne quidem in monte* Σιννὰν καὶ Βόῤῥαμα, *Sinnan & Borrama:* κάτω δὲ Βότρυν, καὶ Γίγαρτον, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς θαλάττης σπήλαια, καὶ τὸ ἐπὶ τῷ θεῦ προσώπῳ φρούριον ἐπιτεθέν: *infra autem Botryn, & Gigartum, & ſpeluncas ad mare ſitas, & caſtellum Theû proſopo impoſitum.* Vterque ſic cum Botry coniungit: vnde de ſitu eius quodammodo iudicabis. In Notitia eccleſiaſtica prouinciæ Phœnices maritimæ eſt κώμη Γήγαρτα, *vicus Gegarta.*

LXXXVIII.

Altera, *Trieris*, Straboni pag. 519 eſt *Trieres*, τριήρης, quam ponit inter Tripolim & Dei Faciem. *Tripoli*, inquit, *continuum eſt Theûproſopon, in quod Libanus deſinit.* Μεταξὺ δὲ Τριήρης χωρίον τι, *interiacet Trieres, oppidum quoddam.* In dicta Notitia κώμη Τριερὶς, *vicus Trieris.* Hanc, cum tertia Pliniana *Calamo* etiam Polybius lib. V cap. LXVIII *Antiochus* [adverſus Ptolemæum expeditione] Βότρυν μὲν ἐν τῇ παρόδῳ καταλαβόμενος, Τριήρη δὲ καὶ Κάλαμον ἐμπρήσας, *Botryn in tranſitu cepit; Trierem & Calamum incendit.* Omnia ergo hæc oppida, *Gigarta, Trieris, Calamos* ſeptemtrionem verſus circa Botryn & Tripolim ſita fuerunt, & reducta non nihil a mari, quia, qui oram deſcribunt Ptolemæus & Itinerariorum auctores, nullam eorum mentionem habent.

LXXXIX.

Poſt Byblon in litore prima vrbs nobilis eſt *Berytus*, Βηρυτὸς, * adeo antiqua, vt κλίσμα Κρόνου, *a Saturno conditam* crediderint; quod Stephanus notauit. Scylax, Βηρυτὸς πόλις καὶ λιμὴν, *Berytus vrbs cum portu.* Et Strabo lib. XVI pag. 520 εἶθ' ὁ Λύκος ποταμὸς καὶ Βηρυτός· αὕτη κατεσπάσθη μὲν ὑπὸ Τρύφωνος, ἀνελήφθη δὲ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων, δεξαμένη δύο τάγματα, ἃ ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐνταῦθα, *Deinde* [poſt Palæbyblon] *Lycus amnis eſt, & Berytus, quæ a Tryphone euerſa fuit, ab Romanis nunc reſtituta, duabus legionibus ab Agrippa in eam deductis.* ** Illuſtre nomen ex eo accepit. Plinius lib. V cap. XX *Berytus colonia, quæ Felix Iulia adpellatur.* Et nummus Auguſti: COL. IVL. AVG. FEL. BER. & alius Traiani eodem modo perſcriptus. Lege VII Dig. de Cenſibus: *Iuris Italici ſunt Troas, Berytus, Dyrrachium.* Scholam egregiam habuit tam Iuris ſcientiæ, quam ceterarum diſciplinarum. Euſebius in Martyribus Palæſtinenſibus cap. IV de Apphiano martyre: τῆς Ἑλλήνων παιδείας ἕνεκα κοσμικῆς - - τὸν πλείονα κατὰ τὴν Βηρυτὸν διατρίψας χρόνον, *Græcorum litteraturæ ſæcularis cauſſa plurimum temporis Beryti*

* Nonnus Dionyſ. XLI v. 364 pag. 1074

Πρωτοφανὴς Βερόη πέλε σύγχρονος ἥλικι κόσμῳ,
Νύμφης ὀψιγόνοιο φερώνυμος, ἣν μετανάσαι
Υἱέες Αὐσονίων ὑπατήϊα φέγγεα Ῥώμης
Βηρυτὸν καλέουσι, ἐπὶ Λιβάνῳ πέσε γείτων.

Vid. etiam Nonnus ab initio libri XLI.

** Combuſta eſt. Epigrammat. Græc. lib. I c. εἰς πόλεις pag. 140.

ryti commoratus eſt. Et Socrates Hiſt. eccleſ. lib. IV cap. XXVII de Gregorio Neocæſarienſi ὕστερον ὡς τῶν Ἀθήνησι παιδευτηρίων ἀναχωρήσας ἐν τῇ Βηρυτῷ νόμους ἐμάνθανεν. *Hic quum e ſcholis Athenienſium diſceſſiſſet, Beryti ius ciuile didicit.* Nonnus lib. XLI Dionyſ. ſub finem:

Βηρυτὸς βιότοιο γαληναίοιο τιθήνη,

Berytus vitæ tranquillæ nutrix. Et Periegeta verſ. 911

Καὶ Τύρον ὠγυγίην, Βηρυτοῦ τ' αἶαν ἐραννήν,

& Tyrum vetuſtam, Berytique terram amœnam: quod Feſtus Auienus verſ. 1070 transtulit:

Hinc Tyrus eſt opulens, Berytus & optima - - -

Sic enim legendum: non, *& Berytus*, quod contra auctoritatem Græcorum eſt, qui primam & ſecundam produxerunt.

XC.

Nunc demum ad *Leonum* ciuitatem, ſiue *Leontos oppidum*, inter Berytum & Sidonem ſitum, accedimus, quod perperam Plinius ſupra Berytum, aquilonem verſus, poſuerat: vt ſupra demonſtratum fuit. Pro noſtro ſitu enim & Strabo & Ptolemæus pugnant: illius verba ſupra recitavimus: hic *flumen Leontis*, cui adpoſitum eiusdem nominis fuit oppidum, eodem, quo Strabo vrbem poſuit, exire in mare loco tradit.

XCI.

Reliqua flumina huius tractus, *Adonis* * & *Lycus* ſupra Berytum ſunt, & *Lycus* propius illam ſecundum Strabonem: *Adonis* inter veterem & nouam Byblum ſecundum Plinium. Vtriusque verba ſupra ſunt prolata. Poſſit tamen videri Lycum inter Berytum & Tyrum ſeu Sidonem eſſe, quia ibi lapis repertus, vt Sponius Miſc. erud. Antiq. pag. 272 refert, hanc de Antonino Pio inſcriptionem exhibens:

MONTIBVS IMMINENTIBVS
LYCO FLVMINI CAESIS
VIAM DILATAVIT.

Tamyras fluuius Straboni eſt inter Berytum & Sidonem medius: quem Λέοντος, *Leonis* fluuium Ptolemæus dixit.

XCII.

Et *Sidon*, Σιδὼν, צידון, vrbs antiquiſſima, etiam patriarchis nota, Geneſ. XLIX, 13. ampla & potens, צידון רבה, Σιδὼν ἡ μεγάλη, *Sidon magna*, Ioſuæ XI, 13. Conditor fertur Σιδώνιος, *Sidonius* fuiſſe Chanaani primogenitus, pronepos Noachi, Geneſ. X, 15. Vide Ioſeph. Antiq. I cap. VII. quod probabile plane, nomen ab auctore trahere. Alii vero a piſcatu nomen ducunt, quem צידא Syri vocant; quod eius copia in illo loco ſit. Iuſtinus

* Nonnus Dionyſiac. III v. 80

Ἀτρεκὲς Ἀσσυρίης ἀπὸ πατρίδος αἷμα κομίζει
Ἧχι ῥόος χαρίεντος Ἀδώνιδος.

Idem XX v. 144 pag. 538

Καὶ ποταμοῦ θυόεντος Ἀδώνιδος εὔγαμον ὕδωρ.

Hæc verba Nonni explanat narratio Luciani de dea Syra pag. 658 & 659.

lib. XVIII cap. III ex Trogo: *Phœnices terræ motu vexati, relicto patrio ſolo,* * *Aſſyrium ſtagnum primo; mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam a piſcium vbertate Sidona adpellauerunt: nam piſces Phœnices Sidon vocant.* Diodorus Siculus lib. XVI cap. XLI τῆς Σιδῶνος εὐδαιμονίᾳ διαφερούσης, καὶ τῶν ἰδιωτῶν διὰ τὰς ἐμπορίας μεγάλους περιπεποιημένων πλούτους, *Sidon opulentia excellebat, & priuati mercaturæ beneficio ampliſſimas diuitias congeſſerant.* Et Pomponius lib. I cap. XII *adhuc opulenta Sidon, antequam a Perſis caperetur, maritimarum vrbium maxima.* De clade a Perſis accepta Diodorus ibidem cap. XLV. Et Plinius lib. V cap. XIX *Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens.* Strabo & aliarum nobiliorumque artium, Arithmeticæ & Aſtronomiæ, inuentionem Sidoniis tribuit, quibus naualem mercaturam ad ſummum perduxerint: immo πάσης ἄλλης φιλοσοφίας cultum in Phœnicibus laudat. Idem cum Dionyſio Periegeta obliquorum caſuum vocalem mediam corripuit, Σιδόνος, Σιδόνα; ſed LXX Græci, & ſancti Euangeliſtæ, & Ioſephus, & Diodorus dicto loco, ac Polybius lib. V cap. LXIX Σιδῶνος, Σιδῶνα; & nummi ſub Auguſto percuſi, ΣΙΔΩΝΟΣ ſcriptum habent. Atque ita etiam Virgilius Aen. I verſ. 619

Atque equidem Teucrum memini Sidona venire.

Gentile autem variat. Ibidem verſ. 446 & 613

\- - - - - - *Sidonia Dido,*

ſyllaba porrecta: at Aeneid. lib. IV verſ. 75

Sidoniasque oſtentat opes.

Et eodem libro, verſ. 683 - - *patresque*

Sidonios, vrbemque tuam.

Flumen ad Sidonem Dionyſius verſ. 913 Boſtrenum dixit,

\- - - - - καὶ Σίδονα ἀνθεμόεσσαν, **

Ναιομένην χαρίεντος ἐφ᾽ ὕδασι Βοστρηνοῖο,

Et Sidonem florentem, habitatam ad amœni fluenta Boſtreni. Ortelio videtur ipſe Tamyras eſſe ſiue Leonis fluuius, de quo paullo ante diximus.

XCIII.

Inter Sidonem & Tyrum eſt *Sarepta*, ſiue *Sarephtha* ſecundum Græcos; Ebræis צרפת, *Zarpath*, 1 Reg. XVII, 9, 10. hoſpitium prophetæ Eliæ. Sidoniorum erat, in agro illorum ſita: ideoque additum ibi, אשר לצידון *quæ Sidonis eſt.* Græci interpretes, εἰς Σαρεφθὰ τῆς Σιδωνίας, *Sarephtham Sidoniæ regionis.* Ioſephus lib. VIII Antiq. cap. VII de Elia: εἰς Σαρεφθὰ πόλιν οὐκ ἄπωθεν τῆς Σιδῶνος καὶ Τύρου· μεταξὺ γὰρ κεῖται, παραγίνεται, *Sarephtham proficiſcitur, non procul Sidone ac Tyro ſitam: media enim interiacet.* Lucæ IV, 26 Σάρεπτα, *Sarepta*, pleriſque codicibus legitur. Plinius quoque eius mentionem habet lib. V cap. XIX poſtquam de Tyro & Palætyro egerat; *Inde*

* Patrium Phœnicum ſolum ad mare Perſicum fuiſſe, doceo ex veteribus ſcriptoribus, quibus iam addo Strabonem XVI pag. 1110, 1111 & p. 1131 A, B.

** Seneca Quæſt. Natur. VI cap. 24 *Thucydides ait, Atalantam inſulam aut totam, aut certe maxima ex parte ſuperfuſam. Idem Sidoni accidiſſe, Poſidonio crede.*

Inde Sarepta, & Ornithôn oppida: & Sidon artifex vitri. Regio vini nobilioris ferax, quod *Sareptanum* dicitur. Sidonius Apollinaris Carm. XVII

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite miſſa bibas.

Et Fulgentius lib. II Mytholog. cap. XV *Seraptenum vinum* dixit non tam corrupte, quam quod varie hoc vocabulum ſcriptum reperitur. Vide Sirmondi ad Sidonium adnotata, qui etiam Σερεφθῖνον οἶνον, ex Alexandro Tralliano profert. Stephanus, Σάραπτα πόλις Φοινίκης, *Sarapta Phœnices oppidum.*

XCIV.

Prope hanc Sareptam, & ſi Plinii ordinem ſequimur, fuit *Ornithôn* ſiue *Auium oppidum.* Singulari enim *oppidum* apud Plinium legendum cum aliis eſt, non *oppida.* Scylax in Syria: Σιδὼν πόλις καὶ λιμὴν κλειτός· Ορνιθων πόλις Σιδωνίων. *Sidon vrbs cum portu clauſo: Auium oppidum Sidoniorum.* Et Strabo lib. XVI pag. 521 Διέχει τῆς Σιδόνος ἡ Τύρος ὀ πλείους τῶν διακοσίων σταδίων· ἐν δὲ τῷ μεταξὺ πολίχνιον, Ορνίθων πόλις. *Diſtat Tyrus a Sidone ſtadiis ducentis, non amplius. In medio inter vtramque vrbecula eſt, quæ Ornithôn oppidum vocatur.*

XCV.

Tyrus Phœnices vrbs clariſſima, etiam perantiqua, poſterior tamen Sidone, vtpote a Sidoniis condita, vt Iuſtinus lib. XVIII cap. III, tradit. Curtius quidem lib. IV cap. IV æquales Tyrum & Sidonem facit, vtramque ratus ab Agenore, Cadmi patre, conditam: ſed antiquior Sidonis eſt memoria, etiam ex æuo patriarcharum, vt ſupra oſtendimus: Tyri autem ante Dauidis tempora nullam habemus mentionem. quod Strabo etiam ſignificat, quum pag. 520 dicit, οἱ μὲν ποιηταὶ τὴν Σιδόνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον· Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου, *poetæ Sidonem magis celebrant* [quam Tyrum:] *Homerus autem Tyri non meminit:* qui vero Sidonem & Sidonios vtique memorauit. Vrbs maxima, opulenta, & potens nauigationibus, olim in inſula ſita ab Alexandri autem temporibus in continente. quamvis antea quoque quam in inſula exſtructa fuerat, in continente fuerat, loco, qui inde *Palætyrus* vocabatur: multarum coloniarum, etiam in remotiſſimis terris, fecunda parens. Plinius lib. V cap. XIX *Tyrus quondam inſula, præalto mari ſeptingentis paſſibus diuiſa: nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens: olim partu clara, vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperii æmula, terrarum orbis auida, Carthagine; etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchylio atque purpura conſtat. Circuitus* XIX *millibus paſſuum eſt, intra Palætyro incluſa: oppidum ipſum* XXII *ſtadia obtinet.*

2. De coloniis in Africam & Hiſpaniam, μέχρι καὶ ἔξω στηλῶν, *vſque ad loca extra* [Herculis] *columnas* deductis, etiam Strabo teſtis lib. XVI p. 520. Et Curtius lib. IV cap. IV *Coloniæ eius pæne orbe toto diffuſæ ſunt, Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum.* Plinius autem Thebas tribuit Sidoniis, vt ſupra vidimus. De inſula mutata, & inſequente dimi-

nutione Plinius ex Melæ lib. I cap. XII hauſit. *In ea* [Phœnice] inquit, *eſt Tyros, aliquando inſula, nunc adnexa terris deficit.* Videlicet nihil potentiæ aut dominationis ſuperfuit: ſolus quæſtus ex purpura. Strabo quidem p. 621 tradit, *calamitates ſuas ſuperaſſe*, *καὶ ἀνέλαβεν αὐτὴν*, *ſe recollegiſſe*: ſed absque potentia id priſtina intelligendum eſt. De purpura ibidem: *πολὺ ἐξήτασαι πασῶν ἡ Τυρία καλλίςη πορφύρα*, *Tyria purpura omnium pulcherrima eſſe perhibetur.* Erat autem purpurarum captura haud longe ab vrbe: *ἡ θήρα πλησίον*, *in propinquo captura*; quod ibidem Strabo addidit. Poetæ ſane Tyriam purpuram vbique laudant. Horatius Epod. XII

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur?

neque mercaturæ cauſſa nauigationes poſt cladem ſunt negatæ. Strabo ibidem, *ἀνέλαβεν αὐτὴν τῇ τε ναυτηλίᾳ, καὶ τοῖς πορφυρείοις*, *nauigatione & purpuræ mercatura recollegit ſe.* Habuit enim & alias merces & Orientis divitias, quas permutabat; quas in vniuerſum *merces Tyrias* Horatius lib. III oda XXIX extrema dixit.

3. Herculem * potiſſimum coluit, quod ex Alexandri hiſtoria inde cauſſam, ſpeciem ſaltem, oppugnandi, ſumentis: isque deus inde cognomen tulit. Diodorus lib. XVII cap. XL *τῷ Ηρακλεῖ τῷ Τυρίῳ θύσαι*, *Herculi Tyrio ſacrificare:* & ipſa vrbs ab his ſacris cognominata. In nummis Caracallæ & Otaciliæ Latinis litteris TYRVS ERACLIA. Vid. illuſt. Spanhem. pag. 300 & 877. Fama etiam & memoria priſtini ſplendoris libertatem meruit tam ſub Seleucidarum regno, quam ſub principibus Romanis. Strabo dicto loco pag. 521 *οὐχ ὑπὸ τῶν βασιλέων δ' ἐκρίθησαν αὐτόνομοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν Ρωμαίων, μικρὰ ἀναλώσαντες, βεβαιωσάντων τὴν ἐκείνων γνώμην*, *Non ſolum ab regibus, verum etiam a Romanis* [Tyrii] *ſunt liberi declarati, pauca pendentes, confirmantibus his illorum* [de libertate] *ſententiam.* Coloniam etiam accepit, ** ſed non ante Seuerum; nec vlla eius in nummis indicia priora. Tum autem dicta COLONIA SEPTIMIA: vt in nummo Getæ & Caracallæ, SEPT. TYRVS MET. COLONIA. & Diadumeniani, TYRVS METRO. COLONI.

4. Ebraice dicitur צור, *Zor*, vel *Sor*: & alia dialecto *Syr*, *Sar*, ac Aramæorum conſuetudine ſibilo in T conuerſo, *Tor*, *Tur*, *Tyr*, cum Græco exitu *Τύρος*, *Tyrus*. A forma *Sar* eſt *Sarranus*, quæ vox poetis ſonat *Tyrius*. Virgilius II Georg. verſ. 506

Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.

Et Silius Italicus lib. XV verſ. 205

- - - - *Sarrano murice fulgens.*

Et Iuuenalis ſatyra X verſ. 38

- - - - *pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ.

Gellius

* Id eſt, ſolem, ſi Nonno credimus XL v. 369 pag. 1038 Dionyſiac.

** Vlpian. Lege I D. de Cenſibus & §. 2, 3 &c. & leg. 6, 7, 8 ibid.

Gellius lib. XIV cap. VI *Illud etiam ſcriptum fuit, quibus vrbibus regionibusque vocabula iam mutata ſint, quod - - - Corinthus Ephyre; quod Macedonia* Ημαθία, *quod Theſſalia* Αιμονία, *quod Tyros Sarra dicta ſit.* Quod etiam Seruius in dictum Virgilii locum notauit. *Quæ nunc,* inquit, *Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur.* * quum vero addit, *a piſce quodam, qui illic abundat: quem lingua ſua* SAR *adpellant;* nugari vtique videtur, & potius a *Sar,* id eſt Tyrus, pro *Sor* poſito, cum Salmaſio in Solin. cap. vlt. p. 936, quam a piſcis nomine, ducendum eſt.

XCVI.

Palætyrus, Παλαίτυρος, vetus Tyrus, ** a noua Tyro, quæ in inſula aut peninſula erat, triginta ſtadiis remota erat in meridiem. Strabo p. 521 Μετὰ τὴν Τύρον ἡ Παλαίτυρος ἐν τριάκοντα ςαδίοις, *poſt Tyrum eſt Palætyrus intra triginta ſtadia.* Inde ad Ptolemaidem progreditur: quo manifeſtum fit, Palætyrum nouæ vrbi ab auſtro fuiſſe obuerſam. Plinius etiam meminit lib. V cap. XIX territorium Tyri vrbis (*circuitum* ipſe vocat) XIX millibus paſſuum definiens, ſed *intra Palætyro incluſa.* Curtius lib. IV cap. II *Legati* [Tyriorum Alexandro] *reſpondent, eſſe templum Herculis extra vrbem in eam ſedem, quam Palætyron ipſi vocant: ibi regem deo ſacrum rite facturum.* Quod Iuſtinus ex Trogo lib. XI cap. X ita expreſſit: *Quum legati rectius id eum in Tyro vetere, antiquiore templo, facturum dicerent.* Hic ergo vocabulum Latine vertit, *Tyro vetere;* etiam Curtius breui poſt eodem capite, ſect. 18 *Magna vis ſaxorum ad manum erat, Tyro vetere præbente.*

2. Qui ſtatus, quæ conditio huius Veteris Tyri ſiue Palætyri fuerit, difficile eſt ad explicandum. In continente, ad mare tamen fuiſſe, certum ex Alexandri hiſtoria eſt: neque dubitandum, a Tyriis quondam habitatam fuiſſe, antequam in inſulam migrarent. At quæ cauſſa migrationis, quod tempus eius fuerit, id demum eſt quod inquiramus. Vrbes in alium locum transferuntur, ſi bello vel caſu fuerint deletæ. Num ergo & Vetus Tyrus euerſa fuit, quum nouam Tyrii in inſula, tutiore loco conderent? ſi eſt ita; a quonam fuit euerſa? Eſaiæ cap. XXIII excidium Tyri, & poſt ſeptuaginta annos inſtauratio prædicta fuit: quod vulgo de Alexandri ſubuerſione interpretantur: alii ex commate XIII de Aſſyrio rege, Salmanaſſare, cuius Chaldæa prouincia erat; alii de Nebucadnezare, qui Ezech. XXVI, 7 prædictæ euerſionis, & cap. XXIX, 18 eiusdem conſummatæ auctor nominatim adpelletur. Memorat quidem Ioſephus lib. IX extremo Salmanaſſaris cum Tyriis per quinque annos geſtum bellum; non autem euerſionem vrbis: immo Palætyrum vt cultam vrbem, Tyro nouæ oppoſitam, eodem bello memorat. Απέςη, inquit, Τυρίων Σιδὼν, καὶ Ἄρκη, καὶ ἡ πάλαι Τύρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ασσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. *Sidon, Arce, Palætyrus, cum multis aliis oppidis, a Tyriis defece-*

* Sine dubio e סחר, quaſi dicas סחרה, mercatrix. Nam Chaldæorum more participium *Sara* fit. nam ה Græci in medio vocabuli pronunciare non poſſunt.

** Vid. Nonnus Dionyſ. XL v. 311 ſeqq. pag. 1034 -- 1050, vbi de fontibus etiam Tyri.

fecerunt, regi Aſſyrio ſeſe dedentes. Quod ſi eſt, non ob vaſtatam veterem, ſed commoditatis cauſſa noua Tyrus videtur condita.

3. Quæ autem ſub Nebucadnezare ſubuerſio facta? Tacent profanæ litteræ de illa Chaldæorum vaſtatione. Hieronymus in Ezechiel. XXVI, 7 *Græcas, & Phœnicum, maximeque Nicolai Damaſceni, & alias barbarorum, aiunt, ſe, qui huic hiſtoriæ contradicunt, legiſſe litteras, & nihil ſuper oppugnatione a Chaldæis inueniſſe Tyriæ ciuitatis: quum probare poſſimus multa dici in ſcripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non inueniantur.* Idem in Eſa. XXIII, hunc prophetam, Eſaiam puta, & Ezechielem de eodem Nebucadnezaris bello atque excidio agere exiſtimat, & comma XIII eius capitis aliter & commodius interpretatur, quam ſupra ex Grotii mente expoſitum fuit. Sed ita nihilominus dubitatur, quam Tyrum Chaldæi euerterint, veterem continentis, an nouam inſulæ? Videtur, veterem; quia Ezech. XXVI, 14, 21 dicitur non reædificatum iri in æternum: quod Kimchi de translocatione interpretatur, non priſtino, ſed alio loco reſtitutam fuiſſe, qui vero in eo aberrat, quod ex inſula in continentem credit traductam eſſe, quum potius ex continente in inſulam, vt tutiorem locum, videatur translata. Sub Perſis certe, & quum Alexander obſideret, in inſula fuit: & Palætyrus, quæ in continente erat, aut deſerta aut male habitata: vnde ſaxa moli ſtruendæ, tamquam ex ruinis, Alexander aſportauit. Curtius prædicto loco: *magna vis ſaxorum ad manum erat, Tyro vetere præbente.* Et Diodorus lib. XVII c. XL καθαιρῶν τὴν παλαιὰν λεγομένην Τύρον, καὶ πολλῶν μυριάδων κομιζουσῶν τοὺς λίθους, χῶμα κατεσκεύαζε δίπλεθρον τῷ πλάτει. *Antiquam Tyrum, vt tunc vocitabant, confeſtim demolitur: totque myriadum lapides congerentium opera fiebat, vt moles duûm iugerum latitudine iaceretur.*

XCVII.

Inter Tyrum & Sarreptam fluuius decurrit, quem recentiores *Eleutherum* vocant, eodem nomine, quo celebris alter in ſuprema Phœnice, ad limitem Seleucidis, nominatur: apud neminem vero antiquorum hoc nomine inuenitur inter Tyrum & Sidonem fluuius. Aiunt ex Libano monte in Ituræa prorumpere, & per Galilæam gentium delapſum tribus fere a Tyro aquilonem verſus, duobus autem a Sarepta contra auſtrum milliariis, mari magno miſceri; vt Adrichomius cum Brocardo aliisque deſcripſit. Addunt auctoritates veteres, Ioſephi lib. XIII Antiq. cap. VIII, & lib. I de Bello cap. XIII extr. & I Maccab. XI, 7, & Plin. IX, cap. X. Verum omnibus his locis *Eleutherus* quidem vocatur aliquis fluuius; non autem dicitur, nec vllo inde modo colligitur inter Tyrum & Sidonem eſſe, ſed poſſunt hi auctores omnes commodiſſime de altero Eleuthero, quem Strabo terminum inter Seleucidem & Phœnicen facit, intelligi. Prouocant etiam ad Guilielmum Tyrium lib. VII cap. XXII, & lib. XIII cap. IX, qui quidem fluuium ea ab Sarepta & Tyro diſtantia memorat, nomen vero eius non indicauit.

XCVIII.

Hic finimus oram Phœnices: Ptolemæus quidem longius vltra Carmelum

melum montem extendit, & Ecdippa, Ptolemaidem, Sycaminon ac Dora etiam Phœnices vrbibus adnumerat; quas vero, quia in ſorte Iſraelitarum fuerunt, in Chananæa ſeu Terra Sancta, cum aliis, quæ interiacent, exponemus.

PHOENICE MEDITERRANEA.

XCIX.

Phœnicibus Ptolemæus in mediterraneo perpauca tribuit, *Arcam, Palæabyblon, Gabalam, & Cæſaream Paniæ:* ſed hanc vltimam multi Galilææ ſuperiori, in cuius ſita finibus eſt, adſcribunt: alii in Decapoli ponunt: Plinius extra illam in regione Paneade, quam cum Trachonitide coniungit: de quibus ſequenti capite acturi ſumus. De *Palæabyblo* ſupra actum in Byblo: remanent Arca & Gabala. Illa Ptolemæo Ἄρκα, *Arca.* Plurali numero Socrates lib. VII cap. XXXVI epiſcopus ἀπὸ Ἀρκῶν τῆς Φοινίκης, *ab Arcis Phœnices oppido;* quæ muliebris forma eſt; quemadmodum etiam in Aethici ſiue Antonini Itinerario, curſu a Conſtantinopoli Antiochiam, vnde etiam ſitus & diſtantia cognoſcitur, ſcriptum eſt *Arcas* tam Aldina & Simleri quam Schotti editionibus hoc ordine:

Antiochia			
Platanos	M.	P.	XXV
Cathela	M.	P.	XXIIII
Laodiciam	M.	P.	XVI
Gabalam	M.	P.	XVIII
Balanea	M.	P.	XXVII
Antaradon	M.	P.	XXIIII
Arcas	M.	P.	XXXII
Tripolim	M.	P.	XVIII
Byblon	M.	P.	XXXVI.

Stephanus numeros diſtinguit tempore: Ἄρκη πόλις Φοινίκης, ἡ νῦν Ἄρκαι καλουμένη. *Arca oppidum Phœnices: nunc dictum Arcæ.* Prouocat ad Ioſephi lib. V Antiquit. cap. I, vbi Ἀρκὴ πόλις, *oppidum Arca* memoratur, ſed tribui Aſer adſcriptum, in valle Sidoni obuerſa: niſi hæc alia Arca eſt, quia auſtralior, quam illa Ptolemæi & Itinerarii videtur eſſe. Noſtra, ſi ab illa Ioſephi diuerſa eſt, quod non plane certum eſt; alibi, lib. VII de Bello Iud. cap. XIII Gr. pag. 976, de Sabbatico quodam fluuio vbi agit, gentili nomine Ἀρκαία, *Arcæa* ſiue *Arcena* ab eodem vocatur. ῥεῖ, inquit, μέσος Ἀρκαίας τῆς Ἀγρίππα βασιλείας καὶ Ῥαφαναίας, *fluit inter Arcæam, quæ ad Agrippæ regnum pertinet, & Raphanæam.* Latine hæc forma *Arcena* eſt, apud Lampridium Alexandro, cap. I, *Aurelius Alexander vrbe Arcena genitus.* Et cap. V *Alexandri nomen accepit, quod in templo, dicato apud Arcenam vrbem Alexandro Magno, natus eſſet, quum caſu illuc die feſto Alexandri pater cum vxore, patriæ ſollemnitatis implendæ cauſſa, veniſſet.* Aurelius Victor de eodem principe: *Aurelio Alexandro, Syriæ orto* [vrbe,] *cui duplex, Cæſarea & Arca, nomen eſt, militibus quoque adnitentibus Auguſti potentia de-*

lata eſt. Quod *Cæſareæ* nomen, vt diceretur *Arca Cæſarea*, aut ſimpliciter *Cæſarea*, ab auguſto alumno haud dubie accepit.

C.

Gabala altera Ptolemæi (nam priora eius ſunt maritima inter Laodiceam & Palton: vti etiam Strabo lib. XVI pag. 518 in oppidis, quæ τῇ Λαοδικείᾳ πλησιάζει, *Laodiceæ* [maritimæ] *vicina ſunt*, numerat τὰ Γάβαλα, *Gabala*) Altera, inquam, Ptolemæi Gabala in Syria mediterranea ſunt, aut Phœnice potius, iuxta Tyrum & Ecdippa, atque ita in limitem Palæſtinæ cadunt. Stephanus quidem, Γάβαλα πόλις Φοινίκης, ἣν Ἑκαταῖος θηλυκῶς φησίν· ὁ δὲ Στράβων, Συρίας, πλησίον Λαοδικείας, *Gabala, vrbs Phœnices, quam Hecatæus genere femineo profert; Strabo in Syria ponit prope Laodiceam.* Si Ptolemæum ſequimur duas vrbes huius nominis recenſentem, facile conciliantur, quæ ex diuerſis poſuit Stephanus: altera enim in Syria fuit, ſupra deſcripta; altera in Phœnice prope Tyrum.

CI.

Sunt præterea aliæ vrbes Syriarum, Græcis a Macedonibus adpellatæ nominibus, de quibus vero nihil conſtat, forte quod impoſita nomina minus hæſerunt in illis. Appianus in Syriacis pag. 201 recenſet etiam *Perinthum, Achaiam, Oropum, Amphipolim, Aſtacum, Tegeam, Heream, Apolloniam:* quæ nec ex hiſtoriis neque ex geographorum monimentis illuſtrari poſſunt: niſi Apollonia, præter illam, quæ circa Ioppen fuit, quædam apud Stephanum, numero decima eſt, quæ dicitur περὶ τὴν κοίλην Συρίαν circa Syriam Cœlen fuiſſe. Alia ratio notarum eſt, *Berœæ, Chalcidis, Lariſſæ, Arethuſæ:* de quibus diximus: & quas in Palæſtina dabimus, *Pellæ, Apolloniæ* prope Ioppen, *Callipolis,* & ſi fortaſſe occurrent alia.

* *
*

CII.

TAndem vocabula quædam vrbium & regionum, in ſacris ſcripturis frequenter memorata, excutiamus. Primum & vniuerſale eſt ארם, *Aram*, ab Aramo, Semi filio, haud dubie deductum, de quo Ioſephus lib. I Antiquit. cap. VII Ἀραμαίους δὲ Ἄραμος ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι, *Aramæos Aramus* [Semi filius] *tenuit, quos Græci Syros adpellant.* Atque ita Græci interpretes vbique ארם verterunt Συρίαν, *Syriam*, & ארמי, *Aramæum*, Σύρον, *Syrum.* Late autem Aramæi cis Euphratem & trans illum habitarunt, quorum vocabulum ſi abſolute ponitur, plerumque illos deſignat, qui inter Euphratem & mare mediterraneum coluerunt, quorumque ſedes regia præcipua Damaſcus erat: quamquam & aliæ citeriores partes cum adpoſito nomine alio inueniuntur.

CIII.

Sex enim loca ſunt, vt Bochartus lib. II cap. VI obſeruauit, quibus vel præfigitur vel poſtponitur *Aram*, atque ita compoſitum vocabulum conſtituitur, *Aram-Naharaim, Paddan-Aram, Aram-Soba, Aram-Dammeſeck,*

Aram-

Aram-Bethrehob, & *Aram-Maacha.* Vide II Samuel. x, 6. Prima & ſecunda adpellatio Meſopotamiam ſignificat: nam etiam Ioſephus lib. VII cap. VII agnoſcit quosdam τὺς πέραν Εὐφράτυ Σύρυς, *Syros Transeuphratæos;* & paullo ante, cap. VI extremo τὸν Σύρον, τὸν τῶν Μεσοποταμιτῶν βασιλέα, *Syrum Meſopotamitarum regem:* ceteris nominibus cis Euphratem partes, ac fere circa fines Palæſtinæ, denotantur. *Aram* enim *Soba* ſiue *Zoba*, quam Dauid ſubegit, prope Euphratem fuit, circa locum Palmyræ, quæ poſtea ibi condita fuit. Ioſephus autem longius aberrauit, quum lib. VII Antiq. V Zobam Cωφήνην, *Sophenam*, Armeniæ prouinciam, interpretatur, quo nunquam rex Dauid penetrauit: neque vsquam legitur Euphratem ille traieciſſe. Euphrates igitur Syriæ Zoba limes fuit orientalis, vt occidentalis, terra Chanaan & Syria Damaſcena. Vide II Samuel. VIII, 3 & x, 16.

CIV.

Nota eſt *Syria Damaſcena*, pars Syriæ præcipua & reliquis potentior: *Aram-Bethrehob* ad limitem ſeptemtrionalem Palæſtinæ fuit: quia *Rehob* eius terminus aquilonalis eſt, Numer. XIII, 21. Aſeri tribui Iudic. I, 31 deſtinata: vbi etiam Ioſuæ XIX, 28, cum Sidone coniungitur. *Syria* autem *Maacha* (Aram Maacha II Sam. x, 8, & I Paralip. XIX, 6) eſt tractus Syriæ ſub Hermone monte, in limite Manaſſitidis Transiordanææ, qui Deuter. III, 14, & Ioſuæ XII, 5 *Terminus Maachati* vocatur. Targum in Ioſuæ loco vertit Maacha אפיקירוס, quæ videtur Ptolemæi Επίκαιρος, *Epicærus* eſſe, etiam Bocharto, qui nec ſitum repugnare ſcripſit. Mihi vero videtur aliter eſſe, & vel Chaldæus erraſſe in nomine, vel Ptolemæus in ſitu, qui latitudinis gradu vix XXXI haud longe ab orientali Asphaltitidis litore ac finibus Arabiæ Petrææ, poſuit; quum Maacha iuxta Hermonem ſit & communem dictis locis limitem cum Geſur ſiue Geſſuri habeat, quæ *in Syria* dicitur ſita II Sam. XV, 8. Atque hæc de nomine *Aram*, id eſt Syria.

CV.

Alterum nomen eſt חמת, *Hemath*, quæ *Emath* Hieronymo eſt, dubivm, vrbis an regionis, an vtriusque vocabulum. Regionem vocat Ieremias cap. XXXIX, commate 5. Ad limitem ſeptemtrionalem Chananææ fuiſſe, ex Numer. XIII, 21, & I Reg. VIII, 65, Ezech. XLVII, 16. 17. 20. manifeſtum eſt. Et Ioſephus lib. III Antiquit. cap. XIII de exploratoribus, qui Chananæam ab auſtro in ſeptemtrionem peragrabant, dicit, ἐπί τε Αμαθὴν πόλιν καὶ Λίβανον ἀφικνῦνται τὸ ὄρος, [ab auſtro progreſſi] *venerunt ad Amathen vrbem & Libanum montem.* Ergo cis Libanum fuit, & iuxta terræ Iſraelis terminum. Regem habuit, Dauidis amicum. II Samuel. VIII, 9. Ex quibus illud colligitur, vrbem omnino fuiſſe Hemath, & citra Libanum montem poſitam, a qua etiam regio denominata fuerit *terra Hemath* dicto Ieremiæ loco XXXIX, 5, & cap. LII, 9, 27. quæ I Maccab. XII, 25 Αμαθῖτις χώρα, *Amathitis regio* vocitatur.

2. Vna, an plures huius nominis vrbes in Palæſtinæ ſeptemtrione, ſiue auſtrali Syria, fuerint; item vna an plures eiusdem nominis regiones; nec

nec interpretes Scripturæ ſacræ conſentiunt, neque geographiæ conditores. Certum eſt huius nominis oppidum *Hemath* circa Libanum fuiſſe: certum etiam, qui circa vrbem tractus erat, eodem nomine *Hemath* fuiſſe adpellatum, eiusque partem ad orientem ſolem verſus, *Hemath Zoba*, II Paralip. VIII, 3; niſi ibi alia Hemath, in regno Zoba ſita, intelligenda eſt, quam Salomo muniuerit. In Palæſtinenſis termini finitione ſæpe dicitur מלבוא חמת *a veniendo Hamatham*, quod Græci II Reg. XIV, 25, & II Paralip. VII, 8, etiam ſecundum correctos codices I Reg. VIII, 65, ἀπὸ εἰσόδȣ verterunt, hoc eſt, *ab ingreſſione* in Hemath, quaſi prouinciam deſignarent, per fauces & anguſtias adeundam: in Amos quidem cap. VI, 14 aliter, ſed incommode, interpretati ſunt, quum non minus planus ſenſus & ibidem ſit, ad quem & cetera, iam adducta loca, poſſis reuocare. Prædicit enim propheta, conterendos eſſe Israelitas ab introitu Hemath, vt Hieronymus vertit, vſque ad torrentem deſerti, hoc eſt per totam Chananæam. Iudic. III, 3, tamquam proprium nomen eſſet, cum ſequenti coniungunt, ἕως Λαβωεμάθ, *vſque ad Laboëmat.*

3. Si qua vero introrſus patet regio, a cuius introitu limes aquilonalis ſumatur Palæſtinæ; iterum quæritur, a qua illa metropoli ſit *Hemath* vocitata. Antiqua eſt traditio, Antiochiam, Syriæ caput, eamdem eſſe, quæ olim dicta *Hemath* ſiue *Amatha* fuerit. Sic Ionathan Chaldæus Numer. XIII, 22 Hamath tranſtulit אנטוכיא *Antiochiam:* & Hieroſolymitanus Targumiſta Geneſ. x, 18 Hamathi, viri nomen ex Chaananis poſteritate reddidit *Antiochenum*, iisdem litteris, quibus alter Antiochiam expreſſit: & Rabbi Salomo, celebris ille ſcripturæ interpres, in Amos VI, 2, חמת אנטוכיא *Hamath eſt Antiochia.* Alii *Epiphaniam* interpretantur. Ioſephus lib. I Antiquit. cap. VII de Chanaanis poſteris: Ἀμάθος δὲ Ἀμάθην κατῴκησεν, ἥτις ἔςι καὶ νῦν ὑπὸ μὲν τῶν ἐπιχωρίων Ἀμάθη καλȣμένη, Μακεδόνες δὲ αὐτὴν Ἐπιφάνειαν ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν, *Amathus autem Amatham habitauit, quæ adhuc exſtat & ab indigenis Amathe vocatur: Macedones vero eamdem a quodam ſuæ gentis Epiphaneam nominauerunt.*

4. Sunt qui neutram ſententiam reiiciant, ſed duas in Syria Amathas ponant, quarum altera Antiochiæ, altera Epiphaniæ nomen a Macedonibus acceperit. Nituntur eo maxime, quod Amos VI, 2 חמת רבה *Hamath Rabba* id eſt, magnam dixerit, vt a minore diſcerneret. Magnam illam eſſe Antiochiam: alteram Epiphaniam. Hieronymus in Amos cap. VI, 2, *Pergite in Hemath magnam, quæ nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad diſtinctionem minoris Hemath, quæ adpellatur Epiphania.* In hac diſtinctione plerique adquieſcunt, quaſi expedita eſſent omnia, quæ dubitari de ſede ac numero circa hanc vrbem poterant. Græcis quoque illa Magna ſingularis eſt viſa, non auſis interpretari, ſed, quaſi proprium nomen eſſet, Εματραβά, *Ematbraba*, ſimpliciter, retenta voce Ebræa, expreſſerunt. Dauid Kimchi quoque in dictum Amoſi locum diſtinxit, ואמר רבה לפי שהיא גדולה כי יש חמת אחרת חמת ובנותיה: *cognominauit autem illam Rabba,* *quia*

quia eſt magna. nam eſt & alia Hamath, [de qua ſcriptum] *Hamath & filiæ eius.*

5. Sed nondum adduci poſſumus, vt epitheto aliam ab illa, quæ terminus Palæſtinæ erat, vrbem intelligamus. Dicitur etiam צידון רבה *Sidon Rabba* ſiue *magna*, Ioſuæ XI, 8 & XIX, 28, quæ alibi ſimpliciter *Sidon* vocatur. num ergo & duæ Sidones fuerunt, vna magna, altera minor? neſcimus aliam, quam in Phœnice illam illuſtrem ac potentem, ideoque *magnæ* cognomento nonnumquam decoratam. Antiochia certe non eſt Hamath Rabba, quia eſt recentior, a tribus Macedonicæ gentis regibus ad ſuam magnitudinem prouecta, quartam partem promiſcua turba & condente & habitante. Strabo lib. XVI pag. 516 *Antiochia eſt tetrapolis, ex quatuor partibus conſtituta, quæ & ſingulæ ſuo & communi omnes muro ſunt circumdatæ. Primam partem Nicator condidit, habitatoribus ex Antigonia traductis, quam paullo ante Antigonus Philippi filius in propinquo conſtruxerat: ſecunda pars* τȣ̃ πλήθȣς τῶν οἰκητόρων ἐςὶ κτίσμα, *condita eſt a turba inhabitantium: tertia Seleuci Callinici; quarta Antiochi Epiphanis opus eſt.* Vbi hic Hamath Rabba ante Alexandri & Nicatoris tempora? Iudæorum ſunt ineptiæ, qui ad novas vrbes, Antiochiam Syriæ & Aegypti Alexandriam, vetuſta vocabula, antiquiſſimarum vrbium ſigna, imperite ac ἀνιςορήτως adplicuerunt.

6. An vero certior res eſt de *Epiphania?* Ioſephus & Hieronymus cenſuerunt: & Bochartus lib. IV cap. XXXVI hanc credit eſſe, quam toties Scriptura S. in terminis Palæſtinæ memorauit. *Vt vt*, inquit, *Iudæorum fines longe infra Antiochiam ſubſtitiſſe concedamus; tamen ab Epiphania, quæ & ipſa vocatur Hamath, non erant valde diſſiti.* At nec ita propinqua eſt Epiphania, vt cum finibus Palæſtinæ numerari potuerit, licet propior ſit quam Antiochia. nam vterque Libanus interiacet, & vltra montes longo tractu clariſſimæ vrbes, Heliopolis, Laodicea, & Emeſa, & Arethuſa. Igitur propiorem illam nobilem Hamath ſiue Amatham fuiſſe, tam ex dictis ſit probabile, quam certum eſt ex Zachar. IX, 2, vicinam fuiſſe Damaſco, quippe תגבל בה *confinis eſt ei*, ſeu *Hadrach* terræ, quæ circa Damaſcum erat. Bene Kimchi de Zachariæ Hamath commentatus eſt, fuiſſe quidem vnum ex terminis terræ Iſraelis, vt tamen fuerit חוץ, *extra* illius limites poſita.

7. Quam vero Ioſua cap. XIX, 35 in tribu Aſer locat, obſcurior eſt, nec *Hemath* ſiue *Hamath*, quod חֶמַּת in Ebræo eſt; ſed חַמַּת *Hamath*, Græce Ἀμμάθ, vocatur. Græci interpretes varie ſcribunt Ἐμάθ, & Αἰμάθ, & corruptius Ἡμήθ: vide Numer. XIII, 22 & cap. XXXIV, 8. cetera. Et apud Hieronymum *Aemath* & *Emath* de Locis eſt Ebraicis: quæ vero in tribu fuit Naphthali, idem ſcripſit *Amath*.

CVI.

In regione Hemath fuit vrbs *Ribla* ſiue *Riblath*, vt Ieremias XXXIX, 5, & cap. LII, 9 definiuit: Hieronymus *Rebla* & *Reblata* ſcripſit. In Locis Ebraicis: *Rebla in terra Emath, vnde victor Pharao adductum Ioachas transtulit in Aegyptum.* Idem in cap. XIII, 1 Eſaiæ, *Nebuchodonoſor Se-*

dechiam captum duxit in Antiochiam, quæ tunc vocabatur Reblata. Et in Amos VI, 2 *cuius* [Hemathæ, quæ ipſi Antiochia] *regio adpellatur Reblata, in qua præſente Nebuchodonoſor, regis Iudææ Sedechiæ interfecti ſunt filii, & oculi illius excæcati.* Sed Iudaica fabula eſt, quod dixit de Antiochia. Targum Hieroſolymitanum & Ionathanis in Numer. XXXIV, 11 *Terminus* [terræ ſanctæ] *erit* לאפמיס לדפני *ad Apamiam & Daphnen.* Satis confuſe ac inepte, quum & Daphne apud Antiochiam ſit, & Apamea in auſtrum quidem inde vergat, longius vero a Palæſtinæ finibus reducta ſit, quam vt in limitum enumeratione eius poſſit haberi ratio. Ex eodem autem Numerorum loco non obſcurum poteſt eſſe, in qua plaga Ribla fuerit. Dicitur enim limes ſeptemtrionalis *a Sepham* (hanc Targum Apameam vocat) *ad Ribla,* (hanc Daphnen vertit) & inde *ad Ain ab oriente* dirigendus. *Ribla* ergo eſt oppidum regionis Hemath, non ipſa regio, vt inconſtantia Hieronymi modo inferebat: atque inde eſt, quod introitus in Hemath ſiue Emath toties cum limite Palæſtinæ a ſeptemtrione coniungitur: Ribla autem ab aditu illo non longe videtur afuiſſe.

CAPVT XIII

DE

PALAESTINA,

QUAE ET

CHANAAN ET TERRA SANCTA.

I.

SYriæ in auſtrum ſubiacet Terra *Canaan* ſiue *Chanaan*, Ebraice כנען, Græce Χαναὰν ſiue Χαναναία, vnde Latini ſæpius adſpirationem primæ litteræ adiiciunt, vtpote Græcos imitati: alii ſine illa *Canaan & Cananæi,* ſcribunt, quod littera apud Ebræos ſit indurata. *Palæſtinæ* vocabulum prorium eſt Philiſtæorum Pentapoleos, & originem a פלשתיים, *Philiſtæis* habet, qui quinque potentes vrbes in maritimo tractu inter Phœnicen & Aegyptum poſſidebant. Interpretes Græci plerumque Philiſtæos ἀλλοφύλȣς, *alienigenas* adpellant; rarius Φυλιςιεὶμ, vt Iudic. XIII, 5. Ioſephus Παλαιςινȣ̀ς *Philiſtæos* dixit, id eſt *Palæſtinos*, lib. VI Antiquit. cap. IV, & V, & VII, ac alibi. Profanis *Palæſtina* eſt omnis terra Chanaan ſiue Iſraelitarum, quæ inter Cœleſyriam & Aegyptum intercedit media, non ſola maritima Pentapolitana. * Spartianus in Hadriano cap. V *Libya ac Palæſtina rebelles animos efferebant.* Et in Seuero cap. IX *Neapolitanis Palæſtinenſibus ius ciuitatis tulit*, [i. e. abſtulit] *quod pro Nigro diu in armis fuerant:* Neapolis autem, quæ Sichem vetus eſt, longius a mari eſt remota,

* Τὸ δὲ προκείμενον ἀκρωτήριον τῆς νήσȣ κεῖται κατὰ τὴν καλȣμένην Πέτραν καὶ τὴν Παλαιςίνην τῆς Ἀραβίας. *Protenſum huius inſulæ* (Phocarum) *promontorium obiectum eſt Petræ & Palæſtinæ Arabiæ.* Diodorus III pag. 176.


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PALAESTINA SEV TERRA SANCTA.
MARE MAGNVM SIVE MEDITERRANEI PARS
Libani Pars ſeu Antilibanus
Hermon
Sidon
Sarepta
Trachonitis
Maachati
Auranitis
Tyrus
Terra Chabul
Galilæa Superior al. Gentium
Samachonitis Lacus
Batanæa ſeu Regnum Baſan
Canatha
Gaulonitis
Lacus Geneſaret
Gilead
Manaſſe Dimidia Tribus
SAMARIA
Regnum
Gad Tribus
Sichonis
Ephraim
Acrabatene
Apollonia
Ioppe
Hieroſolyma
Hebron
Dan Tribus
Simeon
Aſcalon
Gaza
Deſertum Ziph
Engaddi
Zoar
Solitudo Haon
Solitudo Berſabæa
Sirbonis Lacus
Caſiotis
Chabriæ Caſtra
Solitudo
Ije Abarim
Oboth
Phunon
Zalmona
Petra, Arce
Deſertum Sur
Deſertum Sinai
Sinai M.
Horeb Mons
ARABIA PETRAEA
AEGYPTI PARS
Amalekitarum Regio
Deſertum Etham
Lingua Sinus Arabici
Sinus Elaniticus
MADIANITIS
Cades Deſertum
Zin, ſive
Eziongeber
Madian
Phara
Elim
Marah
Elana
Dophka
Alus
Iatbata
Abrona
Hor Mons
Haſmona
Moſerot
Bne Iaakan
Horgidgad
Tahath
Thara
Harada
Makhelata
Kehelatha
Tabeera
Eboda
Eluſa
Bozra
Dedan
Theman
Libna
Riſſa
Hazeroth
Rimon Perez
Duma
Cadesbarnea
Rithma
Maſada Caſtellum
Arad
Berſabe
Gerara
Anthedon
Raphea
Rhinocolura ſeu Rhinocorura
Moabitis
Luith
Madian
Carioth
Zared Flu.
Arnon Flu.
Callirrhoe
Dibon
Aroer
Ar ſeu Areopolis
Nebo M.
Heſbon
Medaba
Ruben
Machærus
Herodium
Bethabara
Aenon
Succot
Rabba ſ. Philadelphia
Gadara
Gamala
Bethſaida Iulias
Tiberias
Nazareth
Megiddo
Dora
Turris Stratonis Caſarea Paleſtinæ
Samaria
Sebaſte
Sichem, Neapolis
Bethel, Luz
Jericho
Bethlehem
Eleutheropolis
Azotus
Aſdod
Accaron
Ekron
Iamnia
Lydda
Gophna
31
32
33
34
30

ta, in medio ſita terræ Chananææ. Ibidem cap. XVII *In itinere Palæſtinis plurima iura fundauit.* Et Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXVI *Vltima Syriarum eſt Palæſtina, per interualla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & ciuitates habens quaſdam egregias, nullam nulli cedentem, ſed ſibi viciſſim velut ad perpendiculum æmulas: Cæſaream, quam ad honorem Octauiani principis exædificauit Herodes; & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Aſcalonem, Gazam & Iuliam, æuo ſuperiore exſtructas.* Expungit quidem *Iuliam* Valeſius, quæ in regio codice non adpareat, nec id nomen in Palæſtina. Si in MSS. nomen eſſet, non mouerer poſteriori ratione: Vtique enim fuit Iulias Betharamphtha, & Iulia Bethſaida: de quibus infra dicturi ſumus. Eſto vero hanc Iuliam excidere: tamen Eleutheropolis Iudææ, & Neapolis Samariæ amplitudinem Palæſtinæ demonſtrant, quod vtraque interior, a maritimis longius recedit. Ptolemæus quoque lib. cap. XVI Palatino codice: Παλαιςίνη, ἡ Ιουδαία, Συρία περιορίζεται ἀπὸ μὲν ἄρκτων Συρία, ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν καὶ μεσημβρίας Αραβία Πετραία, ἀπὸ δὲ δύσεως, τῷ τε ἐντεῦθεν μέχρι θαλάσσης ἐκτεθειμένῳ τῆς Αἰγύπτου μέρει. *Palæſtina Syria, quæ Iudæa eſt, terminatur a ſeptemtrione Syria; ab ortu & meridie, Arabia Petræa; ab occaſu, eadem Aegypti parte, quæ ad mare vsque protenditur.* Vulgares codices Ιουδαία περιορίζεται. Nam *Iudæa* etiam, quæ pars eſt proprie, ſæpe totam Chananæam ſignificat. Strabo lib. XVI pag. 520 *Ab Orthoſia vsque Peluſium Phœnice vocatur, anguſta ac maritimis obnoxia æſtibus.* ἡ δ' ὑπὲρ ταύτης μεσόγαια μέχρι τῶν Αράβων, ἡ μεταξὺ Γάζης καὶ Αντιλιβάνου, Ιουδαία λέγεται, *Mediterranea vltra hanc vsque in Arabes, ſiue inter Gazam & Antilibanon, Iudæa nominatur.* Et Tacitus lib. V Hiſt. cap. VI *Iudæorum mos abſurdus ſordidusque. Terra fineſque, qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur: a meridie Aegyptus obiacet: ab occaſu Phœnices & mare: ſeptemtrionem a latere Syriæ longe proſpectant.* Et cap. VIII *Magna pars Iudææ vicis diſpergitur. habent & oppida. Hieroſolyma genti caput.*

II.

Diuiſio Palæſtinæ alia fuit & alia pro temporum diuerſitate. Antiquiſſima facta eſt in *Tribus* duodecim: atque ita ſub prima occupatione fuit, & ſub Iudicibus, & regibus tribus. Separatione autem tribuum facta poſt exceſſum Salomonis, ſchiſma illud in cauſſa fuit, vt & natio & terra Iſraelitarum in duo *regna* diuiſa fuit, quorum vnum, quod Dauidis poſteris manſit, ab vna tribu denominatum *Regnum Iehudæ* ſiue *Iudæ*, cuius ſedes erat Hieroſolyma: alterum decem tribuum, quod & *Regnum Iſraelis* dicitur, oppoſitum regno Iudæ; & *regnum Samariæ,* quia hæc vrbs poſtmodum regia eius ſedes fuit, quæ, antequam Samaria conderetur, aliquamdiu fuit Thirzæ. Tandem poſt Babylonicam captiuitatem ſub Haſmonæis, ſub Herodibus & Noui Teſtamenti temporibus per regiones & prouincias omnis illa Iſraelitarum veterum terra, ſiue Chananæa fuit diſtributa, quarum quædam comprehenſæ *tetrarchiarum* titulum ſub Herodibus acceperunt; aliquando *regni;* rurſus aliquando *prouinciæ Ro-*

manæ.

manæ. Regiones illæ erant cis Iordanem *Galilæa, Samaria, Iudæa, Idumæa:* trans flumen, *Peræa, Batanæa,* quibus a ſeptemtrione *Ituræa, Auranitis, Trachonitis* coniunguntur. Singula cum cura erunt expendenda, nec vni inuoluenda Geographiæ. Proinde primum de Tribubus agemus, diuiſione antiquiſſima, deinde breuiter de Regnis Iſraelis & Iudæ: tandem de diuerſitate Regionum cum per ſe, tum prout in tetrarchias, in noua regna, in prouinciam Romanam ipſæ regiones pro temporum mutatione ſunt redactæ.

SECTIO I.

DIVISIO IN TRIBVS.

III.

Hæc ex libro Ioſuæ non poteſt incerta eſſe aut obſcura, quia in illo & fines tribuum ſingularum, & cuiuslibet oppida deſignantur: vnde repetemus potiora, ſi prius ſummam eorum ſeu ἐπιτομὴν ex Ioſephi Antiquitatum lib. v cap. I protulerimus. *Tum Ioſua*, inquit, *nouem tribubus & dimidiæ Manaſſitidi terram per ſortem ita diſtribuit:*

2. IVDAE *obuenit omnis ſuperior Iudæa* (ἡ καθύπερθεν Ἰουδαία) *pertinens vsque ad Hieroſolyma. Latitudo eius Sodomiticum lacum attingebat. In hac ſorte vrbes erant Aſcalon & Gaza.* SIMEONIS *tribus ſortita eſt Idumææ partem Aegypto & Arabiæ conterminam.* BENIAMIN *regionem accepit, quæ ab Iordane vsque ad mare protenditur: latitudo vero eius patet inter Hieroſolyma & Bethel:* (corrupte Græcus Βεδήλοις pro Βεθήλοις.) *Anguſtiſſima* [ϛενότατος κλῆρος] *hæc ſors eſt propter agri bonitatem. Hieroſolyma enim & Hierichuntem acceperunt.* EPHRAIM *terram ab Iordane vsque Gadara* [ἄχρι Γαδάρων] *in longum protenſam ſortita eſt: in latum patentem a Bethel vsque Campum magnum.*

3. MENASSE *tribus dimidia in poſſesſionem accepit agrum ab Iordane vsque vrbem Dora: latitudine vsque Bethſan, quæ nunc Scythopolis vocatur. Poſt hanc* ISACHARIS *terminus fuit a flumine vsque Carmelum montem: latitudinis terminus mons Itabyrius.* ZABVLONITAE *vsque Geneſaritidem lacum terram Carmelo & mari contiguam ſunt ſortiti. Quæ autem regio poſt Carmelum ſita eſt, conuallis cognominata ex ipſa re* [κοιλὰς προσαγορευομένη] *tota* ASERITIS *ceſſit, qua ad Sidonem eſt obuerſa,* [ἡ ἐπὶ Σιδῶνος τετραμμένη.] *In hac portione vrbs Arce, alio nomine Actipus. Quæ vero orientem ſpectant vsque Damaſcum vrbem, & ſuperior Galilæa* NEPHTHALITIS *obtigit vsque Libanum montem & Iordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, qua finis ſunt Arces vrbis ſeptemtrionem verſus ſitæ.* DANITAE *adepti ſunt, quidquid vallis ad occidentem ſolem vergit, Azoto & Doris terminati. Horum eſt Iamnia & Gitta, & totus ager, qui ab Acarone pertingit vsque ad montem, a quo Iudæ tribus initium eſt.*

4. Hæc de tribubus cis Iordanem Ioſephus: de ceteris non ita diſtincte lib. IV cap. VII egit. Ex his vero fit manifeſtum, proprie dictos Chananæos inter Iordanem & mare coluiſſe: vide Geneſ. x comma 19; licet

licet Amoritæ quoque ab eodem ſint Chanaane, vt ex commate 16 eiuſdem capitis clarum eſt. Quod vero Ephraëmitica tribus ab Iordane ad Gadara extendi dicebatur, id forte Gazara legendum, aut ex nota dialecto interpretandum eſt. Gazara autem prope Ioppen oppidum ſunt huius tribus. In tribu Iſſachar quædam obſcuriora videntur, ſed poſtea ex ſpeciali enarratione fient clariora.

TRIBVS IVDA.

IV.

Ex Ioſuæ cap. xv conſtat, fines ab auſtro fuiſſe Idumæam, ab extremitate lacus Aſphaltitidis, deſertum Zin, Cades Barneam & Aegypti torrentem: ab oriente lacum iam dictum; ab occaſu mare: a ſeptemtrione os eiuſdem lacus, vbi Iordanem excipit, Bethſemes, Thimna vsque Acaron, ſiue Ekron ad mare. Oppidorum numerus ingens, quæ ibi recenſentur: e quibus vero, quod amplior regio erat quam pro vna tribu, quædam, auſtralia maxime iuxta Idumæam, ſunt tribui Simeonitidi adiudicata, quæ Ioſuæ xix recitantur, tredecim numero, e quibus ſunt *Beerſabea* & *Siclag* ſiue *Ziclag*, & *Harma*. In tribu Iuda autem reliquorum notiora ſunt *Cades*, *Aſor*, *Heſron*, *Remon*, *Taphua*, *Ierimoth*, *Adullam*, *Azec*, *Gedera*, *Maſepha*, *Lachis*, *Ceila* ſiue *Kegila*, *Ether*, *Enaim*, *Achzib*, *Mareſa*: ad mare *Acaron* & *Azotus*, quæ vero Danitis videntur contributa; in montanis, *Iether*, *Soccoth*, *Cariathſenna* ſiue *Dabir*; *Anim*, *Gilo*, *Ruma*, *Apheca*: *Cariath Arbe*, quæ eſt *Hebron*: *Maon*, *Carmel*, *Ziph*, *Iezrael*, *Thamna*, *Cariathbaal* ſeu *Cariathiarim*; *Nebſan*, *Ciuitas Salis*, *&* *Engaddi*, cum parte *Iebus* ſiue *Ieruſalem*.

2. Hæc ſunt excerpta & inſigniora oppidorum tribus Iudæ nomina: omnia enim, etiam obſcuriſſima enumerare nolui. Nec vero ſunt omnia in magno illo numero, quem Ioſua recenſet, expoſita aut nominata. Nam *Bethlehem*, quæ & ipſa huius tribus eſt, fuit præterita, cuius tamen mentio in patriarchæ hiſtoria Geneſ. xxxv, 9 gemino nomine facta fuit, antiquiore *Ephrata*; poſteriore *Bethlehem*. Nec *Gerara* regis Abimelech, apud quem hoſpites patriarchæ fuerunt, Geneſ. xx & xxvi, cuius ſitus in hanc tribum etiam incidit, quia inter Cades erat & Sur, Geneſ. xx, 1; nec *Geſſuri* in Dauidis hiſtoria: neque celebris poſteriori æuo *Eleutheropolis*: quamquam huius nomen recentius eſt, & ſi non nouæ vrbis, tamen veteris & inſtauratæ noua adpellatio: cuius veto antiquum nomen nobis plane eſt incognitum, neque ex Eleutheropolis ſitu vel diuinando poteſt inueniri.

3. Adrichomius ſingulis ab Ioſua enumeratis ſuum locum & ſedem adſignauit, ſed cuius ductu, aut quibus rationibus, nec ipſe indicauit, nec alius facile hariolari poteſt. Coniecturæ & opinionis ſunt pleraque: quam neque nos neglecturi ſumus, ſi probabilis quædam coniiciendi ratio acceſſura eſt: quæ vero non in omnibus habebit locum, ſed iis tantummodo, quæ & alibi in S. ſcriptura, aut in hiſtoriis & itinerariis occurrunt,

runt, aut ab interpretibus antiquis ſunt explanata. Cetera tranſibimus, quorum ſane multa & faciem & nomen, vt fieri ſolet, iterum iterumque poſt Ioſuæ tempora immutauerunt. Infra autem in alia & poſteriore diuiſione locorum expoſitionem, quanta fieri poteſt induſtria, inſtituemus.

TRIBVS BENIAMIN.

V.

Sors tribus Beniamin ſe ita habebat, vt tribum Iudæa meridie, tribum Ephraim a ſeptemtrione contingeret, & inter vtramque eſſet media: ab oriente Iordanem habuit; ab occaſu non mare ſed tractus a Bethoron inferiore ad Iudæ ciuitatem Kiriath Iarim. Quæ planius Ioſuæ XVIII omnia explicantur. Oppida huius tribus ſunt, *Iebus* ſiue *Ieruſalem*, ſaltem pars illius maior. nam aliqua pars etiam Iudæ tributa cap. XV extremo: vt funiculus diuiſionis per vrbem Hieroſolyma tranſierit. Deinde *Hierichûs*, *Beth-Hagla*, *Bethel*, *Auim*, *Ophra*, *Gaba*, *Gabaon* ſiue *Gibeon*, *Rama*, *Beeroth*, *Mizpa* ſeu *Meſphe*; *Capha*, *Sela* & alia dicto loco enumerata, XXVI numero: quibus addenda ex cap. XXI, 18 *Anathoth* & *Almon* Leuitis attributa: & alia huius tribus, vt *Ai* ſiue *Hai* prope Hierichuntem: *Emmaûs*, quæ poſtea Nicopolis dicta. Sed de ſingulis infra.

TRIBVS EPHRAIM ET DIMIDIA MANASSE.

VI.

Ioſuæ cap. XVI termini Ephraim & Menaſſe inter ſe mixti traduntur; & cap. XVII ſeorſum Manaſſitidos tribus dimidiæ: neutrius autem oppida ſic, vt in ceteris factum tribubus, ſed tantummodo limitanea recenſentur: media aliunde ſunt colligenda ad ſupplendum. Id vero inde perſpicitur facile, Ephraimiticam tribum auſtrales partes tenuiſſe: dimidiam Manaſſitidem ſeptemtrionales. Vtraque ab Iordane ad mare videtur pertinuiſſe.

VII.

In tribu EPHRAIM cenſentur *Sichem* ſiue *Sicima*, quæ poſtea Neapolis dicta: *Samaria* ſedes regum & caput regni; *Thirza* ſiue *Therſa*, regia ante conditam Samariam; *Luz*, *Gophna*, *Silo*, *Taphua*, *Beth-Horon* duplex, ſuperius & inferius, *Lydda*, *Saron*, *Gazer* ſiue *Gazara*, cetera. MANASSITIDIS fuerunt ab Iordane ad mare vsque, *Salim*, *Bethbera*, *Bethſan*, poſtea Scythopolis dicta; *Machmetha*, *Thebez*, *Aſer*, *Ephra* ſiue *Ophra*, *Thaanach*, *Ieblan*, *Endor*, *Galgal*, *Capharſabe*, poſt Antipatris dicta; *Mageddo*, *Stratonis Turris*, *Dor*, & alia.

TRIBVS SIMEON ET DAN.

VIII.

De Simeonitide tribu actum ſupra in tribu Iuda, cuius ſorte comprehen-

hendebatur. Termini ab auſtro ſuccedunt in ſeptemtrionem, vt in occaſum ſimul & ad mare recedant. Supra Simeonitidem tribum in ſeptemtrionem iuxta mare ad Ioppen vsque ſita erat *Danitica*, poſſidens eum tractum, qui partim cum Iudæ, partim cum Beniaminis tribubus ab occaſu cohærebat. Ioſuæ XIX hæc oppida dantur tribui SIMEONIS: *Berſabea, Sabea* ſiue *Seba*, *Molada*, *Haſerſual*, *Baba*, *Aſem*, *Eltholad*, *Bethul*, *Harma*, *Siclag*, *Bethmarchaboth*, *Haſerſuſa*, *Bethlebaoth*, *Saroben*: quibus quatuor adiiciuntur, *Ain*, *Remmon* ſiue *Rimon*, *Athar* ſiue *Ether*, & *Aſan*.

IX.

Oppida DANITARVM erant *Zarea*, *Eſthaol*, *Irſames*, *Elon*, *Thimnatha*, *Acaron* ſiue *Ekron*, *Iehud*, *Bne-Barak*, *Gath Rimon*, *Meiarkon*, cum termino, qui reſpicit Ioppen. Hinc ſexcenti profecti in ſeptemtrionem Chananææ extremum, oppidum *Leſem* ſiue *Lais* ceperunt, idque de phylarchi nomine *Dan* adpellauerunt, quod poſtmodum terminus Palæſtinæ a ſeptemtrione fuit, cui in auſtrina plaga *Berſabe* reſpondit, vt ex nota formula conſtat, *omnis Iſrael a Dan vsque Berſabe*.

ZABVLON ET ISSACHAR.

X.

ZABVLONIS tribum vulgo Tabularum auctores ita definiunt, vt ab ortu lacum Geneſaret habuerit, & inde mare verſus ad Carmelum, aut ad ipſum mare excurrerit. Atque ita videtur Ioſephus lib. V Antiquit. cap. I pag. 141 illius ſortem definiiſſe. Ζαβυλωνῖται τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον, *Zabulonitæ vsque Genneſaritidem lacum terram Carmelo & mari contiguam ſunt ſortiti.* Ioſuæ XIX illorum termini ignotis oppidis deſcribuntur ita, vt neque Iordanis neque maris Chinereth vlla mentio habeatur: quæ cauſſa eſt, vt Lightfootus neget, illud μέχρι Ioſephi ad ipſum lacum deducendum ita eſſe, vt Zabulonitæ ad eum pertinuerint contigerintque; ſed oram omnem lacus cis Iordanem vindicet tribui Naphthaliticæ. Prouocat ad Ioſuam, qui cap. XIX, 33, 34 in finibus Naphthali bis Iordanem memoret, ſuperiorem ſeu ſupra lacum, & inferiorem, ex lacu egredientem, Iudam verſus, quod ibi non tam tribûs nomen ſit, ſed Galilææ opponatur, cum qua bipartito ante ortum nomen Samariæ terram Chanaan diuiſerit. Accedit, quod verſu 35 in vrbibus Naphthali numerentur *Chammath*, *Rakkath*, *Chinereth*. Chammath autem vi etymi thermas ſignificat, quæ videntur nobiles illæ Tiberienſes eſſe, etiam Talmudiſtarum conſenſu, qui in Megillah fol. 5. col. I רקת זו טבריא *Rakkath eſt Tiberias*: & fol. 6 col. I חמת זו טבריא *Chammath eſt Tiberias*; dixerunt: Hieronymo autem Chenereth eſt Tiberias: quæ conciliari ex vicinitate poſſunt, per quam non longe diſtare potuerunt. Quod ſi eſt, ex cognitis mediterranea *Nazareth*, & *Sepphoris* Zebuloni forſan relinquentur: oræ quæ erant, *Chorazin*, *Capernaum*, *Tarichæa*, *Tiberias*, in ſortem cadent Naphthaliticam, quæ ſic longe & pæne nimis a ſeptemtrio-

ne in auſtrum decurret. Apud Ioſuam autem oppida Zabulonis ſunt *Sarid, Dabrath, Iaphia, Githa, Hepher, Itha, Kazin, Rimon, Nea, Bethlehem,* alia, & hæc omnia obſcura ac incertæ poſitionis: niſi quod *Kisloth Thabor* videtur ad montem Thabor vel Itabyrium ſitum fuiſſe, in collimitio Iſſachar, cui etiam attribui videtur Ioſuæ XIX, 18. Quapropter Zebulon ita in mediterraneis maxime fuit, vt tamen fines eius & mari & lacui eſſent propinquiores.

XI.

ISSACHAR autem ſiue ISASCHAR (nam vtroque modo ſcribitur, priori Græcis, poſteriori Ebræis) Zebuloni ab auſtro obiecta ita, vt etiam anguſto tractu ad Iordanem inter Manaſſitidem & Zabulonen pertigerit. Sic enim Ioſuæ XIX: *Hereditas tribus Iſſachar, Iezrael, Caſaloth, Sunem, Hapharaim, Seon, Anaharat, Rabboth, Ceſion Abes, Rameth, Engammim, Enhadda & Bethpezez: & peruenit terminus eius vsque Thabor & Scheſima & Bethſemes, eruntque exitus eius Iordanis,* [LXX. καὶ ἔσαι ἡ διέξοδος τῶν ὁρίων αὐτῶν ὁ Ἰορδάνης.] An vero etiam hæc tribus ad mare pertinuerit, disquiritur. Videtur non nullis pertinuiſſe, qui vero ſententiam haud facile ſuam adprobaturi ſunt. Etenim nulla maris in tribu hac mentio apud Ioſuam, nec Ioſephus longius illam, quam ad Carmelum perducit: & Ioſuæ XVII, 10 tribus Aſer Manaſſenſes dicitur ab aquilone contingere, quod eſſe non poteſt, ſi ad mare quoque Iſſachar excurrit.

ASER ET NAPHTHALI.

XII.

Quæ ſuperſunt in ſeptemtrionem vsque ad Libani radices, tribubus Aſer & Naphthali adiudicata erant, illi, maritima; huic mediterranea a lacu Geneſareth ad fontes Iordanis & vltra: nec vero ſuprema omnia ab Iſraelitis occupari & poſſideri potuerunt. Limitem conſtituit Ioſua ASERITIDI tribui ab auſtro Carmelum montem: a ſeptemtrione Sidonem magnam, ſaltem quæ ad illam vergunt. nam neque Sidonem vmquam, neque Tyrum Iſraelitæ poſſederunt: vtique vero ὅρια, *finitima* illarum. Mediæ vrbes & ad latus orientis, quæ numerantur, obſcuræ omnes ſunt, *Helkath, Hali, Beten, Alamelech, Miſael Beth Dagon, Vma, Aphec, Rehob, Hamon, Cana.* Atque ita attingit Aſer ab auſtro Manaſſitidem ex parte, ab ortu Zabulonem & Naphthali: occidentalis limes eſt mare magnum ſiue Phœnicium.

XIII.

NAPHTHALITICI fines ſunt ab *Heleph, Elon, Iekeb, Iebnael* vsque *Lecum:* & in meridiem ad Zabulonem: & in occidentem ad Aſer: ab ortu vero Iordanes eſt. Vrbes huius tribus, pleræque munitæ, enumerantur *Zidim, Zer, Emath, Reccath, Cinereth Aduma, Rama, Hazor* ſiue *Aſor; Cedes, Edrei Enhaſor, Ieron, Magdal-El, Horem, Bethanath, Bethſames.* Vide plura ſupra in Zabulone diſputata.

TRI-

TRIBVS TRANS IORDANEM.

XIV.

Notum eſt, Moſen, victis regibus, Sihone Amorræorum, & Oge Batanææ, illorum poſſeſſiones petentibus Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe, Deo adnuente, ita diuiſiſſe, vt Rubenitis auſtralia, ab Arnone fluuio, Moabitarum limite; ſeptemtrionalia, id eſt ſuperior Galaaditis & regnum Baſan, dimidiæ tribui Manaſſe obuenirent: quæ media interiacent, Gaditis, ſeu tribui Gad. Omnium horum terminus occidentalis erat Iordanes fluuius: orientalis varius propter varios populos, qui has tribus ab oriente ſole accolebant. Moabitæ ab auſtro erant, vt tamen etiam in orientem extenderentur: & Amalekitarum pars, ſeiuncta a ceteris ſuæ gentis; & hi a tergo erant Rubenitidis tribus: Ammonitæ a tergo Gaditidis: ſupra quos alii Arabes vsque ad Hermonem montem, obiecti cum ipſo monte tribui dimidiæ Manaſſitarum.

XV.

RVBENITARVM oppida narrantur Ioſuæ XIII, *Hesbon*, regia Sihonis, *Eleale*, *Bamoth-Baal*, *Iaza*, *Kedemoth*, *Mephaath*, *Kiriathaim*, *Sibma*, *Zereth Sahar*, *Beth Peor*, *Nebo*, *Piſga* mons & circumiecta oppida. GADITARVM fuerunt *Iaſer* ſiue *Iaeſer*, *Rabba* Gileaditidos, *Mizpa*, *Beth Haram*, *Beth Nimra*, *Suchoth*, *Zaphon*, *Ramoth*, *Mahanaim*, *Betonim*, *Dibon*, *Aroer*, *Atharoth*. MANASSITIDIS pauciora recenſentur, quamquam plura fuerint quam ceterarum tribuum, ſexaginta numero, e quibus *Aſtaroth* & *Edrei* nominantur, & *Geſſuri*, quod vero ſubigere non potuerunt. De ceteris, Gaulanitidis maxime, infra dicemus.

SECTIO II.

DIVISIO IN REGNA.

XVI.

Non ſolliciti ſumus de antiquiſſimis regnis, iisque minoribus, ac fere ſingularum ciuitatum, vt rex Salem, Geraræ, Sodomæ, Ai, Ieruſalem, Hebron, Lachis, Gaſer, Eglon, ceterarum, qui ex patriarcharum & Ioſuæ hiſtoria noti ſunt. Regna illa maiora intelligimus, Iſraelis alterum, alterum Iudæ: illud decem tribuum; hoc duarum. Coniunctæ tribus fuere ſub Saule, Dauide, Salomone: ab huius exceſſu decem tribus abruptæ ab regno Dauidis; duæ relictæ eius poſteris, Iuda & Beniamin. Decem tribus nouum regnum conſtituerunt, quod æque *Iſraelis* dictum, vt antea, duodecim quum tribus contineret: etiam *regnum Ephraim*, *regnum Samariæ*. Caput eius fuit *Sichem* aliquando, regia primum ſedes Ierobeami, 1 Reg. XII, 25, quæ deinde ab eodem *Thirzam* fuit translata, cap. XIV, 17: vbi manſit etiam ſub ſucceſſoribus proximis, cap. XV, 33, XVI, 8. donec Omri conderet *Samariam*, conſtans poſtea regum domicilium. Ampli ergo fines huius regni erant citra & trans Iordanem, inde a Syria per

Galilæam ad limitem vsque Beniaminiticum: &, a latere tribus Iudæ, tribum Dan & Simeonis complexum, vsque ad Aegypti fines extendebatur.

XVII.

Ex quibus adparet, quam anguſti limites alterius regni, quod a tribu potiore *Iudæ regnum* vocabatur, fuerint. Caput eius fuit *Hieroſolyma* in confinio Iudæ ac Beniaminis ſita. Termini Iordanes, & mare Magnum verſus, communes cum Danitis; ex parte ſaltem ſi Philiſtæorum fortasſis quædam oppida defecerunt, antea ſubacta a Dauide, & a Salomone etiam poſſeſſa: quemadmodum *Gibethon* a Philiſtæis fuit recuperatum, & ab aliquot Iſraelis regibus graui obſidione repetitum, 1 Reg. XV, 27, & XVI, 15. A meridie videtur etiam limes anguſtior factus, quia iam tum a Salomone Idumæorum reliquiæ, auctore Hadado, regio genere orto, defecerant, qui ſi non omnem Idumæam, partem tamen illius ſibi vindicaviſſe, non dubitare licet. * Vide 1 Reg. XI, 14. Oppida huius regni nobiliora ſupra in vtraque tribu enarrauimus, quæ præter caput & regiam ſedem, quam diximus, erant *Iericho*, *Rama*, *Mizpa*, *Emmaûs*, *Bethlehem*, *Hebron*, *Lachis*, *Odollam*, cetera.

SECTIO III.

DIVISIO SVB ROMANIS.

XVIII.

Haſmonæi omnem terram, quam Palæſtinam dicimus, alii Sanctam, alii Iudæam laxe accepto vocabulo, poſſederant vsque ad Hyrcanum & Ariſtobulum diſcordes fratres, quorum tempore Romani ſibi ius in Palæſtinam Pompeio duce adſeruerunt. Capto Ariſtobulo & Romam abducto, Cæſar Iulius Hyrcano, quem Pompeius confirmauerat, Antipatrum adiunxit, cui filius Herodes ſucceſſit, Auguſti beneficio non ſolum omnem Palæſtinam, ſed alias etiam Arabiæ ac Syriæ regiones ademtas conſecutus. Ab Herodis morte diuiſio inter filios Auguſti auſpiciis cœpit fieri, & maiori natu Archelao duæ ex paterno regno tetrarchiæ, Iudæa & Samaria datæ: Herodi Antipæ Galilæa & Peræa: Philippo fratri Ituræa & Trachonitis cum adiacentibus tributæ. Damnato poſtea Archelao & in exſilium eiecto, in prouinciæ formam, quæ poſſederat redacta, hoc eſt Iudæa & Samaria: Antipa relegato, eius tetrarchia Agrippæ regno adiecta a Caio Cæſare, cui & ſub Claudio pars reliqua auiti regni acceſſit, & ſublata forma prouinciæ: quæ rurſus a morte Agrippæ maioris fuit reducta, amplior quam ante fuerat, quod filius Agrippa cum Abilene ſolam Philippi

* Sed regionem eam Arabiæ, quæ inter Aegyptum & Iudæam ad mare Rubrum pertinet, Iudæorum regibus plerisque paruiſſe, etiam opinantur aliqui, quum nauigatio in Ophiram propagata ac retenta ſit diutisſime, quæ nulla videtur futura fuiſſe ſine dominio terræ inter Aegyptum & Iudæam interiectæ. Sed hæc quum nec hodie ſit inuidendæ felicitatis: non multum requirebat impenſæ & artis & ſtudii ad tuendum. Atque huic fini & conſilio regum Iudaicorum quamuis anguſtus terræ tractus ſatisfaciebat. Saltem iter mercatorum vsque ad Eziongeberam armis facile aperiebatur, aut pecuniis redimebatur. Vid. Exod. XXIII, 3. Add. Relandi Palæſt. I c. 3. extr.

lippi tetrarchiam poſſedit, cetera relicta prouinciæ. Vide Ioſeph. XVII Antiq. cap. XIII, & lib. XVIII cap. I & IX, & lib. XIX cap. LV & extremo.

XIX.

Hiſce temporibus, quibus Herodum familia Romanorum beneficio imperauit, aut prouincia impoſita Iudæis fuit, non in tribus, ſed in *tetrarchias* terra fuit diſtributa, aut illæ cum prouincia partitæ, aut aliquando regni precarii reducta forma: quæ ſingula per inſtabilitatem ſuam magis turbant geographiam, quam expediunt: maiores autem regiones, quæ tum vocabantur, non ſubiectæ mutationibus erant; in quibus tutius etiam explicationem noſtram abſoluemus ita, vt a Syria incipiamus, vbi primum *Galilæa* occurrit: deinde *Samaria*, tandem *Iudæa*; atque hæ cis Iordanem: trans flumen quæ ſunt, exponemus poſtea. Hæc quoque illa diuiſio eſt, quæ in Euangeliſtarum libris celebratur, repetita in Actibus Apoſtolorum cap. IX, 31 καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας, id eſt, per totam Palæſtinam Cisiordanenſem.

XX.

Fuit & alia diuiſio a Gabinio in quinque iuridicos conuentus (συνέδρια Ioſephus vocat) Romano more inſtituta, tres cis Iordanem, Hieroſolymis, Hierichunte & Sepphoris ſiue Zippore Galilææ: & duobus trans flumen, Gadaris & Amathunte; ſed breui hæc fuerunt tempore, ſed mutata poſt hæc ſæpe forma reipublicæ, & ipſi conuentus haud dubie fuerunt immutati aut aboliti. De iis vero Ioſephus lib. XIV cap. X poteſt conſuli. Gadara certe poſt Herodis mortem hereditatis ſorti exemta cum Gaza & Hippo, prouinciæ Syriæ ab Auguſto fuerunt adiecta: quod idem Ioſephus lib. II de Bello cap. IX perſcripſit. Fuit etiam, quando prouincia diuideretur, vt Tacitus notat annal. XII cap. LIV, *Cumano Galilæorum nationem, Felici Samaritas paruiſſe.*

SECTIO IV.

GALILAEA.

XXI.

Galilæa dicta eſt גליל Ebraice Eſ. IX, 1, quæ vox habet ענין סבוב ſecundum Kimchi, id eſt *notionem circuitionis*, aut tractus rotundi. Rara in Veteri Teſtamento adpellatio, & multum, ſi bis terue inueniamus, quæ frequentiſſima eſt Euangeliis. Præter modo indicatum Eſaiæ locum, quem diuinus Matthæus explanauit cap. IV, 15, de Salomone dicitur 1 Reg. IX, 11, Hiramo Tyriorum regi viginti oppida dediſſe בארץ הגליל, *in terra Galilæa*, quemadmodum Græci etiam interpretes reddiderunt, ἐν τῇ γῇ τῇ Γαλιλαίᾳ. Quod vero etiam quidam interpretes *Galilææ* mentionem Ioſuæ XIII, 2 fecerunt, in eo falſi ſunt, & diremerunt coniungenda. Scriptum enim eſt כל גלילות פלשתים *omnes circuitus*, vel tractus, *Philiſtæorum:* & Græci, πάντα ὅρια Φυλιστιείμ, *omnes termini Philiſtæorum.* Et Kimchi in hunc locum גלילות כמו גבול, *vox* גלילות *ſignificat terminum.* Adde Chaldæum idem

idem ſentientem conſtructa voce תחומי *termini.* Eiusdem originis eſt גלגל *Gilgal*, quod vocabulum alias locum inter Hierichuntem & Iordanem ſignificat, caſtris primis Iſraelitarum nobilitatum: aliquando tamen etiam Galilæam. Ioſuæ XII, 23. מלך גוים לגלגל *Rex gentium in Gilgal:* Græci vulgati quidem Γέλγαλ, at Romano codice τῆς Γαλιλαίας. Coniungitur enim cum regibus Kedes, Ador, Dor & aliis, qui in ſeptemtrionali parte Palæſtinæ, hoc eſt circa Galilæam, imperabant.

XXII.

Fuit autem *Galilæa* ſeptemtrionalis pars terræ Chanaan ſeu Palæſtinæ, ab extremo Syrorum limite inter Iordanem & Mediterraneum mare vltra lacum Geneſaret producta. Diuiditur ab Ioſepho lib. III de Bello cap. IV * in *Superiorem*, τὴν ἄνω, & *Inferiorem*, τὴν κάτω Γαλιλαίαν. Terminum vtriusque communem ponit *Berſaben* quamdam, quæ vero & ipſa, ſaltem certa eius ſedes, nobis eſt incognita. Ex ſola igitur coniectura eſt limes inter vtramque figendus, ſupra Carmelum montem, in aquilonem verſus, atque inde ducendus ad Iordanem.

XXIII.

SVPERIOR GALILÆA incipit a finibus Tyriorum Sidoniorumque, & in ortum ad fontes Iordanis procurrit, poſt quos in ipſo Iordane terminum habet. Maritima quæ tribui Aſer adiudicata erant, nec ſemper fuerunt ab Iſraelitis poſſeſſa, quemadmodum de monte Carmelo, in quo terminum Superioris poſuimus, Ioſephus lib. III de Bello cap. IV ineunte, Κάρμηλος τὸ πάλαι μὲν Γαλιλαίων, νῦν δὲ Τυρίων ὄρος, *Carmelus quondam Galilæorum, iam vero Tyriorum mons.* Et Ptolemaidem ibidem cum territorio ſuo extra Galilæam ponit, quum tamen Ace ſiue Acco, quæ ſecundum Strabonem & Hieronymum ipſa Ptolemais eſt, in tribu Aſer, quæ maritimam Galilææ partem ſortita fuerat, Iudic. I, commate 31 cenſeatur.

XXIV.

Et Hieronymus duas conſtituit Galilæas, ſed aliter denominat. Quæ enim Superior Ioſepho eſt, ipſe vocat *Galilæam gentium*, ex Eſa. IX, I, & Matth. IV, 15 deſumta adpellatione. In Locis enim Ebraicis, *Duæ*, inquit, *ſunt Galilææ, ex quibus vna Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, vbi & Salomo viginti quinque ciuitates donauit Hiram regi Tyri, in ſorte tribus Nephthalim. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem & ſtagnum Geneſareth in tribu Zabulon.* Hunc ducem plerique ſequuntur, eandem Gentium Galilæam & Superiorem eſſe credentes: alii in diuerſas partes abeunt, vel de Inferiore Galilæa Prophetam & Euangeliſtam interpretantes; vel de regione quadam trans Iordanem flumen ſita. Caſaubonus in Matth. IV, 15. *Adſentior doctiſſimis Veteris Teſtamenti interpretibus, qui Galilæam* τῶν ἐθνῶν *interpretantur ex perpetua loquendi conſuetudine Ebræorum* GALILAEA POPVLOSA. *Iidem rectiſſime videntur mihi de Inferiore, non Superiore Galilæa hæc accipere, nam ibi fuit Capernaum.* Io. Light-

* Fortaſſe II, vel Hauerc. III.

Lightfoot Chorographia in Matthæum cap. LXIX vulgarem de ſeptemtrionali Galilæa ſententiam tuetur: at in Marcum ſect. II contendit, fuiſſe hanc Galilæam Gentium πέραν τοῦ Ιορδάνου, *trans Iordanem*, & addito *Gentium* nomine diſtingui a Galilæa propria, quæ cis Iordanem erat: idque nexu verborum probare ſtudet, *via maris trans Iordanem, Galilæa gentium.*

XXV.

Pendet omnis controuerſia ex Eſaiæ vaticinio, quod expreſſit Matthæus, recte inciſo & explicato. Agit de terra Zabulon & Naphthali, quæ cis Iordanem erant: & his primum euangelii lumen exoriri dicit, quia prius, quam ceteri, in captiuitatem fuerant abducti. Hieronymus in Matth. IV, 15, *Hi primum audiere Dominum prædicantem: vt, vbi Iſraelis fuerat ab Aſſyriis prima captiuitas, ibi Redemtoris præconium naſceretur.* Deinde dicit propheta, etiam *viam maris* Geneſareth *trans Iordanem*, vbi Bethſaida erat & finitima, illa luce illuſtratum iri. nam & ibi multum Servator Chriſtus verſatus fuit. Denique illius nouæ lucis ait participem ſuperiorem regionem fore, quæ Galilæa Gentium vocata fuit. Hæc autem cis Iordanem in locis ſuperioribus erat, quæ regio a variis & mixtis gentibus cognomen illud antiquitus adepta fuerat. Geneſ. XIV. memoratur Thidal מלך גוים *rex gentium*, qui cum Amraphel & ceteris contra Sodomitas & Gomorrhæos profectus eſt. Et Ioſuæ XIII, 23 oſtenditur, vbi fuerit illa regio, quæ a *gentibus* mixtis adpellationem habuerit, quum additur מלך גוים לגלגל *rex gentium in Gilgal*, id eſt in Galilæa, vt ſupra illorum nominum conuenientiam probauimus: qui ipſi Lightfooto in Matthæum chorographicis obſeruationibus videtur rex Hazor eſſe, quæ vrbs iuxta Aquas Merom, id eſt Samochonitidem lacum ſita erat, quia victus ille potens rex fuit ab Ioſua, neque vero in catalogo victorum regum cap. XII memoratur, ſi non idem eſt rex gentium in Gilgal. Summa controuerſiæ, quam ſecundis curis Lightfootus agitauit, in eo conſiſtit maxime, vtrum verba, *Via maris trans Iordanem*, per adpoſitionem, vt grammatici vocant, de eadem regione ſint interpretanda, an ſeiungenda vt ſignificent diuerſas partes: quod poſterius nobis veriſimilius videtur, quia accentu ſakeph ſunt disiuncta & diremta, etiam cum Geneſ. XIV, 1, & Ioſ. XII, 23, ſi diſtincta, conſpirant magis & conueniunt: atque ita etiam Hieronymi ſalvari diſtinctio & interpretamentum poteſt. Quod vero de mixtis in Galilæa populis dicebatur, etiam a Strabone confirmatum eſt libro XVI p. 523. Poſtquam enim dixerat, Palæſtinæ multa loca ὑπὸ φυλῶν οἰκούμενα μικτῶν, ἔκ τε Αἰγυπτίων, ἐθνῶν καὶ Αραβίων καὶ Φοινίκων, *a mixtis gentibus habitari, Aegyptiis, Arabibus & Phœnicibus*; illico ſubiicit, οἱ οὗτοι γὰρ οἱ τὴν Γαλιλαίαν ἔχοντες, *tales enim ſunt, qui Galilæam tenent.*

XXVI.

Sic itaque vel tota ſuperior Galilæa, vel pars illius, eſt *Galilæa gentium.* Eiusdem Superioris etiam pars fuit terra CHABVL, ſita in Tyriorum finibus בארץ הגליל *in terra Galilæa*, quod Græci interpretantur, ἐν τῇ γῇ τῇ Γαλιλαίᾳ, 1 Reg. IX, 11, 13. Viginti oppida habuit, quæ Salomo regi

Tyriorum Hiramo dedit: cui vero diſplicuerunt, ideoque dictæ ſunt ארץ כבול *terra Chabul.* Ioſephus lib. VIII Antiq. cap. II, vbi hanc hiſtoriam perſequutus eſt, videtur dicere, quaſi recuſauerit donum Hiramus, reliqueritque Salomoni. *δυσαρεστήσας*, inquit, *τῇ δωρεᾷ πέμψας πρὸς Σολομῶνα, μὴ δεῖσθαι τῶν πόλεων ἔλεγεν, non valde probans, renuntiari Salomoni iuſſit, ſibi non eſſe opus eis oppidis.* Addit: *καὶ ἔκτοτε προσηγορεύθησαν Χαβαλὼν γῆ, ex eo adpellata ſunt Terra Chabalon:* quod ait Phœnicum lingua *οὐκ ἀρέσκον, id quod diſplicet,* ſonare. Minora, credo oppida fuiſſe, Iſraelitici quidem iuris, tribui Aſer & Naphthali ademta, ſed ab ethnicis vt plurimum habitata: ideo & diſplicuerunt Tyrio, & Salomo non ægre iis caruit. Quænam autem nominatim fuerint, ac quo loco & parte Galilææ poſita, quod ſacra hiſtoria ſilet, non poſſumus commemorare. Ioſephus quoque non plus tradidit, quam fuiſſe *τῆς Γαλιλαίας, οὐ πόῤῥω τῆς Τύρου κειμένας, in Galilæa non procul a Tyro ſita.* Doctiſſimus Caſtellus in Lexico Heptaglotto putat *Chabul* eſſe eam regionem, quæ poſtea ab vrbibus primariis adpellata fuerit *Decapolis.* Verum hæc Decapolis, vt infra probabimus, non contemnenda oppidula, vt Chabul, habuit, ſed pleraſque vrbes magnas atque validas: etiam omnis trans Iordanem fuit, præter Scythopolim, atque ita non prope Tyrum Decapolis, ſed maior illius pars, etiam ipſa Scythopolis a Tyro remota fuit longius.

XXVII.

In his finibus, ſed longius a mari, orientem verſus, ſunt etiam *fontes Iordanis*, de quibus Ioſephus lib. III de Bello cap. XXXV *Δοκεῖ μὲν Ἰορδάνου πηγὴ τὸ Πάνειον, videtur Iordanis fons eſſe Panium,* ſiue, vt poſt paullo dicitur, *κατὰ τὸ Πάνειον, iuxta Panium* ſeu *Panêum,* quo nomine & mons, & fontes ſub illo monte ſignificantur. Idem lib. I de Bello cap. XVI de Herode patre: *Alterius terræ adiectione ab Auguſto donatus, aliud ei templum ex albo marmore, παρὰ τὰς Ἰορδάνου πηγὰς, iuxta Iordanis fontes conſtituit. καλεῖται δὲ Πάνιον ὁ τόπος, ἔνθα κορυφὴ μέν τις ὄρους εἰς ἄπειρον ὕψος ἀνατείνεται. Panium locus iſte vocatur: vbi montis quidam vertex in immenſam altitudinem attollitur.* - - - *κατὰ τὰς ἔξωθεν ῥίζας ἀνατέλλουσιν αἱ πηγαὶ, foris* [extra ſpeluncam ſub monte] *ad radices montis oriuntur fontes. καὶ γένεσις μὲν, ὥς ἔνιοι δοκοῦσι, ἔνθεν Ἰορδάνου, & hoc, vt quidam putant, Iordanis eſt principium:* ipſe vero *τὸ ἀκριβὲς, quod verius eſt,* infra demonſtraturum eſſe promittit. Sed de hoc poſtea: iam de *monte Paneio* teſtimonia clariora proferenda. Euſebius lib. VII Hiſt. Eccleſ. cap. XVII *παρὰ ταῖς αὐτόθι δεικνυμέναις ἐν ταῖς ὑπωρείαις τοῦ καλουμένου Πανείου ὄρους πηγαῖς, ἐξ ὧν καὶ τὸν Ἰορδάνην* [*φασὶ*] *προχεῖσθαι, apud fontes, qui ibi* [ad Cæſaream Philippi] *viſuntur ad radices montis Panei, ex quibus aiunt Iordanem profluere.* Nummus etiam M. Aurelii Mediceus, inſcriptus ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ. ΑΣΥ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ, *Cæſarea Auguſta ſacra & inuiolabilis ſub Paneo,* montem potius, quam aliud, conſueta formula per *ὑπὸ, ſub,* oſtendit: vt Plinio non poſſimus per omnia adſentire, lib. V cap. XV dicenti: *Iordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ.* Eſto fontem dictum etiam *Paneadem:* non tamen

men a fonte potius, quam monte Paneo, qui & fonti nomen dedit, cognomentum vrbis eſſe, ex nummo ſupra & aliis monimentis probauimus.

XXVIII.

Sed negauit Ioſephus, hanc primam Iordanis originem eſſe, & veriorem lib. III de Bello cap. XXXV his verbis monſtrauit: *Iordanis fons Paneum eſſe videtur:* φέρεται δὲ ὑπὸ γῆν εἰς τοῦτο κρυπτὸς ἐκ τῆς καλουμένης Φιάλης, *ſed revera huc terra conditus fertur ex Phiale, quæ ita vocatur. Hæc autem eſt, qua in Trachonitidem adſcenditur ad* CXX *ſtadia a Cæſarea, ad dexteram non longe a via. Et proprie quidem ex rotunditate* PHIALA *dicitur lacus, rotæ ſpeciem præferens.* Hoc autem eſſe Iordanis principium, a tetrarcha Trachonitidis Philippo deprehenſum eſt. *Is* namque *miſſis in Phialen paleis* (ἄχυρα dixit) quas κατὰ τὸ Πάνειον, ἔνθεν ἐδόκουν οἱ πάλαι γεννᾶσθαι τὸν ποταμὸν, εὗρεν ἀνενεχθέντα, *iuxta Paneum, vnde olim naſci illud flumen crediderunt, inuenit redditas.* Duo igitur fontes fluminis Iordanis ſunt, primus, & vera origo in lacu Phiala: ſecundarius, qui ex iſto per ſubterraneum meatum alitur, ſub Paneo monte, qui vulgo habitus pro primo fuit, antequam tetrarcha Philippus veriorem originem experimento inueniret. Quo ipſo vulgares chartæ erroris arguuntur, in quibus duo fontes longe inter ſe disiuncti & longius etiam a Paneo in ſeptemtrionem remoti, pinguntur, quorum alter *Ior*, alter *Dan* adpelletur, * quod fabulam ſapit, nihilque documenti vel in hiſtoria vel geographia habet.

XXIX.

Quum itaque apertum flumen Iordanis incipiat a Paneade (nam tecta ſuperiora ſunt & ſub terra latent) inde prono curſu fertur, vt Ioſephus ibidem tradit, ad lacum, qui *Semechonitis* ſiue *Samachonitis* vocatur, quem ſecat; & deinde ad alium lacum *Geneſar*, ſeu *Geneſareth*, ſiue *Tiberiadis*, deuoluitur; Priorem lacum Ioſephus dicto lib. III de Bello c. XXXV ab Iordane permeari tradit: κόπτει τὰ τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ τέλματα, *Semechonitidis lacus paludes ſecat* [Iordanes] *cænoſas.* Et lib. IV c. I πρὸς τῇ Σεμεχωνιτῶν λίμνῃ, *ad Semechonitarum lacum, qui triginta latus ſtadia, longus ſexaginta,* διατείνει αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίου, *paludes ſuas extendit vsque ad locum Daphnen dictum:* qui delicioſus copia fontium eſt, & nomen forte ex ſimilitudine Daphnes Antiochenæ habet. αἳ πηγαὶ τρέφουσαι τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην ὑπὸ τὸν τῆς χρυσῆς βοὸς νεὼν προσπέμπουσι τῷ μεγάλῳ, *Hi fontes augent Minorem, vt vocatur, Iordanem ſub fano Bouis aureæ, atque deducunt in Maiorem.* Et alibi *Minoris Iordanis* fecit mentionem lib. V Antiq. cap. II extr. vbi dicit, οὐ πόρρω τοῦ Λιβάνου ὄρους καὶ ἐλάσσονος Ἰορδάνου τῶν πηγῶν, *non longe a monte Libano, & Minoris Iordanis fontibus.* Et lib. VIII cap. III ἐν Δάνῃ, ἣ δέ ἐστι πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ἰορδάνου. *in Dan* [vitulam vnam Ieroboam poſuit] *quod oppidum eſt apud fontes Iordanis Minoris.* Minor itaque Iordanes eſt a fontibus ad lacum vsque Semechonitidem.

* Ita ſenſerat etiam Iſidorus Origin. XIII c. 21. Error ex ignoratione linguæ Hebraicæ natus videtur. Nam ſi rudiores illi auctores fabulæ ſciſſent, *Ior* flumen ſignare, & *Dan* nomen populi vicini: facile vidiſſent, duo hinc flumina conflari non poſſe.

dem. Quod vero Maioris nuſquam alibi facta eſt deſcriptio; Lightfootus cenſet, non eſſe hunc alium riuum ſiue alueum, ſed *Paruum* eſſe a fontibus, ad vſque Semechonitidem: eumdemque fluuium, iam auctiorem, appellari *Maiorem*. Vide Chorogr. Matthæi cap. LXVII.

XXX.

Sed ad *Samachonitidem* (nam & Σαμαχωνῖτις ſcribitur ab eodem Ioſepho lib. V Antiq. cap. VI) quam percurrit Iordanes, reuertimur. Qui id nomen præter Ioſephum ex antiquis ferat, compertum non habemus. Plures cenſent eſſe מי מרום *Aquas Merom*, Ioſuæ XI, 5 vbi Græci ἐπὶ τοῦ ὕδατος Μεῤῥών, *ad aquas Merron*. Caſtra ibi Iabin, rex vrbis Hazor, habuit, quum victus ab Ioſua eſt, & exercitus eius vſque ad Sidonem in fuga cæſus. Probabilis opinio, quia aliæ nullæ notabiles aquæ in ſuperiori Galilæa inueniuntur: & rex vrbis Hazor illis caſtris præerat, quæ ad Aquas Merom fuerunt poſita. Hazor autem ſiue Aſor, Græce Ἄσωρος, ὑπέρκειται τῆς Σαμαχωνίτιδος λίμνης, *ſupra lacum Samachonitin ſita fuit*, vt Ioſephus lib. V Antiq. cap. VI tradidit. Nec inſolens lacum vocare ſimpliciter, *aquas*. Idem Ioſephus lib. XIII cap. IX ἄρας τῆς Γαλιλαίας ἀπὸ τῶν ὑδάτων τῶν Γεννησσάρων καλουμένων, *caſtra mouens in Galilæa ab aquis Genneſaris, vt vocantur*, id eſt, ab lacu Geneſaret. Iordanes eluctatus paludes Samachonitidas, διαμείψας ἑτέρους ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα διατέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην, *emenſis aliis ſtadiis centum viginti, poſt oppidum Iuliada, Genneſar lacum medium ſecat*. Dum *aliis* dicit CXX *ſtadiis*, non breuiorem curſum a Paneade ad Samachonitin fuiſſe (qui omnino longior videtur) arguit. Atque hæc de Iordane, in quantum Galilææ latus ab oriente claudit ac terminat.

XXXI.

Ab occaſu Superioris Galilææ terminus eſt Mediterraneum mare inter Tyrum vrbem & Carmelum montem interceptum. Etſi enim limes ad Sidonem vſque a Moſe ac Ioſua protractus fuit, tamen certo Dei iudicio factum, vt nec Sidone nec Tyro Iſraelitæ vmquam potirentur: de quibus propterea in Syrophœnice a nobis actum fuit. Incidebat in hoc latus Aſeritis Tribus, cuius permulta quidem oppida Ioſuæ XIX enarrantur, ſed ignota fere omnia, quibus ſedes certa minime poteſt definiri. In his etiam eſt *Cana* Ioſuæ XIX, 28, quæ Hieronymo eſt *Maior Cana*: de qua in Minore Inferioris Galilææ aliquid dicturi ſumus. Neque Ptolemæus in litore poſt Tyrum plura habet quam *Ecdippa* & *Ptolemaidem*, quæ etiam in ſacris fuerunt ſub aliis nominibus memorata, illa videlicet *Achzib*; hæc *Aco* vel *Acco* dicta. Prima poſt Tyrum *Ecdippa* eſt, Ptolemæo auctore. Etiam Plinius lib. V cap. XIX *oppidum Ecdippa*, inter Tyrum & Ptolemaidem eodem, quo Ptolemæus, ordine. Ioſephus lib. I de Bello cap. XI format Ἐκδίππων, *Ecdippon*, τοῖς καταχθεῖσιν, inquit, εἴς τι τῶν παραθαλασσίων χωρίων, ὃ καλεῖται Ἐκδίππων, *deductis in aliquem maritimum* [Galilææ] *locum, cui Ecdippon nomen eſt*: incertum quo caſu, primo, an ſecundo, vt χωρίον repetatur: Hieronymus in Locis Ebraicis, אכזיב *Achziba, in*

tribu

tribu Aſer, in qua alienigenæ permanſerunt. Hæc eſt & Dippa in nono milliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum. Dippa, lege *Ecdippa,* quod haud dubie Hieronymus ſcripſit. Cuius nominis ex *Achzib* deductionem erudite Lightfootus monſtrauit, ז Syrorum more in ד mutato, & ſublata adſpiratione, ac ב durius pronuntiato, vnde *Acdibba,* & alia dialecto *Ecdippa* oritur. Talmudiſtæ etiam כזיב *Chezib* ſcripſerunt, quod idem Lightfootus Chorograph. Matth. cap. LXV obſeruauit.

2. Quod ſi ita eſt, & nono milliario a Ptolemaide diſtat oppidum *Ecdippa,* vt Hieronymus dicto loco prodidit; * male in Tabulis pluribus prope Tyrum, longe a Ptolemaide, hic locus poſitus eſt: nec ſi quis coniectura, vt Bonfrerius fecit, ex Ioſuæ XIX inane litus vult ſupplere, oppidorum nomina *Heleac, Chali, Beten, Achſaph,* non inter Ecdippam & Ptolemaidem, ſed inter Tyrum & Ecdippam collocanda eſſent, ſi omnino fuerunt in litore, & eum ordinem, quem tribuit Bonfrerius, inter ſe tenuerunt. Sed hæc incertiora ſunt, nec ex Ioſuæ verbis ſedes definita adſignari poteſt.

XXXII.

Eſt non longe ab Ecdippa mons altiſſimus, *Scala Tyriorum* dictus, centum ſtadiis a Ptolemaide, atque ita Ecdippæ a ſeptemtrione imminens, quæ Hieronymus in nono a Ptolemaide milliario poſuit. Ioſephus lib. II de Bello cap. XVII, montes, quibus Ptolemais e longinquo cincta ſit, enarrans, τῷ δὲ, inquit, ὑψηλοτάτῳ κατ᾽ ἄρκτον, ὃ καλοῦσι κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι, καὶ τοῦτο δὲ ςαδίους ἀφέςηκεν ἑκατὸν. *altiſſimo monte* [Ptolemais vallata eſt] *a ſeptemtrione, quem accolæ ſcalam Tyriorum vocant, & diſtat* [a Ptolemaide] *centum ſtadiis.* In Talmud vocatur סולמה דצור *Scala Zor,* id eſt, *Tyri.* Vide quæ Lightf. d. l.

XXXIII.

Ipſa nunc *Ptolemais,* ex prædicta diſtantia, in litore ſequitur, olim עכו, *Aco* ſiue *Acco* Iudic. I commate 31 dicta, vnde profanorum Ἄκη, *Ace* eſt, cui vocabulo, vt ſoliti ſunt, fabulam admiſcuerunt, quod Hercules ibidem ſanatus fuerit ex vlceribus, quæ ex Lernææ hydræ morſibus acceperat. ἀκέομαι enim *mederi* eſt. Stephanus Byzantius in Ἄκη, hanc fabulam ex Claudio Iulio expoſuit, quaſi Hercules nomen vrbi impoſuerit.

2. Hæc poſtmodum *Ptolemais* ab Aegyptio rege fuit adpellata. Strabo lib. XVI p. 521. Πτολεμαΐς, μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον, *Ptolemais, vrbs magna, quam prius Acen nominauerant.* Et Stephanus in Ἄκη: αὕτη Πτολεμαῒς ἐκαλεῖτο, *Hæc Ptolemais* [poſtea] *vocabatur.* Eſſe autem *Acen* hanc eamdem, quæ *Aco* ſeu *Acco* in ſacris adpellatur, Hieronymus auctor eſt in Amos I, 2. *Carmelus,* inquit, *iuxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho,* [alii Accho] *mari imminens.* Græci Iudicum interpretes ſcribunt Ακὼ & aliis libris Ακχὼ, & male Ακχὼρ. Et ſitus ipſe comprobat ac vicinitas Carmeli, & tribus Aſeritis, in qua Iudicum libro cap. I comm. 31 cenſetur. Ante Aegypti regnum Macedonicum, etiam ſub initium eius,

* Vel XII ſecundum Itinerarium Hieroſolymitanum. Vide Reland. in *Aczib.*

Ace Græcis Latiniſque dicebatur. Diodorus Siculus lib. XIX cap. XCIII κατέσκαψε Ἄκην τῆς Φοινίκης Συρίας, *deſtruxit* [Ptolemæus] *Acen Phœnices Syriæ.* Corn. Nepos Datame cap. V *nuntium ad exercitum Acen miſit.*

3. Tandem colonia Romana facta eſt ſub Claudio. Plinius lib. V cap. XIX *colonia Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace.* Quod nummus Caracallæ confirmat cum Serapidis, in Syria frequenter culti, imagine, inſcriptionem COL. PTOL. præ ſe ferens.

XXXIV.

A duobus ſtadiis prælabentem riuum habet *Belum* ſiue *Beleum*, arenas voluentem vitris conficiendis maxime idoneas. Plinius iam dicto loco: *Belus, vitri fertiles arenas paruo litori miſcens. Ipſe e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit. Iuxta colonia Claudii Cæſaris Ptolemais.* Et Ioſephus lib. II de Bello cap. XVII τῦ δὲ ἄστεως ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλύμενος Βήλεος ποταμὸς παραῤῥεῖ παντάπασιν ὀλίγος. *Ab ea autem vrbe* [Ptolemaide] *diſtans duobus ſtadiis præterlabitur fluuius, quem Beleum vocant, exiguus prorſus.* * Iuxta eum dicit vallem rotundam eſſe, qui vitri arenam gignat, vt quamuis multis nauibus auehatur, exhauriri tamen nequeat. Strabo loco ante dicto totum litus, quod inter Tyrum & Ptolemaidem eſt, ὑαλῖτιν ψάμμον, *vitriariam arenam* habere tradit: vt tamen præſtantior ſit Beli amnis & citra eum. Stephanus in Ἄκη hunc fluuium etiam Βῆλον, *Belum*, duabus ſyllabis, vocitauit, vt Plinius: Ioſephus autem tribus *Beleum.*

XXXV.

Ptolemaidi dicit Hieronymus in Eſa. XXIX, 17 *Carmelum montem imminere:* ſed non proxime imminet. Interiacet oppidum *Gaba*, vt in verſione eſt Ioſephi lib. III de Bello cap. IV; ** vt in Græco, Γάμαλα, *Gamala*, quæ Carmelo προσίχει, *coniuncta* eſt. In Vita ſua etiam *Gabam* id oppidi vocat, eique a viceſimo ſtadio coniungit *Baſaram:* *** & ἐν μεθορίοις τῆς Πτολεμαΐδος κειμένην, *in confiniis Ptolemaidos ſitam* dicit. Superiori loco idem Ioſephus addit, *Gabam* equeſtri colonia ab Herode fuiſſe auctam, quam ideo vocat πόλιν ἱππέων, *oppidum equeſtre*, quia rex Herodes ἀπολυομένυς ἱππεῖς, *dimiſſos equites* in illud deduxerit. † *Baſara* (in verſione *Beſara*) aliunde, quam ex hoc Ioſephi loco, nobis non eſt cognita. Atque hic ad Carmeli radices, qua ſeptemtrionem ſpectant, deſiit tribus Aſer, &, quod probabile videtur, Superior etiam Galilæa litoralis. Diuerſa ab hac *Gaba* Ioſephi eſt Plinii *Gabe* lib. V cap. XVIII extremo, quam cum Syriæ oppidis Abile, Arca, aut cum Cæſarea Paneade componit, & forte *Gabala*

* Teſtatur de flumine Ptolemaidis etiam numus Traiani & Hadriani apud Vaillantium in Num. Colon. pag. 215 & 230, vbi Ptolemais feminæ forma rupi inſidet, manu tres ſpicas tenet, ad pedes adoleſcentis ſpecie flumen exſurgit.

** Mendum eſſe videtur. Eſt cap. II, vel ſecundum Hauercampium c. III.

*** Cap. XXIV.

† Hoc eſt de Bello III cap. III pag. 222 edit. Hauerc. Eaſdem eſſe vrbes ſuſpicatur Relandus *Gabala, Gabaram, Gabam.* Idem pag. 819 eandem vrbem *Gabam* alias *Hepham* vel *Kepham* adpellatam credit fuiſſe. Omnino litteræ gutturales valde inter ſe permutari ſolent, & cum cognatis.

Gabala Ptolemæi eſt, in Phœnice mediterranea, e Tyri regione, ſeu adverſus eam, conſtituta.

XXXVI.

Hæc de litore ſuperioris Galilææ. Mediterranea & quæ ad Iordanem, orientalem limitem poſita, minus cognita habemus. Propiora fuerunt, quæ olim in tribu Aſer recenſebantur: *Roob* ſeu *Rohob*, ſiue *Rehob*, gemina in Aſeritide ad ſeptemtrionem, Numer. XIII, 22, vbi terræ Hemath aut Syriæ dicitur proxima. Eadem Ioſuæ XIX, 28, vbi limitaneæ Cananæorum vrbes narrantur ab aquilone, *Ebron, Rehob, Hamon, Cana, vsque ad Sidonem magnam.* Altera paullo inferior ibidem verſ. 30 memoratur, *Vma, Aphek, Rehob.* Ceterorum locus minus notus: nec oppidi *Amaad*, Græce Αμαάδ, Hieronymo *Amath*, Ioſuæ XIX, 26, neque *Achſaph*, *Beten*, *Hali*, ibidem verſ. 25, *Aphek* tabulæ ab Acco ſeu Ptolemaide in ortum ponunt. De *Gabala* Ptolemæi e regione Tyri, paullo ante dictum eſt. Levitarum in Aſeritide quatuor oppida enumerantur, *Miſael*, *Abdon*, * *Helkath*, *Rehob*, Ioſuæ XXI, 30, e quibus priora in auſtro huius tribus videntur ſita fuiſſe. **

XXXVII.

Regio Superioris Galilææ quæ Iordanem ſpectat, a ſeptemtrione in auſtrum ita eſt diſpoſita ab Iordanis fontibus ad vsque lacum Geneſareth, per ſortem tribus Naphthali: Terminus, qui hic ponitur, inter Libanon & Hermonem dicitur ſitus Ioſuæ XI, 17, & cap. XII, 7, & cap. XIII, 5, vocaturque *Baalgad.* *** Euſebio & Hieronymo eſt πόλις, *oppidum*, ſeu, vt interpres loquitur, *ciuitas in campeſtribus Libani ad radices montis Hermon.* Sed quia Hermon ab ortu Libanum proſpicit, videtur locus ad Auranitidem potius pertinere, quam ſupra Galilæam, ſupraque fontes Iordanis ſitus eſſe. De fontibus Iordanis antea actum fuit, qui creduntur circa Paneum montem aut Cæſaream Philippi eſſe, vbi erumpit fluuius, poſtquam ſub terra inde a Phiala, lacu quodam, occulte lapſus fuerat. An vero Cæſarea illa Galilææ fuerit, in qua multi ponunt; non ſine cauſſa dubitamus. Limes Iordanes erat: hæc vero renaſcenti flumini ab ortu fuit adpoſita, atque ita extra limitem Galilææ. Deinde in diuiſione regni Herodis Galilæa filio Antipæ ceſſit; Philippo, conditori huius vrbis Trachonitis & Ituræa, qui eam in ſuo, non fratris, territorio exſtruxit, quamlibet in confinio vtriusque.

XXXVIII.

Dan autem oppidum ad ſiniſtram illius fontis erat, antea *Leſem* vel *Lais* dicta, quod nonnulli putant ipſam Cæſaream illam eſſe, quam tetrarcha Philippus inſtaurauit. Vicinum Dan oppidum fuit Paneadi; non ipſa Paneas, quæ poſtmodum dicta Cæſarea. Hieronymus in Locis Ebraicis: *Dan viculus eſt in quarto a Paneade milliario euntibus Tyrum: qui vſque hodie*

* Relandus putat *Abdonem* latere in vrbe עברון Ioſ. XIX, 28.

** Relandus quoque ridet eos, qui Abdonem ad Tyrum pene admoueant.

*** Vide infra §. CCXLVIII.

hodie ſic vocatur, terminus Iudææ prouinciæ contra ſeptemtrionem. Hiſtoria deductæ Danitarum coloniæ in oppidum Lais ſiue Leſem, quod ex eo *Dan* adpellatum fuit, per anticipationem refertur Ioſuæ XIX, 47, & vero loco ac tempore Iudic. XVIII, 27. Et Ioſephus lib. V Antiquit. cap. II coloniam illam dicit ſitam οὐ πόῤῥω τοῦ Λιβάνου ὄρους καὶ ἐλασσόνος Ιορδάνου τῶν πηγῶν, κατὰ τὸ μέγα πεδίον Σιδῶνος πόλεως ὁδὸν ἡμέρας μιᾶς, *haud procul a Libano monte & minoris Iordanis fontibus, vnius diei itinere campo magno Sidonis.* Hoc oppidum autem terminus erat, vnde Iſraelitarum olim populus a ſeptemtrione cenſebatur, de quo trita exſtat formula multis locis: *Omnis Iſrael, a Dan vsque Berſabe.* *

XXXIX.

Fuit & *Kedes* in tribu Naphthali, aſylum, Leuitarum oppidum, Ioſuæ XXI, 32, quod Iudic. IV, 6 *Kedes Naphthali* diſcriminis cauſſa vocatur. Ioſephi ſcriptura variat, Καίδασα, Κέδεσις, τὰ Κέδασα & ἡ Κέδασα. Interpres eius lib. V Antiq. cap. I pag. 140 *ſuperiorem Cædeſam* memorauit, ſed malim Græca ita incidere ac interpretari: πρὸς Βηρώθῃ πόλει τῆς Γαλιλαίας τῆς ἄνω, Καιδέσης οὐ πόῤῥω, *ad Berotham oppidum Galilææ ſuperioris, non procul a Cædeſa.* Nec vero diſcrimen negamus, quia & alia Kedes fuit in tribu Iſſachar, I Paralip. VII, 72, quæ Ioſuæ XIX, 20 videtur *Kiſion* adpellari. Sed de Galilææ oppido Ioſephus dicto loco pag. 142 aſyla cis fluuium enumerans, tribus Iudæ Hebronem; Ephraim Sicima ſiue Sichem: τῆς Νεφθαλίτιδος δὲ Κέδεσιν, *Naphthalitidos autem Kedeſin.* Et lib. XIII cap. IX προσελθόντων εἰς Κέδασαν πόλιν. πλησίον δ᾽ ἐστιν αὕτη τῆς Τυρίων γῆς καὶ τῆς Γαλιλαίας, *quum Kedaſam veniſſent, vrbem Tyriorum terræ & Galilææ propinquam:* id eſt in vtriusque confinio, quia Tyriorum ager diſtinctus a Galilæa erat. Ibidem, paucis interiectis, μέχρι Κεδασῶν, *vsque ad Kedaſa,* plurali numero: at lib. II de Bello cap. XXXIII ἐπὶ Κέδασαν τὴν Τυρίων, *ad Kedaſan Tyriorum,* in quorum poteſtate aliquando fuit. Situm eius in Locis Ebraicis Hieronymus ita deſcripſit: *Cedes, ſortis Nephthalim, ciuitas ſacerdotalis ac fugitiuorum, in Galilæa ſuper montem Nephthalim. Sed & hanc cepit rex Aſſyriorum, quæ nunc Cidiſſus adpellatur in viceſimo Tyri milliario iuxta Paneadem.*

XL.

De *Berotha* ſupra in Kedes ex Ioſepho diximus in ſuperiori Galilæa, non procul a Kedes ſiue Cedaſa ſitam fuiſſe. Eius mentio eſt Ezechielis XLVII, 17, vbi in terminis Iſraelis cum aliis oppidis recenſetur. Ioſephus lib. V Antiq. cap. I ibi Chananæorum reges, quos Ioſua vno prœlio vicit, habuiſſe caſtra tradit, quæ Ioſuæ XI, 5 ad Aquas Merom, ſeu Samachonitidem lacum dicuntur fuiſſe poſita. Haud longe ergo a lacu illo Berotha fuit oppidum.

XLI.

Ad lacum illum proxime adpoſita fuit חצור, *Hazor,* interpretibus Græcis Ἀσώρ, Ioſepho, Ἄσωρος, *Aſorus;* Hieronymo *Aſor.* Ioſuæ XI, 10 dicitur

* Vide I Sam. XXX, 30. Sita vrbs erat in ſolo bono. Iudic. XVIII, 9. Ioſeph. V, 3, 1.

dicitur caput omnium regnorum ſeptemtrionalium Palæſtinæ. Ioſua expugnauit, & interfectis omnibus incolis, igne ædificia deleuit. Reſtitutam fuiſſe ex Iudic. IV, 2, & I Sam. XII, 9 manifeſtum eſt: nec vero tum ab Iſraelitis fuit habitata, ſed manſit indomitis Chananæis, licet in ſorte Naphthalim recenſa fuerat Ioſuæ XIX, 36. Situm Ioſephus nobis indicat lib. V Antiquit. cap. VI, hiſtoriam Iudicum cap. IV exponens de Iabino rege, in cuius poteſtatem Iſraelitæ a Deo fuerant traditi. ὗτος ἐξ Ασώρυ πόλεως ὁρμώμενος. ἄυτη δ' ὑπέρκειται τῆς Σαμαχωνίτιδος λίμνης. *Is,* [Iabin] *ex vrbe Aſoro ortus. Hæc vero ſita eſt ſuper Samachonitidem lacum.*

XLII.

Haud longe forſan aberat *Haroſeth Gentium,* ſedes Siſſeræ, qui exercitum Iabini, regis Hazoræi, regebat, vt Iudic. IV, 2 refertur. nam pars Galilææ ſuperioris cognomen *Gentium* habuit, vt ſupra ex Ioſuæ XII, 23, vbi rex Gentium Gilgal aut Galilææ memoratur, demonſtrauimus. Prope lacum illum etiam *Daphne χωρίον, regiuncula* fuit amœniſſima & fontibus irrigua, vnde nomen videtur eſſe, imitatione forſan Daphnes illius delicioſiſſimæ, quæ iuxta Antiochiam Syriæ ad Orontem amnem eſt. Ioſephus de Bello Iud. lib. IV ineunte: διατείνει αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίυ τάτε ἄλλα τρυφερῦ, καὶ πηγὰς ἔχοντος, αἱ τρέφυσαι τὸν μικρὸν καλύμενον Ιορδάνην, *Extendit* [Samachonitis lacus] *paludes ſuas vsque regionem Daphnen: quæ tum alias delicioſa eſt, tum fontibus abundat, qui Minorem, quem vocant, Iordanem nutriunt & augent.*

XLIII.

Fuit & *Hamath* in Naphthali, Ebr. חמת, Græce Αμμαθ, Hieronymo *Amath:* quod quia Ioſuæ XIX, 35 cum *Cinereth* oppido coniunctum eſt, a quo alter lacus cognomentum habet; ad auſtrum Galilææ ſuperioris exſtitiſſe probabile admodum videtur. Ipſum autem oppidum *Cinereth,* ſiue *Chenereth,* vt Hieronymus ſcripſit, Græcos imitatus, in Galilæa Inferiore cum ipſo lacu, quem denominat, explicabimus. Præterea in Superiori Galilæa tres vici ſunt, κῶμαι πάνυ πετρώδεις, *vici maxime prærupti,* quorum nomina ſunt *Iamnia, Amerytha, Charabe.* Hos bello Romano ingruente Ioſephus, dux bellicus æque, vt clarus poſtea hiſtoricus, muniuit, quod ipſe in Vita ſua pag. 1013 memorauit: ſed qua ſede ſinguli fuerint, non eſt commemoratum. Idem lib. II de Bello cap. XLII eadem ſua munimenta enarrans nominat τὴν Αχαβάρων πέτραν, καὶ Σεφ, καὶ Ιαμὶθ, καὶ Μηρώ. *Achabarorum Petram, & Seph, & Iamnith, & Mero.* Neque hæc ſunt notiora: & *Iamnith* eadem quæ in Vita *Iamnia* vocabatur: & vox *Mero* conſonat aquis *Merom,* quæ Samachonitis lacus ſunt, vt coniicere poſſis, ibidem forſan ſitam fuiſſe.

XLIV.

GALILAEA INFERIOR Superiori ab auſtro ſubiacet; Samaritanæ regioni a ſeptemtrione: ab ortu lacum Geneſaret habet; ab occaſu montem Carmelum & mare. Continet totam tribum Zabulon: & in Naphthali quoque & Iſachar ex parte ſuos fines profert, in illam, ab aquilone;

in hanc, ab meridie. Communis terminus τῆς Γαλιλαίας ἑκατέρας, *vtriusque Galilææ*, vt Ioſephus lib. II de Bello cap. XLII vocauit, difficulter definitur, quod nusquam determinate legimus deſcriptum. Ioſephus quidem in *Berſabe* quadam conſtituit limitem communem, lib. III de Bello cap. IV, ſed æque incerti ſitus oppido. Talmudiſtæ diſcrimen a ſycaminis petunt, quæ in inferiore naſcantur, non itidem in ſuperiore: quod vniverſale non eſt, nec fundamentum localium differentiarum, quæ aliunde ducendæ ſunt, vel a montano ſitu reſpectu camporum & planitiei, quod Io. Lightfooto in Ioannem Chorographia placet; vel a flumine Iordanis, qua ratione plures prouinciæ ſuperiorem, quæ propior fontibus eſt, & inferiorem diſtinguuntur.

XLV.

Nobilior frequentiorque hæc Inferior eſt quam Superior, ideoque *Galilæa* ſimpliciter vocatur; Superior autem cum additamento τῆς ἄνω plerumque, aut *Gentium*. Sic Ioſephus in Vita ſua pag. 1013 enarrat, quos vicos ipſe muniuerit κατὰ τὴν ἄνω Γαλιλαίαν *in Superiore Galilæa:* ſubdit autem, ὠχύρωσα δὲ καὶ τὰς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ πόλεις μὲν - - - κώμας δὲ, - - *muniui vero etiam in Galilæa vrbes, vicos,* cetera, nominatim *Tarichæas, Tiberiadem, Sephorim, Iotapata, Itabyrium,* alia, quæ omnia in inferiore ſunt Galilæa, quam ſimpliciter *Galilæam* dixerat. Non ergo cum doctiſſimo viro Io. Lightfooto conſentimus, qui dicto loco, *Fallor,* inquit, *aut* SVPERIOR *emphatice aliquando vocatur Galilæa, nec immerito, quum Inferior vocari poſſet* Μέγα πεδίον, *Campus magnus.* Prouocat ad Ioann. IV, 43, 44, vbi Salvator ex Samaria *in Galilæam* dicitur profectus, adiecta ratione, quod in patria propheta non habeat honorem. Iam vero patriam ſeu educationis locum eſſe in inferiore; ergo Galilæam ibi *Superiorem* eſſe intelligendam. At vero quot loci illius apoſtolici ſunt interpretationes? alia eſt Origenis, alia Auguſtini, iterum alia Cyrilli: vt recentiorum diſſenſiones taceamus. Simpliciſſime patria eſt Nazaret, in auſtrali limite inferioris Galilææ ſita, quam præteriit ob dictam cauſſam Ieſus, & in interiora Inferioris vsque in Cana venit, quæ vltima eſt in Inferioris tractu ſeptemtrionali, iuxta limitem regionis.

XLVI.

Incipimus a *lacu*, quem Iordanes tranſit dirimente hanc Galilæam ab Gaulanitide. Vnde Ioſephus lib. III de Bello cap. IV de Galilææ limite: πρὸς ἕω ἱππηνή τε καὶ Γαδαρὶς ἀποτέμνεται, καὶ ἡ Γαυλανῖτις αὕτη, *ab ortu Hippene & Gadarene, & ipſa Gaulanitis definit.* Antiquiſſimum lacus nomen eſt *Mare Cinereth*, quo Moſes vſus eſt & Ioſua, ab oppido ſumtum *Cinereth*, quod Χενερὲθ ſcripſerunt Græci, Hieronymus *Chenereth*, & in munitis oppidis numeratur Ioſuæ XIX, 35, lacui, quem denominat, haud dubie adpoſitum. Qui oram lacus Zebuloni tribuunt, in ſeptemtrionali parte ponunt, quia fuit tribus Naphthaliticæ: quod vero Ioſua cap. XIX, 35 cum *Chammath* coniungit, quod nomen thermas ſonat, videtur non improbabile tribum Naphthali anguſto tractu illam oram vsque ad

exi-

exitum Iordanis, ex lacu tenuiſſe, quod Talmudiſtas etiam ſentire, Lightfootus Chorogr. in Matthæum c. LXXI probauit: vt adeo non penitus contemnenda ſit ſententia Hieronymi, qui Chenereth dixit eſſe Tiberiadem; minus veriſimilis Bonfrerii, qui id oppidum in Capernaum quærit. Chammath autem quocum Ioſua coniunxit, videntur thermæ Tiberienſes eſſe, & de illis etiam in Talmude explicatur cod. Megallah fol. 6 col. 1.

XLVII.

Ab oppido lacus ים כנרת *mare Cinereth*, Græce ἡ θάλασσα Χενερὲθ, Numer. XXXIV, 11, Ioſ. XIII, 27 vocitatur. Idem lacus etiam *Geneſar* ſiue *Geneſareth*, & duplicata littera *Geneſar* adpellatur. 1 Maccab. XI, 67 ἐπὶ ὕδωρ Γεννησὰρ, *ad Aquam Genneſar*. Aquam, id eſt lacum, vt *Aqua Merom*, Samachonitis lacus, ſupra ex Ioſuæ XI, 5 fuit perluſtrata. Lucæ V commate 1 λίμνη Γεννησαρὲτ, *lacus Genneſaret*: Ioſepho autem lib. III de Bello cap. XXXII eſt λίμνη ἡ καλεῖται Γεννησὰρ, *lacus qui Genneſar vocatur*: Straboni lib. XVI pag. 519, & iterum Ioſepho in Vita pag. 1023 ἡ λίμνη Γεννησαρῖτις, *lacus Genneſaritis*: Plinio lib. V cap. XV *lacus quem plures Geneſaram vocant*. Vnde hoc nomen ſit, non omnino eſt manifeſtum. neque enim vrbis eſt vocabulum, quæ adpoſita fuerit, vtpote quæ plane ignoratur. Ebræi a regione deducunt adpellationem, quæ, vt in Aruch dicitur, multos גני סרים *hortos principum* ſiue paradiſos habuerit. Quidam putant ex *Cineret* vocabulum deprauatum eſſe per apocopen ſyllabæ poſtremæ (quæ vero in Nouo Teſtamento repetatur) & facilem mutationem τοῦ כ in ג cognatum. Non improbabilis foret opinio, niſi epentheſis τοῦ Samech duriorem illam redderet. Ideo altera de *regione* ſententia, quæ nomen mari ſeu lacui dederit, plus fidei meretur, quam etiam Ioſephus confirmat lib. III de Bello cap. XXXV ineunte: ἡ λίμνη Γεννησὰρ τῆς προσεχοῦς χώρας καλεῖται, *Lacus ipſe Genneſar a continente terra nominatur*.

2. Sunt & alia cognomenta, a locis adiacentibus deſumta. Nam θάλασσα τῆς Γαλιλαίας, *mare Galilææ*, Matth. IV, 18, cap. XV, 29, Marc. VII, 31 dicitur: & θάλασσα τῆς Τιβεριάδος, *mare Tiberiadis*, Ioann. XXI, 1: & λίμνη τῆς Τιβεριάδος, *lacus Tiberiadis*, apud Ioſephum lib. III de Bello cap. IV; & λίμνη ἡ Τιβεριέων, *lacus Tiberienſium*, lib. IV cap. XXVI: & vtroque nomine coniuncto, θάλασσα τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος, *mare Galilææ Tiberiadis*, Ioann. VI, 1. Et, ſi Plinio credimus iam dicto loco, etiam ab adiacente vrbe Tarichæa cognomen habuit. *A meridie*, inquit, *Tarichææ, quo nomine aliqui & lacum adpellant*.

3. De magnitudine lacus non plane conueniunt Ioſephus atque Plinius, nec vero longe diſſident. Ille lib. III cap. XXXV ςαδίων εὖρος τεσσαράκοντα, καὶ πρὸς τούτοις ἑτέρων ἑκατὸν τὸ μῆκος, *Latitudo eſt quadraginta ſtadiorum, & totidem ac centum longitudo*: hic lib. V cap. XV *Iordanes in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant*, XVI. M. *paſſuum longitudinis*, VI. M. *latitudinis*. Aqua lacus dulcis eſt ac potabilis, vt Ioſephus ibidem obſeruat: etiam is γόνιμος *fecundus ac piſcoſus*, quod addit lib. IV de Bello cap. XXVI. Strabo dicto loco tradit, ferre ἀρωματῖτιν σχοῖνον καὶ κάλαμον·

φέρει δὲ καὶ βάλσαμον, aromaticum iuncum & calamum: ferre etiam balſamum.

4. Lacus hic maiorem partem eſt Inferioris Galilææ; etiam γῆ Γεννησαρὲτ, *Terra Genneſaret*, Matth. XIV, 34, quæ iuxta oram lacus eſt, in inferiore magis, quam ſuperiore Galilæa cenſenda eſt: aut potius, ſecundum auctorem libri Aruch, definitus ac certus locus eſt, מקום קרוב לטבריא ויש בו גנות ופרדסים *locus propinquus Tiberiadi, in quo ſunt horti & paradiſi.* Et ſic Ioſephus etiam lib. III de Bello cap. XXXV παρατείνει τὴν Γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα, θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος. *Prætendit lacum Genneſar eiusdem nominis regiuncula, natura & pulchritudine admirabilis. - - - Fonte Caparnaum rigatur: longitudo* τῆς χωρίου, *regiunculæ* XXX *ſtadiorum: latitudo* XX.

XLVIII.

In euangeliis frequens eſt mentio oppidi Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, *Cana Galilææ*, Ioann. II, 1 & 11 ἐν Κανᾶ, *in Cana*, & cap. IV, 46 εἰς τὴν Κανᾶ, & cap. XXI, 2 ὁ ἀπὸ Κανᾶ, *qui a Cana*, vel *ex Cana*: ſingulis his in locis adiectum eſt regionis nomen τῆς Γαλιλαίας, *Galilææ:* patria Simonis apoſtoli, qui inde ὁ Κανανίτης cognominatur Matth. X, 4; & Nathanaelis, Ioann. XXI, 2, primo Chriſti miraculo illuſtrata. Hieronymus de Locis Ebraïcis *Maiorem Cana*, quæ in tribu Aſer fuit, Sidoni propior. Ioſuæ XIX, 28, a *Minore* tribus Naphthali vel Zabulon, cuius crebra in Nouo Teſtamento eſt mentio, diſtinguit: quamquam ipſe illas confudiſſe videtur, Maiori tribuens quæ ſunt Minoris; niſi potius mutilatus eſt Hieronymi textus, ſaltem turbatus, quem ſic Bonfrerius reſtitutum vult: *Cana vsque ad Sidonem maiorem:* [ſunt Ioſuæ verba cap. XIX, 28] *Fuit autem Cana in tribu Aſer. Eſt quoque & altera minor, ad cuius diſtinctionem maior hæc dicitur;* * *vbi Dominus noſter atque Seruator aquam conuertit in vinum: vnde & Nathaniel.* De Maiore, quam Hieronymus dixit, nihil habemus, præter dictum iam Ioſuæ locum, quo vero nihil de magnitudinis cognomine eſt, vtique autem de *Sidonis magnæ*, ad quam verſus illa Cana ſita erat.

2. Notior *Cana* altera in confinio vtriusque Galilææ, ſuperioris & inferioris, de cuius vero ſitu nunc nobis disquirendum eſt, quem Ioſephus in Vita ſua loco gemino p. 1005 & 1029 demonſtrat. Ibi dicit ſe in Cana fuiſſe, quum nuntius adferretur, Tiberienſes ad defectionem ab Ioanne quodam ſollicitari. δι' ὅλης τῆς νυκτὸς, *per totam* igitur *noctem* cum ducentis militibus iter feciſſe, πρωῒ, *mane* tandem vrbi Tiberiadi adpropinquaſſe. Sic diſtantia inter Cana & Tiberiadem quodammodo cognoſcitur; in quam plagam vero a Tiberiade receſſerit, aliunde repetendum eſt. Altero igitur loco Ioſephus [pag. 1029] non obſcure plagam quoque deſignat. Silan ait, regis Agrippæ præfectum, caſtra quinque ſtadiis ab vrbe Iuliade metatum, ſtationes militum poſuiſſe per vias, alteram, quæ Cana ferat, alteram, quæ Gamalam. Vt igitur Gamala Iuliadi eſt proxima trans Iordanem: ita Cana

* *Maior* & *Minor* ad Sidonem pertinet, non ad Canam, vt Relandus obſeruauit. Ergo Cana altera concidit.

Cana cis flumen in Galilæa Iuliadi vicina erat. Viæ enim a proximis oppidis vel vicis denominantur. Iulias autem ad oſtium Iordanis, quo in lacum ingreditur, ſita erat, antea Betharamphtha dicta. Græca verba ſunt: *βαλλόμενος ςρατόπεδον Ιυλιάδος ἀπέχον ςαδιυς πέντε, Φρυρὰν ἐφίςασι ταῖς ὁδοῖς, τῇ τε εἰς Κανὰ ἀγύσῃ, καὶ τῇ εἰς Γάμαλα τὸ Φρύριον.* Quapropter Cana Galilææ a Tiberiade vnius diei itinere in ſeptemtrionem ſita fuit, ea fere latitudine, quam ipſa Iulias & oſtium Iordanis habent, modica ab Iuliade diſtantia, tanquam primus ab illa locus memorabilior, qui viæ ex Iuliade deducenti nomen daret. Nec vero munitum oppidum fuit, ſed grandis vicus. Ioſephus priore ex Vita loco pag. 1005 *Διέτριβον κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐν κώμῃ τῆς Γαλιλαίας, ἣ προσαγορεύεται Κανὰ, Ipſe eo tempore agebam in vico Galilææ, qui vocatur Cana:* vbi nuntium accepit de ſollicitata Tiberiade, quo vna nocte etiam ſtrenue profectus eſt, vt ſupra enarrauimus. Eſt & alius vicus Cana circa Hierichuntem, de quo Ioſephus lib. I de Bello cap. XIII, de quo infra dicturi ſumus. Noſter autem, quem deſcripſimus, eſt ille, in quo aqua in vinum conuerſa, ſæpe memoratus in ſacris hiſtoriis.

XLIX.

A Cana per oram lacus Genneſaritidis deſcendamus. Prima eſt *Betharamphtha*, * quam Herodes tetrarcha, a ſe ornatam, in honorem Iuliæ, Auguſti filiæ, Tiberii vxoris, *Iuliadem* nominauit. Ioſephus lib. XVIII cap.

* *Betharamphtha* ortum fortaſſe habuit ex vocabulis בית הר אנפתח, id eſt *domus montis oræ*, ſeu limitis duarum regionum. Hanc vrbem ad dextram ripam Iordanis in lacum Genneſareth incurſuri confictam putat Relandus. Quæ controuerſia vt rite diiudicetur, certa ſunt ab incertis ſegreganda. Certum eſt, Ioſephum Bell. II, 9, 1 ita ſcribere, Ηρώδης δὲ ἐν μὲν τῇ Γαλιλαίᾳ Τιβεριάδα, ἐν τῇ Περαίᾳ φερώνυμον Ιυλίας. *Herodes autem in Galilæa Tiberiadem* condidit, *in Peræa vero Iuliæ cognominem.* Deinde item certum eſt, Iuliadem Perææ memorari a Ioſepho Bell. II c. 13 ſ. 2 & IV, 7, 5 & Antiq. XX, 8, 4. Iam exiſtit quæſtio, vtrum Herodes Antipas etiam in Galilæa Iuliadem condiderit? De *Iuliade Galilææ* nihil Ioſephus: de *Perææ* liquido affirmat. At enim, ab Herode Galilææ tetrarcha in Galilæa Iulias muniri & ornari potuit, alibi non potuit. Sed affirmat id tamen Ioſephus, cuius auctoritas non eſt facile defugienda. Et Perææ idem Herodes præfuit, quod Ioſephus Antiq. XVIII, 7, 1 clare teſtatur. Quocirca in illa item terra ſua vrbem condere potuit. At Ptolemæus Iuliadem in Galilæa poſuit. Sed idem eodem libro V c. 16 *Sebaſten* Iudææ tribuit & trans Iordanem *Liriadem*, *Callirrhoën*, *Gazorum.* In quibus tamen oppidis ceteri Geographi & hiſtorici ſacri eum deſerunt. Quare ſi is erraſſe videri non debeat: at ſaltem ſingularia quædam tempora ſpectaſſe & poteſtatem nominis *Iudææ* laxaſſe dici debet. Idem ergo tum in nomen Galilææ dicere licebit. At enim Ioſephus Bello Iudaic. III c. 10 ſ. 7 extr. de Iordane ita, *διαμείψας δὲ*, inquit, ἑτέρυς ἑκατὸν εἴκοσι ςαδίυς μετὰ πόλιν Ιυλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρύμενος ἐρημίαν εἰς τὴν Ασφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην. *Altera item CXX ſtadia emenſus poſt vrbem Iuliadem lacum Tiberiadis medium execat, deinde magno interuallo deſerto peruagatus in Aſphaltitem lacum influit.* Quæ verba Relandus ipſe ita intellexiſſe videtur, *Iordanem emenſum CXX ſtadia a lacu Samochonite hanc vrbem* (Iuliadem) *tranſire & in lacum Tiberiadis effundi.* Quæ interpretatio ſi vera eſt & conſentanea: ſequitur, vt Iuliadem ad ſupremam lacus partem iacuiſſe dicamus, non ad inferiorem Gaulanitidis, quod ipſum tamen Ioſephus affirmat. Ergo adiuvatur is qui impugnatur. Sed *lacum diſcindere* dicitur non id quod eum auget & implet: ſed quod exonerat aquis nimiis. Atqui poſt vrbem Iuliadem Iordanes dirumpit lacum & confeſtim per loca deſerta in Aſphaltitem decurrit. Non igitur ne hic quidem Ioſephi locus fauet vrbi ad ſuperiorem lacus partem adiacenti. Ergo ſatius fortaſſe fuerit, de *Betharamphtha Iuliade Galilææ* ne cogitare quidem.

cap. III Βηθαραμφθᾶ δὲ, πόλις ἦν καὶ αὕτη, τείχει περιλαβὼν Ιȣλιάδα ἀπὸ τȣ̃ ἀυτοκράτορος ἀγορεύει τῆς γυναικὸς, *Betharamphtha* (*& ipſa erat oppidum*) *muro cingens, Iuliadem ab imperatoris vxorę adpellauit.* Iordani fuit adpoſita, vbi is in lacum Geneſaret inlabitur. Idem lib. III de Bello Iud. cap. XXXV Ιορδάνης μετὰ πόλιν Ιȣλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννήσαρ μέσην, *Iordanes poſt vrbem Iuliadem perſcindit lacum Genneſar medium.* Et in Vita Ioſephi pag. 1029, quod vno ſtadio ab Iuliade vallum afuit, erat πλησίον, *propinquum* Iordani. Tabulæ in Peræa ponunt, longe ab Iordane: Lightfoot in ſiniſtra Iordanis ripa, atque ita etiam in Peræa: ego in dextram ripam Iordanis, inituri lacum, reduco, quia ab Herode, Galilææ tetrarcha, non a Philippo illius Perææ, fuit munimentis & nomine nouo ornata. Ioſephus enim lib. XVIII cap. III Herodem dicit hanc Iuliadem cum Zippore ſiue Sepphori, quæ Galilææ erat, condidiſſe, vel exornaſſe: fratrem Philippum autem, præter Cæſaream, Iuliadem alteram, Bethſaida antea appellatam. Accedit, quod Ptolemæus lib. v cap. XVI in Galilæa *Iuliadem* recenſet, quam ſic oportet cis Iordanem fluuium fuiſſe.

L.

Alterum oppidum videtur *Chorazin* ſiue *Chorazim* fuiſſe, quod in illa vrbium exſecratione, *Væ tibi Chorazim,* Matth. XI, 21 & Luc. X, 13 tantummodo mentionem habet. Græce ſcribitur varie, χωραζὶν, vt plurimum; etiam χοραζὶν, χοραζαὶν, ac χωραζὶμ. Mirum, locum tam celebrem præſentia Chriſti frequenti, nusquam alibi in hiſtoria euangelica memorari, neque in hiſtoriis aut chorographiis aliis. Quo fit, vt ſedes huius oppidi deſignari certa nequeat. Hieronymus in Locis Ebraicis: *Chorozain oppidum Galilææ, quod Chriſtus propter incredulitatem miſerabiliter deplorat & plangit. Eſt autem nunc deſertum in ſecundo lapide a Capharnaum.* Plures, & in his Adrichomius ac Bonfrerius in Decapolitanis numerant, & trans Iordanem locant: ſed præſtat Hieronymum ſequi, qui in Galilæa ponit, & prope Capernaum ponit, licet ſuſpicione erroris ac prauationis numerus *ſecundi* lapidis haud poſſit liberari. Sunt, qui non oppidum, ſed regionem ſilueſtrem circa Cana interpretentur, quaſi חורשין ſit populari lingua, a חרש, quod inter alia eſt *ſilueſcere:* in quam opinionem ipſe Lightfootus propendet. Quod vero inter oppidorum nomina, Bethſaidæ & Capernaum, enumeratur *Chorazin,* non dubitamus oppidum fuiſſe: neque litteræ χ & ζ, quæ in Noui Teſtamenti codicibus viſuntur, Ebræis ח & ש reſpondent. * Proinde mihi credibile eſt, ſupra Tarichæam & Capernaum in ſeptemtrionem, Cana verſus, tamen ad lacum Chorazin oppidum fuiſſe poſitum: quo loco etiam in Tabula operum Lightfooti eſt expreſſum.

LI.

Inde ad *Capernaum,* ** etiam ad oram lacus occidentalem ſitum oppi-

* Quare aliqui כרזין ſcribere malunt, quod nomen in Menachoth reperiri docet Relandus.

** Quaſi dicas כפר נחום *vicus conſolationis* an *pœnitentiæ?* Vel eſt compoſitum ex כצר נעם, vt ſit *vicus iucundus. Vici* autem nomen non impedit, quo minus vrbem fuiſſe putemus. Nam vetera nomina manent, vicis in vrbes conuerſis. Ita factum eſſe ſæpe, vel Germania noſtra teſtabitur: Relandus autem ex nominibus כפר ביש & כפר שיחלים & כפר דכרין probat.

oppidum, venimus. Hieronymus in Locis: *Capharnaum, iuxta ſtagnum Geneſaret, vsque hodie oppidum in Galilæa gentium ſitum in finibus Zabulon & Nephthalim.* De Galilæa gentium ſupra diximus in Superiori Galilæa, quo rectius fortaſſe, quam ad hunc locum referri debet. De finibus Zabulon & Nephthalim dicemus iam ex euangelio. Fuit Capernaum vrbs παραθαλασσία, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλεὶμ, *maritima*, ſiue ad lacum ſita, *in finibus Zabulon & Nephthalim*, Matth. IV, 13; Bethſaidanæ regioni oppoſita, Ioann. VI, 17, 24. vbi ex eremo Bethſaidana in Capernaum dicuntur nauibus traieciſſe. quod ex Luc. IX, 10 manifeſtum eſt, vbi locus, vnde eſt facta nauigatio, nominatur. In occidentali ergo lacus litore Capernaum fuit ſitum; at quanto a Tiberiade interuallo, non eſt plane certum.

2. Iacobus Bonfrerius ad Hieronymum de Locis Ebraicis Adnotationibus: *Capharnaum loco eſt opportuniſſimo ſita ad initium ſtagni Geneſareth, vbi minor Iordanes in ſtagnum influit.* Sed eodem in loco Iuliadem Betharamphtham ſitam fuiſſe, ſupra demonſtrauimus. Contra Io. Lightfoot tam propinquam facit Tiberiadi, vt vix XV ſtadiis abeſſe ab illa potuerit. Nam Chorographiæ in Matthæum cap. LXXX ait: *Nos Capernaum inter Tiberiada & Tarichæas ſitam ſupponimus.* At Tarichææ a Tiberiade, vt Ioſephus in Vita ſua pag. 1010 notauit, ϛάδια τριάκοντα, *triginta ſtadiis* diſtat. Sed ſupra Tarichæas in ſeptemtrionem verſus fuiſſe ſitam, nobis inde eſt probabilius, quia fuit ἐν ὁρίοις in finibus Zabulon & Naphthali, vt ex Matth. IV, 13 cognouimus. Naphthali vero ad Tiberiadem vsque pertinuiſſe minime probari poteſt. Deinde, ſi κώμη Κεφαρνώμη, *vicus Kepharnome,* quem Ioſephus in Vita pag. 1029 vocat, eſt noſtra Capernaum, * res erit peracta, quia ille prope Iuliadem Betharamphtham fuit, vt ex loco prœlii, ibidem deſcripti apparet. At propter eamdem Iuliadis vicinitatem non poteſt ipſa Capernaum eſſe, quæ haud dubie prope fontem fuit, qui Καπαρναοὺμ, *Caparnaum,* ab accolis adpellitabatur, idemque τὴν χώραν Γεννησὰρ, *regiunculam Genneſar* rigauit, quod lib. III de Bello c. XXXV idem Ioſephus tradidit. Campus autem Genneſar eſt, vt in Lexico Aruch definitur, מקום קרוב לטבריא *locus propinquus Tiberiadi:* quo argumento potiſſimum Lightfootus fuit inductus, dum Capernaum inter Tarichæas & Tiberiadem locauit mediam. Sed propinquitas ad locum illuſtrem & celebrem relata, non ſemper intra XV aut XXX etiam ſtadia conſiſtit, ſed ſæpe excedit in longius, vt Alexandri pugna aduerſus Darium poſtrema cognominatur ab Arbelis, non a Gaugamelis propinquioribus, quod illa his erant celebriora.

3. Magna fuit huius vrbis prærogatiua, quod Chriſtum Seruatorem habuit incolam, & ipſius fuit ἰδία πόλις, *propria ciuitas*, Matth. IX, 1, quam ipſam eſſe Capernaum, Marcus in eadem teſtatur hiſtoria cap. II ineunte: in

* Sed non eſt. nam Capernaum vrbs & ea celebris fuit. Reland. *Niſi forte caſu quodam vrbs adflicta ſit grauiſſimo, at ab hiſtoricis non memorato, vt vici iamtum nomen ſuſtineret. Vaticinia quidem Chriſti mox euentum habuere, vt Hieroſolymæ caſus docet.*

in quam ſæpius diuertit, vt ex Euangeliis conſtat, poſtquam ex Nazareth patria ſua eiectus erat; & ibi κατῴκησεν, *habitauit* Matth. IV, 13. etiam tributum templo inferendum ibi pependit, c. XVI, 24. Icciroo *in cælum exaltata* fuit, ex quo faſtigio felicitatis propter impietatem cecidit, Matth. XI, 23.

LII.

Capernaum oppidum ad *fontem Capernaum*, oppido haud dubie vicinum, a quo nomen habet, & inde per omnem *campum Genneſaret* nos deducit. Euangeliſtæ Matth. XIV, 34, & Marc. VI, 53 τὴν γῆν Γεννησαρὲτ, *terram Genneſareth* adpellant; Ioſephus lib. III de Bello cap. XXXV, χῶραν Γεννησὰρ, *regionem Genneſar*, quam ita deſcribit: παρατείνει τὴν Γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος. οὔτε γὰρ αὐτὴν τὶ φυτὸν ἀρνεῖται διὰ τὴν ποιότητα, καὶ πᾶσαν πεφυτεύκασιν οἱ νενόμενοι. *Ad lacum Genneſar eiusdem nominis terra prætenditur, natura ſimul & pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipſa pro vbertate ſua arbuſtum negat, totamque plantis cultores conſeuerunt.* Et paucis interiectis de varietate fructuum: πρὸς γὰρ τῇ τῶν ἀέρων εὐκρασίᾳ καὶ πηγῇ διάρδεται ποτιμωτάτῃ, Καπαρναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. ταύτην φλέβα τοῦ Νείλου τινὲς ἔδοξαν, ἐπεὶ γεννᾷ τῷ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων λίμνην κορακίνῳ παραπλήσιον. Μῆκος δὲ τοῦ χωρίου κατατείνει παρὰ τὸν αἰγιαλὸν τῆς ὁμωνύμου λίμνης ἐπὶ σταδίους τριάκοντα, καὶ εὖρος εἴκοσι. *Nam præter aeris lenitatem & fonte quoque irrigatur vberrimo, qui Caparnaum ab indigenis adpellatur. Eum nonnulli venam eſſe Nili fluminis opinantur, quod ſimiles coracino Alexandrino generat piſces. Longitudo autem regionis ſecundum litora cognominis lacus* XXX *ſtadiis extenditur, latitudo* XX. Hæc de propria Genneſaritide, parua regiuncula, in qua ad oram lacus videtur oppidum Capernaum fuiſſe, quia commune illius & fontis rigantis nomen eſt; nec vero dubitamus, quin regionis adpellatio etiam latius in tractu illo ad occidentale latus illius lacus patuerit.

LIII.

Tarichæa ſiue *Tarichea*, ſiue *Tarichææ*, vrbs propior Tiberiadi, triginta tantum ſtadiis diremta ab illa, vt Ioſephus in Vita pag. 1010 notauit. Is vbique pluraliter ſcripſit Ταριχαῖαι, *Tarichææ*. Strabo lib. XVI pag. 526 Ταραχεῖαι, *Tarachêæ*. Ἐν ταῖς καλουμέναις Ταραχείαις ἡ λίμνη μὲν ταραχείας ἀρίστας παρέχει, *Apud Taracheas, vt adpellantur, lacus eſt, qui optima ſalſamenta præbet.* Stephanus ſcripſit Ταριχέαι, ſine diphthongo, pluratiuo autem numero, ſed de Aegyptiis interpretatur: de noſtra autem vrbe ſubdit: ἔστι καὶ Ταριχέα καὶ ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς λεγομένη, πόλις τῆς Ἰουδαίας, *Eſt & Tarichea tam ſingulari quam plurali dicta numero, vrbs Iudææ*, laxe dictæ, id eſt Palæſtinæ. Plinius lib. V cap. XV *Tarichea:* Suetonius Tito cap. IV ed. Græuii & Bœcleri, *Tarichæa:* at Beroaldi & Gronouii, *Tarichea.*

2. Situm & munitionem Ioſephus lib. III de Bello cap. XXXII, * qui ipſe καρτερῶς, *valide* eamdem muniuerat, deſcripſit: συνέῤῥει εἰς τὰς Ταριχαίας πᾶν τὸ νεωτερίζον, τῇτε τῆς πόλεως ὀχυρότητι, καὶ τῇ λίμνῃ πεποιθότες, ἣ καλεῖ-

* Fortaſſe XVII, aut ex edit. Hauerc. c. X ſ. 1.

καλεῖται Γεννησὰρ πρὸς τῶν ἐπιχωρίων. ἡ μὲν γὰρ πόλις ὥσπερ ἡ Τιβεριὰς ὑπόρειος οὖσα. καθὰ μὴ τῇ λίμνῃ προσεκλύζετο, πάντοθεν ὑπὸ τοῦ Ἰωσήπου τετείχιστο καρτερῶς. *Confluxerat Taricheas omnis rerum nouarum cupiens multitudo, munitione confiſa ciuitatis, & lacu, qui Gennesar ab indigenis adpellatur. Etenim vrbs ita, vt Tiberias, ſub monte poſita, & qua parte lacu non adluitur,* * *Ioſephus muro valido communierat.* Tantæ autem munitiones huius vrbis erant, vt Veſpaſianus τοῦ πολέμου τριβὴν, *oppugnationis moram* ſuſpicatus, inter ipſam & Tiberiadem caſtra, quæ poſuerat, fecerit παρεμβολὴν ὀχυρωτέραν, *munimentis firmiſſima.* Et Suetonius Tito cap. IV *Ex quæſturæ honore legioni præpoſitus Tarichæam & Gamalam, vrbes Iudææ validiſſimas in poteſtatem redegit.*

3. Amplitudo ex multitudine captiuorum cognoſci poteſt, quia mille ducentos victor Veſpaſianus interfecit: ſex millia iuuenum miſit in Achaiam perfodiendo Iſthmo, vt Nero inſtituerat: triginta millia & quadringentos vendidit ſub corona, præter alios quos donauit regi Agrippæ. Ioſephus auctor eſt lib. III extremo de Bello Iudaico. **

4. Incolæ dicti Ταριχαιᾶται, *Tarichæatæ* lib. II de Bello cap. XLIII. *** Situm Plinius turbauit: niſi a librariis corruptus eſt. Lib. V cap. XV *lacum Geneſaram* dixit *amœnis circumſæptum oppidis: ab oriente, Iuliade & Hippo: a meridie, Tarichea, quo nomine aliqui & lacum adpellant: ab occidente, Tiberiade, aquis calidis ſalubri.* Inuerte: ab occidente *Tarichea; a meridie, Tiberiade.* Nam Tiberias ab Hippo, quæ trans Iordanem erat lacu egreſſum, XXX ſtadiis tantummodo reducta fuit, vt Ioſephus in Vita p. 1025 tradidit.

5. Nomen Græcum, *Tarichæa*, a piſcium ſalſamentis, quorum ibi propter lacum fuit copia, ſumtum eſt: quodnam fuerit Ebræum nomen, ſeu Galilææ dialecti, ignoramus.

LIV.

Tiberias vrbs vltima eſt ad oram lacus in auſtrali parte ſita, † opus Herodis tetrarchæ. Ioſephus lib. XVIII cap. III Ἡρώδης ὁ τετράρχης. ἐπὶ μέγα γὰρ ἦν τῷ Τιβερίῳ φιλίας προελθὼν, οἰκοδομεῖται πόλιν ἐπώνυμον αὐτῷ Τιβεριάδα, τοῖς κρατίστοις ἐπικτίσας τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ λίμνῃ τῇ Γεννησαρίτιδι. *Herodes tetrarcha in amicitiam Tiberii receptus, condidit vrbem, quam de ipſius nomine Tiberiadem nominauit, optimæ parti Galilææ imponens ad lacum Genneſaritidem.* Idem in Vita ſua p. 1025 Iuſtum Tiberienſem, æmulum & hiſtoricum, adloquens, ἡ δὲ σὴ πατρὶς, ὦ Ἰοῦστε, κειμένη ἐν τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ, καὶ ἀπέχουσα Ἵππου μὲν στάδια τριάκοντα, Γαδάρων δὲ ἑξήκοντα, Σκυθοπόλεως δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατόν, *Tua vero, Iuſte, patria ſita ad lacum Genneſaritidem,* &

* Nam partem lacu adlui, conſtat etiam e Ioſepho de Bell. II c. 21 ſ. 8 ed. Hauerc.

** Ipſa Tarichæatarum multitudo per ſe XL millium dicitur a Ioſepho de Bell. II, 21, 4, p. 212. Quum Caſſius Tarichæas expugnaſſet, triginta circiter millia captiuorum nactus eſt. Ioſeph. Antiquit. XIV, 7, 3.

*** Et II cap. 21 ſ. 3 & 4.

† Non procul a monte quodam.

& diſtans ab Hippo triginta ſtadiis, ſexaginta a Gadaris, Scythopoli centum & viginti. Ex quibus intelligitur non longe ab Iordane, vbi lacum effluit, diſtare, quia Hippos, vrbs triginta ſtadiis a Tiberiade remota, trans flumen, prope idem tamen, ſita erat. Iterum Ioſephus, lib. XX cap. V extremo, Neronem ait Agrippam [Minorem] donaſſe μοίρᾳ τινὶ τῆς Γαλιλαίας, Τιβεριάδα καὶ Ταραχέας ὑπακούειν αὐτῷ κελεύσαντα, *aliqua parte Galilææ, iuſſiſſeque Tiberiadem & Taricheas ipſi parere.* Euangeliſta Ioannes aliquoties Tiberiadis mentionem habet in lacus deſcriptione, quem denominat, cap. VI, & XXI, 1: & eodem cap. VI, 23 ſine maris mentione, ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος, *nauigia ex Tiberiade aduenerunt.* Plinius, lib. V cap. XV extremo de oppidis lacum Geneſaram, vt vocat, cingentibus: *ab oriente* [circumſæptus] *Iuliade & Hippo: a meridie, Tarichea, quo nomine aliqui & lacum adpellant: ab occidente Tiberiade, aquis calidis ſalubri.* Stephanus quoque de Vrbibus: Τιβεριὰς πόλις τῆς Ἰουδαίας πρὸς τῇ Γεννεσιρίτιδι λίμνῃ. ἐκτίσθη δὲ ὑπὸ Ἡρώδου. ὁ πολίτης Τιβεριεύς. Ἰουλιανὸς δὲ ὁ βασιλεὺς Τιβεριοπολίτας ἐπέγραψε. *Tiberias vrbs eſt Iudææ ad lacum Genneſiritidem: condita ab Herode: ciuis, Tiberienſis: Iulianus imperator autem Tiberiopolitas inſcripſit,* quaſi & *Tiberiopolis* fuerit nominata.

2. Fueritne de nouo condita Tiberias, an reparata ac inſtaurata ex veteri oppido, diſputatur ab eruditis. Hieronymus in Ezechiel. cap. XLVIII, 21 *Tiberias olim adpellabatur Chenereth.* Si a fide digno id accepit, certiores etiam erimus de nomine *maris Cinereth* ſiue *Chenereth*, & de ipſo eius nominis oppido: quod vtrumque in obſcuro latere videbatur. Talmud cod. Megilla fol. 5 col. 2, וקיימא לן רקת זו טבריא *& certum nobis eſt, Rakkath eſſe Tiberiadem.* * Rakkath illa Ioſ. XIX, 35 cum Chammath & Chinereth coniungitur: Chammath autem videntur thermæ Tiberienſes eſſe, vt nomen ſonat; ** quia nobiliores aliæ in illa regione non inueniuntur. Sed potuerunt & Rakkath & Cheneret deleta olim fuiſſe, vt nouam in loco Herodes Antipas vrbem condiderit, quemadmodum Ioſephus lib. XVIII cap. III ita Tiberiadis conditum, & accitos in illam colonos deſcripſit, vt non tam inſtauratam veterem, quam plane nouam vrbem crederes. *** Sunt etiam nummi huius vrbis; vnus ſcriptus TIBERIAC ſub Tiberio ipſo, quum recens ciuitas eſſet: alius ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΕΤ. ΑΠ. *Tiberienſium ſub Claudio,* Traiani præfecto: & iterum alius cum capite Hadriani, ſignatus ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ, *Tiberienſium.* Patinus refert.

LV.

Prope Tiberiadem, quatuor ſtadiorum interuallo, vicus fuit *Bethmaûs* nomine, cuius in Vita Ioſephi pag. 1003 facta eſt mentio. De ſe ſcripſit:

ἄρας

* Hoc impugnat Relandus ea ratione, quod Rakkath, Cinnereth, Chammat Nephthaliticæ vrbes fuerint, & Capernaum Tiberiade ſeptemtrionalior in confiniis Zebulonis & Nephthalim.

** Aquarum Tiberiadis mentio fit multis in locis, præſertim in Miſchnæ libr. Sabbath cap. 22 ſ. 5.

*** Relandus ex eo quoque id probat, quia in ſepulcris effoſſis condita ſit Ioſeph. Antiq. XVIII, 3, & quia priſcum nomen a Ioſepho ſileatur.

ἄρας ἀπὸ τῆς Σεπφωριτῶν πόλεως εἰς κώμην τινὰ Βηθμαοῦς *λεγομένην, ἀπέχουσαν* Τιβεριάδος *στάδια τέσσαρα, παραγίνομαι, Profectus a Sepphoritarum vrbe in vicum quemdam, cui Bethmaûs nomen eſt, diſtantem quatuor ſtadiis a Tiberiade, venio.* Eo ſenatum Tiberienſem & primores populi euocauit, vt de ſumma republica cum iis ageret. Et paucis interiectis: *μετὰ τὴν πρὸς τοὺς πρώτους* Τιβεριέων *ὁμιλίαν εἰς τὴν ἄνω* Γαλιλαίαν *ἀπὸ* Βηθμαῶν *ἀνεχωρήσαμεν. Poſt colloquium cum Tiberienſium primoribus in ſuperiorem Galilæam a Bethmais regreſſi ſumus.* Ex quo verum nomen intelligimus recto caſu fuiſſe Βηθμαοὶ plurale, *Bethmai*, & male priore loco ſcriptum cum circumflexo eſſe, quum quartus caſus ſit Βηθμαοὺς, vt *κώμην* & *λεγομένην*, quibuscum conſtruitur, argumento ſunt: nec in Latina verſione *Bethmauntem* idem caſus recte expreſſus eſt. Lightfootus in Matth. Chorogr. cap. LXXVIII, cui etiam Βηθμαοῦς in recto eſt, putat illum locum eſſe, qui a Talmudicis בית מעין, *Beth-Meon*, adpellatur.

LVI.

Claudit cis Iordanem hoc litus *Ammaûs* ſiue *Emmaûs*, quæ erant *thermæ Tiberienſes.* * Ioſephus lib. IV de Bello cap. II de Veſpaſiano: *ἄρας ἀπὸ τῆς* Αμμαοῦς, *ἔνθα πρὸ τῆς* Τιβεριάδος *ἐστρατοπεδεύκει, (μεθερμηνευομένη δὲ* Αμμαοῦς, *θερμὰ λέγοιτ᾽ ἄν· ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος) ἀφικνεῖται πρὸς* Γάμαλα. *Profectus ex Ammaunte, vbi pro Tiberiade caſtra poſuerat, (Ammaûs autem, ſi nomen interpreteris, aquæ calidæ vocantur: ibi enim fons eſt ſanandis corporum vitiis idoneus) Gamalam peruenit.* Propinquus ergo admodum locus fuit Tiberiadi, ſeu inter eam & Iordanem ita, vt ibi ponte flumen traiiceretur. Ioſephus in Vita p. 1005 propinquitatem illam magis confirmat *τὰ ἐν* Τιβεριάδι *θερμὰ ὕδατα, aquas calidas in Tiberiade,* hoc eſt in Tiberienſi agro. Ideoque & Plinius lib. V cap. XV extremo dixit, *Tiberias, aquis calidis ſalubris.* Talmudiſtæ frequenter חמת, *Chammath* ſiue *Hammath* vocant, quod a *calore* nomen eſt: etiam חמי טבריא *Thermas Tiberienſes.* Et nomen *Chammath* & *pontem* Iordanis, quem habuit, cum regia per illum via, Lightfootus in Horis Talmudicis demonſtrauit. Nec aliter poſtremis fuit temporibus. Guilielmus Tyrius lib. XVIII cap. XXI *Rex, quantum poterat, maturans ſubſidium iuxta Tiberiadem ſecus pontem, vnde de lacu Genezar Iordanis fluenta ſe diuidunt, cum exercitu ſuo caſtra locat.*

GALILAEA INFERIOR
MEDITERRANEA.

LVII.

Prima nobis ſit vrbs *Zippóri*, vt Rabbini vocant, ** ſiue Σέπφωρις, *Sepphóris*, valide munita, & aliquando caput Galilææ. Ioſephus lib. III de Bello cap. III Σέπφωρις *μεγίστη οὖσα τῆς* Γαλιλαίας *πόλις, ἐρυμνοτάτῳ ἐπικλισμένη χωρίῳ*

* In hiſce regionibus fuit etiam *Philoteria* oppidum, de quo Polybius hiſt. V cap. 70.
** In Erachin IX, 6 dicitur צפורים.

ρίῳ καὶ Φρȣρὰ ὅλȣ τȣ̃ ἔθνȣς, Sepphoris vrbs Galilææ maxima, & in tutiſſimo loco condita, totius gentis præſidium. Idem lib. II eiuſdem belli c. XXXVII *ἡ καρτερωτάτη τῆς Γαλιλαίας πόλις Σέπφωρις, validiſſima Galilææ ciuitas Sepphoris.* Antiquitatum libro XIV cap. X extremo corrupte videtur τὰ Σάμφωρα τῆς Ιȣδαίας, quum diſtributio conuentuum ibi vrbem Galilææ eamque eximiam poſtulet. Et alibi quoque in Antiquitatum libris, XVII cap. XII, & lib. XVIII, cap. III Σέπφωριν, *Sepphorin* adpellauit. Poſteriore hoc loco initia munimentorum eius deſcribuntur, quod Herodes tetrarcha, Philippi frater, Σέπφωριν τειχίσας, πρόσχημα τȣ̃ Γαλιλαίȣ παντὸς ἦγεν αὐτὴν αὐτοκρατορίδα, *Sepphorin, muro cingens, ornamentum vniuerſæ Galilææ fecit & vrbem principem.* Falſus eſt Ortelius, qui ex hoc loco vult adprobare, Autocratoridem hanc vrbem ab Herode fuiſſe nominatam, quum id non proprium Ioſepho, ſed adpellatiuum ſit vocabulum, Iudæis eſt צפורי, *Zipporis*, vt in Talmud Megill. fol. 6 col. 1 aiunt, quia monti inſidet, כצפור *ſicut auis.* Beniamin Tudelenſis pag. 52 משם שלשה פרסאות לשיפוריה היא צפורי · ומשם ה' פרסאות לטיבריה *Ex eo loco* [Ieſreel] *tres paraſangæ Sipuriam, quæ olim Zippori: & inde quinque paraſangæ Tiberiadem.* Vnde de ſitu iudicari poteſt. * Ptolemæus lib. V cap. XVI in Galilæa primam vrbem ponit, cui in Palatino codice nomen eſt Σάπφȣρα, in Vulgatis corrupte καμφȣρίς, cui ſcripturæ altera vetuſti codicis Sapphura, quæ conuenit cum Ioſephi adpellatione, omnino eſt præferenda. Hæc ciuitas ſola ſe bello vltimo Romanis tradidit, eorumque præſidio defenſa eſt. Vide Ioſeph. III de Bello cap. III. Nummos eius, ſub Domitiano Traianoque percuſſos cum epigraphe ΣΕΠΦΟΡΗΝΩΝ, *Sepphorenorum*, Harduinus laudat.

2. Poſteriori æuo *Sepphoris* dicta eſt Diocæſarea. Sic enim Hieronymus procemio in Ionam: *Geth, in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodie adpellatur Diocæſarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis eſt viculus.* Idem de Locis Ebr. in ARABA: *Eſt & alia villa Araba nomine in finibus Diocæſareæ, quæ olim Saphorine dicebatur.* Hegeſippus lib. I cap. XXX *præueniens aduentus ſui nuntio Sephorim priſco vocitatam nomine, quam Diocæſaream poſtea nuncupauerunt.* Quo nomine & Socrates adpellauit lib. II cap. XXXIII οἱ ἐν Διοκαισαρείᾳ τῆς Παλαιςίνης Ιȣδαῖοι, *Iudæi Diocæſaream Palæſtinæ incolentes.*

LVIII.

Inter Sepphorim ** & Tiberiadem, vt Lightfoot ex libro Iuchaſin demonſtrat, ſitus fuit grandis vicus *Arbela*, de quo Ioſephus in Vita pag. 1022 εἰς Ἄρβηλα κώμην ἀφικόμην, ἔνθα σύνοδον τῶν Γαλιλαίων ποιησάμενος, *in vicum Arbela veni, conuentum ibi Galilæorum habiturus.* Oppidum olim fuiſſe, videtur eodem auctore probari lib. XII Antiquit. cap. XVIII de Demetrio

* Aberat X milliaria a monte Tabor, auctore Euſebio, & XVIII a Tiberiade, Reland. Habuit vnum ex quinque ſynedriis totius terræ Iſraeliticæ. Ioſeph. Antiqu. XIV, 5, 4 extr. E regione montis Aſamonis, qui Galilææ medius eſt, iacuit. Ioſeph. de Bell. II, 18, 11 pag. 202.

** Vicinitatem Arbelæ & Sepphorim docet etiam narratio Ioſephi Antiq. XIV, c. 15 ſ. 4 pag. 730, 731 edit. Hauerc.

metrio dicente, *ἐν Αρβήλοις πόλει τῆς Γαλιλαίας στρατοπεδεύεται, ad Arbela, oppidum Galilææ, caſtra poſuit.* Adrichomius diuerſas facit aut tres in hoc tractu Arbelas: ſed Bonfrerio ſufficit vna, de qua etiam Hieronymus in Locis: *Arbela vicus in campo prægrandi diſtans ab oppido Legionis millibus nouem.* Sunt qui memorari volunt Hoſeæ x, 14, vbi בית ארבאל *domus Arbel* facta eſt mentio. Sed ita variant interpretes, vt vix certi aliquid definiri poſſit. Similius eſt vero, 1 Maccab. IX, 2 hæc *Arbela* memorari, aut regionem circa illa.

LIX.

Hinc ad montem *Thabor* progredimur, ex quo de oppidis Nazareth, Naim, & aliis conſtituendum eſt. Ioſuæ XIX, 22 is terminus tribus Iſſachar a ſeptemtrione ponitur, in limite Zabulonis. Iudic. IV, 6 Barac ibidem exercitum contra Siſeram dicitur collegiſſe, & in ſubiecto Galilææ campo depugnaſſe: & Pſalmo LXXXIX, 13 cum Hermone, monte maximo comparatur. In tribus his locis interpretes Græci Θαβώρ, *Thabor*, vt in Ebræo eſt, ſcripſerunt: at Hoſeæ v, 1 mutarunt nomen in Græcam formam Ιταβύριον, *Itabyrium* ὡς δίκτυον, inquiunt, ἐκτεταμένον ἐπὶ τὸ Ιταβύριον. Hieronymus in hunc locum: *Expanditis rete ſuper montem Thabor, quem Septuaginta* Ιταβύριον *tranſtulerunt, hanc habentes conſuetudinem, vt Ebræa nomina Græco ſermone declinent: ſicut Edom, hoc eſt Eſau; & Seir ſemper Idumæam interpretantur. Eſt autem Thabor mons in Galilæa, ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter.* Ex hac verſione probatur, Thabor montem eſſe, quem Ioſephus *Itabyrium* adpellat. Hunc ita deſcripſit lib. IV de Bello Iud. cap. VI Οὐεσπασιανὸς δὲ πάρεργον ἐποιεῖτο τῆς πολιορκίας τοὺς τὸ Ιταβύριον κατειληφότας ὄρος, ὅ ἐστι τοῦ μεγάλου πεδίου καὶ Σκυθοπόλεως μέσον. οὗ τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἀνίσχει, μόλις πρόσβατον κατὰ τὸ προσάρκτιον κλίμα. πεδίον δέ ἐστιν ἡ κορυφὴ σταδίων ἓξ καὶ εἴκοσι πᾶν τετειχισμένον. *Veſpaſianus autem inter curas obſidionis* [Gamalenſis] *ſubciſiuum opus adgreditur aduerſus eos, qui montem Itaburium occupauerant, inter Campum magnum & Scythopolim medium: cuius altitudo* XXX *ſtadiis adſurgit, ſeptemtrionali latere inacceſſa: in vertice planities* XXVI *ſtadiorum patet, tota muro circumdata.* Muniuerat Romano bello ipſe Ioſephus, aut inſtaurauerat munitiones veteres, vt in Vita ſua p. 1013 prodidit.

2. Et olim ibi munimentum fuiſſe ex Polybii lib. v cap. LXX non obſcurum eſt, qui *Atabyrium* nominat. De Antiocho rege, *ceteris*, inquit, *quæ ceperat, præſidio firmatis*, παρῆν ἐπὶ Αταβύριον, ὃ κεῖται ἐπὶ λόφου μαστοειδοῦς, τὴν δὲ πρόσβασιν ἔχει πλεῖον ἢ πεντεκαίδεκα σταδίων. χρησάμενος δὲ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐνέδρᾳ καὶ στρατηγήματι, κατέσχε τὴν πόλιν, *ad Atabyrium acceſſit. id in colle ſitum eſt leniter ſe attollente, adſcenſum habens plus quam* XV *ſtadiorum. Vſus vero tum inſidiis & ſtrategemate, oppidum occupauit.* Non dubitamus idem *Itabyrium* & *Atabyrium* montis nomen eſſe: nec vero credimus, Ioſephi munitiones & hoc oppidum in eodem vertice fuiſſe, quia ad illas ſtadiis triginta; ad hoc quindecim adſcendebatur. Sunt enim con-

connexi montes, & vnius vertices plures poſſunt eſſe. A Capernaum decem circiter milliaria in occaſum hibernum diſtare hunc montem, Lightfootus in Chorogr. Iohannis cap. II tradidit, quod cum peregrinantium relatione conuenit, licet non idem omnibus mons, vt ex altitudine ab Ioſepho deſcripta adparet, oſtendatur.

3. An idem *Thabor* ſiue *Itabyrius* mons ſit excelſus ille, in quo Chriſtus cæleſtem claritatem adſumſerit, ſeu vt vulgo loquuntur, transfiguratus fuerit, quamquam plurimi adfirment, ſunt tamen etiam eruditi viri, qui negatum eant. Antiqua traditio eſt, hunc ipſum montem Thaborem eſſe, in quo ſanctiſſimi viri Moſes & Elias collocuti cum Seruatore ſunt. Hieronymus epiſt. XVII ad Marcellam Paullæ & Euſtochii nomine: *Pergemus ad Itabyrium, & tabernacula Saluatoris, non vt Petrus quondam voluit, cum Moſe & Helia, ſed cum Patre cernemus & Spiritu Sancto.* Idem Epitaphio Paullæ, ſiue epiſt. XXVII, *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus.* Ita & Cyrillus, Beda, alii: vnde conſtans nata opinio. Nec vero defuerunt qui aliter ſentirent, ſed rationibus deſtituti: quibus armatus non inualidis Io. Lightfootus in Marc. IX vulgarem opinionem adgreditur. *Chriſtus*, inquit, *in hiſtoria proxime antecedente fuit in finibus Cæſareæ Philippi*, Matth. XVI, 13, Marc. VIII, 27. Luc. IX, 18, *nec, quod ex euangeliſtis elici poteſt, locum mutauit ante hanc hiſtoriam. Intercesserunt quidem ſex dies, in quibus, inquies, proficiſci potuit Chriſtus a Cæſarea Philippi ad Thaborem. Potuit quidem, ſed nullam loco mutationem innuunt euangeliſtæ, tantum dicentes, quod tres ex diſcipulis ſuis duxerit in montem. Quum deſcenderet de monte, ſanauit puerum dæmoniacum*, Marc. IX, 9, 17, *in domum ſe recepit*, commate 28, *& inde egredientes tranſierunt per Galilæam*, comm. 30, καὶ ἦλθεν εἰς Καπερναοὺμ, *& venit in Capernaum*, comm. 33, quam in via reliquiſſet, ſi ex Cæſarea illa ad Thaborem montem fuiſſet profecturus. Vnde tandem colligit Lightfootus, *conſonantius videri hiſtoriæ Euangelicæ, Chriſtum transfiguratum fuiſſe in monte aliquo prope Cæſaream Philippi, iſto forſan, qui teſte Ioſepho altiſſimus fontibus Iordanis imminebat, atque ad pedem cuius ſita erat Cæſarea.* Hæc ſpecioſe ita diſſeruntur, neque improbabiliter: nec vero propterea exploſam velim vulgarem opinionem, quam nominati patres vtique ab antiquioribus acceperant.

LX.

A monte Thabor poſitionem oppidi *Nazareth* metiuntur, quia Hieronymus in Locis Ebr. id *iuxta montem Thabor* dicit ſitum eſſe. *Nazareth*, inquit, *vnde & Dominus noſter Saluator Nazaræus vocatus eſt: ſed & nos apud veteres quaſi opprobrio Nazaræi dicebamur, quos nunc Chriſtianos vocant: eſt autem vsque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quinto decimo eius milliario ad orientalem plagam iuxta montem Thabor, nomine Nazara.* Clariora de ſitu in antiquis non habemus: recentiores ab occaſu Thaboris aiunt ſitum, duabus ab eo leucis, vt Adrichomius cenſet; tribus, vt Borcardus. Lightfootus milliariis XVI aut amplius dicit diſtare a Capernaumo: inter

inter montis autem latus orientale & Capernaumum circiter decem metitur milliaria. Oppidum colli impoſitum fuiſſe, ex Luc. IV, 29 liquet: etiam dignitas nota eſt, quod in ea conceptus & educatus ſit mundi Seruator; vnde Hieronymus Epitaphio Paullæ cap. VI dixit *nutriculam Domini.* Neque latet impietas, qua tantum e cælo delatum ciuem eiecerunt, præcipitaturi de rupe, niſi diuina virtute euaſiſſet. Nomen Hieronymus interpretatur dicta epiſtola XVII ad Marcellam. *Ibimus*, inquit, *ad Nazareth, &, iuxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ.*

LXI.

Iuxta Thaborem etiam fuit *Naim* ſiue *Nain*, ſed in auſtrum. Hieronymus de Locis: *Naim oppidum, in quo filium viduæ a mortuis Dominus ſuſcitauit; & vsque hodie in ſecundo milliario Thabor montis oſtenditur contra meridiem iuxta Endor.* Luc. VII, 11 ſcribitur Ναΐν, *Nain*, Syriaca dialecto, quæ Ebraice eſt נעים, *Naim*, vti in Breſchit Rabba ſect. XCVIII ſcriptum in ſorte Iſſachar, ad verba Geneſ. XLIX, 14, vbi ita interpretantur: *Et vidit requiem quod bona;* תנעם זו *Hæc eſt Tinaam: & terram quod pulchra;* נעים זו *Hæc eſt Naim.* Conueniunt cum Hieronymo, qui ab auſtro Thaboris poſuit. Quum vero Thabor ſit terminus Iſſachar ſeptemtrionalis, neceſſe eſt, quæ ad auſtrum monti ſubiacent, incidant in eamdem tribum. Vnde Lightfooto in Lucæ Chorograph. cap. III ſect. III placet, *Engannim* Ioſuæ XXI, 29, & *Naim* noſtram, quia in eadem tribu ſitæ fuerint, & vocabula idem ſignificent, amœniſſima loca, (quod etymon fert τῆς *Naim*, & alterius ſynonymia, quæ *fontem hortorum* ſonet;) eumdem fuiſſe locum. Hieronymus epiſt. XVII *Apparebit oppidum Naim, in cuius porta viduæ filius ſuſcitatus eſt.* Hæc de Naim ſeu Nain Galilææ inferioris, quæ vnius diei itinere, aut intra illud, a Capernaum remota eſt, quia Saluator ἐν τῇ ἑξῆς, *ſequenti die,* poſtquam Capernaumi ſeruum centurionis ſanauerat, ad oppidum Nain venit, quod dicto loco Lucas cap. VII, 11 adnotauit. Erant præterea alia huius nominis; ſed κώμη Ναΐς, *vicus Nais* Ioſephi lib. XX c. V, licet in campo magno ſitus, videtur Samaritarum fuiſſe: Græca enim auctoris ſi non corrupta, turbata tamen ſunt, vt penitus intelligi vix poſſint. Et alius Iudæ vicus apud eumdem lib. IV de Bello Iud. cap. XXX.

LXII.

Endor quæ ſupra prope Naim dicebatur eſſe, Hieronymo auctore, ab eodem ita deſcribitur: *Endor in tribu Manaſſe, vbi pythoniſſa a Saulè rege Iudææ conſulitur. Diximus & ſupra de Endor, quæ eſt iuxta oppidum Naim, in cuius portis Saluator filium viduæ ſuſcitauit. Eſt autem circa Scythopolim.* Et in *Aendor* (quod per diphthongum legunt: Euſebius autem Ἀηδώρ, *Aëdor*) quam in Iezrael ponit, id eſt Valle Iezrael; ſubiecit Hieronymus: *Eſt & hodie grandis vicus Aendor iuxta montem Thabor ad meridiem in quarto milliario:* Vtroque loco videtur Endor ab alio eius nominis diſtingui: ſed priori loco vnum eſt oppidum, quia Euſebius quem expreſſit, tantum habet, ἔστι δὲ πλησίον Ναΐμ, *Eſt vero prope Naim,* videlicet Endor, de qua ante dixerat. De vallenſi Iezrael iam non dicemus ſiue eadem ſit ſiue diuerſa;

ſa; pro illa, quæ pythoniſſam Saulis habuit, ex vtroque loco colligimus, fuiſſe quatuor millibus paſſuum a Thabore in meridiem ſitam, vt tamen ad Scythopolim & Iordanem vergeret. Ex quo conſtat, in ortum ſolis ab oppido Naim declinauiſſe.

LXIII.

Fuit etiam *Sunem* ſiue *Sunam* in hoc tractu oppidum, quia in tribu Iſſachar, Ioſuæ XIX, 18, & prope montes Gelboe Samaritanæ regionis, * 1 Samuel. XXVIII, 4 vbi caſtra Saul Philiſtæis, Sunemi metatis, in monte oppoſuerat: quam hiſtoriam Ioſephus lib. VII Antiq. cap. XV enarrans, non Sunem, ſed *Sonnam* vocat, *ἔγγιςα Σόννης πόλεως ἐν τῷ πεδίῳ κειμένης ἐςρατοπεδευκότας*, *proxime Sonnam oppidum in campo ſitum Philiſtæos caſtra poſuiſſe.* LXX ibi Σωνάμ: at in Ioſua Σϐνήμ. Hinc fuit Abiſag, Dauidis ſenectuti fouendæ lecta, 1 Reg. I, 3: indidem diues illa mulier, cuius ſæpe hoſpes fuit propheta Eliſa, 2 Reg. IV, 8. Eadem & *Sulem* vocitatur, & vtriusque ſitus idem. Hieronymus de Locis: *Sulem in tribu Iſſachar; & usque hodie oſtenditur nomine Sulem in quinto milliario montis contra auſtralem plagam.* Quidam libri & hoc loco *Sunem*, non *Sulem*, præferunt.

LXIV.

Circa hæc Galilææ loca fuit etiam *Iotapata*, ** qua vero poſitione ac diſtantia a ceteris, *⁎* incertum eſt. Oppidum munitiſſimum fuit, † in rupe ſitum, †† valido muro circumdatum, difficili obſidione expugnatum a Veſpaſiano, defendente Ioſepho hiſtorico, tum præſidii præfecto: qui etiam lib. III de Bello a cap. XI ad XXIV hæc omnia cum cura deſcripſit. Cap. XII ineunte ἔςι δὲ, inquit, *Ιωταπάτη πλὴν ὀλίγϰ πᾶσα κρημνὸς, ἐκ μὲν τῶν ἄλλων μερῶν Φάραγξιν ἀπείροις ἀπότομος, - - - ἀπὸ βοῤῥᾶ δὲ προσιτὴ μόνον.* *Tota Iotapata, excepta exigua parte, prærupta eſt, ex aliis quidem partibus vallibus profundis præceps, - - - a ſolo ſeptemtrione adiri poteſt.* Cap. XXIII exeunte tradit de Veſpaſiano, poſtquam cepiſſet vrbem, & quidquid obuium turbæ aut militum fuerat, interfeciſſet, *τὴν πόλιν κατασκάψαι κελεύσας*, *vrbem exſcindi iuſſiſſe.* An reſtituta fuerit, cognitum non habemus: nec Byzantius chorographus aliud, quam Ioſephi ex hoc tertio libro, teſtimonium adfert. Dicit autem *Ιωτάπατα πόλις Συρίας*, *Iotapata vrbs Syriæ*, Syriæ vocabulo laxius accepto, vt Palæſtinam etiam complectatur.

LXV.

Vicina Iotapatæ *Iapha* erat, æque natura & arte munita. Ioſephus dicto

* Gilboe VI milliaria circiter aberat a Scythopoli. Reland.

** Ebraice יודפת ex Erachin citat Relandus. Sed ibi יורפת *Iorpat* exprimi iuſſit Surenhuſius. Et quia additur ישנה, maior exiſtit difficultas.

⁎ A *Gabaris* XL ſtadiis diſtare, certum eſt ex Ioſephi Vita ſ. 46, vt colligit Relandus.

† Ab ipſo Ioſepho etiam muniri cœpit, vt ipſe teſtatur de Bello Iud. II. 20, 6. Antea minus fuit. Muro tamen cincta inde a temporibus Ioſuæ, vt ex Erachin patet, ſi Relandi lectio vera eſt.

†† Cingebatur tamen vndique montibus, vt niſi ab iis, qui valde adpropinquaſſent, cerni non poſſet. Ioſeph. de Bell. III c. 7 ſ. 7 &, quod munitiſſimæ vrbi calamitoſum erat, fonte carebat. Id. III c. 7 ſ. 12. Atque æſtate raro ibi pluit.

dicto lib. III cap. XXI *Veſpaſianus Traianum præfectum decimæ legionis* ἐπί τινα τῶν τῆς Ιωταπάτης ἀςυγειτόνων πόλιν (Ιαφὰ καλεῖται) νεωτερίζουσαν - - - ἐκπέμπει, *contra finitimam quamdam Iotapatæ vrbem, cui nomen eſt Iapha, nouas res adfectantem, emittit.* *Hæc*, addit, φύσει καρτερὰ τυγχάνουσα, καὶ διπλῷ περιβόλῳ τετείχιστο, *ſitu tuta, & duplici muro munita.* Non exiguum oppidum fuiſſe, ex cæſorum captiuorumque numero adparet: illorum enim XV millia erant; horum MMCXXX. Aliquoties hoc capite Ioſephus πόλιν, *vrbem* vocat: at in Vita ſua pag. 1016 κώμην μεγίστην οὖσαν τῶν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, τείχεσιν ἰχυρωτάτην, καὶ πολλῶν οἰκητόρων μεςὴν, *vicum Galilææ maximum & munitiſſimum, & habitatoribus refertum.* Incolæ Ιαφηνοὶ, *Iapheni*, ibidem adpellantur.

LXVI.

Gabara etiam in hoc tractu fuerunt, ſiue in limite auſtrali Galilææ. Ioſephus in Vita pag. 1008 cum præcipuis Galilææ ciuitatibus Tiberiade & Sepphori numerat. Et pag. 1017 φρουρεῖν τὰς ἀπὸ Γαβάρων εἰς τὴν Γαλιλαίαν ἐξόδους, *obſidere*, inquit, *ducentes a Gabaris in Galilæam vias.* Vnde facile eſt perſpicere, non in interiore Galilæa, ſed ad fines in limite fuiſſe: * atque ita ſæpe de Galilæa proprie dicta loquitur. κώμην *vicum* ibidem vocat, non autem exiguum, ſed quem Latinus interpres *oppidum* verterit. nam & pag. 1023 τοὺς πρωτεύοντας Γαβάρων *primates Gabarorum* memorat, quos τοῖς ἐκ τῆς βουλῆς τῶν Τιβεριέων, *ſenatoribus Tiberienſibus* coniungit.

LXVII.

Munitus quoque locus dictus *Giſchala*, de quo multa Ioſephus in Vita, nec tamen ſitum diſtincte deſignat. Pag. 1006 ait ἀπῇρεν ἐκ τῆς Τιβεριάδος εἰς τὰ Γίσχαλα, *profectus a Tiberiade Giſchala:* & p. 1017 χωρὶς Γαβάρων καὶ Γισχάλων, *præter Gabara & Giſchala.* Et lib. II Belli cap. XLIII de Ioanne, Ioſephi inimico, ἀνὴρ ἀπὸ Γισχάλων, *homo Giſchalenſis:* & lib. IV c. VIII femineo genere, μόνη δὲ Γίσχαλα πολίχνη τῆς Γαλιλαίας ἀχείρωτος κατελείπετο, *ſola Giſchala, oppidum Galilææ, reſtabat indomita:* niſi genus a πολίχνη pendet, quod proprio vocabulo eſt adpoſitum.

LXVIII.

Hieronymus in ſitu ſignando Galilææ oppidorum, ſæpe ad *Legionem*, tamquam notiſſimum oppidum, prouocat. v. gr. de Locis Ebraicis in NAZARETH, *Eſt vsque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quintodecimo eius milliario ad orientalem plagam iuxta montem Thabor nomine Nazara.* Et in THAANACH: *in quarto milliario oppidi Legionis hoc nomine vicus oſtenditur.* Prior locus, inter montem Thaborem & mare mediterraneum fuiſſe poſitam oſtendit: poſterior oppidum fuiſſe, non caſtra ſola alicuius legio-

* XL ſtadiis remota erat a Iotapata. Ioſeph. in Vit. ſ. 46. Subuenit Antari idem Ioſephus ſ. 45. nam Ionathas ex Iudæa in Galilæam profectus adiit Iapham primum, deinde Sepphorin, tum Aſochin, denique Gabara.

legionis, licet origo & nomen his debeantur. * Oppidum etiam in ARBELA idem Hieronymus dixit. Ætatem eius, ſub quo Cæſare vel caſtra ibidem poſita, vel ex caſtris factum oppidum, nusquam reperimus.

LXIX.

Thaanach iam patuit ex ſecundo Hieronymi loco. In Manaſſe erat cis Iordanem, Ioſuæ XVII, 11, Leuiticis vrbibus adſcripta, cap. XXI, 25, ex qua vero Chananæi expelli nequierunt, Iud. 1, 27. Et quia quarto milliario a Legione diſtabat, ab auſtro Galilææ inferioris, & ab occaſu oppidorum, quæ circa Thaborem erat, non dubium eſt fuiſſe. Hic Siſſera victus a Barack, Iud. V, 19.

LXX.

Vicinum oppido Thaanach fuit *Megiddo* ſiue *Mageddo* oppidum aliud, ſitum *ad aquas*, vt ex eodem loco Iudic. V, 19 liquet, quas Bonfrerius amnem *Kiſon* interpretatur, quia prœlium Siſſeræ ad flumen illud commiſſum fuit, vt commate 21 traditum eſt. Græci Μαγεδδὼ ſcripſerunt, ** etiam Ioſuæ XVII, 11, vbi in iis oppidis recenſetur, quæ tribus Menaſſitidis ſita ſint in Iſſacharitide vel Aſſer. Nobilis locus fato regum, qui ibi perierunt, Ahaſiæ, 2 Reg. IX, 27, Ioſiæ, cap. XXIII, 29: iuxta quem fuit patentior campus, prœliorum capax, 2 Paralip. XXX, 22. Ex his ſitus ſeptemtrionalis intelligitur, ſecus ac in tabulis vulgatis eſt, quæ nimis in auſtrum reductam habent.

LXXI.

Hepher, *Epher* ſiue *Opher* locus in Zabulon, Ioſuæ XIX, 13, cuius regem Ioſua occidit, cap. XII, 17. Eſto vrbem fuiſſe, regio tamen etiam circumiecta nomen *Hepher* habuit, vt Hieronymus cenſet prooemio in Ionam. Oppidum illius regiunculæ fuit *Gath* ſiue *Geth*, vnde Ionæ prophetæ patria גַּת הַחֵפֶר *Gath Hepher*, ſiue Gath quæ eſt in terra Hepher 2 Reg. XIV, 25. Hieronymus in Ionam prooemio: *Geth in ſecundo Sepphorim milliario, quæ hodie adpellatur Diocæſarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis eſt viculus, vbi & ſepulcrum eius* [Ionæ] *oſtenditur. Quamquam alii iuxta Dioſpolim, id eſt, Lyddam, eum & natum & conditum velint: non intelligentes hoc, quod additur, Opher ad diſtinctionem aliarum Geth vrbium pertinere: quæ iuxta Eleutheropolim, ſiue Dioſpolin, hodie quoque monſtrantur.*

LXXII.

Vt vero tota tribus Zabulon in Galilæa fuit, ita etiam oppidum quoddam *Zabulon* in extremitate eius ad occaſum. Ioſephus eius ſitum delineauit lib. II Belli cap. XXXVII de Ceſtio Syriæ legato, vt Tacitus vocat: ὥρμησεν ἐπὶ πόλιν καρτερὰν τῆς Γαλιλαίας Ζαβουλών, ἣ καλεῖται ἀνδρῶν. διορίζει δὲ ἀπὸ τοῦ ἔθνους τὴν Πτολεμαΐδα, *contendit ad validam Galilææ ciuitatem Zabulonem, quæ Virorum cognomen habet, & a noſtræ gentis finibus Ptolemaidem diſcer-*

* Ab hoc oppido, quod hodieque *Legune* dici putat Relandus, μέγα πεδίον Λεγεῶνος nomen habet. Vide Relandi Palæſt. tom. II p. 873.

** Ioſeph. Antiq. VIII, 6, 1 Μαγεδώ, ſed Antiq. IX, 6, 3 Μαγεδδώ.

diſcernit. Vicinitas Ptolemaidis facit, vt etiam *Chabulonem* ſiue *Chabolonem* dictam fuiſſe credamus, niſi in alterutra voce error eſt. Nam lib. III de Bello cap. IV Ioſephus: * τῆς κάτω καλεμένης Γαλιλαίας ἀπὸ Τιβεριάδος μέχρι Χαβελώνης, ἐν τοῖς παραλίοις, (Πτολεμαΐς γείτων) τὸ μῆκος ἐκτείνεται. ** *Longitudo Galileæ inferioris extenditur a Tiberiade ad Chabulonen* (Latinus interpres, *ad Zabulon* vertit) *quæ in maritimis ſita eſt, vicina Ptolemaidi.* Et in Vita ſua pag. 1015 *** εἰς Χαβελὼ κώμην Πτολεμαΐδος μεθόριον ἦσαν, *in vicum Chabulonem, Ptolemaidi conterminum.* Ibi ex caſtrorum ſitu colligitur, Chabulonem a Ptolemaide LX circiter ſtadia afuiſſe.

LXXIII.

Hinc ad mare in auſtrum verſus ſunt alia oppidulorum nomina, vt Strabo ait lib. XVI pag. 522. *Nomina* dicit, quia de ipſis nihil ſit reliqui, aut partes exiguæ. *Inter Acen*, inquit, *& Stratonis turrim*, hoc eſt inter Ptolemaidem & Cæſaream, *eſt Carmelus mons*, καὶ πολιχνίων ὀνόματα, πλέον δὲ ἐδὲν, Συκαμίνων πόλις, Βεκόλων καὶ Κροκοδείλων πόλις, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, *& oppidulorum nomina; de ipſis nihil integrum ſupereſt: Sycaminorum oppidum, Bubulcorum, & Crocodilorum oppidum, & huiusmodi alia.* Plinius lib. V cap. XIX *Fuit oppidum Crocodilôn, eſt flumen: memoria vrbium Dorôn, Sycaminôn.* Ptolemæo eſt tantum Συκάμινος *Sycaminos* ex prædictis oppidis, quod huius forſan reliquiæ ſolæ ſunt conſeruatæ, ceteris ſolo æquatis & euerſis funditus. Stephanus chorographus, Συκάμινον πόλις Φοινίκων· τὸ ἐθνικὸν Συκαμινίτης, *Sycaminum, oppidum Phœnicum: gentile Sycaminites.* † Et Ptolemæus in Phœnice cenſuit, quam vsque ad Dora in auſtrum deduxit. Situm Ptolemæus ita conſtituit:

Πτολεμαΐς	*Ptolemais*
Συκάμινος	*Sycaminus*
Κάρμηλος ὄρος	*Carmelus mons*
Δῶρα	*Dora.*

Ita ex ſeptemtrione progreſſus eſt Cæſaream. Propiorem autem Sycaminum Cæſareæ fecit, quam Ptolemaidi, inter illas XV ſcrupulorum interuallo poſito; inter has XXV: Antonini autem Itinerario hic ordo & diſtantia itinere a Conſtantinopoli Antiochiam, ſtatuuntur:

Ptolemaide			
Sycaminon	M.	P.	XXIIII
Cæſaream	M.	P.	XX.

Plinius dicto loco, vt ex contextu probabile, procedit ab auſtro in ſeptemtrionem hoc ordine: *Fuit oppidum Crocodilôn: eſt flumen: memoria vrbium, Dorôn, Sycaminôn: promontorium Carmelum, - - riuus Pagida ſiue Belus - - colonia Ptolemais.* Diſſentit ſic a Ptolemæo in Carmeli poſitione, quem ille inter Sycaminum & Dora locauit; hic, quod veroſimilius, inter Ptole-

* Aliis libr. III cap. 2 & Hauercamp. lib. III cap. 3 f. 1.

** Recte vidit Relandus legendum eſſe μέχρι Ζαβελὼν ἧς ἐν τοῖς παραλίοις Πτολεμαΐς γείτων, τ. μ. ἐ. *vsque ad Zabulon, cuius vicina eſt Ptolemais, vrbs maritima.*

*** Vel, vt facilius inuenias, in Hauercampiana §. 43 & 45 extr.

† Hebraice שקמונה dicitur Miſchn. Demai cap. I.

maidem & Sycaminum. Contra, Ioſephus lib. II contra Apionem pag. 1067 τῆς Φοινίκης παρὰ τὸ Καρμήλιον ὄρος Δῶρα πόλις ὀνομάζεται, *iuxta Phœnices montem Carmelum vrbs quædam Dora nominatur.*

2. *Carmeli* ergo montis ſitus inquirendus eſt, quem Ioſephus oſtendit lib. II de Bello cap. XVII, vbi Carmelum a Ptolemaide in auſtrum ςαδίυς ἑκατὸν εἴκοσι, *ſtadia centum viginti* abeſſe dicit. In Galilæa & ipſe cenſendus eſt. Hieronymus in Eſa. x, 18 *Carmelus eſt mons in Galilæa nemoribus conſitus.* * Græce Κάρμηλος eſt Straboni, Ioſepho, Ptolemæo, Heſychio, Stephano, vt denominatiuum ſit, quod modo ex Ioſepho produximus, Καρμήλιον ὄρος. Plinius lib. v cap. XIX *promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum.* Quod vero hic mons nunc Ptolemaidi propior, nunc Doræ dicitur, id argumento eſt, non vnum ac ſimplicem montem ita nominari, ſed plures cohærentes, qui totam fere Iſſacharitidis latitudinem & magnam partem Zabulonis expleat. Nec vero negamus, verticem quemdam excelſiorem, qui ad mare vergit, præcipue ſic adpellatum, & hunc eſſe *promontorium Carmelum* Plinii: etiam ſedem oraculi Carmeli dei, quod Veſpaſianus conſuluiſſe dicitur. Tacitus de illo lib. II Hiſtor. cap. LXXVIII, *Eſt Iudæam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. nec ſimulacrum deo aut templum, (ſic tradidere maiores:) ara tantum & reuerentia. Illic ſacrificanti Veſpaſiano Baſilides ſacerdos, inſpectis idemtidem extis, quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane, quod paras, datur tibi,* cetera. Stephanus Carmelum ὄρος δυσχείμερον, montem tempeſtatibus obnoxium dicit: nec vero ſterilis eſt, ſed Hieronymus in Ierem. IV, 26 *Carmelus mari imminet magno, oleis conſitus & arbuſtis, vineisque condenſus.*

LXXIV.

Oppidum in Carmelo monte, quod Plinius memorauit, eodem auctore *Ecbatana* fuit dictum. Stephanus in hac voce: ἔςι καὶ Συρίας πόλις, *Eſt etiam oppidum Syriæ Ecbatana.* Et in littera A ſcripſit: Αγβάτανα πολίχνιον Συρίας, *Agbatana oppidum Syriæ.* Syriæ, puta *Phœnices*, quæ pars eſt Syriæ: ſicut Heſychius de ipſo monte, in quo oppidum fuit: Κάρμηλος ὄρος ἐν τῇ Φοινίκῃ, *Carmelus, mons in Phœnice:* aut ſi Palæſtinæ adſcribas, ipſa tamen eſt etiam in partibus, in quas Syria diſtribuitur. In hoc oppido Cambyſes rex Perſarum mortuus eſt, cui oraculum *Ecbatana* fatalem locum prædixerat, quem ille de vrbe Mediæ intellexit: τὸ δὲ χρηςήριον τοῖσι ἐν Συρίῃ Ἐκβατάνοισι ἔλεγε ἄρα, *oraculum autem de Ecbatanis Syriæ loquebatur,* vt Herodotus tradidit lib. III cap. LXIV.

LXXV.

Poſt Carmelum in mediterraneis nobiliſſimus mons eſt *Thabor*, de quo diximus. An vero etiam prope illum ſit mons, nomine *Germon*, in diſceptationem venit. Hieronymus quidem epiſt. XVII ad Marcellam, poſtquam de Itabyrio ſeu Thabore egerat, *Adparebit*, inquit, *oppidum Naim,*

ete

* Οἱ ἐν Συρίοις ἔλαφοι γίνονται μὲν ἐν ὄρεσι μεγίστοις, Ἀμάνῳ τε καὶ Λιβάνῳ καὶ Καρμήλῳ κ. τ. λ. Aelian V de Animal. c. 56. Ergo hinc quoque adparet, ſiluas in Carmelo fuiſſe.

in cuius porta viduæ filius ſuſcitatus eſt. Videbitur & Hermon, & torrens Endor, in quo ſuperatus eſt Siſara. Et nobilis peregrinator Theuenotius Part. I pag. 673 de oppido Naim: *elle eſt au pié de la montagne, appellée Hermon, dont il eſt fait mention aux Pſeaumes.* Etiam Tabulæ vulgares montem quemdam *Hermon* vocant, qui a Thabore in auſtrum vergit & ſimul in orientem declinat. Verum, quia antiquiores in hoc tractu nullam mentionem montis Hermon habent; de huius nominis monte, in finibus Galilææ ſiti, merito dubitamus, & facile Lightfooto adſentimur, in Lucam Chorographia credenti, *Hermonem iſtum* ex errore creatum eſſe & male concepto ſenſu pſalmi LXXXIX, 13. Montes ibi *Thabor* & *Hermon* nominantur, nec vero dicitur coniunctos aut vicinos eſſe; ſed conſtat pſalmo veritas, ſi etiam non alius, quam qui circa Iordanis fontes, aut vltra in ortum verſus mons Hermon eſt, & hoc loco, vt alibi ſemper, intelligatur.

LXXVI.

Flumina Galilææ minus nota ſunt: vnum nobilius *Chiſon* ſiue *Kiſon*, qui a Thabore oriri dicitur, & Naim oppidum adluere, & inter Carmelum ac Ptolemaidem deferri in mare magnum. Memoratur Iudic. IV, 13, & cap. V, 21, vbi Græcis eſt ὁ χειμάῤῥους Κισσῶν, *torrens Kiſſon*, qui קישון *Kiſchon* Ebraice dicitur. Idem *Kedumim* videtur dicto cap. V, 21 adpellari, & *torrens Endor*, vt modo ex Hieronymi epiſt. XVII cognouimus: niſi Kedumim vicinus amnis eſt, confluens cum noſtro Kiſone. Adrichomius diuidit poſt fontes in duos riuos, quorum minor lacum Geneſaret petat, alter, maior Kiſon in mare Phœnicium ſupra montem Carmel feratur. De maiore, vt vocat, res certa eſt, præter id de exitu, quia ab auſtro potius Carmeli (non a ſeptemtrione, vt Tabulæ referunt) effundi in mare non obſcure ex I Reg. XVIII, 40 colligitur: de minore, dum certius probetur, dubitamus.

2. A ſeptemtrione autem Carmeli eſt palus *Cendeuia*, ex qua *Belus* profluit, vt lib. V cap. XIX tradit Plinius.

LXXVII.

Supereſt *Magnus Campus*, Μέγα πεδίον, intra Galilææ fines ſæpe numero memoratus, vt Lightfootus etiam inferiorem Galilæam hoc nomine nonnumquam ſignificari crediderit. Ioſephus lib. IV de Bello cap. IV τὸ Ἰταβύριον ὄρος, ὅ ἐςι τοῦ μεγάλου πεδίου καὶ Σκυθοπόλεως μέσον· *mons Itabyrius, qui eſt medius inter Campum Magnum & Scythopolim.* Quod ſi eſt, vltra Thaborem vel in ortum vel in ſeptemtrionem patere neceſſe eſt. Speciatim pars ad Scythopolim vergens hoc nomine inſignita fuit. Idem Ioſephus lib. XII Antiq. cap. XII διαβάντες τὸν Ἰορδάνην ἧκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βεθσάνη, καλουμένη πρὸς Ἑλλήνων Σκυθόπολις, *venerunt traiecto Iordane* [ex Galaaditide & Peræa] *in Magnum Campum, vbi contra illum Bethſan ſita eſt, quæ Græcis dicta Scythopolis.* Nec vero continetur Galilææ finibus, ſed in Samaritidem etiam excurrit. Etenim terminum, quo finit Galilæa, & Samaritis incipit, in hoc Campo Ioſephus conſtituit.

Lib. III de Bello cap. IV ἡ Σαμαρεῖτις χώρα μέση μὲν τῆς Ιουδαίας ἐςὶ καὶ τῆς Γαλιλαίας. ἀρχομένη γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης Γιναίας ὄνομα κώμης, *Samaritis regio media eſt inter Iudæam & Galilæam. Incipit a vico Ginæa ſito in Magno Campo*, & deſinit in Acrabatenam. Vnde eſt quod pars eius vocatur totius nomine τὸ μέγα πεδίον τῆς Σαμαρείτιδος, *Magnus Campus Samaritidis*, lib. II de Bello cap. XXI ineunte. Hieronymus de Locis Ebraicis in ARBELA dixit *Campum prægrandem:* & in IEZRAEL *Campum maximum.*

LXXVIII.

In hoc campo fuit *Aſochis*, cuius aliquoties Ioſephus in Vita mentionem fecit. Pag. 1014 ἧκον πάντες εἰς τὸ μέγα πεδίον, ἐν ᾧ διέτριβον. Ασωχεῖς ἐςιν ὄνομα τούτῳ. *Omnes in Campum magnum venerunt, vbi tum agebam, Aſocheis nomen ipſi eſt.* Et pag. 1016 εἰς Ασῶχιν καταβάντες, *deſcendentes in Aſochin.* Vt vero inconſtans ſcriptura Ioſephi eſt, ita etiam varia interpretatio, & verſione Latina prioris loci *apud vicum Aſochim* legitur, vbi tamen Græca verba magis regionem videntur deſignare, quæ vel ipſe campus ille eſt, vel pars eiusdem inſignis ac eximia. Fuerunt & alii in hoc ipſo campo, vici, quos Ioſephus, vt in Vita pag. 1013 refert, muniuit, *Berſobe*, * *Selamen, Capharath, Comoſogana, Næpapha,* quos tamquam obſcuros & incerti ſitus præterimus.

LXXIX.

Sunt præterea ficta quædam aut prauato nomine, quæ etiam huic Galilææ tribuuntur. *Bethulia* huius generis eſt, quam Tabulæ & peregrinatores in Galilæa memorant. Quod vero nihil præſidii in antiquitate habent, niſi librum Iudith apocryphum, quem Drama potius, quam veram hiſtoriam continere eruditiores cenſent (nec enim conciliari hiſtoriis poteſt;) nihil inde de Galilææ vrbe Bethulia vel mediocriter veriſimile adferri poteſt.

2. Deinde eſt *Caparcotia*, quam auctor Tabularum ad Ptolemæi Geographiam, a dextra oris Iordanis, influentis in Geneſaritidem lacum poſuit. Sed ita quidem in Tabula ſcribitur, & in quibusdam Latinis verſionibus, non autem in Græco, in quo eſt Καπαρναοὺμ, *Caparnaum*, quod nomen deeſt Tabulæ, eiusque in locum ſubſtitutum hoc prauatum eſt. Nihilominus etiam Carolus a Sancto Paulo in Geographiæ Sacræ provincia Palæſtina Secunda *Caparcotiam* ſedem tertiam epiſcopalem nominauit; ſed quia Capernaum præteriit, illam ſine dubio hoc nomine intellexit. Nec vero Capernaum ſiue Caparcotia in illo loco, quo Ptolemæi tabula habet, ſita fuit, quia Iuliadi Betharampthæ ſupra is locus a nobis fuit vindicatus.

LXXX.

Hæc de Galilæa inferiore, quantum cognitum habemus: cuius partem litoralem ad lacum, quia maxime controuerſa eſt, breuiter ab Iordane ad Iordanem repeto. Vbi is amnis influit in lacum, in Galilææ ripa erat *Iulias Betharamphtha:* deinde per maius ſpatium nihil notum eſt niſi forte *Chorazin,*

* Βηρσαβεὲ Ioſeph. de Bell. II, 20, 6 & III, 3, 1.

razin, quam Hieronymus *in ſecundo lapide a Capernaum* poſuit, ſed legendum in XII lapide; quemadmodum in Græcis Euſebii, quæ vertit Hieronymus, eſt διεςῶσα τῆς Καφαρναοὺμ σημείοις ιβ, *diſtans a Capernaum lapidibus duodecim. Capernaum* deinceps eſt; poſt *Tarichæa:* quam *Tiberias* excipit: cuius *Thermæ* ſiue *Ammaûs* ad Iordanem ſunt ex lacu effluentem. Supra omnia ſunt expoſita latius.

SECTIO V.

SAMARITIS.

LXXXI.

Inter tres illas maiores Cisiordanenſis Palæſtinæ partes ſiue regiones, poſt explicatam Galilæam, ſecunda *Samaritis* eſt ſiue *Samaria* regio. Ioſephus & Samariam & Samaritin adpellat. Lib. I de Bello cap. XII Ἰουδαίαν, καὶ Γαλιλαίαν, καὶ Σαμάρειαν, *Iudæam & Galilæam & Samariam.* Et lib. II cap. IX τῆς Ἀρχελάου ἐθναρχίας Ἰδουμαία τε καὶ Ἰουδαία πᾶσα καὶ Σαμαρεῖτις ἦν, *Archelai ethnarchiæ Idumæa & omnis Iudæa & Samaritis erat.* Et lib. IV cap. XXVI διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, *per Samaritidem.* Latitudinem eius regionis idem lib. III de Bello Iud. c. IV ſic definiuit: ἡ Σαμαρεῖτις χῶρα μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐςὶ καὶ τῆς Γαλιλαίας. ἀρχομένη γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης Γιναίας ὄνομα κώμης, ἐπιλήγει τῆς Ἀκροβατηνῶν τοπαρχίας. *Samaritis regio media eſt inter Iudæam & Galilæam. Incipit enim a vico Campi Magni Ginæa dicto, & deſinit in Acrobatenam toparchiam.* Addit, natura ſoli nihil differre ab Iudæa: vtramque montoſam eſſe & campeſtrem: vtramque molli agro & fertili tam frugum, quam omnis generis arborum.

LXXXII.

Caput regionis eſt *Samaria*, Σαμάρεια, indigenis priſcis שמרון *Schomron*, quæ ſedes fuit Iſraeliticorum regum ab Omri, qui condidit, vsque ad deſolationem & exſilium Aſſyrium. Ante regis Omri tempora fueritne oppidum nec ne, dubitari ſolet. Etenim ante huius hiſtoriam iam 1 Reg. XIII, 32 *Samaria* memoratur, niſi id nomen per πρόληψιν anticipatum eſt. R. Leui tamen Ben Gerſom in 1 Reg. XVI, 24 היה שם עיר שמה שמרון קדם זה אך עתה בנאה עמרי *Fuit ibidem ante hæc vrbs nomine Schomron: verum nunc ædificauit eam Omri*, puta ſplendidius. Probabilius autem eſt, antequam Omri ædificaret, non vrbem, ſed villam tantummodo, aut ſi plus aliquid, oppidulum in monte illo exſtitiſſe: nec hiſtoria ſacra plus tradidit, quam montem emiſſe regem a Semer, in eoque vrbem condidiſſe, quam adpellauerit a prioris poſſeſſoris nomine *Schomron* ſiue *Samariam.* Longo poſt tempore Aſſyrii euerterunt, licet deſit ſacro codici euerſionis hiſtoria: Micheas tamen, diuinus vates, prædixerat cap. 1 commate 6: & Sulpicius Seuerus lib. I cap. XLIX adfirmauit, de Salmanaſſere dicens: *vinculis* [Hoſeam, vltimum regem] *perpetuis in carcerem coniecit, vrbemque excidit, populum vniuerſum in regnum ſuum abduxit.*

2. Surrexit breui poſt, inſtaurata a Cuthæis colonis, qui inde nomen quo-

quoque, tamquam a primaria vrbe adepti ſunt, vt *Samaritani* vulgo adpellarentur; quos *Cuthæos* totius regionis vocant incolas. Lubricum quidem ex nomine argumentum: nec vero hic inualidum, quia hiſtoria eſt confirmatum: Ioſephus enim lib. XIII Antiquitatum cap. XVIII Maccabæorum tempore Σαμάρειαν πόλιν ὀχυρωτάτην, *Samariam vrbem munitiſſimam* dicit fuiſſe, quam Ioannes Hyrcanus, quartus Hasmonæorum, ἐνιαυτῷ πολιορκήσας - - - πᾶσαν αὐτὴν ἠφάνισεν, *anno integro oppugnatam* euertit.

3. Ex quo ſqualore eam Gabinius, Syriæ præfectus, adſeruit, & Ioſephus de illo lib. XIV cap. X καθῃρημένας τῶν πόλεων κτίζειν παρεκελεύετο, καὶ ἀνεκτίσθησαν Σαμάρεια, καὶ Ἄζωτος, καὶ Σκυθόπολις, *dirutas vrbes ædificari iuſſit: quo pacto inſtauratæ ſunt Samaria, Azotus, & Scythopolis.* Et lib. I de Bello Iud. cap. VI συνεπολίσθησαν τούτου κελεύσαντος Σκυθόπολίς τε καὶ Σαμάρεια, *huius iuſſu inſtauratæ ſunt Scythopolis & Samaria.* Tandem ab Herode hæc Gabinii vrbs aucta & ornata amplius, ac Σεβαστὴ, *Sebaſte*, id eſt Auguſta, in Auguſti honorem adpellata. Ioſephus lib. XV c. XI de Herode: τότε τὴν Σαμάρειαν ὡρμημένος τειχίζειν - - - τήν τε προσηγορίαν ὑπήλλαττε, Σεβαστὴν καλῶν, *Tunc Samariam muro cinxit, & nomine eius mutato Sebaſten adpellavit.* Et plenius lib. I de Bello cap. XVI Ἐν μέν γε τῇ Σαμαρείτιδι πόλιν καλλίστῳ περιβόλῳ τειχισάμενος ἐπὶ σταδίους εἴκοσι, καὶ καταγαγὼν ἑξακισχιλίους εἰς αὐτὴν οἰκήτορας, γῆν τε τούτοις προσνείμας λιπαρωτάτην, καὶ ἐν μέσῳ τῷ κτίσματι ναόν τε ἐνιδρυσάμενος τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ περὶ αὐτὸν τέμενος ἀποδείξας τριῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν. *In Samaritica regione vrbem muro pulcherrimo per viginti ſtadia circumdedit, &, deductis eo ſex millibus colonorum, terraque ſecundiſſima his attributa, in medio eius templum Cæſari condidit maximum, & circa illud aream trium & ſemis ſtadiorum, vrbemque Sebaſten nominauit.* Hieronymus de Locis Ebraicis breuius: *Samaria ciuitas regalis in Iſrael, quæ nunc Sebaſte dicitur. Sed & omnis regio, quæ fuit circa eam, a ciuitate quondam nomen acceperat.* Et Epitaphio Paullæ cap. VI *Vidit Sebaſten, id eſt Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata.* Ptolemæus quoque lib. V cap. XVI Σεβαστὴν, *Sebaſten* in Palæſtina memorauit, poſthabito veteri nomine Samariæ. Stephanus autem in hac vrbe bis aberrat: primum dum ſcripſit, Σαμάρεια, πόλις Ἰουδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις, *Samaria vrbs Iudææ, quæ poſtea Neapolis nominata eſt:* non enim Samaria, ſed Sichem nomen Neapolis indepta eſt. Deinde dum in Σεβαστὴ dixit, ἔστι καὶ ἐν τῇ Σαμαρείτιδι πολίχνιον, *Eſt & hoc nomine oppidulum in Samaritide.* Non enim oppidulum fuit Sebaſte, Herodis κτίσμα, ſed vrbs magna, circuitu viginti ſtadiorum, vt ſupra ex Ioſepho probatum fuit. Nummos quoque hæc ciuitas percuſſit, aliquot Commodi ſuperſunt inſcripti ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΥΡ. *Sebaſtenorum Syriæ:* & Iuliæ Domnæ, COL. SEBASTE. nam Seuerus coloniam in hanc Sebaſten deduxit. Vlpianus lege I de Cenſibus: *In Palæſtina duæ fuerunt coloniæ, Cæſarienſis, & Aelia Capitolina, ſed neutra ius Italicum habet. Diuus quoque Seuerus in Seuaſtenam ciuitatem coloniam deduxit.* Harduinus de Palæſtinæ Sebaſta interpretatur, cui connexio fauet, &

ver-

verbum *fuerunt*, id eſt olim deductæ: quibus nouam Seueri videtur adnumerare. Beniaminis Tudelenſis tempore nondum deſierat Sebaſte adpellari. Tradit enim pag. 38 progreſſum ſe fuiſſe לשבשטה היא שמרון *Sebaſten, quæ* [*vetus*] *eſt Samaria.*

LXXXIII.

Antequam conderetur Samaria, regia ſedes fuit *Thirza*, vbi plures reges Iſraelis habitarunt, & ipſe Omri per VI annos. Græci interpretes vocant Θερσὰ, Therſa, Ioſuæ XII, 24, I Reg. XV, 21, XVI, 6, 8, 9 cetera: Ioſephus Θάρση, *Tharſe*, lib. VIII Antiquit. cap. VI de Bahaſa, quem Baſanem vocat, ἐν Θάρσῃ πόλει διατρίβων, *in vrbe Tharſa habitans:* & cap. VII de Zimri ſiue Zamare rege, εἰς Θαρσὴν παραγίνεται τὸ βασίλειον, *in Tharſam regiam* proficiſcitur. Hieronymus de Locis Ebraicis *Therſam* a *Tharſa* diſtinguit: illam dicit Ioſuam cepiſſe; hanc incoluiſſe regem Aſa: ſed vna vrbs eſt, quam Ioſua cepit, & quæ ſedem regibus Iſraelis ante conditam Samariam, non ſoli Baaſæ (ſic enim legendum, non Aſa) præbuit, quia Ebræis vtraque vocitatur *Thirza.* De ſitu dubito certi aliquid definiri poſſe. Nos a ſeptemtrione Samariæ poſuimus, quia ab auſtro Sichem eſt ſiue Neapolis.

LXXXIV.

Hæc autem *Sichem*, ab humero, id eſt leni accliuitate dicta eſt. Interpretes LXX ſcripſerunt Συχὲμ, *Sychem*, Geneſ. XII, 6, XXXVII, 12, Ioſuæ XXIV, 1, 25: ſæpius Σίκιμα, *Sicima*, plurali numero, vt Ioſ. XXIV, 33 & Iud. VIII, 31 ἐν Σικίμοις, Iud. IX, 1 εἰς Σίκιμα, verſ. 7 ἄνδρες Σικίμων, *viri Sicimorum:* qua forma etiam Ioſephus vſus eſt lib. I de Bello cap. II Σίκιμα αἱρεῖ, *Sicima cepit:* & cap. III περὶ Σίκιμα, *circa Sicima.* Deleuit vrbem Abimelech, Iudic. IX, 45; inſtaurauit Ierobeam I Reg. XII, 25: ſub Romanis denuo inſtaurata nomen *Neapolis* accepit, de quo poſtea dicturi ſumus. Ioannis IV, 5 ſcriptum Σιχὰρ, vel, vt in aliis libris eſt, Συχὰρ, *Sichar* vel *Sychar:* quod errorem deſcribentium Hieronymus putauit. Epitaphio enim Paullæ cap. IV *Tranſiuit*, inquit, *Sichem*, *non*, *vt plerique errantes legunt*, *Sichar, quæ nunc Neapolis adpellatur.* Et Quæſtion. in Geneſ. c. XLVIII, 22 *Sicima iuxta Græcam & Latinam conſuetudinem declinata eſt, alioquin Ebraice Sichem dicitur, vt Ioannes quoque euangeliſta teſtatur: licet vitioſe, vt Sichar legatur, error inoleuit.* Sed coniecturis his conſenſio librorum omnium repugnat, etiam Syrus & Arabs, antiquiſſimi interpretes, qui R in fine legunt, non M. Poteſt alia cauſſa mutatæ litteræ ſubeſſe, vt in Nebucadnezar & Nebucadrezar: in Beelzebub & Beelzebul, vt ad aliam notionem adludatur: de quibus Lightfootum in Ioannem conſulas, aut quæ nos in Collectaneis Hiſtoriæ Samaritanæ cap. I. ſect. XV propoſuimus.

2. Situm oppidum ſub monte *Garizim* tanta vicinitate, vt Iothan ex vertice montis adloqui Sichemitas potuerit, Iudic. IX, 7. * Hos montes perpe-

* Adde quod Euſebius ſcribit, Schilo abeſſe a Sichem X milliaribus, (Schilo autem erat inter Be-

perperam Euſebius & Hieronymus de Locis Ebraicis in *Gebal*, prope Hierichuntem ſtatuunt, Samaritas, qui ad Sichem referunt, σφάλλεσθαι, vehementer errare exiſtimantes. Sed ipſimet errant, vti de Garizim modo ex Iudic. IX, 7 demonſtrauimus. Addo teſtimonia luculenta, quibus ad Sichem, non ad Hierichuntem hos montes eſſe comprobatur. Ioſephus lib. IV Antiquit. c. VIII p. 130 Deus aram erigere iuſſit ad ortum ſolis obverſam, *οὐ πόῤῥω τῆς Σικίμων πόλεως μεταξὺ δυεῖν ὀρεῖν, Γαριζέου μὲν τοῦ ἐκ δεξιῶν κειμένου, τοῦ δ᾽ ἐκ λαιῶν Γιβάλου προσαγορευομένου, non procul ab vrbe Sichem inter duos montes, Garizeum a dextris ſitum, & Gebalem a ſiniſtris.* Et Tudelenſis Beniamin pag. 38 *Hinc* [a Sebaſte] *veni Neapolim, quæ Sichem eſt,* והיא יושבת בעמק בין הר גריזים והר עיבל *& hæc in valle iacet inter montem Garizim & montem Ebal.* Et Procopius lib. V de Ædific. cap. VII ἔστι τις πόλις ἐπὶ Παλαιστίνης, Νεάπολις ὄνομα· ἐφ᾽ ἧς δὴ ὄρος ὑψηλὸν ἀνέχει, Γαριζὶν ὄνομα. *Eſt quædam vrbs in Palæſtina, Neapolis dicta, cui mons excelſus, Garizin nomine, imminet.* Montis *Garizim* ſiue *Griſim*, mentione facta, ſacri Samaritanis, non poſſumus præterire templum eius montis, a Sanballete ſatrapa, permiſſu Alexandri M. æquale Hieroſolymitano, pro genero ſuo Manaſſe pontifice, Hieroſolymis propter vxorem alienigenam, Sanballetis filiam, migrare coacto, exſtructum, poſt ducentos circiter annos ab Ioanne Hyrcano, Simonis filio, quarto Haſmonæorum, euerſum. Vide Ioſephi lib. XI cap. VIII, & lib. XIII c. XVII.

3. De monte *Ebal*, cuius hic apud Sichem etiam facta eſt mentio, eiusque a Deo tributa dignitate, exſtat Deuteron. XXVII, 4, 13, & Ioſuæ VIII, 30, 33.

4. Nouum nomen *Neapolis* bello vltimo, quod excidium Hieroſolymorum adferebat, accepit, & quidem auctore Veſpaſiano vel Tito. * Plinius enim, qui ſub Tito periit, lib. V cap. XIII eo nomine adpellauit. *Intus*, inquit, *Samariæ oppida: Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur: Sebaſte in monte.* Ioſephus hoc nomine non niſi ſemel, quod ſciam, vſus eſt lib. IV de Bello cap. XXVI, *διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην, Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, καταβὰς, per Samaritin & præter Neapolim, quæ ita vocatur, Mabartha vero ab indigenis, deſcendit.* Media littera differunt Plinius & Ioſephus: ſed pro illo nummus Marci Antonini eſt, quem Harduinus refert, ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ, id eſt, *Flauia Neapolis Metropolis Morthia.* Nemo facile diuinauerit, quæ vis huius nominis ſit: noſtræ tamen coniecturæ in Collectaneis noſtris Hiſtor.

Samar.

thel & Sichem Iud. XXI, 19) & Sichemum ab Hieroſolyme XL milliaribus receſſiſſe dicit Itinerarium vetus Hieroſolymitanum. Ita ſitus Sichemi illuſtratur magis.

* Euſebius in voce Τερέβινθος & Συχὲμ & Λοῦζα videtur Neapolim a Sichem diſcernere. Quod Relandus ex eo factum eſſe ſuſpicatur, quod *lapſu temporis aliæ partes vrbis Sichem periiſſe potuerunt, ad alias noua acceſſio facta eſt, vt tandem ipſa vrbs Neapolis ab loco antiquo Sichem aliquo interuallo diſtaret.* Niſi fallor, etiam locus Plinii & Ioſephi ſatis indicat, Neapolim a Sichemo diuerſam fuiſſe. Nam *Mabartha* videtur ſignare *aquas putei.* Puteus autem ædificiis occupatus & circumſeptus a Sichemo differre vtique potuit. *Mamortha* vero *aquas vrbis principis, vrbis regnatricis* ſignare videtur, a quo nomine illud *Morthiæ* nihil diſcrepat. Nam *dominam* itidem ſignare videtur.

Samar. cap. I ſect. XVI ſi placet, poſſunt relegi. Cognomen *Flauia* auctorem & tempus inſtaurationis deſignat: quod in Fauſtinæ iunioris quoque nummo ita legitur ΦΛ. ΝΕΑϹ. ΠΟΛ. ϹΥΡ. ΠΑΛΕϹΤΙ. hoc eſt, Φλαυΐας Νέας πόλεως Συρίας Παλαιςίνης, *Flauiæ Neapolis Syriæ Palæſtinæ.* Et quia patria fuit Iuſtini martyris, ineunte Apologia II legitur Ιουςῖνος Πρίσκου τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαουΐας Νέας πόλεως τῆς Συρίας Παλαιςινῆς. Dicitur etiam *Neapolis Samariæ.* Titi nummo ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ϹΑΜΑΡΕΙΑϹ: & ſimili Domitiani: ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛ. ϹΑΜΑΡ. *Flauenſium Neapolitanorum Samariæ* regionis.

5. Præter nomen Neapolis nouum videtur Sichem olim aliud habuiſſe, *Salem* videlicet. Sic enim Geneſ. XXXIII, 18 Iacob dicitur veniſſe *Salem oppidum Sichem,* LXX εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων: *& ad faciem vrbis,* ſeu extra illam & e regione *metatus eſſe.* Et Hieronymus de Locis: *Salem ciuitas Sicimorum, quæ eſt Sichem.* Quod ſi omnino fuit ciuitatis nomen *Salem* iſto loco, non tamen fuit alia ab Sichem, quia poſſeſſio Iacobi fuit πλησίον, *prope* Sichar ſiue Sichem, Ioann. IV, 5, nec alibi, quam ante Sichem, tum tabernaculum fixerat. At nec certum, immo maxime dubium eſt, ibi *Salem* vrbis nomen eſſe, quum & vterque Chaldæus, & Iudæi interpretes omnes illud שלם non pro proprio nomine, ſed adpellatiuo habeant, vt ſententia ſit: Iacob venit *ſaluus & incolumis* ad vrbem Sichem: quod vtique eſt probabilius.

LXXXV.

Hæ regiæ ſedes erant decem tribuum: Sichem Hierobeami: Thirza ſucceſſorum, vsque ad Omri: Samaria ab Omri condita, reliquorum omnium. Addo ſeceſſum regium, vrbem *Ieſrael* ſiue *Iezrael* [יזרעאל] vbi palatium fuit regum Iſraeliticorum, I Reg. XXI, I, ſitam in ſeptemtrione Samaritanæ regionis, montem verſus Carmelum, I Reg. XVIII extremo. Hieronymus de Locis Ebraicis: *Iezrael in tribu Manaſſe, hodieque prægrandis vicus oſtenditur in campo maximo inter Scythopolim & Legionem. Fuit autem terminus Iſſachar.* Ex quo adparet, ad fines, ſeu non procul a limite Galilææ fuiſſe. Idem Hieronymus in Hoſeæ cap. I comma 4. *Diximus Iezraelem, qui nunc iuxta Maximianopolim * eſt, fuiſſe metropolim regni Samariæ: prope quam ſunt campi latiſſimi, & vallis nimiæ vaſtitatis, quæ plus quam decem millium tenditur paſſibus.* Recentiores addunt ad radices montis Gelboe occidentales fuiſſe. Memoratur etiam Ioſuæ XIX, 18 inter vrbes tribus Iſſachar.

LXXXVI.

Vallis Iezrael iam quodammodo Hieronymi in Hoſeam verbis deſcripta fuit. Proprie de illa agitur Iudic. VI, 33, vbi Midianitæ orientales, Iſraelem impugnantes, dicuntur caſtra metati in valle Iezrael. Recentiores ita deſcribunt, vt ab vrbe Ieſrael, vnde nomen habet, in aquilonem

* *Maximianopolis,* quam alii *Maximinianopolin* malunt vocare, olim *Hadadrimmon* dicta fuit & cum Maximianopoli Aegypti vrbe non confundenda eſt. A Cæſarea XVII millia paſſuum afuit, a Iezrael X. *Reland.*

iaceat, ab occaſu in ortum procurrens, per decem millia paſſuum, vt Hieronymus ſcripſit, inter duos montes, quorum alterum, qui ſeptemtrionalis eſt, vulgo Hermonem vocant, vicinum Thabori; alter eſt *Geiboe*. Latitudini Adrichomius tribuit duo milliaria, de quo ſitu etiam Bonfrerius conſentit. Mentio eius vallis fit etiam Ioſuæ XVII, 16.

LXXXVII.

Deſcriptis ſic regiis Samaritanæ ſedibus, in quibus etiam Ieſrael, tamquam ſeceſſus fuit regius; ad latus orientale progredimur, quod Iordanis fluuius terminat, & in eo ſecundum curſum amnis a ſeptemtrione in auſtrum deſcendemus.

LXXXVIII.

Prima poſt Galilææ limitem eſt *Bethſean* ſiue *Bethſan*, dimidiæ Manaſſitidis, Ioſuæ XVII, 11, ex qua Chananæi non potuere expelli, Iudic. I, 27: non procul ab Iordane fuit, dimidia leuca, vt Borcardus tradit, & agri partem habuit in Peræa, ibi ponte iuncta cum Scythopoli, quæ ipſa Bethſean eſt, vt iam demonſtraturi ſumus.

2. Græci interpretes Iudic. I, 27 *Non obtinuit Manaſſe* τὴν Βηθσᾶν, ἥ ἐστι Σκυθῶν πόλις, *Bethſan, quæ eſt Scytharum vrbs.* Et Ioſephus lib. V Antiquit. cap. I πλάτος δὲ Βηθσάνων, ἡ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται, *latitudo autem* [Manaſſitidis] *eſt vsque Bethſan, quæ nunc Scythopolis vocatur.* Et lib. VI extremo de clade Saulis & Ionathanis: τὰ σώματα ἀνεστάυρωσαν πρὸς τὰ τείχη τῆς Βηθσᾶν πόλεως, ἡ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται, *corpora* [illorum Philiſtæi] *ſuſpenderunt prope mœnia Bethſan vrbis, quæ nunc Scythopolis vocatur.* Atque ita etiam nuncupatur 2 Maccab. XII, 29, ὥρμησαν ἐπὶ Σκυθῶν πόλιν, *profecti ſunt contra Scytharum vrbem:* & verſu 30 incolæ dicuntur Σκυθοπολῖται, *Scythopolitæ.*

3. Situs vrbis accurate definitus eſt diſtantia a lacu Geneſareth, & ab Hieroſolymis. Ioſephus in Vita pag. 1025 *Tua*, inquit, *Iuſte, patria* [Tiberias] *in Genneſaritidi lacu ſita*, ἀπέχουσα Σκυθοπόλεως στάδια εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, *abeſt centum & viginti ſtadia a Scythopoli.* Et 2 Maccab. XII, 29, iam citato loco, ὥρμησαν ἐπὶ Σκυθῶν πόλιν, ἀπέχουσαν ἀπὸ Ιεροσολύμων σταδίους ἑξακοσίους, *profecti ſunt aduerſus Scythopolim, diſtantem ab Hieroſolymis ſexcenta ſtadia.*

4. Vnde nomen ſit & Scythæ habitatores, diſquirendum eſt. Nihil autem in hiſtoriis reperitur, quod huc referri poſſit, niſi illud Scytharum in Aſia imperium, quod Herodotus lib. I cap. CV deſcripſit; Medorum temporibus οἱ Σκύθαι τὴν Ἀσίαν πᾶσαν ἐπέσχον, *Scythas*, victis Medis, *omnem Aſiam occupaſſe.* * Inde profectos aduerſus Aegyptum, ἐπεὶ ἐγένοντο ἐν τῇ Παλαι-

* Sed Relando ab illa Scytharum irruptione tanquam ficta nomen Scythopoleos eſſe non videtur. Malit is Scythopolin dictam eſſe quaſi Συκοθόπολιν *a Succoth* tabernaculis Iacobi, loco trans Iordanem ſito. Sed ea deriuatio durior eſt & improbabilis. A Scythis & barbaris nomen ductum fuiſſe ipſa barbaries ciuium & odium religionis Iudaicæ perſuadet. Nam Scythopolitani & Gazæi & Aſcalonitæ alieniſſimi ſemper fuerunt a Iudæis & Chriſtianis ſacris. Ioſeph. II, 18, 1 de Bell. & mox II, 18, 3. Videtur nomen a Macedonum temporibus eſſe. Ioſephus enim Ant. V, 1, 22 & Ant. VI, 14, 8 pag. 359 addit ἡ νῦν καλεῖται. Alibi Ant. XII, 9, 5

Παλαιςίνῃ Συρίῃ, *quum veniſſent in Palæſtinam Syriam*, Pſammetichum, Aegyptiorum regem, obuium habuiſſe, qui muneribus precibusque, ne progrederentur, effecerit. Licet autem poſt viginti octo annos expulſi fuerint ex Media & reliqua cultiori Aſia, vt idem Herodotus cap. CVI prodidit; tamen in Palæſtina, & in vna eius vrbe, videntur remanſiſſe, qui forte debiles ac vulnerati inibi collocati fuerant de exercitu. Plinius fabulam admiſcet lib. V cap. XVIII, Decapolitanam regionem enarrans, quæ plurimam partem trans Iordanem erat; ei cis amnem adnumerat *Scythopolim, antea Nyſam, a Libero patre, ſepulta nutrice ibi, Scythis deductis.* Et hoc nomen conſtanter apud Græcos tenet, vt Ioſephus lib. XII cap. XII tradit, ἧκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βεθσάνη, καλουμένη πρὸς Ἑλλήνων Σκυθόπολις, *venerunt in Campum magnum, vbi e regione ſita eſt vrbs Bethſana, a Græcis dicta Scythopolis.* Sic Straboni eſt lib. XVI pag. 525 ἡ περὶ Γαλιλαίαν Σκυθόπολις, *Scythopolis, quæ circa Galilæam eſt.* Non enim erat in Galilæa, ſed extra illam, in limite tamen. Ioſephus lib. III de Bello cap. IV *Galilæam* διορίζει ἀπὸ μεσημβρίας Σαμαρίς τε καὶ Σκυθόπολις, *a meridie diſterminat Samaritana regio & Scythopolis.* Errat Ptolemæus, qui lib. V cap. XV *Scythopolim* in Cœle Syria ponit, * cui, credo, Decapolitana ſocietas impoſuit, quæ trans Iordanem eſt, excepta ſola Scythopoli, quæ citra flumen eſt, prope tamen illum.

5. Erat autem Decapolitanarum (in quibus & Plinius ſcripſit) omnivm maxima. Ioſephus lib. III de Bello cap. XXXI εἰς Σκυθόπολιν, ἡ δέ ἐςι μεγίςη τῆς Δεκαπόλεως, καὶ γείτων τῆς Τιβεριάδος, *Scythopolin* [duxit] *quæ eſt maxima Decapoleos, & Tiberiadi vicina.* Stephanus etiam vrbem Palæſtinæ dixit, cuius priſcum nomen fuerit Βαισὼν ὑπὸ βαρβάρων, *Bæſon a barbaris*, id eſt Bethſan (quod corrupit nomen) dictum ab Ebræis. Ammianus lib. XIX cap. XXVII *ciuitas in Palæſtina Scythopolis.* Hieronymus de locis: *Bethſan nunc adpellatur Scythopolis, vrbs nobilis Palæſtinæ.* **

LXXXIX.

Proxima fuit *Zartan*, ſiue *Zaretan*, ex miraculo refluentis Iordanis non incognita. Dubius ſitus ex diuerſa interpretatione loci Ioſuæ III, 16 eſt, quem ita Lightfootus vertit Chorographia in Matthæum cap. XCII: *Et conſtiterunt aquæ deſcendentes a deſuper : exſurrexerunt in aceruum vnum, longâ valde diſtantiâ a ciuitate Adam, nempe,* [ad diſtantiam iſtam]

Ant. XIII, 6, 1 a Græcis nomen illud vſurpari dicit. Pene igitur in eam opinionem venio, nomen illud aliquid conuicii & ludibrii habere, quod fortaſſe ſimulacra repudiaſſent ciues, ne a Iudæis iure & recte irriderentur, ſacra autem gentilia retinuiſſent. Tales enim qui erant, *Scythæ* adpellabantur.

* Sed idem facit Ioſephus Antiq. XIII, 13, 2 extr. Igitur de vocabuli *Cœles Syrias* poteſtate cogitandum, quæ nonnusquam tam late patet quam *Syriæ* nomen. Nam Polybius hiſtor. V cap. 80 Raphiam poſt Rhinocoluram ſitam eſſe dicit primam ex iis quæ in Cœle Syria ſint Aegyptum verſus. Plinius difficultatem explicat lib. V c. 12 *Syria Palæſtina vocabatur qua contingit Arabas, & Iudæa & Cœle.*

** Fuerunt Scythopoli etiam Epiſcopi, & literati quoque indidem prodiere. Linificia item Scythopolitana olim celebrata ſunt. Vid. *Reland.*

quæ eſt iuxta Zaretan. * Quod vero non e latere Adam, Perææ vrbe, vt Tabulæ habent, conſtituimus, ſane graues rationes ſunt, prima quia הרחק מאד *longinqua valde* ab Adam, centro ſciſſæ aquæ, dicitur Zaretan eſſe: ** deinde, quia 1 Reg. IV, 12 אצל *apud* Bethſean, quæ Scythopolis eſt, ponitur: tandem 1 Reg. VII, 46 e regione Succoth, qui locus Galaaditidi eſt proximus, collocatur; ergo cis Iordanem Zartan fuit, ſicut trans illum Succoth, quia Salomo vaſa templi ænea fudit בככר הירדן *in circuitu Iordanis*, quaſi in vtraque ripa, Græce ἐν τῷ περιοίκῳ τȣ͂ Ἰορδάνȣ. Et quid dubitamus? non ſolum apud Bethſean, verum etiam *ſub valle Ieſrael*, quæ deſinit apud Scythopolim, dicitur ſita *Zartan* 1 Reg. IV, 12, vt tam propinquitas Galilææ inde certa ſit, contra vulgarem opinionem, qua iuxta oppidum Adam ſtatuitur; quam ſitus cis Iordanem, contra Bonfrerium inde confirmetur. Nec enim nos vlla vrget ratio, vt cum Adrichomio duas huius nominis vrbes *Zartan* ſiue *Sartan* credamus, ſuperiorem & inferiorem, qui etiam vtramque poſuit in Peræa.

XC.

Aenon, Αἰνὼν ſequitur ex Hieronymi diſpoſitione. Vt vero hic locus a ſolo Ioanne cap. III, 23 nominatus eſt, ſic poſitio eius ſola nititur Euſebii & Hieronymi auctoritate, quam etiam, quia certior nusquam adparet, ſequimur in præſenti. Ita vero hic de Locis Ebraicis: *Aenon iuxta Salim, vbi baptizabat Ioannes, ſicut in Euangelio* κατὰ Ἰωάννην [cap. III, 23] *ſcriptum eſt: & oſtenditur vsque nunc locus in octauo lapide Scythopoleos ad meridiem iuxta Salim & Iordanem.* Hæc ratio eſt, quare in tanta diſtantia ponamus a Scythopoli in auſtrum, & cis Iordanem potius, quam trans flumen, quia proximo commate 26, *qui tecum erat*, πέραν τȣ͂ Ἰορδάνȣ, *trans Iordanem*, dicitur, atque ita conſueta formula Peræa illi loco, in quo tum Ioannes erat, opponitur. Syrus diuiſit vocabulum עין יון *In Ion*, ſed contra conſenſionem Græcorum codicum.

XCI.

Eadem ratio eſt loci *Salim*, Σαλεὶμ, quia Aenon fuit ἐγγὺς τȣ͂ Σαλεὶμ, *prope Salim*, Ioann. III, 23. Hieronymus de Locis in *Salem* teſtatur, fuiſſe ſua ætate locum, *Salumias* dictum, octauo milliario a Scythopoli, quæ ipſa diſtantia Aenonis eſt. Idem epiſtola CXXVI ad Euagrium: *Salem non, vt Ioſephus & noſtri omnes arbitrantur, eſt Hieruſalem nomen, ex Græco Ebraicoque compoſitum, quod abſurdum eſſe, peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat; ſed oppidum iuxta Scythopolim, quod vsque hodie adpellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos* [c. XXXIII, 18] - - - - *Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ a cæde hoſtium reuertenti, quos perſecutus eſt vsque Dan, quæ hodie Paneas adpellatur, non de via Hieruſalem, ſed de oppido metropoleos Sichem, in itinere fuerit. de quo in euange-*

* Hæc impugnantur infra §. 327.

** Hoc Ioſua nusquam dicit: tantum dicit, Iordanem ad vrbem *Adam* longe in ſuperiores locos receſſiſſe accumulatum; *Zartanem* autem e regione oppoſitam fuiſſe *Adamo.*

euangelio quoque legimus: Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Ex quibus hoc adſumimus, fuiſſe locum prope Scythopolim, id eſt octauo ab illa milliario, qui poſteriori etiam æuo *Salem* ſiue *Salim* adpellatus fuerit: quamquam quod de ruinis palatii Melchiſedeci dicitur, fabuloſum videatur. De Iacobi patriarchæ Salem ſupra diximus.

XCII.

Nihil in hoc tractu deſcendentibus reliquum eſt, de quo certo conſtet, niſi forſan *Thapuah* ſiue *Taphua*, orientalis limes inter Ephraim & Manaſſe prope Iordanem, vt tamen & oppidum & eiusdem nominis regiuncula in Manaſſe cenſeatur, Ioſuæ XVI, 8, & XVII, 8.

2. *Thenath*, ſiue *Thaanath*. Hieronymus: *Thenath in tribu Ioſeph, hodieque villa eſt Thenath in decimo milliario Neapoleos contra orientem deſcendentibus Iordanem.* Videtur eſſe *Thaanath Silo*, Ioſuæ XVI, 6, vbi dicitur terminus orientalis tribus Ephraim. Quæ Tabulæ in hoc Iordanis tractu alia ponunt, incerta omnia ſunt, vt ſitus definiri non poſſit.

3. Solum *Naaratha*, quæ in tribu Ephraim eſt Hierichuntem verſus, Ioſuæ XVI, 7, Hieronymo in quinto milliario Hierichuntis eſt. *

XCIII.

Ad certiora nos conuertimus, quæ ad mare ſunt & terminum occidentalem. Poſt Ptolemaidem & Carmelum montem, quæ in Galilæa reliquimus, proxima in litore eſt *Dor*, ſiue *Dora* pluraliter. Simpliciter *Dor* nuncupatur Ioſuæ XVII, 11, & Iudic. I, 27 in tribu Manaſſitide cis Iordanem: *Dora*, ** Δῶρα Ptolemæo eſt vltima vrbs Phœnices. Plinius lib. V cap. XIX *Memoria vrbium, Dorôn, Sycaminôn.* Et I Maccab. XV dicitur Δωρᾶ, *Dorâ*; commate 11 ἦλθεν φεύγων εἰς Δωρᾶ, *fuga* [Tryphon] *elapſus eſt Dora:* & comm. 13 παρενέβαλεν Ἀντίοχος ἐπὶ Δωρᾶ, *Antiochus* [Grypus] *obſedit Dora.* Commate 14. obſidio dicitur facta ἀπὸ τῆς γῆς καὶ θαλάσσης, *a terra & mari:* ex quo ſitus maritimus cognoſcitur. Ioſephus τὰ Δῶρα dixit, *Dora* plurali numero. In Vita ſua pag. 1000 τὰ δὲ Δῶρα πόλις ἐςὶ τῆς Φοινίκης, *Dora ſunt vrbs Phœnices.* Et pag. 1067 τῆς μέντοι Φοινίκης παρὰ τὸ Καρμήλιον ὄρος Δῶρα πόλις ὀνομάζεται. *In Phœnice iuxta montem Carmelum Dora ciuitas adpellatur.* Et lib. V Antiquitat. Iudaicar. cap. I τῆς Μανασσήτιδος οἱ ἡμίσεις ἀπὸ μὲν Ἰορδάνȣ μέχρι Δώρων, *Manaſſitidis pars dimidia eſt ab Iordane vsque ad Dora.* Stephanus etiam femineas formas habet huius nominis, Δῶρος, & Δώρα, indeque quartum caſum τὴν Δώραν πόλιν, *Doram vrbem.* Tabula Peutingeriana *Thora* habet VIII millibus a Cæſarea, XX a Ptolemaide. Hieronymus, in *Dornaphet*, vrbem Dor *in nono milliario Cæſareæ Palæſtinæ pergentibus Tyrum*, poſuit: at in *Nephetdor* idem ita ſcripſit: *Dor eſt oppidum iam deſertum in vndecimo milliario Cæſareæ pergentibus*

* Relando videtur hic vicus etiam *Neara* dici & *Noorat* & *Nooran.*

** Add. Spanhemii Orb. Rom. Exercit. II c. 14 pag. 387, 388 ſeq.

bus Ptolemaidem. * Sed hoc loco Euſebius etiam *θ*, *nouem* milliaria habet.

2. Nam aliquoties in ſanctis ſcripturis memoratur *Dor* compoſitum cum nomine *Nephet*, quod præcedit, Ioſuæ XI, 2, & plurali *Naphoth Dor* cap. XII, 23: & I Reg IV, 11 *omne Naphet Dor*. Non conueniunt interpretes in notione vocis נפת *nepheth*. Symmachus, Hieronymo teſtante, *maritimum* expoſuit. Græci noſtri, quos habemus ſub LXX-virali numero & nomine, tamquam proprium nomen reliquerunt ſine conuerſione, cap. XI, 2 Ioſuæ, εἰς Ναφεδδώρ: & cap. XII, 23 βασιλέα τοῦ Ναφὰθ Δώρ: & I Reg. IV, 11 πᾶσα Νεφθαδώρ: de quo loco Euſebius & Hieronymus in Locis Ebraicis: Νεφὰθ πόλις ἄρχοντος Σολομῶν: *Nephat ciuitas vnius principis Salomonis*. Nolim negare fuiſſe illius tractus oppidum *Nephet*, a quo regio denominationem acceperit: in dictis locis vero regionem potius, quam oppidum ſignificari, ex Ioſuæ XVII, 11 videtur euinci poſſe, vbi ſeparatim & interiectis aliis *Dor* memoratur, & deinde שלשת הנפת *tertia pars Nephetæ*, quod de oppido intelligi non poteſt, ſed de tractu potius & regione. Inepte vulgatus Latinus, *tertia pars vrbis Naphet*, de ſuo *vrbis* adiiciens, quod nec Ebræus nec LXX habent, quorum eſt τὸ τρίτον τῆς Ναφεθά: quum in tribuum ſorte definienda non vrbes diſſectæ fuerint, ſed regiones. Rectius idem Vulgatus Ioſuæ XI, 2 *in regionibus Dor*: & cap. XII, 23 *Rex Dor & prouinciæ Dor vnus*.

3. Poſt Dora eſt *Cherſeus* fluuius Ptolemæi, in quo Phœnicen ſuam finit; quæ ſequitur, Cæſaream Palæſtinæ attribuens.

XCIV.

Turris autem *Stratonis* antiquitus nominabatur, quam Herodes ornauit & in Auguſti honorem vocitauit *Cæſaream*. Strabo lib. XVI pag. 522 μετὰ τὴν Ἄκην, Στράτωνος Πύργος πρόσορμον ἔχων, *Poſt Acen* [Ptolemaidem] *eſt Stratonis Turris, ſtationem nauium habens*. Et Ptolemæus initio Palæſtinæ, Καισάρεια Στράτωνος, *Cæſarea Stratonis*. Plinius lib. V cap. XIII contra it a meridie in ſeptemtrionem: *Inde* [ab Ioppe] *Apollonia: Stratonis Turris, eadem Cæſarea, ab Herode rege condita, nunc colonia prima Flauia, a Veſpaſiano imperatore deducta: finis Palæſtinæ centum octoginta nouem millibus paſſuum a confinio Arabiæ: deinde Phœnice*. Conſentiunt igitur Plinius & Ptolemæus in Phœnices & Palæſtinæ finitione. Strabo autem Phœnicen longius in auſtrum deducit, etiam Ioſephus, quibus Cæſarea hæc in Phœnice eſt. Vide illum lib. XVI pag. 520; hunc lib. XV cap. XIII. Nos breviorem Phœnicen fecimus, poſt Tyrum finientes, quia ſacri ſcriptores Palæſtinam dicunt omnem Terram promiſſionis ſiue Iſraelitis deſtinatam. Sed hæc obiter. *Primam* dictam coloniam Cæſaream Plinius aiebat, quia primæ legionis milites accepit.

2. *Cæſa-*

*** In nummis dicitur ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑCΥΛ. ΑΥΤΟ. ΝΑΥΑΡ. Fuit etiam epiſcopatu inſignis. Vide Relandi Palæſtin. pag. 741 tom. II. Etiam *Duram* Polybii hiſt. V cap. 66 pag. 570 eſſe Doram noſtram contendit.

2. *Cæſareæ* nomen cum ornamentis Herodes rex addidit. * Ioſephus lib. I de Bello cap. XVI de Herode: *κατιδὼν κἂν τοῖς παραλίοις πόλιν, ἤδη μὲν κάμνουσαν, Στράτωνος ἐκαλεῖτο Πύργος. διὰ δὲ εὐφυΐαν τοῦ χωρίου δέξασθαι δυναμένην τὸ φιλότιμον αὐτοῦ, πᾶσαν ἀνέκτισε λευκῷ λίθῳ, καὶ λαμπροτάτοις ἐκόσμησε βασιλείοις, ἐν ᾗ μάλιστα τὸ φύσει μεγαλόνουν ἐπεδείξατο. Quum inter maritimas vrbes vidiſſet* [vetuſtate] *laborantem, quæ Stratonis Turris vocabatur, pro loci natura magnificentiæ ſuæ capacem, totam candido lapide reparauit, & ſplendidiſſimis ornauit palatiis, & in ea maxime innatam ſibi animi magnitudinem demonſtrauit.* Et quum illa *παραλία ἀλίμενος, maritima regio importuoſa* eſſet, ipſe naturam vincens, *μείζονα τοῦ Πειραιέως λιμένα κατεσκεύασεν, portum fecit Piræeo maiorem:* & contra oſtium portus in colle, in eoque coloſſum Cæſaris non minorem, quam Iouis apud Olympiam, conſtituit, eamque vrbem *Καισάρειαν ὠνόμασε, Cæſaream nominauit.* Ethnicam ergo ciuitatem potius, quam Iudaicam condidit, adeo, vt ſub bellum vltimum Cæſareenſes Ethnici Iudæos omnes apud ſe in vrbe habitantes interfecerint, quam tragœdiam Ioſephus lib. II de Bello cap. XXXII extremo deſcripſit. Hæc in Palæſtina aut illo ſub Syria tractu, dicitur abſolute *Cæſarea,* etiam in Apoſtolorum actibus; aut *Cæſarea Palæſtinæ;* ** quo diſtinguitur ab altera, quæ ſemper conditoris nomen coniunctum habet, *Cæſarea Philippi,* in Trachonitidis finibus ſita. Noſtra caput Iudææ facta eſt, id eſt Palæſtinæ, Romanæ prouinciæ, cuius præſides ibidem ſedem habuerunt, vti ex Feſti & Felicis hiſtoria inter Apoſtolicos actus conſtat. Tacitus lib. II Hiſtor. cap. LXXIX *Haud dubia deſtinatione diſceſſere, Mucianus Antiochiam, Veſpaſianus Cæſaream: illa Syriæ, hæc Iudææ caput eſt.* Etiam Ammianus primo loco inter vrbes poſuit lib. XIV cap. XXVI. *Vltima,* inquit, *Syriarum eſt Palæſtina - - - ciuitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, ſed ſibi viciſſim velut ad perpendiculum æmulas: Cæſaream, quam ad honorem Octauiani principis exædificauit Herodes; & Eleutheropolim, & Neapolim,* ceteras. In nummis quoque laudata eſt, quos cudit, ſub Hadriano, *⁎* inſcriptum, C. FLAV. CAESAR. item ſub eodem principe, COL. P. FL. AVG. CAESAREA. quæ plenius imperatoris Marci nummo expreſſa ita ſunt: COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAREA. Paullus lege VIII Dig. de Cenſibus: *Diuus Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non adiecto, vt & iuris Italici eſſent; ſed tributum remiſit his capitis. Sed diuus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* Hæc de noſtra Cæſarea inter colonias Syriæ & Phœnices prodidit. † 3. Situs

* Ergo Nouella CIII fortaſſe ita intelligenda, vt, colonia facta Romana per Veſpaſianum, confirmatum iam magis vetus nomen eſſet. Nam coloniæ imperatorum fere nomen eorumdem ferebant teſtandæ memoriæ cauſſa.

** Vel *Cæſarea Palæſtinæ*, vti nominatur in Itinerario Hieroſolymitano. Nam *Palæſtinus* ponitur ſæpe adiectiui more. Vid. Reland.

⁎ Item Caii Cæſaris & Claudii, & Antonini, Veri, Commodi ſunt aliqui Cæſareenſium nummi.

† Amnem ad Cæſaream fuiſſe, Relandus docet. Erat Cæſareæ *turris Druſion*, cuius ſcriptio va-

3. Situs huius Cæſareæ ſatis certus eſt. nam μεταξὺ Δώρων καὶ Ἰόππης, *inter Dora & Ioppen media*; vt Ioſephus lib. I cap. XVI de Bello definit. Atque ſic etiam Ptolemæus, Strabo, Plinius, vt ſupra demonſtrauimus. Antonini itinere a Conſtantinopoli Antiochiam & vltra:

Ptolemaide			
Sycaminon	M.	P.	XXIIII
Cæſaream	M.	P.	XX.

Et Peutingerianæ tabulæ ſegmento VI

Apolloniade XXII *Cæſarea* VIII *Thora* XX *Ptolemaide.*

XCV.

Eſt autem *Apollonia* inter Cæſaream & Ioppen, propior tamen Ioppæ. * Ptolemæus ita collocauit: cuius etiam Plinius lib. V cap. XIII rationem habet. *Ioppe*, inquit, *Phœnicum - - - - Inde Apollonia: Stratonis Turris, eadem Cæſarea.* Ortelius, inciſione deceptus falſa, errauit, in *Cæſarea* ſcribens, Plinium tradere, illam & *Apolloniam* fuiſſe dictam. Altius incidendum inter voces *Stratonis* & *Apollonia*, vt diuerſæ vrbes notentur, ſicut Ptolemæus aliique diſtinxerunt. Stephanus XXV numero Apollonias enarrauit: e quibus *decima* κατὰ Ἰόππην, *iuxta Ioppen.* In Peutingeriana *Apollonias* alia forma & caſu dicitur, vt modo vidimus. Quando id nomen nacta ſit, incertum eſt: nec vero dubium, a Macedonicis vel Syriæ vel Aegypti regibus accepiſſe. hi enim de illa maritima ora inter ſe armis decertauerunt. Diuturnis bellis adflictam cum aliis reparauit Gabinius Syriæ præſes. Ioſephus de Bello lib. I cap. VI ἐπολίσθησαν τούτου κελεύσαντος, Σκυθόπολίς τε καὶ Σαμάρεια καὶ Ανθηδὼν, καὶ Ἀπολλωνία, καὶ Ἰάμνεια καὶ Ῥάφεια. *Ipſius* [Gabinii] *iuſſu vrbes inſtauratæ ſunt Scythopolis, & Samaria, & Anthedon, ac Apollonia, & Iammia, etiam Raphia.*

XCVI.

Deinde *Ioppe* eſt, Ἰόππη Græce, Ebræis יפו *Iapho*, ſita contra extremitatem ſeptemtrionalem tribus Dan, cuius terminus erat מול יפו *e regione Iapho*, quod LXX Græci verterunt πλησίον Ἰόππης, *prope Ioppen.* Hi Ebræum *Iapho* & alibi Ἰόππην *Ioppen* expreſſerunt 2 Paralip. II, 16. Eſræ III, 7. Ionæ I, 3. ex quo ſatis certum eſt, idem oppidum eſſe Iapho & Ioppen. Ptolemæus quadrante gradus ſiue XV minutis ab Apollonia duxit in auſtrum. Strabo lib. XVI pag. 522 ex Cæſarea Apolloniam prætergreſſus, εἶτα Ἰόππη, καθ' ἣν ἡ ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου παραλία σημειωδῶς ἐπὶ τὸν ἄρκτον κάμπτεται, πρότερον ἐπὶ τὴν ἕω τεταμένη, *Poſtea Ioppe eſt, iuxta quam litus Aegyptiacum, ante in ortum ſolis porrectum, notabiliter in ſeptemtrionem flectitur.* ** Quod ſi ita eſt, plures chartæ notabi-

riat, vt ex Hauercampii Ioſepho conſtat. Ea *turris Druſion* fortaſſe eſt in Erubin c. 4 ſ. 1 פלנדרסין *Palandreſin*, vt Relandus hoc nomen ſcribit. Malim ſcribi πόλιν Δρούσιον. Nam accuſatiui regnant in nominibus a Iudæis in linguam ſuam receptis, v. g. אנדרתא· אימרון· אותנטין· אגרונימון. Vide plura in Monum. ingen. tom. IV. Mon. XXXIII pag. 279.

* Πρὸς θαλάσσῃ Ioſeph. Antiq. XIII, 23, 4 pag. 674.

** Refutat hoc Relandus libro II pag. 435.

tabiliter aberrant, flexum illum non ad Ioppen, ſed ad Rapheam aut vltra illam, ſaltem ad Gazam habentes vrbem. Addit, locum ἐν ὕψει ἱκανῶς, *editum ſatis* eſſe, adeo, ὥς τ᾽ ἀφορᾶσθαί φασιν ἀπ᾽ αὐτοῦ τὰ Ἱεροσόλυμα τὴν τῶν Ἰουδαίων μητρόπολιν, *vt Hieroſolyma inde videri, Iudæorum metropolim, dicant.* * De altitudine illa peregrinatores conſulantur, qui in dubium videntur vocare. ἐπίνειον, *nauale* etiam Iudæorum Strabo vocat, quamquam Ioſephus lib. III de Bello cap. XXIX ſcripſerit, ἀλιμένου οὔσης φύσει τῆς Ἰόππης, *importuoſam natura Ioppen eſſe.* Vtitur quidem portu quodam, ſed non bono: quem nihilominus petunt qui recta Hieroſolymam tendunt ex occidente.

2. Fabula Andromedæ, rupi ad Ioppen adligatæ, plures tradiderunt: eſſe tamen fabulam agnoſcunt: Strabo dicto loco, ἐνταῦθα μυθεύουσί τινες τὴν Ἀνδρομέδαν ἐκτεθῆναι τῷ κήτει, *ibi quidam fabulati ſunt, Andromedam ceto fuiſſe expoſitam.* Ioſephus etiam prædicto lib. III Belli cap. XXIX ἔνθα καὶ τῶν Ἀνδρομέδης δεσμῶν ἔτι δεικνύμενοι τύποι πιστοῦνται τὴν ἀρχαιότητα τοῦ μύθου, *ibi adhuc Andromedæ vinculorum ſigna oſtenduntur, quæ fidem faciunt antiquitati fabulæ.* Latini glorioſius. Pomponius Mela lib. I cap. XI *Eſt Ioppe, ante diluuium, vt ferunt, condita: vbi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ adfirmant, quod titulum eius, fratriſque Phinei veteres quædam aræ cum religione plurima retinent. Quin etiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, ſeruatæque a Perſeo Andromedæ clarum veſtigium, belluæ marinæ oſſa immania oſtendunt.* Et Plinius, Melam imitatus lib. V cap. XIII *Ioppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, vt ferunt. Inſidet collem præiacente ſaxo,* ** *in quo vinculorum Andromedæ veſtigia oſtendunt.* Fabulam Conon interpretatur narratione XL apud Photium cod. CLXXXVI.

3. Salmaſius, in Solini cap. XXXIV principio, Ἰόπη, *Iope*, P ſimplici contendit ſcribendum eſſe, quia Dionyſius verſ. 910 & Stephanus Ἰόπη, *Iope* legant, quæ Græca vox ſit, non Ἰόππη. Sed Stephanus ex Dionyſio habet, vt fatetur: hic, ex metri ratione eiecit litteram: *** ceterique omnes duplicant Strabo, Ptolemæus, Ioſephus, Conon, LXX interpretes, & S. Lucas Act. IX ac X: nec non Mela & Plinius Latini. Plinius lib. V cap. XIV *Ioppicam toparchiam* memorat in Iudæa, & a Samaria diſtinguit: ſed quamlibet diſcernat Samariam, laxos tamen Iudææ terminos per ipſam Galilæam facit. *Supra Idumæam*, inquit, *& Samariam Iudæa longe lateque funditur. Pars eius Syriæ iuncta, Galilæa vocatur.* Vulgo in tribu Dan locant, quod vero ex Ioſua probari nequit, qui tantummodo dixit extremos fines eius tribus eſſe מול *e regione* & ex oppoſito vrbis Ioppes. Nos Ioſephum ſequimur, omnem cis flumen Iordanis regionem in tres maiores partes diſtribuentem, Galilæam, Samariam, Iudæam: vbi quæſtio re-

 ma-

* Ioppen in planitie ſitam fuiſſe adparet e I Maccab. X, 69, 71, 75.

** Hoc ſaxum more Græcorum, qui νήσους adpellant omnia e mari eminentia loca, Plinius in inſulis numerauit lib. V cap. 31 *In Phœnicio deinde mari eſt ante Ioppen Paria, tota oppidum, in qua obiectam beluæ Andromedam ferunt.*

*** Eſt tamen etiam nummus Titi Ἰοπητῶν inſcriptus. Ἰόπη ſcribitur etiam Ioſeph. Antiq. IX c. 10 ſ. 2 & XI cap. 4 ſ. 1.

manet, ſitne Ioppe parti mediæ an inferiori tribuenda, id eſt Samaritidi an Iudææ. Vtraque enim ad mare pertinuit: & de Ephraim, quæ præcipua tribus eſt Samaritidis, id clare Ioſuæ XVI, 8 adfirmatur. Nos mediæ parti adiunximus, cuius maritimam oram in hac parte finimus; quia per ſitum Ephraemiticæ parti, quam Iudææ, propius reſpondet: ſi cui lubet, retrahat ad partem tertiam: per nos licet.

XCVII.

Hinc in reliquum mediterranei tractus recedimus. nam ſupra tantum quatuor regales vrbes, Samariam, Sichem, Thirzam & Ieſrael perluſtrauimus. Prima itaque inter Cæſaream & Ioppen eſt *Saronia* regio ſeu campus, quem Hieronymus in Eſa. XXXIII, 9 deſcripſit ita: *Saron omnis iuxta Ioppen Lyddamque adpellatur regio, in qua latiſſimi campi fertilesque tenduntur.* Et de Locis Ebraicis idem: *A Cæſarea Palæſtinæ vsque ad oppidum Ioppe omnis terra, quæ cernitur, dicitur Saronas.* Et hic campus eſt, quem Lucas Actor. IX, 35 τὸν Σάρωνα, ſiue vt alii legunt, τὸν Σαρωνᾶν, *Saronem* ſeu *Saronan* adpellat. An vero etiam oppidum huius nominis in illo campo fuerit, non eſt liquidum. Adrichomius & Bonfrerius adfirmant, quia Ioſuæ XII, 18 Vulgata habet *rex Saron vnus:* vbi reges omnes ab vrbe regia nominantur. At Ebraice eſt לשרון *Laſſaron*, quod quidem nomen nusquam præterea occurrit: & ſi ל, quod vult Bonfrerius, præfixum eſt, magis regionem, quam oppidum deſignat, quia toto illo cæſorum regum catalogo, qui ab vrbibus denominantur, nullum oppidum cum præfixa littera eſt. Et alibi *Saron* cis Iordanem (nam trans flumen eius nominis oppidum eſt) campo eſt ſimilior quam vrbi. Vide Eſa. XXXIII, 9; XXXV, 2; LXV, 10, & Cantic. II, 1. Nihilominus non improbabile etiam eſt, fuiſſe vel oppidum vel maiorem vicum eodem nomine in tractu illo: licet ſedes, immo auctoritas etiam certo probari non poſſit; & ipſum eſt, quod in tabulis adhuc fere cunctis conſpectum fuit.

XCVIII.

De *Lydda* quoque, quam לוד *Lud* Ebræi vocant, quod ad ſitum attinet, acris eſt controuerſia. Sacer ſcriptor Act. IX, 38 ἐγγὺς οὔσης τῇ Ἰόππῃ, *quum propinqua Lydda Ioppæ eſſet.* Sed in quam plagam recedat ab Ioppe, ſeptemtrionem verſus, an in auſtrum, an ortum, hoc eſt quod maxime in diuerſas partes diſceptatur. Si ſupra Ioppen in boream iacet, aut in ortum æſtiuum; ſine dubio in tribu Ephraim fuit & pars Samaritidis: ſin inferius reducta, Iehudæ fortaſſis adnumerata fuit, aut inter vtramque tribum media. nam 1 Maccab. XI, 28 & 34 Lydda, vt diſtincta τοπαρχία & νόμος conſideratur (quemadmodum Plinius etiam *Lyddam* lib. V cap. XIV *Iudææ toparchiam* dixit) & in iis tribus ponitur, αἵτινες προσετέθησαν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος, *quæ Iudææ ſunt additæ ex Samaritide.* Quod ſi Lydda detracta fuit Samaritidi, vtique prius ad eam pertinuit, & in illa cenſeri iam a nobis poteſt. Tudelenſis Beniamin pag. 52 Lud ſiue Lyddam dicit ab Ieſrael, quæ in ſeptemtrione eſt Samaritidis, יום אחד *vnius*

diei

diei & dimidii iter abeſſe. Quum vero diei iter ſecundum Xenophontem in Cyri minoris expeditione ſit quinque vel ſex paraſangarum; ex eo conficitur, non infra Ioppen in meridiem receſſiſſe Lyddam, ſed ſi non ſuperiore, pari tamen fuiſſe latitudine. In Miſchna Maaſar ſcheni cap. v hal. 2 traditur לוד מן המערב *Lud occidentem verſus* abeſſe ab Hieroſolymis מהלך יום אחד *itinere vnius diei:* quod bene congruit. nam ex loco, quem ante deſignauimus, non vltra quinque, ſummum ſex paraſangæ ſunt Hieroſolyma. At in Sanhedr. Hieroſ. pag. 18 col. 3 aiunt, *nonne Lydda eſt Iudææ?* Fuit: ſed προσετέθη ἀπὸ Σαμαρείτιδος, *adiecta fuit ex Samaritide*, 1 Maccab. XI, 34. At etiam Ioſephus de Bello lib. III cap. IV in vndecim κληρουρχίαις, *ſortibus* ſeu præfecturis Iudææ poſuit: Eſt ita: ſed laxa illa Iudæa & par fere ac æqualis Palæſtinæ, quia κατατείνουσα μέχρι Πτολεμαΐδος, *extenſa vsque Ptolemaidem*, vt ibidem ſimul dicitur.

2. Ceterum Ioſephus Lyddam nunc vicum, nunc oppidum dixit. Lib. XX Antiq. cap. V εἰς κώμην τινὰ παραγενόμενος Λύδδαν, πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν, *profectus in vicum Lyddam, nulli ciuitati magnitudine cedentem.* At de Bello lib. II cap. XXXVII ἀπὸ τῆς Ἀντιπατρίδος Κέστιος εἰς Λύδδα προελθὼν, κενὴν ἀνδρῶν τὴν πόλιν καταλαμβάνει, *Ceſtius ex Antipatride progreſſus Lyddam, vacuum viris oppidum offendit.* Et pro vrbe habitam Lyddam fuiſſe, docet eius nomen alterum *Dioſpolis*, quo ſæpe adpellat Hieronymus. Vide de Locis Ebr. in *Iamnia* & *Cariathiarim*, & alibi. Quin idem aperte Epitaphio Paullæ cap. III *Peruenit Lyddam, verſam in Dioſpolim, Dorcadis atque Aeneæ reſurrectione ac ſanitate inclitam.* Et in Obadiam verſ. 19, *Qui habitabant in Sephela, id eſt in campeſtribus, (Lyddam & Emmaus, Dioſpolim ſcilicet Nicopolimque, ſignificans) poſſidebunt Palæſtinos.* Et Ioannes Damaſcenus epiſtola ad Theophilum imperatorem de ſanctis & venerandis imaginibus: οἱ θεόπται κορυφαῖοι ἀπόστολοι Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐν Λύδδῃ τῇ καλουμένῃ Διοσπόλει, πρὸ μιλίων δεκαοκτὼ τῆς Ἱερουσαλὴμ, τὰς διατριβὰς ποιούμενοι, *Diuini apoſtoli Petrus & Ioannes Lyddæ, quæ Dioſpolis vocatur,* XVIII *milliariis ab Hieroſolymis, commorantes.* Quando hoc nomen cœperit, & a quo fuerit impoſitum, reperire non potui: nec vero Hieronymi ætate recens fuiſſe, ex Ioſephi lib. I de Bello cap. V luculentum eſt, qui id nomen in Pompeii expeditione vſurpauit. *Ariſtobulus*, inquit, ἀπὸ Διοσπόλεως χωρίζεται, *a Dioſpoli diſceſſit.* Probabile videtur, a Macedonibus Aegypti aut Syriæ regibus, vti Apolloniæ nomen, de quo ſupra diximus, originem habere: id nomen vero, quia *Iouis ciuitatem* ſonat, exſecrabile Iudæis viſum, qui vetus iccirco nomen retinuerunt, etiam ipſe Ioſephus, in pleriſque locis aliis: & Plinius ac Ptolemæus *Lyddam* vocauerunt; in Tabula Peutingeri *Luddis* eſt: Stephanus autem ſeptimam Διόσπολιν Παλαιστίνης, *Dioſpolin Palæſtinæ* dixit. In Itinerariis nunc Lydda, nunc *Dioſpolis* eſt, Antonini hoc ſitu & ordine, vbi iter a Conſtantinopoli Antiochiam & vltra deſcribitur:

Cæſarea
Betaron M. P. XVIII

Dioſpolim	M. P.	XXII
Iamniam	M. P.	XII

Et alio itinere a Cæſarea Eleutheropolim:

Betaron	M. P.	XXXI
Dioſpolim	M. P.	XXVIII
Eleutheropolim	M. P.	XVIII.

Tam manifeſto corrupti ſunt numeri in illo Itinerario! Nec rectius ſe habent in Burdigalenſi, quod etiam Hieroſolymitanum dicitur, vbi rurſus *Lidda* vocatur:

Ab Hieroſolyma

Nicopoli	M.	XXII. [lege VIII]
Lidda	M.	X
Antipatrida	M.	X
Betthar	M.	X
Cæſarea	M.	XVI.

XCIX.

Vicina Lyddæ fuit *Rama* ſiue *Ramathah*, * niſi hæc forma ex illa eſt cum He locali adfixo: prior occurrit 1 Samuel. XIX, 19, 22: poſterior, in notione termini ad quem, 1 Samuel. 1, 19, 22; cap. II, 11; cap. XIX, 18, 22. Eadem dicta *Ramathaim Zophim* 1 Samuel. 1, 1. ** Montibus Ephraim adhærebat, vt ibidem dicitur: ideo alia ab Rama Beniamin, quæ & Saulis vocatur, de qua infra. LXX pluribus locis Αρμαθαιμ, *Armathæm* tribus ſyllabis, vt in libris eſt; (& inde 1 Maccab. XI, 34 Ραμαθέμ·) at 1 Sam. XIX, 18, 19

* Ioſepho Ραμαθών, vel, vt alii libri legunt Αραμαθών vel Αρμαθών.

** Ne faciles ſimus ad adſentiendum, Relandus facit. Etenim is *Ramam Zophim* ait in monte Ephraim ſitam eſſe ex 1 Sam. I, 1: *Ramam Lyddæ* vicinam in campo. Deinde putat, ſcriptores ſacros 2 Chron. XIX, 4 montes Ephraim ad ſeptemtriones reiicere videri, reſpectu Hieroſolymæ: Ramam, Lyddæ vicinam, ad occidentem receſſiſſe. Sed poſterior ratio fortaſſe minus habet roboris. Nam non neceſſe eſt, vt transuerſim ducatur a Berſabe ad montes Ephraimicos regula. Prior vero ratio ex temporum fortaſſis diuerſitate iudicanda eſt. Potuit vetuſtioribus temporibus Rama Zophim in monte reſidere, quæ poſtmodum in loca inferiora transferri cœperit. Ita Celænæ e colle in ſubiectum campum delatæ ſunt, & multæ aliæ vrbes locum ſuum ſenſim mutarunt. Ipſe Relandus in *Rama* pro his dubitationibus non nimis acriter propugnare videtur. De reliquo *Rama* hæc cum *Rama Beniaminis* tribus confundenda non eſt, de qua Cellarius infra commemorat, §. 139. Perpendi etiam velim, quæ annotabo nota proxima. Hæc quum ſcripſiſſem: incidi in 1 Sam. IX, 4, vbi *montis Ephraim* etiam fit mentio. Et quia Saulus ibi primum verſatus dicitur aſinas quæſiturus, inde autem in regionem Schaliſchæ, tum in regionem Schalim, & Iemini, ad extremum in loca *Zuph* perveniſſe, vbi reperiret Samuelem: apertum eſt, vrbem illam regionis *Zuph* longe a *monte Ephraim* remotam fuiſſe. At *Zuph* illa ad latus montis ſita erat 1 Sam. IX, 11, 13, 14, 25, 27, & Samuel ibi domum habebat 1 Samuel. IX, 18, & extra fines tribus Beniamin. 1 Samuel. X, 2. Ergo adparet, vrbem illam Zuph *Ramam Zophim* eſſe, & *Ramam* ab altitudine ſitus dictam fuiſſe. Noua igitur exiſtit difficultas, quæ tamen ita explicabitur, ſi dixerimus, quod res dici iubet, *Montem Ephraim* proprie dici partem quandam iugorum Ephraimicorum ſeptemtrionalium & orientalium, ſed generatim idem nomen ceteris item Ephraimi montanis tractibus competere. *Ramam* autem recentiorem a ſitu veteris, vt ſupra iam dixi, disiunctam eſſe. Eiusdem ſententiæ de diuerſitate ſitus veteris & recentioris Ramæ eſt Golius in notis ad Alfergan. pag. 140. Mirum tamen eſt, quod etiam Hieronymus in epitaphio Paullæ, quum de Bethel loquitur, montis Ephraim meminit, vt iſta pars præcipue nomen iſtud vindicaſſe ſibi videatur.

18, 19 ἐν Ῥαμᾶ. Patria Samuelis fuit: qui & ibi habitauit cap. XV, 34, XVI, 13, XIX, 18. Ioſepho lib. V cap. XI eſt Ῥαμαθὰ, dicenti de Elkana Samuelis patre, Ῥαμαθὰν πόλιν κατοικῶν, *Ramatham vrbem incolens.* Vna ex tribus fuit, quæ ex Samaritide detractæ, & contributæ regioni Iudææ ſunt, 1 Maccab. XI, 34. * Poſteriori æuo dicta fuit *Ramula.* Guilielmus Tyrius lib. VII cap. XXII *in vicino* [Lyddæ] *nobilis ciuitas eſt Ramula nomine.* Eſt in via, quæ a Ioppe fert Hieroſolymam.

C.

Eiusdem ſortis Ephraimiticæ eſt etiam *Geſer* ſiue *Gezer*, גזר Ebræis, vrbs Leuitica, Ioſuæ XXI, 21, quæ proprie *Gézer*, duplici ſegol eſt ſcripta Ioſuæ X, 33; XII, 12, XXI, 21, 1 Reg. V, 16, 1 Paralip. XX [XXI Germ.] 4. In ceteris locis eſt *Gázer*, producta priore propter accentum diſtinctiuum. Græci autem vbique Γαζὲρ legunt, etiam vbi in Ebræo ſegol eſt, Ioſuæ X, 33, cap. XII, 12, & XXI, 21, vnde reliquis verſionibus confuſio eſt, *Gazer* & *Gezer*; *Gaſer* & *Geſer.* In Maccabæorum libris ſcribitur Γάζαρα, *Gazara.* Lib. I cap. XIV, 34 τὴν Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Αζώτου, *Gazara, quæ in finibus Azoti*, id eſt in Philiſtæis finibus, quia Azotus tum forte princeps vrbs Philiſtææ regionis fuit, vt Bonfrerius interpretatur: & lib. II cap. X, 32 *Timotheus fugit* εἰς Γάζαρα λεγόμενον ὀχύρωμα εὖ μάλα φρουρεῖον, *in Gazara, munitiſſimum locum, qui ita vocatur:* quod cum Gezer Salomonis conuenit 1 Reg. IX, 15, 17, quam Ioſephus lib. VIII Antiq. cap. II pag. 268 vocat Γάζαραν τὴν τῆς Παλαιστινῶν χώρας, *Gazaram Philiſtæorum regionis*, ſiue in finibus illorum; eamdemque ὀχυρὰν φύσει, *natura munitam:* quæ poſitio etiam 2 Samuel. V, 25 confirmatur. Strabonis hæc Γαδαρὶς, *Gadaris* eſt lib. XVI pag. 522 ſibilante littera Syrorum more in Δ conuerſo: qui etiam cum Azoto & Aſcalone coniungit & Iamnia, vt inde, etiam dictis primi Maccabæorum & Ioſephi locis, conſtare poſſit, in plaga occidentali fuiſſe ſitam, ** quam nimis reduxit Hieronymus ex villula huius nominis de ſitu vrbis priſcæ iudicans. *Gazer*, inquit, *in ſorte tribus Ephraim, vrbs ſeparata Leuitis; quam expugnauit Ieſus, rege illius interfecto. Aedificata eſt autem poſtea a Salomone. Nunc Gazara villa dicitur in quarto milliario Nicopoleos contra ſeptemtrionem. Verumtamen ſciendum, quod alienigenas ex ea Ephraim non potuit expellere.* Non conuenit ſitus villæ cum ſupra datis deſcriptionibus: nec Ioſua tam expugnaſſe dicitur, quam regem illius prœlio interfeciſſe, quum regi Lachis ciuitatis auxilio veniſſet, Ioſ. X, 33. Expugnauit autem Pharao & deleuit: cuius gener Salomo, a ſocero acceptam, inſtaurauit, 1 Reg. IX, 15, 16, 17.

CI. Su-

* Hic locus repugnat Relando, cui Dauidis quoque iter Noben & Giſſam verſus inſtitutum refragari videtur. Ceterum hæc Rama putatur eſſe *Arimathia* Luc. XXIII, 51, propter auctoritatem Hieronymi. Qui idem in Epitaphio Paullæ *haud procul a Lydda Arimathiam viculum Ioſephi* eſſe memorat.

** Adde huc, ſis adnotationem Caſauboni ad illum Strabonis locum pag. 1100 & 1101 edit. Almeloueen. Nam & ex vicinitate Azoti & Aſcalonis, & tota Strabonis oratione atque argumento demonſtrat, *Gadarida* cum *Gadaris* Peraeæ confundendam non eſſe.

CI.

Supra Gezer & Lyddam in ſeptemtrionem erat *Antipatris*, ab Herode in memoriam patris condita; cuius mentio in Pauli hiſtoria Actor. XXIII, 31 habetur. Ioſephus lib. XVI Antiq. cap. IX tradit, in campo, * qui dicitur *Capharſaba*, aquoſo & plantis idoneo, etiam amne circumfluente, atque ita loco totius regni amœniſſimo condidiſſe Herodem hanc vrbem, poſt amnem luco etiam circumdatam: & vt lib. I de Bello cap. XVI addit, vt eſſet *τῷ πατρὶ μνημεῖον*, *monumentum* & memoria *patris* Antipatri, quam ideo Ἀντιπατρίδα *Antipatridem* nominauit. Sæpe præterea Ioſephus memorauit: lib. II de Bello cap. XXXVII de Ceſtio, *ἀπὸ τῆς Ἀντιπατρίδος εἰς Λύδδα προελθὼν*, *ab Antipatride in Lyddam progreſſus.* Et lib. IV c. XXVI *de Veſpaſiano: ἤγαγεν ἀπὸ τῆς Καισαρείας ἐπὶ Ἀντιπατρίδος, mouit a Cæſarea in Antipatridem.* Adrichomius ſat confuſe: *Antipatris prius Capharſalama, Græce Capharſarama & Dora dicta.* Vnde hauſerit, quod Capharſalama, vt in verſionibus legitur I Maccab. VII, 31, (vbi in Græco eſt *κατὰ Καφαρσαραμὰ*) ſit oppidum Dora, equidem neſcio. Dora vero & Antipatris Ptolemæo diſtincta ſunt oppida: illud in Phœnice extrema; hoc in Iudæa cenſuit. Eadem Hieronymus diſtinxit Epitaphio Paullæ cap. III *Mirata ruinas Dor, vrbis quondam potentiſſimæ, & verſa vice Stratonis turrim, ab Herode rege Iudææ in honorem Cæſaris Auguſti Cæſaream nuncupatam, in qua Cornelii domum, Chriſti vidit eccleſiam, & Philippi ædiculas & cubicula quatuor virginum prophetarum: deinde Antipatrida ſemirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocauerat: & Lyddam verſam in Dioſpolim.* Videtur quidem ex vtroque Ioſephi de conditu Antipatridis loco conſtare, nouum oppidum fuiſſe, in campo amœniſſimo coædificatum: ſed plane nouum non fuit, ſed vicus Capharſabe (in quo nomine errauit Adrichomius) in oppidum redactus. Ioſephus lib. XIII c. XXIII *foſſam duxit ἀπὸ τῆς Χαβαρζαβᾶ ἀρξάμενος, ἣ νῦν Ἀντιπατρὶς καλεῖται, ἄχρι τῆς εἰς Ἰόππην θαλάσσης, a Chabarzaba incipiens, quæ nunc Antipatris vocatur, vsque ad mare apud Ioppen.* Diſtantiam addit σαδίους ρν', ſtadia CL, quibus remota Antipatris ab Ioppe ſit. ** Quantum diſtet ab Hieroſolymis ex Apoſtolorum hiſtoria quodammodo cognoſci poteſt, quia milites, Paulum a tertia noctis Antipatridem deducturi, eadem nocte ſi non totum iter, maximam partem tamen confecerunt. Vide cap. XXIII, 23, 31. Itinerarium Burdigalenſe, niſi numeri fallunt, qui ſuſpecti ſunt, habet XLII M. P.

CII.

Prope Cæſaream a LX ſtadiis, locus erat *Nabata* dictus, in quem cum ſacris libris Iudæi Cæſarienſes diſceſſerunt, quum ab ethnicis in vrbe inter ſacra turbarentur, quod Ioſephus lib. II de Bello cap. XXV prodidit.

χώραν

* Prope montes tamen. Ioſeph. de Bell. I cap. 4 ſ. 7 pag. 61. Non fuiſſe maritimam, copioſe docet Relandus ex foſſa ab Alexandro ducta ad Ioppen vsque, qui hoſtium incurſionem in Iudæam prohibere conabatur.

** A Lydda X, a Cæſarea XXVI milliaribus aberat. Vid. Reland.

χώραν vocat, id eſt, tractum & regionem, ſexaginta ſtadiis remotam a Cæſarea.

CIII.

Ad *Bethoron* adſcendimus. Duplex fuit, *Superior* & *Inferior*; vtraque in tribu Ephraim, Ioſuæ XVI, 3, 5, & condidit vna femina Saraa, neptis aut proneptis Ephraimi, vtramque I Paral. VII [al. VIII] 24: vtramque etiam Salomo reſtituit collapſam, I Reg. IX, 17, & 2 Paralip. VIII, 5. Hieronymus in Locis nihil agit, dum nimium coniungit, & pugnantia tradit, quod ſint in Ephraim, & duodecimo lapide ab Aelia ſint. Nec aliter in Paullæ ſentire videtur epitaphio cap. III. *Inde*, inquit, [ab Emavnte] *proficiſcens adſcendit Bethoron inferiorem & ſuperiorem, vrbes a Salomone conditas, ſed varia poſtea bellorum tempeſtate deletas; ad dextram adſpiciens Haialon & Gabaon.* Maius fuit inter vtramque interuallum, quanta fere latitudine tribus Ephraim patebat: Superius in ſeptemtrione; Inferius in auſtrali limite: quod non obſcure ex terminis ab Ioſua huic tribui cap. XVI definitis intelligitur. Quapropter vix dubitamus, Superiorem Bethoronem fuiſſe in loco, qui Antonini itinere a Conſtantinopoli Antiochiam & vltra, dicitur *Betaron*, vt Schottus edidit; quaſi ſexto caſu pro more in Aldi & Simleri edd. ſit *Betaro*: quod oppidum inter Cæſaream & Dioſpolim medio ferme loco eſt poſitum. In Burdigalenſi Itinerario ſcribitur *Betthar* inter Cæſaream & Antipatridem.

2. De *Inferiore Bethorone* plura traduntur. Fuit illa in monte ſita, ideo adſcendi Ioſephus & Hieronymus dixerunt: & in via publica, quæ Lyddam & Cæſaream ferebat, centum ſtadiis ab Hieroſolymis. Ioſephus lib. II cap. XXXVII *Ex Antipatride Ceſtius in Lyddam profectus - - - exuſto oppido vlterius procedebat,* καὶ διὰ Βαιθωρῶν ἀναβὰς, *& per Bethoron adſcendens, in loco, qui Gabao vocatur, caſtra poſuit quinquaginta ſtadiis ab Hieruſalem.* Idem lib. XX cap. IV *Quidam, qui ex illo tumultu fugientes euaſerant,* κατὰ τὴν δημοσίαν ὁδὸν ὡς ἑκατὸν ςαδίων ἄποθεν τῆς πόλεως, *in publica via centeſimo ab vrbe* [Hieroſolyma] *ſtadio, Stephanum Cæſaris miniſtrum adgreſſi omnes eius ſarcinas diripuerunt.* At lib. II de Bello cap. XX idem Ioſephus direptionem hanc circa Bethoron dicit factam eſſe. κατὰ τὴν Βαιθωρῶ δημοσίαν ὁδὸν Στεφάνȣ τινὸς, δȣ́λȣ Καίσαρος, ἀποσκευὴν κομιζομένην, διήρπασαν λῃςαὶ προσπεσόντες. *Iuxta Bethoron*, inquit, *in via publica Stephani cuiusdam, Cæſaris ſerui, ſupellectilem, quam ſecum ferebat, irruentes latrones diripuerunt.* Ex quorum collatione adparet, Bethoron inferiorem centum ſtadiis, id eſt duodecim millibus paſſuum diſtare a Hieroſolymis. Propter hanc vicinitatem quidam Inferiorem tribui Beniamin adſcribunt, quod etiam Adrichomius fecit: nos vtramque Ephraimiticæ, quia Ioſuæ XVI nominatim vtraque in Ephraim recenſetur: & vtraque ab Ephraimitide femina fuit condita: etiam Inferior, de qua dubitant non nulli, Ioſuæ XVIII, 13 deſcribitur ita, vt extra limitem Beniamin ſeptemtrionalem cadat. Ait enim diuinus ſcriptor: *deſcendit terminus* [ſeptemtrionalis Beniamin] *ſuper montem, qui a meridie eſt Bethoronis inferioris.* Quod ſi

limes Beniaminis a meridie infra Bethoron eſt, ſequitur in tribum Ephraim incidere, quæ contigua Beniaminiticæ a ſeptemtrione eſt.

3. Nomina vtriusque repeto, quæ vtrobique Ebraice ſunt. בית חרון *Beth Horon*, ſiue *Beth Choron*: Græcis interpretibus Ioſuæ x, 10 *perſecuti ſunt illos per viam* ἀναβάσεως Βηθωρῶν, *adſcenſus Bethôron*. Et cap. xvi, 3 ἕως τῶν ὁρίων Βαιθωρῶν τῆς κάτω, *vsque ad fines Bæthorôn inferioris*: & commate v ἕως Βαιθωρῶν τῆς ἄνω, *vsque ad Bæthorôn ſuperioris*, patrio quaſi pluralis numeri caſu: quemadmodum Ioſephus lib. v cap. 1 Antiquitatum, de Ioſuæ aduerſus quinque reges prœlio: τραπεῖσιν εἵπετο διώκων διὰ χωρίων ἐπικλινῶν. Βήθωρα καλεῖται, *fugientes inſequebatur per loca decliuia: Bethora adpellantur*: Vbi primum caſum habes pluratiuo, vt ex ſuperioribus adparet, numero; quamuis & ἀκλίτως, vt ſupra etiam protulimus, Βαιθωρὼ, *Bæthoro* dixerit. Ioſuæ quidem xviii, 13 legitur πρὸς λίβα Βαιθωρῶν ἡ κάτω, primo caſu, ſed corrigendum ex Ebræo eſt τῆς κάτω. Michaeli Antonio Baudrando ſunt *Betaro* Antonini, & Βαιταῤῥοῦς, *Bætarrhûs* Stephani, & *Bethoron* Scripturæ ſacræ idem locus & oppidum. Antonini *Betarôn*, vt Schottus edidit, & *Bethoron ſuperiorem* forte idem eſſe, nolimus, vt ſupra dictum eſt, negare: Stephani autem *Bætarrhûs* huc minime pertinet, quia eſt τρίτης Παλαιστίνης, *Palæſtinæ tertiæ*, quæ fere Arabia Petræa eſt. Lightfootus inflexit etiam Latinum nomen *Bethoron*, Gen. *Bethoronis*, quem aliquando ſecuti ſumus.

4. An vero etiam ביתר ſiue ביתתר Rabbinorum, quod Lightfootus legit *Be Thar*, ſiue *Beth Thar*; alii *Bither* ſiue *Bitter*, ſicut Euſebius Βίθθηρ, ſiue ſecundum codicem regium Βήθθηρ, *Bitter* ſiue *Better* ſcripſit, oppidum Ben Cozbæ ſpeudomeſſiæ clade ſub Hadriano nobilitatum, ad Bethoron inferius referri poſſit, difficilior, nec vero inexplicabilis videtur quæſtio. Eſt quidem minor in vocabulis conſonantia, niſi apocopen vnius admittas; loci vero poſitio & diſtantia non male conueniunt cum Bethoron inferiore. Euſebius lib. iv cap. vi, auctore Ariſtone Pellæo, belli ſummam ab Hadriano cum Iudæis rebellantibus geſti, ita refert: ἀκμάσαντος τοῦ πολέμου, ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ, κατὰ Βίθθηρα πόλιν, ἥ τις ἦν ὀχυρωτάτη, τῶν Ἱεροσολύμων οὐ σφόδρα πόῤῥω διεστῶσα. *Quum bellum decimo octauo Hadriani anno ad vrbem Bittherem ferueſceret, quæ munitiſſima erat, nec procul admodum ab Hieroſolymis diſtabat*, cetera. Locus editior, quem ἀνάβασις, *adſcenſio* in Bethoron monſtrat, munitionibus aptiſſimus, & centum ſtadia eiusmodi ſpatium mediocre ſunt, qualem diſtantiam ab Hieroſolymis Euſebius definiuit. Et niſi in hoc loco illam *Bitther* ſiue *Betther*, vt in regio codice eſt, quæremus, vix alibi locorum veſtigia illius licebit inuenire. * Delirant in Talmud Iudæi, nunc vno milliario a mari

magno,

* Inueniri putat Relandus in *Betari*, quod oppidum ab auctore Itinerarii Hieroſolymitani & Antoniniani Cæſareæ & Dioſpoli interponitur. Idem miratur, cur in Miſchnæ Taanith IV, 6 ביתר *Bettar* ponatur, alibi autem ביתחורון *Bethhoron* clare memoretur, ſi Bettar & Bethhoron eadem vrbs fuerit. Hiſce rationibus quum accedant propinquitas maris, & Hieroſolymæ, ceteræque proprietates a ſanis hominibus *Bitari* tributæ: nolim equidem Re-

magno, quod mediterraneum eſt; nunc quadraginta reducentes, quorum male ſana verba Lightfootus Chorographia Matthæi cap. LII produxit. Accedit iudicium clariſſimi viri Henrici Valeſii in dictum locum Euſebii: *Videndum eſt*, inquit, *an eadem* [Βήθθηρ, *Bether* illa] *ſit cum Betthar, quæ in itinerario Burdigalenſi mutatio dicitur, quinquaginta & duobus millibus paſſuum diſtans ab vrbe Hieroſolymitana. Eſt & Bethar villa in eodem itinerario,* XII *millibus diſtans ab vrbe Hieroſolyma. Hieronymus in Epitaphio Paulæ vtramque Bethoron vocare videtur.* Non offendit doctiſſimum virum, quæ in vocabulis eſt leuis diſcrepantia, & vtramque ſuperiorem & inferiorem Bethoron in itinerario illo deſignari putat, alterámque, inferiorem videlicet, ipſam Bar Cozbæ Bettherem ſiue Bittherem eſſe ſi non demonſtrat (neque enim hoc certo poteſt fieri) tamen coniicit & ſentit veroſimiliter.

CIII.

Ab inferiore Bethoron ad ſuperiorem, vnde digreſſi ſumus, & vicina eius reuertimur. Supra illam in finibus Iſſachar fuit Leuitica vrbs *Iarmuth*, Græce Ιερμῶθ, Vulgata Latina *Iaramoth:* diſtincta ab eiusdem nominis notiore oppido in tribu Iuda. Et *Abelmehola*, patria Eliſæ prophetæ I Reg. XIX, 16, in Manaſſe cis Iordanem, cuius vrbibus adiungitur I Reg. IV, 12, vt videtur inter vallem Ieſrael & Scythopolim fuiſſe, * quo Midianitæ fugati a Gideone, Iudic. VII, 22.

CIV.

Machmethath in confinio Manaſſe & Ephraim, Iudic. XVI, 6, cap. XVII, 7. LXX Μαχθῶθ, *Machthoth:* Hieronymus videtur Μαχῶθ, legiſſe, quia in Locis habet: *Machot in tribu Manaſſe.* Additum Iud. VII, 7 *ante Sichem* ſitam eſſe, id eſt e regione atque ex oppoſito. Hieronymus quidem *Sichem* aliam, quæ in Manaſſe ſit, & ſepulcrum Ioſephi patriarchæ habeat, in Locis profert; ſed fluctuat dum addit, *in monte Ephraim:* immo fallitur, quia Ioſephi oſſa in prædio ipſius iuxta Sichem ſub monte Garizim ſepulta ſunt, Ioſuæ XXIV, 32, nec aliam quam hanc Sichem, poſtea Neapolim dictam, ciuitatem quondam fugitiuorum & Leuitarum, nouimus. Sed hæc obiter.

CV.

In prædicto Iudicum loco cap. VII, 7 cum Mechmethath coniungitur *Aſer*, non tribus ſed oppidi nomen, de quo in Locis Hieronymus: *Aſer ciuitas tribus Manaſſe: nunc demonſtratur villa deſcendentibus a Neapoli Scythopolim in decimoquinto lapide iuxta viam publicam.*

CVI.

Et *Dothan*, locus in quo Ioſeph fuit venditus, in hoc tractu ponitur. Hieronymus Euſebium reddens: *Dothaim. vbi inuenit Ioſeph fratres ſuos*

(LII) 2 *pecora*

lando refragari. *A ſanis* dico *hominibus*, vt inſanas Iudæorum oſtentationes de Betari notem & improbem.

* Sed Euſebius dicit eſſe vicum Βηθμαχελὰ in magno campo Iordanis, ſitum XVI milliaribus a Scythopoli auſtrum verſus, & eſſe Ἀβὲλ νέαν villulam inter Neapolin & Scythopolin. Vid. Reland.

pecora paſcentes: qui & vsque hodie in duodecimo a Sebaſte milliario contra aquilonis plagam oſtenditur. Δωθαείμ & Euſebius ſcripſit, imitatus LXX interpretes, quorum eſt Geneſ. XXXVII, 16 Δωθαείμ: & 2 Reg. VI, 13 Δωθαΐμ. Aliis minor iuſto diſtantia, ab Hieronymo ſignata, videtur, & longius in ſeptemtrionem vsque in tribum Zabulon remouent & Galilæam: inducti forte apocrypho Iudith cap. IV, 5 κατὰ πρόσωπον τοῦ πεδίου τοῦ πλησίον Δωθαείμ, *contra campum, qui prope Dothaim eſt*: & cap. VII, 3 cum Bethulia, quam in Galilæa fingunt, tamquam vicinum oppidum, coniungitur. Sed quis credet facile, Iacobi, qui apud Hebronem habitabat, greges in Galilæam paſcendi cauſſa miſſos eſſe? Malim ergo cum Hieronymo, quam cum Adrichomio eiusque ſimilibus facere.

CVII.

Thebez, תבץ, ſeu *Thebes*, quia Græci Θηβής, quos Vulgatus imitatur *Thebes* & ipſe ſcribens nomen oppidi. * In huius oppugnatione Abimelech periit. Iudic. IX, 50, 53 *Abimelech profectus* εἰς Θηβής, *contra Thebes, & obſedit illam*, cetera. Hieronymus in Locis: *Thebes vrbs, quam quum oppugnaret Abimelech, fragmine molæ ictus interiit. Eſt autem vsque hodie vicus nomine Thebes in finibus Neapoleos pergentibus Scythopolim, quaſi in tertio decimo eius lapide.*

CVIII.

Sed dum vrbes inter Scythopolim Neapolimque ſitas perluſtramus, non debent montes *Gilboa* ſiue *Gelboe* aut *Gelbue* præteriri, in quibus Saul & Ionathan occubuerunt, 1 Samuel. XXXI, & 2 Samuel. I, 21. Hieronymus: *Gelbue montes alienigenarum in ſexto lapide a Scythopoli, in quibus etiam vicus eſt grandis, qui vocatur Gelbûs.* Euſeb. Γελβοῦς. Cur autem dicuntur alienigenarum? nulla ratio ſubeſſe poteſt, quam quod alienigenæ, id eſt Philiſtæi, in iis Iſraelitarum exercitum fuderunt, quæ vero denominationi huic non ſufficit. Sunt enim in media terra Iſraelis, *in longum porrecti ab occidente in orientem in confinio dimidiæ tribus Manaſſe & tribus Iſſachar, & ad partem auſtralem vallis Iezrael, quorum initium eſt ab vrbe Iezrael, quæ ad radices huius montis eſt occidentales, vsque ad Iordanem fere.* Hæc Bonfrerius in Hieronymum.

CIX.

Atharoth ſiue *Atroth*, nomen plurium oppidorum. Duo videntur in tribu Ephraim fuiſſe, alterum ad aquilonem Sebaſtes, in quarto eius milliario, quod Hieronymus obſeruauit, cui & *Atharus*, alia forma, dictum eſt; alterum in confinio Ephraim & Beniamin, vt tamen Ephraimi magis ſit quam Beniamin, quia Ioſuæ XVIII inter vrbes Beniaminiticas non videmus recenſitum. Hoc eſt Ioſuæ XVI, 5 *Atroth Addar*, a quo ad Bethoron Superiorem maxima latitudo tribus Ephraim eſt; quæ quidem longius in orientem ad Iordanem vsque porrigitur, ſed coarctata magis in medio inter flumen & mare ſpatio.

CX.

* Immo Θῆβαι etiam adpellatur oppidum. Ioſeph. Antiq. V, 7, 5 & VII, 7, 2.

CX.

Tandem *Bethel*, quæ olim *Luz* dicta fuit, adeunda. Diſtingui videntur Ioſuæ XVI, 2; ſed tamen vicina & coniuncta loca: & *Bethel* proprie locus viſionis Iacobi, Geneſ. XXVIII, 19: *Luz* ſiue *Lus* vicinum oppidum, quod poſtmodum etiam *Bethel* fuit adpellatum ab inſigni illa in eius agro facta viſione, oblitterato priori nomine. Alii & Bethel & Luzam duplicant, alteram in Beniamin, in Ephraim alteram conſtituentes: * & ipſe Hieronymus ita quoque Luzam geminauit. Verum eſt, in terminis tribus Beniamin etiam Bethel ſiue Luzam memorari; quod vero linea diuiſionis ad meridiem oppidi tranſibat, Ioſuæ XVIII, 13, oppidum in Ephraim relinquitur. Hieronymus: *Bethel vicus in duodecimo ab Aelia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza, id eſt amygdalum, vocabatur, & cecidit in ſortem tribus Beniamin iuxta Bethan & Gai, quam expugnauit Ieſus, rege illius interfecto.* Bene hæc, præter illud de tribu, vbi Ephraim præſtat ob rationes iam dictas nominari. Nihil quidem de viſione Iacobi adiecit: at in *Luza*, quam in Beniamin ponit, illius rationem habet. Habet vero in *Bethel* de vitulo Hieroboami, qui etiam argumento eſt, Bethel in Ephraim fuiſſe, quia tribus Beniamin ſecuta eſt in ſciſſione illa partes & cultum regis Hieroſolymitani. Idololatria autem, quam Hieroboamus ibi inſtituit, in cauſſa fuit, vt ſæpe prophetæ non Bethel, ſed Bethauen, id eſt non domum Dei, ſed domum iniquitatis illam nuncuparent. Vide Hoſ. IV, 15, vbi Ebræum Bethauen Targum reddit ביתאל *Bethel*: & cap X, 5, & alibi. Ioſephus IV de Bello cap. XXXIII Βηθηλὰ dixit.

CXI.

Hinc quidam putarunt eamdem vrbem fuiſſe Bethel & Bethauen, ſed falſi ſunt, quia *Bethauen* etiam ante Hieroboami tempora vrbs diſtincta a Bethel nominata fuit Ioſuæ VII, 2, cap. XVIII, 12 & 1 Samuel. XIII, 5. Verum hæc quamquam non procul a Bethel ſita fuit, tamen quia cum Ai & Mechmas dictis locis, tamquam proxima, coniuncta fuit, in Beniamin potius, quam in Ephraim, cenſebitur.

CXII.

Hinc in occidentem verſus ſecundum auſtralem Samaritidis limitem progreſſis eſt oppidum *Acrabata* ſiue *Acrabattæ*: Ioſepho lib. III de Bello cap. IV Ακραβαττά; in Miſchna Maaſar Scheni cap. V hal. 2 עקרבת, *Acrabata*, quæ dicitur ab Hieroſolymis diſtare מהלך יום לצפון *itinere vnius diei in ſeptemtrionem.* Vrbs recentior, ſaltem nomen recentius, quod in codice V. T. non inuenitur: nec vero exigua aut ignobilis, quia Toparchiam denominauit. Ioſephus dicto loco: Σαμαρεῖτις ἐπιλήγει τῆς Ακραβαττηνῶν τοπαρχίας, *Samaritis deſinit in Acrobatenorum toparchia.* Et Egeſippus lib. III cap. VI *Samaritana regio - - - deficiens in terra Acrabatenorum.* Plinius lib. V cap. XIV *Reliqua Iudæa diuiditur in toparchias decem, - - - Ioppi-*

* Eos errare dubitat nemo, qui loca Ioſuæ diligentius contulerit, vt auctor mox ipſe monet.

Ioppicam, Acrabatenam, Gophniticam, ceteras. Sed Iudæa hoc loco latius ſumitur, vt ſupra demonſtrauimus. Nam in Ephraim potius, quam in Beniamin, hæc præfectura fuit. Iterum Ioſephus lib. IV de Bello cap. XXXIII Veſpaſianus ex Cæſarea profectus, ἀναβὰς εἰς τὴν ὀρεινὴν αἱρεῖ δύο τοπαρχίας, τήν τε Γοφνιτικὴν, καὶ τὴν Ακραβατηνὴν καλȣμένην, μεθ' ἃς Βηθηλά τε καὶ Εφραὶμ πολίχνια, *adſcendens montana, duas toparchias Gophniticam & Acrabatenam ſubegit: & poſt has Bethel ac Ephrem oppida.* Fit etiam Acrabatenæ mentio I Maccab. V, 3, & apud Hieronymum in Obadiam; ſed vtrobique videtur alia in finibus Idumææ intelligi.

CXIII.

Deinde *Silo* erat in hoc Ephraimitico limite, nec tamen in extremo, ſed interiore paullo. Ebræi שלו *Schilo;* Græci LXX Σηλὼ vocant, quos Hieronymus in Locis imitatus ſcripſit *Selo:* Vulgatus Latinus *Silo.* Ioſephus variat in obliquis caſibus. Lib. V Antiquit. cap. I pag. 140 Ιησȣ̃ς εἰς τὴν ὄρειον ἱςᾶ τὴν ἱερὰν σκηνὴν κατὰ Σιλȣ̃ν πόλιν. *Ioſua in montana caſtris* [ex Gilgalis] *translatis, ſacrum tabernaculum ſtatuit in vrbe Silo.* Et poſt paullo: εἰς τὴν Σιλȣ̃ν ἀνέζευξαν, *in Silo reuerterunt:* & interiectis non nullis, εἰς Σιλοῦντα πόλιν, *in vrbem Siluntem.* Et lib. V Antiquit. cap. XI εἰς Σιλὼ, *in Silo.* Trecentis & amplius annis ibi ſedes ſacrorum fuit: locus autem ex coniecturis magis, quam ex rationibus deſignatur. Certum vero in Ephraim potius, quam in Beniaminis tribu fuiſſe; prope fines tamen Beniaminis: quia veroſimile, Ioſuam & caſtra & tabernaculum ex Gilgal in ſuam tribum, quæ Ephraim erat, transtuliſſe, qui etiam in Silo diuiſionem terræ inſtituit & peregit, Ioſuæ XVIII, I & ſeqq.

CXIV.

Circa Sichem fuit etiam *Aruma*, quam Hieronymus *Ruma* dixit in Locis, atque ita etiam Vulgatus Iudic. IX, 41 at Septuaginta ἐν Αριμᾶ. Inde eſt, quod Hieronymus putet Arimathiam in finibus Dioſpoleos eſſe: ſed fallitur. Abimelechi enim hiſtoria non procul ipſum a Sichem fuiſſe, quum in Aruma ſediſſe dicitur, demonſtrat.

CXV.

Et *Druſias*, Δρȣσιὰς, prope Neapolim, id eſt Sichem fuit, auctore Ptolemæo lib. V cap. XVI, vbi in Græco longitudo eadem, latitudo paullo maior Druſiadis eſt, decem nempe ſcrupulis, ſeu gradus ſextante, ſiue quod idem eſt, decem millibus paſſuum. In Tabula vero Ptolemæo adiecta in occaſum æſtiuum a Neapoli recedit. Ab Herode haud dubie condita, qui Auguſti Cæſaris familiam, in qua Druſi erant, colebat: quemadmodum etiam turrim maximam, quam in portu Cæſarienſi condiderat, *Druſum*, Δρȣ̃σον, vt Ioſephus Antiquitat. XV cap. XIII refert; ſiue *Druſionem*, vt idem de Bello lib. I cap. XVI habet, vocauit. Arx fuerit Druſias an oppidum, quia nihil præter Ptolemæi teſtimonium de ea ſupereſt, non licet certo dicere: Ptolemæus vero inter oppida enarrauit.

SECTIO

SECTIO VI.

IVDAEA.

CXVI.

Iudæa ſæpe laxe omnem Palæſtinam, aut maiorem eius partem ſignificat: atque ita plerumque * in Romanorum eſt hiſtoriis. Hic tertia pars eſt Palæſtinæ cis Iordanem, eaque auſtralis, diſtincta a Samaritide & Galilæa, explicatis adhuc partibus. Qua notione non tantum Ioſepho ſæpe, ſed ipſis etiam ſacris Noui Teſtamenti ſcriptoribus dicta eſt. Quatuor in ea tribus continebantur, Iuda, Beniamin, Dan, Simeon: etiam Philiſtæa atque Idumæa, quæ ſeparata quidem olim fuerunt ad Dauidis vsque tempora; poſtea Iudææ quoque victoriis adnexa ſunt: vt ſic a limite Samaritano ad Arabiam Petræam, inter mediterraneum mare & Aſphaltiten lacum cum Iordanis parte contineretur.

CXVII.

Caput Iudææ & totius Palæſtinæ fuit *Ieruſalem*, ſiue *Hieroſolyma*, vrbs antiqua adeo, vt plurimi putent, eamdem Melchiſedeki ſedem *Salem* eſſe, in quibus antiquiores ſunt Ioſephus lib. I Antiquitatum cap. XI, & Geneſ. XIV Onkelos Chaldæus. Hieronymus quidem maximopere contendit, in Samaritide Melchiſedekum habitaſſe, VIII milllibus paſſuum a Scythopoli, cuius verba ſupra in *Salim iuxta Aenon* produximus, quæ an euincant illud quod Hieronymus voluit, ipſe iudicabit qui perlegit. Sane non de nihilo nomen *Salem* eſſe, ex Pſalmo LXXVI, 3 manifeſtum eſt. Sacer enim poeta veteri vocabulo dixit: *Eſt in Salem tabernaculum eius* [Dei,] *& habitatio eius in Zion.*

2. Dicta etiam fuit *Iebus*, Iudic. XIX, 11 & I Paralip. XII, 4, 5. erat enim Iebuſæorum, quæ gens Chananæa fuit, vsque ad tempus poſt Ioſuæ mortem, quo vrbem quidem ceperunt, arcem autem capere non potuerunt, quam Dauid deinde expugnauit.

3. Vocatur autem ab Ioſua etiam *Ieruſalem* cap. X, I; XV, 8, 63; & poſt eius mortem Iudic. I, 8 & 21. ** Septuaginta Græci vocant Ιερȣσαλήμ: in Nouo Teſtamento duplex vocabuli forma Ἱερȣσαλὴμ & Ἱεροσόλυμα, quæ poſterior forma profanis vſitata plurali numero, Patribus etiam ſingulari.

4. Ioſephus quoque Salem Geneſ. XIV transtulit Σόλυμα I Antiq. cap. XI, τὴν μέντοι, inquit, Σόλυμα ὕϛερον ἐκάλεσαν Ιεροσόλυμα, *vrbem Solyma poſtea vocarunt Hieroſolyma.* Imitantur poetæ Chriſtiani. Iuuencus in Matth. II de Magis ex oriente:

> *Hinc lecti proceres, Solymos per longa viarum*
> *Deueniunt.*

Sic MSS. codices; non *Solymas*, vt editum: figura ea, qua poetæ huius tem-

* Nam etiam apud Ptolemæum, apud Rutilium v. 395, Hieronymum, Euſebium, Cyrillum, Origenem pro omni Syria Palæſtina ponitur. Vid. Relandi Palæſt. I cap. 6.

** Compoſitum nomen eſt ſecundum Reladum ex ירוש *hereditas* & שלם *Salem*, ſecundum alios ex יראו & שלם id eſt, *timebunt* vel *videbunt Salem* vel *pacem.*

tempore communi nomine & gens & vrbs illius primaria vtebantur. *Solymi* enim eiſdem poetis Hieroſolymitani ſunt. Mox Iuuencus:

Territus Herodes Solymorum culmina vatum
Imperio accitos iubet omnia quærere legis.

Idem in Matthæi cap. XXI de Chriſto aſina vecto:

Sic adeo ingrediens Solymorum mœnia Chriſtus.

Et feminea forma Arator in Actor. Apoſt. cap. XX

Iamque peragratis Paullus ſtationibus orbis
Ad Solymam venturus erat.

5. Profani, vt diximus, plerumque *Hieroſolyma* vocarunt pluraliter: tamen etiam non numquam numero ſingulari, ſi ſalui libri ſunt. Cicero pro Flacco cap. XXVIII *Quum Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus veſtris prouinciis Hieroſolymam exportari* [aurum] *ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret.* Sed breui poſt idem: *Cn. Pompeius captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit.* Et Tacitus lib. V Hiſt. cap. I *haud procul Hieroſolymis caſtra facit.* Et cap. XI *ni ſtatim Hieroſolyma conciderent.* Hoc a Græcis, qui in vrbium nominibus pluralem amabant. Strabo lib. XVI pag. 522 de loco, in quo Ioppe eſt, ἀφορᾶσθαι φασὶν ἀπ' αὐτοῦ τὰ Ἱεροσόλυμα τὴν τῶν Ἰουδαίων μητρόπολιν, *conſpici ex eo dicunt Hieroſolyma, Iudæorum metropolim.* Appianus Alexandrinus in Syriacis pag. 191 *Pompeius* τὴν μεγίστην πόλιν Ἱεροσόλυμα κατέσκαψε, *maximam vrbem Hieroſolyma euertit*: quamquam in eo errauit, quia non ipſam vrbem Pompeius, ſed tantum muri partem diruit.

6. Hæc de nominibus, quibus vnum ex doctorum hominum coniectura adiiciatur, Κάδυτις, *Cadytis* Herodoti. Lib. II cap. CLIX *Necos*, inquit, *victis Syris*, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. *Cadytin, magnam Syriæ vrbem, cepit.* At cuius Syriæ? Ipſe explicat lib. III cap. V ἀπὸ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστι Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων, *a Phœnice vsque ad montes Cadytios vrbis, quæ Syrorum eſt qui Palæſtini vocantur.* Quod enim Hieroſolyma ciuitas *ſancta* dicebatur, videtur קדושה ſeu קדישא in קדיתא vel קדותה dialecto orientalibus conſueta immutatum: vnde facile Κάδυτα & Κάδυτις deduci videtur. * Stephanus, Byzantius chorographus, ex Herodoti ſecundo Κάλυτις legit, ſed haud dubie prauato codice vſus, quia Δ & Λ facile permutantur. **

7. In qua tribu fuerit, nunc disquiramus. Ioſuæ XV, 63, & Iudic. I, 8 tribuitur filiis Iudæ: at Iudic. I, 21 filiis Beniamin. Conciliatur ex Ioſuæ XV, 8, vbi linea diuiſionis harum tribuum in Ieruſalem dicitur incidere. Pars ergo ſeptemtrionalis erat Beniaminitarum: auſtralis, tribus Iudæ. *** Et Talmudiſtæ per atrium templi diuiſionis lineam tranſiſſe refe-

* Sed Relandus putat libro III pag. 669 ab hiſtoricis non adpellari vrbes ex cognomine, niſi addatur πόλις, aut ſimile quid. Addit Herodotum in deſcribenda ora maritima verſari, a qua remotior fuerit Hieroſolyma. Mauult Gath intelligi per Κάδυτιν.

** De nomine *Aeliæ Capitolinæ* vide infra § XVI.

*** Copioſe de hac controuerſia diſputat Relandus pag. 839-846.

referunt: de qua Lightfootus Chorograph. in Matthæum cap. XXI conſulatur. Ornamenta ſua a Dauide habuit: maiora ab Salomone: fata & excidium a Babyloniis: & poſt inſtaurationem adflicta fuit a Macedonicis Syriæ regibus, defenſa ab Haſmonæis: quorum diſſidio factum, vt caperetur a Pompeio: iterum a Parthis pro Ariſtobulo; rurſus ab Romanis pro Herode: & poſt rebellionem tandem a Tito expugnata & deleta. *

8. Situs & loci poſitio fuit in collibus, quos Ioſephus lib. v de Bello cap. XIII deſcribit. *Ciuitas*, ὑπὲρ δύο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο, μέσῃ φάραγγι διῃρημένων, εἰς ἣν ἐπάλληλοι κατέληγον αἱ οἰκίαι, *ſuper duos colles, contrariis frontibus ſe mutuo inſpicientes, eſt condita, interueniente valle diſcretos, in quam vtrimque ædificia deſinebant.* Horum collium alter, isque excelſior porrectiorque altero, τὴν ἄνω πόλιν, *ſuperiorem vrbem*, quam rex David propter munitiorem ſitum φρούριον, *caſtellum* [Dauidisburgum] adpellauit; vulgus Ioſephi tempore, τὴν ἀγορὰν, *ſuperius forum* ſiue oppidum. Alter collis dicebatur ἄκρα, *Acra*, τὴν κάτω ὑφεστὼς, *inferiorem ciuitatem ſuſtinens.* Contra hunc tertius collis erat, natura humilior quam Acra, & alia late valle diuiſus, quam Haſmonæi, detracta Acræ altitudine, oppleuerunt, συνάψαι βουλόμενοι τῷ ἱερῷ τὴν πόλιν, *vt templo ciuitatem coniungerent.* Quin & quartus collis incolebatur, τὸ νεόκτιστον μέρος, *pars adiecta ciuitati*, dicta Βεζεθὰ, *Bezetha*, quod Græce Ioſephus interpretatur καινὴ πόλις, *Noua ciuitas*, ex aduerſo Antoniæ, foſſis autem altiſſimis ab illa ſeparata.

9. Primus collis, ſuperiorem continens ciuitatem, eſt ſacris litteris celebratiſſimus mons *Zion* ſiue *Sion*, a Dauide ædificatus: in quo fuit βασιλικὴ αὐλὴ, *aula regia.* Ioſephus lib. II de Bello cap. XXXIX de Ceſtio: πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν, ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο, *quum ad ſuperiorem ciuitatem veniſſet, ex oppoſito Aulæ regiæ caſtra metatus eſt.* Ipſe mons Zion ſeptemtrionalis pars vrbis Hieroſolymæ erat, quod ex Pſalmo XLVIII, 2 liquet, vbi Aben-Eſra adnotauit ציון בצפון ירושלם *Zion in ſeptemtrione eſt Hieroſolymæ.* ** Pars Zionis, in extremitate eius ſita, *Millo* fuit, introrſum a Dauide ædificata: ideo *Millo vrbis Dauid*, ſiue *in vrbe David* dicitur 2 Paralip. XXXII, 5.

a) Secundus collis, *Acra*, dictus, *** erat vetus Ieruſalem, cui Zion poſtea acceſſit ſeu ciuitas Dauidis: ideoque in ſacris ſcripturis Zion & Ieruſalem non numquam diſtinguuntur. Inſigniora huius partis ædificia nominantur ab Ioſepho lib. VI de Bello cap. XXXV *Archiuum, Acra* proprie dicta, βουλευτήριον, *Curia,* & alia.

b) Ter-

* Titi & excidii tempore maxima videtur fuiſſe Hieroſolyma. Et Ioſephus teſtatur, vrbem in circuitu habuiſſe ſpatium XXXIII ſtadiorum. Ioſeph. de Bell. VI cap. 6. Reland.

** Refragatur Relandus pag. 846 ex Ioſephi Bell. VI cap. 6 & 8.

*** Ab arce fortaſſis, quam Antiochus ibi condiderat, vt templum infeſtaret, quamque Simon cepit & ſolo æquauit.

b) Tertius collis eſt mons *Moriah* (τὸ Μώριον ὄρος lib. I Antiquit. cap. XIV) in quo templum fuit. Et ibidem Ioſephus adiecit, Abrahamum cum filio immolando adſcendiſſe εἰς τὸ ὄρος, ἐφ᾽ ὃ τὸ ἱερὸν Δαβίδης ὁ βασιλεὺς ὕστερον ἱδρύεται, *in montem, in quo poſtea rex Dauid templum exſtruxit*, ſeu voluit exſtruere, Salomo perfecit. Et Hieronymus Ierem. XXVI, 4 *exſtructo templo in area Ornæ, & in monte Moria, hoc eſt Viſionis; in quo Abraham filium ſuum Iſaac obtuliſſe narratur.* Hic vero collis prius anguſtior erat, vix vt templum caperet, vnamque porticum aggeri ex valle educto imponeret: inſequutis autem temporibus alii aliique aggeres adiecti, & ſplendida adpoſita ædificia, vt ita collis laxior, maiorque ambitus templi fieret. Circumdatus triplex murus, vt munitiſſimum ſimul templum eſſet propugnaculum. * Ioſephus hæc tradit lib. V de Bello cap. XIV.

c) Quartus collis, isque minor *Bezetha*, Βεζεθὰ, quam Græce Καινόπολιν, quaſi *vrbem nouam*, dixerunt. Sic enim coniuncte Καινόπολις Ioſephus ſcripſit lib. II de Bello cap. XXXIX: quum ſupra dicto loco (lib. V cap. XIII) ſeparaſſet καινὴ λέγοιτ᾽ ἂν πόλις, *nouam interpretareris vrbem.* Hanc rex Agrippa munire cœperat, ſed intermiſit, ne Claudio ſuſpicionem nouarum rerum daret: Iudæi vero poſtea cœptum hunc murum eduxerunt ad viginti cubitos, vt ibidem Ioſephus ſubnotauit.

10. Quod vero collis Bezetha κείμενος ἀντικρὺ τῆς Ἀντωνίας, *ſitus ex oppoſito Antoniæ*, lib. VI cap. XIII, de ipſa nunc *Antonia*, quæ Ioſephus tradidit, pauca proferemus. Originem idem prodit lib. XVIII Antiquitat. cap. VI, Hyrcanum, primum huius nominis pontificem, condidiſſe βάριν πλησίον τῷ ἱερῷ, *turritam domum prope templum*, in qua ipſe vt plurimum habitauerit, & ſtolam ac ornatum pontificium in ea ſecum adſeruauerit, vnde mos cuſtodiendi in hac arce ſtolam ſub Herode, Archelao & ipſis Romanorum procuratoribus manſerit vsque ad Vitellium, Syriæ præſidem, qui Iudæis in templo adſeruandam permiſerit: quamquam nec hoc ſine certamine fuit poſtea, vt ex lib. XV cap XIV adparet. Herodes autem ταύτην τὴν βάριν ὀχυρωτέραν κατεσκευάσας ἐπ᾽ ἀσφαλείᾳ καὶ φυλακῇ τοῦ ἱεροῦ, χαριζόμενος Ἀντωνίῳ, φίλῳ μὲν αὐτοῦ, Ῥωμαίων δὲ ἄρχοντι, προσηγόρευκεν Ἀντωνίαν, *hanc turrim* ſeu *regiam domum munitiorem fecit ad ſecuritatem & cuſtodiam templi, & in honorem amici ſui Antonii, Romanorum rebus per orientem præpoſiti, Antoniam nominauit.* Hæc lib. XV cap. XIV Ioſephus. Ex quo munitiſſimum munimentum ac caſtellum ad obſeruandos in templo Iudæos fuit. Idem lib. XVIII cap. VI Ἀντωνία φρούριόν ἐστιν οὕτως λεγόμενον, *Antonia caſtellum eſt, ita nominatum.* Erat autem, vt lib. V de Bello cap. XV traditur, capax admodum, στρατοπέδων αὐλὰς πλατείας, *caſtrorum aulas latas* continens. καθῆστο γὰρ ἀεὶ ἐπ᾽ αὐτῆς τάγμα Ῥωμαίων, *ſemper enim in ea legio Romana ſtationem habebat*, puta, quum prouincia eſſet Iudæa.

Quid?

* *Moria* conſiderari poteſt vt pars Sionis, cui iunctus erat ponte & xyſto. Ioſeph. de Bell. VI c. 6 ſ. 2 edit. Hauercamp. Ieſ. XXXI, 4. Sic multis in locis Deus dicitur habitare in Sione, quum tamen templum eius eſſet in Moria.

Quid? ædificiorum amplitudine & vſu vario πόλις δοκεῖ, *oppidum videbatur eſſe:* magnificentia βασίλειον, *regium palatium.* Erat etiam πυργοειδὴς, *turris inſtar*, formata & alti munimenti ad quadraginta cubitos, vt tamen alias quatuor turres in angulis haberet, quarum ceteræ quinquaginta cubitorum; quæ vero meridiem & orientem ſpectabant, ſeptuaginta erant, ὡς καθορᾶν ὅλον ἀπ' αὐτοῦ τὸ ἱερὸν, *vt totum templum inde poſſet perſpici.* Qua vero porticibus templi iungebatur, εἰς ἀμφοτέρας εἶχε καταβάσεις, *vtrimque habebat gradus.*

11. Nec arcis modo, ſed totius vrbis munitiones erant validiſſimæ. Ioſephus lib. v cap. XIII τρισὶ δὲ ὠχυρωμένη τείχεσιν ἡ πόλις, κατὰ μὴ τοῖς ἀβάτοις φάραγξιν ἐκύκλωτο· ταύτης γὰρ εἷς ἦν περίβολος. *Triplici autem muro vrbs* [Hieroſolyma] *circumdata erat, niſi qua vallibus inacceſſis cingebatur. ex ea namque parte vnius muri habebat ambitum.* Tertius murus, qui extimus, totus admirabilis, nonaginta turribus inſtructus, quarum interualla CC cubitorum erant: medius turres habuit quatuordecim: intimus & antiquus ſexaginta. Quas ex his Herodes vel condiderat vel fecerat munitiores in vetere muro, iis nomina indiderat ex ſua familia, aliam Φασάηλον πύργον, *Phaſaelon turrim,* a fratre; aliam πύργον τὴν Μαριάμμην, *turrim Mariamnen,* nominans. Maxime vero celebratur ὁ Ψήφινος πύργος, *Pſephina turris*, ὀκτάγωνος, *octo angulorum*, quum ceteræ pleræque eſſent τετράγωνοι, *quadrangulæ.* Ex Pſephina, LXX cubitis alta, hinc Arabia, illinc mare conſpici poterat. Contra hanc ὁ Ἱππικὸς, *turris Hippica*, quæ dicebatur, ſtructa erat. Nec minus Tacitus lib. v Hiſt. cap. XI & XII munimenta Hieroſolymorum laudauit. *Vrbem*, inquit, *arduam ſitu, opera molesque firmauerant, queîs vel plana ſatis munirentur. Nam duos colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati: vt latera oppugnantium ad ictus pateſcerent. Extrema rupis abrupta: & turres, vbi mons iuuiſſet, in ſexaginta pedes; inter deuexa, in centenos vicenosque attollebantur: mira ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia regiæ circumiecta: conſpicuoque faſtigio turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode adpellata. Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios: ipſæ porticus, queîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ: cauati ſub terra montes: & piſcinæ ciſternæque ſeruandis imbribus. Præuiderant conditores ex diuerſitate morum crebra bella: inde cuncta, quamuis aduerſus longum obſidium: & a Pompeio expugnatis, metus atque vſus pleraque monſtrauere. Atque per auaritiam Claudianorum temporum, emto iure muniendi, ſtruxere muros in pace tamquam ad bellum.* Quæ de templo dixit Tacitus, eiusque munimentis, Pompeii diuturna obſidione comprobata ſunt, quippe illud vix tertio menſe expugnatum fuit, vt Ioſephus lib. XIV cap. VIII, Eutropius lib. VI cap. XI referunt. Ibidem Ioſephus templi difficultatem expugnandi ex eo demonſtrat, quod etiam, vbi minus munitum videbatur, a ſeptemtrione videlicet, vbi & Pompeius oppugnabat, erant μεγάλοι πύργοι, καὶ τάφρος δὲ ὀρώρυκτο, καὶ βαθεία περιείχετο φάραγγι, *magnæ turres, & foſſa manu*

(Mmm) 2 *facta*

facta præter profundam vallem, quæ templum cingebat. Vrbem verſus etiam abrupta omnia erant, cui ponte templum iungebatur, quem, qui intus erant, obſidionis tempore diſſoluerunt. Ioſephus ibidem de Ariſtobuli factione: φθάσαντες οὗτοι τὸ ἱερὸν καταλαμβάνουσι, καὶ τὴν τείνουσαν ἀπ' αὐτοῦ γέφυραν εἰς τὴν πόλιν ἔκοψαν, *hi præuenientes alteros templum occupabant, & pontem, quæ inde in vrbem ferebat, abruperunt.*

12. Eſt & *Ophel* ſiue *Ophla* colliculus & pars Hieroſolymæ, Nehem. III, 26. Situm quodammodo Ioſephus monſtrauit. Lib. V de Bello cap. XIII, *Murus,* inquit, *ſupra fontem Siloam in meridiem flexus, inde in orientem reflectitur, qua ſtagnum Salomonis eſt; & vsque ad locum pertingens, quem Ophlan vocant, cum orientali porticu templi coniungitur.* Editum vitioſe, credo, μέχρι χώρου ἣν καλοῦσι ΟΦλᾶς. * lego ΟΦλᾶν. Et cap. XVI *Ioannes* [caput factionis] *tenuit templum,* καὶ τὰ πέριξ ἐπ' οὐκ ὀλίγον, τόν τε ΟΦλᾶν καὶ τὴν Κεδρῶνα καλουμένην Φάραγγα, *& quæ circa ſunt non pauca, Ophlan & vallem Cedronem.*

13. Aquarum non multa erat copia, vt tamen ſufficeret obſeſſis etiam. *Fons perennis aquæ,* dixit ſupra Tacitus. Intra templi munimenta, an extra illa? Hieronymus vnum tantummodo fontem Hieroſolymitanis fuiſſe, Siloam ſiue Gihon, in Ieremiæ XIV pr. auctor eſt. *Vno,* inquit, *fonte Siloe, & hoc non perpetuo vtitur ciuitas, & vsque in præſentem diem ſterilitas pluuiarum non ſolum frugum, ſed & bibendi inopiam facit.* Ioſepho teſtante fons Siloa ad extremitatem vrbis fuit poſt Acram, iuxta vallem, quæ inter Sionem & Acram eſt. Lib. V de Bello cap. XIII ἡ τῶν τυροποιῶν προσαγορευομένη Φάραγξ, ἣν ἔφαμεν τόν τε τῆς ἄνω πόλεως, καὶ τὴν κάτω λόφον διαστέλλειν, καθήκει μέχρι Σιλωᾶς. οὕτω γὰρ τὴν πηγὴν γλυκεῖάν τε καὶ πολλὴν οὖσαν ἐκαλοῦμεν. *Vallis Caſeariorum cognominata, quam diximus ſuperioris ciuitatis collem dirimere ab inferiori, vsque ad Siloam pertinet. Ita enim fontem, quæ dulcis eſt & copioſus, vocitamus.* Et cap. XVI eiusdem libri: *Simon* [caput factionis] *tenebat ſuperiorem ciuitatem vsque ad Cedronem, & antiquioris muri quantum* ἀπὸ τῆς Σιλωᾶς, *a Siloa flectitur ad orientem: - - - tenebat etiam* τὴν πηγὴν καὶ τὴν ἄκραν. αὕτη δὲ ἦν ἡ κάτω πόλις. *fontem ipſum & Acram, quæ eſt ciuitas inferior.* Male hic Latinus interpres, *tenebat montem Acram.* Sic intra munimenta fons, ſaltem exteriora fuit. quod Hieronymo non repugnat in Matth. XXIII, 35 dicenti, *in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt.* Nec ſolus fons ita adpellatus eſt, ſed ſtagna etiam, in quæ ſe emiſit, præſertim inferius, quod ab occidente erat, haud illud, de quo Ioann. IX, 7 dictum, νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ, *laua te in piſcina Siloam.* Superioris piſcinæ mentio eſt 2 Reg. XVIII, 17, & Eſa. VII, 3. Et hanc videtur Ioſephus lib. V Belli cap. XIII *ſtagnum Salomonis* vocare. Nam de vetere muro dicit, πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφον πηγὴν, *ſupra fontem Siloam in meridiem flectitur; atque inde rurſus in orientem verſus, qua Salomonis* κολυμβήθρα, *ſtagnum eſt.* Etiam tractus ille, vbi

* Regio potius, quam colliculus fuit, Relando arbitro. Χῶρος certe a Ioſepho dicitur, ſed vis vocis ad *collem* nos ducit.

vbi fons & inde piſcina erat, dictus *Siloam*, Luc. XIII, 4 πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ, *turris in Siloam.* Nominis interpretatio eſt Ioann. IX, 7 ἀπεσαλμένος, *miſſus:* quod argumento eſt שלוח vel שילוח dictum Ebraice. Idem fons etiam *Gihon*, גחון, vocatur I Reg. I, 33, vbi Salomo rex inunctus dicitur. nam quod Ebraice eſt על גחון *in Gihon*, ſiue *ad Gihon;* id in Targum Ionathanis eſt לשילוחא *in Siloah.* Et ibi Kimchi adnotauit clare, גיחון הוא שילוח *Gihon eſt Siloah.* Et ad Eſa. VIII, 6, vbi *aquæ Siloah leniter fluentes* memorantur, R. Salomo Iſacides: מיין הוא ושמו גיחון *fons eſt, & nomen eius Gihon.*

14. In ſanctis ſcripturis multa mentio eſt torrentis *Kidron*, qui Ioann. XVIII, I χείμαῤῥος τῶν κέδρων, quaſi cedrorum fluuius in vulgaribus libris vocatur: alii codices τοῦ κέδρου, vel τοῦ Κεδρῶν. Ioſepho eſt ἡ Κεδρὼν, *Cedron*, non amnis quidem, nec torrens, ſed Φάραγξ, *prærupta vallis* eſt dicta, per quam vero, quod depreſſior eſt ceteris, ex montibus, quæ circa Hieroſolymam ſunt, facile collectus torrens decurrit, & in Aſphaltiten lacum ſe exonerat. Lib. V de Bello cap. XIII εἰς τὴν Κεδρῶνα καλουμένην Φάραγγα, *in Cedronem, quæ ita vocatur, vallem.* Et antea cap. VIII eiuſdem libri: κατὰ τὸ Ἐλαιῶν καλούμενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται, μέσῃ Φάραγγι βαθείᾳ διειργόμενον, ἡ Κεδρὼν ὠνόμασαι, *iuxta montem Oliuarum, vti vocatur, qui vrbi ab oriente obiectus eſt, alta interiacente valle, quæ Cedron vocatur.* Et cap. XVI τὸν Ὀφλᾶν καὶ τὴν Κεδρῶνα καλουμένην Φάραγγα, *Ophlan & Cedronem vallem ita vocatam.* Vnde ergo τῶν Κεδρῶν, Ioann. XVIII, I? Si certa ea lectio, ex LXXuirali verſione, vt vulgo vocatur, deſumta videtur eſſe, quoniam I Reg. XV, 13 translatum eſt, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῶν Κέδρων, *in torrente Cedrorum.* At 2 Samuel. XV, 23 διέβη τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων, *tranſiit torrentem Kedron:* & I Reg. II, 37 τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων: & 2 Reg. XXIII, 6 ἐν τῷ χειμάῤῥῳ Κέδρων; & commate 12 εἰς τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων. atque ita etiam legitur 2 Paralipom. XXIX, 16; & cap. XXX, 14. Quæ conſtantia abſentis articuli facit, vt vno illo loco, in quo adeſt, ſuſpectus fiat. *Kidron* enim a nigrore, non ab arbore cedro adpellatur: nec probabile, ex illa Ebræa voce *Kidron* Græcos τὰ Κέδρα formaſſe plurali numero. Cur vero non idem liceat de loco Ioannis ſentire, vt vel redundet articulus, vel ſaltem τοῦ, vt in quibusdam codicibus eſt, pro τῶν ſubſtituatur?

15. Aut pars Cedronis vallis, aut coniuncta cum ea fuit *Vallis Ben Hinnom*, Hieronymo *Geennon*, quia etiam in ſuburbanis erat & ad orientem ciuitatis. Nomen antiquum & apud Ioſuam cap. XV, 8, XVIII, 16 eſt. Idoli cultu deteſtabilis, cui filii vel immolabantur, vel transmittebantur per ignem. Locus idoli in valle dictus *Topheth*, 2 Reg. XXIII, 10, Ierem. VII, 31, 32, Adde cap. XIX, 2, & 2 Paralip. XXVIII, 3, & XXXIII, 6. Hieronymus de Locis: *Geennon, quod interpretatur vallis Ennon: & ab hac quidam putant adpellatam Gehennam. Cecidit autem in ſortem tribus Beniamin, iuxta murum Hieruſalem contra orientem.*

16. Tandem aliquid de *Aelia Capitolina*, Hadriani in loco Hieroſolymorum colonia, dicendum eſt. Ptolemæus proximus eſt a conditu, qui eius mentionem fecit. Lib. V cap. XVI in Iudæa: Ἱεροσόλυμα, ἡ νῦν καλουμένη

λϐμένη Αἰλία Καπιτωλία, *Hieroſolyma, quæ nunc vocatur Aelia Capitolia.* Et lib. VIII tab. Aſiæ IV ἡ Αἰλία Καπετωλιὰς Ἱεροσόλυμα, *Aelia Capitolias Hieroſolyma.* Ptolemæus autem ſecundum Suidam fuit ſub Marco Aurelio. Deinde Dio Caſſius in Xiphilini excerptis in Hadriano: ἐς τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτϐ̃ ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν καὶ Αἰλίαν Καπιτωλίναν ὠνόμασε, *in vrbem Hieroſolyma coloniam deduxit, quam & Aeliam Capitolinam nominauit.* Et Euſebius lib. IV Hiſtor. Eccleſ. cap. VI *Ad hunc modum ciuitas Iudæorum gente nudata, & veteribus incolis penitus vacuefacta, alienigenis eo confluentibus*, ἡ μετέπειτα συςᾶσα Ῥωμαϊκὴ πόλις τὴν ἐπωνυμίαν ἀμείψασα, εἰς τὴν Αἰλίϐ Ἀδριανϐ̃ τιμὴν Αἰλία προσαγορεύεται, *quæ deinde conſtituta eſt Romana ciuitas, nomen permutans, in honorem Aelii Hadriani eſt Aelia adpellata.* * Atque ita paſſim Hieronymus *Aeliam* vocat, etiam auctor itinerarii, quod Antonini præ ſe nomen fert: vt de nomine ac conditore nihil ſit quod dubitemus. Quod valide etiam confirmant nummi ipſius Hadriani, Antonini Pii, & Marci Aurelii, omnes inſcripti: COL. AEL. CAP. hoc eſt, *Colonia Aelia Capitolina:* & alio Diadumeniani, COL. AEL. CAP. COMM. cum additamento *Commodiana*, quod forte præſtat ad Ceionium Commodum, qui & Aelius Verus dictus fuit, ab Hadriano adoptatum, referre, quam credere, auctam a Commodo auguſto, Marci filio, coloniam fuiſſe. Ornamenta nouæ vrbis in Faſtis Siculis ſeu Chronico Alexandrino ſcribuntur p. 597, Hadrianum in ea condidiſſe δύο δημόσια, καὶ τὸ θέατρον, καὶ τὸ τρικάμαρον, καὶ τὸ τετράνυμφον, καὶ τὸ δωδεκάπυλον τὸ πρὶν ὀνομαζόμενον ἀναβαθμοὶ, καὶ τὴν Κόδραν, *duo fora, theatrum, ædem trium fornicum, tetranymphum, & ædificium duodecim portarum, quod antea Gradus adpellabant; & denique Codram:* quæ publica ædificia vrbem ſplendidam arguunt, ſi non per ſe illud ex coloniæ imperatoris nomen referentis conditione clarum eſſet. Iouis Capitolini templum habuiſſe, cognomen *Capitolinæ* arguit. Locus non plane idem, qui Hieroſolymorum, ſed mutatis quodammodo pomœriis, quæ extra vrbem fuerant, in ipſam inciderunt Aeliam, adeo, vt Abulpharagius in Dynaſt. VII pag. 121 ſcripſerit, *Aeliam Hadriani* fuiſſe קריבא מגהא *prope illam* euerſam Hieroſolymam.

CXVII.

Loca nunc adeunda, quæ proxima erant Hieroſolymæ in ſacris & aliis hiſtoriis memorata. In his *Mons oliuarum* eſt, ab ortu ſolis, interiecta Cedrone valle, oppoſitus ciuitati. Matth. XXI, 1 & cap. XXVI, 30 eſt τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν: & alia forma ἀπὸ ὄρϐς τϐ̃ καλϐμένϐ ἐλαιῶνος, *ab ita nominato monte olivueti.* Ioſephus lib. II de Bello cap. XXIII εἰς τὸ ἐλαιῶν καλϐμενον ὄρος, *in Olearum, vt vocatur, montem.* Et lib. V cap. VIII, vbi ſitum & poſitionis plagam ſimul deſcribit: *iuſſi ſunt, quum ſex ſtadiis abeſſent ab Hieroſolymis,* ςρατοπεδεύσαϑαι κατὰ τῶν ἐλαιῶν καλϐμενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται, μέσῃ φάραγγι βαθείᾳ διειργόμενον, ἣ Κεδρὼν ὠνόμασθαι, *caſtra*

* Oroſius VII c. 13 *Hadrianus præcepit, ne cui Iudæo introeundi Hieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tantum ciuitate permiſſa: quam ipſe in optimum ſtatum murorum exſtructione reparauit, & Aeliam vocari de prænomine ſuo præcepit.*

ſtra metari iuxta oliuarum montem vrbi ab oriente obiacentem, interiecta profunda valle, quæ Cedron adpellatur. Orientalis hæc ad vrbem poſitio tradita eſt etiam Zachariæ XIV, 4.

CXVIII.

Ad hunc oliuarum montem erat locus *Bethphage*, * vti ex Matth. XXI, 1 notum eſt. Talmudiſtis *Bethphage* eſt intra mœnia vrbis, in extrema tamen parte, quæ montem ſpectabat Olíueti, quod pluribus teſtimoniis Lightfootus in Matth. Chorogr. cap. XXXVII demonſtrauit. Bethphage autem Euangelii extra vrbem fuit in deſcenſu montis, non minimo interuallo ab vrbe. Ex quo videtur colligi, omnem illam decliuitatem montis cum parte vallis & extremum vrbis vicum communi nomine *Bethphage* vocari: quemadmodum *Bethania*, non modo Lazari vicus in altera deſcenſione montis vel poſt illam erat, ** ſed tractus etiam montis dictus eſt a vico vsque in verticem, vbi Saluator in cælum adſcendit, Lucæ XXIV, 50, qui locus intra iter ſabbati ab vrbe erat, hoc eſt, ad ſeptem ab illa ſtadia, vt Syrus Actor. 1, 12 interpretatus eſt. Propius ad mentem Lighfooti Bonfrerius accedit, in primo montis adſcenſu, ſeu primo ingreſſu vallis conſtituens *Bethphagen.* Hieronymus autem in Locis: *Bethphage villula in monte Olíueti, ad quam venit Dominus Ieſus.* De altera villa vel vico, in quo Lazarus habitauit, Hieronymus: *Bethania villula in ſecundo ab Aelia milliario in latere montis Olíueti: vbi Saluator noſter Lazarum ſuſcitauit, cuius monumentum eccleſia, nunc ibi exſtructa, demonſtrat.* Bene diſtantiam definiuit, conſonante apoſtolo Ioanne cap. XI, 18, ἦν δὲ ἡ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε, *Bethania erat propinqua Hieroſolymis, a quindecim videlicet ſtadiis.* Villulam autem quum Hieronymus dixit, loquitur de ſuis temporibus: quum Lazarus incoleret, non eſt dubium, vicum vel oppidulum fuiſſe, bello poſtea in villulæ tenuitatem redactum.

CXIX.

Præterea locus eſt propinquus Gibeonem verſus & Bethoron, qui Σκοπὸς, *Scopus* dicebatur, in obſidionibus notabilis, primum Ceſtii, de quo Ioſephus lib. II Belli cap. XXXIX στρατοπεδευσάμενος ἐπὶ τοῦ καλουμένου Σκοποῦ. διέχει δὲ οὗτος ἑπτὰ τῆς πόλεως σταδίους, *caſtra metatus in loco, qui Scopus adpellatur, ſeptem ab vrbe ſtadiis remoto.* Et lib. V cap. VIII de obſidione Titi: *Cæſar* [Titus] accepta ex Emaunte legione, ἐκεῖθεν ἄρας ἐπὶ τὸν Σκοπὸν καλούμενον πρόσεισιν. ἔνθεν ἥ τε πόλις ἤδη κατεφαίνετο, καὶ τὸ τοῦ ναοῦ μέγεθος ἐκλαμπρον, καθὰ τῷ βορείῳ κλίματι τῆς πόλεως χθαμαλὸς συνάπτων ὁ χῶρος, ἐτύμως Σκοπὸς ὠνόμασται· τῆς δὲ πόλεως σταδίους ἑπτὰ διέχων, *inde* [ex caſtris quæ triginta ab vrbe ſtadiis habuerat) *mouens ad locum, qui Scopos vocatur, accedit: vnde iam & vrbs, & magnitudo templi conſpici poteſt: qua parte ſeptem-*

* Id eſt *domus maxillarum*, פכן enim Syris eſt *maxilla.* Villa ſacerdotum fuit ſecundum Origenem. Vide Reland.

** Nam duplicem Bethaniam credere nihil opus eſt, vt Relandus quoque oſtendit. Qui idem docet, circa Bethaniam Chriſtum in eodem receptum eſſe: non in vertice montis, quod vulgus credit.

ptemtrionalem regionem ciuitatis contingens locus humilior proprie Scopos nominatus eſt, diſtans ab vrbe VII *ſtadiis.* Iudæi vocant צופים *Zophim*, & interpretantur locum, vnde proſpici poſſit templum. Situs a ſeptemtrione contra montem Zion, in tribu Beniamin.

CXX.

Nunc omnem tribum Beniaminiticam, ſitam inter Ephraim & Iudam, perluſtrabimus, incipientes a ſeptemtrione, vbi contingit Ephraimiticam: & ab ortu ſolis ſeu Iordane, vt prius partem, quæ in ortum ab Hieroſolymis recedit, percurramus: deinde alteram, quæ eſt ab occaſu. In limite ſeptemtrionali occurrit primum locus dubius *Coreæ*, Κορέαι, quem itinere a Scythopoli ἀρχὴν τῆς Ιουδαίας *initium Iudææ* Ioſephus vocat lib. XIV c. VI, de Pompeio Ariſtobulum perſequente dicens, ὡς δὲ παραμειψάμενος Πέλλαν καὶ Σκυθόπολιν, εἰς Κορέας ἥκην, ἥτις ἐςὶν ἀρχὴ τῆς Ιουδαίας διεξίοντι τὴν μεσόγειον. *Quum præterita Pella & Scythopoli peruenit Coreas, vbi, tendenti in mediterranea, Iudææ eſt initium.* Eadem lib. I de Bello cap. V p. 718 narrantur, Pompeium Pellam & Scythopolim prætergreſſum, ἧκεν εἰς Κορέας, ὅθεν ἡ Ιουδαίων ἄρχεται χώρα, κατὰ τὴν μεσόγειον ἀνιόντων, *veniſſe Coreas, vnde fines Iudææ incipiunt ſecundum meridiana proficiſcentibus.* Si Iudæam conſueto more Samaritidi oppoſuit, res ſalua eſt: nec videtur aliter interpretandum. Nam Pompeius Scythopolim prætergreſſus, cum Ariſtobulo circa Alexandreum caſtellum actis rebus, caſtra poſuit ἐπὶ Ιεριχοῦντα, *apud Hierichuntem*, vt omnino a Scythopoli in auſtrum verſus videatur profectus eſſe. Vide Ioſeph. lib. XIV cap. VI & VII.

CXXI.

Coreis vicinum fuit, vt vtroque loco Ioſephus tradit, Αλεξάνδρειον, *Alexandréum* caſtellum, ἔρυμα περικαλλὲς, ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ ὄρους ἱδρυμένον, *munimentum elegans in montis ſitum vertice*, vt lib. XIV cap. VI deſcribitur. Et eodem libro, cap. X de Alexandro Ariſtobuli filio, poſt victo a Gabinio: Αλεξάνδρειον ὠχύρου, τὸ πρὸς ταῖς Κορέαις ἔρυμα, *Alexandreum, caſtellum iuxta Coreas, munitionibus firmauit:* quæ repetuntur lib. I de Bello cap. VI, & præterea memoratur cap. XII eiusdem libri. Sed ex nullo horum locorum certus ſitus vel Alexandrei, vel, quæ vicinæ erant, Corearum inueniri poteſt. Conditor caſtelli videtur Alexander Iannæus, pater Hyrcani & Ariſtobuli, quorum controuerſiam Pompeius iudicauit.

CXXII.

In limite etiam fuit *Bethauen*, prope Bethel, vt ſupra in Bethel diximus. * Fuiſſe autem diſtinctum a Bethel oppidum, licet Bethel aliquando *Bethauen* propter impietatem dicitur, ex Ioſuæ VII, 2, cap. XVIII, 12, 1 Sam. XIII, 5 manifeſtum eſt.

CXXIII.

Caſtella nunc adgredimur & oppida, haud longe ab hoc limite & circa Hierichuntem ab Herode exſtructa. Septemtrionem ſupra Hierichuntem ſpectabat *Phaſaelis*, Φασαηλὶς, in memoriam fratris Phaſaeli condita. Ioſe-

* Colligitur id ex coniunctione Gibeæ & Ramæ Hoſ. V, 8.

Ioſephus lib. XVI cap. IX ὁμώνυμον αὐτῷ καὶ πόλιν περὶ τὸν αὐλῶνα τῆς Ἱεριχοῦντος ἔκτισεν, ἀπιόντων κατὰ βοῤῥᾶν ἄνεμον. *Eodem nomine* [quo turrim Phaſaelum in fratris memoriam Hieroſolymis rex Herodes condiderat] *etiam vrbem circa Hierichuntis vallem, qua in ſeptemtrionem itur, condidit.* Et lib. I de Bello cap. XVI καὶ πόλιν ἄλλην κτίσας κατὰ τὸν ἀπὸ Ἱεριχοῦς ἰόντων αὐλῶνα πρὸς βοῤῥέαν, Φασαηλίδα ὠνόμασεν. *Et aliam vrbem* [Herodes] *condens iuxta vallem, qua ab Hierichunte in boream itur, Phaſaelidem nominauit.* Hoc oppidum, vt lib. II cap. IX traditur, Auguſtus, Herode mortuo, Salomæ, ſorori eius, tradidit. Σαλώμη δὲ Ἰαμνίας τε καὶ Ἀζώτου καὶ Φασαηλίδος ἀποδείκνυται δέσποτις, *Salome autem,* inquit, *declaratur Iamniæ, & Azoti, & Phaſaelidis domina.* Vallis quoque illa, cui adiacebat, Ioſepho αὐλὼν τῆς Ἱεριχοῦντος dicta, & ipſa *Phaſaelis* eſt cognominata. Plinius lib. XIII cap. IV de caryotis: *Vt copia ibi* [in Oriente] *atque fertilitas: ita nobilitas in Iudæa, nec in tota, ſed Hiericunte maxime. Quamquam laudatæ & Archelaide, & Phaſelide atque Liuiade, gentis eiusdem conuallibus.* PHASELIDE, in libris eſt, quod Ioſepho *Phaſaëlis*, recto caſu: vnde fortaſſe, ad imitationem oppidi Lyciæ, littera excidit. Et Ptolemæus lib. V cap. XVI Φασαηλὶς, *Phaſaelis* ſcripſit, quam ab Hierichunte in ortum paullo reduxit. *Palmeta Phaſaelidis* Ioſephus lib. II de Bello cap. XIII laudauit, τοὺς φοινικῶνας ἐν Φασαηλίδι vocans, quos Salome moriens teſtamento Liuiæ Auguſtæ reliquit.

CXXIV.

Et matris honori Herodes caſtellum *Cypron* nomine dicauit. Ioſephus lib. XVI cap. IX ἐπώνυμον τῇ μητρὶ χωρίον ὑπὲρ Ἱεριχοῦντα οἰκοδομήσας, ἐκάλεσεν Κύπρον, *caſtellum, quod matris nomen referret, ſuper Hierichunta ædificans, vocauit Cypron.* Et lib. I de Bello cap. XVI τὸ ὑπὲρ Ἱεριχοῦντος φρούριον, ὀχυρότητι καὶ κάλλει διάφορον τειχίσας, ἀνέθηκε τῇ μητρὶ προσειπὼν Κύπρον, *Caſtellum* [Herodes] *ſuper Hierichuntem natura tutum & pulchritudine præcipuum muro cingens, in honorem matris Cypron vocauit.* Sub Nerone a ſeditioſis Iudæis fuit occupatum, qui, interfecto Romano præſidio, etiam ἐρύματα κατέῤῥιψαν εἰς γῆν, *munimenta deſtruxerunt,* Ioſeph. lib. II Belli cap. XXXVI, vbi & *imminere Hierichunti* (καθύπερθε ἦν Ἱεριχοῦντος) dicitur.

CXXV.

Archelais in ſeptemtrionem ab Hierichunte & occaſum verſus magis recedit, quem ſitum Ptolemæus adſignauit. Condita ab Archelao, Herodis filio, de quo Ioſephus lib. XVII cap. XV κώμην δὲ κτίσας, Ἀρχελαΐδα ὄνομα αὐτῇ τίθεται, *vicum ædificiis ornat & Archelaidis nomen ei imponit.* Videtur vicus ille eſſe, vbi noua palmeta Archelaus plantauit, quod ibidem adnotatum eſt. nam conuallem illam & Plinius lib. XIII cap. IV a fertilitate laudauit, ipſamque vocat Archelaidem ab oppido vel vico adiacente. *Nobilitas,* inquit, [caryotis] *in Iudæa, nec in tota, ſed Hiericunte maxime: quamquam laudatæ & Archelaide, & Phaſelide, atque Liuiade, gentis eiusdem conuallibus.*

CXXVI.

An etiam *Hyrcanium*, his nouis κτίσμασι adnumerandum, in hac regione

gione fuerit, non eſt liquidum. Veroſimile tamen, fuiſſe. nam Ioſephus lib. I de Bello cap. VI Alexandrum, Ariſtobuli filium, dicit idonea loca communiiſſe ἀλεξάνδρειόν τε καὶ Ὑρκάνιον, *Alexandrium & Hyrcanium*. Addit quidem Machærunta trans Iordanem; ſed diſcernit, dum ex his ſolam dicit ad Arabiæ montes eſſe. Cap. XIV eiusdem libri vocat Ὑρκανίαν, *Hyrcaniam*, quam, quum Antigoni ſoror teneret, Herodes expugnauit.

CXXVII.

Certior poſitione, nobiliorque eſt *Hierichûs* ſiue *Iericho*, יריחו, * & Græcis vtroque V. & N. Teſtamenti codice Ἱεριχὼ indeclinabile, vt ἀπὸ Ἱεριχὼ, εἰς Ἱεριχὼ, ἐν Ἱεριχώ: Hieronymus autem in Locis etiam per caſus hanc formam flectit, *Galgala*, dicens, *ad orientalem plagam antiquæ Hierichûs:* quamquam Euſebius ibi, quem expreſſit Hieronymus, τῆς πάλαι Ἱεριχώ. Ioſepho eſt Ἱεριχοῦς, οῦντος, *Hierichûs, Hierichuntis*. Atque ita chorographus Stephanus: Ἱεριχοῦς πόλις μεταξὺ Ἱεροσολύμων καὶ Ἰορδάνου ποταμοῦ. ἡ γενικὴ, Ἱεριχοῦντος. *Hierichûs vrbs eſt inter Hieroſolymam & Iordanem fluuium. Genitiuus, Hierichuntis.* Alia tamen etiam forma Ioſephus lib. IV Belli cap. XXVIII ἐν τῇ Ἱεριχοῖ, quæ ab Ἱεριχὼ in recto eſt, flexili tamen per caſus; non, vt ante oſtendimus, indeclinabili. Per kappa Strabo Ἱερικοῦς, & Plinius *Hiericûs* ſcripſerunt, quorum verba poſt paullo proferemus. Diſtat ab Hieroſolyma CL ſtadiis; ab Iordane LX. vt Ioſephus notauit lib. IV de Bello cap. XXVII; qui & totum ſpatium ab Hieroſolymis deſertum & ſaxoſum dicit; etiam ab Hierichunte ad Aſphaltiten lacum æque incultum ac ſterile: nihilominus propiora oppido & ſupra illud quæ ſunt, fertilitate & deliciis abundant adeo, vt, Ioſepho ibidem iudice, non errauerit, qui θεῖον εἶναι τὸ χωρίον, *diuinum illum campum* dixerit. ** nam φέρει καὶ ὀποβάλσαμον καὶ μυροβάλανον, *fert etiam opobalſamum ac myrobalanum*, *** habetque παραδείσους καλλίστους καὶ πυκνοτάτους, *paradiſos pulcherrimos ac denſiſſimos.* Tacitus lib. V Hiſt. cap. VI de hac regione: *Exuberant fruges noſtrum ad morem: præterque eas balſamum & palmæ. Palmetis proceritas & decor: balſamum modica arbor: vt quisque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pauent venæ; fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur. humor in vſu medentium eſt.* Strabo lib. XVI pag. 522 Ἱερικοῦς ἐστὶ πεδίον, *Hiericus planities eſt montibus circumdata, qui alicubi* θεατροειδῶς, *inſtar theatri ad illam declinant.* ἐνταῦθα δ' ἐστὶν ὁ Φοινικὼν, *ibi vero palmetum eſt, cui aliæ ſtirpes frugiferæ permixtæ ſunt, palmis vero abundans, centum ſtadiorum ſpatio, irriguum totum & habitationibus plenum. Ibi &* βασίλειον, *regia eſt,* καὶ τοῦ βαλσάμου παράδεισος, *& balſami paradiſus: quæ planta aromatica eſt, cuius ſuccus tenaci*

* *Iericho* in campo ſita eſt, eique nudus & ſterilis mons longiſſimus imminet, qui in ſeptemtriones ad Scythopolitarum agrum extenditur, in meridiem vero vsque ad Sodomitarum regionem & fines Aſphaltitidis, Ioſeph. Bell. IV, 8, 2 pag. 297, 298. *Noua Hiericho* a vetere diſtabat paullum. Ioſeph. ibid. ſ. 3 pag. 298.

** Idem Ioſephus Antiq. V, 1, 21 agrum Cananææ πανευδαίμονα, ſed Hierichuntino & Hieroſolymitano comparatum nihil eſſe dicit.

*** Add. Ioſeph. Antiq. IV c. 6 edit. Hauercamp.

naci lacti ſimilis in conchis coagulatur, τίμιος ὢν ἐςὶ, καὶ διότι ἐνταῦθα μόνον γεννᾶται, *in pretio eſt propterea, quod tantum ibidem naſcitur.* Et Plinius lib. v cap. XIV *Iudæa reliqua diuiditur in toparchias decem, quo dicemus ordine: Hiericuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam,* cetera.

2. Ab his palmetis Iericho *ciuitas palmarum* vocatur. Deuteron. XXXIV, 3 *Oſtendit DEus Moſi vallem Iericho, ciuitatem palmarum:* LXX. πόλιν φοινίκων. Et Iud. I, 16 & cap. III, 13, vbi in Ebræo eſt *vrbs palmarum*, Targum habet קרתא יריחו *vrbs Iericho.* Hæc prima vrbs, quam Iordanem transgreſſi ceperunt Iſraelitæ, deleueruntque: longo poſt tempore reſtituta inſtauratoris damno I Reg. XVI, 34, inſtaurata autem gratum hoſpitium diſcipulis prophetarum præbuit, Eliæ & Eliſæ temporibus, 2 Regum II, 5, 7, 15, 18. Nobilior in Nouo Teſtamento, ab ipſo Saluatore frequentata, quod in via erat ab Hieroſolymis ferente in Galilæam. *

CXXVIII.

Hinc decem ſtadiis in ortum abeſt locus *Gilgal* ſiue *Galgal.* Græci Ioſuæ IV, 19 ἐν Γαλγάλοις, Vulgatus, *in Galgalis.* Et Hieronymi eſt *Galgala;* etiam *Golgol:* Ebræis *Gilgal.* Ab Iordane quinquaginta ſtadiis abeſt. Ioſephus lib. v cap. I οἱ δὲ πεντήκοντα προελθόντες ςάδια, βάλλονται ςρατόπεδον ἀπὸ δέκα ςαδίων τῆς Ιεριχοῦντος. *Hi vero* [Israelitæ] *quinquaginta ſtadia progreſſi* [ab Iordane,] *caſtra ponunt, quum decem ſtadiis ab Hierichunte abeſſent.* Hic exercitum luſtrauit Saul, iturus aduerſus Amalekitas, vt LXX habent & Ioſephus lib. VI Antiquit. cap. VIII, ἐν Γαλγάλοις, *in Galgalis:* Ebræi autem *in Telaim,* quod forſan alterum eiusdem loci nomen eſt.

CXXIX.

Non procul inde videtur locus *Ephrem,* ſiue *Ephraim* fuiſſe, cuius Ioann. XI, 54 facta eſt mentio. Dicitur ἐγγὺς ἐρήμου, *prope ſolitudinem* fuiſſe, ſed qualem, non indicatur. Ioſephus cum Bethel coniungit lib. v de Bello cap. XXXIII, ex quo ſequitur, vt ad ſeptemtrionalem quamdam ab Hieroſolymis ſolitudinem ſtatuamus, ** non ad auſtrinam. *Veſpaſianus,* inquit, *a Cæſarea profectus, toparchias duas Gophniticam & Acrabatenam ſubegit:* μεθ' ἃς Βηθηλά τε καὶ Εφραὶμ πολίχνια, οἷς φρουρὰς καταςήσας μέχρις Ιεροσολύμων ἱππάζετο, *poſt has Bethel & Ephræm vrbeculas, ibique præſidiis collocatis, vsque Hieroſolymam equitabat.* Forſan ad ſolitudinem Hierichuntinam aut huic propinquo loco fuit.

CXXX.

Ad ſuperiora, quæ ſupra Iericho fuerunt, adſcendamus, vt veſtigia antiquæ vrbis *Ai,* ſiue ut Vulgata habet, *Hai;* ſeu, vt Hieronymus, *Gai,* [nam varie ע littera ab interpretibus enuntiatur vel ſupprimitur] LXX Γαὶ ſiue Γαΐ Ioſuæ VII & VIII: at Geneſ. XII, 8, XIII, 3 Αγγαὶ, articulum vna exprimentes. Ioſephus lib. v Antiq. cap. I Αἴνα, vt, *Ioſua duxit* ἐπὶ

* Regio Hierichuntina ſerpentibus peſtiferis infeſta erat, & multas arces habebat *Thracem, Taurum, Dagonem, Cyprum* cet. Reland.

** VIII millia ab Aelia, ſeu XX ſecundum Hieronymum. Relandus ex Euſebio.

τὴν Αἴναν, *contra Ai:* & gentile, Αἰνάται, *Ainatæ.* Situs Geneſ. XII, 8, & XIII, 3 ſic notatur, vt ſit a Bethel orientem verſus: quod etiam Ioſuæ VII, 2 repetitur, addito, *apud Bethauen* poſitam eſſe. Ioſua exuſſit, vt notum eſt: ſed inſtauratam fuiſſe, ex Eſræ II, 28, Nehem. VII, 32 liquet.

CXXXI.

Hæc in parte Beniaminis, quæ ab Hieroſolymis in orientem vergit: ex altera, quæ occaſum ſpectat, in limite eſt *Gophna* ſiue *Guphna, Gufna,* poſteriori Iudæorum æuo, id eſt ſub ſecundo templo, non ignobilis ciuitas, quia inde ſecunda ab Hieroſolymitana toparchia fuit denominata. Ioſephus lib. III de Bello cap. IV μερίζεται εἰς ἕνδεκα κληρουχίας, ὧν ἄρχει μὲν ὡς βασίλειον τὰ Ἱεροσόλυμα. - - - αἱ λοιπαὶ δὲ μετ' αὐτὴν διῄρηνται τὰς τοπαρχίας. Γόφνα δευτέρα, καὶ μετ' αὐτὴν Ἀκραβαταί. *In vndecim ſortes* [Iudæa] *diuiſa eſt, quarum prima tamquam regia eſt Hieroſolyma: - - - ceteræ poſt eam diuiſæ ſunt ſecundum toparchias: ſecunda Gophna eſt; poſt quam Acrabatæ,* * ceteræ. Plinius lib. V c. XIV ſine ordine: *Iudæa diuiditur in toparchias decem: Hiericuntem palmetis conſitam: fontibus irriguam; Emmaum, Lyddam, Ioppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam,* ceteras. Videtur Gophna *Ophni*, עפני, Græc. Ἀφνεὶ, in Beniamin eſſe, Ioſuæ XVIII, 24, ע per *G* lecto, vt modo Ai, Gai; Amorah, Gomorra. Situm quodammodo Ioſephus lib. V de Bello cap. VI *Titus* proficiſcitur διὰ τῆς Σαμαρίτιδος εἰς Γοφνὰ, *per Samaritidem in Gophnam: inde poſt diei vnius iter* caſtra ponit πρός τινι κώμῃ Γαβαθσαοὺλῃ καλουμένῃ, *ad vicum Gabat Saul dictum.* **

CXXXII.

Michmas ſiue *Mechmas* ſeu *Machmas* ab Euſebio dicitur, Hieronymo vertente, *in finibus Aeliæ* fuiſſe: ſed longius remota erat in ſeptemtrionem. Nam I Samuel. XIII, 5 dicuntur Philiſtæi caſtra poſuiſſe *ad Michmas ab oriente,* Bethauen verſus, id eſt inter Michmas & Bethauen: & cap. XIV, 5, duæ rupes dicuntur ad caſtra Philiſtæorum fuiſſe, quarum altera ſeptemtrionem ſpectauerit, altera auſtrum, Gabam verſus. Gaba autem ſupra Hieroſolymam in ſeptemtrionem ſita erat. Eſt & Eſa, X, 28 eius mentio, ſed ita, vt longius quodammodo ab Hieroſolymis reducta videatur, quam Geba, Rama, Gibeat Saulis, propinquiora eis oppida. ***

CXXXIII.

In hoc tractu fuit etiam oppidum *Adida* ſiue *Addida.* I Maccab. XIII, 13 ἐν Ἀδιδοῖς, alii codd. ἐν Ἀδίδοις, vbi verſio *Addus.* † Ioſephus autem lib. XIII cap.

* Vtraque hæc toparchia coniungitur a Ioſepho etiam de Bell. II, 20, 4 edit. Hauercamp. & IV, 9, 9 & Antiquit. XIV, 11, 2, vt potentiſſima vrbs cum Lydda & Thamna & Emmaunte prædicatur.

** Aberat Hieroſolymis XV milliaria in via Neapolin verſus; V milliaribus a Geba eadem vtentibus via: Si Euſebium audias a Relando citatum. Hoc ſi verum eſt: locus ei verus in Tabula non eſt adſignatus.

*** Euſebius *Machmas* vicum grandem IX milliar. ab Aelia prope Rama vocat, Ioſeph. Antiq. VI, 6, 1 & XIII, 1, 6 vrbem. Farina *Michmaſi* prædicatur in Menachoth c. 8. Reland.

† Relandus *Adidam* in *Sephela* ſitam fuiſſe docet ex I Maccab. XII, 38. *Sephela* autem regio campeſtris fuit, eodem docente ex Euſebio pag. 187, circa Eleutheropolin. Ergo fortaſſe ad occaſum vel auſtrum Hieroſolymitanæ viciniæ quærenda fuerit *Adida.*

cap. XI εἰς Ἄδδιδα πόλιν, ἥτις ἐπ᾽ ὄρȣς κειμένη τυγχάνει, ὑφ᾽ ἧς ὑπόκειται τὰ τῆς Ιȣδαίας πεδία, *ad oppidum Addida* [Simon Tryphoni, Ptolemaide venienti, cum exercitu occurrit] *ſitum in monte, cui Iudæorum campi ſubiecti ſunt.* Non longius ab Hieroſolymis fuiſſe, ex lib. IV Belli cap. XXVIII adparet, quia Veſpaſianus, vt Hieroſolyma concluderet, ἐν τῇ Ιεριχοῖ καὶ ἐν Αδίδοις, *in Iericho & in Adidis* caſtella exſtruxit, & præſidia impoſuit.

CXXXIV.

Ad extrema occidentis in Beniamin procedimus. *Ono* a Beniamitis dicitur condita I Paralip. IX, 12. Fuit a Diospoli ſiue Lydda tribus milliariis, vt ex Talmud & Iuchaſin Lightfootus probauit. Coniungitur cum *Lod* ibidem & Nehem. XI, 35. *Lod* autem eſt *Lydda,* quæ alioquin in Ephraim cenſetur ab Adrichomio & aliis, credo ſitûs ratione, quos ſupra etiam ſecuti ſumus, quia in vtriusque tribus limite fuit.

CXXXV.

Modim ſiue *Modin* huc etiam referenda, patria Maccabæorum, I Maccab. II, I, vbi Μωδεὶν vocatur: Hieronymus autem *Modim.* In Locis Ebr. ſcripſit: *Modim vicus iuxta Diospolim, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibi ſepulcra monſtrantur.* Ioſephus Μωδεὶμ, *Modiim* dixit lib. XII cap. VIII ineunte: ἦν τις οἰκῶν ἐν Μωδεὶμ, κώμῃ τῆς Ιȣδαίας, ὄνομα Ματϑίας, *Habitabat in Modiim, vico Iudææ, quidam nomine Matthias.* Hic pater Iudæ, Ionathæ, & Simonis Maccabæorum. At oppidum videtur antea fuiſſe. I Maccab. II, 15 εἰς Μωδεὶν τὴν πόλιν, *in vrbem Modin* legati regii venerunt. Wilhelmus Tyrius etiam ineunte libro VIII circa viam, quæ ab Ioppe Hieroſolymam fert, dicit *Modim, ſanctorum Machabæorum felix præſidium.*

CXXXVI.

In illo tractu fuit etiam *Nob* ſiue *Nobe,* * ſacerdotale oppidum, poſt Siluntem ſedes aliquamdiu arcæ fœderis & tabernaculi ſancti, I Samuel. XXI, I, & cap. XXII, 9, 11, & commate 19, vbi *ciuitas ſacerdotum* nuncupatur. Archiepiſcopus Tyrius iam dicto loco *vicum ſacerdotalem* vocat, & in iis numerat, quæ Ioppen & Hieroſolymam interiacent. In ſeptemtrionem vero a via declinaſſe, videtur ex Eſa. X, 32 non obſcurum eſſe. Si Beniamini Tudelenſi credimus, diſtantia ab Hieroſolymis non difficulter inuenitur. Ille autem pag. 50 dicit, Gibeam Saulis tribus paraſangis a Nob abeſſe: at illa Gibea ſiue Gabath Saul triginta ſtadiis ab Hieruſalem erat, Ioſepho auctore lib. V cap. VI, vt in vniuerſum diſtantia fuerit XV vel XVI milliariorum ſeu millenorum paſſuum.

CXXXVII.

Propius ad Hieroſolymam venimus. Turbant nomina, a quibusdam inter ſe confuſa *Gaba, Geba, Gibea, Gabea, Gibea Beniamin, Gibea Saul, Gibeon, Gabaon, Gabao, Gabatha:* quæ qua ratione vel inter ſe conciliari posſint, vel ſeparari debeant, nunc diſpiciendum eſt. Fuit *Gibea* oppidum tribus Beniamin prope Iebus ſiue Ieruſalem, in quam diuertit Leuita oc-

* Dicitur etiam ſecundum Relandum *Nomba,* ſed corrupte ex Νοββά.

cidente ſole, quum vergente præteriiſſet Iebus ſeu Hieroſolymam, Iudic. XIX, 13 ſeqq. vbi Ebr. *Gibea;* Græci Γαβαά: Lat. Vulg. *Gabaa:* Ioſephus lib. V Antiquit. cap. 11 Γαβᾶ, *Gaba*, & incolæ Γαβαηνοὶ, *Gabaeni.* Ioſephus dicto loco ſitum & diſtantiam clarius deſignat. *Quum*, inquit, *a Bethlehem triginta ſtadiis proceſſiſſet, ac non longe abeſſet ab Hieroſolymis, nolletque in iis pernoctare, quamuis ſuaderet famulus; progreſſus viginti ſtadia in Gabaam venit.* Quinquaginta ergo ſtadiis a Bethlehemo Gibea in ſeptemtrionem diſtabat, vt tamen ab Hieroſolymis in occaſum declinaret. * Hæc dicitur *Gibea Beniamin* Iudic. XX, 4, & 1 Samuel. XIII, 2, quæ eadem eſt *Gibea Saul*, Eſa. X, 29. Tudelenſis peregrinator pag. 50 גבעת שאול היא גבע בנימן *Gibea Saul eſt Geba Beniamin.* Ioſephus lib. V de Bello cap. VI vocat hanc Γαβαθσαούλαν, *Gabatſaulam*, ea forma, qua Ebræi conſtruunt *Gibeat Saul.* Additur vero id nomen, quia Saul, etiam iam rex conſtitutus, ibi ſedem habuit & domicilium, 1 Samuel. X, 26. cap. XI, 4. Hæc videtur & *Gibeon* ſeu *Gabaon* vocari, ſed raro & forſan tantum 1 Paralip. XV [XIV Ebr.] 16, vbi initium fugæ & cladis Philiſtæorum dicitur inde a Gibeon fuiſſe: idem vero 2 Samuel. V, 25 dicitur a Geba factum eſſe. Sed vicina oppida erant & prœlium forſan medio inter vtrumque loco commiſſum, vt fuga hoſtium ab vtroque pariter denominari potuerit. Vere enim diſtinguuntur Ioſuæ XVIII, 24, 25, & cap. XXI, 17, vbi vtrumque inter ſacerdotales vrbes tribus Beniamin numeratur.

CXXXVIII.

Gibeon autem, ſiue *Gabaon*, vt Græci & vetus Latinus vocant, in eamdem quidem plagam, qua Gibea, ſpectans, longius paullo remota ab Hieroſolymis erat. Hæc vrbs illa eſt, cuius ciues dolo ſimulatæ longinquitatis fœdus ab Ioſua impetrarunt, Ioſ. IX & X, quæ poſtmodum ſacerdotalis facta, cap. XXI, 17, etiam Dauidis & Salomonis tempore ſanctiſſimum tabernaculum habuit, 1 Reg. III, 4, 5, & 1 Paralip. XVII, 39. Situm & diſtantiam Ioſephus oſtendit, ſed alibi XL, alio loco L ſtadiorum ab Hieruſalem. Lib. VII Antiquit. cap. X ἤδη ἐν Γαβαὼν (κώμη δ᾽ ἐςὶν αὕτη ςαδίους ἀπέχουσα τεσσαράκοντα τῶν Ἱεροσολύμων) γεγενημένος, *quum Gabaone iam eſſet, qui vicus quadraginta ſtadiis ab Hieroſolymis abeſt.* At lib. II de Bello cap. XXXVII Ceſtius dicitur ab Antipatride per Lyddam & Bethoron profectus caſtra poſuiſſe κατά τινα χῶρον Γαβαὼ καλούμενον, ἀπέχοντα τῶν Ἱεροσολύμων πεντήκοντα ςαδίους, *ad locum quemdam, qui Gabao vocatur, diſtantem quinquaginta ab Hieroſolyma ſtadiis.* In via ergo fuit a Lydda & Bethoron in Hieroſolymam ferente. Si maior hic numerus verus eſt, triginta fere ſtadiis fuit vltra Gibeam in occaſum æſtiuum. *Vicum* autem, κώμην, ante dixit & hoc loco χῶρον, *locum* tantummodo, quæ olim ciuitas non exigua fuerat, quod non mirum eſt, ſed fortunæ caſibus imputandum.

CXXXIX.

Propinqua Gibeæ etiam *Rama* fuit, quod ex Iudic. XIX, 13 clarum. Quum

* Hanc Gibeam Sauli XXX ſtadiis Hieroſolyma diſtare ait Ioſeph. Bell. V, 2, 1.

Quum enim ſeruus Leuitæ conſilium in Iebus pernoctandi daret, vergente iam ſole; herus reſpondit: *age, accedemus ad aliquem locorum, & pernoctabimus in Gibea aut Rama.* Rama autem hæc diſtinguenda eſt ab Rama Samuelis, quæ & Ramatha & Ramathaim Zophim dicta, longe hinc in occaſum ſolis & Ioppenſe mare verſus remota: noſtra autem eſt prope Ieruſalem & Gibeam ſiue Gabaam, vt ex dicto Iudicum loco monſtratum fuit. Vicinitas illa etiam I Samuel. XXII, 6 declarata eſt. *Saul* (dicitur ibi) *habitabat in Gibea ſub luco in Rama.* Vnde etiam *Rama Saulis* vocitatur. Hieronymus in Locis ex Euſebio: *Rama in tribu Beniamin ciuitas Saulis in ſexto milliario ab Aelia ad Septemtrionalem plagam contra Bethel. Meminit & huius Hieremias* [cap. XXXI, 15, vbi LXX & Matthæus, qui repetiit, cap. II, 28 ἐν Ῥαμᾷ, *in Rama.*] Etiam Eſaiæ X, 29 coniunguntur tamquam propinqua inter ſe & Hieroſolymæ, *Geba, Rama, Gibea Saul.* Munire cœperat Baeſa Iſraelitarum rex, vt Hieroſolymanum inde regnum infeſtaret, I Reg. XV, 17, 21. * in qua hiſtoria Ioſephus lib. VIII Antiquit. cap. VI *Ramathonem* hoc oppidum vocat. ἐπῆλθεν, inquit, πόλει τινὶ τῶν οὐκ ἀφανῶν, Ῥαμαθῶνι τοὔνομα, σαδίων ἀπεχούτῃ Ἱεροσολύμων τεσσαράκοντα. καὶ καταλαβόμενος ἀυτὴν, ὠχύρου, *Superuenit* [Baſanes ſeu Baeſa] *vrbi cuidam non ignobili, Ramathoni nomine, diſtanti ab Hieroſolyma ſtadiis quadraginta:* quam captam muniuit, vt inde regnum Aſani adfligeret. Conuenit diſtantia fere cum Euſebii & Hieronymi VI milliariis. Quod vero hi dixerunt ἀπέναντι Βηθὴλ, *contra Bethel* ſitam eſſe, non intelligo, quum Bethel in Ephraim ſita longe hinc in ſeptemtrionem & orientem remota ſit. An forſan Bethlehem Euſebius ſcripſerit, aliis relinquo diſpiciendum.

CXL.

Sexaginta ſtadiis in hoc tractu aberat *Emmaus, Emaus,* ſiue *Ammaus,* ab Hieruſalem, vt ſanctus Lucas diſtantiam definiuit: quocum Ioſephus lib. VII de Bello Iud. cap. XXVII conſentit, χωρίον Ἀμμαοῦς ἀπέχει τῶν Ἱεροσολύμων σαδίους ἑξήκοντα, *vicus Ammaûs diſtat Hieroſolymis ſtadia ſexaginta.* Oppidum fuit: mox vicus belli calamitate: rurſus oppidum. Herode defuncto vita, antequam regnum inter filios diuideretur, tumultu inter Iudæos orto, Quintilius Varus præſes Syriæ Emmauntem hanc incendi iuſſit. Ioſephus lib. XVII cap. XII πίμπραται καὶ Ἐμμαοῦς Οὐάρου κελεύσαντος ἐπ' ἐκδικίᾳ τῶν τελευτηκότων, προεκλειφθεῖσα ὑπὸ τῶν οἰκητόρων. *Cremata & Emmaûs eſt Vari iuſſu, in vindictam cæſorum ibi militum, deſerta tamen ab habitatoribus.* Eadem referuntur lib. II de Bello cap. VII, vbi loci nomen prima in principio vocali ſcribitur, κατεφλέγη καὶ Ἀμμαοῦς, *exuſta etiam Ammaûs eſt.* Nomen quidam ab aquis calidis deducunt, quales vero ibi nemo obſeruauit & litteris prodidit. Bonfrerius quidem ad Hieronymum Notis, prouocat ad Ioſephi teſtimonium lib. IV de Bello cap. II, ſed fallitur, quia Ammaus ibi Tiberiadis deſcribitur, non quæ eſt prope Hieroſolymam: nec interpretes orientales aut Iudæi noſtram per ח in prin-

* Sed Hieronymi temporibus diruta iacebat Gibea Sauli. Vide Reland.

principio ſcribunt, vt Talmudiſtæ alteram a חם denominant, id eſt a thermis, quas habet, vt ſupra in Galilæa oſtenſum fuit. Erat quidem ibi *aquarum abundantia*, vt Guilelmus Tyrius lib. VII cap. XXIV refert; ſed de calidis neque ipſe, nec alius prodidit. Sozomenus lib. V Hiſt. eccleſ. cap. XXI fontem dicit ante Emmauntem eſſe, vim medendi morbis habentem, ſed, quod cauſſa, vnde ducit, fabuloſa eſt, Chriſtum in eo pedes lauiſſe; nihil ille ad nomen adfert; neque ipſe Sozomenus dicit, aquam calidam edidiſſe.

2. Nouum deinde nomen arguit, ex vico oppidum rurſus factum eſſe, dum Νικόπολις, *Nicopolis* dicebatur, & coloniam Romanam Emmaûs accepit: ſed vtrum hæc ſimul facta ſint, & quo tempore, non ſane penitus eſt liquidum. Ioſephus lib. VII de Bello cap. XXVII refert, Titum Cæſarem, victa Iudæa, nullam quidem vrbem in ea condidiſſe, octingentis autem militia dimisſis dediſſe χωρίον εἰς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται Αμμαοῦς· ἀπέχει δὲ τῶν Ιεροσολύμων σαδίȣς ἑξήκοντα, *locum quemdam in habitationem, qui vocatur Ammaus. abeſt autem Hieroſolymis ſtadia ſexaginta.* Tum coloniam accepit militarem, & formam etiam oppidi: an vero ſimul nomen *Nicopolis*, dubitatur. Ait quidem Sozomenus lib. V Hiſt. eccleſ. cap. XXI. *Vrbs eſt*, inquit, *in Palæſtina, Nicopolis hodie dicta. Hanc, quum adhuc vicus eſſet, diuinus euangeliorum liber commemorat & Emmauntem adpellat. Poſt excidium autem Hieroſolymorum, & poſt victoriam de Iudæis relatam* [Romani] Νικόπολιν ἀνηγόρευσαν· ἐκ δὲ τȣ͂ συμβάντος ὅτως ὠνόμασαν, *Nicopolim vocarunt; ex euentu autem belli nomen impoſuerunt.* Mirum, ſi ab excidii Hieroſolymitani tempore id nomen habuit, Ptolemæum ſolo veteri adpellaſſe. tantum enim Εμμαȣ͂ς, *Emmaus* in Palæſtinæ parte Iudæa memorauit, ſine cognomine auſpicatiore Nicopoleos. Hieronymus autem Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Iulio Africano, hunc dicit *ſub imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat, legationem pro inſtauratione vrbis Emmaus ſuſcepit, quæ poſtea Nicopolis adpellata eſt.* Antoninus ille, Macrini ſucceſſor, Elagabalus eſt, ſub quo ſi inſtaurata fuit Emmaus, haud dubie Flauiana colonia, ſi qua fuit, Bar Cozbæ tumultu interierat: ac *poſtea* demum, vt ait Hieronymus, nouum eſt nomen impoſitum. Sæpe Hieronymus *Nicopolin* vocauit Emmaunta, vt dubitare non liceat, eamdem Emmauntem eſſe & Nicopolim. * In Ebraicis Locis: *Emaus*

* Tres ſunt loci, *Emmauntis* nomine antiquitus inſigniti, quos bene diſtinxit Relandus. Vnus eſt *Nicopolis*, qui iam in planitie Lyddam verſus conſedit. Alter eſt vicus Lucæ XXIV, 13. Tertius is, qui a Tiberiade prope abeſt.. *Emmaunta* vicum Lucæ a Nicopoli diuerſum eſſe, probat Relandus varie. Primo *Emmaus Nicopolis*, docente Itinerario veteri Hieroſolymitano, milliaria Romana XXII, id eſt CLXXVI ſtadia ab Hieroſolyma receſſerat: *Emmaus* Lucæ tantum milliaria Romana VII & D paſſus, ſeu ſtadia LX. Deinde *Emmaus Nicopolis* ad fines montium Iudææ in planitie, quæ Lyddam verſus aperitur, condita eſt: *Emmaus* Lucæ in ipſis montibus inhæſit, quippe qui late circa ſunt ſparſi, vt omnia etiam recentiora Itineraria demonſtrant. Immo a Bethchorone vsque ad Emmaunta Nicopolin in occaſum verſus montana loca porrigi, Talmudici teſtantur, locorum illorum gnari. Quum tamen Bethchoron longius etiam ab Hieroſolyma ſit remota quam Emmaus. Denique *Emmaus Nicopolis* cum Lydda, Ioppe aliisque locis campeſtribus tamquam vicinis iungitur a Plinio VI, 14, Hieronymo in Obad. I & Ezech. XLVIII, Ioſeph. de Bello Iudaic. II, 28, III, 2, V, 4.

Emaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit Euangeliſta: hæc eſt nunc Nicopolis, inſignis ciuitas Palæſtinæ. Et Epitaphio Paullæ cap. III *Repetito itinere Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in eccleſiam* [Paulla] *dedicavit.* Sic & in Ezech. XLVIII, in Daniel. VIII & XI, in Obadiæ comma 19. Quod & ſitus confirmat, quo conueniunt Ptolemæi *Emmaus* & Itinerarii Burdigalenſis *Nicopolis*, qui in ſeptemtrionem ſimul & occidentem vergit ab Hieroſolymis: qua plaga etiam Ioſephus Ammauntem itinere Veſpaſiani a Lydda & Iamnia Hieroſolymam verſus conſtituit, lib. IV de Bello cap. XXVI.

CXLI.

Propior Hieroſolymæ fuit *Anathot*, patria Ieremiæ, oppidum ſacerdotale in tribu Beniamin; Ioſuæ XXI, 18, Ierem. I, 1, cap. XXIX, 27. Hieronymus in Locis: *Anathot ciuitas fortis Beniamin, ſacerdotibus ſeparata, in tertio ab Aelia milliario: de qua & Hieremias propheta fuit.* Et in Ieremiæ cap. I idem Hieronymus, oſtendens ſimul plagam, in quam ab Aelia recedebat, ſeptemtrionalem. *Fuit*, inquit, *de genere ſacerdotum, qui habitabant contra ſeptemtrionem Hieruſalem in tertio milliario in viculo Anathot.* Viculum dum vocat & paruum antea fuiſſe oppidum, [quod etiam ex vicinitate vrbis maximæ intelligitur] & ſuo tempore in viculum & ad incitas pæne redactum fuiſſe oſtendit. Idem Præfatione in Hieremiam, quæ eſt epiſtola CXVIII, *Fuit*, [Hieremias] *Anathotites, qui eſt vsque hodie viculus tribus ab Hieroſolymis diſtans millibus.* Paria refert commentario in Ieremiæ cap. XI extremum.

CXLII.

Cetera tribus Beniamin Ioſuæ XVIII euumerata ſunt obſcura omnia & incertæ poſitionis: *Beth Hagla*, *Vallis Caſis*, *Beth Araba*, *Samaraiam* [Zem Araim;] *Auim*, *Hapara* ſiue *Aphara*; *Ophra*, alia ab Ophra ſeu Epher in Zabulon; *Villa Emona* ſeu *Caphar Amonai*: *Rekem*; *Ierpeel* ſeu *Iarephel*; *Tharela*, *Sela*, *Eleph*; *Gibeath* ſeu *Gabaath*, alia a Gibea Saulis; alia itidem a Gibea Phineæ, in montibus Ephraim, vbi Eleaſar ſepultus fuit, Ioſuæ XXIV, 33. Recentes Samaritani Epiſtola ad illuſtrem Ludolfum gloriantur apud ſe ſepulcra eſſe Eleaſaris & Phineæ: quod ſi eſt, prope Sichem ſeu Neapolim hanc Phineæ Gibeam fuiſſe, neceſſe eſt. *Beeroth* autem Ioſuæ XVIII, 25 eſt clarior, de qua Hieronymus cum Euſebio: *Beeroth ſub colle Gabaon, oſtenditur hodieque villa ab Aelia pergentibus Nicopolim in ſeptimo lapide.* Sic Euſebius legit Νικόπολιν, * pro quo in Hieronymi libros *Neapolim*, cuius via longe a colle Gabaon recedit, oſcitatione ſcribentium irrepſit.

CXLIII.

* Relandus confirmat hanc lectionem primum e Procopio Gazæo: deinde e vicinitate oppidorum Beeroth, Gabaon, Kephira & Kiriathiearim Ioſ. IX, 17. Kiriathiearim autem ſita eſt ad viam Aelia Nicopolin ducentem. Gabao L ſtadiis ab Aelia remota, ad viam Bethchoronis iacebat. Ioſeph. de Bell. II, 19, 1.

CXLIII.

Ex tribu BENIAMIN in tribum IVDAE, quæ maior & præcipua pars Iudææ proprie dictæ, & tam a Samaritide quam Galilæa ſeparatæ, erat, progredimur. *Bethlehem*, parua quamuis, nobis tamen præcipua eſt, ſex millibus paſſuum in auſtrum diſtans ab Hieroſolymis. Hieronymus in Locis: *Bethlehem ciuitas Dauid in ſorte tribus Iudæ, in qua Dominus noſter atque Saluator natus eſt, in ſexto milliario ab Aelia contra meridianam plagam iuxta viam, quæ ducit Chebron, vbi & ſepulcrum Ieſſe & Dauid oſtenditur.* Ioſephus lib. v Antiquit. cap. XI in hiſtoria Ruth, de eius ſocero Abimelecho: Αβιμέλεχος ἐκ Βηθλεμῶν, ἔϛι δ' ἡ πόλις αὕτη τῆς Ἰȣ́δα φυλῆς. *Abimelechus, Bethlemorum ciuis: quod oppidum eſt tribus Iuda.* Et paucis interiectis: ἐλθȣ̃σαν δὲ Ρȣθὴν μετὰ τῆς πενθερᾶς εἰς τὴν Βηθλεέμων, Βόοζος - - - - ξενίζει. *Venientem Ruth cum ſocru in Bethleemorum* [vrbem] *Boozus - - - hoſpitio excepit.* Idem lib. VI cap. IX de Dauidis vnctione: *Deus iuſſit Samuelem* εἰς Βηθλεμὴν ἀπελθεῖν πόλιν, *in Bethlemen vrbem proficiſci.* Sic varie & ſcripſit nomen & caſum Ioſephus inflexit. Stephanus de Vrbibus: Βήτλεμα πόλις Παλαιϛίνης πρὸς τοῖς Ἱεροσολύμοις, ȣ̓δετέρως· ἐν ᾗ γέγονεν ἡ κατὰ σάρκα γέννησις τȣ̃ Θεȣ̃ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν. Ἰώσηπος δέ φησιν, ἐκ Βητλεεμῶν· ἔϛι δὲ πόλις τῆς Ἰȣ́δα φυλῆς. ὁ πολίτης Βητλεμίτης, ὡς Ἱεροσολυμίτης. *Betlema, genere neutro, vrbs Palæſtinæ, prope Hieroſolyma, in qua Deus & Saluator noſter ſecundum carnem natus eſt. Ioſephus autem dicit, Ex Betleemis: eſt vero vrbs in tribu Iudæ. Ciuis Betlemita, vt Hieroſolymita.* Vt vero Ioſephus dicto priore loco ex Stephano emendari poteſt & duplicari vocalis E: ſic viciſſim Stephanus ex illo & ſacris libris corrigendus eſt & Θ in locum T ſubſtituendum.

2. Antiquius nomen oppidi eſt *Ephrat* ſiue *Ephrata*, vt Geneſ. XXXV, 19, & cap. XLVIII, 7 clare proditum eſt, *Ephrata, quæ eſt Bethlehem*, & vtrumque nomen coniungitur Mich. V, 2, &, tamquam ſynonyma, alterum alteri reſpondet Iudic. IV, 11, vt ita *Ephrata* oppidi potius, quam regionis nomen ſit: quamquam nolimus negatum ire, ab oppido regiunculam eodem vocabulo denominatam eſſe. Sic Euſebius, eiusque interpres Hieronymus de Locis Ebraicis: Εφραθὰ χώρα Βηθλεὲμ τῆς πόλεως Δαβίδ. *Ephrata, regio Bethlehem ciuitatis Dauid.* Dicitur aliquando coniuncte *Bethlehem Ephrata*, Mich. V, 2, aut *Bethlehem Iuda*, * Iudic. XIX, 1, Matth. II, 7, diſcriminis cauſſa, quia huius nominis *Bethlehem* & aliud oppidum in tribu Zabulon fuit, Ioſuæ XIX, 15, cuius vero, tamquam obſcurioris, certus ſitus ignoratur.

3. Eſt quoque de ipſius Bethlehem Iuda ſitu leuis quædam diſcrepantia apud Euſebium, quia in ipſa voce *Bethlehem*, dicit ab Aelia diſtare σημείοις ϛ', quod Hieronymus vertit, *in ſexto milliario*: at in voce *Ephrata* dicit, eſſe χώραν, *regionem Bethleem, ciuitatis Dauid, in qua Chriſtus natus eſt,*

* Mirum eſt, *Bethlechemum* non memorari Ioſuæ XV in bibliis hebraicis, quum memoretur in Alexandrina verſione. A Iudæis eraſum non eſt nomen eius, quod in locis clarioribus & ad patriam Meſſiæ ſignandam præſtabilioribus eraſum non fuit. Interpretum Græcorum ambitio & ſupplendi ſtudium plus hic valuiſſe videtur. Adde Relandum.

eſt, tribus Beniamin, ἧς πρὸς τῇ ὁδῷ ἔθαψαν τὴν Ραχὴλ ἀπὸ σημείων δ' τῆς Ἱερουσαλὴμ, *ad cuius* [Bethlehemi] *viam ſepelierunt Rahelem a quarto milliario vrbis Hieroſolymæ.* Hieronymus vertit: *iuxta viam, vbi ſepulta eſt Rahel, quinto milliario ab Hieruſalem.* Bonfrerius exiſtimat, diſtantiam Bethlehemi ab Hieroſolyma etiam hoc loco ſignificari: mihi vero aliter videtur, diſtantiam ab Euſebio non inter vrbem & oppidum, ſed inter vrbem Hieroſolymam & ſepulcrum Rahelis in via Bethlehemitica notari, cui vel quatuor ſufficiunt milliaria, vt non habuerit Hieronymus interpres, cur quintum etiam adiiceret. Iuſtinus Martyr autem, & ipſe Neapolitanus Palæſtinenſis, interuallum Hieroſolymæ & Bethlehemi Apologia II pag. 75 definit, vt quinque propius, quam ſex milliariis conueniat. κώμη δέ τις, inquit, ἐστὶν ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, ἀπέχουσα σταδίους τριάκοντα πέντε Ἱεροσολύμων· *Vicus quidam eſt in terra Iudæorum, diſtans triginta & quinque ſtadiis ab Hieroſolymis, in quo natus eſt Ieſus Chriſtus.* Si vero vel minima æſtimamus milliaria, quæ ſeptem ſingula ſtadiis ſupputentur; quinque tantum milliaria ex ſtadiis XXXV conficiuntur. Sed exiguum diſcrimen eſt, ſiue ſex ſiue quinque milliaria numerentur; potius dignitatem huius oppidi, poſtea vici, quam ex Chriſti natiuitate accepit, conſideremus, qua vel illuſtriſſimas terrarum orbis ciuitates antecellit; quod Prudentius hymno Epiphaniæ ſic pia admiratione declarauit:

O ſola magnarum vrbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem ſalutis cælitus
Incorporatum gignere!

CXLIV.

In Bethlehemitico agro fuit etiam *Turris Eder*, ſiue *Ader.* Geneſ. XXXV, 21 *Iſrael tetendit tabernaculum trans turrem Eder.* Eder autem gregem ſignificat. Bene Hieronymus de Locis: *Bethlehem ciuitas David, - - - & mille circiter paſſibus procul turris Ader, quæ interpretatur turris gregis, quodam vaticinio paſtores dominicæ natiuitatis conſcios ante ſignificans.* In quam plagam turris a Bethlehem ſeparata recedat, non, quod meminerim, eſt proditum.

CXLV.

A Bethlehem in auſtrum ſita erat *Thecua*, patria Amos prophetæ. * Hieronymus de Locis: *Thecua vsque hodie iuxta deſertum ciuitatis Aeliæ vicus oſtenditur: vnde & Amos propheta fuit.* Deſertum ciuitatis Aeliæ ſic dixerat Euſebius, quem expreſſit, παρὰ τὴν ἔρημον Αἰλίας: eſt vero ipſa ſolitudo Thecuæ, de qua I Maccab. IX, 33 legimus: ἔφυγον εἰς τὴν ἔρημον Θεκωὲ, *fugerunt in ſolitudinem Thecoe.* Longe illa protrahitur ad latus Mortui maris in vsque Arabiam Petræam. Hieronymus in Eſa. VI, I, *Thecuam quoque viculum eſſe in monte ſitum, & duodecim millibus ab Hieroſolymis ſeparatum, quotidie oculis cernimus.* Clarius plagam & ſitum proœ-

 mio

* Ioſephus eam Θεκωὲ dixit, vel Θεκόα. Eidem & Θεκὼς dicitur. Circa eam præſtantiſſimum oleum colligebatur. Vide Relandum.

mio commentarii in Amos prophetam idem Hieronymus deſignat: *Hic propheta*, inquit, *fuit de oppido Thecue:* * *quod ſex millibus ad meridianam plagam abeſt a ſancta Bethleem, quæ mundi genuit Saluatorem: & vltra nullus eſt viculus, ne agreſtes quidem caſæ & furnorum ſimiles, quas Afri adpellant mapalia. Tanta eſt eremi vaſtitas, quæ vsque ad mare Rubrum, Perſarumque & Aethiopum atque Indorum terminos dilatatur.* Habemus ſic plagam, meridianam videlicet: habemus & diſtantiam geminam ab Hieroſolymis & Bethlehemo, quod indicat in via fuiſſe, quæ Hieroſolymis ferebat Hebronem. Fuit medio ſitu etiam alius vicus in monte poſitus, *Beth Cherem,* id eſt domus vineæ dictus, citra Thecuam: de quo Hieronymus in Ierem. VI, I conſulatur. Nam ibi propheta memorauit. **

CXLVI.

Prope Thecuam ac citra illam fuit *Herodium*, caſtellum ſeu arx magnifice ornata cum oppido. Vicinitatem Thecuæ docet Ioſephus lib. IV de Bello cap. XXX *ςρατοπεδευσάμενος κατά τινα κώμην, ἣ Θεκȣὲ καλεῖται, πρὸς τȣ̀ς ἐν Ηρωδείῳ Φρȣρȣ̀ς, ὅπερ ἦν πλησίον, ἔπεμψε*, *caſtris* [Simon] *poſitis ad vicum quemdam, qui Thecue vocatur, ad præſidiarios Herodii, quod proximum erat, miſit.* Adiunctum oppidum & diſtantiam ab Hieroſolymis deſcripſit idem lib. XIV Antiq. cap. XXV *ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ*, *in illo loco* [quo Herodes Iudæos, Antigono ſtudentes, vicerat, poſtea, rex conſtitutus] *ἔκτισε, καὶ βασίλειον κατεσκεύασεν ἀξιολογώτατον, καὶ πόλιν περὶ αὐτὸ Ηρωδίαν προσαγορεύσας*, *ædificauit, & regiam condidit ſplendidiſſimam, & vrbem circa illam, quam Herodiam adpellauit.* Et lib. I de Bello cap. XI *in memoriam victoriæ illius* *ἔκτισε τὸ χωρίον*, *ædificauit illum locum, & palatiis ſumtuoſiſſimis ornauit, & arcem* [in eodem] *munitiſſimam condidit*, *Ηρώδειόν τε ἐκάλεσεν ἀφ᾽ ἑαυτȣ̃*, *Herodion nominauit de ſe ipſo.* Vtroque autem loco dicit pugnatum fuiſſe cum Iudæis, cuius victoriæ monimentum fuit Herodion, *ἀπὸ ςαδίων ἑξήκοντα τῆς πόλεως*, *ſexaginta ſtadiis ab vrbe* Hieroſolymorum. Plinius lib. V cap. XIV in toparchiis Iudææ: *Herodium cum oppido illuſtri eiusdem nominis.* Et Ioſephus lib. III Belli cap. IV in toparchiis Herodium numerat. Euſebius, Hieronymo interprete, in Chronicis *Herodionem* quarto caſu dixit, ſed emendauit Scaliger ex Ioſepho, *Ηρώδειον*, *Herodion* & primo & quarto caſu. Aliud Herodium eſt Perææ, de quo poſtea dicturi ſumus.

CXLVII.

Hinc Hebronem verſus progreſſuri, in via oppidum inuenimus perantiquum *Bethzur*, *** vt nomen arguit, rupi impoſitum, ſeu inter rupes ſitum. Euſebius, quem Hieronymus ſequutus eſt, hanc poſitionem prope Hebronem ei adſignauit. Aiunt, *Bethſur eſt hodie Bethſoron, euntibus nobis ab Aelia Hebronem*, *ἐν εἴκοσι σημείοις*, *in viceſimo lapide.* Quæ diſtantia euincit, non procul ab Hebrone fuiſſe, quæ ipſa vltra viceſimum quintum lapi-

* Epiphanius de Vitis Prophetarum Amoſum e Tecoa Zabulonis fuiſſe dicit.

** Memoratur etiam II Ezr. 3, Nehem. III, 14. Reland.

*** Hebr. בית צור, quam Ioſephus Βηθσȣ̀ρ adpellat Antiq. VIII, 10, 1. Sed Antiq. XII, 7, 7 Βηθσȣ́ραν πόλιν.

lapidem non eſt ab Aelia, ſi non propius remota. Addunt, ibi fontem eſſe, in quo eunuchus Aethiopum reginæ Candaces a Philippo baptizatus eſt. quæ mihi non videntur cum ſuperioribus, nec cum hiſtoria ſacra conuenire. Aethiops enim non via Hebronem ducente proficiſcebatur, ſed ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Γάζαν, *via Gazam ab Hieroſolymis ferente*, quæ longe ab Hebrone in occaſum ſolis declinat. * Videtur hic fons ad aliam pertinere *Bethſur*, quæ ſecundum eosdem auctores, Euſebium & Hieronymum, mille paſſibus diſtat ab Eleutheropoli. Ibi enim Gazenſis via erat, non ad Hebronem. Fuerit nihilominus ad Hebronem *Bethſur*, ſeparato autem baptiſmatis fonte; fuerit illa Bethzur, quam Ioſua memorauit cap. XV, 58, quam Rehabeam muniuit, 2 Paral. XI, 7. Fuerit etiam illa, quam Antiochus Eupator ex Idumæa adſcendens oppugnauit ὀχυρὰν καὶ δυσάλωτον πόλιν, *permunitam & expugnatu difficilem vrbem*, quod Ioſephus lib. XII cap. XIV refert; dubites vero an huic accommodari queat, quod 1 Maccab. XIV, 33 dicitur: *Simon* [Maccabæus] ὠχύρωσε τὴν Βηθσοῦραν, τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων τῆς Ἰουδαίας, *muniuit Bethſuram illam, quæ eſt in limite Iudææ.* Ergo ad Hebronem Iudææ finis erat, initium Idumææ? Sed fuit iſto tempore, quod adflictis Iudæorum rebus poſt Babylonicam captiuitatem imputandum eſt. Quid? quod auſtralis omnis Iudæa videtur Idumæis occupatoribus ſub ſecundo templo ceſſiſſe, ac nomen ſubiiſſe Idumææ. Ioſephus lib. XII cap. XII *Iudas & fratres eius continuabant bellum contra Idumæos, vrgentes eos vndique*, μήν τε Χεβρῶνα πόλιν καταλαμβανόμενοι, ὅσον ἦν ὀχυρὸν αὐτῆς καθεῖλον, *& quidem Hebronem vrbem expugnantes, quidquid munimentorum eius erat, diruerunt.* En Hebronem in Idumæorum poteſtate, atque ita intra fines Idumææ, ſed *nouæ*, vt Lightfootus vocat: ſeu τῆς ἄνω, *ſuperioris*, vt Ioſephus lib. IV de Bello cap. XXXIII. Non ergo eſt, quod miremur, Maccabaicum auctorem ſcripſiſſe, Bethſuram, quæ citra Hebronem, prope tamen illam erat, ἐπὶ τῶν ὁρίων, *ad limitem* Iudææ fuiſſe. Scripſit enim pro temporum conditione.

2. Præter vtramque Hieronymi Bethſuram, quarum altera Hebroni vicina erat, altera Eleutheropoli, videtur quoque eius nominis caſtellum prope Hieroſolymam fuiſſe, quinque ſtadiis ab illa diſtans in auſtrum; quod cum primis Adrichomius, & Bonfrerius ad Hieronymum, tamquam paſſim in Maccabæorum libris commemoratum commendant. Sane lib. II cap. XI, 5 dicitur: εἰσελθὼν εἰς τὴν Ἰουδαίαν, καὶ συνεγγίσας τῷ Βαιθσούρῳ, ὄντι μὲν ἐν ἐρυμνῷ χωρίῳ Ἱεροσολύμων δὲ ἀπέχοντι ὡσεὶ σταδίους πέντε, τοῦτο ἔθλιβεν. *Ingreſſus* [Lyſias] *in Iudæam, & adpropinquans Bethſuro, quod ſitum in loco eſt natura munito, diſtante Hieroſolymis fere quinque ſtadiis, illud oppugnauit.* Quis aliunde vero vmquam audiuit de tam propinquo Hieroſolymis munimento toties capto, toties nunc hoſtium nunc Iudæorum præſidiis defenſo? Ioſephus certe, omnia, quæ circa Hieroſolyma erant, deſcribens accurate, nihil de illo tradit, & vnam Bethſuram memorauit, lib. XII cap. XIV,

* Sed Relandus oſtendit pag. 646 vias non ſemper rectiſſimas fuiſſe, & ex Hieronymo ad Ierem. XXXI iter per Bethleemum Chebroni vicinum Gazam fuiſſe demonſtrat.

xiv, & lib. xiii cap. ix, quam πόλιν vocat, *oppidum*, non caſtellum; idque permunitum atque ita poſitum, vt de auſtrali illo, quod prope Hebronem erat, quam de ſuburbano Hieroſolymorum, intelligendum ſit. Et aliis cunctis locis Maccabaicorum librorum ſitus alius Bethſuræ notatus eſt; lib. i cap. iv, 29, 61 Idumææ opponitur; cap. vi, 7 πόλις αὐτοῦ, *vrbs ipſius* Antiochi vocatur, qua rex maxime confidebat Iudæam impugnaturus: ibidem commate 31 ſeq. ex Idumæa dicitur adgreſſus rex ad Bethſur, tamquam primum propugnaculum: & cap. xiv, 33 ἐπὶ τῶν ὁρίων, ſiue *in limite* poſitum. Non ergo mihi temperare poſſum, quin ſuſpectum numerum πέντε, *quinque* ſtadiorum habeam, quum nec vrbs neque caſtellum eius nominis tam propinquum memoretur metropoli: vt excidiſſe aliquid, aut immutatum de numero eſſe non dubitem. Confirmant antiqua monimenta. Syrus interpres, איך רבו וחמשא אסטדוין *fere duodecim & quinque ſtadia*, quæ quamuis non ſufficiant, nec numerandi modus ſit legitimus; tamen plus illum in codice ſuo, quam in noſtris eſt, legiſſe arguit, aut רבו aliud fortaſſe, niſi & ipſum prauatum eſt, ſignificat. MS. codex Alexandrinus, vt ſubnotatum in Polyglottis Anglorum eſt, non ςαδίους, ſed Σχοίνους, *ſchœnos*, Aegyptiam locorum menſuram refert, quarum minores, quas Strabo lib. xvii explicuit, xxx ſtadiorum, cum Hieronymi xx millibus conueniunt. Quod vero nusquam alibi in Maccabaicis libris, nec aliis ſacris ſeptuaginta interpretum, diſtantia locorum per ſchœnos, ſed per ſtadia exprimitur, lectio illa, quæ Σχοίνους præfert, ſe nobis minus adprobat, præſertim quod nec profani extra Aegyptum ſchœnorum rationem habeant. Id vero inde elicitur, qui ſchœnos in illo libro ſubſtituerit, dubitaſſe de vulgari lectione ob ſtadiorum, ſi *quinque* modo eſſent, paucitatem nimiam.

CXLIIX.

Supra oppidum Bethſur ſiue Bethzur erat eadem via locus Bethlehemum verſus, *Beth Zachariæ* dictus, ſeptuaginta circiter ſtadiis a Bethſur. Hoc colligitur ex Ioſephi lib. xii cap. xiv, vbi Antiochi dux Lyſias dicitur Bethſuram oppugnaſſe, Iudas autem obuiam progreſſus caſtra poſuiſſe ἔν τινι τόπῳ Βεθζαχαρίᾳ λεγομένῳ, ςαδίους ἀπέχοντι τῶν πολεμίων ό. *in loco quodam, qui Beth Zacharia nominatur, diſtante ab hoſtibus ſeptuaginta ſtadia.* Quis autem fuerit ille Zacharias, a quo loci adpellatio petita eſt, non habemus cognitum. *

CXLIX.

Ad *Hebronem* vrbem antiquiſſimam, in montanis Iudæ ſitam, progredior. Ebræis ſcripta חברון *Hebron*, cum adſpiratione: ſeptuaginta Græci Χεβρὼν, ſine flexione caſuum, Geneſ. xiii, vlt. ἐν Χεβρὼν, *in Chebron:* Ioſuæ x, 5 βασιλεὺς Χεβρὼν, *rex Chebron:* Iudic. i, 20 τὴν Χεβρών; & alio caſu Iudic. xvi, 3 τοῦ Χεβρών. Ioſephus autem & flectit & inflexum relinquit. Lib. v Anti-

* Quia in Talmude כפר דכריא memoratur: etiam aliunde, quam a Zacharia nomen hoc exiſtere potuiſſe putat Relandus. Nam דכריא eſt etiam e דכר, ſed quum *mares* ſignat.

Antiquit. cap. II, εἰς Χεβρῶνα, *in Chebronem:* & lib. VII cap. I idem ſæpe: etiam τῆς Χεβρῶνος, *Chebronis:* & lib. IV de Bello cap. XXXI αἱρεῖ τὴν πόλιν Χεβρὼν, *vrbem Chebron capit.* Hieronymus imitatur, etiam *Chebron* de Locis ſcripſit: Vulgatus plerumque *Hebron,* præter I Maccab. V, 65, vbi & *Chebron* legitur.

2. Vetuſtius nomen erat *Kiriath Arba,* Geneſ. XXIII, 2; & Iudicum I, 10, vbi לפנים *olim, antea* Hebronem nuncupatam *Kiriath Arba* fuiſſe traditur, quod nomen per nouum *Hebron* fuit abolitum. Vrbs prima antiquitate fuit, vt etiam cum Aegyptiorum vetuſtiſſimis certauerit, ſeptem annis prior quam Zoan, Numer. XIII, 23, vbi Zoan LXX interpretati ſunt Τανὶν: *Tanin:* quod Ioſephus expreſſit lib. I Antiq. cap. IX πρὸ Τάνιδος τῆς Αἰγύπτου, *ante Tanidem Aegyptiam.* Idem vero etiam lib. IV de Bello cap. XXXI τὴν Χεβρὼν τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Μέμφεως ἀρχαιοτέραν, *Hebron Memphi Aegyptiæ antiquiorem* dixit.

3. Sita erat in Chananæa auſtrali, Numer. XIII, 23, nec longe a lacu Aſphaltite, * quia, quamquam vltra viginti millia in meridiem ab Hieroſolymis receſſerat, vt Hieronymus in *Bethſur* tradit, in orientem tamen ab Hieroſolymorum meridiano ſimul declinabat, quia Iudæi in Talmud Ioma cap. III hal. 2, & Maimonides in eum locum referunt, miſſum quolibet mane fuiſſe, qui ex ſummo templo ortum diei pro ſacrificio offerendo obſeruaret: cui acclamarint, *num lux vsque Hebronem ſit?* hoc eſt, num ita lux fugauerit tenebras, vt qui ortum ſpectet, etiam Hebronem videre poſſit. Paullo ſupra ortum hibernum enim ſita erat. Ager prope vrbem ſedem præbuit patriarchis circa lucum *Mamre,* Abrahamo, Geneſ. XIII, vlt. & Iſaaco, cap. XXXV, 27, Iacobo cap. XXXVII, 14; vrbs ipſa regiam Dauidi, 2 Samuel. II, I. Babylonica Iudæorum captiuitate in poteſtatem Edomitarum venit, vt omnis pars Iudææ, quæ vergit in meridiem, vt inde Idumææ quoque nomen in Maccabaicis libris teneat. Sic I Maccab. V, 65 *Iudas mouit in Edomitas* ἐν τῇ γῇ πρὸς νότον, καὶ ἐπάταξε τὴν Χεβρὼν, καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῆς, καὶ καθεῖλε τὸ ὀχύρωμα αὐτῆς, *in terra* [Iudæa] *ad auſtrum, & percuſſit Hebronem, & quæ inde pendent; etiam munitionem eius diruit, & turres incendit.* Et Ioſephus lib. IV de Bello cap. XXXI de Simone factionis capite, εἰς Ἰδουμαίαν εἰσήλασεν - - - πρώτην αἱρεῖ τὴν πόλιν Χεβρὼν, *in Idumæam irrupit, - - - primam vrbem Hebron cepit.* **

CL.

Haud procul vrbe erat *lucus Mamre,* Græce ἡ δρῦς, *quercus* Mamre, iuxta quem lucum Abrahamus habitauit, Geneſ. XIII, vlt. & cap. XXIII, 19. Priore loco Quercetum illud dicitur eſſe בחברון *in Hebron,* id eſt agro Hebronenſi: poſteriore, Mamre videtur ipſa Hebron vocari, *e regione Mamre, quæ Hebron* eſt. Ioſephus lib. I Antiquit. cap. XI cognomen *Ogytæ* querceto illi dat. *Abraham,* inquit, κατῴκει περὶ τὴν ὠγύγην καλουμένην δρῦν, *habitabat circa quercum Ogyten dictam.* Locum dicit ibi οὐ πόῤῥω τῆς Ἑβρωνίων

* Impugnat hoc Relandus Palæſt. tom. II pag. 710, 711.

** De multa Terebintho ad Hebronem conſita collegit multa. Relandus.

νίων πόλεως, non procul ab vrbe Hebronenſium eſſe: at cap. ſequente XII Abraham ἐκάθητο πρὸς τῇ δρυὶ τῇ Μαμβρῇ, *ſedebat ad quercum Mambre pro foribus domicilii ſui.* Mambre ſcripſit inſerto B, imitatus LXX interpretes locis antea ſignificatis: in Ebræo autem eſt *Mamre.*

CLI.

Et quia אלה & אלון cognata vocabula ſunt, quorum illud LXX τερέβινθος, *terebinthus*, hoc δρῦς *quercus* verterunt, licet de ſpecie illarum arborum & diſcrimine non ſatis conſtet; factum vt *terebinthum* etiam habitationi Abrahami tribuerent, & locum inde tamquam proprio deſignarent nomine. Ioſephus lib. IV de Bello cap. XXXI, poſtquam de Abrahami ſede dixerat, addidit: δείκνυται ἀπὸ ςαδίων ἓξ τοῦ ἄςεος τερέβινθος μεγίςη, καὶ φασὶ τὸ δένδρον ἀπὸ τῆς κτίσεως μέχρι νῦν διαμένειν, *Cernitur ſexto ab vrbe* [Hebron] *ſtadio terebinthus maxima, quam dicunt ab creatione mundi vsque hæc tempora permanere.* Sozomenus autem lib. II Hiſtor. eccleſ. cap. IV τόπος οὗτος, ὃν νῦν Τερέβινθον προσαγορεύουσιν ἀπὸ δέκα καὶ πέντε ςαδίων γείτονα τὴν Χεβρὼν πρὸς μεσημβρίαν ἔχων· *Locus ille, quem nunc Terebinthum vocant, a quindecim ſtadiis vicinam Hebronem ad meridiem habet.* Addit, ibi quotannis Palæſtinos & finitimos πανήγυριν, *conuentum* agere, non modo ἐμπορείας ἕνεκα, *mercatus cauſſa*, verum etiam religionis, quia ſacer ille locus & Iudæis & Chriſtianis fuit, nec ſine veneratione ethnicorum. nam ibi angelos Abrahamo adparuiſſe conſenſu tenebatur omnium. Auctor Burdigalenſis Itinerarii ex Theodoſiano, vt videtur, ſæculo, & locum & religionem eius ita definiuit:

Ab *Hieroſolymis*

Rachelis ſepulcrum	M. III
Bethlehem	M. II
Bethaſora [Bethſur]	M. XIIII.
vbi eſt fons, in quo Philippus eunuchum baptizauit.	
Terebinthum	M. IX.
vbi Abraham habitauit, & cum angelis locutus eſt & cibum ſumſit.	
Hebron	M. II.

Summa ſic milliariorum ab Hieroſolymis Hebronem eſt XXXI: Hieronymo in *Arboch* tantum XXII, quod congruentius eſt, & cum ſitu, quem Iudæi in ortum dicunt vergere, magis conuenit, quam ſi nimium decurrat in auſtrum. Nihilominus conſentit etiam Sozomenus dicto loco cum hoc Itinerario. *Locus*, inquit, *quem Terebinthum vocant, abeſt ab Hebrone, ei ad meridiem finitima*, δέκα καὶ πέντε ςαδίων· Ἱεροσολύμων δὲ διεςὼς ἀμφὶ διακόσια καὶ πεντήκοντα ςάδια, *ſtadia quindecim: ab Hieroſolymis autem circiter ſtadia ducenta quinquaginta.* At CCLII ſtadia conficiunt XXXI milliaria. Cui hoc nimium videtur, medium numerum XXIV vel XXV, vt ſupra fecimus, ſibi poterit eligere. De mercatu Terebinthi etiam Hieronymus in Ieremiæ XXXI, 15 conſulatur.

CLII.

CLII.

Quæ vltra Hebronem in meridiem fuerunt, non ſatis clara & detecta ſunt: forſan etiam non frequentata erant admodum, quia ſolitudinem ibidem magnam eſſe, hiſtoriæ memorarunt. Ioſuæ xv, 61 ſeq. oppida ſolitudinis numerantur ſex in tribu Iuda, *Betharaba, Meddin, Sachacha*, & *Nebſan*, & *Ciuitas Salis*, & *Engaddi*. Non dubitamus, ex hiſce quædam ſupra Hebronem fuiſſe, ſed quo poſitu ſingula, nemo diuinabit: *Nebſan* autem & *Salis ciuitas* & *Engaddi* in Tabulis pluribus ſunt infra illam & auſtrum verſus conſtituta. De *Nebſan* ſiue *Nibſan* nihil habemus, niſi quod Tabulæ ad medium fere lacus Aſphaltitæ ponunt. *Salis* autem *ciuitas* dubia eſt, quia nusquam alibi memoratur. Conſentiunt interpretes, eſſe ad *Mare ſalis*, id eſt Mortuum, vti Geneſ. xiv, 3 & alibi ſæpe vocatur. Bonfrerius cenſet Zoar ſiue Segor eſſe in ora huius lacus auſtrali extremam. Tabulæ & hanc circa medium bituminoſi lacus conſtituunt, tamen infra Nibſan, auſtrum verſus; atque ita ſingularem vrbem faciunt, non ſolum diſtinctam a Zoar, ſed longius etiam ab illa remotam. Sed hoc incertum plane eſt, & ſicut Ciuitas palmarum erat Hierichûs; ita Ciuitas ſalis alius latentis nominis eſt indicium, ſiue illud Zoar eſt, ſiue aliud nobis incognitum.

CLIII.

Engaddi ſiue *Engeddi* cum Salis ciuitate coniungitur Ioſuæ xv, 62, quod vicinitatem arguit. Semel Ioſephus Ἐγγαδαὶ, *Engadæ*, pluraliter ſcripſit lib. iii Belli cap. iv, vbi in toparchiis Iudææ numerat. Ab oppido etiam ſolitudo cognominatur. *Solitudo Engeddi* 1 Sam. xxiv, 2. Hieronymus autem de Locis, in aliam illam plagam reiicit. *Engaddi*, inquit, *in tribu Iuda, vbi abſconditus eſt Dauid in ſolitudine, quæ eſt in aulone Hierichus, hoc eſt in regione illa campeſtri, de qua ſupra diximus. Vocatur autem vsque hodie vicus prægrandis Iudæorum Engaddi iuxta Mare mortuum: vnde & opobalſamum venit, quas vineas Engaddi Salomo* [Cantic. i, 14] *nuncupat.* Hoc ſi eſt, fuit Engaddi inter Hierichuntem & lacum Aſphaltiten. * Plinius lib. v cap. xvii *Infra hos* [Eſſenos] *Engadda oppidum fuit, ſecundum ab Hieroſolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum buſtum.* Et Solinus cap. xxxv *Engadda oppidum infra Eſſenos fuit, ſed exciſum eſt. Verum inclitis nemoribus adhuc durat decus, lucisque palmarum eminentiſſimis nihil vel æuo vel bello derogatum.* Hæc palmeta cum Hieronymi opobalſamo ad ſuperiora Iudææ in agrum Hierichuntinum vocant.

2. At Tabulæ ad latus Aſphaltitæ lacus *Engaddi* oppidum adpoſitum habent, aliæ ſuperius, vt Adrichomii; plures inferius & longe infra Hebronem vrbem: & hæ chorographi Byzantii auctoritate defendi poſſunt, Ἐγγάδα, dicentis, *κώμη μεγάλη πλητίον Σοδόμων Ἀραβίας*, *Engada magnus vicus eſt*

* Non ad Sodoma ſeu extremam Aſphaltitæ lacus partem fuiſſe Engaddi probat Relandus ex eo, quia Ioſephus Antiq. IX c. 1 ſ. 2 ſcribit, vrbem eam CCC ſtadia ab Hieroſolymis afuiſſe. Atqui lacus ipſe DLXXX ſtadia longus fuit. Si ergo Engaddi ad extremum lacus receſſiſſet: ſpatium a Ioſepho definitum nimio breuius eſſet, quam veritas pateretur.

eſt Arabiæ, Sodomis vicinus. * Arabia hæc Petræa eſt, ad cuius fines fuerunt Sodoma in extrema maris Mortui parte: atque ita etiam Ioſephus lib. IV de Bello c. XXVII Zoara, quæ proxima Sodomis, Arabiæ tribuit. De Aſphaltite enim lacu ait, μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας, *vsque ad Zoar Arabiæ* extenditur. Conuenit cum Stephano Vetus tabula Ptolemæo adiecta, quæ etiam Engada [Ἐγγάδα Gr. lib. V c. XVI] in hoc auſtrali tractu habet, & licet numeri Græci corrupti ſint, ſaniores tamen verſionis Latinæ in huius loci latitudine ſunt. Aliud nomen oppidi Engeddi eſt *Hazezon Tamar*, 2 Paralip. XX, 2, quam ob cauſſam etiam Onkelos *Hazezon Tamar* Geneſ. XIV, 7 vertit *Engedi.* Quod vero ex eodem Gen. XIV capite adparet, Hazezon Tamar fuit in auſtrali regione Iudææ, eaque extrema. Antiquum nomen eſt *Hazezon*, quod ab vicino oppido vel nemore *Tamar* ſiue *Thamar*, vt ſæpe fit, fuit cognominatum. Superfuit *Thamaro*, Θαμάρω, in hac auſtrali parte, referente Ptolemæo & Tabula Peutingeriana. Idem *Thamar* limes meridialis Terræ ſanctæ conſtituitur Ezech. XLVII, 19, & a palmis nomen habet, vt non ſit, quod palmeta Engaddæ Pliniana nos in Hierichuntinam vallem neceſſario deuocare debeant, quia & in auſtro talia fuerunt, quorum confuſione is error in geographiam inlatus eſt.

CLIV.

Eadem ratio eſt caſtelli *Maſadæ* ſiue *Maſſadæ*. Plinius lib. V cap. XVII, poſtquam quæ ſuperius ex eo de Engadda diximus, finiſſet, ſubdidit: *Inde Maſada caſtellum in rupe, & ipſum haud procul Aſphaltite. Et hactenus Iudæa eſt.* Solinus lib. XXXV extremo: *Iudææ terminus Maſſada caſtellum*, poſtrema Plinii verba de locorum termino, non de enarratione, vt videtur, intelligens: ideoque notatus eſt ab Salmaſio. Neque vero ab re ipſa aberratum eſt, quia vere in auſtrali limite ſitum id caſtellum fuit. Ioſephus quidem lib. IV de Bello cap. XXIV Φρούριον ἦν οὐ πόῤῥω Ἱεροσολύμων, ὃ ἐκαλεῖτο Μασάδα· *Caſtellum erat haud procul ab Hieroſolymis, quod vocabatur Maſada.* Sed coniunxit & ipſe cum πολίχνῃ Ἐγγαδδί, *oppido Engaddi*, quod ſupra oræ auſtrali vindicauimus; iccirco illud οὐ πόῤῥω, *haud procul*, non ſtrictim, ſed latius interpretandum eſt, & reſpectu Gadaræ, de qua egerat, longius, quam Maſada, ab Hieroſolymis diſiunctæ: quemadmodum Strabo de Corintho lib. VIII p. 260 ſcripſit, δυοῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐστι, *portus duos habet, quorum alter prope Aſiam, alter prope Italiam eſt:* quum tamen ille ſatis longe ab Aſia; hic longius diſtet ab Italia. Et ipſe Ioſephus l. IV de Bello c. XXXIII, iisdem voculis, quibus ſupra de Maſada vſus erat, dixit etiam de Hebrone, κεῖται οὐ πόῤῥω Ἱεροσολύμων, *ſita eſt haud procul ab Hieroſolymis*, quam tamen Hieronymus XXII milliariis, alii pluribus abeſſe tradunt. Priori loco Maſadam Ioſephus dicit Φρούριον καρτερώτατον ὑπὸ τῶν ἀρχαίων βασιλέων, *validiſſimum munimentum ſub priſcis regibus.* Putares ante Babylonicam captiuitatem præſidio regibus Iudæ fuiſſe. At lib. VII de Bello cap. XXXI idem, ὁ ἀρχιερεὺς ᾠκοδομήσατο Φρούριον Ἰωνάθης καὶ προσηγόρευσε Μασάδαν, *Pontifex Ionatha caſtellum condidit & adpellauit Maſadam.*

* Sed ex Hieronymi verbis in Epitaphio Paullæ nihil certi nec definiti colligi poſſe putem.

ſadam. Herodes deinde τὸν κύκλον τῆς κορυφῆς, *verticem montis omnem, ſeptem ſtadia complexum,* muro præualido muniuit, & vt ad caſus fortunæ inexpugnabilis eſſet, regiam in eo condidit. Nihilominus expugnatum ab Romanis eſt, vt ibi cap. XXXIII ſeq. recenſetur. Meridialem ſitum huius caſtelli Maſadæ tuetur etiam Lightfoot Chorograph. Marci, cap. II ſect. III, & Salmaſius in Solinum, qui nouum addit argumentum, a Ptolemæo Μέσαδα, *Meſada* in Arabia Petræa cenſeri; ſed quod nobis videtur alienum. *Meſada* enim Ptolemæi nimis longe in ortum a Palæſtina diſtat, ſita apud Adram in vltima Arabiæ, quæ orientem verſus eſt regione. Nec mirandum, plura huius nominis caſtella vel oppida munita fuiſſe. Eſt enim vox מצודה, quæ *munitionem* ſonat, cuius generis plures erant in ſolitudine Ziph, I Samuel. XXIII, 14, e quibus forte hæc ipſa, quam deſcripſimus, fuit, inſequuto tempore fortius ab regibus emunita.

CLV.

Maon quoque oppidum illi longæ ſolitudini adiacebat, quocum Ioſuæ XV, 55 coniunguntur *Carmel* & *Siph* ſiue *Ziph*, quod æque, vt *Maon*, quamdam partem ſolitudinis denominat. Et Dauid fugitiuus fuit in *ſolitudine Maon*, I Samuel. XXIII, 24. & Nabal, qui Carmeli prædium habebat, ciuis erat Maonis, I Sam. XXV, 2. *Carmel* autem oppidum in edito monte ſitum, ad quod adſcenſus erat, ibidem commate 5, vnde Nabal etiam *Carmelita* cognominatus, & Abigail, vxor eius, Carmelitis, I Samuel. XXVII, 3, & XXX, 5. De hoc oppido ſic Hieronymus de Locis: *Carmelus, vbi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa eſt Carmelia nomine decimo lapide oppidi Chebron, vergens ad orientalem plagam, vbi & Romanum præſidium eſt poſitum.* * Quum *vergere* ad *orientalem* plagam dicitur, non negatur ſitus auſtralis, ſed illum ab Hebronis meridiano in ortum declinare paullo, indicatur.

CLVI.

De Maon idem cum Euſebio: *Maon in tribu Iuda, contra ſolis ortum in Daroma.* Daroma autem eſt Iudææ pars auſtralis, ſiue extrema, in meridiem quæ vergit: in quo tractu quæ ad occaſum erant, Aegyptum ſpectabant; quæ ad ortum, Arabiam; media, Idumæam. Non longe igitur Maon a Zoar ſiue Segor fuit, & a lingua lacus Aſphaltitæ.

CLVII.

Ziph ſiue *Siph* in Iudæ tribu oppidum geminum: alterum Idumææ obverſum in tractu Iudææ auſtrali, Ioſuæ XV, 24: de quo Hieronymus dixit, in finibus *Eleutheropoleos* eſſe, ad quod Bonfrerius cetera verba Hieronymi, quæ turbato ordine poſita ſunt, referri vult, *in octauo milliario Chebron contra orientem;* quæ cenſeo alteri oppido eiusdem nominis convenire, quod propius ad bituminis lacum, quam Hebron, vergit, ideoque *contra orientem* illius dicitur ſitum eſſe. Ab hoc ſolitudo cognominatur, *Deſertum Ziph,* in qua Dauid latitauit I Samuel. XXIII, 14, & XXVI, 2.

* Ergo in Notitia dignitatum Imperii *equites ſcutarii Illyriciani Chermulæ* memorantur.

Situm autem ita in orientem ab Hebrone erat, vt longius vna in meridiem declinaret: quia prope Carmelum fuit, de quo iam diximus. De ſolitudine Hieronymus: *Ziph, mons ſqualidus vel caligans ſiue nebuloſus:* pars illius longi deſerti. Atque hic forte mons eſt ille, de quo 1 Sam. XXIII, 14 dictum eſt: *Dauid manſit in monte, in ſolitudine Ziph.* Oppidi Ziph incolæ זיפים, Gr. Ζιφαῖοι, id eſt *Siphenſes*, ibidem commate 19 dicuntur.

CLVIII.

Iam ipſe *lacus Aſphaltites*, ſiue *Mare mortuum*, terminus Iudææ ab ortu, adeundus & viſendus eſt. Fuit olim amœniſſima planities, quam Iordanes fluuius rigabat: inde in ſinum Arabicum, vt probabile eſt, ſe effudit. Euerſione autem vrbium factum, vt ſiſteret lapſum, & in ruinis illarum ſtagnaret. * Nomen a bitumine eſt, quod ἄσφαλτον Græci vocant: nec vero illud vnius formæ aut generis. Ioſephus Ἀσφαλτῖτιν vocat, *Aſphaltitin*, femineo modo, quia vox λίμνη, *lacus* vel adpoſita eſt, vel ſubaudita. Lib. I Antiq. cap. X τῆς Σοδομιτῶν πόλεως ἀφανισθείσης, ἡ κοιλὰς ἐκείνη λίμνη γέγονεν, ἡ λεγομένη Ἀσφαλτῖτις, *Sodomitarum vrbe euerſa, vallis illa palus facta, quæ dicitur Aſphaltitis.* ** Idem lib. IV de Bello cap. XXV extremo ἐκπλησθῆναι τῶν σωμάτων καὶ τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην, *vt etiam Aſphaltitis palus corporibus impleretur.* Et mox, μέχρι τῆς Ἀσφαλτίτιδος, *vsque ad Aſphaltitin*, ſuppreſſo lacus nomine. Et Diodorus Siculus lib. XIX cap. XCVIII *Demetrius caſtra metatus eſt* πλησίον τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης, *prope lacum Aſphaltitin.* Atque ita etiam Suidas & Heſychius. Quod vero latini *lacum* plerumque dicunt, non paludem; genus vocabuli proprii immutant, & ex ὁ Ἀσφαλτίτης, *Aſphaltites* formant. Plinius lib. V cap. XV *Iordanes accolis ſe præbens, velut inuitus Aſphaltiten lacum, dirum natura, petit.* Et cap. XVI *Aſphaltites nihil præter bitumen gignit; vnde & nomen: nullum corpus animalium recipit; tauri camelique fluitant.* Et Solinus cap. XXXV *Aſphaltites gignit bitumen: animal non habet: nihil in eum mergi poteſt.*

2. Tritum nomen eſt etiam *Maris mortui.* Iuſtinus lib. XXXVI cap. III *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem mortuum mare dicitur.* Et Pauſanias Eliacor. I cap. VII αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνην Τιβερίδα ὀνομαζομένην διοδεύοντα, ἐς δὲ τὴν λίμνην ἑτέραν, καλουμένην Θάλασσαν νεκρὰν, ἐς ταύτην ἐσιόντα, καὶ ὑπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλούμενον. ἡ δὲ Θάλασσα ἡ νεκρὰ πάσχει παντὶ ὕδατι ἄλλῳ τὰ ἐναντία. *Ipſe vidi Iordanum, qui lacum Tiberidem dictum percurrit, deinde in alterum lacum, cui Mare mortuum nomen eſt, ingredi & in ea conſumi. Mare autem mortuum diuerſam a ceteris aquis naturam habet.* Et Hieronymus in Ezech. XLVII, 8 *Intrant* [aquæ] *mare orientale, mare videlicet mortuum, in quo nihil poterat eſſe vitale; & mare amaris-*

* Sed ſi iam antea *planities Iordani* dicta eſt illa regio, quod ex Geneſ. XIX, 29 & XIII, 10, 11 adparet: ante Sodomæ euerſionem curſus fluminis impeditus intelligitur, & ſtagni naturam induiſſe, quod ſenſim & abſorberetur & exhalaretur. Ac fortaſſis *Bela* ideo nomen hoc ſuſtinuit, quia ibi Iordanus abſorbebatur.

** Hanc Ioſephi ſuſpicionem non eſſe veriſimilem, Relandus oſtendit Palæſtin. tom. I p. 254 ſqq. Cui nos adiumentum attulimus e ſacris & profanis ſcriptoribus tom. IV Monumentor. XXIX pag. 263. Auctoritatibus ibi adlatis addi poterit Iſidorus Orig. XIV c. 3.

amariſſimum, quod Græce λίμνη ἀσφάλτȣ, *id eſt ſtagnum bituminis, vocatur.* Scripturæ ſacræ *Mare ſalis*, ſiue *ſalſum* eſt. Vide Geneſ. XIV, 3 Numer. XXXIV, 3, 12, Deuteron. III, 17, Ioſuæ III, 16, XII, 3, XV, 2, XVIII, 19. Vnde Hieronymus de Locis: *Mare ſalinarum, quod vocatur Mortuum, ſiue Aſphalti, id eſt bituminis, inter Hiericho & Zoaram.*

3. Magnitudo lacus ſecundum Plinium lib. V cap. XVI *longitudine excedit centum* M. *paſſuum: latitudine maxima* XXV implet: *minima ſex.* Ioſephus contra lib. IV de Bello cap. XXVII ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ὀγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι ςάδιοι, καθὸ δὴ μέχρι Ζοάρων τῆς Αραβίας ἐκτείνεται· εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. *Lacus huius longitudo quingentorum & octoginta ſtadiorum eſt; nam vsque ad Zoara Arabiæ extenditur: latitudo centum quinquaginta ſtadiis patet.* Quæ haud dubie menſura eſt verior, quam illa altera Plinii. Verior etiam, quam illa Diodori Siculi dicto lib. XIX cap. XCVIII, cui μήκει παρεκτείνȣσα ςαδίȣς μάλιςά πȣ πεντακοσίȣς· τῷ δὲ πλάτει περὶ ἑξήκοντα, * *longitudine extenſus* [lacus eſt] *maxime ſtadiis quingentis: latitudine circiter ſexaginta.* In extremo auſtro ſinum habet, qui a figura *lingua* vocatur Ioſuæ XV, 2, cap. XVIII, 19. Etiam oppoſita in ſeptemtrione pars, vbi Iordanem lacus recepit, a ſimili figura dicitur *lingua* Ioſuæ XV, 5, vt æſtuaria maiorum fluminum ſunt, antequam mari ſe infundant. Λοφία, *ceruix*, eſt Græcis interpretibus.

4. De lacus ſterilitate, grauitateque aquarum, præter auctores ſupra nominatos Tacitus lib. V Hiſtor. cap. VI *Lacus* [qui Iordanem retinet] *immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertum vnde, ſuperiacta vt ſolido feruntur: periti imperitique nandi, perinde attolluntur. Certo anni, bitumen egerit: cuius legendi vſum, vt ceteras artes, experientia docuit.* cetera bituminis legendi ibidem vide.

5. Tæter hic & peſtilens lacus fuit olim amœniſſima planities, quam Iordanes rigauit; multis habitata ciuitatibus: quarum quinque ſacer ſcriptor nominat, e quibus quatuor maiores cæleſti igne deletæ ac funditus euerſæ ſunt: quinta, quæ minima, precibus Loti ſeruata. *Pentapolis* Iordanis dicta fuit Sapientiæ cap. X, 6 vbi καταβάσιμον πῦρ πενταπόλεως, *Pentapoleos ignis cælo delapſus* memoratur. Erant autem *Sodoma, Gomorrha, Adama, Zeboim*, quæ ſimul cæleſti incendio terræque concuſſione perierunt: quæ reliqua fuit *Zoar*, a paruitate ita dicta fuit, ** ſi cum ceteris compararetur, Geneſ. XIX, 22, licet etiam ſuum regem habuerit, cap. XIV, 2. quo tempore *Bela* nominata fuit, deinde ab excidio ceterarum *Zoar*, vti ex dictis locis Geneſ. XIV, 2 & 8, & cap. XIX, 22 manifeſtum eſt. Et alia eidem nomina tribuuntur, *Saliſſa* ab Hieronymo Quæſt. in Geneſ. XIX, neſcio vnde, niſi quod ad Ebræorum ibi traditionem prouocat: *** aut

(Ppp) 3 ex

* Αὕτη ἔχει τὸ μὲν μῆκος ςαδίων ὡς πεντακοσίων, τὸ δὲ πλάτος ὡς ἑξήκοντα. Diodorus II p. 131.

** Ita tamen vt quia paruitate ſua cohiberet & reprimeret iram DEI Loto gratiam ſuam declaraturi, repreſſæ iræ notio & vis non omnino excludatur & oblitteretur.

*** Hi fortaſſe compoſuerant nomen hoc ex אשא & סליח, propterea quod oppidulo iſti *exuſtio* fuerat *condonata.*

ex 2 Reg. IV, 42, vbi *Baalſaliſſa* Bonfrerius per metatheſin ex *Belaſaliſſa* putat factum eſſe. * Ceterum *Zoar*, pro varia pronuntiatione litteræ ע, Septuaginta interpretes exprimunt Σηγὼρ, & Hieronymus ac Vulgatus *Segor.*

CLIX.

Hanc Tabulæ vulgares alieno loco poſitam habent, ſicuti etiam Sodomam & ceteras: quum tamen *Zoar* ** ſatis certo definiri, & ex eius loco de Sodoma etiam iudicari poſſit. Hieronymus cum Euſebio ſuo in *Mare ſalinarum*, longitudinem maris mortui definit ita, vt ſit μεταξὺ Ἱεριχοῦς καὶ Ζοαρῶν, hoc eſt, vt Hieronymus vertit, *inter Hiericho & Zoaram.* Quemadmodum vero Hiericho ab ſeptemtrione illi obiacet; ita Zoaram a meridie adiacere lacui neceſſe eſt. Conſentit Ioſephus verbis ſupra prolatis ex lib. IV de Bello cap. XXVII, *longitudo lacus* [Aſphaltitæ] eſt IↃLXXX *ſtadiorum*, καθὸ μέχρι Ζοάρων Ἀραβίας ἐκτείνεται, *ſecundum quam vsque ad Zoara Arabiæ extenditur.* Arabia autem Petræa eſt, quæ a meridie Iudææ erat obiecta & contermina. Atque ita lamentationes Moabitarum dicuntur in Zoar, id eſt trans lacum bituminis exaudiri Eſa. XVI, 5, & Ierem. XLVIII, 34, quia Moab poſt illius lacus partem inferiorem eſt. Ex quibus elucet, *Zoar* ſiue *Segor* ad extremum lacus a meridie fuiſſe: *** quod etiam non obſcure ex Geneſ. XIII, 10 colligitur. Meminit eius etiam Stephanus Byzantius, aut illius breuiator: ἔστι καὶ κώμη μεγάλη, ἢ φρούριον ἐν Παλαιστίνῃ ἐπὶ τῇ Ἀσφαλτίδι καλουμένῃ θαλάσσῃ Ζόαρα, οὐδετέρως, *Eſt & magnus vicus aut caſtellum Palæſtinæ ad mare quod Aſphaltis* [ſic ſcriptum eſt] *vocatur, Zoara, neutro genere.* Addit, huc Lotum ex Sodomitica ruina confugiſſe. Romani præſidium ibi habuerunt. Notitia Imperii ſub Duce Palæſtinæ: *Equites ſagittarii indigenæ Zoaræ.*

CLX.

Hinc de ſitu *Sodomæ* iudicari poteſt, quam plures Tabulæ in ſummo lacus loco habent, ſed falſo. Fuit enim Zoaræ vicina adeo, vt ex illa Lot in Zoaram tantillo ſpatio confugere potuerit, quantum eſt inter initium auroræ ac ortum ſolis. Infimo ergo loco in lacu eſt Sodoma ſcribenda, paucis a Zoara milliariis, & fortaſſe non vltra ſex. † Confirmat in voce Ἐγγάδα Stephanus chorographus: Ἐγγάδα κώμη μεγάλη πλησίον Σοδόμων Ἀρα-

* Sed hoc difficilius eſt ad credendum. Quæ ſunt enim rationes ad eam rem perſuadendam idoneæ?

** Græce Ζώαρα & Ζόαρα, & plurale neutrum.

*** Ita tamen, vt magis ad orientale latus ſpectaret, quam ad occidentale. Nam Euſebius ſcribit, *Luith* inter *Areopolin* & *Zoara* intercedere, & vicum Moabitidis *Bennamarem* ad ſeptemtrionem Zoaræ eſſe. Quum autem Moabitis ſit ad ortum lacus Aſphaltitæ: etiam Zoara eo vergere cenſenda eſt, quod ad ſeptemtrionem eius loca Moabitica fuerint. Reland. Ipſa etiam oppoſitio Hierichuntis & Zoaræ, inter quæ oppida mare Mortuum interiectum fuit, Relandi opinioni fauere videtur.

† Immo quum aurora iam exiſteret, Lotus exire Sodoma neceſſe habuit Geneſ. XIX, 15. Et quum ſol exoriretur: Lotus Zoaram ingrediebatur. Geneſ. XIX, 23. Atque vxor Loti etſi nec reſtitiſſet, nec receſſiſſet, ſed oculos modo retorſiſſet: ob vicinitatem diro igne adflata periit. Geneſ. XIX, 26. Tantum autem periculum euaſerunt, qui oculis a tanta fulgurum & odorum peſte euerſis in anteriora decurrebant contentius.

Ἀραβίας, *Engada,* inquit, *eſt vicus magnus, Sodomis Arabiæ vicinus.* Arabiæ ſic eſt, vti iam ex Ioſephi poſitione fuit Segor ſiue Zoar, quia in confinio ſunt Arabiæ Petrææ. Idem in hac ipſa voce: Σόδομα μητρόπολις ἦν τῶν δέκα πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ καταστραφεισῶν. *Sodoma metropolis erat decem vrbium, quæ in Aſphaltitide lacu ſubuerſæ ſunt.* Quinque numerauit diuinus ſcriptor Geneſ. XIV, 2, 8, & in iis Sodomam primo loco: ceteræ erant Gomorra, Adama, Zeboim & Bela ſiue Zoar: vnde πεντάπολις, *pentapolis* Sapient. X, 6 nominatur. Vnde vero denarius chorographi numerus ſit, equidem ignoramus: niſi minora oppida, quæ ſubiecta maioribus fuerint, ex traditione quadam adnumerauit.

CLXI.

Reliquarum locus eſt incertior, quam Sodomæ ac Zoaræ ſiue Bela. Situs itaque illarum ſola coniectura nititur. *Gomorram* cum Sodoma coniungimus a ſeptemtrione, quia vbique cum illa in diuinis litteris eſt proxime coniuncta, Geneſ. X, 19, cap. XIII, 19, XIV, 2. Deuteron. XXIX, 23, vt de euerſionis hiſtoria taceam, in qua tantummodo Sodoma & Gomorra memorantur, quia haud dubie maiores potentioresque ceteris fuerunt, etiam ſceleribus ſuperiores. Reliquas eo ordine ſtatuendas putamus, vt Zeboim ſit ſuprema & propior oſtio Iordanis: hanc inter & Gomorram media Adama. Sic enim recenſentur, ſeruato hoc ordine, Geneſ, X, 19, XIV, 2, 8, Deuter. XXIX, 23, a meridie, vt videtur, in ſeptemtrionem enarratione facta: Fuiſſe vero & has poſtremas, *Adamam* & *Zeboim*, vna cum Sodoma & Gomorra euerſas, clare proditum eſt Deuter. XXIX, 23 & Hoſeæ XI, 8.

CLXII.

Quod vero Iordanes in hoc lacu conditur, de eius curſu pauca ſupra illa, quæ ſparſim diximus, videntur adiicienda, aut potius repetenda. Plinius lib. V cap. XV *Iordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ: amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accolisque ſe præbens, velut inuitus Aſphaltiten lacum dirum natura petit, a quo poſtremo ebibitur, aquasque laudatas perdit peſtilentibus mixtas. Ergo vbi prima conuallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant.* Et Tacitus lib. V Hiſtor. cap. VI *Idem* [Libanus] *amnem Iordanem alit, funditque. Nec Iordanes pelago accipitur, ſed vnum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur.* Solinus ſua ex Plinio hauſit, quæ tradit cap. XXXV, *Iudæa illuſtris eſt aquis: ſed natura non eadem aquarum omnium. Iordanes amnis eximiæ ſuauitatis. Paneade fonte demisſus regiones præterfluit amœniſſimas: mox in Aſphaltiten lacum merſus, ſtagno corrumpitur.* Sed de fontibus Iordanis ſupra ex Ioſepho diſtinctius clariusque fuit actum.

2. De *traiectu* Iordanis aliquid notandum, quippe non vno loco ille tranſibatur. Non autem dubitandum, ſingulis oppidis aut vicis, in ripa poſitis aut prope illam, ſuum priuatæ vtilitatis cauſſa traiectum fuiſſe, per cymbam videlicet, ſine ponte, cuius rarior in hac regione vſus fuit: de hisce

hiſce vero iam non agimus, ſed de publicis traiectibus, ſeu nobilioribus, qui ad regiam aliquam tritamque viam pertinebant. In minore Iordane, inter Samochoniten lacum & Geneſariticum, traiectus fuit in via Damaſcum ferente, vbi poſterioribus ſæculis pontem ſcriptores memorant, quem *pontem Iacobi* adpellant. Fuit etiam *pons* infra lacum Geneſaret *ad Chammatham* ſiue thermas Tiberienſes, quo ex inferiore Galilæa in Peræam tranſibatur. Sed ſupra de illo quoque actum fuit tranſitu, quum Galilæam & Capernaum explicaremus. Quod vero *Scythopolis* remotior a lacu fuit, ſuumque agrum maxime trans flumen in Peræa habebat; ſine dubio vel pontem habuit, vel frequentem nauigio alium traiectum. Tandem fuit etiam *traiectus Hierichuntinus*, cymba, vt videtur, factus; de quo 2 Samuel. XIX, 18.

CLXIII.

Hieroſolymam hactenus, & quæ proxime adiecta ſunt, cum latere Iudææ orientali, ſiue quod lacum Aſphaltiten ſpectat, perluſtrauimus, nunc in *mediterraneam Iudæam*, quæ a mari æque & a lacu reductior eſt, ingrediemur. In ſeptemtrione ac Beniaminis limite fuit prima *Kiriathiearim*, quaſi ciuitas ſiluarum, tribus Iudæ, cui adſcribitur Ioſuæ XV, 9 & 60. Dicta fuit etiam *Baala*, * ibidem commate 9, & *Kiriath Baal*, commate 60, & c. XVIII, 14. Hieronymus de Locis cum Euſebio ita poſitionem eius definiuit: *Cariathiarim, quæ & Cariathbaal, ciuitas ſaltuum, vna de vrbibus Gabaonitarum pertinens ad tribum Iuda, euntibus ab Aelia Dioſpolim in milliario nono.* Sic legendum *nono*, non, vt in libris eſt, *vno;* quia Euſebius, quem expreſſit Hieronymus, κειμένη ἀπὸ σημείων θ' Αἰλίας, *ſita nono lapide ab Aelia.* Quod vterque in voce *Baal* confirmauit. *Baal*, inquiunt, *hæc eſt Cariathiarim, id eſt villa ſiluarum, in tribu Iuda; & eſt vsque hodie vicus deſcendentibus ab Aelia Dioſpolim, Cariathiarim*, ἀπὸ σημείων δέκα, *in decimo milliario.* Paruum hoc diſcrimen, nec inſolitum in locorum diſtantiis, arguitque terminum inter nonum ac decimum fuiſſe lapidem. In hac vrbe aliquamdiu Arca fœderis ſtetit, poſtquam recepta a Philiſtæis fuerat. 1 Samuel. VII, 1, 2.

CLXIV.

Vicina huic in occaſum fuit *Bethſemes*, quaſi Solis ciuitas ſeu Heliopolis, quod ex eadem Arcæ fœderis hiſtoria clarum eſt; ſita inter Accaron Philiſtæorum, & Kiriathiarim, quia ex Bethſemes deducta arca fuit in Kiriathiarim, 1 Sam. VI, 20, 21, VII, 1. In eodem argumento Ioſephus lib. VI cap. II *deportant arcam* εἰς Καριαθιαρεὶμ, γείτονα πόλιν τοῖς Βηθσαμίταις, *in Kiriathiarim, quæ vrbs vicina Bethſemitis eſt.* Hieronymus de Locis: *Bethſamis ciuitas ſacerdotalis in tribu Beniamin, quæ vsque hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo milliario.* At in tribu Iuda cenſetur Ioſuæ XV, 10, & 2 Reg. XIV, 11. Ibi victus & captus rex Amaſia ab Ioas rege Iſraelis, vt eodem cap. XIV, 13 eſt memoratum.

CLXV.

* Sed ſecernenda a *Bala* vel *Baala* Simeonitidis, de qua infra §. CXCVI.

CLXV.

Hinc in boream receſſit *Thimna* ſiue *Thamna*, primum tribus Iudæ, Ioſuæ XV, 57: poſt Danitis contributa, cap. XIX, 43. Hieronymus cum Euſebio: *Thamna, vbi ouees ſuas totondit Iudas; oſtenditur hodieque prægrandis villa in finibus Diospoleos euntibus Aeliam in tribu Dan ſiue Iudæ.* Quod vero vicina Philiſtæorum terræ erat, ab his, quamdiu potentes fuerunt, poſſeſſa fuit: vnde etiam Samſonis vxor Philiſtæa fuit. Ademtam Dauidis temporibus, rurſus occuparunt regnante in Iehuda Ahaſo, cum multis ciuitatibus aliis, Bethſemes, Socho, ceteris, 2 Paralip. XXVIII, 18. Inter Iudææ toparchias Ioſephus lib. III de Bello cap. IV numerauit: & lib. IV cap. XXVI καταστρεψάμενος τὰ περὶ τὴν Θαμνᾶ τοπαρχίαν, *vaſtans omnia, quæ circa Thamna toparchiam ſunt.* * Plinius lib. V cap. XIV *toparchiam Thamniticam* nominauit.

2. Fuit & alia *Thamna* in Ephraim, vbi Ioſua ſepultus eſt. Ioſephus Antiquit. lib. V cap. I extremo: θάπτεται ἐν πόλει Θαμνᾶ τῆς Ἐφραίμου φυλῆς, *Sepultus eſt in Ephraimiticæ tribus oppido Thamna.* Sed hæc in Ioſuæ libro extremo non ſimpliciter Thamna, ſed *Thamathſare* vocatur. **

CLXVI.

Nec oppidi *Gallim* poſitio probari certa poteſt: neque tribus eius ſatis certa. Eſa. X, 30 cum oppidis Beniaminiticis *Laiſa* & *Anathot* coniungitur, quibus videtur vicinum & eiusdem tribus, ſi non Iudæ, fuiſſe. Memoratur etiam I Samuel. XXV, 44, ortum inde illum Phalti, qui Dauidis vxorem, Saulis filiam, a patre abreptam, duxerat. Hieronymus de Locis: *Dicitur eſſe quidam Accaron vicus, qui vocetur Gallim.* Si hic vetus Gallim eſt, prope Bethſemes neceſſe eſt exſtitiſſe. *_*_*

2. Et *Laiſa* hæc, cuius iam facta eſt mentio cum Gallim, etiam I Maccab. IX, 5 eſt memorata. Ibi Iudas Maccabæus caſtra vltima poſuerat, quum victos hoſtes perſequeretur, inde vsque ad montem, qui iuxta Azotum ſitus eſt, vt ibidem commate 15 eſt traditum. Ex qua hoſtium fuga de ſitu quodammodo iudicatur.

3. Alia fuit *Laiſa* ſiue *Leſem*, quæ Dan a Danitis eſt vocata, ſita in Paneade.

CLXVII.

Beſek, cuius princeps vocatur *Adoni Beſek*, Iudic. I, 5, & oppidum *Beſek*, † ibidem commate 4. In montanis Iudæ fuit, & inde tranſiit exercitus ad oppugnandam Hieruſalem. Adrichomius Beſek poſuit ab occaſu

* Hæc Thamna celebratur a Ioſepho Antiq. XIV, II, 2, vt potentiſſima.

** Græce Θαμνασαράχ Ioſ. XIX, 50, XXIV, 30, vbi alia exemplaria habent Θαμνασάχαρ. Relando inter Antipatrida & Lyddam, certe non longe inde ſita videtur fuiſſe propter narrationem Ioſephi de Bell. IV cap. 4, ſeu ex edit. Hauerc. cap. VIII ſ. I p. 297. Adde II, 20, 4 pag. 207.

*_*_* Sed eum ab hoc oppido Gallim diuerſum putat Relandus.

† In quibusdam codicibus Græcis Ζεβέκη dicta fuit, vt ex Stephano adparet, qui ad Ioſephum prouocat, cuius tamen in Archæol. V, 2, 2 hodie Βεζέκη legitur.

occaſu Bethlehemi: ſed nihil certi definiri poteſt, quia aliam eius mentionem nusquam reperimus.

CLXVIII.

Antequam vero ex ſeptemtrione huius tractus in plagam meridianam, aut ad ea, quæ in meditullio Iudææ erant, deuertamus, de recentiore vrbe *Eleutheropoli*, ad quam Euſebius atque Hieronymus plerarumque ſitum & diſtantiam referunt, conſtituendum prius eſt. Origo eius ignota eſt, * a quonam & quando fuerit condita, aut nouum hoc nomen ſortita. Non exſtat eius mentio, quantum cognitum habemus, ante tempora Chriſtianorum principum: ſed tum vrbs florens erat & celebris adeo, vt Euſebius ac Hieronymus ex illa & Aelia fere omnium oppidorum vicorumque diſtantias ac poſitiones metiantur. Ioſephus autem & Ptolemæus nusquam meminerunt, quod argumento eſt, illorum ætate poſteriorem eſſe. Haud dubie tamen ſub ethnicis imperatoribus fuit conſtituta, quia in Nicæna ſynodo ſubſcripſit Eleutheropolitanus epiſcopus Macrinus. Suidas in Μαριανὸς de ipſo Mariano, qui ſub Anaſtaſio imperatore floruit: μετωκήσαντος τοῦ πατρὸς Ἐλευθερόπολιν, μίαν τῶν τῆς πρώτης Παλαιστίνης, *patre eius* [Roma] *Eleutheropolin, quæ vna eſt ex Primæ Palæſtinæ ciuitatibus, habitandi cauſſa profecto.* Patria fuit S. Epiphanii, qui natus in Vita dicitur inter Phœnices τῆς περιοικίδος Ἐλευθεροπόλεως, ἀπὸ σημείων τριῶν τῆς αὐτῆς, *in agro Eleutheropoleos, tertio ab illa lapide.* ** Phœnices autem vrbs dicitur ea ratione fuiſſe, qua multi ſcriptores ad Aegyptum vsque Phœnicen protendunt, nec in litore tantum, ſed in iis quoque, quæ litori ſunt propinquiora. Fuit enim procul a mari, ſed minori ab eo diſtantia, quam a lacu Aſphaltite. Meminit eius, auctore Euſebio, Hieronymus in Azecha [Aſeca] Adollam, Anab, Bera, Bethagla, Bethſames, Ceila, Duma, Eglon, Gædur, Iarmuth, Iether, Lachis, Lebna, Maceda, Maſpha, Moraſthi, Socho, Zanoa, Ziph, & alibi: etiam in prophetas commentariis iterum iterumque eius rationem habuit: in Eſa. XXI, 11, & in Obadiæ verſ. 1 & 5; & in Michæam prologo. Et in Vita Hilarionis idem Hieronymus: *mulier quædam Eleutheropolitana.* In Obadiam quidem cum Idumæa coniunxit: ſed laxe Idumæam intelligit, vt omnem auſtralem Iudæam comprehendat: quemadmodum ſupra de Hebrone diximus, fuiſſe vel in illa Idumæa, vel ad eiusdem fines. Sic vero ad Obadiæ comma v ait: *Vt dicamus aliquid de natura loci, omnis auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli vsque Petram & Hailam (hæc eſt enim poſſeſſio Eſau) habitatiunculas habet.* Sed nusquam clarius de ſitu eſt proditum, quam Antonini, quod dicitur, Itinerario, linea obliqua ab Aelia Aſcalonem ducta per Eleutheropolim. Sic enim itinere a Neapoli Aſcalonem ordo fert:

Neapoli

* Confer § cc. Nomen a vetuſto חרי *liber*, vel חוריים *Horræis*, quos latine dicere poſſis *liberos*, ducunt Hieronymus & alii. Sed improbabile id etiam Relando viſum eſt.

** Scilicet in vico *Bezanduce.* Sozomen. VI cap. 32.

Neapoli			
Aeliam	M.	P.	XXX
Eleutheropolim	M.	P.	XX
Aſcalonem	M.	P.	XXIIII.

Alio a Cæſarea Eleutheropolim per Dioſpolim, quæ Lydda eſt, ducitur. Sed numeri eius itineris ſuſpecti ſunt: quam ob cauſſam noluimus integrum transſcribere.

2. Male igitur a quibusdam Eleutheropolis putatur Hebron eſſe, a qua ipſe Hieronymus diſerte ſeparauit. Cedrenus illorum agmen ducit pag. 26. θάπ]εται, inquit, ἐν Χεβρὼν, ἥτις νῦν Ἐλευθερόπολις καλεῖται, *ſepulta eſt* [Sara] *Hebrone, quæ nunc Eleutheropolis vocatur.* At Euſebius, Hieronymo interprete de Ebr. Locis, ſic clare in *Ceila* diſtinxit: *nunc villula Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos, pergentibus Chebron, quaſi octauo milliario.* Atque ita in tribu Iuda Eleutheropolis fuit, nec vero propior mari Philiſtæo, aut in regione Philiſtæa. Hieronymus in Obadiæ comma 19, *De tribu Iuda non ſolum Eleutheropolim teneant, ſed vsque ad maritima perueniant, & Philiſtim ſuo imperio ſubiugent.*

CLXIX.

His ita de Eleutheropoli, quantum fieri potuit, conſtitutis, ad oppida, quæ inde diſtantias ſuas definitas habent, procedimus. Ex ſeptemtrione in auſtrum verſus degreſſis primum ex memorabilibus occurrit *Aſeca*, Græce Ασηκᾶ, *Aſecà*, ad quem vsque locum & vltra Ioſua quinque regum exercitus fugauit & cecidit, Ioſuæ x, 10. Hanc inter & Socho Philiſtæi caſtra habuerunt, quum Dauid Goliathum interfecit. Socho autem ſecundum Hieronymum nouem millibus aberat in ſeptemtrionem ab Eleutheropoli. Vlterior itaque fuit Aſeca & ſeptemtrionalior quam Socho, nec vero longius a Socho remota. Vide 1 Samuel. XVII, 1. Munita fuit & reſtitit Chaldæis oppugnantibus, Ierem. XXXIV, 7. Hieronymus de illa hæc pauca: *Aſeca in tribu Iuda.* Nihil addidit de ſitu aut diſtantia. Eius autem tribus fuiſſe, certum eſt ex Ioſuæ XV, 35.

CLXX.

Makeda ſiue *Maceda* proxime coniungitur Ioſuæ x, 10. *Perſequuti ſunt eos in via decliui a Bethorone & percuſſerunt vsque Aſeka & Makeda.* Hieronymus de Locis: *Maceda. In hac concluſit Ieſus quinque reges in ſpelunca, quos interfecit cum rege Maceda, quæ fuit in tribu Iuda: & nunc eſt in octauo milliario Eleutheropoleos contra ſolis ortum.* Putares in ſeptemtrionem potius, quam in ortum, ab Eleutheropoli hoc oppidum declinare: ſed Euſebius quoque πρὸς ἀνατολάς: intellige autem ortum maxime æſtiuum & ſimul in ſeptemtriones vergentem. De ſpelunca, in quam fugientes quinque reges ſe abdiderant, ab Ioſua ſunt protracti & enecati. Vide cap. x, 17, 23, 26. Fuit autem illa non in ipſa vrbe, vt Hieronymi videntur verba referre; ſed iuxta illam, quia vrbs poſt interfectos reges capta, verſu 28. Græci interpretes ſcripſerunt Μακηδά: Ioſephus autem lib. V Antiquit. cap. 1 Μακχιδά, *Macchida.*

CLXXI.

Socho, * inter quam & Aſeka caſtra Philiſtæorum erant, 1 Sam. XVII, 1, gemina fuit, vna in campo, altera in monte, Ioſuæ XV, 35, 48, ſed vicinæ admodum, vt Hieronymus parem vtrique diſtantiam ab Eleutheropoli tribuat. *Socho, inquit, in tribu Iuda. Sunt autem vsque hodie viculi duo pergentibus Aeliam de Eleutheropoli in nono milliario viæ publicæ, vnus in monte, alter in campo ſitus, qui Sochot nominantur.* Hic cæſus eſt Goliath.

CLXXII.

Profectus victor Ioſua a Maceda in *Libnam*; a Libna in *Lachis* cap. X, 29, 31. ex quo adparet, Makedam ſeptemtrionalem fuiſſe; Lachis auſtralem; mediam inter has *Libnam*, quæ & *Lebna*, *Lobna* & *Lobana* Latina verſione nominatur. In Iuda vrbs *Libna* fuit, Ioſuæ XV, 42: & ſacerdotalis, cap. XXI, 13, munita, vt ex Sennacheribi obſidione 2 Reg. XIX, 8, Eſa. XXXVII, 8 cognoſcimus. Hieronymus: *Lebna in tribu Iuda ciuitas ſacerdotalis, quam tenuit Ieſus rege illius interfecto. Nunc eſt villa in regione Eleutheropolitana, quæ adpellatur Lobna. Scribit de hac Eſaias.* Igitur prope Eleutheropolim fuit, &, vt Ioſuæ iter, ac reliquarum adiacentium ſitus oſtendit, ab ortu illius, quæ poſtea fuit, Eleutheropoleos.

CLXXIII.

Lachis autem, quam Ioſua poſt Libnam obſedit cap. X, 31, in meridiem ab Eleutheropoli ſeptem millibus paſſuum receſſit. Itidem Hieronymus de Locis, duce Euſebio: *Lachis in tribu Iuda. Sed & hanc cepit Ieſus, rege eius interfecto. Meminit huius Eſaias & Hieremias: & nunc eſt villa in ſeptimo milliario ab Eleutheropoli euntibus Daromam.* Daromam, id eſt in meridiem: Euſebius plenior: πρὸς νότον ἀπιόντων εἰς τὸ Δαρωμᾶν, *ad auſtrum euntibus in Daromam.* Mentio eius eſt non ſolum apud Ioſuam in cenſu vrbium Iuda, cap. XV, 39, verum etiam ſub regibus Iudæ. nam ibi Amaſias rex in Iuda, a rebellibus interfectus fuit, 2 Reg. XIV; & Senacherib rex Aſſyriorum ibi caſtra habuit, vrbemque expugnauit, cap. XVIII, 14, 17, cap. XIX, 8, & Chaldæus exercitus Nebucadnezaris, Ierem. XXXIV, 7.

CLXXIV.

In Daroma etiam, vltra Lachis, fuit oppidum *Eſthemo*, ſiue *Eſthemoah*, tribus Iudæ, Ioſuæ XV, 50, & ſacerdotale, cap. XXI, 14, cui prædam Dauid miſit, 1 Samuel. XXX, 28. Hieronymus de Locis: *Eſthemo ciuitas ſacerdotalis: nunc autem oſtenditur prægrandis vicus Iudæorum in Daroma, qui locus ad Eleutheropoleos pertinet regionem;* Euſebius poſtrema ſic expreſſerat: ἐν τῷ Δαρωμᾷ ὁρίῳ Ἐλευθεροπόλεως.

CLXXV.

Sed in ſeptemtrionem regrediendum eſt, vbi *Ber* ſiue *Bera* obſcurum oppidum, Iudic. IX, 21 ab Hieronymo ita deſcribitur: *Bera, vbi, quum Abimelech Ioathan fugiſſet, habitauit. Diſtat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad aquilonem.*

CLXXVI.

* Græce Σοχὼ & Σωχώ. Vide Ioſeph. Antiq. VIII, 10, 1 & VI, 9, 1 edit. Hauerc.

CLXXVI.

Huic Hieronymus proximum locum facit *Gedur*, ſiue *Gedor* Ioſuæ XV, 58, quem ipſe diphthongo ſcripſit. *Gædur*, inquit, *in tribu Iuda: hodieque vocatur Gedrus vicus prægrandis in decimo milliario Dioſpoleos pergentibus Eleutheropolim.* Itinerario autem inter Dioſpolim & Eleutheropolim diſtantia eſt XVIII M. P. qui numerus ſi ſaluus eſſet, bene rationes nobis conſtarent. At ſupra dubitauimus de illo, & forte XXVIII, ſaltem XXIIII legendum eſt: quo poſito, paullo longius Gedur in ſeptemtrionem, quam Bera, recedet. Sed pretium non eſt de obſcuris litigare oppidulis.

CLXXVII.

Fuit prope Eleutheropolim etiam *Iarmuth*, ſiue *Iarimuth* ſeu *Ierimoth*, * Ioſuæ XV, 35 etiam in oppidis tribus Iudæ cenſum. Hieronymus: *Iarimuth ciuitas, quam ſubuertit Ieſus, in tribu Iuda, quarto diſtans ab Eleutheropoli lapide iuxta villam Eſthaol.* Vltimis vocibus plaga deſignatur occidentalis, quia Eſthaol in tribu Dan fuit, quæ Eleutheropolim ab oriente adpoſitam reſpexit.

2. Aliud huius nominis oppidum in tribu Iſſachar fuit, Ioſ. XXI, 29.

CLXXVIII.

Ab occaſu deinde, ſed in auſtrum magis vergente, fuit *Hazor*, ſiue *Aſor*, Græce Ασώρ, in tribu Iuda, Ioſuæ XV, 23, ** ſed in finibus Aſcalonis, vt Euſebius & Hieronymus obſeruarunt. Et *Hazor Hadata*, ſiue, vt bene Græci verterunt, Ασώρ ἡ καινή, *Aſor noua*, Ioſuæ XV, 25. Et Gazam verſus milliario decimo *Bethagla*, ſiue *Beth-hagla*, quæ Hieronymi & Euſebii ſententia eſt, quia ibi vicus ſit *Agla* nomine: quamobrem Hieronymus [non autem Euſebius] Bethagla cenſet in tribu Iuda. At Ioſuæ XVIII, 21 oppidis Beniamin adſcribitur: nec Ioſuæ XV, 6 cenſetur in Iuda, ſed terminus ſeptemtrionalis Iudæ in oppido Beniaminitico notatur. Hoc vero damus libenter, Euſebii ætate vicum, cui Agla nomen, in decimo milliario ab Eleutheropoli Gazam verſus fuiſſe.

CLXXIX.

Etiam propinqua vrbi Eleutheropoli fuit *Mizpe* ſiue *Maſpha*, ſed in aliam plagam vergens, ſeptemtrionis vel ſimul orientis. Hieronymus enim cum Euſebio: *Eſt & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra ſeptemtrionem pergentibus Aeliam, pertinens ad tribum Iuda.* In hac tribu cenſetur Ioſuæ XV, 38. Sunt eius nominis & alia oppida, ſed in diverſis tribubus.

CLXXX.

In hunc occaſum etiam declinauit oppidum *Cedron*, Κεδρών, quod rex

 Anti-

* Putatur eadem ac *Ramoth* & *Remeth*. Vide Ioſ. XIX, 20, X, 3, 5, 23, Nehem. II, 29. Reland.

** Relandus putat nomen huius vrbis קריות, & cognomen חצרון fuiſſe. Et ab illo איש & קריות nomen diſcipuli illius Ieſu, Iudæ Iſchariothæ, conflatum fuiſſe. Sed ſatius eſt, vt vtrumque nomen ad conſtituendum vrbis nomen neceſſarium putetur, vt apud nos in *Ludwigſtadt, Carlsruhe, Freudenſtadt* neutrum nomen ſatis eſt ad denotandum oppidum.

Antiochus emuniri iuſſit, 1 Maccab. xv, 39, ad quam vrbem vſque Syri victi fugati ſunt, cap. xvi, 9, atque εἰς τοὺς πύργους τοὺς ἐν ἀγρῷ Ἀζώτου, *in munimenta, quæ in agro Azoti erant.* Ex quo ſitus quodammodo Cedronis cognoſcitur, circa viam fuiſſe, quæ Azotum verſus ex Iudæa ſuperiore ferebat. Eodem bello exuſta Cedron ab Iudæis fuit.

CLXXXI.

In ortum ſolis propinquum Eleutheropolis habuit oppidum vel vicum *Moraſthi,* * patriam prophetæ Michææ, quod non modo ipſe de ſe teſtatur cap. 1, ſed Ieremias etiam cap. xxvi, 18, vbi Græci, Μιχαίας ὁ Μωραϑίτης, *Michæas Moraſthita.* Hieronymus præeunte Euſebio: *Moraſthi, vnde fuit Michæas propheta. Eſt autem vicus contra orientem Eleutheropoleos.* Non longe abfuiſſe, Hieronymus idem in Michæam prologo ſignificat: *ad Michæam,* inquit, *de Moraſthi: qui vſque hodie iuxta Eleutheropolim vrbem Palæſtinæ haud grandis eſt viculus.* Dum *iuxta* dicit, propinquitatem oſtendit.

CLXXXII.

Vlterior eiusdem plagæ orientalis erat *Ceila* ſiue *Kegila,* Ebr. קעילה, Gr. Κεϊλά. Hieronymus: *Ceila in tribu Iuda, vbi quondam ſedit Dauid: & nunc villula Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Chebron, quaſi octauo milliario, in qua ſepulcrum demonſtratur.* Ioſuæ xv, 44 in vrbibus Iuda recenſetur, & in Dauidis hiſtoria 1 Samuel. xxiii memorata eſt ſæpius.

CLXXXIII.

Prope hinc abfuit, ſed paullo longius ab Eleutheropoli, oppidum *Adollam* ſiue *Odollam.* Euſebius Hieronymo interprete: *Adollam in tribu Iudæ, & vſque hodie vicus non paruus ad orientem Eleutheropoleos in decimo eius milliario hoc nomine vocatur.* Eius mentio eſt Geneſ. xxxviii, 1, 12; Ioſuæ, xv, 35 in oppidis Iuda, & cap. xii, 15 eius rex ab Ioſua victus cæſusque refertur, & 1 Sam. xxii, 1, Dauid in ſpelunca iuxta hanc vrbem dicitur latitaſſe. Quædam verſiones diſtinguunt *Adollam* & *Odullam:* ſed in Ebræo vbique ſcriptura eadem *Adüllam:* Græca Ὀδολλάμ.

CLXXXIV.

Eglon etiam in hoc tractu fuit, quam Euſebius male dixit eamdem eſſe quæ Odollam: verius ſcripſiſſet vicinam eſſe. Etenim diſtincta oppida fuiſſe ex Ioſuæ xv, 35 & 39 clarum eſt. Rex eius in illis quinque fuit, quos vno prœlio Ioſua proſtrauit, cap. x, 3, 5, ac rege cæſo ipſam vrbem cepit ac deleuit, atque ab Eglone exercitum aduerſus Hebronem; ibidem commate 34 & 36, vnde de ſitu iudicari poteſt, quam Euſebius decem, Hieronymus duodecim millibus ab Eleutheropoli contra orientem fuiſſe tradidit, idque ſimilius vero eſt, quam numerus Euſebianus, a quo littera videtur excidiſſe.

CLXXXV.

* *Moreſchet* potius, vnde gentile *Moraſthi.* Moreſchet autem cum Mareſa non confundi vult Relandus ex Mich. I, 14, 15.

CLXXXV.

In hoc tractu, ſed ignotum, qua eius parte, fuit *Aphec* ſiue *Apheca* tribus Iuda, Ioſuæ xv, 53, quia cum Hebrone coniungitur hoc ordine: *Bethtaphua, Apheca, Humta, Kiriath Arba, quæ eſt Hebron.* Bis Philiſtæi, contra Iſraelitas bellum gerentes, caſtra poſuerunt ad *Aphec*, 1 Samuel. iv, 1, & cap. xxix, 1. Prius bellum in tribu Iuda geſtum eſſe nemo dubitat, vbi Iſrael caſtra oppoſuit ad *Ebeneſer*; de quo loco & nomine eius cap. vii, 12 eſt traditum. Quamquam vero hæc loca propinquiora Philiſtæorum regioni erant, ad quæ ex prœlio refugerunt: potuerunt tamen a meridie adſcendere per Daromam, quam Hieronymus vocat, vt in tribu Iuda bellum gereretur.

CLXXXVI.

Beth Taphua, quam Ioſua coniunxit, etiam incertæ poſitionis eſt: & Hieronymi ſeu Euſebii *Bethaphu* ita obſcure deſcriptum eſt, vt nihil inde lucis ad noſtrum locum adferatur: vt de mendo in loci vocabulo, ad quem referunt, taceam, quod Euſebio Ρȣφία, Hieronymo *Raphaim* eſt. Alterius belli locus, *Aphec*, eſt dubius, quia oppoſita Iſraelitarum caſtra *ad Ain in Iezrael*, quod Græci interpretes ad vallem Iezrael adducunt Endor vel Naim, pro lectionis diuerſitate, ſubſtituentes. Bonfrerius autem in Iuda & hoc bellum geſtum eſſe exiſtimat, quia & ibi *Iezrael*, Ioſuæ xv, 56; & *Ain*, oppidum Leuitarum, Ioſuæ xxi, 16, ex Iuda Simeoni tributum, cap. xv, 32 & xix, 7, de quo dubie Hieronymus vel quatuor millibus ab Hebrone, vel, ex alio codice, nono lapide ab Hebrone in Daroma, veſtigia inueniſſe tradidit. Sed aliud omnino eſt, procul ab Hebrone poſitum, quia Ioſ. xix, 7 cum Ether, Aſan & Rimon iungitur.

CLXXXVII.

Nunc ad ea, quæ Simeoni ex Iuda tributa ſunt, in auſtrum æque, vt occidentem, vergentia progredimur. *Ziklag*, ſeu *Ziclag* prima eſt, Ebræis צקלג, Græcis Σικελὰγ ſiue Σικελέγ: Vulgato interpreti *Siceleg:* Hieronymo praue Sicelech; quia Euſebius, quem ſequitur, Σικελάγ. Sed Ioſephus Σίκελλα & Σεκέλλα vtroque genere: lib. vi Antiquit. cap. xiv Dauidi dedit *κώμην τινὰ Σεκέλλαν καλȣμένην, vicum quemdam Secellam dictum:* & cap. xv, *εἰς Σίκελλα, ad Sicella:* & mox, *ἐν Σικέλλα, in Sicella.* Ex Iuda Simeoni tributa, Ioſuæ xv, 31, cap. xix, 5, at in Philiſtæorum poteſtate ad Dauidis vsque tempora manſiſſe videtur, 1 Samuel. xxvii & xxx. Poſitionis rationes hæ ſolæ conſtant, quod in Simeonitide, & ad Philiſtæorum fines: addit Euſebius *ἐν Δαρωμᾶ, in Daroma*, hoc eſt auſtrali Iudææ parte.

CLXXXVIII.

Coniuncta fuit *Horma* ſiue *Harma*, in eadem tribu, Ioſuæ xix, 4. Hieronymus *Erma* & *Arma* ſcripſit. An idem locus ſit, vbi rebelles Iſraelitæ victi Numer. xiv, 45, & Chananæi poſtea ſuperati Numer. xxi, dubitamus. Videtur tamen Bonfrerio eſſe, qui propterea in meridiem admodum deduxit.

CLXXXIX.

CLXXXIX.

Simeonis & *Athar* fuit, Ebr. *Ether*, Ioſ. xv, 42, & cap. xix, 7, ex Iuda huic tribui adſcripta. Græci Αθὲρ & Εθέρ.

CXC.

Fuit & *Athach* eodem tractu, cui Dauid partem prædæ transmiſit, 1 Samuel. xxx, 30, quam & Athar eamdem putat Bonfrerius, quia vtrobique cum *Aſan* coniungatur, & in aliis hominum vrbiumque vocabulis præſertim in tanta temporum diuerſitate non nunquam elementum permutetur; quum cetera עתר & עתך conueniant.

CXCI.

Aſan autem Ioſuæ xix, 7 ſeu *Cor Aſan* 1 Sam. xxx, 30 vicinum fuit ſuperiori Ether: adeoque diuerſum a Beth Aſan Hieronymi, quem *vicum* dicit *nobilem* in decimo quinto ab Aelia milliario: addit Euſebius (in *Aſan* vterque) πρὸς δυσμὰς, *ad occaſum:* etiam *ſedecim* milliaria, non quindecim, numerauit. Sed eo vsque Simeonitis tribus non pertinuit; nec oppida eius ab Aelia, ſed ab Eleutheropoli ſunt metienda. Fuit antea tribus Iudæ, Ioſ. xv, 42: Simeoni poſtea tributa, cap. xix, 7 & ſacerdotalis, 1 Paralip. vi, 59.

CXCII.

Contendit Bonfrerius in Ioſuæ xxi, 15 commentario, eamdem eſſe *Aſan* & *Ieta* ſiue *Iuta*, quia vbi Ietæ mentio ſit, nulla habeatur Aſani, & vbi Aſan, ibi non memoretur Ieta: & prouocat ad Ioſuæ xv, 55, xix, 7, & 1 Paralip. vi, 59. Sed fallitur. nam & vno loco, quo Iudæ vniuerſa oppida enarrantur, vtrumque, vt diuerſa oppida, leguntur *Aſan* & *Iuta*, videlicet Ioſuæ xv, 42 & 55. Ebr. *Iuta* eſt; & *Iüta* Ioſ. xxi, 15. Vulgatus ibi *Iota* habet; hic *Ieta:* & Græci Ιεττά: vt videatur Euſebii Ιεττάν, Hieronymi *Iethan* eſſe, quod decimo octauo lapide ab Eleutheropoli in Daroma ponunt. Nec vero crediderim in Simeonis tribu fuiſſe, quia cum remotioribus inde, Maon, Carmel, Siph componitur dicto cap. xv, 55. nec cap. xix in vrbibus eius connumeratur. Sacerdotalis fuit Ioſuæ xxi, 15; & Iettan Euſebii, ſeu Iethan Hieronymi, vt ipſi referunt, fuit ſacerdotalis: quo probabilius fit Iuta ſeu Ieta, & Iettan eamdem fuiſſe. *

CXCIII.

Fuit & *Etam* Simeonitidis, 1 Paralip. iv, 32, quæ cum Aſan, Ether, Rimon coniungitur, vt in vicinia illorum fuiſſe neceſſe, ſaltem perquam ſit probabile. Videtur Samſonis petra *Etam* eſſe, Iudic. xv, 8: poſtea ædificata in vrbem & munita, 2 Paralip. xi, 6. Itidem Bonfrerio videntur eadem ciuitas Etam & Athar, quia ſociæ & vicinæ, cum quibus componantur, ſint eædem. At maior, quam vnius elementi, diſſonantia. illa enim עיטם Ebraice; hæc עתר *Ether* ſcribitur.

CXCIV.

* Hanc *Iutam* intelligi putat Relandus Lucæ I, 39, quamuis ט per Δ ſit expreſſum. Nam litteræ eiusdem inſtrumenti permutationem amant. Sic Hieronymus *Arath* ſcribit, quod Num. XXI, 1 *Arad.*

CXCIV.

Rimon autem ſiue *Rimmon*, ſeu *Remmon*, antea in tribu Iuda, Ioſuæ XV,32, poſt Simeoni tributa, cap. XIX,7. Vocatur Nehem. XI,29 *En Rimmon.* Hieronymus in hoc loco nugatur. Alia Rimmon erat in Zabulon, Ioſuæ XIX,13.

CXCV.

In tribu Simeonis fuit etiam *Berſabe*, * Ioſuæ XIX,2, non ſolum tribus ſuæ, aut Iudææ, ſed omnis terræ Iſraeliticæ auſtralis terminus, vt ex trita formula, *a Dan ad Berſabe*, manifeſtum eſt, Iud. XX,1, & 1 Samuel. III,20; ac 2 Sam. III, 10, cap. XVII, 11; XXIV,2, & 1 Reg. IV, 25. Patriarcharum habitatio fuit, Abrahami, a quo nomen accepit, Geneſ. XXI,31,33, & Iſaaci, Geneſ. XXVI, 23, cap. XXVIII, 10. Vox ipſa ſonat *Fontem iurisiurandi*, quem Abraham effoderat, ſibique fœdere ac iurisiurandi religione vindicauerat ab iniuriis Philiſtæorum. Fons deinde oppido nomen dedit. Euſebius & Hieronymus de Locis tradunt, ſuo tempore caſtrum & grandem vicum ſuperfuiſſe hoc nomine, viceſimo ab Hebrone milliario in auſtrum. Minus ſibi hæ conſtant rationes, quum non ab Hebrone, quæ in orientem vergit, ** ſed ab Eleutheropoli diſtantia fuiſſet deducenda: & ſi deduceretur, maior lapidum, quam viginti, exprimendus foret numerus, quum Berſabe in extremo ſit auſtro Palæſtinæ ſita. Quid ergo de Hebrone dicam, quam vtique maiore interuallo, quod inſtar hypotenuſæ ſit in triangulo, afuiſſe neceſſe eſt? Ad occaſum enim Berſabe ſimul vergebat, & in via erat, aut prope illam, quæ ex Chananæa ferebat in Aegyptum, Geneſ. XLVI,1. Et mendum ſubeſſe aut errorem, ex eo etiam demonſtrari poteſt, quia alibi Hieronymus in viceſimo ab Hebrone milliario oppidum *Arad* ponit: non poſſunt autem duo oppida & vtrumque *ad meridiem*, vt addidit, diſtantia æquali ab Hebron afuiſſe. Quod vero vterque de præſidio addit, Euſebius, *ἣ καὶ Φρούριον στρατιωτῶν ἐγκάθηται*: Hieronymus, *in quo & Romanorum militum præſidium poſitum eſt*; bene ſe habet ac ipſis Romanorum teſtimoniis confirmatum eſt. Lege XXX Cod. Theodoſ. de Erogatione mil. annonæ, mentio eſt *Verſabini* in Palæſtina caſtri, vt recte Gothofredus emendauit. V autem & B in legibus frequenter permutantur. Et Notit. Imperii orient. ſub diſpoſitione Ducis Palæſtinæ, *Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſabæ* leguntur in præſidio fuiſſe. Hæc Berſabe 1 Reg. XIX, 3 dicitur *Berſabe in Iuda*, non diſcriminis cauſſa, quaſi duæ eſſent; *** ſed vt indicetur, tum in ditione regis Iuda, non Samariæ, fuiſſe, aut bello erepta, aut propter mixtos & confuſos vtriusque tribus fines: quia pronum ad fidem eſt, Hieroſolymitanum regem, cui propiora erant, multa ex Simeone tribu ſibi vindicaſſe.

CXCVI.

* Ioſepho Antiq. I, 12, 1 Βερσουβαὶ, ſed Antiq. VI, 3, 2 Βαρσουβαὶ & Antiq. VIII, 13, 7 Βηρσουβεὲ dicitur.

** Sed hoc negat Relandus.

*** Nam *Berſabe* Galilææ iſtis temporibus fortaſſe ignota erat.

CXCVI.

Et alia Simeonitidis fuerunt oppida, Iudicum XIX enarrata, ſed ignobiliora, & quæ nemo facile in ordinem redigere, ac ſuæ quodque ſedi adſignare poterit. Erant autem *Seba* * ſiue *Sabee; Molada, Haſarſual, Bala,* ** *Azem, Eltholad, Bethul* ſiue *Bathul, Bethmarcaboth, Hazarſuſa, Bethlebaoth* & *Sarohen:* quæ nec ab Hieronymo ſunt explicata aut definita per diſtantias. Maritima, cum Philiſtæa coniungemus.

CXCVII.

Ad meridiem Iudæ fuerunt *Ierahmeelitæ,* quos Dauid vaſtaſſe ſimulabat apud regem Achis, 1 Samuel. XXVII, 10, & cap. XXX, 29: reipſa autem perdiderat *Geſſuritas* & *Gerzitas,* quæ populorum nomina in Ebræo ſunt: Tabulæ autem oppida inde nominant *Geſſur,* & *Gerza;* quam certo, res ipſa oſtendit, quia alterius nominis nusquam præterea facta eſt mentio: *Geſſuritæ* ſemel alibi, Ioſuæ XIII, 2 memorantur, ſed etiam populi forma, non oppidi. Hos quidam de Geſſuræis ſub Hermone monte interpretantur, quod male cum ſequentibus verbis, *a Sihor Aegypti fluuio,* cohæret. Hi vero Geſſuritæ ab illo fluuio ad Philiſtæam vsque habitarunt, vt nexus commatis 2 & 3 dicti capitis XIII declarat. Si quis vero oppida omnino tueri malit, per nos licebit coniectura ſua frui, quam, argumentis vtrimque deſtituti, neque adprobabimus, neque refellemus.

CXCVIII.

Circa Berſaben etiam *Gerar* fuit ſiue *Gerara.* Geneſ. X, 19 terminus Chananææ vna cum Gaza meridianus ſtatuitur. quod clare LXX interpretes expreſſerunt. Sita erat inter Cades & Sur, notas ſolitudines, quarum illa Aegyptum ſpectat, hæc Arabiam Petræam, Geneſ. XX, 1. Hieronymus cum Euſebio ſuo præclare; *Gerara, ex cuius nomine nunc Geraritica vocatur regio trans Daromam, procul ab Eleutheropoli viginti millibus & quinque ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum ad auſtralem plagam, & ciuitas metropolis Palæſtinæ,* [id eſt Philiſtææ.] *Scriptura commemorat, fuiſſe eam inter Cades & Sur, hoc eſt inter duas ſolitudines, quarum vna Aegypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit. Altera vero Cades vsque od Saracenorum eremum extenditur.* Metropolim dixit, quia Abimelecho Philiſtæo regiam ſedem præbuit: quamvis & extra Philiſtæam videatur ſita fuiſſe, quia inter Sur & Cades ſolitudines: tunc vero in Philiſtæorum poteſtate. Poſteriori tempore videtur regis Aethiopum, id eſt auſtralium Arabum fuiſſe, quia Aſa, rex Iudæ, victo illo rege omnia circa Geraram vaſtaſſe dicitur 2 Paralip. XIV, 14. Samaritanus interpres Geneſ. XX, 2, cap. XXVI, 1 & 6 vertit *Aſcalonem;* & Targum

* *Scheba* hæc Ioſ. XV, 26 *Schema* dici videtur, vt Ioſ. XIX, 2 Græci interpretes Σαμαὰ habent. Reland.

** Hæc בעלה diuerſa eſſe videtur Relando a בעלה cognomine *Kiriathiearim. Kiriathiearim* ſita non erat in auſtrali Iudæ parte, & vna cum altera illa *Baala* recenſetur Ioſ. XV, 60. Eadem autem vrbs in eodem loco bis recenſeri non poteſt inter oppida eiusdem regionis. Sed בלה & בעלה eadem videtur Relando. Confer Ioſ. XIX, 1 & Ioſ. XV, 28, 29, 30. Item בלהה & בלה 1 Chron. IV, 28.

Targum Hieroſolymitanum Geneſ. xx, 2 *Arad:* quarum neutra conuenit cum ſitu inter Sur & Cades. *

CXCIX.

Sed intra fines Chananææ & ipſius Iudæ tribus regrediendum, vt reliqua abſoluantur. *Marêſa* ſupereſt, *Mariſſa*, Μάρισσα Ioſephi, ab Ioſua cap. xv, 44 cum *Kegila* & *Achzib*, tamquam vicina illarum, in auſtralioribus Iudæ recenſita. Muniuit Rehabeam, Salomonis filius, 2 Paralip. xi, 8, & longum poſt tempus dirutam Gabinius, dux Romanus, reſtituit, quod Ioſephus refert lib. xiv Antiq. cap. x. ** De ſitu ita Euſebius in Locis Ebraicis: Μάρησα φυλῆς Ἰȣδα. ἔρημός ἐςιν νῦν ἀπὸ σημείων β΄ Ἐλευθεροπόλεως. Hieronymus interpretatus eſt: *Mareſa in tribu Iuda, cuius nunc tantummodo ſunt ruinæ in ſecundo lapide Eleutheropoleos.* *⁎* Si recte ſe numerus habet ruinarum, putare poſſes, ex ruinis illis, haud dubie Romano bello vltimo factis, enatam in vicinia Eleutheropolim eſſe, cuius ignota alioquin origo eſt. Videtur tamen longius in auſtrum receſſiſſe, quia quum Aethiopes vsque Mareſam adſcendiſſent, rex Aſſa illos in campo iuxta Mareſam vicit & vsque Geraram, quæ extra limitem Palæſtinæ eſt, fugientes cecidit, 2 Paralip. xiv, 10 & 14. Ioſephus lib. viii Antiq. cap. vi *Regi Zaræo Athiopum progreſſo* μέχρι πόλεως Μαρήσας, ἔςι δ᾽ ἄυτη τῆς Ἰȣδα φυλῆς, - - - *occurrit rex Aſanus ibi, & commiſſo prœlio* πολλȣ̀ς ἀπέκτεινε τῶν Αἰθιόπων, καὶ τραπέντας εἰς φυγὴν ἐδίωξεν ἄχρι τῆς Γεραρίτιδος χώρας, *plurimos Aethiopes interfecit, fugientesque in vsque Geraritidem regionem perſequutus eſt.* Et Ioſephus, qui aliis locis Μάρισσαν, *Mariſſam* vocat, nunc in Idumæa ponit, lib. xiii cap. xxiii; nunc in Iudæa, vt in Græco eſt lib. i de Bello cap. ii. (nam Latina verſione etiam ibidem *Idumæa*) quia meridialis Iudæa omnis poſteriori æuo Idumæa fuit dicta, vt ſupra demonſtratum fuit. † Quare ſuſpicari poſſis, excidiſſe aliquid apud Euſebium & ιβ, id eſt *duodecim* pro β ſimplici legendum. Quod vero etiam Hieronymus *ſecundo* legit, aut antiquum ſphalma concedendum, aut probanda prior ſuſpicio de Eleutheropoli ex Mareſæ ruinis nata.

CC.

Achzib, quæ cum illa & Kegila Ioſuæ xv, 44 coniungitur, ignobilior ea, quam in Galilæa maritima diximus Ecdippa a profanis nominari: de cuius poſitione nihil plus adferri poteſt, quam ex vicinitate Mareſæ atque Kegilæ.

CCI.

Progredientibus in Daroma ſeu auſtrali Iudææ limite, offert ſe *Arad*, ערד, in auſtrum ſita prope deſerta Arabiæ. Rex enim Aradi Iſraelitas impugna-

* Gerar habuit epiſcopos. Relandus.

** Iam antea Pompeius eam ſuis ſeſſoribus reſtituerat. Ioſeph. Antiq. XIV, 4, 4. Et poſt Parthi eam euerterunt δυνατὴν πόλιν, *potentem vrbem.* Ioſeph. Antiq. XIV, 13, 9 extr. pag. 725.

⁎ Arabiæ propinquam fuiſſe, colligere poſſis ex eo, quod *Mariſſa* cum *Libiade, Medaba, Zoaris, Luſſa* iungitur a Ioſepho Antiq. XIV, 1 extr. qui ea oppida Arabibus ademta dicit.

† Libr. III cap. 13 §. 148 ſ. 1.

pugnauit adhuc in ſolitudine peregrinantes, ſed vicerunt illum, & cuncta eius oppida euerterunt: vnde locus, quo bellum geſtum erat, qui ad occaſum ab Arad regia recedebat, *Horma* eſt adpellatus. Numer. XXI ineunte id proditum. Latina vulgata verſione Ioſuæ XII, 14 *Hered* vocatur vrbs: LXX Ἀρὰδ & Ἀρέδ. Hieronymus *Arath*, quamquam in Ebræo daleth: & Euſebius corruptius Ἄραμα; deſcriptio tamen in noſtram Arad cadit, quod fuerit *ciuitas olim Amorrhæorum vicina deſerto Cades: & vsque nunc oſtenditur villa ab oppido Malatis in quarto lapide; a Chebron viceſimo, in tribu Iuda.*

2. Quodnam oppidum ſint *Malata* illius loci, nemo facile explicaverit.

CCII.

Inde pergitur ad *Akrabbim*, ſiue *Adſcenſum Acrabbim*, Num. XXXIV, 4, & Ioſuæ XV, 3, vtroque loco למעלה עקרבים, Græci, *πρὸς ἀνάβασιν* Ἀκραβεὶν, altero, *πρὸς ἀναβάσεως* Ἀκραββείν: Vulgatus, *per* vel *contra Adſcenſum Scorpionis.* Iudicum cap. I extremo terminus Amorrhæorum a Seba, id eſt Petra vocatur Aſcenſus Acrabbim ſiue Scorpionis; quaſi Petra Arabiæ vrbs ſignificetur: verum quia Amorrhæi ibi notantur, qui tribum Dan in montana coegerint, & viciſſim ab Ephraim vectigales facti ſint; verius illa de Acrabatene regione, quam de hoc auſtrali termino intelliguntur. Nam etiam ille Adſcenſus Acrabbim, qui ad Idumæam eſt, I Maccab. V, 3 vocatur Ἀκραβαττίνη, *Acrabattine*, ſiue *Acrabatene.* Et Hieronymus in Obadiam ad verba verſ. 19, *Et hereditabunt hi, qui ad auſtrum ſunt, montem Eſau*, ita commentatus eſt: *Reuerſo in regnum ſuum Iuda, qui habitauit in meridie, & poſſedit cunctam regionem, iuxta diuiſionem Ieſu filii Naue, quæ vergit ad Scorpionem, id eſt, omnem Acrabatenam.* Vide ſic Acrabatenam in finibus Eſau ſiue Edomitarum, qui & Adſcenſus Scorpionis vocatur, diſtinctam ab Acrabatene in finibus tribuum Ephraim & Beniamin.

CLIII.

Hunc limitem, qui a meridie tribum Iuda terminabat, plene clareque Ioſua deſcripſit ab ortu in occaſum cap. XV, 2 ſeq. ac eſt primo Lingua maris Salſi, quæ meridiem reſpicit: deinde Adſcenſus Scorpionis: ad Sina & Cadesbarne: præterea Eſron, Adar, Carcaa: inde Azmon ſiue Aſemon: tandem fluuius Aegypti & mare Magnum. Ex his Linguam & Adſcenſum vidimus: ſolitudines Sin & Cades ad Arabiam, cuius ſunt, reſeruamus: *Eſron* ſiue *Hezron*, quæ & *Hazor* ſiue *Aſor* dicta, vt commate 25 explicatur: de qua ſupra dixi. LXX vtroque loco, Ioſuæ XV, 3 & 25 Ἐσρών.

2. *Adar* ſiue *Addar* & Numer. XXXIV, 4 memoratur, de qua ſic Euſebius: Ἀδδαρὰ φυλῆς Ἰούδα πρὸς τῇ ἐρήμῳ: Hieronymus, *Addara in tribu Iuda iuxta deſertum.*

3. Qui

* Relandus ex iis, quæ Euſebius ad Ἐθὲρ, Ἀσασὰν Θαμὰν, Ἰεθὲρ & Ἀραμὰ dicit, colligit *vrbem Malatha ſitam fuiſſe in Daroma, id eſt, auſtrali portione tribus Iudæ, non longe a Iether, magis tamen verſus boream & viginti circiter milliaribus a Chebrone circa fines terræ Iſraeliticæ auſtrales.*

3. Qui ſequitur, *Carcaa*, ignotus locus, & extra lineam: quare dicitur de termino: *circuit in Carcaa.*

4. Sed *Azmon*, Vulgati *Aſemona*, vt Græcorum Ασεμωνὰ, etiam Numer. XXXIV, 4 legitur, & ab Hieronymo Euſebii verbis conuerſis deſcribitur: *Aſemona ciuitas in deſerto ad meridiem Iudæ, diuidens Aegyptum & ſortem tribus Iudæ, ad mare vsque tendentem.* De flumine dicemus in maritimis.

CCIV.

Hæc in *Daroma* ſeu meridie Iudææ, quem ita ſæpe numero Euſebius & Hieronymus adpellant. * Non autem Daroma tantum tractus eſt longus, ſed late etiam in ſuperiora ipſius Iudææ excurrit, vt ex exemplis ſupra vidimus. Vnum addo vel repeto: *Maon* ſupra Adſcenſum Scorpionis, & ſupra Arad, vt videtur, poſita: nihilominus tam Euſebius, quam Hieronymus ſtatuunt in Daromæ orientali parte. Ille enim Μαῶν, inquit, φυλῆς Ἰȣδα. ἔρημός ἐςιν νῦν ἐν ἀνατολαῖς τȣ̃ Δαρωμά. Hoc eſt: *Maon in tribu Iuda, deſerta nunc eſt in oriente Daromæ.* Hieronymus, *Maon in tribu Iudæ contra ſolis ortum Daromæ.* hoc eſt, ad orientalem plagam Daromæ, ſeu in terra auſtrali, qua parte ad ortum ſeu mare mortuum vergit. Hinc *ſolitudo Maon* 1 Samuel. XXIII, 24, 25 denominatur. Fuiſſe vero præter ſolitudinem etiam oppidum *Maon*, quod ſolitudini nomen dedit, ex Ioſuæ XV, 55 abunde certum eſt. Ibi enim in oppidis Iuda *Maon*, *Carmel*, *Siph*, *Iuta* ſimul enumerantur.

CCV.

Et regio *Goſen* Ioſuæ X, 41 & XI, 16 memorata, videtur circa meridialem plagam tribus Iudæ fuiſſe, ſed intus paullo: quæ nomen habet ab oppido *Goſen*, Ioſuæ XV, 51. Hieronymus *Goſon* ſcripſit, Euſebius Γοσὸν, nec vero plus addiderunt, quam vrbem eſſe, ab Ioſua expugnatam. Incerta ergo illius eſt poſitio.

CCVI.

Sunt præterea multa in tribu Iuda, quæ certo loco adſignari non poſſunt, quod neque hiſtoria de illis ſupereſt, neque Euſebius ea expoſuit. Sunt enim non pauca, quæ plane chorographus ille non attigit, ſed præteriit ſilentio: quædam memorauit quidem, ſed ſitum & diſtantiam non declarauit, nihilque de iis tradidit, niſi *in tribu Iuda eſſe*, vt in *Capſael*, *Iagur*, *Eder*, *Cina*, *Dimona*, *Aman*, *Lebaoth*, *Aſna*, *Chabon*, & aliis, Hieronymus ex Euſebio adſcripſit. *Anab* * dicit quidem in finibus Eleutheropoleos eſſe, ſed in quam plagam, & quanto interuallo ab vrbe diſcedat, non adiecit: nec Euſebius ibi *Anab*, ſed Ἀνὰμ, *Anam* legit, vt nec de nomine Eleutheropolitani vici ſatis certi ſimus. Nec de

* Sine dubio ex more Iudæorum. nam etiam in Targum Hieroſol. Geneſ. XXIV extr. Iſaacus dicitur שרי בארעא דרומא *habitaſſe in terra Daroma.*

** Relandus: *Hanc putabat Euſebius eſſe vicum Betoannab diſſitum* IV *milliar. a Dioſpoli verſus orientem. Sed Hieronymus ſcribit pleroſque adfirmare, eum in octauo ab ea milliario ſitum & adpellari Bethannabam.*

Cades oppido Iudæ, Ioſuæ xv, 23, ſiue *Kedes*, vt alii enuntiant, quidquam conſtat: multum vero de nobiliori Kedes ſeu Cedeſa in Naphthali.

CCVII.

De *Bethaphu* ſiue *Beth Thaphua* ſupra, licet nec ipſum ſatis certo, dictum fuit. Alia vero in eadem tribu fuit *Thapuah*, ſiue *Thaphua*, vt clare diſtinguuntur Ioſuæ xv, 34 & 53. Euſebius poſterius Θαφφȣ̃ ſcripſit, Hieronymus *Thaffu*: ſed nihil adferunt, quam in tribu Iuda eſſe, cuius regem Ioſua interfecerit: quod Ioſuæ xii, 17 eſt memoratum.

CCVIII.

Debîr autem, ciuitas ſacerdotalis, Ioſuæ xxi, 15 videtur prope Hebronem fuiſſe, quia Caleb, capta Hebrone, proxime profectus eſt ad oppugnandum Debir: Ioſuæ xv, 15. & ipſe Ioſua, quum, capta Eglone, contra Hebronem duxiſſet exercitum, eamque expugnaſſet, dicitur *revertiſſe* & exercitum *reduxiſſe* aduerſus *Debir*, cap. x, 38, vt & illam expugnaret. Sed nec plaga, nec diſtantia ab Hebrone definiri poteſt. Dicta olim fuerat *Kiriathſepher*, item *Kiriathſanna*, Ioſuæ xv, 15 & 49.

2. Alia Debir fuit in tribu Gad trans Iordanem, quæ huc non pertinet.

CCIX.

Denique non prætereundæ ſunt *Toparchiæ* Iudææ, quarum Plinius lib. v cap. xiv decem numerauit: Ioſephus lib. iii de Bello cap. iv numerat ἕνδεκα, *vndecim*; nec vero ita diſtribuit illarum nomina, vt dubitare de numero non liceat, qui facile maior ampliorque apparere poteſt. Plinii de his verba ſunt: *Reliqua Iudæa* [quam ab Idumæa, Galilæa, Samaria & Peræa diſtinguit] *diuiditur in Toparchias decem, quo dicemus ordine: Hiericuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam: ſecunda Emmaum, Lyddam, Ioppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Bethleptephenen, Orinen, in qua fuere Hieroſolyma, longe clariſſima vrbium orientis, non Iudææ modo: Herodium cum oppido illuſtri eiusdem nominis.*

2. Alium ordinem & numerum Ioſephus dicto loco tenet. Μερίζεται [inquit, Ιȣδαία] εἰς ἕνδεκα κληρȣχίας, ὧν ἄρχει μὲν ὡς βασίλειον τὰ Ιεροσόλυμα. - - - αἱ λοιπαὶ μετ᾽ αὐτὴν διῄρηνται τὰς τοπαρχίας. Γόφνα δευτέρα, καὶ μετ᾽ αὐτὴν Ακραβατταὶ, Θάμνα πρὸς ταύταις, καὶ Λυδδὰ, καὶ Αμαȣ̀ς, καὶ Πέλλη, καὶ Ιδȣμαία, καὶ Εγγαδαὶ, καὶ Ηρώδειον, καὶ Ιεριχȣ̃ς· μεθ᾽ ἃ Ιάμνια καὶ Ιόππη τῶν περιοίκων ἀφηγȣ̃νται. *In vndecim ſortes diuiſa eſt Iudæa: quarum prima tamquam regia Hieroſolyma. - - - Ceteræ poſt illam diſtributæ ſunt in Toparchias. Gophna ſecunda eſt, & poſt illam Acrabattæ: adhæc Thamna, & Lydda, & Amaûs, & Pella, & Idumæa, & Engadæ, & Herodium, & Hierichûs: poſt quæ Iamnia & Ioppe finitimis præſunt.* Abundantior numerus, & ſuſpecta in primis mihi *Pella* eſt, quæ trans Iordanem fuit. Quid vero de *Bethleptephene* dicemus, quod nomen Plinio Harduinus ex ipſius Ioſephi lib. iv de Bello cap. xxvi reſtituit. Dicit hic Veſpaſianum, relicta apud Ammauntem in caſtris quinta legione, cum ceteris copiis ἐπὶ τὴν Βεθλεπτηφῶν τοπαρχίαν, *in Bethleptephorum toparchiam* profectum eſſe, eamque

&

& vicinam regionem incendiis vaſtaſſe, *καὶ τὰ πέριξ τῆς Ἰδουμαίας φρούρια ſimulque caſtella circa Idumæam emuniiſſe* fortius, & duobus vicis in media Idumæa captis, *Betari* & *Caphartbopha* (Καφάρτοβα recto caſu; altera Βήταρις) plus quam decem millia hominum interfeciſſe. Ex quibus adparet, *Bethleptephenen* inter Emauntem, quæ poſtea Nicopolis vocata fuit, & Idumæam exſtitiſſe, atque ita in ipſa tribu Iuda inquirendam eſſe. Sitne autem vna ex antea nominatis toparchiis, an noua & ab illis vndecim diſtincta, quis facile definire poterit? Plinius quidem in ſuis decem nominauit, ſed ex Ioſepho vocabulum illud Harduinus ſubſtituit, quum antea legeretur, *Betholenen*, *Tephenen*, quæ citra dubium prauata erant. Atque ita nec de numero neque de ordine toparchiarum, neque ipſis illarum nominibus res eſt plane certa, quam tamen multi vt certiſſimam adlegant, atque ex ordine etiam Ioſephi conantur diſtantias locorum demonſtrare.

3. Hæ vero toparchiæ aliam nobis Iudæam deſignant & multo ampliorem, quam nos ſupra eius fines poſuimus: cuius diuerſitatis hæc eſt ratio, quia nos ad regnum magis Samariæ & tribuum diſtinctionem reſpeximus: Ioſephus autem ad receptam ſuis temporibus prouinciarum diuiſionem. Nos contenti fuimus tribubus Iuda & Beniamin: Ioſephus ex veteri Samaritide non nulla Iudææ contribuit, immo ex ipſa Galilæa. Ait enim de Iudæa ſua, eo ipſo loco, quo toparchias enumerat, *non carere marinis deliciis*, ſed eſſe *κατατείνουσαν μέχρι Πτολεμαΐδος*, *extenſam vsque ad Ptolemaidem.* At neque Ptolemais, & nec citeriora, Carmelus, Dora, cetera, in regno Iuda erant, ſed Samariæ, vt notum eſt.

SECTIO VII.

PHILISTAEA ET ORA
MARITIMA IVDAEAE.

CCX.

A meridie in occaſum procedimus, vbi tota Philiſtæorum fuit regio, tribui Iudæ primum adiudicata vsque ad mare magnum Ioſuæ XV, 12. deinde Danitidi & Simeonitidi ex parte contributa, cap. XIX, 43, ab Iuda etiam occupata, Iudic. I, 18, ſed amiſſa breui poſt: vindicata a Dauide & ſucceſſoribus, rurſus amiſſa, aut numquam penitus ſubiugata, vsque ad regis Vſiæ tempora, qui munitiones Philiſtæarum vrbium diruit, nouasque, vt cohiberet gentem, circa illas condidit, I Paralip. XXVI, 6. Et quid multa? totus tractus Philiſtæorum, & nominatim quinque famoſi illorum principatus Iſraelitis a Deo tribuuntur Ioſuæ XIII, 2 & 3, licet iuſto Dei iudicio, vt malitiam populi Iſraelitici puniret, non potuerint occupari, aut ægre interdum Philiſtæis aliquid illorum ademtum fuerit.

CCXI.

Philiſtæos Græci vocant φυλιστιείμ Ebræo more, Geneſ. XXI, 32, 34, cap. XXVI, 1, Ioſuæ XIII, 2, 3. In ceteris libris, Iudicum, Samuelis, Regum, Pro-

Prophetarum plerumque vocantur *ἀλλόφυλοι, alienigenæ:* quod etiam Hieronymus, præſertim de Locis Ebraicis cum Euſebio ſæpe imitatur: interdum & Vulgatus *Philiſtim* ſiue *Philiſtiim* retinet, non numquam *Philiſtinos* dixit, v. gr. Iudic. III, 3, XIII, 1, 5, & ipſe Hieronymus in Amos I, 8: ſæpe quoque *Palæſtinos,* vt Geneſ. XXI, 33, cap. XXVI, 1, & 8, & 14, cap. XXIII, 31. Et vbi Septuaginta habent Ioel. III, 4 *γαλιλαία ἀλλοφύλων*, Hieronymus vertit, *terminus Palæſtinorum.* Idem in Eſa. XIV, 29 ad verba prophetæ, quæ ipſe vertit: *Ne læteris Philiſtæa omnis tu*, ita commentatus eſt: *Mortuo Achaz intelligimus Philiſtæos e vicino fuiſſe lætatos, & inſultaſſe Iſraeli, quod maturo rege perdito, Ezechiæ iuueni ſubiacerent. Philiſtæos autem, vt ſupra diximus, Palæſtinos ſignificat: quod Alienigenas vulgata ſcribit editio, quum hoc non vnius gentis, ſed omnium externarum gentium vocabulum ſit.* Idem in Amos I, 6 *Videamus quid Philiſtim & vrbes eius peccauerint: quos Septuaginta ſemper Alienigenas tranſtulerunt. Vbicumque enim in veteri teſtamento ἀλλοφύλους, id eſt alienigenas legerimus, non commune nomen omnium externarum gentium, ſed proprie Philiſtim, qui nunc Palæſtini vocantur, accipiendi ſunt.* Ioſephus in Antiquitatibus ſemper vocat Παλαιστινοὺς, *Palæſtinos:* & regionem illorum Παλαιστίνην, *Palæſtinam,* lib. II cap. VI. vt ita *Philiſtim* ſiue *Philiſtiim*, & *Philiſtæi*, & *Philiſtini*, & *Palæſtini* proprie dicti, vnius gentis nomen ſit, e quibus vltimum deinceps vniuerſos ſanctæ terræ habitatores, recepto loquendi vſu, ſignificauit.

CCXII.

Hæc de nomine gentis: de origine nunc pauca trademus. Antiquiſſimi regionis illius cultores *Heuæi* fuerunt, quos a *Caphtorim* expulſos aut deletos fuiſſe Moſes memorat Deuteron. II, 23. Caphtoræos autem & hic & Amos IX, 7, Græci & Latinus interpretes cum Chaldæis, etiam Onkelos Geneſ. X, 14, reddiderunt *Cappadoces*, & Caphtor *Cappadociam.* Hoc enim loco Philiſtæi dicuntur a *Casluchim* eſſe, quos Colchos Bochartus interpretatur, vicinos Cappadocibus. Philiſtæos autem & Caphtores conſpiraſſe in Heuæis exſtirpandis: quos vtrosque ex Cappadocia & Colchide deducunt. At Ioſephus lib. I Antiq. cap. VII Cappadoces cum ceteris, qui trans Amanum & Taurum ſunt, ab Iapheti poſteris deriuat: Caphtoræi autem & Philiſtæi ſunt ex poſteritate Chami, Geneſ. X, 14. Deinde Caphtor fuit inſula Ierem. XLVII, 4, Cappadocia autem continens terra. Propter patrem ergo communem Mizraim malim Caphtoræos in Niliacis circa Delta inſulis quærere, quam in Pontica natione aut Cappadocia. Illud autem non nego, Philiſtæos & Caphtoræos non ſolum vicinas in patria ſua, ſed cognatas etiam gentes fuiſſe, quemadmodum Kimchi ad iam dictum Ieremiæ locum in commentario ſcripſit, פלשתים וכפתורים אחים היו *Philiſtim & Caphtorim fratres fuerunt:* qui in Heuæorum, quam occuparunt, terra coaluerunt ita, vt Caphtoræorum nomen periret, maneret Philiſtinorum.

CCXIII.

Situs regionis Philiſtææ eſt maritimus, in ora maris magni ſiue mediterranei, ab Ioppe ad Aegypti fines, licet multa etiam intus, maritimis vicina, poſſederint. Plures quidem Philiſtinorum vrbes fuerunt, vt *Gerara* in patriarcharum hiſtoria Geneſ. XXI & XXVI; & *Iabne* ſiue *Iamnia* 2 Paralip. XXVI, 6: *Gibethon*, 1 Reg. XV, 27; quinque tamen fuerunt potentiores, qui quinque principatus Philiſtinorum adpellantur, & communem inter ſe, aut fœderatam rempublicam habuerunt: ex qua *Pentapolis* illorum regio & reſpublica vocatur. Cedrenus in hiſtoria amiſſæ arcæ fœderis pag. 49 de Philiſtæis, οἱ ἐν παντὶ ὁρίῳ τῆς Πενταπόλεως αὐτῶν, *qui in omnibus finibus Pentapoleos ipſorum.*

2. Notæ illæ vrbes & illorum nomina: ſed ordo & poſitio illarum diſputatur. Sancti codicis hic ordo eſt in quinque illis ciuitatibus Ioſuæ XIII, 3 *Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſtiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos & Accaronitas.* Ibidem fines ſic deſcribuntur: *a fluuio Aegypti ad Accaron contra aquilonem.* At 1 Samuel. VI, 17 hoc ordine enarrantur, *Azotus, Gaza, Aſcalon, Gath, Accaron.* Quæ variatio facit, vt neutro ex loco certus ordo a meridie in ſeptemtrionem definiri poſſit. Ioſephus principes has ciuitates lib. VI Antiq. cap. I ita enumerauit: *Gitta* ſiue Gath; *Accaron, Aſcalon, Gaza & Azotus.* Hieronymus in Amos VI, 2 *Deſcendite ad Palæſtinos: qui morantur in campeſtribus; & ad optima quæque regna horum; quæ diuerſis ciuitatibus ſubiacent, Gazæ, & Aſcaloni, Azoto, Accaron, & Geth.* Idem in Obadiam verſ. 19, verba prophetæ, *Poſſidebunt Palæſtinos*, ſic interpretatur: *quinque vrbes Palæſtinorum, Gazam, Aſcalonem, Azotum, Accaron, Geth:* quem ordinem vulgatæ tabulæ vt plurimum ſequuntur. Poſteriores prætermittunt Gath & Accaronem, forſan olim euerſa ac deleta. Ptolemæus lib. V cap. XVI a ſeptemtrione ſic progreditur:

Ἰόππη,	*Ioppe.*
Ἰαμνειτῶν λιμὴν,	*Iamnetorum portus.*
Ἄζωτος,	*Azotus.*
Γαζαίων λιμὴν,	*Gazæorum portus.*
Ασκαλὼν,	*Aſcalon.*
Ανθηδὼν,	*Anthedon.*

Gazenſium portum modo nominat, quia intus paullo Gaza, antiqua vrbs, ſita fuit, quam in mediterraneis Iudææ idem Ptolemæus cenſuit. Nec Azoti mentio in Antonini, vt vocatur, Itinerario habita, cuius hic ordo eſt:

Diospoli			
Iamniam	M.	P.	XII
Aſcalonem	M.	P.	XX
Gazam	M.	P.	XVI
Raphiam	M.	P.	XXII
Rhinocorura	M.	P.	XXII.

Vides hic diſſenſum a Ptolemæo, qui Aſcalonem a meridie oppoſuit Gazæ; auctor autem Itinerarii a ſeptemtrione, qui Plinium conſentientem habet lib. v cap. XIII. *Oppida,* inquit ille, ab auſtro progrediens ; *Rhinocolura, & intus Raphea ; Gaza & intus Anthedon : mons Angaris. Regio per oram Samaria : Oppidum Aſcalo liberum ; Azotus : Iamneæ duæ, altera intus : Ioppe Phœnicum.* Suffragatur Beniamin Tudelenſis cum Diodoro Siculo comparatus. Hic lib. XIX cap. LXXXV Azotum a Gaza vetere CCLXX ſtadiis diſtare tradit, id eſt octo paraſangis & dimidia. Iam vero Iudæus peregrinator dicit, Aſcalonem veterem ab Asdod ſiue Azoto ſex paraſangis ſiue milliari meridiem verſus abeſſe : quo poſito, non poteſt Aſcalon non inter Gazam & Azotum cadere. *

3. Rebus ſic de ordine quatuor ciuitatum conſtitutis, ſola *Gath* ſupereſt, vt ſedes illius inquiratur, quod ſane eſt difficillimum. Idem Tudelenſis Iudæus pag. 37 Itinerarii Cæſaream, ſiue Stratonis turrim, putat vetus Gath Philiſtæorum eſſe, quod Gad quidem ſcripſit, non aliud autem, quam Gath intelligit. Sed nimis in ſeptemtrionem Cæſarea remota ab iis locis eſt, in quibus rex Gathæorum Achis cum Dauide circa Ziklag & finitima verſatus eſt, neque Philiſtæorum fines vltra Ioppen erant producti, ſed intra hoc oppidum ſeptemtrionalis terminus ſtetit in Accarone, Ioſuæ XIII, 3, quæ parallela oppido Iudæ Bethſemes erat, 1 Samuel. VI, 9, 16. Deinde Gath fuit in regno Rehabeami 2 Paralip. XI, 8; Cæſarea, ſeu, vt ante vocabatur, Stratonis turris ſiue aliter, in regno fuit Samariæ.

4. Contro exiſtimare poſſes, *Gath,* vrbem illam, in auſtro Philiſtææ fuiſſe, quia Ephraimitæ, non exſpectantes tempus a Deo conſtitutum, ex Aegypto egreſſi, vt Gathenſium poſſeſſiones occuparent, ab illis cæſi & deleti omnes ſunt, 1 Paralip. VII, 21. quod Kimchi quidem putat accidiſſe, quum Iſrael in deſertis ageret, eductus iam ex Aegypto, quia Pſalm. LXXVIII, 12, 13 dicantur Ephraimitæ mirabilia Dei in campo Zoan vidiſſe ante, quam cladem illam ab Gathæis accepiſſent. Targum vero, & Raſchi in illum Pſalmum, ex Aegypto erupiſſe aduerſus Gathenſes referunt. Qui vero per tot gentes Chananæas, tot Philiſtæas potuiſſent penetrare, ſi Gath ad ſeptemtrionem fuiſſet poſita? de Gazæis, quam Gathæis, id videtur ſimilius vero eſſe. Sunt qui de Philiſtæis generatim interpretantur, quod Gath caput illorum & ſedes fuiſſet regia, ſicut fuit Dauidis temporibus. At ne ſic quidem ירדו *deſcendiſſent* ex Aepypto in Chanaan, ſed

* Adde huc locum ex Hudſoni tom. IV Geogr. Minor. a Relando adlatum lib. II cap. 14 pag. 509, qui dubitare non ſinit, quin e Gaza *Aſcalonem* profecti ſeptemtrionem petant. Immo Relandus, ipſum Ptolemæum Comitis Mirandulani Gazam Aſcaloni a meridie obiicere, docet libro II cap. 10 pag. 460. Ac Ioſephus de Bello IV cap. 11 ſ. 5 rem plane conficit. Vrbs Aſcalon tenaciſſima fuit prauitatis & rituum a Diuinis alienorum. Habuit genus quoddam ceparum a Græcis & Latinis ſcriptoribus celebratiſſimarum. Theophr. hiſtor. plant. VII, 4. Strab. XVI pag. 1101. Columell. XII, 10. Plin. XIX, 6. Dantur etiam nummi Aſcalonitarum, qui exhibent mulierem turrito capite proræ inſiſtentem, quæ dextra columbam, ſiniſtra haſtam tenet. Vid. Relandum. Idem oſtendit, *Azotum* duplicem eſſe, & *maritimam* & *mediterraneam.* Vid. eius libr. I c. 35 pag. 215, 225.

ſed *adſcendiſſent* potius: quam loquendi rationem, *deſcendere* ex Chanaan *in Aegyptum*, & inde *adſcendere* in Chanaan, Scriptura perpetuo obſeruat. Sed vel ex montanis ſolitudinis Sur eſt irruptio facta, vel loquitur ſacer ſcriptor more temporis ſui, quo omne iter ex Iudæa in Philiſtinos deſcenſio vocabatur, quia depreſſiora ſunt maritima. Vide vel ſolam hiſtoriam Samſonis.

CCXIV.

Hieronymus cum Euſebio in Locis Ebraicis diſtinxit *Geth* & *Getha:* de illa dixit, *Geth; in hac gigantes, qui vocabantur Enakim, & Philiſtinorum accolæ permanſerunt. Oſtenditur vicus in quinto milliario ab Eleutheropoli euntibus Diospolim.* Et interiectis aliis: *Getha, ad quem locum transtulerunt arcam teſtamenti de Azoto; nunc vicus grandis vocatur Githam inter Antipatridem & Iamniam.* Verum ex hiſtoria circumlatæ Arcæ manifeſtum eſt, unam fuiſſe Gath Philiſtæorum, eamque metropolim, quia per principes vrbes Azotum, Accaronem, Gatham deduxerunt: nec alterius Gath in hoc tractu aliunde eſt indicium. Malim vero inferius intelligere oppidum, quod apud Eleutheropolim fuit, quinto ab illa lapide in boream, qua Diospolim ſeu Lyddam iter fiebat. nam quæ inter Lyddam & Antipatridem erant, extra limitem Philiſtinorum fuerunt. Sic bene rationes quoque Dauidicæ hiſtoriæ conſtant, qua Ziklag ſiue Siceleg, Dauidis ſedes, non nimis ab regia Gath reducta fuiſſe traditur. Placet vicinitas Eleutheropoleos: ſed plaga, in quam inde recedat, incerta eſt, nec ipſe ſibi conſtat Hieronymus. In Michææ enim cap. I, 10 ſic ſcripſit: *Geth, vt Regnorum quoque teſtatur hiſtoria, vna eſt de quinque vrbibus Palæſtinæ: vicina Iudææ confinio, & de Eleutheropoli euntibus Gazam: nunc vsque vicus vel maximus, vnde fuit & Goliath ille Gethæus, quem Dauid occidit in prælio.* Si euntibus Gazam in via eſt, in meridiem verſus ſitus vicus eſt, inclinantem in occaſum: ſin in via eſt Diospolitana, vt in Locis dixit Ebraicis, ſeptemtrionem Eleutheropoleos ſpectauit. Malim in occaſum ab Eleutheropoli reducere, ſi non directe licet, oblique tamen, vt in illa, de qua diximus, via Gazæa erat. Nec obeſt, quod Ioſephus in vrbium enumeratione lib. VI Antiq. cap. I primo loco *Gittam* (ſic vocat Gath) recenſuit. *Conuenerunt*, inquit, οἱ ἐκ τῶν πέντε πόλεων ἄρχοντες, Γίττης, Ακκάρωνος, καὶ Ασκάλωνος, ἔτι δὲ Γάζης καὶ Αζώτȣ, *quinque ciuitatum principes, Gittæ, Accaronis, Aſcalonis, & Gazæ ac Azoti.* nam ordinem poſitionis non ſeruare, ex vltima Azoto clarum eſt: ſed præpoſuit Gath, quia regia aliquando fuit, vt ex Dauidis hiſtoria notum eſt: etiam quia intus ſita ſeu mediterranea; ceteræ maritimæ, aut prope mare poſitæ. Ioſephus itaque Γίττα ſcripſit: * LXX interpretes Γὲθ: Hieronymus etiam *Geth:* nos plerumque *Gath* cum Ebræis. **

* Non confundenda hæc *Gitta* cum *Gitta* vico Samariæ, patria Simonis Magi: Nec cum *Gitta* arce quadam Idumææ. Vide Relandum.

** Relandus circa excidium templi primi Gath obſcuriorem fuiſſe ſuſpicatur e ſilentio Zephan. II, 4 Amoſ. I, 7. Et Amoſ. VI, 2 in iis numerari exiſtimat, quæ ex nobilitate ad obſcuritatem reciderint.

CCXV.

Nunc reliquas Pentapoleos Philiſtææ vrbes a ſeptemtrione in auſtrum progreſſuri perluſtrabimus. Prima eſt *Ekron*, vt Ebræi vocant, ſive *Accaron*, Ακκαρὼν ſine caſuum flexione, εἰς Ακκαρὼν, 1 Samuel. VI, 15, τῆς Ακκαρὼν, ibidem verſ. 16, ἀπὸ Ακκαρὼν, cap. VII, 14: & per flexionem, τῆς Ακκάρωνος, apud Ioſephum lib. VI Antiq. cap. 1. Hunc autem terminum Philiſtææ in ſeptemtrione fuiſſe, Ioſuæ XIII, 3 clare demonſtratum eſt; etiam tribus Iudæ finem ſeptemtrionalem Ioſuæ XV, 11, quamquam ex hac tribu in Danitidem poſtea relata fuit, cap XIX, 43. a neutra autem poſſeſſa, quamuis principio expugnata, Iudic. 1, 18, breui tamen poſt amiſſa. Fuit paullulum reductior a mari, quia Ioſuæ XV, 11 & 46 inde terminus *vsque ad mare* continuari dicitur. Famoſum idolum habuit, Baal Sebub, quod 2 Reg. 1 in Ahaſiæ hiſtoria expoſitum eſt. Inter Ekron & Gath ex latere aliquot oppida interiacebant, quæ Iuda ſibi vindicauit 1 Samuel. VII, 14. quod viſum fuit memorare, ne exiguum inter has ſpatium, vt in tabulis non nullis eſt, exiſtimes interceſſiſſe. Gentile Ακκαρωνίτης, *Accaronita*, Ioſuæ XIII, 3. Deinde quæ Euſebius, interprete Hieronymo, de hac vrbe habet, adiicio: *Accaron*, inquit, *in tribu Dan: (ſiue vt ego arbitror in tribu Iuda) ad læuam Chananæorum, vrbs vna de quinque olim ſatrapiis Palæſtinæ: & decreta eſt quidem tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea: quia habitatores priſtinos nequiuit expellere. Sed & vsque hodie grandis vicus Iudæorum Accaron dicitur inter Azotum & Iamniam ad orientem reſpiciens.* Prope Bethſemes fuiſſe, ex hiſtoria reſtitutæ arcæ teſtimonii perſpicitur. Ex quo adparet quam inepta illorum ſit opinio, qui Accaronem putarunt, vt Hieronymus refert, Turrim Stratonis poſtea vocatam eſſe: aut qui Apolloniam apud Adrichomium interpretati ſunt. Nulla vero Accaronis apud profanos eſt mentio. *

CCXVI.

Azotus, Ἄζωτος, notior eſt, etiam ſcriptoribus profanis. ** Ebræi *Asdod* vocant, quod nomen Græci interpretes Ἄζωτος vbique, Ioſuæ forte libro excepto, reddiderunt, 1 Samuel V, 1, 6, cap. VI, 17, 2 Paralip. XXVI, 6, Nehem. XIII, 23, Eſa. XX, 1, Ierem. XXV, 20, Amos 1, 8, Zephan. II, 4, Zach. IX, 6. quos etiam Hieronymus imitatus eſt & vetus interpres Latinus. Euſebius de Locis Ebraicis: Ασδὼδ, ἡ καὶ Ἄζωτος, *Asdod, quæ nunc Azotus vocatur.* Bonfrerius in hunc locum, ex ordine Ioſuæ XIII, 3 inter Gazam & Aſcalonem ponit mediam: ſed refutatur a Diodoro Siculo lib. XIX cap. LXXXV, vbi Demetrius ex prœlio apud Gazam commiſſo dicitur fugiſſe εἰς Ἄζωτον ϛαδίȣς ἑβδομήκοντα καὶ διακοσίȣς, *in Azotum per ſtadia ducenta & ſeptuaginta.* Quod ſi tanto interuallo, quod ferme triginta quatuor paſſuum millia conficit, disiuncta Gaza ab Azoto fuit, oportet aliam ex Pentapoli vrbem interiectam fuiſſe: alioqui nimis pro-

rogan-

* Nam Ioſephus Antiq. V, 3, 1, quia rem ſacræ hiſtoriæ narrat, huc non eſt referendus.

** Vide Herodot. II cap. 157, qui magnitudinem Azoti prædicat & Pſammetichi oppugnationem diutiſſime ſuſtinuiſſe.

rogandum illud litus foret. Tudelenſis peregrinator pag. 51 inter Iaſne & Asdod, hoc eſt ab Iamnia ad Azotum duas tantum paraſangas conſtituit, ſed Peutingeriana Tabula decem milliaria habet, & Ptolemæus latitudinis differentiam decem minutorum, quæ totidem æquant paſſuum millia. Strabo lib. XVI pag. 522 prauatus in his verbis eſt, *ἀπὸ Ἰαμνείας εἰς Ἄζωτὸν καὶ Ἀσκαλῶνά εἰσιν ὅσον διακόσιοι στάδιοι, ab Iamnea ad Azotum & Aſcalonem ſunt prope ducenta ſtadia.* Alterutrum vrbis nomen eſt ſuperfluum. non poſſunt enim duæ vrbes eiusdem litoris communem diſtantiam habere a tertia: & quia Azotus propinquior fuit Iamniæ, quam pro tanto ſtadiorum numero, vt modo ex Ptolemæi & Peutingerianæ rationibus monſtratum fuit; vtique verba *Ἄζωτὸν καὶ, Azotum &,* inducenda ſunt, ex ſuperiori verſu perperam repetita. Aſcalon autem Antonini Itinerario XX MP. ab Iamnia abeſt: ſecundum Tabulam Peutingeri XXII. quod propius accedit ad Strabonis CC ſtadia. Fanum vrbs falſi dei Dagonis habuit, 1 Samuel. V, 2, quod Ionathan Haſmonæus, capta & incenſa vrbe, deleuit. Vide Ioſephi lib. XIII cap. VIII. Gentile Ἀζώτιος *Azotius*, XIII, 3 apud Græcos & Vulgatum.

CCXVII.

Aſcalon, Ἀσκάλων, ciuitas etiam Pentapoleos, in hoc litore ſita erat inter Gazam & Azotum. Ptolemæus infra Gazam poſitam habet, vt ab Azoto in Gazæ portum prius veniatur, quam in Aſcalonem: ſed videntur verſus eſſe permutati, legendumque *Azotus, Aſcalon, Gazæorum portus*, cetera; quæ peruerſa in libris ſunt; & Aſcalon vltimo relata loco. Omnes enim alii Ptolemæo in Aſcalonis ſitu aduerſantur. Strabo dicto loco, vbi Iamneam & Gadaridem, quæ Gazera eſt, expoſuiſſet, ſubdidit: *εἶτ' Ἄζωτὸς καὶ Ἀσκάλων, deinde Azotus & Aſcalon.* His quoque expoſitis, pergit: *εἶθ' ὁ Γαζαίων λιμὴν πλησίον, poſtea eſt propinquus Gazæorum portus.* Eodem ordine Plinius lib. V cap. XIII, ſed verſo itinere ab auſtro in aquilonem: *Gaza - - - oppidum Aſculo liberum, Azotus, Iamneæ duæ, altera intus, Ioppe.* Et Itinerarium Antonini ab ſeptemtrione in meridiem hunc ordinem habet:

Dioſpoli			
Iamniam	M.	P.	XII
Aſcalonem	M.	P.	XX
Gazam	M.	P.	XVI.

Et Peutingerianæ tabulæ hæc eſt diſpoſitio:

Rhinocolura XV *Aſcalone* XII *Azoto* X *Iamnia* XII.

Hic quamuis minor iuſto numerus ad Rhinocoluram eſt; interuallum tamen inter Aſcalonem & Azoton tale omnino, vt nobilem Gazam cum ſeparato portu non admittat. Iudæus Beniamin Tudelenſis pag. 51 Aſcalonem nouam & veterem diſtinguit tamquam quatuor ſeparatas paraſangis, ita vt noua duabus; vetus ſex paraſangis diſtet ab Azoto. Mittimus illam nouam, ſi qua eſt; de ſola veteri ſolliciti: neque diſtantiam examinamus, ſed illud tantum adſumimus, quod peregrinator ille nullam Gazæ

aut portus Gazæi inter Aſcalonem & Azotum mentionem fecerit, qui haud ſiluiſſet, ſi Ptolemæi vera eſſet poſitio. Supra diximus Samaritanum interpretem pro *Gerara* Geneſ. XX & alibi ſubſtituiſſe *Aſcalon*, quaſi eadem vrbs binominis eſſet: quod etiam Cedrenus pag. 23 ſenſit, de Abrahamo dicens: παροικήσας εν Γεράροις τὴν νῦν Ασκάλωνα λεγομένην, *inhabitans in Geraris vrbem, nunc Aſcalonem dictam.* Sed de vero ſitu Geraræ, longe ab Aſcalone disiuncto, ibidem in Daroma diſputauimus. Non vbique fidendum his interpretibus. nam eamdem Geraram Hieroſolymitanum Targum *Arad* transtulit, quæ vero multum etiam a Gerar eſt disiuncta. Et quam aliena ſæpe de Antiochia, de Cyrene, & aliis locis inculcant Targumiſtæ? Nihilominus Io. Lightfoot, Samaritanum ſequutus, Geraram & Aſcalonem eamdem vrbem cenſet, quod minus cum ſitu Geraræ inter deſerta Sur & Cades, Geneſ. XX, I, conuenire nobis videtur. Sed de hoc pluribus ſupra. Ioſephus lib. III de Bello cap. I vocat Aſcalonem πόλιν ἀρχαίαν, τῶν ἱεροσολύμων ἑίκοσι πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἀπέχουσαν σταδίους, *vrbem antiquam, quingentis & viginti ſtadiis diſtantem ab Hieroſolymis.* Ibidem additur, ἡ δὲ Ασκάλων ἐτετείχιστο μὲν καρτερῶς, *Aſcalon vero valide munita erat*, habebatque præſidium Romanum ſub præfecto Antonio. Si ergo antiqua vrbs munita & habitata fuit vltimis Neronis temporibus, Romano defenſa præſidio; neſcimus ſane, quando hæc ipſa perierit, & noua quatuor inde paraſangis, vt Tudelenſis refert, ſurrexerit. Incolæ, ethnici plerique, eodem tempore duo millia & quingentos Iudæorum, ſecum habitantium, vno tumultu interfecerunt, quod idem Ioſephus lib. II cap. XXXIV memoriæ tradidit. Numerus autem Ioſephi, quo diſtantiam ab Hieroſolymis deſignat, ſuſpectus nobis eſt, quaſi maior iuſto: ſuſpectior Latini interpretis, quem Adrichomius ſequitur, ſeptingenta viginti ſtadia emetientis. Ad minorem ſummam vetuſta itineraria cogunt; Antoninianum itinere ab Neapoli Aſcalonem ita:

Aelia		
Eleutheropolim	M. P.	XX
Aſcalonem	M. P.	XXIIII.

Vides XLIIII milliaria ab Aelia, quæ Hieruſalem eſt, Aſcalonem vsque numerari, quæ ſtadia ſunt CCCLII. Peutingeriana tabula addit quatuor millia hoc modo: *Aſcalone* XVI *Betogabri* VIII *Ceperaria* XXIIII *Helya Capitolina.* Sed ne ſic quidem numerus Ioſephi conficitur: & minor vtique, quam quæ Ioſephi eſt, diſtantia fuit.

2. Gentile Ασκαλωνίτης, *Aſcalonita* eſt apud Stephanum, & Ioſuæ XIII, 3 Græce & Latine: & Ioſephi lib. II de Bello cap. XXXIV extremo, οἱ Ασκαλωνῖται, & quod dignitatem ſimul ſub Romanis oſtendit, in nummis multorum Cæſarum, in quibus truncata vox ACKAΛ. legitur, vt Auguſti apud Patinum pag. 45, & in altera parte CEBACTOC: & Claudii ACKAΛΩN. apud Harduinum: ſed plenis litteris in Titi nummo apud Triſtanum pag. 304 ACKAΛΩNITΩN, cum Veneris Cæleſtis effigie, cuius numini hæc ciuitas addictiſſima erat, quod Pauſanias in Atticis cap.

XIV

XIV his verbis prodidit: *πλησίον δὲ ἱερόν ἐςι Ἀφροδίτης Οὐρανίας. πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέςη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν. μετὰ δὲ Ἀσσυρίους Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιςίνῃ.* *Proximum eſt templum Veneris Vraniæ. Primis autem hominum Aſſyriis conſtitutum fuit colere Vraniam: poſt Aſſyrios Paphiis in Cypro, & ex Phœnicibus, qui Aſcalona tenent in Palæſtina.* Dignitatem ciuitatis etiam Plinius laudat lib. V cap. XIII, quum dicit, *Aſculo liberum,* puta oppidum.

CCXVIII.

Vltima Pentapoleos Philiſtææ fuit *Gaza,* עזה Ebræis, cuius primam litteram Græci ſæpe, & hos ſequuti Latini, per Γ expreſſerunt Γάζα, *Gaza,* vt in Gomorra & aliis. Iudæ tribui adſcripta Ioſuæ XV, 47, non autem poſſeſſa, licet ceperit eam poſt Ioſuæ mortem, Iudic. I, 18. Pomponius Mela lib. I cap. XI *In Palæſtina eſt ingens vrbs & munita admodum Gaza. Sic Perſæ ærarium vocant: & inde nomen eſt, quod quum Cambyſes armis Aegyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat.* Eſto Cambyſen ibi, tamquam munito in loco, & Agypto vicino depoſuiſſe belli adparatus; tamen neque vrbs inde originem, neque nomen ſuum habuit, vtpote a patriarcharum temporibus ita vocitata, Geneſ. X, 19, Deuter. II, 23, Ioſuæ X, 41, XI, 22. Stephanus dicit ſitam *πρὸ Αἰγύπτου, ante Aegyptum,* Palæſtinæ quaſi vltimam: quæ *ἐκλήθη καὶ Ἄζα· καὶ μέχρι νῦν Σύροι Ἄζαν αὐτὴν καλοῦσιν, etiam Aza vocatur: & vsque hodie Syri Azam illam adpellant.* Quod confirmat, Ebræum nomen עזה in Γάζα, *Gaza,* mutatum eſſe. Arrianus lib. II pag. 150 de Alexandri expeditione ſic ſitum vrbis deſcripſit: *ἀπέχει ἡ Γάζα τῆς μὲν θαλάσσης εἴκοσι μάλιςα ςαδίους, καὶ ἔςι ψαμμώδης καὶ βαθεῖα ἐς αὐτὴν ἡ ἄνοδος. - - - μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιςο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ὀχυρόν. ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο, ὡς ἐπ' Αἰγύπτου ἐκ Φοινίκης ἰόντι, ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τῆς ἐρήμου. Diſtat Gaza a mari ſtadiis ſummum viginti, acceſſum ob arenæ altitudinem habens difficilem. - - - Vrbs ampla, & in colle ſita, validoque muro circumdata. Vltima autem colitur, ſi ex Phœnice in Aegyptum tendis, ad initium ſolitudinis poſita.* Strabo quidem lib. XVI, poſtquam de portu Gazæorum dixerat, *ὑπέρκειται δὲ καὶ ἡ πόλις ἐν ἑπτὰ ςαδίοις, ἔνδοξός ποτε γενομένη, κατεσπασμένη δ' ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος, paullo ſupra portum,* inquit, *ad ſeptem ſtadia vrbs ſita eſt, illuſtris olim, ab Alexandro autem diruta, manet deſerta.* Hic ſpatium notat, vbi proxime accedit ad mare: Arrianus, vbi *μάλιςα,* maxime ab eo receſſit, quod pro amplitudine vrbis omnino ad viginti ſtadia patere potuit.

2. An poſt cladem, ab Alexandro acceptam, numquam inſtaurata fuerit, vt Strabo ſenſiſſe videtur, dubitari poteſt. nam eam iterum Antiochus euertit, vt eſt in Excerptis Polybii Valeſianis pag. 86, *Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως τὴν τῶν Γαζαίων πόλιν πορθήσαντος, Antiochus rex quum Gazæorum vrbem vaſtaſſet.* Et Maccabæorum tempore *πόλις, vrbs* munita erat & bene habitata, ab Hasmonæis aliquoties obſidione Syris, qui tenebant & muniuerant, erepta. Vide I Maccab. XI, 61, XIII, 43, 44. Expugnauit etiam & euertit Alexander Iannæus, rex & pontifex Iudæorum, vt Ioſephus

phus lib. XIII cap. XXI refert, ex quo tempore videtur ἔρημος, *deſerta* fuiſſe, * vt Strabo dixit & S. Lucas Act. VIII, 26.

3. Sed ex hac etiam clade ſurrexit, quod ex nummis eius, in honorem Titi, Hadriani, Antonini Pii, L. Veri, Fauſtinæ iunioris, & Plautillæ percuſſis, non obſcurum eſt. Quod de vrbe, non de portu, intelligendum eſt, quam Caſaubonus in notis ad Strabonem non penitus derelictam cenſet, ſed minus, quam ante frequentatam: quod *Portus Gazæus*, quem Strabo laudat & Ptolemæus, vicus potius, *Maiuma* nomine, quam vrbs fuerit, antequam Conſtantinus vrbem faceret, & de filii nomine *Conſtantiam* adpellaret. Auctor Itinerarii Antoniniani, vt vidimus, XVI millibus ab Aſcalone in auſtrum deduxit; Georgius Sandeſius autem, Anglus peregrinator, quem plurimi Lightfootus facit, decem tantum milliaria ponit: quantum ſpatium forte ad portum ab Aſcalone eſt; ſedecim autem ad vrbem.

4. Ciuitas hæc, quamuis aliquoties ab Iudæis occupata, tamen manſit ethnica, ** deuota Cretenſi Ioui, quem *Marnan* vocitauit. Stephanus in hac vrbe: ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ Κρηταιέως Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι, ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλεν Μαρνάν. *Hinc & apud illos* [Gazæos] *Iouis Cretæi ſacra ſunt, quem, vt putamus, Marnan adpellant.* Et Hieronymus epiſt. VII ad Lætam: *Marnas Gazæ luget incluſus, & euerſionem templi pertimeſcit.* *** Quo egregius nummus Hadriani apud illuſt. Spanhemium p. 669 pertinet, inſcriptus ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ ΔΠΡ. *Gaza Marna* anno CLXXXIV, quæ ſingularis huius ciuitatis epocha, etiam in aliis nummis obſeruata, videtur ab initio libertatis ducta, quam Pompeius Gazæis dedit, vt Ioſephus lib. XIV cap. VIII notauit. †

5. Poſt Aſcalonem Strabo dicto loco: εἶθ' ὁ τῶν Γαζαίων λιμὴν πλησίον, *Deinde Gazæorum portus vicinus eſt.* Ptolemæus lib. V cap. XVI Ἄζωτος, Γαζαίων λιμὴν, *Azotus, Gazæorum portus.* nam, vt ſupra diximus, Aſcalonem infra Gazam deiecit. Et quia Strabo etiam prius de portu, quam de vrbe agit, ab aquilone progreſſus in meridiem; exinde par eſt colligere, portum vrbi a ſeptemtrione fuiſſe, non autem tanto interuallo, quantum in libris Ptolemæi Græcis adparet, cum latitudinis differentia dimidium gradus excedente, ſiue XXXV minutorum, quæ tot millibus paſſuum reſpondent; neque vt in verſione Latina eſt, XV minutorum; ſed fortaſſis, vt ſupra ex collatione Itinerariorum Antonini & Sandeſii coniecimus, VI milliariorum, quantum ſpatii ſufficere inter vrbem & portum omnino videtur.

* Id eſt, a paucis ciuibus culta. Ερημον enim dicitur, quidquid non eſt frequens hominibus. Ergo vrbs quamuis magna & domibus frequens, tamen ἔρημος dici poteſt & ſolet, ſi pro numero domuum mira ſit oppidanorum paucitas. Vide quæ de nomine ἔρημος in Lexico dicam, DEO fauente, aliquando edendo.

** Talis erat vsque ad Iuliani tempora. quod conſtat ex odio in Hilarionem, de quo in Vita Hilarionis Hieronymus.

*** Immo ad Eſa. XVII in templum ait eſſe conuerſum.

† Genuit Gaza viros aliquos doctrinæ laude florentes, Procopium, Zoſimum Gazæum, Vlpianum, Iſidorum. Habuit epiſcopos etiam. Vide Relandum. Sed hæc fere ad Geographiam medii æui magis pertinent.

detur. Creuit portus, * toties vrbe euerſa, in magnum vicum: vrbis autem priuilegia Conſtantinus addidit, quod Sozomenus lib. II cap. V adnotauit. Sed de hac in Medii æui Geographia agemus.

CCXIX.

Hæc de Pentapoli ſiue quinque præcipuis vrbibus Philiſtæorum: nunc cetera, quæ vel Philiſtinorum fuerunt, vel Danitarum, perluſtranda ſunt. A ſeptemtrione ** prima fuit *Iabne*, quæ Græcis Latiniſque eſt Ἰάμνεια ſeu Ιαμνία. *,* *Iamnea* ſiue *Iamnia*. Eamdem Iabne & Iamniam eſſe ex comparatione Plinii & Beniaminis Tudelenſis adprobatur. Ille lib. V cap. XIII *Aſcalo liberum, Azotus, Iamneæ duæ, altera intus; Ioppe:* hic inuerſo ordine, *Iapho, Iabne, Asdod,* id eſt, *Ioppe, Iafne, Azotus.* Vides ſic, Iabne & Iamniam non differre. Ioſua cap. XV, 11 videtur *Iabneel* ſiue *Iebneel,* nominaſſe: at 2 Paralip. XXVI, 6 *Iabne* vocatur, & in Philiſtæorum poteſtate fuit, quibus rex Vſia eripuit, & munimenta eius euertit. Iudæi conſtanter *Iabne* vocant, quibus ob ſynedrium, quod habuit, in primis eſt laudata. In Maccabæorum hiſtoria eſt *Iamnia,* Ιαμνία, 1 lib. IV, 15, & Ἰάμνεια cap. V, 58, & ſæpe alibi. Strabo etiam Ἰάμνεια, *Iamnea;* etiam Ptolemæus: at Stephanus, Ιαμνία πολίχνιον Φοινίκης, *Iamnia paruum oppidum Phœnices:* Ideo κώμην, *vicum* Strabo dixit. At muro cinctam olim fuiſſe, ex Paralipomenis ſupra monſtratum fuit. Plinius *duas* facit, intus alteram, alteram ad mare. Sed hæc portus eſt, Ptolemæo Ιαμνειτῶν λιμὴν, *Iamnitarum portus,* inter Ioppen & Azotum. Vt vero non duæ Gazæ ſunt, quamquam portus cum habitationibus ab vrbe eſt ſeparatus; ſic verius vna etiam Iamnia, oppidum intus ſitum; & portus, ab oppido non nihil remotus. Ita Salmaſius in Solinum cenſet cap. XXXIV. Portum Iudas Maccabæus incendit, lib. II cap. XII, 9, vbi ab Hieroſolymis dicitur CCXL ſtadiis abeſſe. †

CCXX.

Fuit quoque Philiſtæorum *Gibethon* ſeu *Gabathon,* †† tribui Dan adſcripta, Ioſuæ XIX, 44, & Leuitica cap. XXI, 23, non autem, vt videtur, poſſeſſa, ſaltem non diu, ſed a Philiſtinis habitata, quibus longa obſidione rex Baeſa eripuit, & Iſraelis regno vindicauit, 1 Reg. XV, 27, cap. XVI, 15. Vbi cognomen habet *Gibethon Philiſtæorum,* diſcriminis cauſſa, quo diſcernatur ab alio eiusdem nominis in Beniamin, quæ & Gabea & Gabatha adpellata fuit, vt ſupra tradidimus. Locus autem certus Gabathoni Philiſtæorum

* Habuit etiam proprios epiſcopos, ab epiſcopis oppidi diuerſos. Reland.

** In locis campeſtribus prope Ioppen 1 Maccab, X, 69 ſeqq. a Dioſpoli XII milliaria remota, inter Dioſpolin & Azotum. Reland.

, Etiam Ἰάμνια, Ιαμνητῶν πόλις ab Euſebio Vit. Pamphili, Ιαμνάα a Philone Legat. ad Cai., Ιεμναά. Relandus.

† Immo vero CCCXL. nam vel Dioſpolis Hieroſolyma XXXII milliaria aberat, quod ſpatium iam CCLVI ſtadia conficit.

†† Videtur eadem *Gebath* dici, immo etiam *Geba* 2 Samuel. V, 25. Apud Iudæos veteres memoria fuit celebrata. Vide Relandum.

ſtæorum non poteſt adſignari; nec plura Hieronymus, quam in Dan fuiſſe & Leuitis ſeparatam.

CCXXI.

Thimna quoque ſiue *Thamna*, ſeu *Themna*, Iudæ primum Ioſ. xv, 57, deinde Danitis adiudicata, cap. xix, 43, qua in confinio Philiſtinorum fuit, illis ſæpe etiam ſubiecta fuit, quod ex Samſonis notum hiſtoria eſt. Hieronymus in finibus Dioſpoleos, qua Aeliam ibatur, eius nominis prægrandem vicum obſeruauit. Sed de hoc etiam ſupra copioſius.

CCXXII.

Alia oppida tribus Dan, quamquam non poſſeſſa a Philiſtæis, vicinitatis cauſſa hic exponimus. *Eſthaol*, Iudæ prius, Ioſuæ xv, 33, deinde Dan, cap. xix, 41, Hieronymus dicit, *in decimo Eleutheropoleos milliario contra aquilonem pergentibus Nicopolim*, ſitum eſſe. Bonfrerius in his verbis Nicopolim ſuſpectum habet & *Dioſpolim* legendum exiſtimat, quod cum tribu Dan eiusque ſitu eſt conuenientius. Samſon ſepultus dicitur *inter Zarea & Eſthaol*, Iudic. xvi, 31.

CCXXIII.

Oppidum *Zarea*, * ſiue *Sarea*, (Saara praue in libris Hieronymi ſcriptum) primum in tribu Dan Ioſua xix, 41 enarrauit, antea Iudæ cap. xv, 33, non procul ab Eſthaol, quod etiam ex Hieronymi deſcriptione clarum eſt, *in finibus Eleutheropoleos contra ſeptemtrionem pergentibus Nicopolim.* ** Rurſus hic Nicopolis ponitur terminus illius viæ, vt ex vicinitate adpareat, non firmiſſimam coniecturam Bonfrerii eſſe, qui modo in *Eſthaol* Dioſpolim malebat ſubſtitutam.

CCXXIV.

Aialon quoque oppidum tribus Dan fuit Ioſuæ xix, 42, Iudic. i, 35, Leuitis deſtinata Ioſ. xxi, 24, quamquam a Beniaminitis etiam habitata, i Paralip. viii, 13, quod in confinio illorum fuit. An vero hæc Aialon, quam Ioſua reſpexit, quum cædem hoſtium perſequuturus, lunam conſiſtere *in valle Aialon* iuſſit? Ait Bonfrerius in Ioſuæ cap. x, 12, quia alia in hoc tractu Aialon nusquam in ſacris ſcripturis memorata ſit, & hæc Danitarum ſufficiat Ioſuæ verbis recte interpretandis, ſi poſueris, lunam tum præceſſiſſe ſoli, quod fit, quum decreſcit, vt vtrumque aſtrum etiam interdiu ſpectari poſſit: nec dubitandum, quin vtrumque in oculis Ioſua habuerit. Ideoque Vulgatus non *in*, ſed *contra* vertit, *Sol contra Gabaon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon.* Euſebius autem in Locis Ebr. dicit, ſuo adhuc tempore *Aialon κώμην, vicum* fuiſſe tribus a Bethel milliariis aduerſus orientem: & Hieronymus addit ex Ebræorum traditione, Aialon vicum eſſe iuxta Nicopolim in ſecundo lapide pergentibus Aeliam. Alterutrum putat ab Ioſua deſignari. Idem Epitaphio Paullæ cap. iii *Inde* [Emmaunte] *proficiſcens adſcendit Bethoron inferiorem & ſuperiorem, vrbes a Salomone conditas, ſed varia poſtea bellorum tempeſtate deletas;* *ad*

* Hebraice צָרְעָה.

** Adde ex Euſebio: *in decimo milliario.*

ad dexteram adſpiciens Haialon & Gabaon, vbi Ieſus, filius Naue, contra quinque reges dimicans, ſoli imperauit & lunæ. Vides, & hic prope Gabaonem Aialon Ioſuæ, eamque aliam a Danitica, in tribu Beniaminitide poſitam defendi. *

CCXXV.

Danitarum fuit quoque *Gath Rimon* ſiue *Geth Remmon*, Ioſuæ XIX, 45, & ipſa Leuitis data, cap. XXI, 24, vbi ſequenti verſu 25, quod mireris, alia vrbs eodem nomine & æque Leuitica, ſed in Manaſſitide cisiordanenſi, occurrit. Hieronymus de vtraque dixit, ſed de noſtra clarius. *Gethremmon*, inquit, *in tribu Manaſſe ciuitas ſeparata Leuitis.* Et paucis interiectis: *Gethremmon alia ciuitas in tribu Dan ſeparata Leuitis. Eſt autem nunc villa prægrandis in duodecimo milliario Dioſpoleos pergentibus ad eam de Eleutheropoli.* Hanc quidam putant ipſam *Gath*, regiam Philiſtinorum eſſe, quæ etiam poſitionis ratione in tribum Dan videtur incidiſſe. Verum quum in hac ſortitionis hiſtoria ſemper hæc cum additamento *Remmon* ſeu *Rimon* dicatur; vbi vero de Philiſtæorum vrbe agitur ſemper abſolute *Gath* ſiue *Geth*; vtique diſtinguenda inter ſe ſunt *Gath* & *Gath Rimon*, licet fortaſſe non longa illarum fuerit diſtantia.

CCXXVI.

Erat etiam in tribu Dan *Saalbin* Ioſuæ XIX, 42, cuius loci etiam mentio Iudic. I, 35, 2 Samuel. XXIII, 32, & 1 Reg. IV, 9 habetur, videturque idem eſſe, quod *Saalim* 1 Samuel. IX, 4 vocitatur, de quo Hieronymus in Locis: *Saalim villa, per quam pertranſiit Saul in finibus Eleutheropoleos contra occidentem, ſeptem ab ea millibus diſtans.* Græci Σεγαλὶμ & Σααλίμ. Longe quidem a montanis Ephraim, vbi ille aſinas quærebat. niſi in tridui itinere (ibidem commate 20) longiorem quamdam circumcurſationem inuenias.

CCXXVII.

Reliqua tribus ſunt minus nota, *Iethla*, *Elon*, *Ethece* ſiue *Eltheco*, Leuitica Ioſ. XXI, 23, *Baalath*, ** *Iehud* ſiue *Iud*, *Bne Barak*, (Vulgatus diuiſit, *Bane & Barach*) *Me Iarkon*, quaſi Aqua Iarkon, & *Rakon*, pro quo Vulgatus habet *Arecon.* *Irſemes* autem videtur non alia eſſe quam *Bethſemes*, quia vocabula conueniunt, illud ſonans Ciuitas ſolis; hoc, Domus ſolis. Sed diuerſas eſſe ex eo adparet, quod Bethſemes ſacerdotalis fuit, Aaronis poſteritati tributa, Ioſ. XXI, 16. vnde in aliam tribum ex Iuda, cuius erat, non ita transferri potuit, vt Eſthaol & aliæ, ipſo Ioſua teſtante, translatæ ſunt. *** De ipſis autem oppidis tribus Dan vide Ioſuæ XIX, 41 ſqq.

CCXXVIII.

Hæc de tribu Dan: ad regionem Simeonitidis redimus, vbi prope

* Conſentit Relandus.

** Ioſepho Βαλὲθ, non longe a Gazara. Antiq. VIII, 2. Vide Relandum.

*** *Irſchemeſch* eſt Ammaus & Nicopolis, *Bethſchemeſch* eſt in via ducente Eleutheropoli Nicopolin. *Bethſchemeſch* inter vrbes ex tribu Iuda datas ſacerdotibus recenſetur. Ergo non fuit Danitarum. *Irſchemeſch* vero legitur in ſerie vrbium Daniticarum. Ioſ. XIX. Sic Relandus rem exprimit.

Gazam Euſebius Menoidem vel oppidum vel caſtellum notauit. ἔστι νῦν κώμη Μηνωὶς πλησίον Γάζης, πολίχνη, quæ Hieronymus vertit: *Et nunc eſt Menois oppidum iuxta ciuitatem Gazam.* Hieronymus quidem putat *Medeman* ſiue *Madmena* tribus Iudæ eſſe, Ioſuæ XV, 31. at quia hæc Eſa. X, 32 in via ponitur, qua Chaldæi venturi erant Hieroſolymam, ac cum oppidis vrbi proximis coniungitur, non poteſt illud oppidum Menois prope Gazam eſſe. Credibilius Menoin illam eſſe *Mœnænum caſtrum*, quod lege XXX Cod. Theod. de erogatione militaris annonæ, memoratur. Iungitur ibi caſtro *Verſabini* id eſt Berſabe, de quo ſupra diximus: nec dubitatur, vetus aliquod fuiſſe, licet de eo nihil nobis ſit proditum.

CCXXIX.

Appendix quaſi tribus ſit Simeonitidis, quæ inter Gazam & Aegypti torrentem, terminum Palæſtinæ ſiue terræ ſanctæ, interiacent, licet in ſacris ſcripturis ei non adſcripta ſint, quia, vt videtur, Ioſuæ temporibus ignota fuerunt nomina. Sunt vero *Anthedon, Raphia, Rhinocolura.* Ptolemæus & *Anthedonem* & *Rapheam* in Iudæa cenſuit, illam ad mare; hanc intus. Plinius autem loco ſæpe dicto: *Gaza & intus Anthedon.* Non procul a mari Anthedon. Stephanus in Ἀνθηδὼν poſt Bœotiæ huius nominis vrbem explicatam: ἔστι δὲ ἑτέρα πόλις πλησίον Γάζης πρὸς τῷ παραλίῳ μέρει, *Eſt & alia vrbs* [Anthedon] *prope Gazam in maritima parte.* * Videtur extra viam maritimam poſita. Antonini enim Itinerario nulla eius ratio eſt in litore,

Aſcalone			
Gazam	M.	P.	XVI
Raphiam	M.	P.	XXII
Rhinocorura	M.	P.	XXII.

Anthedonem Gabinius inſtaurari iuſſit, quod Ioſephus refert XIV cap. X; Herodes ornatiorem *Agrippiadem* nominauit. Idem lib. XIII cap. XXI ἐπιστρατεύει τοῖς ἐπιθαλαττίοις μέρεσι, Ῥαφίᾳ καὶ Ἀνθηδόνι, ἣν ὕστερον Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς Ἀγριππιάδα μετωνόμασε, καὶ κατὰ κράτος εἷλε καὶ ταύτην, *Mouit* [Alexander Iannæus] *in maritima loca, Raphiam & Anthedonem, quam poſtea rex Herodes Agrippiadem nominauit. nam & ipſam vi & armis cepit.* Et lib. I de Bello Iud. cap. XVI de Herodis operibus: ἀνακτίσας δὲ καὶ Ἀνθηδόνα τὴν παράλιον, καταριφεῖσαν ἐν πολέμοις, Ἀγρίππειον προσηγόρευσε. *Reſtaurauit & Anthedonem in maritimis, bellis vaſtatam, eamque Agrippeum nominari iuſſit.* Nec vero nouum nomen hæſit aut per tempora inualuit. Ptolemæus enim & Plinius *Anthedonem* dixerunt: & in nummo Caracallæ apud Patinum p. 306 ΑΝΘΗΔΟΝΟϹ legitur, nec vmquam noui nominis poſt Herodem exſtat habita ratio.

CCXXX.

De *Raphia* ſeu *Raphea* ita Strabo lib. XVI pag. 522 Μετὰ δὲ Γάζαν Ῥαφία, ἐν ᾗ μάχη συνέβη Πτολεμαίῳ τε τῷ τετάρτῳ καὶ Ἀντιόχῳ τῷ μεγάλῳ. εἶτα Ῥινοκόλουρα, *Poſt Gazam eſt Raphia, iuxta quam Ptolemæus quartus cum Anti-*

ocho

* XX ſtadiis circiter a Gaza aberat. Sozomen. hiſtor. V cap. 9.

ocho M. depugnauit. Famoſum illud prœlium Polybius ſcripſit lib. v cap. LXXXII ſeqq. Idem de loco paullo ante cap. LXXX *κατεστρατοπέδευσε πεντήκοντα σαδίους ἀποσχὼν Ραφίας. ἡ κεῖται μετὰ Ρινοκόρουρα πρώτη τῶν κατὰ Κοίλην Συρίαν πόλεων ὡς πρὸς τὴν Αἴγυπτον, caſtra* [Ptolemæus Philopator] *poſuit, quum ſtadia quinquaginta abeſſet ab Raphia. Hæc vrbs Cœlen Syriam ex Aegypto petenti occurrit prima, ſita poſt Rhinocorura.* * Scilicet eo vsque Syriæ quidam terminos producebant, alii ſub Phœnices, alii ſub Cœles Syriæ nomine; ſed improprie vtrique, vt in Syria demonſtratum eſt. Nomen vrbis diphthongo ſcripſit Stephanus Ράφεια, & Plinius *Raphea*, vocali ſecunda, quæ diphthongo reſpondet: Polybius autem, & Strabo & Ptolemæus, Ioſephus ſine diphthongo, ſimplici vocali tertia Ραφία ſcripſerunt, atque ita etiam in Commodi & Caracallæ nummis eſt ΡΑΦΙΑ. Aliquando ab Iudæis poſſeſſam fuiſſe, teſtis eſt Ioſephus lib. XIII cap. XXIII de Haſmonæis temporibus: *πόλεις εἶχον Ιουδαῖοι πρὸς θαλάσσῃ μὲν Στράτωνος πύργον, Απολλωνίαν, Ιόππην, Ιάμνειαν, Ἄζωτον, Γάζαν, Ανθηδόνα, Ραφίαν, Ρινοκούραν, vrbes Iudæi ad mare tenebant Stratonis turrim, Apolloniam, Ioppen, Iamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, Rinocuram.*

CCXXXI.

Praue vox vltima ſcripta, ex qua haud dubie ſyllaba excidit. Strabo, Liuius, Seneca, & Plinius ſcripſerunt Ρινοκόλουρα, *Rhinocolura*: Polybius autem, Ioſephus, Ptolemæus, auctores Itinerarii & Tabulæ Peutingerianæ Ρινοκόρουρα, *Rhinocorura*: Diodorus ac Stephanus Ρινοκούρουρα, *Rhinocurura*, & gentile Ρινοκουρουραῖος καὶ Ρινοκουρουρίτης, *Rhinocururæus & Rhinocururita.* Polybii, Strabonis, Ioſephi verba, etiam Itinerarii, paullo ante ſunt adducta. Origine nominis, quod naſos præciſos habitatoribus ſignificat, omnes conueniunt: diſcrepant in auctore. Seneca lib. III de Ira cap. XX *Rex Perſarum totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen eſt.* Diodorus autem Siculus lib. I cap. LX Actiſani, Aethiopum regi, quum Aegyptum in poteſtatem ſuam redegiſſet, tribuit. Hic enim latrones vndique captos, *ἀποτεμὼν αὐτῶν τοὺς μυκτῆρας, κατῴκισεν ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς ἐρήμου χώρας, κτίσας πόλιν τὴν ἀπὸ τοῦ συμπτώματος τῶν οἰκητόρων Ρινοκόρουραν προσαγορευθεῖσαν, præcidens illorum naſos, in extremum ſolitudinis tanquam colonos deduxit, condiditque vrbem a caſu inhabitantium Rhinocururam adpellatam.* Eadem Strabo de Aethiopum quodam rege, Aegypti domino, ſic κακούργους *maleficos* puniente, vt naſis truncatos in vno loco

* Hæc verſio minus reſpondere videtur verbis Polybii, quam veritati Geographicæ. Veritas enim Geographica poſtulat, vt ex Aegypto in Syriam proficiſcentibus Rhinocorura prius quam Raphia occurrant. Docet hoc clariſſime iter Titi Veſpaſiani ex Aegypto in Iudæam apud Ioſephum de Bello IV extremo: Μετὰ ταῦτα πρὸς Ρινοκορούροις ἀναπαύεται. κἀκεῖθεν εἰς Ράφιαν προελθὼν σταθμὸν τέταρτον (ἔστι δὲ ἡ πόλις αὕτη Συρίας ἀρχὴ) τὸ πέμπτον ἐν Γάζῃ τίθεται στρατόπεδον. *Poſthæc ad Rhinocorura quieſcit. Et inde Rapheam progreſſus quarta caſtra habuit. Eſt autem hæc vrbs Syriæ prima. Quinta caſtra ad Gazam poſuit.* Quo ex loco ſimul adparet, Ράφιαν etiam a Ioſepho interdum ſcribi cœpiſſe.

collocaret, qui *Rhinocolura* vocatus fuerit. * De ſede ipſa, vbi locorum fuerit, pretium non nullum eſt disquirere. Græci interpretes ſacri codicis, quos Septuaginta vulgo vocamus, Eſaiæ XXVII, 12 verba, *ab ripa fluminis* [Euphratis] *ad torrentem Aegypti*, verterunt, *ἀπὸ τῆς διώρυγος τȣ̃ ποταμȣ̃ ἕως Ῥινοκȣ́ρων*, *a foſſa fluminis vsque ad Rhinocuram*, contracte ſcripta voce, vt ſupra ab Ioſepho etiam factum erat. Hieronymus tamen integre vertit, *vsque ad Rhinocoruram.* Si vero torrens ille Aegypti, Sihor nomine, qui terminus Palæſtinæ, hoc loco Rhinocorura in verſione Græca dictus fuit, argumento id ſatis certo eſt, oppidum illud huic fluuio adpoſitum fuiſſe. Sed in qua ripa, Aegyptia an Palæſtinenſi? Stephanus quidem Rhinocururam *πόλιν Αἰγύπτȣ*, *oppidum Aegypti* dixit: verius autem Diodorus dicto loco: *αὕτη κειμένη πρὸς τοῖς μεθορίοις τῆς Αἰγύπτȣ καὶ Συρίας, ȣ̓ μακρὰν τȣ̃ παρήκοντος αἰγιαλȣ̃*, *Hæc ſita eſt in confinio Aegypti & Syriæ; haud procul a vicino litore.* Ita vero in confinio erat, vt Phœnicæ potius quam Aegypto adiudicaretur. Iterum Strabo ſub finem eiusdem XVI libri pag. 537 *Ex vico Leuce* [Albo vico] *merces portantur Petram*, *ἐντεῦθεν εἰς Ῥινοκόλȣρα τῆς πρὸς Αἰγύπτῳ Φοινίκης*, *inde Rhinocoluram, quæ Phœnices eſt iuxta Aegyptum.* Atque ita in dextra ripa Rhinocolura fuit. Suffragatur etiam S. Hieronymus in Amos VI extrem. *ab Hemath*, inquit, *vsque ad Rhinocoruram: inter quam & Peluſium riuus Nili, ſiue torrens de eremo veniens, mare ingreditur.* Riuus Nili ſiue torrens de eremo, epanorthoſis eſt, &, poſteriore adſerto, reiicitur prius, quia numquam fines Palæſtinæ ad Nilum vsque prolati fuerunt.

CCXXXII.

De ipſo *Torrente Aegypti* dicenda tandem, quæ ex ſacris ſcripturis ſunt cognita. Longitudo terræ ſanctæ ſic deſcribitur, *ab Hemath vsque Torrentem Aegypti*, 1 Reg. VIII, 65, 2 Paralip. VII, 8, vbi Nilus nequaquam intelligi poteſt, quia quæ inter Peluſium & Rhinocoluram continentur, Aegyptii iuris erant & extra ſortem promiſſæ terræ. Etiam latitudinis deſcriptioni hic torrens adhibetur. Ioſuæ XV, 4 *a ſummitate ſalſiſſimi maris ad Torrentem Aegypti.* Hæc latitudo auſtralis per rectam lineam. Nonnumquam latitudo maxima, quaſi *διαγώνιος*, oblique ab huius torrentis oſtio ad fluuium ducta Euphratem deſignatur. Geneſ. XV, 18 *Semini tuo dabo terram a fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem.* Cui ſimilis loquendi formula, in alio tamen argumento, eſt 2 Reg. XXIV, 7. Philiſtæorum etiam regionis limes auſtralis Torrens hic Aegypti

* Sed Græcum hoc nomen ex quo barbaro factum eſt? Mihi videtur barbarum nomen *Ἰάνυσος* fuiſſe, quod Herodotus nobis ſeruauit libro III cap. 5. Ait eſſe oppidum maritimum, medium inter Gath & Sirbonidem lacum iacere, inter Ienyſum & Caſium montem ac Sirbonidem lacum trium dierum iter intercedere. Quæ omnia ad Rhinocolura quadrant. Eſt igitur *Ianyſus* quaſi *Ianyrus*, fortaſſe ex נחר, quod *nares diſcindere* ſignificat. Nam ח & aliæ litteræ gutturales a Græcis in medio vocabuli exprimi non poſſunt nec fere ſolent, quod exemplo nominis *Abracadtabra* ex עברה קרחת עברה *tranſi febris tranſi* nati docent Miſcellanea noſtra philolog. & theol. pag. 176. Sic ex גיחון *Ganges*, ex צוען *Tanis* cet. nata ſunt. P autem in C conuerſum eſt ſæpe, e. g. שושן in *roſam*, פרך in *πάχω*. Sic Græci fere *χέρσος* pro *χέῤῥος* ex כר, *θαρσέω* pro *θαῤῥέω*.

Aegypti fuit: Ioſuæ XV, 47 *Gaza cum vicis & villulis ſuis vsque ad torrentem Aegypti.* Et antea cap. XIII, 3 longitudo Philiſticæ regionis ita definitur, *a Sihor, qui contra Aegyptum eſt, vsque fines Accaronis.* Varie interpretes *Sihor* reddunt, vt tamen plerique flumen aliquod intelligant: ſoli Septuaginta, *ἀπὸ γῆς ἀοικήτου, a ſolitudine.* Nam Kimchi & Raſchi הוא נילוס *Nilus eſt:* Vulgatus, *a fluuio turbido.* Et I Paralip. XIII, 5, *Congregauit Dauid omnem Iſrael a Sihor Aegypti vsque ad ingreſſum Hemath:* hic Targum, *a Nilo Aegypti.* At quando Dauid ad Nilum vsque imperium produxit, aut vllus Iſraelitarum? vt vero in Hemath errauit Targumiſta ille, Antiochiam vertendo; ita etiam in Sihor potuit. Græci, *ἀπὸ ὁρίων Αἰγύπτου, a finibus Aegypti.* at Nilus non in finibus, ſed media Aegypto fluit. Sed eſto, adpellatiuum *Sihor* eſſe; & turbidum fluuium ſignificare; in limitis tamen Palæſtinenſis deſignatione congruentius ad torrentem Rhinocoruræ, quam ad Nilum, a limite longius remotum, referetur, licet alibi, Ierem. II, 18 ad Nilum videatur id nomen transductum eſſe, vbi Græcorum codicum pars Γηῶν legunt, pars retenta Ebræa voce Σειώρ. Quodquod ergo nomen proprium fuit, Torrens tamen Aegypti ad Rhinocoluram eſt, & terminat terram Iſraelis.

CCXXXIII.

Tandem de *Bætogabra* Ptolemæi, quam a litoralibus hisce in ortum ſolis non nihil reduxit, non alienum eſt aliquid adiicere. Sunt quibus videtur propter ſimilitudinem litterarum vel Chabriæ caſtra eſſe, vel Aſiongeber: at vtraque extra Palæſtinam fuere, illa in Aegypto; hæc in extrema Arabia iuxta Arabicum ſinum: Ptolemæus autem Bætogabram ſuam in Iudæa recenſuit. Vetus Tabula Auguſtana inter Aſcalonem & Aeliam *Betogabri* poſitum habet hac ſerie:

Aſcalone XVI *Betogabri* VIII *Ceperaria* XXIIII *Aelia.*

CCXXXIV.

Plura de hoc oppido non ſunt nobis nota: neque quæ inter hoc & Aeliam interiecta eſt *Ceperaria.* Ptolemæi autem Εσϐοῦς, *Esbûs*, quam itidem in Iudæa poſuit, in Notitia Epiſcopatuum eſt Arabiæ.

CCXXXV.

Reliquum eſt, vt poſtquam de Torrente Aegypti diximus, etiam de ceteris fluminibus cis Iordanem, ſed admodum, vt patebit, incertis, aliquid adiiciamus. De *Kiſon* dictum in Galilæa: de *Kidron* ſiue *Kedron*, in explicatione Hieroſolymorum.

CCXXXVI.

Primus reliquorum eſt *Sorek*, שורק, Græcis Σωρὴχ, fluuius Philiſtæorum, ad quem Delila Samſonis habitauit, Iudic. XVI, 4. Hieronymus in Locis: *Sorech nomen torrentis, de quo loco fuit Dalila illa Samſonis. Sed & vsque hodie ad ſeptemtrionalem plagam Eleutheropoleos vicus oſtenditur nomine Capharſorech, iuxta villam Saara, vnde fuit Samſon.* Adrichomius inter Azotum & Aſcalon deduxit in mare; rectius forſan Bonfrerius

rius inter Iamniam & Accaron: quod propius cum Hieronymi deſcriptione conuenit.

CCXXXVII.

Beſor amnis eſt auſtralior, quem Dauid, quum Amalekitas, qui Ziklag exuſſerant, perſequeretur, tranſiit, 1 Samuel. xxx, 9, 10. Adrichomio inter Gazam & Anthedonem delabitur, cui plurimi adſentiuntur.

CCXXXVIII.

Torrens Eſcol ſiue *Botri* etiam ad meridiem Chananææ eſt, quia exploratores ab Hebrone in Cadesbarneam tendentes, in via botryonem abſciderunt, vt in caſtra Iſraelitarum referrent, quæ haud dubie non longinqua erant, quia non credibile, hunc fructum ex pertica pendulum, per medios hoſtes via longiore deportaſſe. Hieronymus Epitaphio Paullæ ſeu Epiſt. XXVII cap. V *Cœpit per viam veterem pergere, quæ ducit Gazam, ad potentiam vel ad diuitias Dei, & tacite ſecum voluere, quo modo eunuchus Aethiops, gentium populos præfigurans, mutauerit pellem ſuam: & dum vetus relegit inſtrumentum, fontem reperit euangelii. Atque inde ad dextram, tranſit a Bethſur, venit Eſcol, quæ in botrum vertitur.* Hinc quidam inter Hebronem & vicinam Bethſur hunc riuum ponunt: ſed errant: nec id hoc loco Hieronymus dixit. Errorem de fonte Aethiopis ad Hebronem, ſupra diſſipauimus, natum ex confuſione duarum Bethſur, ad Hebronem alterius, & alterius mille paſſibus ab Eleutheropoli: vt ipſe Hieronymus cum Euſebio in Locis Ebr. diſtinxit. Poſterior in via eſt Gazam ferente, non illa ad Hebronem. Nec vero ad Eleutheropolim videtur amnis Eſcol fuiſſe, ſed propior ſolitudini, in qua ſtatiua Iſraelitarum erant. Icciroo ſunt, quibus idem ac Beſor eſt, cui nouum nomen ab euentu acceſſerit: alii deriuant Eſcol ita, vt confluat cum Beſor, a quo in mare deferatur.

CCXXXIX.

Cana fluuius in occidentali Ephraimitarum limite, Ioſuæ XVI, 8. Græca verſio, ἐπὶ χειμάῤῥουν Κανά. Vulgatus autem non habuit pro nomine proprio, ſed *vallem arundineti* vertit. A Thapua vel Taphua ad mare infra Cæſaream decurrit.

CCXL.

Crith, Vulgatus *Carith*, Græci Χοῤῥάθ, 1 Reg. XVII, 3, 5, vbi Elias a coruis paſtus fuit. Hieronymus, *Chorath torrens trans Iordanem, vbi abſconditus eſt Elias e regione eiusdem fluminis:* ſed fallitur. Iuſſus Elias non tranſire Iordanem, ſed vadere, a Samaria forſan, in ortum Iordanem verſus, in quem effunditur hic fluuiolus ſupra Hierichuntem, ſiue ab ſeptemtrione Hierichuntis; quæ recepta poſitio eſt Tabularum.

CCXLI.

Atque hæc ſunt, quæ cis Iordanem in Palæſtinæ tribus partibus, iisque maioribus, Galilæa, Samaritide ac Iudæa inuenimus, quæ quidem non omnia ad certum locum referri potuerunt, argumentis tamen, quanta haberi poſſunt, demonſtrauimus, quo vel coniectura eruditorum, ſi

certæ

certæ rationes non adſint, referri poſſe videantur. De *Idumæa*, non laxe dicta, quæ ipſa auſtralis pars Iudææ eſt, adhuc a nobis explicata; ſed propria, videtur etiam in Iudæa agendum eſſe, quia Dauid quoque illam domuit. Quod vero extra limitem terræ promiſſæ fuit, & pars Arabiæ Petrææ, quam Iſraelitæ circuierunt in deſertis peregrinantes; nec ſub ſecundo templo ab Iudæis poſſeſſa, vt potius Idumæi magnam Iudææ partem ad Hebronem vsque occupauerint; ad Arabiæ, in qua fuit, explicationem reſeruamus: nunc ad regionem Iſraelitarum, quæ trans Iordanem fuit, & tribubus duabus, Ruben & Gad, & dimidiæ Manaſſitidi diuinitus data, accedimus perluſtrandam.

SECTIO VIII.

REGIO ISRAELIS
TRANS IORDANEM.

CCXLII.

Nondum Iordanem transgreſſi Iſraelitæ erant, quum Moſes, petentibus Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe, quæ victis regibus, Sihone Amorrhæo & Ogo Batanææ domino, occupauerant, adiudicauit. Omnis ille tractus olim *Galaad* ſiue *Gilead* dicebatur, vti ex diuiſione a Moſe facta intelligimus: quod nomen poſtea certæ parti, quæ poſt lacum eſt Geneſareth, adhæſit. Num. XXXII, 26 *Dixerunt filii Gad & Ruben Moſi: paruulos noſtros, & mulieres, & pecora ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad.* Et Deut. III, 12 dicit Moſes: *Terram poſſedimus tempore illo* [quo Sihon & Ogum reges vicimus] *ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, vsque mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & Gad. Reliquam autem partem Galaad & omnem Baſan regni Og tradidi mediæ tribui Manaſſe, omnem regionem Argob.* Pergit commate 14 ſeq. portiones Manaſſitidis ſic enarrare: *Iair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob, vsque ad terminos Geſſuri Machati. Machir quoque dedi Galaad, & tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad vsque ad torrentem Arnon.* Vides ſic Galaad, quod proprie nomen montis eſt, longe a ſeptemtrione in auſtrum circumduci, vt non modo Manaſſitæ, ſed Rubenitæ etiam & Gaditæ incoluerint. A montanis vero, commate 17, diſtinguuntur plana ad Iordanem, a Cenereth vsque ad mare ſalſiſſimum, & orientem verſus vsque ad radices montis Phaſga ſiue Piſga. Hæ partes enim exemtæ erant a Galaad, quod in montanis eſt hanc planitiem attingentibus. Hæc latior Galaaditidis regionis notio, per tres procurrens tribus in montanis: proprie autem dicta Galaaditis penes dimidiam tribum Manaſſe fuit. Numer. XXXII, 39, 40 *Filii Machir, filii Manaſſe, perrexerunt in Galaad, & vaſtauerunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius. Dedit ergo Moſes terram Galaad Machir, filio Manaſſe, qui habitauit in ea.* Adiecta ſunt poſtea de Syria quædam ad ſeptemtrionem, & de Arabia ab oriente, vt inde ab Hermone monte vsque ad Petræam Arabiam omnia Iſraelitarum eſſent,

& noua deinde nomina, præſertim poſteriori æuo, quum Romani in Palæſtinam veniſſent, Trachonitis, Auranitis, Batanæa, Ituræa in hoc tractu & Herodum regionibus audirentur. Hæc enim Philippi tetrarchia erat, de qua Lucæ III, 1 φιλίππȣ τετραρχȣ̃ντος τῆς Ιτȣραίας καὶ Τραχωνίτιδος, *Philippo tetrarcha exiſtente in Ituræa & Trachonitide.* Plenius deſcripta eſt Herodis teſtamento apud Ioſephum lib. XVII cap. X τήν τε Γαυλωνίτιν καὶ Τραχωνῖτιν καὶ Βαταναίαν καὶ Πανιάδα Φιλίππῳ, παιδὶ μὲν τῷ ἀυτȣ̃, Αρχελάȣ δὲ ἀδελφῷ γνησίῳ, τετραρχίαν εἶναι. *Gaulonitin & Trachonitin & Batanæam & Paniadem Philippo filio ſuo, Archelai fratri germano, voluit tetrarchiam eſſe.* Et cap. XIII Auguſti confirmatione: Βαταναία δὲ σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανῖτις σύν τινι μέρει ὄικȣ τȣ̃ Ζηνοδώρȣ λεγομένȣ, Φιλίππῳ, *Batanæa vero cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quadam Zenodori, vt vocant, domus obtigit Philippo.*

CCXLIII.

Hæ ſunt illæ ampliatæ partes, quas Herodes magnus Auguſti Cæſaris beneficio poſſedit. Idem Ioſephus lib. XV cap. XIII de Auguſto, quum ab Herodis filiis Alexandro & Ariſtobulo ſalutatus eſſet; δίδωσιν Ηρώδῃ, *dedit Herodi poteſtatem, quem vellet ex filiis, deſignandi heredem regni,* καὶ χώραν ἔτι, τόν τε Τράχωνα καὶ Βαταναίαν καὶ Αὐρανῖτιν. ἔδωκε δὲ διὰ τοιάυτην τὴν αἰτίαν, cetera. Id eſt, *& regionem, Trachonem & Batanæam & Auranitin. Dedit autem hac de cauſſa,* cetera. Ex quo colligere licet, Haſmonæos non fuiſſe partium illarum, certe non omnium, poſſeſſores. Antiquos autem Manaſſitas earum plurimas poſſediſſe, non eſt quod dubitemus. Sic enim illorum fines I Paralip. V, 23 definiuntur: *Filii dimidiæ tribus Manaſſe habitabant in terra a Baſan vsque ad Baal Hermon & Senir & ad montem Hermon. ingens enim illorum multitudo erat.* Ex quo longitudinem dimidiæ huius Manaſſitidis videmus, quia Baſan ſiue Batanæa fuit pars eius auſtralis, Hermon mons & quæ ad illum ſunt, terminus a ſeptemtrione. Proinde vt cis Iordanem ab aquilone in auſtrum progreſſi ſumus; ita trans flumen eumdem ordinem ſeruantes ab Hermone incipiemus, & ab illo meridiem verſus vsque in Petræam Arabiam tendemus.

CCXLIV.

De *Hermone* Hieronymus in Locis: *Aërmon* [nam Euſebius Αερμὼν ſcripſit, quod Ebræis Hermon eſt] *Aërmon,* inquit, *mons Amorrhæorum, quem Phœnices vocant Sanior; & Amorrhæus adpellauit Sanir: diciturque eſſe in vertice eius inſigne templum, quod ab ethnicis cultui habetur, e regione Paneadis & Libani, & terra filiorum Iſrael trans Iordanem ad ſolis ortum a prærupto Arnon vsque ad montem Aërmon extenditur.* Septuaginta interpretes etiam Αερμὼν ſcripſerunt, quibus locis Vulgatus cum Ebræo ſcripſit Hermon. In ſingulis fere terminus transiordaninæ regionis ab ſeptemtrione ponitur. Deuteron. III, 8 *Tulimus illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem:* a torrente Arnon, *vsque ad montem Hermon.* Et cap. IV, 48 *ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon vsque ad montem Sion,*

qui eſt Hermon. Plura enim huius montis erant nomina, *Sion*, vt hoc loco Vulgatus ſcripſit, quod cum Hieroſolymitano Zion non confundendum eſt, quia Ebræis שיאין, Græcis Σηῶν ſcriptum eſt: & Deuteron. III, 9 traditum, montem Hermonem a Sidoniis *Scirion*, [Vulg. Verſ. *Sarion*] vocari: & *Senir* ſiue *Sanir* ab Amorrhæis. Et Ogi, regis Baſan, imperium in ipſo Hermone erat: ideo ille Ioſuæ XII, 5 dicitur etiam מושל בהר חרמון *dominans in monte Hermôn*: quod de latere montis auſtrali intelligimus. Quo frequentior vero huius montis eſt in ſacris ſcripturis mentio, eo rarior eſt in aliis, & forte nulla apud profanos, qui cum Libano ſeu Antilibano intelligunt, quocum cohæret ab oriente.

2. Idem mons Hermon dicitur etiam pluraliter *Hermonim*, Pſalm. XLII, 6, quia protractiora eius iuga ſunt, quæ plures montes continent. Kimchi quoque in Peruſch ad eum locum, *Hermonim* interpretatur הר חרמון מעבר הירדן מזרחה *montem Hermon trans Iordanem ab ortu ſitum:* & recte dicit קצות ארץ *fines terræ* Iſraeliticæ ibi deſcribi: hæret autem in montis *Mizaar*, qui opponitur, interpretatione, quem Lightfootus putat in auſtrali termino circa Zoaram fuiſſe, quacum nomen etiam conueniat.

3. Vulgo diſtinguunt inter Hermonem maiorem & minorem, quorum hic cis Iordanem ſit in tribu Iſſachar ſupra montes Gelboe; maior trans flumen prope fontes eius in ſeptemtrione; de quo adhuc diximus. Quam autem incertæ rationes illius minoris montis ſint, ſupra oſtenſum a nobis eſt: & ſi etiam certiores ſint, tamen huc non pertinent. Noſter autem Hermon, isque ſolus ex ſcriptura ſacra notus Amorrhæos iuxta ſe habitantes vidit, quos Manaſſe expulit: & in occaſum magis Heuæos, quod ex Ioſuæ XI, 3 obſeruare licet. Pars eius dicta *Baal Hermon*, quam quidam de valle interpretantur, ſed etiam ſub hoc ipſo nomine mons adpellatur, Iudic. III, 3 הר בעל הרמון *mons Baal Hermon:* & ab Hermone ipſo diſtinguitur I Paralip. V, 23, vbi Manaſſitæ habitare dicuntur *a Baſan ad Baal Hermon & Senir & montem Hermon.*

CCXLV.

Poſt montem, qui terminus erat & limes, de ſingulis partibus tetrarchiæ Philippi, & poſſeſſionibus Manaſſitarum trans Iordanem dicendum erit, in quibus monti Hermoni ac Libano fuit *Trachonitis* proxima, quæ tam in Lucæ euangelio quam apud Ioſephum huic tetrarchiæ tribuitur.

TRACHONITIS.

CCXLVI.

Antequam de Trachonitide dicamus, præmittendum aliquid de parte *Domus Zenodori* videtur, quam Auguſtus Cæſar Herodi donauit, referente Ioſepho lib. XV Antiquit. cap. XIII, quia & illa Trachonitidi proxima, aut Trachonitis pars illius. Ioſephus luculente dicto loco, quidquid huius rei eſt, expoſuit. Zenodorus, inquit, ἐμεμίσθωτο τὸν οἶκον τοῦ Λυσανίου, *conduxerat Lyſaniæ domum*, ſiue prouinciam, nec contentus eius

prouentibus, in Trachone fouebat latrocinia, ipſe particeps prædæ, quæ ex Damaſcena maxime a Trachonitis agebatur. Conqueſti, qui circum colebant, apud Varum præſidem Syriæ, qui delata ad Auguſtum Cæſarem hac cauſſa, iuſſus eſt expugnare latronum receptacula & regionem contribuere Herodi, qui facilius, quam alius, coercere incolas poſſet. Quibus auditis Herodes ipſe expugnauit & perdomuit, Zenodoro Romam queſtum aufugiente ἐπὶ τῆς ἐπαρχίας ἀφαιρέσει, *de ablata ſibi prouincia*, qui vero ἄπρακτος ἀναστρέφει, *infectis rebus reuertit.*

2. Deinde difficultatem loci, latrociniis idoneam, deſcripſit, quia πέτρα σύμπαν σκληρὰ καὶ δύσοδος, quia *totus eſt petra aſpera nec tranſitus admittens*, niſi per ſemitas flexuoſas: cuius incolæ nec oppida habeant nec agros, ſed ſpeluncas ampliſſimas, in quibus lateant. Strabo quoque meminit lib. XVI pag. 520 & loci & latrocinii, quod in Damaſcenos fiat & in prætereuntes ex Felici Arabia mercatores: quod vero ἧττον συμβαίνει, *minus fiat* ſua ætate, καταλυθέντων νυνὶ τῶν περὶ Ζηνόδωρον τῶν λῃστῶν, *ſublatis nunc latronibus, qui circa Zenodorum erant.* Et paullo ante ſic loci illius naturam Strabo delineauit: ὑπέρκεινται αὐτῆς δύο λεγόμενοι Τραχῶνες· ἔπειτα πρὸς τὰ Ἀράβων μέρη καὶ τῶν Ἰτουραίων ἀναμὶξ ὄρη δύσβατα, ἐν οἷς καὶ σπήλαια ἦν βαθύστομα, ὧν ἓν καὶ τετρακισχιλίους ἀνθρώπους δέξασθαι δυνάμενον. *Imminent ei* [Damaſcenæ] *duo ſic dicti Trachones*, [aſperi montes] *deinde Arabiam verſus & Ituræam montes ſunt inuii, in quibus & ſpelæa profunda ſunt, quorum vel vnum quater mille hominum capax ſit.*

CCXLVII.

Io. Lightfoot, vir clariſſimus, in Lucam Chorographia, Trachonitin non in ſeptemtrione locat, ſed in ortum opponit Batanææ, Talmudico quodam loco perſuaſus, quo dicatur *Trachona vsque Boſram extendi.* Addit Ptolemæum, cui *Trachonitæ Arabes* ſint, qui ſub Alſadamo monte regionis Saccææ ſint, quæ ab oriente ſit Batanææ. Neutra ratio nos dimouet de ſententia. Notæ ſunt Talmudiſtarum hyperbolæ, & ſi poſueris etiam Bozram illam Arabiæ intelligi, nec tamen ſequetur ibi omnem fuiſſe Trachonitin, licet pars Trachonitarum habitauerit Arabiam verſus etiam ipſis Arabibus permixta, vt *extendi* non ſit pertingere, ſed vergere & inclinare Bozram verſus: quia ſic in ſeptemtrione terræ ſanctæ ſita Trachonitis eſt, vt pars illius orientalis in meridiem etiam deuergat. Ex *Saccæa* Ptolemæi ignota & *Alſadamo* eius monte nihil certi deduci poteſt: neque ipſe declarauit, qua parte prouinciæ mons ille ſit, aut ex quo latere illius Trachonitæ habitauerint: neque, an omnes eius gentis, an pars aliqua vagabunda, Τραχωνῖται Ἄραβες, Arabibus intermixti ſint, declarat.

2. Noſtræ autem ſeptemtrionalem Trachonitidis ſitum ex Ioſephi antea adlatis verbis probamus, quia coniuncta & vicina fuit Lyſaniæ domui ſiue prouinciæ, quæ in Syria erat, & prædas Trachonitæ ex Damaſcena egerint: etiam ex Strabone, quia duos illos montes Trachonas, vnde nomen regioni eſt, Damaſcenæ dixit imminere.

3. Ex

3. Ex hiſce de ſitu & natura huius regionis iudicari poteſt, etiam de ipſo nomine, quod aſperitatem ſonat, ac Ioſepho nunc τραχωνῖτις, *Trachonitis*, eſt, nunc τράχων, *Trachon.* Verba ſupra prolata ſunt: addo ex lib. II de Bello cap. IX Βατανάια καὶ Τράχων, Αὐρανῖτίς τε ὑπὸ Φιλίππῳ τέτακτο, *Batanæa & Trachon & Auranitis Philippo ſubiectæ ſunt.* Et lib. XVIII Antiquit. cap. VI, *Tunc mortuus eſt Philippus, Herodis* [Antipæ] *frater anno Tiberii principatus vigeſimo*, ἡγησάμενος δὲ ἀυτὸς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα τῆς Τραχωνίτιδος καὶ Γαυλανίτιδος, καὶ τȣ̃ Βαταναίων ἔθνȣς, *quum ipſe triginta ſeptem annos Trachonitidi & Gaulanitidi & Batanæorum genti præfuiſſet.* Incolæ dicuntur *Trachonitæ*, Ptolemæo lib. V cap. XV extremo Τραχωνῖται Ἄραβες, *Trachonitæ Arabes*, quos ipſe quidem in Syria cenſet, Arabes autem ob vicinitatem Arabiæ cognominat, quibus forte permixti fuerunt. Ioſephus lib. XV cap. XIII vocat τȣ̀ς περὶ τὸν Τράχωνα γινομένȣς, *qui circa Trachonem degunt.*

4. Nec tantum aſpera illa & cauernoſa in montibus regio *Trachonitis* dicta fuit, ſed ſub montibus etiam amplus & campeſtris tractus ad fontes vsque Iordanis, ita, vt non mediocris prouincia fuerit Trachonitis. Iterum Ioſephus lib. XVI cap. VIII ἀποδημȣ̃ντος δὲ ȣ̓ μικρὸν μέρος ἀπέστη τῆς ἀρχῆς, τὸ περὶ τὸν Τράχωνα, *abſente autem* [Herode, qui Romam profectus fuerat] *Trachonitæ, non parua regni pars, defecerunt*, quos relicti in regno duces ad officium redire coegerunt.

CCXLVIII.

In hoc tractu fuit *Baalgad*, in terminis Chananææ ſeptemtrionalibus locus, ſub monte Hermone, Ioſuæ XI, 17, cap. XIII, 5, in occaſum vergens ſub Libano, cap. XII, 7. * Hieronymus cum Euſebio: *Baalgad ciuitas in campeſtribus Libani ad radices montis Aërmon; quam & ipſam cepit Ieſus.* Videtur in planitie, vbi Libanus & Hermon vel cohærent, vel non longe diſſident.

CCXLIX.

Fuit & *Mizpa* quædam ſiue *Maſpha*, ad radices Hermon, vbi Heuæi habitabant, quorum regiuncula Ioſuæ XI, 3 dicitur *terra Maſpha.* Hos & Ioſua deleuit, non in terra ipſorum, ſed quum Iabino, regi Aſor, auxilio veniſſent. Diſtinguenda autem hæc Mizpa ſiue Maſpha ab altera in Galaad, pertinente ad tribum Gad, de qua Ioſuæ XIII, 26. Alterutra fuit patria Iephtæ Galaaditæ, Bonfrerio ſuperior in tribu dimidia Manaſſe; aliis inferior in tribu Gad.

CCL.

Celebrior eſt *Paneas*, nomen fontis, vrbis, regionis, & alio caſu etiam montis. Hunc locum quamuis alii in Phœnice ſcribant, alii in Galilæa; nobis tamen rationes ſunt, cur extremæ ad occaſum Trachonitidi tribuamus. Plinius lib. V cap. XV *Iordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ.* Et cap. XVIII *Intercurſant cinguntque has* [Decapoleos] *vrbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur,*

* Ex his Ioſuæ verbis colligit Relandus, oppidum in regione cis Iordanem fuiſſe.

Trachonitis, Paneas, in qua Cæſarea cum ſupra dicto fonte. Hoc loco regio eſt Paneas a fonte & oppido diſtincta, pars Trachonitidis laxe ſumtæ. Ioſephus lib. XVIII cap. III Φίλιππος Πανεάδα, τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου, κατασκευάσας ὀνομάζει Καισάρειαν, *Philippus Paneadem, quæ ad fontes Iordanis ſita eſt, exornans, nominat Cæſaream.* De antiquo oppido intelligendus eſt Stephanus: Πανεὰς πολίχνιον Φοινίκης, *Paneas oppidulum Phœnices.* Et alii in Phœnice cenſuerunt: Ptolemæus videlicet, cui eſt Καισάρεια Πανίας, *Cæſarea Panias:* & Sozomenus lib. V cap. XXI ἐν Καισαρείᾳ τῆς Φιλίππου· Φοίνισσα δὲ αὕτη πόλις, ἣν Πανεάδα ὀνομάζουσιν, *in Cæſarea Philippi: vrbs eſt Phœnices, quam Paneadem nominant.* Intellige de Phœnice mediterranea, quam poſteriores ita nominarunt. De monte *Panéo* luculentus teſtis eſt nummus Marci Antonini in gazophylacio Mediceo: ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ ΑϹΥ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ, *Cæſarea Auguſta ſacra & inuiolabilis ſub Paneo:* ad diſcrimen Cæſareæ ſub Argæo monte in Cappadocia, eodem modo a monte, ſub quo condita eſt, denominatæ. Hinc illuſtris vir Ezech. Spanhemius hanc, a monte petitam, veram adpellationis rationem eſſe exiſtimat, non illam Philoſtorgii lib. VII cap. III a Panis, paſtoralis dei, ſimulacro; neque a fonte ſumtam, vt Plinius cenſebat, ſed ab hoc monte Πανείῳ, *Paneo*, ſub quo vrbs *Paneas* prius, ſiue *Panias* dicta, ſita erat, quia id nummi formula, ὑπὸ Πανείῳ, *ſub Paneo*, præ ſe ferret. Huius montis etiam mentionem Euſebius facit lib. VII Hiſtor. eccleſ. cap. XVII ἐν ταῖς ὑπωρείαις τοῦ καλουμένου Πανείου ὄρους, *ad radices montis, vt vocatur, Panei:* & Ioſephus lib. I de Bello cap. XVI iuxta Iordanis fontes: καλεῖται δὲ Πάνειον ὁ τόπος. ἔνθα κορυφὴ μέν τις ὄρους εἰς ἄπειρον ὕψος ἀνατείνεται. *Locus Panium vocatur. Ibi vertex quidam in immenſam altitudinem erigitur*, ſub quo fontes ſcaturiunt: quemadmodum & Euſebius de his fontibus ad radices Panei diſſeruit. An vero mons ipſe a paſtorali numine nomen ſuum acceperit, alia eſt quæſtio. Vir enim ſummus Lucas Holſtenius ad Stephanum Notis pag. 154 de eodem nummo Marci Mediceo refert, *circum Panem deum, rupi innixum*, illa, quæ protulimus, verba ſcripta eſſe ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ ΑϹΥ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ, *Cæſarea Auguſta ſacra & inuiolabilis ſub Paneo.*

2. Ceterum de oppido Philoſtorgius, ἡ μέν τοιγε Πανεὰς Δὰν ἐπωνομάζετο τὸ παλαίτατον, *Paneas antiquitus Dan vocabatur.* Verum ſupra illud in Galilæa, quum de Dan ageremus, reiecimus Hieronymi auctoritate, qui quatuor millibus oppidum Dan a Paneade in occidentem reduxit: quo fit, vt Dan, quia cis fontes Iordanis erat, in Galilæam inciderit; at oppidum Paneas, poſt Cæſarea, quod trans illos fontes eſt, in regionem aliam. Sed etiam antequam Cæſarea ornaretur, locus ille illuſtris factus erat ab Herode patre, qui in Auguſti honorem ibi ſplendidiſſimum templum exſtruxerat. Ioſephus iam dicto lib. I de Bello cap. XVI δωρησαμένου τοῦ Καίσαρος αὐτὸν ἑτέραν προσθέσει χώραν, ὁ δὲ κἀν ταύτῃ ναὸν αὐτῷ λευκῆς μαρμάρου καθιδρύσατο παρὰ τὰς Ἰορδάνου πηγάς. καλεῖται δὲ Πάνιον ὁ τόπος. Herodes *auctus a Cæſare alia regione* [Trachonitide] *etiam in illa ipſa templum*

ei iuxta Iordanis fontes poſuit. Panium ille locus vocatur. Philippus autem filius, heres Trachonitidis factus, Paneadem oppidum ampliauit ornauitque, & *Cæſaream* adpellauit, quæ diſcriminis cauſſa ab auctore cognomen accepit, dicta *Cæſarea Philippi.* Matth. XVI, 13 ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου, *venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi:* & Marci VIII, 27 ἦλθεν εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου, *venit in vicos Cæſareæ Philippi.* De hac & Ioſephus lib. II Belli cap. XIII ὁ μὲν [Φίλιππος] πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν, *Philippus iuxta Iordanis fontes in Paneade* [regione] *vrbem condit Cæſaream.* Credas inde nouam vrbem condidiſſe, non ampliaſſe ornaſſeque veterem. Probabilius tamen vel oppidum vel vicum antea fuiſſe, nomine Paneadem.

3. Huius nouæ vel inſtauratæ vrbis, præter antea memoratum, nummos alios oſtendit Golzius, ſub Auguſto, COL. CAESAREA PHILIPPI: & ſub Tito, COL. CAESAREA PANIAE. Si genuini hi nummi ſunt, coloniam Romanam hanc Philippi Cæſaream fuiſſe probabunt: de quo vero eſt quod dubitemus, quia nihil alii de colonia tradiderunt, nec peritiſſimus antiquitatum Vaillantius in Coloniis eam numerauit, vt videtur, ſuſpectos habens nummos illos Golzianos. A templo Auguſti in ciuitatem etiam religionem deriuatam fuiſſe, ex nummo, quem cum Occone Holſtenius commendat, perſpicere aperte licet: ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ex quo etiam gentile Καισαρεὺς Φιλιπποπολίτης, *Cæſarienſis Philippolita,* vir laudatiſſimus deducit. Eſt quoque in nummis *Phaneæ* in Syria Palæſtina nomen, quam eruditi viri Patinus & Triſtanus, & ad Plinium Harduinus, putant hanc Paneadem Cæſaream eſſe π in Φ commutato. In Marci Aurelii nummo ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡΙΑC, *Phaneæ ciuitatis Syriæ,* cum Dianæ ſimulacro. Et in Macrini: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC cum aquilæ ſigno & montis, in cuius vertice templum exſtructum eſt. Et in Diadumeniani: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡ. ΠΑΛ. *Phaneæ ciuitatis Syriæ Palæſtinæ:* quod ita legendum eſſe, ex alio nummo illuſtris Spanhemius oſtendit, in quo exſtat ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΟC CΥΡΙΑC ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC. qui vero grauibus rationibus negat, Phaneam hanc Paneadem eſſe ſiue Cæſaream ſub Paneo. Adhuc vero reperire non potuimus, vbi *Phanea* Palæſtinæ ſita fuerit. *

4. Quamquam vero ex dictis non obſcurum eſt, quare Cæſaream Philippi ad Trachonitidem potius quam ad Galilæam vel Phœnicen referamus; tamen vt ne quis dubitet, rationes noſtras planius ad conſiderandum proponemus. Primum Herodes templum in Paneade ἐν ταύτῃ χώρᾳ, *in ea ipſa regione* poſuit, quam ei Auguſtus Cæſar, pulſo Zenodoro, donauerat: quæ non Phœnice, nec Galilæa, ſed Trachonitis & adiacens erat: quis ergo dubitabit ad Trachonitidem illud ſolum pertinere,

* Nec reperietur. Nam nummi illi M. Aurelii, Macrini, Diadumeniani legendi ſunt: ΦΛ. ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ ΣΥΡ. ΠΑΛ. id eſt, *Flauiæ Neapoleos Syriæ Palæſtinæ.* Illud hic addendum ex eodem Relando, Paneadem *Neroniada* vocari cœptam eſſe in Neronis Imperatoris honorem ab Agrippa, qui eam amplificarat, vt Ioſephus ſcribit Antiquit. XX, 9, 4 edit. Hauercamp.

tinere, cui impoſitum templum Auguſti erat? Deinde Philippus vrbem in ſuo territorio, non alieno condidit: ipſe vero Trachonitidis, Ituræ, Batanææ, & Gaulanitidis dominus erat, e quibus partibus nulla, niſi Trachonitis, accedit propius ad Paneadem: Galilæa autem non Philippo, ſed fratri Antipæ parebat: Phœnice extra ſortem hereditatis, nec ab Herode patre poſſeſſa, ſed recta eſt a Syriæ legato ſiue præſide. Vbi ergo nihil iuris Philippo erat, ibi nec vrbem potuit condere vel inſtaurare. Quid ergo relinquitur, quam Cæſaream hanc in Philippi tetrarchia fuiſſe, & in Trachonitide, quæ ſola eo vsque protenſa fuit. Nec obſit, quod Herodes in teſtamento apud Ioſephum lib. XVII cap. X Trachonitidem & Paneadem diſtinxerat: eſt enim diſtincta Paneas a Trachoniti propria, incluſa in laxe ſumta. Id quoque tam Herodis templum, quam, qui in nummo ſunt, νεώκοροι ciues vrbis teſtantur, ethnicam potius, quam Iudaicam, fuiſſe ciuitatem. Plura de Trachonitide non habemus.

AVRANITIS ET ITVRAEA.

CCLI.

Lucæ III in Philippi tetrarchia enarrantur tantum Ituræa & Trachonitis regio: non excluſis vero, quæ ab Ioſepho præterea memorantur, Auranitide, Batanæa & Gaulanitide. Sed *Auranitis* nobis iam curæ eſt, quod nomen videtur ab *Hauran*, regione, vel oppido, vel monte in transiordanina ad ſeptemtrionem. Huius mentio eſt Ezech. XLVII, 16, vbi cum iis iungitur, quæ ſunt confinia Damaſco & Hemath. Hieronymus in hunc locum: *Hauran eſt oppidum Damaſci in ſolitudine.* Græci interpretes ibi verterunt ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος, *ſupra fines Auranitidis:* qui non dubitare ſinunt ab *Hauran* eſſe *Auranitidis* vocabulum: & ſicut Trachon & Trachonitis dicebatur; ita *Hauran*, חורן, ſiue *Auran* & *Auranitis* eadem regio. Probabile autem eſt, Hauran montem fuiſſe, * quia in Talmud Roſch haſchanah cap. II hal. 2 inter montes illos recenſetur, e quorum vertice per flammas factum eſt indicium noui anni. Ioſephus lib. XV cap. XIII ſcripſit Αβρανῖτις, *Abranitis;* in locis ceteris Αὐρανῖτις, *Auranitis*, quod cum origine antea monſtrata magis conuenit.

CCLII.

Tribus locis Ioſephus eius regionis mentionem fecit, primum lib. XV cap. XIII, quod Auguſtus Herodis regno adiecerit χώραν ἔτι, τήν τε Τράχωνα καὶ Βαταναίαν καὶ Αβρανῖτιν, *adhuc regionem, Trachonitidem & Batanæam & Abranitidem.* Deinde in confirmata ab Auguſto Herodis hereditate lib. XVII cap. XIII Βαταναία σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανῖτις σύν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου, *Batanæa cum Trachonitide, & Auranitis cum parte domus Zenodori* dicuntur Philippo obtigiſſe. Denique lib. II de Bello cap. IX eadem Philippi tetrarchia dicitur eſſe Βαταναία τε καὶ Τράχων, Αὐρανῖτίς τε καὶ μέρη τινὰ τοῦ Ζήνωνος οἴκου, *Batanæa & Trachon, & Auranitis cum partibus quibusdam Zeno-*

* Etiam regionem e Relandi lib. I pag. 107 & libr. III pag. 666 patet.

Zenodori, quem hoc loco Zenonem dixit, praue, vt puto, quia nec ſequentia verba cohærent, & Strabo etiam Zenodorum nominauit.

CCLIII.

Nulla in his mentio eſt *Ituræa*, quam in tetrarchia Philippi Euangeliſta primo loco poſuit, quum Philippum tetrarcham dixit τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, *Ituræa & Trachonitidis regionis.* Oportet ergo, etiam Lightfooto iudice, ſub aliqua regionum Ioſephi in hac tetrarchia poſitarum latere, ſub Auranitide, vel Batanæa, vel Gaulanitide. Non ſub hac, quæ iuxta lacum Geneſaret eſt; Ituræa autem in ſeptemtrione extremo, quia Strabo & Plinius in Syria cenſuerunt: neque ſub Batanæa, quia Ioſephus Auranitin & Batanæam diſtinxit & ſeparauit in huius tetrarchiæ deſcriptione. Quo relinquitur, vt *Ituræa* Lucæ ſit Auranitis Ioſephi. Conuenit etiam vtriusque notata poſitio. Hauran enim in extremitate terræ ſanctæ Damaſcum verſus erat, vt Ezechiel cap. XLVII, 16 tradit: Ituræi etiam non procul a Damaſcena per Arabiam habitarunt, & fuere Arabes ſeu Iſmaelitæ, a filio Iſmaelis *Itur* genus & nomen trahentes I Paralip. I, 31, cuius poſteritas, etiam *Itur* dicta eodem libro cap. V, 19, cum Iſraelitis trans Iordanem bellum geſſit, ſocia Hagarenorum, ſed, vt ibidem traditur, vna cum illis, victa fuit. Græci interpretes ibi quibusdam libris Ἰτοὺρ, *Itur*; in aliis, μετὰ Ἰτουραίων, *vna cum Ituræis.* Montuoſa, quam colebant, regio: ideo Straboni lib. XVI pag. 518 τῶν Ἰτουραίων ὀρεινὴ dicta, *Ituræorum montana regio.* Et pag. 520 poſt Laodiceam, quæ ad Libanum eſt, τὰ μὲν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες, *montanam omnem regionem Ituræi tenent & Arabes, malefici omnes*, puta, propter latrocinia. Plinius lib. V cap. XXIII cum Cyrrheſticæ populis tandem etiam *Ituræam gentem* nominat, alieno, vt videtur loco. Reducta enim inde in auſtrum magis fuit, vt Batanæis ſimul eſſet ad ortum. Militiæ ſeu latrociniis operam Ituræi dabant, famoſi ſagittarii, vt etiam arcus & ſagittæ illorum laudarentur, haberenturque pro præſtantiſſimis. Virgilius Georg. II verſ. 448

- - - *Ituræos taxi torquentur in arcus.*

Et Lucanus lib. VII verſ. 230

- - - *Ituræis curſus fuit inde ſagittis.*

Ibidem verſu 514 de Pompeii exercitu:

Tunc & Ituræi, Medique, Arabesque, ſoluto
Arcu turba minax.

Ideo ex iis ſatellites ſibi legit Antonius. Cicero II Philipp. cap. VIII *Accuſa omnes ordines, omnes ciues, dum confiteare, hunc ordinem, hoc ipſo tempore, ab Ityræis circumſederi.* Et cap. XLIV *cur homines omnium gentium maxime barbaros Ityræos, cum ſagittis deducis in forum?* Non ergo cultiores facti, quamlibet Ariſtobulus, rex & pontifex Iudæorum, ad Iudaicos ritus victoriæ iure compulerat. Ioſephus lib. XIII cap. XIX de Ariſtobulo illo: πολεμήσας Ἰτουραίαν, καὶ πολλὴν αὐτῶν τῆς χώρας τῇ Ἰουδαίᾳ προσκτησάμενος, ἀναγκάσας τε τοὺς ἐνοικοῦντας εἰ βούλονται μένειν ἐν τῇ χώρᾳ περιτέμνεσθαι καὶ

κατὰ τοὺς Ιουδαίων νόμους ζῆν, illato bello Ituræ, magnaque eius parte attributa ad Iudææ limites, cuius habitatores comminatione exſilii coegit circumciſionem ceteroſque Iudaicos ritus admittere. Vtrum perſtiterint in officio, an poſt defectionem ab Auguſto Herodi donati fuerint; ſilente hiſtoria, non facile eſt definire. Forſan ex eo conciliari diuerſa poterunt, quia non omnis Ituræa, ſed πολλὴ τῆς χώρας. *pars eius magna* Ariſtobulo fuit ſubiecta. Quod clarius Ioſephus ibidem Timagenis hiſtorici teſtimonio illuſtrat, dicentis de Ariſtobulo: ἐπιεικής τε ἐγένετο οὗτος ὁ ἀνὴρ, καὶ πολλὰ τοῖς Ιουδαίοις χρήσιμος. χώραν τε γὰρ αὐτοῖς προσεκτήσατο, καὶ τὸ μέρος τοῦ τῶν Ιτουραίων ἔθνους οἰκειώσατο δεσμῷ συνάψας τῶν αἰδοίων περιτομῇ, *Hic vir æquus fuit, & Iudæis multis in rebus commodus. nam & regionem illorum auxit, & partem Ituræ gentis, circumciſionis vinculo deuinciens, illis adiunxit.*

CCLIV.

Hæc ſunt quæ de Ituræis inuenimus: Patres perpauca habent, nec plus inde lucis exſpectandum. Hieronymus cum Euſebio: *Ituræa & Trachonitis regio, cuius tetrarcha fuit Philippus, ſicut in euangeliis legimus. Trachonitis autem dicitur terra iuxta Arabiæ deſertum; quod Bosræ iungitur.* Et Epiphanius hæreſi XIX ineunte Oſſenos, Iudæorum ſectam, dicit ortos tradi ἀπὸ τῆς Ναβατικῆς χώρας, καὶ Ιτουραίας, Μωαβίτιδός τε καὶ Αρηϊλίτιδος, τῶν ἐπέκεινα τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς, οὕτως ἐν τῇ θεία γραφῇ καλουμένης, ὑπερκειμένης χώρας, *ex Nabatæa, Ituræa, Moabitide & Areilitide, regionibus ſitis trans regionem valli maris mortui ſuperiacentem.* Sic Salmaſius in Solin. cap. XXXV ſub finem interpretatur. Vt vero Euſebius coniunctiſſimam cum Trachone facit & deſerto Boſtreno adponit: ita Epiphanius nimis etiam in auſtrum Ituræos detraxit, dum communem cum mari mortuo illis latitudinem poſuit. Nec vrbes Ituræ nominare poſſumus, quas fortaſſe non habuerunt, Arabum more, cum quibus Strabo coniunxit, vel in vicis habitantes, vel etiam in tabernaculis.

BATANAEA SEV BASAN.

CCLV.

Quæ *Baſan* olim regio a Moſe aliiſque ſacris ſcriptoribus adpellata fuit, eam poſteriores, conſueto Syrorum more ש in ת conuerſo, vocauerunt *Batanæam.* Hoc præter loci conuenientiam, ſi Ioſephus cum Moſe ac Ioſua componatur; poſteriores Targumiſtæ docent. Pſalm. LXVIII, 23 verba, *ex Baſan reducam,* Chaldæus tranſtulit מבותנן אתיב *ex Butnan reducam.* Et Pſalm. XXII, 12 *Baſan* quidem מתנן *Matnan* redditur, quod nolim prauatum putare, quaſi מ pro ב ſit; quia priores Targumiſtæ Baſan ſemper verterunt מתנן *Matnan.* Targum autem Hieroſolymitanum Deuter. XXXIII, 14 habet דכרין בני בתניא *arietes ex Botnaia,* id eſt Baſan, Batanæa: & cap. XXXII, 22 מן בותניא *ex Botnaia,* vbi in Ebræo eſt *ex Baſan.* Euſebius de Ebraicis Locis confirmat: Βασὰν, Ωγ βασιλέως Βασὰν, ἣν ἔλαβε Φυλὴ Μανασσῆ, κειμένη ἐν τῇ Γαλαάδ. αὕτη Βασανῖτις, ἡ νῦν καλεῖται Βαταναία. Hieronymus ita vertit: *Baſan,*

Baſan, ſuper qua ſcribitur, & Og regem Baſan. Cecidit in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe in terra Galaad. Hæc eſt Baſanitis, quæ nunc Batanæa dicitur. Græci interpretes locis pluribus retinent Ebræam formam Βασὰν, v. gr. Deuteron. IV, 43 ἐν τῇ Βασάν: 1 Reg. IV, 19 τῷ Βασάν: & 2 Reg. V, 11 ἐν γῇ Βασὰν, *in terra Baſan:* ſæpe tamen etiam *Baſanitin* reddunt, Num. 1, 4 ἡ Βασανῖτις: Ezech. XXVII, 6 ἐκ τῆς Βασανίτιδος: Ioſuæ XX, 8 & cap. XXI, 27 ἐν τῇ Βασανίτιδι: Michææ VII, 14 τὴν Βασανῖτιν. Ioſephus ſemper Βαταναίαν *Batanæam* vocat locis ſupra in Trachonitide & Ituræa adlegatis. Ptolemæus lib. V cap. XV, quo de Syria agit, extremo: Βαταναίας χώρας, ἧς ἀπ' ἀνατολῶν ἡ Σακκαία, καὶ ταύτης ὑπὸ τὸ Αλσάδαμον ὄρος οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες, *Batanææ regionis, a cuius orientali parte eſt Saccæa: & huius ſub Alſadamo monte ſunt Trachonitæ Arabes.* Stephanus Βαταναῖαι & Βαταναία vtroque numero ſcripſit, dixitque συνοικίαν Συρίας, *viciniam Syriæ.*

CCLVI.

Hactenus de nomine: nunc poſitio declaranda & limites definiendi. Quum Iſraelitæ Chananæam ingreſſuri eſſent, tota Transiordanica regio, a Moabitide ſeu Arabia vsque ad Hermonem ac Libanum, bipartito in duo regna diuiſa erat, regnum Sihonis Amorrhæi, & regnum Baſan, cui tum Og gigas præerat: illud auſtrale erat, hoc ſeptemtrionale. Sihonis regnum a fluuio *Arnon* ac Moabitide proferebatur vsque ad flumen *Iabok*, qui ab ortu oblique decurrens ſimul Ammonitas ſeparabat: quod ex Numer. XXI, 24, & Deuteron. II, 37, cap. III, 16 luculentum eſt. Sihonis regnum Rubenitis Gaditisque ceſſit: Baſan dimidiæ tribui Manaſſe. Adnexa huic erat pars Galaaditis montanæ & regio *Argob*, Deuteron. III, 13, vt tamen præcipua & maxima regio eſſet Baſan. Poſt captiuitatem autem Babylonicam ſubdiuiſa fuit Baſan, vt pars tantum Batanæa ſiue Baſan diceretur, pars Trachonitis, alia Auranitis ſiue Ituræa; quædam etiam Gaulonitis. Singularum partium fines proprios inuenire non eſt iam humani ingenii ad diuinandum illud, de quo tam pauca, aut nihil etiam eſt litteris memoriæque traditum. Ioſephus quidem has ſingulas regiones diſtinxit, non autem finiuit limitibus. Libro XV cap. XIII, *Dedit*, inquit, *adhæc* Auguſtus Herodi χώραν, τόν τε Τράχωνα καὶ Βαταναίαν καὶ Αὐρανῖτιν, *regionem, Trachonem nempe, & Batanæam, & Auranitin.* Et in Herodis teſtamento lib. XVII cap. X τήν τε Γαυλωνῖτιν καὶ Τραχωνῖτιν, καὶ Βαταναίαν καὶ Πανιάδα Φιλίππῳ, *Philippo* [legauit] *Gaulonitin & Trachonitin & Batanæam, & Paniadem.*

2. Si quid coniectura licet, ita ſitum harum regionum determinamus: *Trachonitis* a ſeptemtrione eſt, inde a Paneade, quam Herodes teſtamento nominatim etiam Philippo filio deſtinauerat vna cum Trachone, Batanæa & Gaulonitide, Ioſepho teſte lib. XVII cap. X; ad orientem verſus in montibus & ſub illis, & tandem cum ipſo monte Hermon in meridiem paullo declinat & deſinit: continuatur autem illa flexio per *Ituræam* ſeu *Auranitin:* a meridie eſt *Gaulonitis*, procurrens a lacu Geneſaret in orientem, vsque ad Arabiam, vt infra probabimus. Ab his incluſa eſt *Bata-*

næa propria, ab aquilone Trachonitin, ab ortu Ituræam, a meridie Gaulonitin ſpectans: Iordanem ab occidente. Gaulonitidem regionem ſi negligis, nec ſeparatam facis prouinciam; Baſan ab Hermone in extremum meridiem Manaſſitidis decurrit, 1 Paralip. v, 23.

CCLVII.

Pars præcipua regni Baſan, eaque maior, dicta ARGOB, & ei videntur vrbes tribui, quæ totius regni Baſan erant, ſexaginta numero, munitæ omnes, Deuter. III, 4, quod licet ſynecdochice dictum ſit, tamen plurimas earum in regione Argob fuiſſe ſitas, declarat. nam vere *Argob* pars regni Baſan fuit, 1 Reg. IV, 13, nempe *tractus* vel *regio Argob, quæ* בבשן *in Baſan eſt.* Fallunt igitur vulgares tabulæ, quibus *Argob* nomen vrbis eſt, quamquam non negarim, in tanto numero ciuitatum Baſan, quarum LX fuiſſe citatis locis refertur, vnam etiam id nominis tuliſſe; probari tamen non poteſt, quia Scriptura חבל ארגב *tractum, regionem* ſeu *portionem Argob* vocat. Targumiſtæ, Onkelos & Ionathan verterunt בית פלך טרכונא *portionem Trachonitidis*, quod minus placet, quia vrbes præcipuas habebat Argob, quas, & tanto numero, aſperæ Trachonitidi, cui ſpeluncæ pro domibus erant, nolim attribuere.

CCLVIII.

Ex ſexaginta autem illis vrbibus, Deuteron. III, 4 & 1 Reg. IV, 13, quæ totius regni Baſan fuerunt, pauciſſimæ nobis notæ ſunt, quia nusquam ſunt recenſitæ omnes. *Hauran* & *Argob* ſunt dubia, vt diximus; ille mons, hæc regio potius quam oppidum. Iair, gens tribus Manaſſe, occupauit Argob, & oppida de ſuo nomine vocauit *Hauoth Iair*, Deuteron. III, 14: quænam autem illa fuerint, minime notatum eſt. Nobah ſiue Nobe, alius ex poſteris Manaſſe, cepit *Chanath* ſiue *Chnath;* cuius nomen etiam mutatum voluit, Numer. XXXII, 42, ſed præualuit vetus *Canatha*, de qua ex Plinio & Ptolemæo dicturi ſumus in Decapoli. Tertius poſſeſſor dimidiæ huius tribus fuit Machir ſeu poſteri eius, quibus Moſes dedit Galaaditin propriam, quam mox perluſtrabimus. In auſtrali limite Baſan maioris erant *Salcha* & *Edrei*, quæ vrbes nominantur Deuter. III, 10, e quibus *Edrei* regia fuit Ogi, Deuteron. I, 4, Ioſuæ XII, 4, XIII, 12, & limitanea, quia ad vrbem illam prœlium commiſſum eſt, quum aduentanti Iſraeli rex Ogus obuiam proceſſiſſet, Numer. XXI, 33, & Deuteron. III, 1. *Salcha* autem paullo fuit interior, quia eo vsque Gaditæ habitarunt, quorum etiam erat portio quædam in Baſan, 1 Paralip. v, 11.

CCLIX.

Fuit etiam alia regia Ogi, *Aſtaroth*, vna cum Edrei Deuteron. I, 4, Ioſuæ XII, 4, cap. XIII, 12, quæ an eadem ſit & *Aſtaroth Karnaim* Geneſ. XIV, 5, in controuerſiam venit. Negat Euſebius cum interprete Hieronymo, cui prior *Aſtaroth* eſt *antiqua ciuitas Og, regis Baſan, in qua habitauerunt gigantes: quæ poſtea cecidit in ſortem tribus Manaſſe regionis Batanææ, & ſex millibus ab Adar* (Ἀδραὰ Euſebius) *vrbe Arabiæ ſeparata eſt. Porro Adar a Boſtra viginti quinque millibus diſtat.* De altera vero ſic idem tradidit:

didit: *Aſtaroth Carnaim terra gigantum quondam in ſupercilio Sodomorum* (ὑπὲρ τὴν Σοδομίτην, Euſeb.) *quos interfecit Chodorlaomor.* At nihil in ſacra hiſtoria de illo Sodomorum ſupercilio, cui bene conſtat ratio, etſi in Baſan illa vrbs ac eadem, quæ Aſtaroth regis Ogi ſtatuatur. Bonfrerius, vt conciliet, dicit, *Chodorlaomor & reges ſocios vaſtando paullatim a ſeptemtrione in auſtrum proceſſiſſe, atque adeo primum Raphaim, qui in Batanæa erant regione, deinde Zuzim, qui eam regionem tenebant, quæ poſtea fuit Ammonitarum; deinde Emim, qui eam, quæ poſtea Moabitarum fuit, occupauiſſe: inde ad Chorræos, qui Idumæam auſtralem poſſidebant,* [& ad his proximos Amalekitas] *proceſſiſſe: ac tandem vicinos Pentapolitas eſſe adgreſſos.* Eadem fere de gentium illarum ſede *Raphaim, Zuzim, Emim*, Lightfootus Chorogr. in Luc. cap. I ſect. III. Si ergo vrbs vna fuit, quæ cognomen *Carnaim* habuit & quæ nullum; ſequitur, vt ex Euſebii relatione in Baſan fuerit, & in ortum vergeret, quia in finibus erat Arabiæ. Sin duæ Aſtaroth fuerunt, nihil tamen impedit, quo minus vtraque in Baſan fuerit, quemadmodum Hieronymus ibidem dixit: *Sunt hodieque duo caſtella in Batanæa hoc vocabulo* [in altera Aſtaroth hæc ſcripſit] *nouem inter ſe millibus ſeparata, inter Adaram & Abilam ciuitates.* Forte Talmudiſtarum *Caphar Carnaim* huc referri poteſt, quia in Decapoli ſitum, vt infra dicemus. Gloſſa Talmudica ad Succah fol. 2, 1 *Aſtheroth Karnaim* duos montes magnos interpretatur, quos inter ſit vallis profundiſſima: vt ita magis regio fuerit quam oppidum, quemadmodum etiam Euſebius χώραν γιγάντων, Hieronymus, *terram gigantum,* non vrbem vocitarunt. Bonfrerio autem vrbs eadem videtur fuiſſe, quæ Astharoth Ogi, & quæ Karnaim cognominatur.

CCLX.

Fuit & in Baſan *Saron*, I Paralip. V, 16, quæ quibuſdam regio, aliis ciuitas, quod ſimilius vero eſt, videtur. Dicuntur enim מגרשי שרון *ſuburbana Saronis*, Græci τὰ περίχωρα Σαρών: ſed quo loco aut plaga Batanææ fuerit, incertum eſt, nec vllo inueſtigandum indicio.

CCLXI.

Nec certior ſedes *Bathyræ*, quam Ioſephus lib. XVII cap. II tradit in Batanæa a Babylonio quodam Herodis auſpiciis condita, ſed κώμη, *vicus* fuit, nec vero exiguus, ſed vnde regioni toti multa commoda adlata ſunt. Memorat etiam Latina verſio Vitæ Ioſephi p. 1002; at Græca ibi authentia non Bathyram habet, ſed Ἐκβάτανα, *Ecbatana.*

CCLXII.

Certior autem, quæ ab occaſu Batanææ erat, *Seleucia*, paludi Samachonitidi, per quam Iordanes tranſit, adpoſita. Ioſephus lib. IV Belli Iudaici cap. I Σελεύκεια πρὸς τῇ Σεμεχωνιτῶν λίμνῃ, *Seleucia ad lacum Semechonitarum ſita*, in Batanæa videlicet ac trans Iordanem, de qua ibi regione agit. Meminit etiam in Vita pag. 1013 Σελευκέιᾳ καὶ Σωγανῃ, φύσει κώμαις ὀχυρωτάταις ᾠκοδόμησα τείχη, *Seleuciæ & Soganni, locis natura munitis, addidi mœnia.* Erant ex Agrippæ regno: tum vero defecerant.

G A V L A N I T I S.

CCLXIII.

Extrema pars terræ Baſan, vergens in meridiem ac confinis Gaditidi, dicebatur *Gaulonitis* ſiue *Gaulanitis*, a diuerſa forma metropoleos, quæ vel *Gaulon* eſt vel *Golan*. Secundum Maſoretas vbique eſt גולן *Golan*: Græci Deut. IV, 43 & I Paralip. VI, 71 τὴν Γαυλών: at Ioſuæ XX, 8, & XXI, 27 τὴν Γωλάν: Vulgatus Latinus in Deuteronomio *Golan*; in Ioſua *Gaulon*: Ioſephus, niſi mendum eſt, lib. IV Antiq. cap. VII Γαυλαδημᾶν ἐν τῇ Βαταναιάδι, *Gaulademan in Bataneade*. Vbique additur *in Baſan* & *tribu Manaſſe*, quia olim nomine *Baſan* omnes illæ regiones vsque in montem Hermon comprehendebantur, & quam poſteriores ex noua diuiſione Gaulonitin adpellabant, priſcis temporibus Baſan erat ſiue pars illius auſtralis. Hieronymus in Locis ex Euſebio: *Gaulon ſiue Golan* [Γαυλὼν ἢ Γωλὰν] *in tribu Manaſſe ciuitas ſacerdotalis & fugitiuorum in regione Baſanitide. Sed & nunc Gaulon vocatur villa prægrandis in Batanæa, ad cuius nomen & regio ſortita vocabulum eſt.*

CCLXIV.

Regionis mentio ac propria adpellatio apud Ioſephum eſt, ſed inconſtante ſcriptura. Lib. XVII Antiquitatum cap. X de Herodis teſtamento, quo filio Philippo τὴν Γαυλωνίτην, [ſcribe Γαυλωνῖτιν, ad formam ſequentis vocis] καὶ Τραχωνῖτιν, *Gaulonitin & Trachonitin* cum ceteris legauit. At lib. XVIII cap. VI de morte Philippi: ἡγησάμενος αὐτὸς τῆς Τραχωνίτιδος καὶ Γαυλανίτιδος, *quum rexiſſet* [annos XXXVII] *Trachonitin & Gaulanitin.* Et in Vita ſua pag. 1013 ἀφίσαται τοῦ βασιλέως καὶ ἡ Γαυλανῖτις χώρα μέχρι κώμης Σολύμης, *defecerat etiam ab rege* [Agrippa] *Gaulanitis regio vsque ad vicum Solymam.* Diuidebatur *Gaulanitis* in *Superiorem*, quæ in ortum ad Arabiam recedebat; & *Inferiorem*, quæ fuit ad lacum Geneſaret: Diſtinctionem hanc Ioſephus docet lib. II Belli cap. XIII Philippus, inquit, πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν, κἂν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰουλιάδα, *ad Iordanis fontes vrbem condidit Cæſaream, & in inferiore Gaulanitica Iuliadem.* Hæc Iulias Bethſaida eſt, vt paullo poſt demonſtraturi ſumus.

CCLXV.

Superioris caput fuit ipſa *Gaulon* ſiue *Golan*, vbrs non ſacerdotalis, vt Euſebius tradebat: ſed Leuitica & refugii, Deuteron. IV, 43, Ioſuæ XX, 8. de qua pluribus ſupra.

CCLXVI.

Erat præterea *Sogane* ſiue *Soganni.* * Ioſephus lib. IV Belli ineunte ſeu cap. I *Gamala ab Agrippa defecerat*, καὶ Σωγάνη, καὶ Σελεύκεια, καὶ αἱ μὲν ἐκ Γαυλανίτιδος ἀμφότεραι. τοῦ γὰρ ἄνω καλουμένου Γαυλανᾶ μέρος ἦν ἡ Σωγάνη· τοῦ κάτω δὲ ἡ Γάμαλα, *& Sogane & Seleucia, & hæ quidem* [Gamala & Sogane] *Gaulanitidis regionis ambæ: Sogane ſuperioris partis, quæ Gaulana*

* Alia *Sogane* vicus Galilææ fuiſſe videtur, a Gabaris XX ſtadiis. Relandus.

lana vocatur; inferioris autem Gamala. Et in Vita ſua pag. 1013 Σελευκεία δὲ καὶ Σωγαννὶ, φύσει κώμαις ὠχυρωτάταις ᾠκοδόμησα τείχη, *Seleuciæ vero & Soganni, vicis natura munitis, addidi mœnia.* nam Ioſephi in Galilæa præfecturæ etiam pars trans lacum ſita, quæ ab Romanis & Agrippa defecerat, adiecta erat.

CCLXVII.

In ſuperiorem Gaulanitidem cecidit quoque *Capitolias* Ptolemæi, cuius non tam ex ipſo ſitum, quam ex Antonini Itinerario licet cognoſcere, quo inter Damaſcum & Scythopolim ita eſt locatum, vt non longe ab ipſa vrbe Gaulon forſan fuerit. Itinerarii rationes hæ ſunt:

Damaſco			
Aere	M.	P.	XXXII
Neue	M.	P.	XXX
Capitoliada	M.	P.	XXXVI
Gadara	M.	P.	XVI
Scythopolim	M.	P.	XVI.

Ptolemæus in Cœleſyria cenſet, vt omnia huius tractus: ſed eum longe ab Libano in auſtrum deducit ſeu continuat. Huius oppidi videntur *Capitolienſes* [ſic legendum, non *Capitulenſes*] Lege VIII Dig. de Cenſibus, qui *ſimiles Cæſarienſibus* in Palæſtina *colonis* cenſentur. Sed non de Capitoliade illam legem eſſe, verum de Capitolina Aelia, egregie vir eminentiſſimus Henr. Noris de Epochis Syr. Diſſertat. III demonſtrauit. Capitoliadi autem nummum Seueri cum L. Holſtenio in Steph. vindicat inſcriptum ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡΑϹ ΑΥ. id eſt, *Capitoliadis ſacræ &* αὐτονόμου ſeu *liberæ.* Quo etiam inſcriptio vetus pertinet a Grutero pag. 45 n. 13 vitioſe expreſſa CAPITOLIA. DE, quæ vna vox eſt, ſic reddenda integritati:

L. DOMITIVS VALERIANVS
DOMO KAPITOLIADE STIP. XVIII.

Hieroclis Notitia in Palæſtina Secunda Capitoliadem recenſet: atque ſic etiam in Synodo Calchedonenſi act. IV. Vetus eius nomen ignoratur.

CCLXVIII.

Inferioris Gaulanitidis caput fuit *Gamala,* prope lacum ſita contra Tarichæas Galilææ. Ioſephus lib. IV de Bello cap. I Γάμαλα πόλις Ταριχαιῶν ἄντικρυς ὑπὲρ τὴν λίμνην κειμένη, *Gamala vrbs contra Tarichæas ſupra lacum poſita.* Erat φύσει δύσμαχος πόλις, *natura vrbs inexpugnabilis,* impoſita monti, & præruptis circumdata vallibus, & qua pendebat ex monte, maxime vergens in meridiem, munitionibus manu factis tuta erat. Ex qua parte κρημνιζομένῃ ἐοικυῖα, *caſuræ ſimilis* adparebat: quæ ibidem Ioſephus notauit; qui cap. III ſeqq. difficilem eius & ipſi Veſpaſiano periculoſam expugnationem deſcripſit. Cuius vrbis & pugnæ etiam Suetonius meminit Tito cap. IV *Ex quæſturæ,* inquit, *honore legioni præpoſitus Tarichæam & Gamalam, vrbes validiſſimas Iudææ, in poteſtatem redegit.* Plenius ſitum

ſitum vrbis Hegeſippus lib. IV cap. I oſtendit. *Exſtinctis*, inquit, *Taricheis, maxima ex parte Romani Galilæis vrbibus & finibus potiebantur, niſi quod Gaulanitidis regionis vrbs Gamala contumacis populi alebat ſpiritus, locis nixa aſperioribus. Namque ea in monte eſt ſita, dextra læuaque præruptis circumciſa rupibus; ad ſummum artatur, a fronte abſcinditur profundo hiatu, in poſteriora aliquantum diffunditur. Ab ea quoque parte anguſtoque difficilique acceſſu, vt caudæ ſimile iter iudices, ad vrbem meantibus: a ſummo vertice collum in immenſum extendens, vt arcem tamquam caput præferat atque in ſublimen erigat altitudinem, exilis a principio, & tamquam ſinuato cliuoſis anfractibus ſolo, atque in profundum demerſo. Dein quaſi montem quemdam in ceruicis medio attollens, cetera prærupta atque inuia. Vnde plerique a ſuperioribus Camalam vocitatam putant, quod formam Cameli præferat; ſed corrupto incolarum vſu Gamalæ nomen vrbi inhæſiſſe.* Eadem de forma montis & inde orta origine nominis Ioſephus tradit lib. IV Belli cap. II, *ὡς εἰκάζεσθαι καμήλῳ τῷ σχῆμα, παρ' ἣν ὠνόμασται, τὸ τρανὸν τῆς κλήσεως οὐκ ἐξακριβούντων τῶν ἐπιχωρίων. vt* [mons] *cameli figuram referat: vnde nomen etiam duxit, quamquam indigenæ id accurate non exprimant.* Incolæ vocantur Γαμαλεὺς, Γαμαλεῖς, quos Latine dicas *Gamalenſes:* regio circumiecta Γαμαλατικὴ, *Gamalatica*, quæ Ioſephi lib. III de Bello cap. IV diſtinguitur a Gaulanitide vt inferior regio a ſuperiore.

CCLXIX.

Altera, quæ cognita vrbs eſt inferioris Gaulanitidis, fuit *Iulias* ſiue *Iulia* in honorem Iuliæ Auguſti filiæ, a Philippo tetrarcha ornata, quum antea vicus eſſet *Bethſaida.* Plinius lib. V cap. XV dicit *lacum Geneſaram amœnis circumſeptum eſſe oppidis: ab oriente Iuliade & Hippo.* Et Ioſephus lib. II de Bello cap. XIII *Condidit Philippus ad Iordanis fontes in Paneade Cæſaream, κἀν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰουλιάδα, & in inferiore Gaulanitide Iuliadem.* Idem lib. XVIII Antiquit. cap. III de eodem Philippo Paneadis conditore: *κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν πρὸς λίμνῃ τῇ Γεννησαρίτιδι, πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα πλήθει τε οἰκητόρων καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τῇ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλεσε, vicum vero Bethſaidam ad lacum Genneſaritin ſitum, vrbis augens ſpecie & incolarum frequentia ac opibus, ab Iulia, Cæſaris filia, nominari iuſſit Iuliadem.*

2. An vero hæc *Bethſaida* ſit illa apoſtolorum patria toties in euangeliis memorata, ex difficillimis quæſtionibus eſt, quæ in ſacra moueri geographia poſſunt. Contendit eamdem eſſe doctiſſimus Lightfoot tam in Matth. XIV, quam in Chorographia in Marcum. Nititur autem maxime Ioſephi, quam modo demonſtrauimus, auctoritate, qui in Gaulanitica ad orientale latus ſeu litus Galilæi lacus Bethſaidam poſuit, a Philippo mutatam in Iuliadem. Quod vero ei regioni Ioſephus bello vltimo, cum Romanis geſto, præfuit, non potuit veram poſitionem ignorare. Contra omnibus tabulis terræ ſanctæ, omniumque peregrinantium confeſſione ſeu opinione *Bethſaida* in Galilæa & in lacus litore occidentali eſt, vbi etiam neſcio quæ rudera monachi Palæſtinenſes peregrinis oſtendunt.

dunt. Huic ſententiæ ſi traiectus & nauigatio πέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare* Galilææ, Ioann. VI, 1, Marc. IX, 33, in ſolitudinem Bethſaidæ, Luc. IX, 10, ad miraculum quinque panium, obiicitur; reſpondent interpretes, non per mare, quam latum eſt, ſed per ſinum, inter Tiberiadem & Bethſaidam procurrentem, traiectum fuiſſe. Hi ipſi vrgent etiam, ſi totum lacum nauigauerint, non potuiſſe turbam πεζῇ, *pedibus* ſequi, minus προέρχεσθαι, *præuenire,* Marc. VI, 33. atque huius ſententiæ etiam Biddulphus, gentilis Lightfooti, peregrinator αὐτόπτης eſt: cui ipſe in Marcum Chorogr. ita reſpondet: *Caue, vir digniſſime, ne duces tui, qui loca iſta ſub illis nominibus oſtendunt, tibi imponant. Si ducem Ioſephum ſequi velis, docebit ille Antiquit. lib.* XVI *cap.* III, *Philippum oppidum Bethſaidam reſtauraſſe, eamque de nomine Iuliæ, filiæ Cæſaris, vocaſſe Iuliada: iſtamque Iuliada fuiſſe* ἐν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ [in inferiore Gaulanitica, lib. II de Bello cap. XIII.] *Nec valet argumentum: Aliter non potuerunt eum pedibus ſequi; Nam a Capernaumo & Tiberiade erat via tritiſſima & frequentatiſſima per pontem Chammathæ in regionem Gadarenam, atque ita ad Bethſaidam.* Quæ latius perſequitur Horis Talmudicis in Matthæi cap. XIV, 13.

3. Ex loco miraculi διαπεράσαντες, *traiicientes nauigando* venerunt εἰς τὴν γῆν Γεννησαρὲτ, *in regionem Genneſaret*, Matth. XIV, 34, Marc. VI, 53, & in Capernaum, Ioann. VI, 24, 25. Iuuant hæc omnia ſententiam Lightfootianam, eique adprime conciliari poſſunt: nec vero ſublata eſt omnis dubitatio. Dicitur enim Ioann. XII, 21 Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, *Bethſaida Galilææ:* at Ioſephi Iulias Bethſaida fuit trans lacum in Gaulanitide. Deinde, ſic iter pedeſtre populi per pontem Chammathæ nimis longum fuiſſet, vt non potuerit turba προελθεῖν, *præuenire* nauigantes. Adhæc mireris, quum Tiberias nouo & Romano nomine adpelletur, cur Bethſaida nusquam in Euangeliis dicatur *Iulias*, quod vero nomen ſuperſtite Auguſto acceperat.

4. Sed his quoque videor mihi audire, quæ Lightfootus, qui hæc præteriit argumenta, fuiſſet fortaſſis reſponſurus. nam in Chorographia Lucæ cap. V etiam Peræam *Galilææ* nomen habuiſſe contendit, quamquam non ſatis certis rationibus, e quibus validior ceteris videtur, quod *Iudas* ille *Galilæus* Actor. V, 37, ab Ioſepho lib. XVIII cap. I, dicatur Γαυλανίτης ἀνὴρ ἐκ πόλεως ὄνομα Γαμάλα, *Gaulanites homo, Gamala ortus ciuitate:* niſi forte patria fuit Gamalenſis; habitatione autem aut conuerſatione Galilæus. Deinde diceret forſan, incertum eſſe, an Tiberias aliquod oppidum ante Herodem fuerit, aut ſi olim fuiſſet, an loco nomen conſeruatum fuerit: in iis autem oppidis, quæ ſplendidius ornata ſint ac dedicata, vetus plerumque nomen Iudæis in vſu manſiſſe, quod ex Scythopoli, Diospoli, & Diocæſarea, vrbibus ſupra explicatis, obſeruare liceat. De itinere ſupra ipſe expoſuit.

5. Quamquam vero hæc ſpecioſa dictu ſint, ac argumentis nitantur non contemnendis, etiam in tabula noſtra exprimamus; tamen non dif-

fitemur, trepide nos ita cenſere, nec perſuaderi adhuc nobis potuiſſe, in Peræa etiam Galilæam eſſe. * Itaque formulis illis, *Bethſaida* τῆς Γαλιλαίας, Ioann. XII, 21, πεζῇ & προῆλθον Marc. VI, 33, ** item Apoſtolos, Bethſaida ortos, *Galilæos* fuiſſe, neſcio an ſatisfactum ab vllo fuerit: contra mouent etiam illæ, πέραν τῆς θαλάσσης, Ioann. VI, 1; & in reditu, διαπεράσαντες, Matth. XII, 34, *** Marc. VI, 53. † Adeo incerta hæc ſunt circa mare Galilææ ſiue lacum Geneſaret. Videant peregrinantes, quæ figura eius lacus ſit, & an tantos ſinus habeat, vt verba πέραν θαλάσσης & διαπεράσαι de illis vſurpare liceat: quamuis & ipſe Lightfootus eius generis ſinum inter Bethſaidam & ſolitudinem, ab illa denominatam, poſuerit. Dubios autem reddit ignota marium lacuumque figura & terminatio, quam nemo adhuc, in oriente præſertim, accurate ſatis delineauit.

CCLXX.

Hæc certiora Gaulanitidis: cetera eius definiri non poſſunt, nec limes auſtralis determinari. Crederem lacui propinqua & vicina Bethſaidæ fuiſſe eiusdem regionis, niſi Hippon Ioſephus & Gadara diſtinguat a Gaulanitide. Libro II enim de Bello cap. XXXIII ἔπειτα, inquit, Γαδάροις, καὶ Ἵππῳ, καὶ τῇ Γαυλανίτιδι προσπεσόντες, *deinde irruebant in Gadara & Hippon, & in Gaulanitin.* Gadara autem & Hippos ſunt omnino Decapoleos, & in illa etiam a nobis deſcribentur. Circumiecta alia in Galaaditide exponemus: quamuis neutrobi certos limites per paucitatem litterarum huius argumenti inuenire nobis liceat.

GALAADITIS.

CCLXXI.

Galaaditis ſiue Gileaditis, regio eſt trans Iordanem, quæ a monte *Gilead* ſeu *Galaad* nomen habet; mons autem ab aggere lapidum, quem Iacob & Laban in illo conſtruxerant teſtandi fœderis cauſſa, quod ibi inter ſe percuſſerant. Vide hiſtoriam Geneſ. XXXI. Ab vno monte omnis ille tractus montanus, qui inter Iordanem & Arabiam medius eſt, *Galaad* adpellatur, & aliquando etiam tota regio, quæ trans Iordanem eſt, tam campeſtris quam montana. Hieronymus in Ezech. XLVII, 18 *Galaad*

* Quare duas *Bethſaidas* ſtatuit Relandus, vnam cis lacum, altera trans illum in Peræa. Atque Bethſaidam Galilææ ſimpliciter *Bethſaidam* dici putat, quia Bethſaida Perææ iam *Iulias* dici vulgo cœpiſſet. Sed Marci VI, 53 ita intelligi poſſe, vt Bethſaida Perææ ſignificetur, infra oſtendam.

** Hic locus non conducit ad cauſam quidquam. Nam quum Ieſus & diſcipuli clanculum diſcedere cœpiſſent: tamen agnoſcebantur, & antequam in loca deſerta perueniſſent, ex locis, quæ trans lacum tranſibat Ieſus cum diſcipulis, pedibus concurrebatur vndique ad eum, immo anteuertebatur eius iter a quibusdam locum commorationis ſuſpicatis.

*** XIV, 34 ſcribi debuerat. Erratum eſt ab operis. Sed ad controuerſiam tollendam & dubium eximenduw non valet verbum διαπερᾶν.

† Ne hic locus officiat Lightfooto, in cauſa eſt verſ. 45, qui ita poteſt interpungi: Καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν, πρὸς Βηθσαϊδάν. *Ac ſtatim diſcipulos nauem conſcendere & ſe in vlteriora præcedere, iuſſit apud Bethſaidam.*

Galaad eſt mons Libani collibus copulatus, cecidit in ſortem Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manaſſe; & eſt a tergo Phœnices & Arabiæ: ad quem montem peruenit de Carris profectus Iacob, & comprehenſus eſt a Laban. Vides a Libano per Manaſſe & Gad ad Ruben, accolam Moabitarum, montem Galaad de duci, & nihilominus ſingularem montem, quo Laban congreſſus cum Iacobo eſt, eodem nomine adpellari. In tribu Ruben rara quidem mentio huius montis, tamen non nulla: frequentior autem in Gad & dimidia Manaſſe. Deuteron. III, 12, 13 *Terram poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, vsque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & Gad. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui Manaſſe.* Et Ioſuæ XII, 2 & 5 montis Galaad pars media in regno Sihonis, pars altera in regno Ogi Batanæi fuiſſe dicitur. Ioſephus autem lib. IV Antiquit. cap. V Ὤγης ὁ τῆς Γαλαδινῆς καὶ Γαυλανίτιδος βασιλεὺς, *Oges rex Galadenæ & Gaulanitidis* dicens, arctius fines Galadenæ conſtringit & in regno quidem Og ponit, diuerſam autem a Gaulanitide facit: quo viam nobis parauit, qua veniamus in *Galaaditin Propriam*, toties in ſacris ſcripturis, etiam hiſtoriis aliis memoratam.

CCLXXII.

Hanc ergo, quæ proprie *Galaad* vel *Gilead* vocatur, regionem nunc ingredimur, & quantum ex obſcura antiquitate interpretari licet, explicamus. Nomen Ebræo codice eſt *Gilead;* quod Septuaginta & Vulgatus reddiderunt Γαλαάδ, *Galaad.* Ioſephus gemina forma regionem hanc ſignificat, *Galaaditis* & *Galadena.* Lib. XII Antiquit. cap. XI εἰς τὴν Γαλααδῖτιν, *in Galaaditin:* atque ita etiam LXX Græci 1 Samuel. XXXI, 11, 2 Sam. II, 4 Iabes vrbem τῆς Γαλααδίτιδος dixerunt: auctor libri 1 Maccab. cap. V, 17 πορευσόμεθα εἰς τὴν Γαλααδῖτιν, *ibimus in Galaaditin:* quæ forma etiam contractior in libris Ioſephi eſt Γαλαδῖτις, *Galaditis*, Antiquit. V cap. II, & lib. VI extremo. Et aliter, ἐν Γαλαδικῇ, *in Galadica* regione lib. VIII cap. IX. Et iterum aliter lib. IV Antiquit. cap. V verbis modo adlatis ὁ τῆς Γαλαδινῆς καὶ Γαλανίτιδος βασιλεὺς, *rex Galadinæ* (ſcribe *Galadenæ*, Γαλαδηνῆς, vt mox in gentili) *& Gaulanitidis;* a qua forma gentile eſt Γαλαδηνὸς, *Galadenus.* Eodem enim libro, cap. VII regionem ita deſcripſit, ἡ Γαλαδηνῶν γῆ, *terra Galadenorum.* Polybius lib. V cap. LXXI contracta forma εἰς τὴν Γαλάτιν, *in Galatin* ſeu *Galatidem;* quod videtur pro Γαλαδῖτιν, *Galaditin* eſſe. Agit enim de Pella & Gadaris, vt aliam Galatin non poſſit notare, quam noſtram Galaaditin propriam, quæ circa Iabocum flumen & a tergo habet Ammonitidem.

CCLXXIII.

Caput huius regionis fuit *Ramoth* cum cognomento in *Galaad* ſiue *Gilead.* Græci variant, Deuteron. IV, 43 & Ioſuæ XX, 8 ἡ Ραμώθ ἐν Γαλαάδ: ſed 1 Reg. XX, 3, 4, 15 Ρεμμὰθ Γαλαάδ, *Remmath Galaad.* Magis Ioſephus diſcrepat, aut potius corruptus eſt, lib. IV Antiquit. cap. VII ſub-

ſtituens Αρίμανον, *Arimanum*, vocabulum ſine dubio deprauatum: & lib. VIII cap. IX Αράμαθα, *Aramatha.* Vrbs refugii fuit in tribu Gad, vt dictis locis Deuteronomii & Ioſuæ traditum eſt. Occupata poſtea ab Syris, quibus Ahab rex Iſraelis cum Ioſaphato Iudæ rege fruſtra ereptum profectus eſt; etiam vitam in bello iſto amiſit. Hieronymus in Locis: *Rammoth in tribu Gad ciuitas ſacerdotalis & fugitiuorum in terra Galaaditide. Nunc autem eſt vicus in quinto decimo milliario Philadelphiæ contra occidentem.* ſic legendum, non *orientem*, quod editum eſt; quia πρὸς δυσμὰς Euſebius præſcripſerat: & res ipſa docet. Ramoth enim in terra Iſraelis fuit: Philadelphia, quæ Rabbath eſt, in Ammonitide. Deinde addit Hieronymus cum Euſebio: *Rammoth Galaad villa trans Iordanem iuxta fluuium Iaboch:* quaſi alia ſit a ſuperiore, quæ tamen vna eſt eademque, licet Euſebius ſuperiorem Ραμὼθ, hanc Ρεμμὼθ vocet, cui Græci interpretes impoſuerunt, qui in Deuteronomio & Ioſua Ραμὼθ; in ceteris libris tam Ρεμμαθ, *Remmath*, vt 1 Reg. XXII ſæpe, quam Ραμὼθ, *Ramoth*, 2 Reg. IX, 1, 4, 14. vtrobique cum regionis cognomine *in Galaad.*

CCLXXIV.

Altera vrbs, quæ cum cognomento Galaad frequenter vocitatur, eſt *Iabes:* Græcis Ιαβεὶς γαλαὰδ, *Iabes Galaad*, vt Vulgatus etiam ſcripſit Iudic. XXI, 8, 10, 12. aut Ιαβεὶς τῆς γαλααδίτιδος, *Iabes Galaaditidis*, 1 Samuel. XXXI, 11, & 2 Samuel. II, 4. Fatum ciuitatis in cauſſa Beniaminitica deſcriptum eſt dicto Iudicum libro extremo. Ab Ammonitis obſeſſam liberauit Saul, 1 Samuel. XI, cuius beneficii memores & regis & filii cadavera, a Philiſtæis ignominioſe ſuſpenſa, ad ſepulturam rapuerunt, 1 Sam. extremo. Ioſephus lib. V Antiquit. cap. II Ἰάβισον τῆς γαλαδίτιδος, *Iabiſum Galaditidis* vocat: ſed libro VI extremo τοὺς ἐν Ἰαβίσσᾳ πόλει τῆς γαλαδίτιδος, *qui in Iabiſſa Galaditidis vrbe habitant.* Hieronymus ex Euſebio: *Iabis Galaad: & hanc oppugnauerunt filii Iſrael. Nunc autem eſt vicus trans Iordanem in ſexto milliario ciuitatis Pellæ ſuper montem euntibus Geraſum.* Quod dicit *ſuper montem*, ad ſitum Iabis referendum eſt, quia Euſebius, ἐπὶ τοῦ ὄρους κειμένη, puta κώμη, *vicus in monte ſitus.* Tertia vocali autem *Iabis* ſcripſit Hieronymus, Ιαβεὶς Euſebius ſicut Septuaginta: at Vulgatus Latinus ſemper *Iabes* cum Ebræo. *

CCLXXV.

Et patria Eliæ prophetæ fuit in regione Galaad, isque 1 Reg. XVII ineunte dicitur התשבי מתושבי גלעד *Thisbita ex habitatoribus Gilead:* vbi Græci interpretes, ὁ ἐκ Θεσβῶν τῆς γαλαὰδ, *qui ex Thesbon regionis Galaad* Et Ioſephus lib. VIII cap. VII de eodem: ἐκ πόλεως Θεσβώνης τῆς γαλααδίτιδος χώρας, *ex vrbe Thesbona regionis Galaaditidis.* Targum dicto loco 1 Reg. XVII, דמתושב מתותבי גלעד *qui ex Thoſab, ex habitatoribus Gilead.* Atque ita etiam Kimchi in hunc locum, מעיר שמה תושב *ex vrbe, cuius nomen eſt Thoſab.* At ſecundum Locorum ſcriptores, Euſebium & Hieronymum, vocabulum vrbis eſt Θεσβὰ, *Thesba*, quod propius Ebræo תשבי *Thisbita.* nam ſic

* Iabes caput Galaaditidis vocat Ioſephus Antiq. V, 5, 1.

ſic Hieronymus: *Theſba, vnde ortus eſt Elias propheta Theſbites.* * Plura non addit, vt de ſitu nihil certi habeamus, neque de tribu huius prophetæ, fueritne ex Gad, an ex dimidia Manaſſe. Adrichomius in Gad poſuit ſolum patrium; Bonfrerius in Manaſſe. Vocabulum videtur mutatum eſſe cum tempore.

CCLXXVI.

Priori Maccabæorum libro cap. v, 26 & 36 plura nominantur Galaaditis oppida, ſed pleraque ignota, *Casbon*, quod ſemel χασκὼρ, iterum χασφὼν Græce ſcriptum eſt: & *Boſor*, alia ab vrbe Rubenitica, quæ antea expugnata fuerat, commate 28; at comm. 36 dicitur altera *Boſor* cum aliis capta oppidis: *Mageth*, Græce Μακὲδ, vtroque verſu 26 & 36. Sed de his nihil habemus præter nomina. *Carnaim* autem v. 26 eſt Aſtheroth Carnaim in Baſan, de qua ſupra diximus. nam per Manaſſe & Baſan quoque montes Gilead procurrunt. Eodem capite, verſu 13 memorantur loca *Tubin*, ἐν τοῖς Τȣβὶν, itidem in Galaad, quæ eruditis viris videntur eſſe terra *Tob*, quam Iephte, pulſus a ſuis, incoluit, Iudic. xi, 3, 5, quæ ſi non pars Galaaditidis fuit, a qua ibidem diſcerni videtur; tamen ad fines illius & in proximo fuit, quod contextus ille demonſtrat.

CCLXXVII.

Polybius etiam vrbem Ἄβιλα in Galaaditide numerat cum aliis. Lib. v cap. LXXI καταχὼν εἰς Γαλάτιν, κύριος γίνεται Ἀβίλων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸ παραβεβοηθηκότων, *in Galaditin veniens, Abila in poteſtatem redegit, & qui in auxilium illorum erant.* Haud dubie eſt *Abel vinearum*, Iudic. xi, 33, in finibus Ammonitarum, quibus Euſebius & Hieronymus tribuunt. *Abel Vinearum*, inquit hic, *vbi dimicauit Iephte in terra filiorum Ammon. nam & vsque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur vinetis conſita. Alia quoque eſt ciuitas, nomine Abela, vini fertilis in duodecimo a Gaderis milliario contra orientalem plagam.* Græcorum interpretum libri variant: quorundam eſt Ἄβελ ἀμπελώνων: alii Ebræorum nomen (אבל כרמים) Ἔβελ χαρμὶν, retinent.

CCLXXVIII.

Eodem bello Ammonitico dicitur Iephte, vt ad arma conuocaret, pertranſiiſſe Galaad, & Manaſſe, ac את מצפה גלעד *Mizpeh Gilead*, Vulgatus, *Maſpha quoque Galaad*, Iudic. xi, 29. Ionathan transtulit ית מצפיא דגלעד quaſi adpellatiuum eſſet; quemadmodum Græci verterunt τὴν σκοπιὰν Γαλαὰδ, *ſpeculam Galaad:* quæ videtur altiſſima pars Galaaditidis fuiſſe, qua montanus hic tractus Hermoni vel Libano coniungitur. Quæ portio etiam Ioſuæ xi, 3 *terra Mizpah ſub Hermone monte* adpellatur: ſeu vt Vulgatus vertit, *ad radices Hermon in terra Maſpha.*

* Hæc *Thiſbe* Eliæ patria a Relando putatur eſſe *Thiſbe* vrbs in regione tribus Nephthalim, vnde Tobias quoque ortus ſit, & cui Cadeſch Nephthalim ab auſtro iaceret. Nam Theſbon illa Galaaditidos omnino ignota eſt, & Elias in tribu Nephthalim natus in Galaaditide adoleſcens verſari potuit, vt recte iccirco *ex incolis Galaaditidos* ſeu תושבי גלעד (fuiſſe dicatur.

DECAPOLIS.

CCLXXIX.

Decapolitanus tractus totus fere dimidiæ tribus Manaſſe trans Iordanem fuit, ſola Scythopoli excepta, quæ cis amnem fuit, agrum tamen habens etiam trans eumdem. Hanc regionem Borcardus & Adrichomivs in Galilæa cenſent, in tribu Naphthali; forte verbis Marci VII,31 inducti, *egreſſum Ieſum* ἐκ τῶν ὁρίων Τύρȣ καὶ Σιδῶνος, *ex finibus Tyri & Sidonis, veniſſe ad mare Galilææ,* ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως, *per medios fines Decapoleos.* Hic putant non alia ad mare illud a Tyro & Sidone tranſiri niſi per Galilæam. At non attendunt hi auctores, quousque τὰ ὅρια, *fines* territorii illarum ciuitatum prolata fuerint. Non a portis Tyri egreſſus eſt Seruator, ἐκ ὁρίων, *ex finibus,* qui ad Paneadem ferme in ortum, & longe iuxta mare in meridiem extendebantur. A finibus ergo, qui ortum ſpectabant, egreſſus per transfluminalem regionem, Trachonitidis oram ac per Batanæam ad mare venit Galilææ. Diuiſa enim Decapolis a Galilæa fuit, quod ex Matth. IV extremo non obſcure intelligitur; ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας καὶ Δεκαπόλεως, id eſt ex vtraque regione, tam illa, quæ trans Iordanem eſt, quam quæ citra eumdem. Deinde vrbes etiam, de quibus certo conſtat in Decapoli illa fuiſſe, omnes, præter Scythopolim, trans Iordanem poſitæ fuerunt. Quod de ſingulis demonſtrabimus.

CCLXXX.

Decapolis, vt nomen fert, decem vrbes complexa eſt, ſed præcipuas, non excluſis, quæ interiacebant, oppidulis: quemadmodum Pentapolis non vnius regionis a quinque primariis ciuitatibus dicta fuit. Nulla eius mentio ſub primo templo, quo tempore Iſraeliticæ omnes illæ ciuitates fuerunt. A Babylonia autem captiuitate ab ethnicis ſunt occupatæ, nec reduci ad Iudæorum ritus ab Hasmonæis potuerunt. Herodes autem, & Philippus & Agrippa profanas cærimonias tolerarunt. Quod ergo in terra Iſraelis ſitæ erant, ab ethnicis autem habitatæ poſt Babyloniam captivitatem; videntur inde, tamquam ritibus ab Iudaicis ciuitatibus ſeparatæ, nomen *Decapoleos* ſortitæ. Interiecta erant oppida & vici Iudaicæ religionis, quibus a Chriſto & apoſtolis eſt ſalus adnunciata, quum ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως, *per medios fines Decapoleos* iter fecerunt.

CCLXXXI.

Plinius lib. V cap. XVIII de Decapoli ita ſcripſit: *Et hactenus Iudæa eſt. Iungitur ei latere Syriæ Decapolitana regio, a numero oppidorum, in quo non omnes eadem obſeruant. Plurimi tamen Damaſcum ex epoto riguis amne Chryſorrhoa fertilem: Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia. Scythopolin (antea Nyſam a Libero patre, ſepulta nutrice ibi) Scythis deductis. Gadara, Hieromiace præfluente, & iam dictum Hippon: Dion, Pellam, aquis diuitem: Galaſam, Canatham. Intercurſant cinguntque has vrbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur.* Recte obſeruauit, non omnes eadem in hoc numero oppidorum tenere: quo ipſo

ipſo & nobis diſſentiendi licentiam conceſſit. Diſplicet Damaſcum huc, Raphanam & Philadelphiam referri, quæ extra ſortem terræ Iſraelis erant: in quo & Lightfootum nobis conſentientem habemus. In ceteris cum Plinio facile conuenimus. De *Scythopoli* ſupra cis Iordanem, vbi ſita eſt, diximus, de qua Ioſephus lib. III de Bello cap. XXXI tradit, eſſe *μεγίστην τῆς Δεκαπόλεως, maximam inter Decapolitanas.* Et ex hac, quæ ethnici iuris fuit, quod paſſim teſtantur Talmudiſtæ, iudicare licet etiam de ceteris. Fuit in Iſraelis terra & ab Iſraelitis ſub nomine *Bethſan* ante captiuitatem poſſeſſa: poſt illam recuperari, ac ethnicis, qui occupauerant, eripi non potuit. Quod fatentur Iudæi in Talmud. Hieroſolym. in *Demai* cap. I hal. 3 interprete Lightfooto: *Iſta loca erant paria Bethſeani, quam ſubiugarunt Iſraelitæ adſcendentes ex Aegypto: at non ſubiugarunt adſcendentes e Babylone.*

CCLXXXII.

Vrbs *Gadara* eiusdem fuit rationis, ſita *ἀντιπέραν τῆς Γαλιλαίας, ex oppoſito Galilææ*, id eſt trans Iordanem. Ioſephus lib. IV Belli cap. XXV *ἐλθόντων ἐπὶ τὰ Γάδαρα μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτερὰν, quum veniſſent Gadara, metropolim Perææ validam.* * De munimentis etiam Polybius teſtatur lib. V cap. LXXI *καταλειπομένων δ᾽ ἔτι τῶν Γαδάρων, ἃ δοκεῖ τῶν κατ᾽ ἐκείνους τοὺς τόπους ὀχυρότητι διαφέρειν, Reſtabant adhuc Gadara, locus præ ceteris illius tractus eximie munitus.* Stephanus gemina tradit Gadara, vnam Cœleſyriæ, alteram Palæſtinæ vrbem. Clariſſimus Berkelius priorem interpretatur Gazara circa Ioppen; alteram dat Perææ trans Iordanem. Niſi vna vtrobique intelligenda & quidem noſtra; ** malim inuerti interpretationem, & noſtram Cœleſyriæ vindicari, cui & Ptolemæus tribuit, qui *Γάδωρα, Gadora* praue ſcripſit; & ipſe Ioſephus in Vita pag. 1030 *οἱ πρῶτοι τῶν τῆς Συρίας δέκα πόλεων, primates Syriæ decem vrbium:* quia illa regio Syro-Macedonibus, quoad illorum regnum ſtetit, ſubiecta fuit, & in Cœleſyria, quidquid ſub Libano & Hermone erat, cenſebatur. *⁎* Altera, quam Palæſtinæ adnumerat, vtrum Gazar ſiue Gazara ſit, quippe quæ Straboni quoque *Γαδαρὶς, Gadaris* eſt, in illo loco diſputauimus, quæ æque Palæſtinæ dici poteſt, vt *Cæſaream Palæſtinæ* dicimus. Fuiſſe autem *Gadara* in Deca-

* Quare vnum ibi fuit e V ſynedriis terræ Iſraeliticæ. Ioſeph. Antiquit. XIV c. 10 extrem. ſeu edit. Hauerc. cap. 5 ſ. 4. Erat Gadara vrbs græca *ἑλληνίς*. Ioſeph. Antiquit. XVII, 11, 4 edit. Hauerc. Relandus opinatur, hæc *Gadara* eſſe, quæ Stephanus ante *Gaddam* memoret: immo etiam *Antiochiam* & *Seleuciam* vocata eſſe, ex eodem ſuſpicatur. Sed primum Stephani locus ille miſere laceratus eſt. Fortaſſis enim ſcripſerat, Cœles Syriæ partem *Seleucin* & *Antiochenen* adpellatam eſſe. Deinde *Gadara* in Stephani *Antiochiis* quinta illa eſſe non poſſunt. nam illam Antiochiam *μεταξὺ Κοίλης Συρίας καὶ Ἀραβίας* ſitam ait. *Gadara* autem in ipſa Arabia ſita ſunt. Denique Stephanus de *Gadara* loquitur Menippi patria. At ea Palæſtinæ maritimæ vrbs fuit; non Perææ, in qua *Gadara* iacebant hæc, de quibus nunc quærimus. De reliquo *Gadara* hæc in monte erant poſita, vt Euſebius confirmat.

** Duas vrbes fuiſſe, Caſaubonus vincit loco ſupra ad § C huius capitis adſcripto, & conſideratio Ioſephi Antiq. V, 1, 22, XII, 7, 4.

⁎ Relandus e Ioſephi Antiq. I, 11 Ammonitarum & Moabitarum regionem Cœles Syriæ nomine comprehendi ait. Quod idem colligi poſſe videtur ex Antiquit. XIII, 13, 3, vbi is, qui exercitum in Cœlen Syriam duxerat, *Gadara* oppugnaſſe dicitur.

Decapoli, ex iam producto Ioſephi loco conſtat, vbi primarii τῶν δέκα πόλεων Iuſtum Tiberienſem accuſant propter incenſos vicos, qui vero Hippenorum & Gadarenorum præcipue fuerunt, vti ex pag. 1001 eiusdem Vitæ clarum eſt.

2. Euerſam vrbem ab Iudæis Pompeius in gratiam liberti ſui Demetrii Gadarenſis, teſte Ioſepho lib. I Belli cap. V, inſtaurauit. Memores beneficii Gadarenſes nummos cuderunt, vt ſuperſunt cum Elagabali & Gordiani imaginibus, in poſtica ſcriptos ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ, id eſt *Pompeianorum Gadarenſium.* * Aliis nummis Neronis, Marci & Lucii Antoninorum ſolum ΓΑΔΑΡΕΩΝ. Poſt mortem Herodis Auguſtus Gadaram Syriæ prouinciæ contribuit, quod idem Ioſephus tradit lib. II cap. IX.

3. Diſtat vrbs Gadara a Tiberiade ſexaginta ſtadiis: ab Hippo, triginta, Ioſepho auctore in Vita ſua pag. 1025, vnde de vero ſitu iudicari poteſt.

4. Vocabulum ipſum vtriusque numeri eſt, plerumque plurale, ** vt vidimus, etiam Latine Plinio: tamen etiam ſingulari iam dicto lib. II Ioſephi cap. IX de Pompeio: ἀνακτίζει καὶ Γάδαραν ὑπὸ Ιȣδαίων κατεστραμμένην, *inſtaurauit & Gadaram ab Iudæis euerſam.*

5. Gentile varium, Γαδαρεὺς, Γαδαρίτης, Γαδαρηνὸς, *Gadarenſis, Gadarita & Gadarenus.* Ioſephus lib. III de Bello cap. IX τῇ πόλει Γαδαρέων ἐπελθὼν, *vrbi Gadarenſium ſuperueniens Pompeius,* ſed hæc propter itineris rationem de Gadara ad Ioppen potius, quæ Gazer eſt, quam de noſtra interpretanda ſunt, de qua paullo ante dictum eſt ex Stephano. Nec vero propterea noſter numerus trium formarum gentilis nominis vacillat, ſed, præter nummos iam monſtratos, de eodem Pompeii liberto, quem ſupra vidimus Γαδαρίτην, *Gadaritam* cognominari a patria, idem Ioſephus lib. XIV cap. VIII Δημητρίῳ χαριζόμενος τῷ Γαδαρεῖ. *Demetrio gratificans Gadarenſi.* *** Deinde lib. I Belli cap. V itidem de liberto illo, Γαδαρίτῃ τινὶ χαριζόμενος, *Gadaritæ cuidam gratificans.* Et in Vita pag. 1001 Γαδαρηνῶν κῶμαι, *Gadarenorum vici:* quæ forma & in ſacris libris eſt, Marci V, 1, Lucæ VIII, 26, 37.

6. De fluuio adluente nominatim Plinius dicto loco: † *Gadara Hieromiace præfluente.* Nusquam alibi eius mentio. Lightfooto videtur

Iarmoch

* Ipſum hoc nomen *Pompeianorum* diſcriminis declarandi cauſſa videtur additum fuiſſe. Sane triremis, quæ in quibusdam nummis Gadarenorum adparet, potiore iure Gadarenis maritimis, quam Decapolitanis vindicari poſſe videtur. Nam, vt Ammianus lib. XIV diſerte teſtatur, nullum in his terris flumen nauigabile eſt. Et res aliunde quoque conſtat.

**. Epigramm. Græc. lib. III cap. εἰς ἀνωνυμ. ποιητ. pag. 380

Ὅν Θεόπαις ἥνδρωσε τύρος, Γαδάρων θ' ἱερηχθών.
Κῶς δ' ἐρατὴ μερόπων πρέσβυν ἐγηροτρόφει.
Αλλ' ἢ μὲν σύρος εσσὶ σαλάμ' εἰδ' ὖν σύγε Φοῖνιξ
Ναίδιος κ. τ. λ.

*** Gadara etiam alios ciues claros habuit. Oenomaus philoſophus Cynicus, Apſines & Theodorus Sophiſta magiſter Tiberii Cæſaris, fuere Gadareni. Vide Reland. pag. 775.

† Id eſt, lib. V cap. 18.

Iarmoch Talmudiſtarum eſſe. * Tabulæ, quæ illum exhibent, in lacum Geneſaret deducunt.

7. Aquæ calidæ Gadaræ eidem laudato viro ſunt ipſæ Tiberienſes: Hieronymo autem videntur diuerſæ eſſe. *Gadara*, inquit, *vrbs trans Iordanem contra Scythopolim & Tiberiadem ad orientalem plagam ſita in monte, ad cuius radices aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis.* Et in *Aemath* idem: *Eſt & alia villa in vicinia Gadaræ nomine Amatha, vbi calidæ aquæ erumpunt.* **

CCLXXXIII.

Hippos plerumque cum Gadaris coniungitur apud Ioſephum, quia proximum oppidum, triginta ſtadiis ab iis remotum, vt mox ex Ioſephi Vita probabimus. Græce Ἵππος, Ptolemæo in Cœle-Syria, in qua omnes Decapolitanas cenſet. Plinius dicto loco, *iam dictum Hippon*, quaſi neutro genere. Situm oſtendit Ioſephus in Vita pag. 1025, vbi de Tiberiade dicit, ἀπέχουσα Ἵππου μὲν στάδια τριάκοντα, Γαδάρων δὲ ἑξήκοντα, *diſtare ab Hippo triginta ſtadiis; ſexaginta vero a Gadaris.* Prope ergo ripam Iordanis, lacu egredientis, oportet fuiſſe. In Decapoli fuiſſe, eodem argumento, quo ſupra in Gadaris vſi ſumus, demonſtratur. Iuſtus Tiberienſis Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας, *Gadarenorum & Hippenorum vicos* exuſſerat, Ioſeph. Vita pag. 1001, quam ob cauſſam πρῶτοι τῶν δέκα πόλεων, *primates Decapolitani* apud Pompeium accuſant, ibidem pag. 1030. Ex eo etiam manifeſtum eſt, quia repleta erat gentilibus, quibus admixti Iudæi fuerunt, vt in aliis quoque Decapolitanis. Nam Talmud Hieroſol. Roſch Haſchanah fol. 54, 4. *Si prodeant ambo teſtes e ciuitate, cuius maior pars conſtat e gentilibus, ſicut Suſitha*, cetera. *Suſitha*, סוסיתא, Ebræum vrbis nomen eſt, quia סוס ἵππος, *equus* eſt. Vid. Lightfoot. Chorogr. Matth. cap. LXXVII. Ad ſitum etiam pertinet, quod nauigio ex Galilæa petebatur. Ioſephus Vita p. 1010 μεταπεμψάμενός τε πλοῖον, καὶ σὺν αὐτοῖς ἐμβὰς ἐπὶ τὴν μεθόριον τῶν Ἱππηνῶν διεπέρασα, *accitum nauigium inſcendens cum eis, traieci in Hippenorum confinia.* In ſancto codice nulla eius facta eſt mentio: Stephanus autem chorographus: Ἵππος, ἔστι καὶ Παλαιστίνης, *Hippus eſt etiam Palæſtinæ oppidum.*

CCLXXXIV.

Dium ſequitur apud Plinium, ſiue *Dion* Græca forma; qua & Ptolemæo Δῖον eſt in Caua Syria inter Pellam & Gadara. Chorographus cum Pella confundit, & Pellam putat Dion eſſe. Septima enim huius nominis eſt ipſi Δῖον κοίλης Συρίας, κτίσμα Ἀλεξάνδρου, ἡ καὶ Πέλλα, *Dium Cauæ Syriæ,*

* Ipſa nominis ſimilitudo id perſuadet. Nam יאר quæ altera compoſiti vocabuli pars videtur eſſe, in ἱερο facile commutari potuiſſe videtur ab hominibus Græcæ, quam externarum linguarum peritioribus. Videmus nos quidem, vel *Hieroſolymis* id contigiſſe.

** Si Antonini itinerarium de his Gadarenorum aquis calidis loquitur, vt Relandus putat: a Tiberienſibus diuerſæ ſint oportet. Nam Tiberienſes citra Iordanem ſunt, Gadarenæ trans Iordanem. Succurrit Eunapius Sardianus in vita Iamblichi. Adde Relandum libro I cap. 46 pag. 302.

riæ, opus Alexandri, quæ & Pella dicitur. * Sed fallit Stephanus, aut qui excerpſit illum. nam omnes alii diſtinguunt, & pro diuerſis oppidis habent. Plinius dicto loco: *Hippon, Dion, Pellam.* Ptolemæus, Πέλλα. Δῖον, Γάδωρα, ſingula ſuis numeris inuicem diſtincta: & Ioſephus lib. XIV cap. VIII Πέλλαν καὶ Δῖον, *Pellam & Dium* habitatoribus ſuis Pompeius reſtituit. Adde lib. XIII cap. XXIII, vbi etiam ſunt diſtinctæ vrbes. Ptolemæus vicinum Gadaris ſtatuit, vtrique eamdem adſignans latitudinem. Sed turbati nimis ſunt Ptolemæi numeri in Palæſtina & Cœleſyria, vt nihil inde certi definiri poſſit; nec aliunde huius loci conſtat poſitio.

CCLXXXV.

Huic *Pellam* Plinius facit proximam, *aquis diuitem*, quibus æque, vt nomine, Macedoniæ Pellam, Alexandri patriam, æmulabatur: condita, vel exornata, Macedonibus Syriæ dominis, cuius gentis etiam habitatores eius erant. Alexander enim Iannæus, quum cœpiſſet vrbem, ταύτην κατέσκαψαν, οὐχ ὑποσχομένων τῶν ἐνοικούντων εἰς τὰ πάτρια τῶν Ιουδαίων ἔθη μεταβαλέσθαι, *eam diruit, quod incolæ recuſarent Iudæorum ritus recipere*, quod Ioſephus refert lib. XIII cap. XXIII. Si Stephano credimus, vetus eius nomen Βοῦτις, *Butis* fuit. Polybius lib. V cap. LXX de Antiocho: καὶ προάγων παρέλαβε Πέλλαν καὶ Καμοῦν καὶ Γεφροῦν, *& progreſſus* [ab Itabyrio trans Iordanem, Arabiam verſus] *Pellam, Camûn & Gephrûn in via cepit.* Hieronymus cum Euſebio in *Aſiroth* & *Iabis Galaad* aliquid de ſitu tradunt, eſſe *Iabis prægrandem villam a ciuitate Pella ſex millibus diſtantem pergentibus Geraſam:* ſed neutro loco addunt, in quam plagam, orientem an ſeptemtrionem: quo fit vt dubia poſitio maneat, præſertim quod nec certiſſima ipſius eſt Geraſæ, de qua proxime dicturi ſumus. Si fides Ptolemaicis numeris eſſet, confici res facile poſſet. Sed nimis hic diſcrepant Latini a Græcis, etiam ſaniores illis videntur, vtpote Agathodæmonis Tabula adprobati. His ergo ſi ſtare licet, Geraſa a Pella XXXV millibus in ortum recedit, quinque autem ab eadem in ſeptemtrionem inclinat. Hæc eſt illa ciuitas, in quam ex Iudæa Chriſtiani, quum excidium vrbis inſtaret, diuinitus moniti refugiebant. Euſebius Hiſtor. eccleſ. lib. III cap. V τοῦ λαοῦ τῆς ἐν Ιεροσολύμοις ἐκκλησίας κατά τινα χρησμὸν πρὸ τοῦ πολέμου μεταναστῆναι τῆς πόλεως, καί τινα τῆς Περαίας πόλιν οἰκεῖν κεκελευσμένου. Πέλλαν αὐτὴν ὀνομάζουσιν. id eſt, *populus eccleſiæ Hieroſolymitanæ oraculo ante bellum iuſſus eſt migrare ex vrbe, & quamdam Perææ vrbem inhabitare, quam Pellam nominant.* Inde Epiſcopalis vrbs facta Palæſtinæ Secundæ, cuius epiſcopus ſubſcripſit concilio Chalcedonenſi. Fuiſſe autem in Decapoli & hanc vrbem, præter Plinium etiam Epiphanius hæreſ. XXX ſect. II tradidit, Chriſtianos dicens μετὰ τὴν τῶν Ιεροσολύμων ἅλωσιν κατοικῆσαι τὸ πλέον ἐν

* De falſitate huius lectionis etiam Relandus diſputat, ſed non magis quidquam explicat. Mihi videtur ἣ καὶ Πέλλα, *vbi etiam Pella* ſita eſt. Probabile eſt autem, Alexandrum & Dii & Pellæ autorem fuiſſe. Nam ipſa nomina Macedonicarum vrbium ad hanc ſuſpicionem deducunt. Aquas Dii pernicioſas Stephanus diſticho quodam notatas fuiſſe oſtendit.

ἐν Πέλλῃ τινὶ πόλει καλουμένῃ τῆς Δεκαπόλεως, *poſt excidium Hieroſolymorum frequentes habitaſſe in Decapoleos vrbe, quæ Pella vocatur.* *

CCLXXXVI.

In Decapoli fuit etiam *Canatha*. Plinius lib. v cap. xviii *Pellam aquis diuitem, Galaſam, Canatham*, poſtremas in illa regione obſeruat. In Manaſſitide extrema ad orientem fuit, ideoque Arabiæ poſtmodum adiudicata. Numer. xxxii, vlt. *Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis ſuis, vocauitque eam ex nomine ſuo Nobe.* Sic vetus interpres vulgata editione. Septuaginta Græci, ἔλαβε τὴν Κανὰθ καὶ τὰς κώμας αὐτῆς, καὶ ἐπωνόμασεν αὐτὰς Ναβὼθ ἐκ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. Ebræus dixit nomen vrbis קנת *Knath*; & eius qui cepit, *Nobach*: quod nomen ipſum לה *ei* [vrbi, non κώμαις ſiue viculis] impoſuit. Manſit tamen vetus nomen etiam inter Iudæos. Ioſephus lib. i de Bello cap. xiv συναθροισθέντες εἰς Κάναθα τῆς Κοίλης Συρίας, *congregati ad Canatha, vrbem Cœles Syriæ*: & paucis interiectis: τοὺς ἐκ τῶν Κανάθων, *Canathenſes*. Sic more Græcorum plurali numero adpellat, quam Plinius ſingulari dixit *Canatham*. Hieronymus de Locis: *Canath vicus Arabiæ, qui nunc Cannatha* [Euſebius Καναθὰ n ſimplici] *dicitur, quam cum cepiſſet Naban, adpellauit Nabotholiam. Fuit autem in tribu Manaſſe, regione Trachonitidis iuxta Bosran.* Multa in hoc notanda: nomen viri non *Naban* ſed *Nobach* fuit: nouum vrbis nomen *Nabotholia* monſtroſum, & forte a librariis prauatum: Trachonitis non videtur eo vsque extendi poſſe, quia Canatha fuit iuxta *Bosran*; Euſeb. πλησίον Βοστρῶν, *prope Boſtra* Arabiæ. Ptolemæus quoque in Caua Syria Κανάθα, *Canatha* ſcripſit vltimam.

CCLXXXVII.

Plinius, vt iam vidimus, etiam *Galaſam* in Decapolitanis numerat, quod nomen ignotum eſt aliis, ideoque ſuſpectæ lectionis, quæ ex *Geraſa* deprauata ſit. Cum quibus oppidis enim Plinius ſuam *Galaſam* iunxit, cum iisdem Ioſephus & Ptolemæus Geraſam compoſuerunt. Ille enim lib. ii de Bello Iud. cap. xxxiii *vicos Syrorum* & his finitimas ciuitates vaſtauerunt, Φιλαδέλφειάν τε καὶ Γέρασσαν, καὶ Πέλλαν καὶ Σκυθόπολιν, ἔπειτα Γαδάροις καὶ Ἵππῳ προσπεσόντες, *Philadelphiam & Geraſam, & Pellam ac Scythopolim: deinde in Gadaram & Hippon irruerunt.* Ptolemæus lib. v c. xv Ἵππος, - - Σκυθόπολις, Γέρασα, Πέλλα, Δῖον, Γάδωρα, Φιλαδέλφεια, Κανάθα. *Hippus, - - Scythopolis, Geraſa, Pella, Dium, Gadora, Philadelphia, Kanatha.* Vix ergo dubium eſt, quin Plinius *Garaſam* ſcripſerit, quod mutatum fuit a deſcribentibus in *Galaſam*. Stephanus quoque de Vrbibus, *Geraſam* in Decapolitanis ponit, cuius quod nullam mentionem facit, non incertum eſt vtique, ſub Galaſæ corrupto illam vocabulo latere. Sic enim Stephanus: Γέρασα πόλις τῆς Κοίλης Συρίας τῆς Τεσσαρεσκαιδεκαπόλεως. Non

(Zzz) 2 autem

* Pella finis Perææ ad ſeptemtriones. Ioſeph. de Bello III, 3, 3. Vna item ex toparchiis fuit Iudææ. Ibid. ſ. 5 pag. 224. Sed Pella, quam Ioſephus Antiq. XIV, 3, 2 & de Bello I, 6, 5 in itinere Pompeii memorat, alia videtur eſſe a noſtra. Sed *Pella*, quam Moabitidem ſuſpicatur Relandus a Ioſepho memoratam Antiq. XIII, 15, 4 poſt Moabiticas vrbes ſequitur, & ad easdem non pertinet.

autem dubium eſt, hac XIVpoli Decapolin Plinianam & Euangeliſtarum intelligi, ſiue mendum in vocabulo eſt, vt Salmaſius cenſet; ſiue aliæ, quæ ſimili conditione fuerunt, his decem vrbibus adnumeratæ ſunt: De ſitu grauis eſt controuerſia, quum ad Arabiam alii in orientem transponant; alii propinquam mari Galilæo conſtituant. Hieronymus de Locis in *Gargaſi* cum Euſebio: *Geraſa vrbs inſignis Arabiæ.* Idem in Obadiæ comma 19, *Beniamin poſſidebit Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Geraſa nuncupatur.* Hic regionis nomen eſt: quod vero ab vrbe eſt Geraſa. Quod ſi eſt, longius remota fuit a mari Galilæo, quia neque mons Galaad illud contingebat proxime, neque limes Arabiæ illius Deſertæ. Alii credunt eſſe *Gergeſenorum* oppidum, cuius Matth. VIII, 28 facta eſt mentio: vicinum Gadaræ, quia Marcus V & Lucas VIII *Gadarenorum* agrum vocant, qui Matthæo eſt *Gergeſenorum.* Pro his Vulgatus interpres eſt, qui *Geraſenorum* & in Matthæo & ceteris Euangeliſtis legit: deinde Hieronymus atque Euſebius in Gargaſi videntur ipſis fauere. *Hæc,* inquiunt, *eſſe nunc dicitur Geraſa vrbs inſignis Arabiæ.* Sed λέγεται, *dicitur* eſſe eadem, quæ Gargaſi ſeu Gergeſa; re autem vera non eſt, quia hæc mari finitima, Geraſa ad fines Arabiæ, atque ita extra limitem Iudaicæ regionis, quod Ioſephus lib. II de Bello cap. XXXV diſerte dixit. Γερασηνοὶ, inquit, οὔτε εἰς τοὺς ἐμμείναντες ἐπλημμέλησαν, καὶ τοὺς ἐξελθεῖν ἐθελήσαντες προέπεμψαν μέχρι τῶν ὅρων, *Geraſeni* [quum aliæ ethnicorum ciuitates Iudæos ſecum habitantes interficerent] *neque in eos* [Iudæos,] *qui apud ſe manere delegerant, quidquam geſſerunt mali; & egredi volentes, vsque ad fines ſuos deduxerunt.* Idem lib. III cap. IV *Peræa ab oriente Arabia & Silbonitide, nec non & Philadelphia, itemque Geraſis clauditur.* Sic Latina verſio: Græcus praue Γεράροις, quæ nulla in Peræa ſunt; ſed ad auſtralem limitem Philiſtæorum: Γεράσοις autem legendum eſſe, nemo non intelligit. Habes ſic Geraſa ſeu Geraſam in extremo limite ad orientem, iuxta Arabiæ Philadelphiam. *

CCLXXXVIII.

Gergeſa autem non aliunde innotuit, quam ex *Gergeſenis* Matth. VIII, 28, vnde Euſebius ſuam Γεργασεὶ, Hieronymus *Gargaſi* in Locis habet. Fuerunt quidem in Chananæis populis etiam *Gergeſæi*, Geneſ. XV, 21, Ioſuæ III, 10; ſed incertum, illorum reliquias ſingulare oppidum trans Iordanem & coluiſſe & denominaſſe. Quidam in Matthæo non oppidi, ſed regionis, in qua Gadara fuit, nomen eſſe exiſtimant: ſed coniectura nituntur, non ratione, qua confirment; & ſubulci dicuntur εἰς τὴν πόλιν *in oppidum* Gergeſenorum refugiſſe. Aliis videtur ipſa Gadara eſſe, gemino nomine, vetuſto & recentiore, vſa. Euſebius dicto loco de Gergaſi, vt vocauit: τινὲς αὐτὴν εἶναι τὴν Γαδάραν φασὶ, quod Hieronymus interpretatur, *quidam* [Gargaſi ſeu Gergeſam] *ipſam eſſe Gadaram exiſtimant.* Sic tollitur, quod interpretes vexauit, ἐναντιοφανὲς Matthæi in hoc loco, & Marci

* In regione oppidi *Geraſæ* ſitus putatur vicus *Ragab*, vbi optimum oleum gignebatur. Miſchna Menachot VIII, 3. Idem creditur arx adpellari a Ioſepho Antiq. XIII, 23. Relandus.

Marci ac Lucæ euangeliſtarum. Quod æque Syro videtur placuiſſe, qui in Matthæo etiam ſcripſit גדריא *Gadarenorum.* Quod vero neque hoc, de gemino nomine, probari certo poteſt, malumus Gergeſam pro diſtincto & ſingulari oppido habere, ſed ſubiecto Gadaræ tamquam metropoli, eique vicino & finitimo, & Galilæo mari æque aut magis propinquo, etiam æque iuris ethnici, vt metropolis cui ſuberat, quod ex porcorum multitudine adparet, quæ in vicinum mare, impulſu dæmonum, fuit præcipitata. Atque ſic etiam Euangeliſtæ facillime conciliantur, ſi porcos Gergeſæ oppiduli dicamus fuiſſe; Gergeſenos autem Gadarenorum. *

CCLXXXIX.

In eodem tractu fuit *Magdala,* Gadaræ & Tiberiadi vicina, vt Lightfootus ex Talmud demonſtrauit: quæ inde in Thaanith fol. 20,1 vocatur מגדל גדר *Magdala Gadaræ.* Saluator Matth. XV, 39 dicitur nauigando εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλὰ, *in fines Magdalæ* veniſſe. Mariæ laudatiſſimæ feminæ fuit patria, quæ inde *Magdalena* in ſacris cognominatur; etiam aliquot celebrium doctorum in Talmud, quos vide a Lightfooto nominatos. Munita fuit, quod ex Vita Ioſephi pag. 1007 cognoſcitur: *Miſit rex Agrippa exercitum & ducem,* Μαγδαλὰ τὸ φρούριον ἐξαιρήσοντας, *Magdala caſtellum ademturos.*

CCXC.

Coniunctus Magdalæ fuit locus *Dalmanutha* dictus. nam in eadem hiſtoria quod Matthæus XV, 39 dixerat, ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλὰ, *venit in fines Magdalæ;* idem Marcus VIII, 10 reddidit, ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθὰ, *venit in partes* ſeu regionem *Dalmanuthæ.* Videtur fuiſſe vicus maior intra fines Magdalenſes. Neuter vero locus Decapoleos fuit: vterque vero ad fines Decapolitanos, cuius vicinitatis gratia hic commemorare ac interpretari voluimus. Situs diſtinctior in Tabulis nulla ex ratione, ſola ex coniectura, peti vtriusque poteſt.

CCXCI.

Nondum vero Decapolitanos fines egredimur. Plinius in Decapoleos recenſione poſt Damaſcum: *Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia.* Raphanam, quam Solinus cap. XXXVI *Raphianam* exſcripſit, miror in hoc numero decem vrbium adponi; magis, cum Philadelphia coniungi, quæ non mediocri ab illa interuallo eſt ſeiuncta. Ne Damaſcum quidem, quæ propior eſt, in numerum hunc facile admittimus, quia Decapolis ſunt Iſraeliticæ vrbes, poſt Aſſyriacam captiuitatem ab ethnicis occupatæ: quæ autem in Syria proprie dicta ſunt, vt Damaſcus & Raphana; extra illam diuiſionis ſortem exſtiterunt. Raphanam enim Ptolemæus lib. V cap. XV (cui Ῥαφανέαι ſunt) in Caſiotide poſuit: Ioſephus lib. VII de Bello cap. IV (qui ἐν Ῥαφαναίαις ſcripſit) etiam in Syria ſimpliciter dicta, non Caua, quæ ſæpe longius in meridiem extenditur, vbi de legione XII agit, recenſuit.

* Vel Gadaræ lacum nullum fuiſſe dicamus, ſed in agro Gadarenorum. Vide Relandum ad ad Geraſam pag. 806, 807.

CCXCII.

Philadelphia autem ſub Decapoli omnino cenſeri poteſt, quia ab ortu Palæſtinæ adiacebat in confinio Perææ & Arabiæ. Ioſephus de Excidio lib. III cap. IV de Peræa: ἔυρος ἀπὸ Φιλαδελφείας μέχρις Ιορδανȣ, *latitudo* [Perææ] *a Philadelphia eſt vsque ad Iordanem.* Erat quidem extra Iſraelis terminum, regia Ammonitarum, Rabba dicta, ſed de qua & Iſraelitæ certauerunt, quia in finibus illorum ſita erat, tamen infra Pellam, auſtrum verſus, quod ex eodem Ioſephi loco adparet, quo Pellam Perææ ſeptemtrionalem conſtituit finem: quo poſito, dum latitudinem a Philadelphia meritur, non poteſt illa ſupra Pellam in aquilonem exſtitiſſe. Ptolemæus in Cœleſyria poſuit, puta illa in meridiem longe a veteri recedente, a Syris Macedonibus regno veteri adiecta: quod nomen etiam poſtea non penitus fuit abolitum. Nummus Hadriani apud illuſtrem Spanhemium pag. 896 ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΛΗΣ CΥΡ. *Philadelphenſium Cœles Syriæ.* Stephanus chorographus: τρίτη [Φιλαδέλφεια] τῆς Συρίας ἐπιφανὴς πόλις, ἡ πρότερον Ἄμμανα, εἶτ᾽ Ἀςάρτη, εἶτα Φιλαδέλφεια ἀπὸ Πτολεμαίȣ τȣ̃ Φιλαδέλφȣ, *Tertia Philadelphia eſt Syriæ illuſtris vrbs, prius Ammana, deinde Aſtarte, poſtea Philadelphia a Ptolemæo Philadelpho dicta.* Primum nomen etiam Polybius ſeruauit lib. V cap. LXXI μετὰ ταῦτα πυνθανόμενος, εἰς τὰ Ραϐατάμανα τῆς Αραϐίας πλείȣς ἠθροισμένȣς τῶν πολεμίων, *Poſt hæc certior factus, magnum hoſtium numerum in vrbem Arabiæ Rabatamana conueniſſe.* * Amana autem eſt ab Ammon, populi nomine, cuius vrbs erat primaria, integre dicta *Rabbath Ammon*, ſiue *Rabbath bene Ammon*, filiorum Ammon Rabba, 2 Samuel. XII, 26, & cap. XVII, 27, Ierem. XLIX, 2, Ezech. XXI, 20. Abſolute autem eſt רבה *Rabba* 2 Samuel. XI, 1, Ezech. XXV, 5. Hieronymus cum Euſebio ſuo: *Amman* [Αμμᾶν] *quæ nunc Philadelphia, vrbs Arabiæ nobilis, in qua habitauerunt olim Raphaim, gens antiqua, quam interfecerunt filii Loth, habitantes pro eis in Amman.* Et in *Rabbath* idem: *Rabbath ciuitas regni Ammon, nunc Philadelphia, cuius meminit Hieremias.* Plerique veterum Φιλαδέλφεια diphthongo ſcribunt Ioſephus, Ptolemæus, & Strabo lib. XVI pag. 523, quamquam paullo poſt in Aldi, Xylandri, & Caſauboni (p. 525) editionibus Φιλαδελφία etiam legatur, quod incuria puto factum eſſe. Stephanus etiam cum veteribus Φιλαδέλφεια. Alii poſteriores Φιλαδελφία, Euſebius vtroque loco prædicto: & Epiphanius Anacephal. ſect. XII οἱ τὴν Βάκαθον κατοικοῦντες, μητροκωμίαν τῆς Αραϐίας τῆς Φιλαδελφίας, *Bacathi habitant, qui eſt primarius vicus Philadelphiæ in Arabia.* Latini, Plinius & Hieronymus *Philadelphia.* Gentile Φιλαδελφεὺς (vnde in nummis ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ eſt,) & Φιλαδελφηνὸς, quod Ioſephus habet lib. XX ineunte, πρὸς Φιλαδελφηνȣ́ς, quam formam de Lydiæ quoque Philadelphia Tacitus annal. II cap. XLVII ſeruauit, *Philadelphenos leuari tributis.*

CCXCIII.

Sic ſecundum Plinii ordinem in Decapoli habemus, reiectis Syriacis,

* *Rabatamana* in collibus ſita erat. Polyb. l. c. Sed aquas foris petebat. ibid.

cis, quæ ſitu alienæ ſunt, Philadelphiam, Scythopolim, Gadara, Hippon, Dion, Pellam, Geraſam, Canatham: quibus ſi Paneadem addas, Cæſaream Philippi dictam; & Gergeſam, numerus erit completus.

CCXCIV.

Vt vero ſupra, quæ interiecta Decapolitanis erant, Magdalam & Dalmanutham explicabamus; ita nunc vnum locum eiusdem tractus *Abelam* adiicimus, antequam ad reliqua progrediamur. Hieronymus de ea: *Alia quoque eſt ciuitas nomine Abela vini fertilis in duodecimo a Gadaris milliario contra orientalem plagam.* Clarior pleniorque ſuo interprete Euſebius: καὶ ἄλλη πόλις ἐπίσημος Ἀβελὰ οἰνοφόρος καλουμένη, διεστῶσα Γαδάρων σημείοις ιβ´ πρὸς ἀνατολάς. Ait inſigne oppidum eſſe & æque vitiferum ac Abela vinearum in Ammonitide, XII millibus a *Gadaris* (in Hieronymi libris vitioſe *Gaderis*) diſtare in orientem. Hæc eſt illa, de qua Polybius lib. V cap. LXXI κατασχὼν εἰς τὴν Γαλάτιν, κύριος γίνεται Ἀβίλων, *in Galatin* (Galaaditin) *venit, eaque potitus, Abila in poteſtatem redegit.* Hinc progreſſus rex Gadara deditione cepit.

P E R A E A. *

CCXCV.

Peræa, Περαία, regionem ſonat, quæ trans flumen aut mare eſt: vt eſt terræ Iſraelis pars, quæ trans Iordanem ſita eſt ad ſolis orientem: ideoque Ioſepho dicta ἡ ὑπὲρ Ἰορδάνην Περαία, *quæ trans Iordanem eſt, Peræa,* lib. II de Bello cap. V. Laxe igitur Peræa omnis regio, quam Iſraelitæ trans Iordanem poſſederunt olim, quamquam poſtea iuris facta ethnici. Sic idem lib. IV Belli cap. XXV ἐλθόντων ἐπὶ τὰ Γάδαρα, μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτερὰν, *quum ad Gadara venirent, validam Peræœ metropolim.* Propria autem Peræa eſt pars auſtralior, antiqua Rubenitis & Gaditis: de qua Ioſephus lib. III de Bello cap. IV, μῆκος μὲν ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν, εὖρος δὲ ἀπὸ Φιλαδελφείας μέχρις Ἰορδάνου, *longitudo a Machærunte eſt ad Pellam, latitudo a Philadelphia ad Iordanem.* Deinde cuiuslibet plagæ terminum diſtincte conſtituit, ab aquilone Pellam; ab occidente Iordanem: a meridie Moabitin: ab ortu Arabiam & Silbonitidem, nec non Philadelphiam, itemque Geraſa, vbi orientalis limes cum ſeptemtrionali coniungitur. Tribus fluminibus inſtar pæninſulæ concluditur, Arnone ab auſtro, Iaboco a ſeptemtrione, Iordane ab occaſu; vt Ioſephus lib. IV cap. V comparavit, cuius verba infra ſub initium tribus Ruben proferemus. Hæc in Herodis regni diuiſione filio Antipæ ceſſit cum Galilæa, tam patris teſtamento quam Auguſti confirmatione, vt Ioſephus refert lib. XVII cap. X & XIII. Gadara autem, metropolis Peræ, vt modo Ioſephus vocauit, exemta

* Hæc Peræa maior fuit Galilæa, ſed ἔρημος καὶ τραχεῖα τὸ πλέον πρός τε καρπῶν ἡμέρων αὔξησιν ἀγριωτέρα. Τί γε μὴν μαλθακὸν αὐτῆς καὶ πάμφορον καὶ τὰ πεδία δένδρεσι κατάφυτα ποικίλοις, τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται, διαρδομένη χειμάρροις κ. τ. λ. *deſerta & aſpera maiore ex parte & ad fructus mites proferendos agreſtior. Molle autem ſolum ſi quod eius eſt, fertile eſt, & campi arboribus conſiti, maxima tamen pars oleis & vitibus & palmetis occupatur, quippe torrentibus rigata* cetera.

exemta ab Auguſto ex hereditate, & prouinciæ Syriæ cum Hippo contributa ſunt, vt dicto cap. XIII relatum eſt.

CCXCVI.

A patriarchæ itinere incipiemus, qui ex Meſopotamia regreſſus a monte Galaad in locum venit, quem a viſis ibi angelorum caſtris *Mahanaim* adpellauit. Cecidit in ſortem tribus Gad, quamquam trans torrentem Iabok fuit; Ioſuæ XIII, 26, & cap. XXI, 39, vbi inter Leuiticas huius tribus numeratur. Ibi Isboſeth rex contra Dauidem creatur, 2 Sam. II, 8, ibidemque caſtra Dauid habuit, quum pulſus ab Abſolone eſſet, cap. XVII, 24, 27. Hieronymus de Locis: *Manaim* (Μαναεὶμ contracte Euſebius) *in tribu Gad ſeparata Leuitis in regione Galaaditide.* Poteſt ergo in Galaad etiam transſcribi: poteſt etiam in principio Perææ propriæ.

CCXCVII.

Inde transuexit ſuos patriarcha torrentem *Iabok*, & ſingulari certamine cum fortiore luctatus locum *Pnuel* ſeu *Pniel*, id eſt פני אל *facies Dei*, nominauit, Geneſ. XXXII, 30 ſeq. Vrbs poſtmodum facta & emunita, Iudic. VIII, 8, 17. Hieronymus ſcripſit *Fanuel:* Septuaginta verterunt εἶδος τοῦ θεοῦ: Ipſe amnis *Iabok*, qui Mahanaim inter & Pnuel delabitur, ab Hieronymo, præeunte Euſebio, ſic deſcriptus eſt: *Iaboch fluuius, quo transmiſſo luctatus eſt Iacob aduerſus eum, qui ſibi adparuerat; vocatusque eſt Iſrael. Fluit autem inter Amman, id eſt Philadelphiam, & Geraſam, in quarto milliario eius: & vltra procedens Iordani fluuio commiſcetur.* Adde Ioſeph. lib. IV, Antiquit. cap. V.

CCXCVIII.

Profectus inde patriarcha in locum *Succoth*, qui ita a tabernaculis, quæ ibi fixit contra Iordanem, nuncupatus eſt, Geneſ. XXXIII, 17. Hæſit nomen, vt videmus Ioſuæ XIII, 27, Iudic. VIII, 5, 6, 8 & 1 Reg. V, 46, vbi dicitur e regione, aut paullo ſupra Zartan eſſe, quæ in dextra ripa Iordanis erat. Græci variant in hoc nomine. Geneſ. XXXIII reddunt adpellatiue σκηναί, vti ipſa vox Ebræa ſonat: Ioſuæ XIII, Σωχώθ: Iudic. VIII & 1 Reg. VII Σοκχώθ: Vulgatus *Socoth* & *Soccoth.*

CCXCIX.

Inde ſi progredimur in ripa, pauca inuenimus memoranda, & illa incerto ordine. Adrichomius poſt Succoth poſuit *Saphon* ſiue *Zaphon;* deinde *Bethnimra.* Saphon quidam cum Sophan confundunt, ſed male. Nam illud צפון *Zaphon* Ioſuæ XIII, 27; hoc שופן *Sophan* Numer. XXXII, 35. Nomen prius ſeptemtrionalem in hac tribu ſitum per ſe ſignificat: eumdem locum iuxta Iordanem fuiſſe, Hieronymus tradit, *Saphon in tribu Gad ſupra Iordanem:* Euſeb. ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην, quos duces ſequutus eſt Adrichomius.

CCC.

In *Bethnimra* autem Ioſuæ XIII, 27 & Numeror. XXXII, 36 conueniunt fere omnes, & in ripa Iordanis conſtituunt: ſed nusquam præterea eius mentio in ſacra hiſtoria occurrit: Hieronymus quidem in Locis: *Nem-*

Nemra ciuitas tribus Ruben in terra Galaad: ſed erat, quod in Ruben ponit, quam diuini ſcriptores in Gad, vt diximus, cenſuerunt. Sequutus eſt Euſebium, qui Νεϐρὰ πόλις Ρȣϐὶν ἐν τῇ Γαλαάδ: ſed lapſus videtur memoria ſcripſiſſe. *

CCCI.

Sequuntur *Betharan, Dabir, Bethabara,* ſed incerto ordine. *Bethabara*, quia tranſitum ſonat, plures referunt ad tranſitum Hierichuntinum, vbi Iſraelitæ pedibus flumen pertranſierunt: Lightfoot autem ad tranſitum Scythopolitanum: nos medio inter vtrumque loco, quia haud dubie plures tranſitus Iordanis fuerunt: nec de nomine res certiſſima eſt, quum Syrus aliter legat, aliter Hieronymus in vetuſtis codicibus, qui, *Bethbaara*, inquit, *trans Iordanem, vbi Ioannes in pœnitentiam baptizabat, & vsque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt de numero credentium ibi renaſci cupientes vitali gurgite baptizantur.*

CCCII.

Quod autem de *Betharan* ſiue *Betharam* Hieronymus cum Euſebio tradit, *Libiadem* (Λιϐιὰς primo caſu) ab Herode in honorem Auguſti cognominatam eſſe, ille locus ex ſeptemtrione, vbi vulgares tabulæ habent, in auſtrum deducendus eſt. Ptolemæo hæc Λιϐιὰς, ſeu *Liuias* ** latitudinem habet quindecim ſcrupulis maiorem quam Hieroſolyma: quod auſtralem poſitionem eius contra Bonfrerium, qui poſt Succoth & Bethnimra poſuit, confirmat. Hieronymus de Ebr. Locis in *Abarim*, cum vrbe Esbus ſiue Hesbon componit. *Abarim mons*, inquit, *in quo mortuus eſt Moſes. Dicitur autem & mons eſſe Nabo in terra Moab contra Hiericho ſupra Iordanem in ſupercilio Phasga, oſtenditurque adſcendentibus de Libiade in Esbum.* Quibus iterum meridialis ſitus Libiadis probatur: magis autem ex eiusdem Hieronymi commentario in Ioelem cap. vlt. commate 18: *Pro torrente funiculorum, ſiue ſpinarum, Symmachus interpretatus eſt vallem ſpinarum. Eſt autem locus iuxta Liuiadem trans mare mortuum, ſexto ab ea diſtans milliario, vbi quondam cum Madianitis fornicatus eſt Iſrael.* Quod ſi iam Betharan eſt Liuias, vt Hieronymus tradidit, illa quoque in meridiem trahenda eſt: quo fit, vt facilius credamus, Bethabaram ſuperiori loco ad idem flumen exſtitiſſe. Ripenſem autem Liuiadis ſitum Hieronymus oſtendit, *** de Bethara dicens, *eſſe ciuitatem tribus Gad iuxta Iordanem: quæ a Syris dicitur Bethramtha* [Euſeb. Βηθραμφϑὰ] *& ab Herode in honorem Auguſti Libias cognominata eſt.* Putares Iuliadem

* Eiusdem Euſebii auctoritate *Bethnimra* & *Bethnabris* eadem eſſe putatur vrbs. Relandus.

** Nam V & B ſæpiſſime permutantur. Sic in vetere manuſcripto Phædri lib. I fab. XVII v. 8 *videns* ſcriptum erat pro *bidens.* Sic Δαϐὶδ pro *Dauid:* Ναυαταῖοι pro Ναϐαταῖοι 1 Macc. IX, 35. Et apud Pæanium I, 3 Βέειοι *Veii*, & I, 6 τῷ Βιμιναλίῳ *colle Viminali*, & I, 11, 3 Ἄυγȣςος Οκταϐιανὸς *Auguſtus Octauianus*, & IX, 5 ὁ τȣ́τȣ παῖς Βȣλȣσιανὸς, *huius filius Voluſianus.*

*** Ioſephus diſerte ſcribit, ad ripas Iordanis nullas fuiſſe vrbes. Vide Relandum libro II Palæſt. c. 56 pag. 377. Ergo hæc verba ita intelligenda ſunt, vt propinquitas modo ſignificata putetur.

dem Betharamphtha Ioſephi eſſe, quam in Galilæa deſcripſimus, etiam *iuxta* Iordanem ſitam, quia Ioſephus Liuiam Auguſti ſemper vocat Iuliam: ſed fortiora argumenta ſunt, quæ in auſtro poſitionem ſtabiliunt, maris mortui, montium Abarim, Nebo, Piſga, ac vrbis Hesbon vicinitas: vt de tribu Gad aut Ruben, & de Ptolemæi definita latitudine taceamus. Miramur tamen, qui factum ſit, vt Ioſephus, ſingula Herodis opera lib. I de Bello cap. XVI enarrans, hanc Liuiadem præterierit. Meminit tamen alibi *Iuliados*, quæ ipſa noſtra *Libias* eſt, lib. IV de Bello cap. XXV extremo: *ὥρμησεν ἐπὶ τὰς πέριξ πολίχνας τε καὶ κώμας, καταλαμβανόμενος τε Ἄβιλα καὶ Ἰουλιάδα καὶ Βαισιμὼθ, τάς τε μέχρι τῆς Ἀσφαλτίτιδος πάσας.* *Irruit* [Placidus Veſpaſiani dux] *in proxima oppida & vicos, Abila capiens, & Iuliadem, & Beſimoth, & quæ inde ad lacum vsque Aſphaltiten ſunt.* Antiquum nomen, quod Hieronymus indicauit, Numer. XXXII, 36 eſt בית הרן *Beth Haran:* at Ioſuæ XIII, 27 בית הרם *Beth Haram:* quæ Hieronymus contraxit in vocem vnam *Betharam.*

CCCIII.

Quoquo ordine Bethabara & Betharan ponas, medio tamen loco plerique *Dabir* ſtatuunt ſiue *Debir.* * Semel tantum memoratur, Ioſuæ XIII, 26, *a Manaim vsque terminos Dabir*, ſecundum vulgatam verſionem: vbi longitudo occidentalis tribus Gad videtur innui. Quod autem ad Iordanem ponunt, non aliunde conſtat, quam quod Euſebius & Hieronymus dicant *Δαβεὶρ ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην*, *Dabir* [Hieronymus *Dabor* mendoſe legit] *ſuper Iordanem ciuitas Amorrhæorum.*

CCCIV.

Reliqua tribus Gad enumerantur Numer. XXXII, 34 ſeqq. *Dibon, Atharoth, Aroer, Athroth, Iazer* ſiue *Iaſer, Iegabeha.*

CCCV.

Dibon, diuerſum oppidum a *Dibongad*, manſione Iſraelitarum poſt Zared flumen prima, Numer. XXXIII, 45. Poſitio dubia eſt: plerique tamen prope Aroer, quæ Arnoni impoſita eſt flumini, in tabulis ſuis locant. Hieronymus in Locis ita: *Debon, quæ & Dibon, in ſolitudine caſtra filiorum Iſrael:* [ſed hæc non Dibon, ſed Dibongad nuncupatur, vt modo diximus.] *Eſt & alia Dibon villa pergrandis iuxta Arnonem, quæ, quum prius fuiſſet filiorum Moab, & poſt eam Seon, rex Amorrhæorum, iure belli tenuiſſet, a filiis Iſrael capta atque poſſeſſa, in partem venit tribus Gad. Meminit huius Hieremias & Iſaias in viſione contra Moab:* ille cap. XLVIII, 22; hic cap. XV, 2, ** quod arguit receptam a Moabitis fuiſſe ac habitatam, forte quum Iſraelitæ habitatores a Tiglathpileſare in Aſſyriam ſunt tranſportati. Fuerit itaque ad Arnonem: ſed ſupra Aroer, an infra illam, incertum eſt, nec vſquam alibi manifeſtatum.

CCCVI.

* Hæc *Dabir* non confundenda eſt cum *Dabira* vico in monte Tabor in regione Diocæſareæ. Hunc vicum putat Relandus eſſe *Dobrath* Zabulonis Ioſ. XIX, 12.

** Hieronymus ad hunc locum notat, ob aquas tacite illic fluentes oppidum illud & *Dibon* & *Dimon* dici. Relandus.

CCCVI.

Incertior ſedes oppidorum *Ataroth* & *Atroth*, quæ diſtinguuntur Numer. XXXII, 34, 35. De priore nihil Hieronymus, niſi *Amorrhæorum fuiſſe trans Iordanem, & in ſortem tribus Gad cecidiſſe.* Tabulæ in medio inter Arnonem & Iordanem ponunt. Poſterior Hieronymo non *Atroth*, ſed addito inſequenti nomine, *Atharoth Sophan* vocata eſt, itidemque poſita in tribu Gad. Prætermiſerunt Septuaginta nomen *Atroth:* Vulgatus *Etroth* reddidit, ſeparauitque a Sophan tamquam vrbe diuerſa, interiecta connexionis vocula, *Etroth & Sophan.* Non autem de nihilo eſt coniunctio Hieronymi, ſed Ebrææ Scripturæ omnino conſentanea, quæ priorem vocem & regimine, vt grammatici vocant, & accentu cum inſequente connexam habet. Quod ſi eſt ita; fruſtra ſunt interpretes, qui ſeparant inciſo, vel ET diſtinguente vocula: etiam qui cum *Zaphon* Ioſuæ XIII, 27, quod *Saphon* Hieronymus & Vulgatus ſcripſerunt, confundunt.

CCCVII.

Aroer ad Arnonem fuiſſe ſitam, Hieronymus & Euſebius teſtes adſunt. Ille, *Aroer*, inquit, *oppidum Moabitarum, quod ſitum eſt ſuper ripam torrentis Arnon, poſſeſſum olim a gente veterrima Omniim, & poſtea retentum a filiis Lot, id eſt Moabitis, quum priores accolas ſubuertiſſent: & oſtenditur vsque hodie in vertice montis illius. Sed & torrens per abrupta deſcendens in mare mortuum fluit. Cecidit autem Aroer in ſortem tribus Gad contra faciem Rabba.* Memoratur Numer. XXXII, 34, Ioſuæ XIII, 25, vtrobique in tribu Gad, quæ in orientali limite longe in auſtrum iuxta tribum Ruben procurrebat: * Iudic. XI, 26, 2 Samuel. XXIV, 5, & 2 Reg. X, 33. quo poſtremo loco Aroer dicitur ſita על נחל ארנון *ſuper flumen Arnon*, ſicut Deut. II, 36 *in ripa fluminis Arnon.* Poſteriori tempore, abducto Iſraele in captiuitatem, Moabitæ receperunt, vt ex Ierem. XLVIII, 16 clarum eſt.

* Hoc declarat etiam Deuter. III, 16. Adde huc Relandum, qui cum auctore noſtro ſentit. Sed mox Relandus duas Aroer fingit, vnam ad Rabbam, alteram ad Arnonem. Priorem illam ex Ioſ. XIII, 25 collat. v. 16 & Iud. XI, 33 probari poſſe ſuſpicatur. Sed ſi curatius attenderis ad Ioſuæ verba ויהי להם הגבול יעזר וכל ערי הגלעד וחצי ארץ בני עמון עד ערער אשר על פני רבה: *Et fuit Danitis Iaſer terminus & omnia oppida Gileadi & dimidius ager Ammonitarum vsque ad Aroer, qui Rabbæ oppoſitus eſt*; facile intelliges, verba אשר על פני רבה non ad *Aroer*, ſed ad *totum tractum terræ Ammoniticæ Rabbæ oppoſitum* & obiectum in auſtrum pertinere. Ea quidem pars agri Ammonitarum, quæ Rabbæ ab oriente obiecta & prætenſa erat, Ammonitis ſalua manſit. Verum eſt, Emmorræorum & Moabitarum terras per Arnonem diſcretas fuiſſe: ſed Ammonitæ eam partem agri, quæ cis Arnonem erat porrecta ad Rabbam, Ammoniticam haberi volebant, Iud. XI, 13, & tum occupauerant. Proinde a Iephtha ex Aroer Menitam, & hinc ad Abelam vsque depellendi erant. Iud. XI, 32, 33. Si Iephtha ex Aroer Rabbæ adpoſita & vicina Ammonitas depuliſſet: ex ipſorummet agris Ammonitas depuliſſet: quod ei in mentem non venerat. Iud. XI, 24. Ergo Aroer hic ſemper eſt intelligenda illa, quæ ad Arnonem erat. Iud. XI, 26. Omnino Emorræi agrum Iaboco & Arnoni interiectum, qui ab antiquioribus temporibus ad Ammonitas pertinuerat, ad ſe traxiſſe videntur paullo ante aduentum Moſis. Eum igitur tum, quum Moſes Emorritis eum ademiſſet, repetere a Moſe debuiſſent Ammonitæ (ſic enim intellige Iud. XI, 26,) præſertim quum viderent, Iſraelitas nihil adpetere agri Ammonitici.

CCCVIII.

Iazer ſiue *Iaſer*, certiores rationes habet, Hieronymo definiente. *Iazer*, inquit, *ciuitas Amorræorum in decimo lapide Philadelphiæ ad ſolis occaſum, trans Iordanem, quæ fuit terminus tribus Gad, extenditurque vsque Aroer, quæ & ipſa reſpicit vsque Rabbam.* Rabba, puta Moab, quæ & Ar dicta fuit. Quod vero a Philadelphia *in occaſum* dicitur diſtare; verius dixiſſet in meridiem, licet non nihil in occaſum etiam declinet. Addidit enim, *ab Eſebon diſtare quindecim millibus.* Fuit ergo inter Philadelphiam & Hesbon ad orientalem limitem tribus Gad. Huic enim adſignatur Numer. XXXII, 35, Ioſuæ XXI, 39. Præterea memoratur Num. XXI, 32, vbi primum capta dicitur: & 2 Samuel. XXIV, 5, Eſa. XV, 8, 9, Ierem. XLVIII, 32. quibus poſterioribus locis prophetæ in Moabitarum vrbibus cenſuerunt, qui cum aliis trans Iordanem inuaſerant, ſi non ante, tamen quum primi ex Iſrael abducti eſſent in exſilium. Leuitis ſeparata fuit, teſte Ioſua dicto cap. XXI, 39.

2. Ieremiæ XLVIII, 32 memoratur *mare Iazer* id eſt lacus, quia Ebræis ים ſæpe *lacus* eſt. Adrichomius effuſionem Arnonis cenſet, ſeu paludem, per quam Arnon tranſeat. Sed dubium eſt, an eo vſque amnis ille pertineat, & malim pro lacu, cui adpoſita vrbs Iazer fuerit, habere, ex quo flumen emanat in Iordanem effundendum, quod æque vt lacus, disiunctum longe ab Arnone fuiſſe, neceſſe eſt. Hieronymus in *Iazer* eius fluminis quoque meminit, de vrbe illa dicens: *e qua magnum flumen erumpens a Iordane ſuſcipitur.* Euſebius, quem Hieronymus expreſſit: καὶ φέρεται ἐπ᾽ αὐτῆς ποταμὸς μέγιϛος ἐπὶ τὸν Ιορδάνην ἐκπίπτων. Videtur legendum ἀπ᾽ αὐτῆς, quia interpres *e qua.*

CCCIX.

De *Iegbaa*, ſiue *Iegabeha*, quæ etiam Gaditidi Numer. XXXII, 35 adnumeratur, nihil, quod ſitum indicet, quia Euſebius & Hieronymus prætererierunt, reperire licet. Mentio illius eſt etiam Iudic. VIII, 11, in Gideonis hiſtoria, vbi cum *Nobah* coniungitur, ſed æque incognita: quia diuerſam oportet ab illa eſſe, quam in Manaſſitide trans Iordanem expoſuimus, ſæpius dictam Canatham. Videtur tamen cum Iegbaha in media tribu Gad fuiſſe, quia Gideon *in via ſcenitarum*, id eſt in Arabes Scenitas (quos Nomadas Plinius lib. V cap. XVI vocat & Aſphaltitæ ab oriente opponit) ferente adſcendit.

CCCX.

In extremo tribus Gad aut initio Scenitarum, ſecundum viam illam, fuit *Karkor*, Hieronymi *Carcar*, cuius nulla præterea mentio in ſacris hiſtoriis, nec in Terræ diuiſione facta eſt. Ad hunc locum Gideon Midianitas oppreſſit: ex quo conficitur, non poſſe Hieronymi caſtellum *Carcariam* eſſe vnius diei itinere a Petra ſeparatum, quia ſic vltra Moabitidem in auſtrum incidiſſet: quousque Gideonem perueniſſe non eſt probabile. De *Ramoth*, refugii vrbe, ſupra dictum eſt in Gilead: etiam de *Mahanaim*, quæ itidem in Gad cenſetur Ioſuæ XXI, 39.

CCCXI.

In terminis tribus Gad etiam *Mizpe* ſiue *Maſpha* refertur, quia Ioſuæ XIII, 26, *ab Hesbon vsque ad Ramath Mizpeh*, ſiue vt Vulgatus ſcripſit, *ab Heſebon vsque Ramoth Maſphe.* Non autem ibi vrbis nomen eſt Mizpe, ſed tractus ac regionis, quia cum emphaſi dicitur, עד רמת המצפה vsque ad [vrbem] *Ramath in* [tractu] *Mizpe.* Bonfrerius Ramoth in Gilead intelligit, quaſi pars Galaaditidis etiam Mizpe, id eſt ſpecula, editior locus, vocata fuerit, quod ideo non alienum videtur eſſe, quia longitudo tribus his verbis ab Heſebon ad Ramath ſeu Ramoth deſcripta fuit. niſi in eo diſcrimen inuenias, quod Ioſua *Ramath Hammizpe* ſcripſerit, vrbs autem Galaaditis *Ramoth*, alio numero vbique nuncupetur. Sed interpretes Græci & Vulgatus, illo diſcrimine poſthabito, in Ioſuæ etiam loco *Ramoth* reddiderunt, illi ἕως Ῥαμὼθ κατὰ τὴν Μασφά: hic, *vsque Ramoth Maſphe.* Aliis ergo ad iudicandum relinquimus, vtrum noua *Rama* hoc loco, nusquam alibi commemorata, inueſtiganda ſit, an in Ramoth Galaaditidis adquieſcendum.

CCCXII.

In tribum Gad haud dubie incidit quoque *Amathus*, Ἀμαθοῦς Ioſephi, quam trans Iordanem fuiſſe conſtat: ſed propius an remotius ab illo ſita non facillimæ diiudicationis eſt. Euſebius in *Aemath*, quod praue Αἰθὰμ ſcriptum, λέγεται καὶ νῦν Ἀμαθοῦς κώμη ἐν τῇ Περαίᾳ τῇ κατωτέρᾳ, Πέλλης διεστῶσα σημείοις κά εἰς νότον. quod Hieronymus breuius vertit: *Et nunc Amathûs villa dicitur trans Iordanem in viceſimo primo milliario Pellæ ad meridiem.* Neglexit, quod notabiliter exprimendum erat, *in Peræa inferiore.* Vnde eſt, quod Adrichomius & alii *Aemath* in orientali limite poſuerunt, & ille quidem ad Arnonem e regione Hesbon. Ioſephus autem lib. XIII cap. XXI Αἱρεῖ καὶ Ἀμαθοῦντα, μέγιστον ἔρυμα ὑπὲρ τοῦ Ἰορδάνου κατῳκημένων, *Potitus eſt Amathunte,* * *quod eſt caſtrum omnium, quæ ad Iordanem ſita ſunt, munitiſſimum.* Vertit ergo Gelenius, *ad Iordanem*, quod ὑπὲρ in Græco eſt. Idem lib. I de Bello cap. III in eadem hiſtoria, κρατεῖ καὶ Ἀμαθοῦντος ὃ δὴ μέγιστον μὲν ἦν ἔρυμα τῶν περὶ Ἰορδάνην, *cepit* [Alexander Iannæus] *& Amathuntem, quod eſt omnium, quæ circa Iordanem ſunt, caſtellum maximum.* Hic περὶ, *circa* dixit, quod ſuperiori loco ὑπὲρ, *ſupra:* ſi ſalua ſcriptura eſt, nec πέραν pro περὶ legendum, ** ~~quia~~ vetus interpres, Rufinus, vt creditur, *trans Iordanem* reddidit. Nihilominus quod vtroque loco Ioſephus adiecit, Theodorum Zenonis, Philadelphiæ tyranni, filium Amathunte theſauros ſuos condidiſſe, veroſimilius eſt circa Philadelphiam potius, quæ Ammonitarum Rabba eſt, quam ad Iordanem, caſtellum Amathuntem fuiſſe: *** quod congruit Hieronymi Euſebiique, quam ſupra indicauimus, poſitioni. Non autem ad Arnonem locamus cum Adrichomio, qui nimis longe illud flumen ex ſeptemtrione deri-

 vat:

* Recte legit & vertit Cellarius. Relandus ἄιρει legiſſe videtur. quare eam dirutam fuiſſe ab Alexandro Iannæo ſcribit. Male. Rectius idem ex Ioſephi Antiq. XIV, 10 Amathunta vnam fuiſſe docet e quinque vrbibus, vbi ſynedria conſtituit Gabinius.

** Περὶ pro *trans* poni contendit Relandus.

*** Relandus malit *Amathunta* in *Ramoth Gilead* quærere.

vat: ſed ad citeriora reducimus, vt Pellæ ſecundum dictam diſtantiam reſpondeat. Gabinius, Syriæ proconſul, quinque iuridicos conuentus in Iudæa inſtituens, ex iis duos trans Iordanem poſuit, Gadaris vnum, alterum Amathunte: vt Ioſephus refert lib. XIV cap. X.

CCCXIII.

Hæc de notioribus in tribu Gad, quæ maiorem partem Perææ propriæ adimplet. Incerto ſitu eſt *Betonim* Ioſuæ XIII, 26, quod cum Ramath Mizpe coniungitur. Hieronymus *Bothnin* vocauit, nec vero ſitum definiuit.

CCCXIV.

Reſtat pars infima, quæ τῆς κατωτέρας, *inferioris Peræa*, vt modo Euſebius in Amathunte vocauit, eſt præcipua, portio quondam tribus *Ruben*, quæ cum Gaditide regnum Amorrhitarum conficit. *Amorrhitis* enim vetus, ſeu Sihonis regnum, eſt illa propria Peræa, inſtar pæninſulæ fluminibus circumcluſa. Ioſephus lib. IV Antiquit. cap. V ἐςὶ δὲ χωρίον [Αμοῤῥαίων] τριῶν μεταξὺ ποταμῶν κείμενον, ὅμοιον τῇ νήσῳ τὴν φύσιν ὑπάρχον, τοῦ μὲν Αρνῶνος ἀπὸ μεσημβρίας ὁρίζοντος ἀκτὰς αὐτοῦ, Ιοβάκκου δὲ τὴν ἀρκτῴαν αὐτοῦ πλευρὰν περιγράφοντος, ὃς εἰς τὸν Ιορδάνην ποταμὸν ἐκβάλλων ἐκείνῳ καὶ τοῦ ὀνόματος μεταδίδωσι· τὰ μέν τοιγε πρὸς τῇ δύσει τοῦ χωρίου περιίησιν * αὐτὴν Ιορδάνης. *Eſt autem Amorrhæorum regio inter tres amnes inſtar inſulæ. A meridie enim definiunt ripæ Arnonis fluminis: latus ſeptemtrionale Iobaccus* [Iabocus] *circumſcribit: qui in Iordanem ſe effundens, nomen ſuum amittit. ab occaſu claudit regionem Iordanes.* Integra verba exſcripſi, partim vt nomen fluminis *Iobaccus*, ſeu vt mox ſequitur Ιάβικος emendetur, quod Ιαβὼκ vel Ιαβῶκος ſeu Ιαβῶχος ſcribendum erat; etiam vt ſuſpectum αὐτὴν, quod abeſſe poteſt, notetur: partim vt Iaboci exitus in Iordanem, ſecus ac nonnullæ tabulæ habent, demonſtretur, quod ſupra etiam Hieronymo auctore adprobauimus, quum de ipſo ageremus flumine.

CCCXV.

Arnon autem fluuius ex Arabiæ montibus decurrens Moabitas & Amorrhitas diſterminauit, & in lacum ſe Aſphaltiten effundit. Limitaneum inter has gentes eſſe, clare proditum eſt Numer. XXI, 13, quod Ioſephus etiam adfirmat, & vna originem eius & exitum commonſtrat lib. IV Antiquitatum cap. IV. *Moſes*, inquit, παρῆν ἐπὶ ποταμὸν Αρνῶνα, ὃς ἐκ τῶν τῆς Αραβίας ὅρων ὁρμώμενος, διὰ πάσης ἐρήμου ῥέων, εἰς τὴν Ασφαλτῖτιν λίμνην ἐκδίδωσιν, ὁρίζων τήν τε Μωαβῖτιν καὶ Αμορῖτιν, *venit ad fluuium Arnonem, qui ex Arabiæ finibus prorumpens, per mediam ſolitudinem labitur, & in Aſphaltiten lacum exit, diſterminans Moabitin & Amoritin.*

CCCXVI.

Non autem ſic ab initio rerum & imperiorum fuit, ſed ad vtramque Arnonis ripam olim *Moabitæ* habitauerunt. Sihon autem, rex vltimus Amorrhæorum, Moabitis partem, quam trans flumen poſſederant, eripuit, & terminum regni ſui conſtituit Arnonem. Id ipſe Moſes nos docuit Numer. XXI, 26. Hinc eſt, quod in Amorrhitide vetus nomen *Campe-*

ſtria

ſtria Moab manſit, in quibus Iſraelitæ caſtra habuerunt ante, quam Iordanem fluuium tranſirent. Vide Numer. XXII, 1, cap. XXVI, 3, c. XXXIII, 48 &50. Nunc de vrbibus Rubenitarum.

CCCXVII.

Hesbon, חשבון Ebræis, LXX Ἐσεβών, Vulgato interpreti *Heſebon*, Hieronymo *Eſebon*, vrbs regia Amorrhæorum, Numer. XXI, 26, Deuteron. II, 24, 30, Ioſ. XIII, 10, in tribu Ruben, Numer. XXXII, 37, Ioſuæ XIII, 17, quamuis Ioſuæ XXI, 39, vbi Leuiticis ciuitatibus adnumeratur, in tribu Gad eſt poſita: quod arguit, in vtriusque tribus confinio fuiſſe. Situm ita determinauit Hieronymus in Locis: *Eſebon ciuitas Seon, regis Amorrhæorum, in terra Galaad, quæ quum fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli iure poſſeſſa eſt. Meminit huius Hieremias, Eſaias quoque in viſione contra Moab. Porro nunc vocatur Esbus vrbs inſignis Arabiæ in montibus, qui ſunt contra Hiericho, viginti a Iordane millibus diſtans. Fuit autem in tribu Ruben, ſeparata Leuitis.* Viginti ergo millibus diſtabat ab Iordane non plane Hierichunti æqualis latitudine, ſed paullo ſuperior, quia in confinio Gaditarum fuit poſita. Arabiæ vrbem vocat, vt alias quoque eidem vicinas, quia tum temporis Arabes inferiorem Peræam incolebant. Et alibi *Esbum* Hieronymus dixit, in *Abarim* de Locis Ebraicis: *adſcendentibus de Libiade in Esbum.* Vide ſupra in *Liuias.* Euſebius: καλεῖται νῦν Ἐσβοῦς, quaſi *Esbuntis* in obliquo caſu formaret: Hieronymus autem, tamquam Ἐσβοῦς legiſſet, aliter, vt vidimus, inclinat: quod vero alibi eidem eſt ἄκλιτον. Ptolemæus lib. V cap. XVII in Arabia Petræa locum habet, qui in vulgatis vocatur *Sebunta*, Σεβοῦντα, in Palatino codice Ἐσβοῦτα, *Esbuta*, vtrumque praue: lege *Esbunta* ſiue *Esbuntum*, ſicut ab *Hydrûs* eſt forma alia *Hydruntum.* Nimium quidem in auſtrum deduxit: ſed eo non movemur, quia omnia Ptolemæi trans Iordanem ſunt turbata & confuſa. Plinius veterem & Ebræam formam videtur tenuiſſe, quum lib. V cap. XI meminit *Esbonitarum Arabum*, quos de hac ipſa ciuitate Hesbon Hugo Grotius in Numer. XXI, & Io. Harduinus in hunc locum Plinii interpretantur.

CCCXVIII.

Proxima Hesboni fuit *Eleale*, oppidulum fortaſſis, aut ſeceſſus Hesbonitarum: de quo habes Numer. XXXII, 3 & 37, etiam in comminationibus Eſaiæ XV & Ieremiæ XLVIII. Vno milliario ab Hesbon abeſſe tradit Euſebius, magnumque vicum adpellat. Ἐλεάλη - - - σώζεται εἰς ἔτι νῦν, κώμη μεγίστη, οὐ πλεῖον σημείου ἑνὸς ἀπέχουσα τῆς Ἐσβοῦς. Quæ, & prætermiſſa Hieronymus ita tranſtulit: *Eleale ciuitas Amorrhæorum in Galaad, quæ cecidit in ſortem tribus Ruben. Meminit huius & Eſaias in viſione contra Moab, & Hieremias. Sed & vsque hodie villa grandis oſtenditur in primo ab Esbus milliario.* In quam plagam vero ab Hesbon declinauerit, nusquam eſt definitum.

CCCXIX.

Medaba, ſiue *Medba*, etiam propinqua fuit Heſeboni. Euſebius,

πλησί-

πλησίον Εσσεβὼν, Hieronymus, *iuxta Eſebon:* ſed neuter addidit, in quam plagam a primaria vrbe vergeret. Ioſua autem cap. XIII, 16 definit limites Rubenitarum *ab Aroer vsque Medba:* ex quo colligas, quia Aroer ad Arnonem ſita in tribu Gad, atque ita in ortum hibernum ab Hesbon; oppoſitam Medbam ab eadem in occaſum æſtiuum receſſiſſe. Ptolemæus dicto loco habet Μήδαυα, *Medaua*, in Arabia Petræa, quæ ipſa eſt *Medaba* noſtra: nam & ipſe cum Esbunta, id eſt Hesbon, coniungit, quam etiam in Petræa Arabia poſuerat. Et Hieronymus: *Medaba vsque hodie vrbs Arabiæ antiquum nomen retinens iuxta Eſebon.* Arabes enim auſtralia Perææ poſteriori æuo tenuerunt. 1 Maccab. IX, 36 vocatur Μηδαβᾶ, in via ſita in Nabatæos, commate 35. At Stephano Μήδαβα πόλις τῶν Ναβαταίων, *Medaba vrbs Nabatæorum* eſt. * nam late nomen Nabatæorum extendebatur. In planitie vrbs ſita erat: contra in montanis Hesbon, Ioſuæ XIII, 9. Planities autem ad Iordanem verſus procurrebat.

CCCXX.

Iahza Ebraice, LXX Ιασσά, Hieronymi *Iaſſa*, ſita erat in ſolitudinem verſus, vt Numeror. XXI, 23 eſt traditum. nam eo vsque obuiam Iſraelitis iuit rex Amorrhæorum cum exercitu, ibique victus eſt. Quum autem illi Moabiticam terram, Deo ita iubente, circuierint, non potuere, niſi ab oriente Arnonem tranſire, ibique obuium habere regem Sihon Amorrhæorum, quem ad internecionem deleuerunt. Hieronymus dicit ſitam eſſe *inter Medabam & Deblathaim:* Euſebius μεταξὺ Μηδαβὰμ καὶ Δηβὼς. Sed ſi recte Hieronymus *Deblathaim* legit & expreſſit, tamen nec illius certa eſt poſitio, vnde de Iaſſa iudicari poſſit. Cardo controuerſiæ in eo omnis vertitur, vt qua plaga Iſraelitæ traiecerint Arnonem & Amorrhæorum terram ingreſſi fuerint, determinetur. Adrichomius per mediam Moabitidem eos inducit, atque ita itinerum manſiones ordinauit, vt extra deſerta per cultiſſimam terram Moabitarum ferantur. Sed aliter diuina hiſtoria, in qua metuit ſibi & populo ſuo rex Moabiticus, & ſecuritatis ſuæ cauſſa transeuphratæum vatem accerſit: Iſrael autem tum per deſerta Moabitidem prætergreſſus erat, eique, quum Arnonem tranſiiſſet, Sion Amorrhæorum rex, המדברה *in deſerta verſus* obuiam proceſſit. Iter itaque Iſraelitæ ad fines Moabitarum orientales fecerunt, Numer. XXI, 11, 12, 13. & ſic Diblathaim extra Moabitin ad extremos eius fines eſt locandum, vt alii etiam locauerunt, & Bonfrerius quidem, vbi Zared e montibus procurrens primum ab ortu attingit agrum Moabitarum. Quo ipſo non poteſt certiſſima eſſe illa Hieronymi lectio *inter Medabam & Deblathaim*, præſertim quod Euſebius alio vocabulo vſus eſt.

CCCXXI.

Sed in Amorrhitin reuertimur ſeu tribum Ruben, ad cuius orientalem

* Ioſepho Μηδάβα, gen. Μηδάβας Antiq. XIII, 1, 2 & alibi: ſed Μεδάβη de Bello I, 2, 6. Munita & firma fuiſſe videtur. Nam Hyrcanus magna cum calamitate exercitus ſui eam ſexto demum menſe cepit Ioſ. Ant. XIII, 9, 1, & montem inſidiis aptum habuit vicinum Antiq. XIII, 1, 4. Ieſaiæ temporibus Medaba parebat Moabitis, c. XV, 2. Poſterioribus temporibus alias Iudæis, alias Arabibus. Antiq. XIV, 1 extr.

lem limitem & ſolitudinem verſus *Mephaath* fuit, Ioſuæ XIII, 18, eademque Leuiticis adnumerata cap. XXI, 37, tandem in ditionem Moabitarum redacta, Ierem. XLVIII, 21. Romani, quod in limite erat aduerſus ſolitudinem, præſidium impoſuerunt. Hieronymus cum Euſebio: *Mephaath eſt trans Iordanem, in qua præſidium Romanorum eſt militum propter vicinam ſolitudinem.*

CCCXXII.

Inter Iahza & Mephaath Ioſua narrat *Kedemoth* cap. XIII, 18, quæ Hieronymo ſcripta *Cademoth*, Euſebio Καδημὼθ; ſed nihil addunt, niſi ciuitatem filiorum Ruben fuiſſe. Ipſum autem vocabulum prodit, fuiſſe in parte orientali, ad limitem, qui orientem ſolem ſpectat.

CCCXXIII.

Prope hanc ab occaſu locant quidam *Baalmeon,* * etiam Iacobus Bonfrerius, qui Hieronymi deſcriptionem ſuſpectam facit, quæ vero in pleriſque cum Euſebio congruit. *Beelmeon,* inquit, *trans Iordanem, quam ædificauerunt filii Ruben. Eſt autem vicus vsque nunc grandis iuxta Baaru in Arabia, vbi aquas calidas ſponte humus effert, cognomento Beelmaus, diſtans a Besbus millibus nouem.* Pro *a Besbus* lege *ab Esbus,* id eſt Eſebon ſeu Hesbon. *Baaru* ignotum nomen, forte illius montis, ex quo calidæ aquæ effunduntur. Euſebius: Βεελμεὼν κώμη μεγίϛη πλησίον τȣ͂ ὄρȣς τῶν θερμῶν ὑδάτων. *Beelmeon magnus vicus eſt prope montem aquarum calidarum.* Quod vero adiicit, ἐνταῦθα ἦν Ελισσαῖος ὁ προφήτης, idque Hieronymus Latine vertit, *vnde & Heliſæus propheta fuit;* ea verba, quia falſa ſunt, videri poſſunt ab alio adſuta. nam vterque in *Abelmaula* veram illius prophetæ patriam, quæ *Abelmehola* eſt, I Reg. XIX, 16, demonſtrauerunt. Sed poteſt etiam lapſus memoriæ eſſe in Euſebio, quem Hieronymus interpretando ſequutus eſt.

CCCXXIV.

Cariathaim, Kiriathaim etiam in vrbibus numeratur, quas Rubenitæ condiderunt, Numer. XXXII, 37, & in tribu Ruben cenſetur Ioſuæ XIII, 19. Hieronymus: *Cariathaim ciuitas, quam exſtruxerunt filii Ruben. Nunc autem eſt vicus Chriſtianis omnibus florens* (Euſeb. ὅλη χριϛιανῶν κώμη) *iuxta Medabam vrbem Arabiæ: & adpellatur Coraiatha* (Καριάθα Euſ.) *in decimo milliario ſupradictæ vrbis contra occidentalem plagam, vicinus eius loci, qui adpellatur Bare.* (ἐπὶ τὸν Βάριν, Euſ.)

CCCXXV.

Nebo montis altiſſimi, &, quod ſubiacet, oppidi nomen. Hieronymus *Nabo* ſcripſit, & LXX Ναβώ. Oppidi mentio Numer. XXXII, 38 eſt, vbi Rubenitæ dicuntur exſtruxiſſe. Mons, qui imminet, eſt pars montium *Abarim,* ſeu altior eorum vertex. Deuteron. XXXII, 49 *Adſcende in iſtum montem Abarim, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho, & vide terram Chanaan, & morere in monte.* At cap. XXXIV *Adſcendit Moſes de*

* Videtur aliquamdiu Moabitis ſeruiiſſe. Ezech. XXV, 9.

de Campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phasga, contra Iericho. Ergo cohærebant *Abarim*, *Nebo*, *Phasga* ſiue *Pisga*, cum hoc, vt videtur, diſcrimine, vt Abarim ab ortu ex deſertis Moab huc pertingant: *Pisga* hinc in auſtrum ad Arnonem oſtiis adpropinquantem procurrat. nam Balac ex regno ſuo, ſeu Moabitide propria, Balaamum prophetam in verticem Phasga adduxit, Numer. XXIII, 14, vnde ipſius regno, quod trans Arnonem erat, illam montium partem propiorem fuiſſe licet colligere. Oppidum *Nebo* ad Moabitas poſtea rediit, vt ex Eſa. XV, 2 cognoſcitur. Hieronymus: *Nabo ciuitas filiorum Ruben in regione Galaad, cuius meminit Eſaias in viſione contra Moab. Et vsque hodie oſtenditur locus deſertus Naba, diſtans a ciuitate Esbus millibus octo contra meridianam plagam.*

CCCXXVI.

An vero etiam *Phasga* eſt nomen vrbis ſub cognomine monte? Ait cum Euſebio Hieronymus. *Fasga*, inquit, *ciuitas Amorrhæorum, & mons contra occidentalem plagam Fasga, pro qua Aquila interpretatus eſt λαξευτὴ, exciſum.* Euſebius Φασγά. Memoratur oppidum Ioſuæ XIII, 20, nec vero ibi ſimpliciter *Phasga* ſiue *Pisga* nominatur, ſed *Aſedoth Phasga:* Græci coniuncte Ασηδωθφασγὰ ſcripſerunt: id eſt Aſedoth ſub monte Phasga.

CCCXXVII.

Eodem Ioſuæ XIII, 20 refertur etiam inter Rubenitarum oppida בית פעור *Beth Peor,* ſiue vt Latinus interpres cum Græcis ע per G legit, *Beth Phogor.* de quo Hieronymus: *Bethfogor vrbs filiorum Ruben trans Iordanem iuxta montem Fogor contra Hiericho, ſex millibus ſupra Libiadem:* Euſebius, ἀνωτέρω Λιβιάδος σημείοις ϛ'. Hoc *ſupra Libiadem,* intellige reſpectu Iordanis, in depreſſiore humo fluentis, cui Liuias fuit adpoſita. Fanum locus habuit idolo Baal Peor ſacratum Numer. XXV, 3; quod *Beelphegor* Latinus ſcripſit. Hieronymus autem in Eſa. XXV, 10 Beelphegor interpretatur Priapum.

CCCXXVIII.

Bamoth Baal Ioſuæ XIII, 17 in oppidis tribus Ruben refertur, quod videtur etiam fanum Baalis in excelſo monte habuiſſe. Tabulæ alieno loco ponunt: ex Bileami hiſtoria de vero ſitu iudicare licet. Balac enim Bileamum excepit in extremis regni ſui finibus ab Euphrate aduenientem, & ſtatim mane adduxit eum in Bamoth Baal, vt extrema caſtrorum Bileamo oſtenderet, Numer. XXII, 36, 41. Ex quibus adparet, ad orientalem plagam, nec longe ab Arnone & Moabitide propria exſtitiſſe. Hieronymus tantum *Bamoth* vocat. *Bamoth*, inquit, *ciuitas Amorrhæorum trans Iordanem in Arnone, quam poſſederunt filii Ruben.* An idem locus fuerit *Bamoth* Numer. XXI, 19, dubium eſt interpretum diſſenſione: nec vero vel a loco vel tempore alienum eſt, ſi eamdem eſſe dixeris Iſraelitarum manſionem & primam ſtationem Bileami, ex qua non totum populum, ſed vltima caſtrorum tantummodo proſpexit.

CCCXXIX.

Progreſſi inde Iſraelitæ in vallem ſeu campeſtria Moab, caſtra extenderunt

derunt a *Bethſimoth* vsque ad *Abelſatim.* Sic Vulgatus interpres Numeror. XXXIII, 49 illa loca vocat: alii priorem dicunt *Bethieſimoth* cum Ebræis. Hieronymus Locis: *Bethſimuth, hoc eſt domus Iſimuth, contra Hiericho, decem ab ea millibus diſtans in meridiana plaga iuxta mare mortuum.* Non placet meridiana illa plaga: ab ortu potius, vt ex caſtris & itinere patet, Hierichuntem ſpectauit. Si vero diſtantia recte fuit expreſſa, oportet duobus millibus ab Iordane afuiſſe: quia Hiericho, Ioſepho auctore lib. IV de Bello cap. XXVII, ſexaginta abeſt ſtadiis, hoc eſt fere octo paſſuum millibus. Ioſephus eodem libro, cap. XXV, Βησιμὼθ, *Beſimoth.* nam de Placido Veſpaſiani duce ait: καταλαμβανόμενος τε Ἄβιλα καὶ Ἰȣλιάδα καὶ Βησιμὼθ, τάς τε μέχρι τῆς Ἀσφαλτίτιδος πάσας, *cepit Abila & Iuliadem* [Liviadem] *& quidquid inde vsque ad Aſphaltitin eſt.*

CCCXXX.

Hæc *Abila* autem ſunt *Abelſatim*, alter terminus caſtrorum, ſed remotior ab Iordane, ſexaginta videlicet ſtadiis, vt idem Ioſephus libro V Antiquitatum ineunte tradidit. Idem locus Numer. XXV, 1 & Ioſuæ II, 1 vocatur *Sittim*, Græcis Σαττείμ & Σαττεὶν, Vulgato *Settim.* Videtur antiquum *Sittim* ſiue *Sattim* regiunculæ fuiſſe: * *Abel* ſiue *Abila* nomen oppidi in illa. Vnde *Abelſittim* ſeu *Abelſattim* idem quod Abel in Sittim diſcriminis cauſſa, qui plura Palæſtinæ & viciniarum oppida Abel ſiue Abila nominata. Erat ergo *Sittim* ſeu *Sattim, Settim, Setim* & quoquo modo adpellatur, pars Campeſtrium Moab. Hieronymus: *Sattim, vbi populus pollutus eſt fornicatione filiarum Moab. Eſt autem iuxta montem Phogor: vnde & Ieſus exploratores ad inueſtigandam & noſcendam terram miſit Hiericho.* Manſit vrbs Abila ad poſtrema vsque tempora. Ioſephus lib. IV cap. VII extr. de Antiquitatibus: *Moſes congregauit eccleſiam* ἐπὶ τῇ Ἰορδάνῃ, ὅπȣ νῦν πόλις ἐςὶν Ἀβιλὴ, φοινικόφυτον δ' ἐςὶ τὸ χωρίον, *ad Iordanem, vbi nunc Abila eſt: ager vero eſt palmetis conſitus.*

CCCXXXI.

In illo tractu fuit etiam *Bezer*, ciuitas refugii, Deuteron. IV, 43, contra Hierichuntem in ſolitudine, ** in planitie Ruben, Ioſuæ XX, 8, quæ circumſcriptio diſtinguit a vaſta illa ſolitudine, in qua Iſrael errauerat; & ad ערבות *campeſtria* Moab reducit, quæ vox, Kimchio iudice, habet ענין מדבר *notionem ſolitudinis* ſeu paſcuorum: ideoque de hoc ipſo loco coniunguntur Deuteron. I, 1, vt non ſit, quod mireris, Bezer vtroque loco Deuteronomii & Ioſuæ dici במדבר *in ſolitudine*, id eſt campeſtribus Moab ſitam eſſe. Bene igitur Vulgatus vertit Deuter. IV, 43 *Boſor in ſolitudine, quæ eſt in terra campeſtri de tribu Ruben.* Et Ioſuæ XX, 8 *Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine.* In tabulis non longe ab oſtio Iordanis ponitur, quem ſitum vt certo tueri non poſſumus, ita nec habemus, vnde refellatur. Græci interpretes Βοσὸρ vocant: Ioſephus lib. IV Antiquitat. cap. VII Βόσορα: Vulgatus Latinus *Boſor.* Hieronymus: *Boſor in deſerto*

* Dictæ a multitudine arborum fortaſſis, quas שיטים vocant Hebræi. Vid. Reland.
** Bellus eſt etiam ad probandum locus e Gemara Maccoth a Relando adlatus.

trans Iordanem, quæ cecidit in ſortem tribus Ruben ad orientalem plagam Hierichus. Quod vero idem confundit cum Boſtra Arabiæ, longe hinc in æſtiuum ortum remota, error eſt Euſebii, ſi modo Græca eius ſatis hoc loco ſana ſunt.

CCCXXXII.

In ipſa ripa Iordanis e regione Hierichuntis fuit oppidum *Adam*, ſiue *Adom*, quod ſemel tantum memoratur, Ioſuæ III, 16, a quo initium factum eſt exſiccati Iordanis, & conuolutis aquis retracti vsque ad oppidum Zartan, longe hinc in ſeptemtrionem remotum, * ſed in altera ripa poſitum: de quo miraculo ſupra in *Zartan* ſatis dictum fuit. ** Interpretes Græci hoc loco: ἀπὸ Αδαμὶ τῆς πόλεως. Latinus Vulgatus, *ab vrbe, quæ vocatur Adom, vsque Sarthan.* Etiam Talmudiſtis nomen vrbis eſt, diſtantis a Zartan XII milliariis, (Hieroſ. Sotah f. 21, 4) quod vero ſpatium non ſufficit, niſi maiora milliaria, quam mille paſſus, intelligas. Io. Lightfoot Chorograph. in Matth. cap. XCII, *Ab Adam ad Zaretanam erant aquæ arefactæ: a Zaretana & ſupra erant coaceruatæ. Adam erat in Peræa ex aduerſo Hierichuntis: Zaretan erat in Manaſſitide cis Iordanem.* *** Plura ex eodem ſupra dedimus in *Zartan*, quæ etiam ad noſtri loci expoſitionem faciunt.

CCCXXXIII.

In eadem ripa fuit *Liuias*, ſiue vt Græco more Hieronymus ſæpe vocauit, *Libias*, de qua ſupra in tribu Gad multa diximus, non quod ad tribum illam pertinere cenſeamus, ſed vt illos, qui ſupra Bethabara in ſeptemtrione ponunt, confutaremus. Adde & dicta in *Bethphogor* tribus Ruben, vbi Hieronymus monti Phogor e diametro oppoſuit. Ioſephus quidem inter opera Herodis non memorauit: alibi tamen, lib. IV de Bello cap. XXV vocauit Ιȣλιάδα, *Iuliadem*, quia Liuia Auguſti ipſi ſemper *Iulia* eſt vocitata; vbi quæ coniunguntur, Abila, Bethſimoth & ipſe Aſphaltites euincunt eamdem eſſe, quam ſupra expoſuimus, Liuiadem. Supra an infra tranſitum Iſraelitarum poſita fuerit, quæris? Videtur inferius paullo, quia idem Hieronymus in Ioelem cap. vlt. locum *trans mare mortuum* ſitum dixit *iuxta Liuiadem, ſexto ab ea milliario*, eſſe poſitum. De veteri nomine *Betharan* etiam ſuperius dictum in Gad controuerſiæ occaſione, quamuis huc in Ruben pertineat.

CCCXXXIV.

Aliud opus Herodis, ſed remotius ab Iordane, & in auſtrum magis incli-

* Caue credas. Non erat *Zartan* in ſeptemtriones remotum ab *Adam*, ſed iacebat e regione *Adami*, non tamen proxime ad Iordanem adpoſiti. Vide Relandum.

** Cap. XIII § 89.

*** Hæc obſcurius dicta ſunt. *Adam* oppidum Perææ erat obiectum Zarthani oppido Scythopoli cis Iordanem proximo. Nam Ioſ. III, 16 *Adam* vrbs dicitur מצד צרתן *a latere Zarthanis* ſita. Ergo *Adam* & *Zarthan* communis quaſi terminus erant ex vtroque Iordanis latere, vnde & deficeret Iordanes, ne in inferiora decurreret, & vnde in ſuperiores regiones longe retrocederet. Quum autem *Adam* ab littore Iordanis paullo longius abeſſet, vt ex Talmudiſtarum loco adparet: magnitudo miraculi iam magis intelligitur. Nam ſuperfuſus ripis ſuis Iordanes tamen in inferiora deſcendere non potuit.

inclinans, fuit *Herodium*, Ἡρώδειον, diuerſum ab altero huius nominis, ſito cis Iordanem, prope Thecuam, LX ſtadiis ab Hieroſolymis, de quo ſupra in Iudæa diximus. Ioſephus lib. I de Bello Iud. cap. XVI ita diſtinxit: φρούριον ἐπιτειχίσας τῷ πρὸς Ἀραβίαν ὄρει, προσηγόρευσεν Ἡρώδιον ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, *caſtellum contra montem Arabiæ muniuit, quod de ſuo nomine Herodium nuncupauit.* Arabia illa Moabitis eſt, cuius gentis incurſionibus hoc caſtellum eſt oppoſitum. Tum vero de altero in Iudæa Herodio ſubdit: τὸν δὲ μαστοειδῆ κολωνὸν ὄντα χειροποίητον, *tumulum vero manu factum ſexaginta ſtadiis ab Hieroſolymis* exornauit *ædificiis*, ἐκάλεσε μὲν ὁμοίως, *ſimiliter nuncupauit*, id eſt Herodium nominauit. Hæc duo monimenta nominis Herodiani ſic accurate diſtinguuntur, quorum alterum trans Iordanem fuit ad fines Arabiæ, alterum cis flumen LX ſtadiis ab vrbe Hieroſolyma. Ioſephus Scaliger ad Euſeb. Chron. num. MMV *Duo* φρούρια *eiusdem nominis Herodes conſtruxerat, prius quidem* ἐν τῷ πρὸς Ἀραβίαν ὄρει, *alterum* ἐν μαστοειδῆ κολωνῷ *ſexaginta ſtadiis ab vrbe Ieroſolymorum.* Legit ἐν τῷ ὄρει, quod in editis ſine præpoſitione eſt, & Rufinus vertit *contra montem Arabici lateris.* Hi Arabiæ montes prope Machæruntem incipiunt iuxta Aſphaltiten. Idem Ioſephus lib. I cap. VI ἐτείχιζε Μαχαιροῦντα πρὸς τοῖς Ἀραβίοις ὄρεσι, *muniuit Machæruntem ad Arabicos montes ſitum.* Ibi enim limes erat & initium regni Nabatæorum. Herodes vt ipſe præceperat, in Herodio ſepultus eſt, quo, ex Hierichunte, vbi mortuus erat, per ducenta ſtadia funus magnifice deductum fuit, vt Ioſephus extremo lib. I de Bello tradidit. Id de hoc trans Iordanem Herodio vir clariſſimus Io. Lightfoot in Ioannem Chorograph. cap. III interpretatur. Nihil quidem hiſtoricus adiecit, quo alterutrum Herodium deſignetur, niſi ex diſtantia CC ſtadiorum petas, quantum fere ſpatium etiam inter Hierichuntem & alterum, cis Iordanem Herodium eſt, quod LX ſtadiis ab Hieroſolyma diſtabat, hæc CL ab Hierichunte. Sola via in transfluminalem regionem erat planior, aptiorque funeri deducendo: aſperior, quæ in alterum Hierichunte ducebat Herodium.

CCCXXXV.

Machærûs autem, illud caſtrum ad montes Arabiæ Moabiticos, nec procul ab Aſphaltite lacu, Perææ terminus auſtralis erat. Ioſephus enim lib. III de Bello cap. IV Perææ longitudinem ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν, *a Machærunte ad Pellam* metitur. Idem lib. VII Belli cap. XX & XXI Machæruntis ſitum, originem, fata & oppidum adiectum copioſis verbis deſcripſit, in monte poſitum eſſe φάραγξι, vallibus vndique præaltis ac latis cincto, quæ acceſſum difficiliorem faciant: Alexandrum Iudæorum regem condidiſſe: euertiſſe, contra Ariſtobulum bello, Gabinium: inſtauraſſe Herodem & oppidum addidiſſe circa verticem in quo caſtellum erat, vtrumque feciſſe munitiſſimum. Quæ ab occaſu vallis ſubiaceat, poſt ſexaginta ſtadia in lacu Aſphaltite deſinere: vnde de vero ſitu & diſtantia iudicari poteſt. Ipſe vero *Machærûs* (αὐτὸς ὁ Μαχαιροῦς) proprie caſtelli nomen erat, altiſſimo vertice ſupereminentis; poſtea vero etiam cum oppido circumiecto communicatum. Herodes id reſtituit διὰ τῶν Ἀράβων γειτνίασιν

τνίασιν, propter Arabum vicinitatem. *κεῖται γὰρ ἐν ἐπικαίρῳ πρὸς τὴν ἐκείνων γῆν ἀποϐλέπων, ſitus enim eſt opportune, illorum* [Arabum] *terram proſpectans.* Plinius lib. v cap. XVI *Proſpicit eum* [Aſphaltiten lacum] *ab oriente Arabia Nomadum, a meridie Machærûs, ſecunda quondam arx Iudææ, ab Hieroſolymis.* Primo caſu *Machærûs,* qui proſpicit a meridie, id eſt a meridie ſubiacentem habet lacum Aſphaltiten: * quia vbi ille recepto Iordane incipit, Machærûs in vicino ſitus eſt ita, vt lacum ab occaſu naſcentem habeat, a meridie eiusdem longitudinem. In hoc *φρουρίῳ* ſiue caſtro Ioannes baptiſta captiuus tenebatur. Ioſephus lib. XVIII cap. VII de illo: *δέσμιος εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, ταύτῃ κτίννεται, vinctus in Machærunta miſſus fuerat, ibidemque occiditur.* Ex quo coniicere licet, Herodem Antipam natalem ſuum Ioanni funeſtum, in vicino Herodio celebraſſe.

CCCXXXVI.

Callirrhoe hinc ſequitur, fons pulcherrimus aquæ calidæ, propior lacui bituminoſo, in quem effluit. Plinius lib. v cap. XVI, poſtquam de Machærunte dixerat, *Eodem,* inquit, *latere eſt calidus fons medicæ ſalubritatis Callirrhoe, aquarum gloriam ipſo nomine præferens.* His aquis Herodes vſus eſt, vltimo morbo decumbens. Ioſephus lib. XVII cap. VIII, *ποταμόν τε περάσας Ἰορδάνην θερμοῖς τοῖς κατὰ Καλλιρόην αὑτὸν παρεδίδου, ἅπερ σὺν τῇ ἐς πάντ' ἀρετῇ καὶ ποτιμά ἐστιν, profectus vltra Iordanem fluuium calidis aquis ſe fouebat apud Calliroen, quæ præter vim medicam potu quoque iucundæ ſunt.* E quibus intelligimus, non ſolum fontem fuiſſe, ſed oppidum etiam, iuxta illum, eiusdem nominis: quia thermæ illæ *κατὰ, iuxta* Calliroen oppidum erant. Ptolemæo quoque lib. v cap. XVI *Καλλιῤῥόη, Callirrhoe,* inter oppida Iudææ trans Iordanem ſita recenſetur. Sita Callirrhoe prope Machæruntem & Arnonis oſtium, ſiue inter vtrumque. nam in Herodis regno erat, quod finiebat amnis Arnon: & eodem latere lacus Aſphaltitæ, quo ipſe Machærus, Plinio auctore. Solino quidem cap. XXXV *Callirrhoe Hieroſolymis proxima:* quem dum magnus Salmaſius caſtigat, ipſe a Plinii interpretatione vera aberrat. *Eodem,* inquit, [quo Machærus] *latere, meridiali ſcilicet Aſphaltitis lacûs, fons ille Callirrhoe.* Non enim Plinius de lacu dicit, ſed de Machærunte, proſpicere lacum a meridie, ſiue, a ſeptemtrione lacui eſſe adpoſitum: vt ſupra in Machærunte declarauimus. Propinquitas Hieroſolymorum quomodo defendi poſſit, ſaltem excuſari, ſupra in *Maſada* Iudææ oſtenſum eſt. Antiquum nomen oppidi iuxta hos fontes, tradunt *Laſa* eſſe ſiue *Læſa* aut *Læſcha,* Geneſ. x, 19, vt ordo ille ſubmerſarum vrbium ibidem videtur exigere. Sic Hieronymus Quæſt. Ebr. ad hoc Geneſ. caput: *Hoc tantum adnotandum videtur, quod Laſa ipſa ſit, quæ nunc Callirrhoe dicitur: vbi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt.* quamquam in Locis Ebr. idem, *Laſa* termi-

* Hæc verba Relandi argutias euadere non potuerunt: quum tamen, vt tabulæ vtriusque docent, Relandus & Cellarius idem ſentiant. Ac nemo eſt, quin ſciat, quid ſit *ab oriente, ab occidente* cet. *proſpicere.*

terminus Chananæorum circa Sidonem: quod pugnat cum Geneſeos textu. Nec excuſabis, Euſebium ſequutum eſſe, & ex illius dixiſſe ſententia, non ſua. nam ille nihil de Sidone, ſed ita Græce ſcripſerat: Λασὰν ὅριον τῶν Χαναναίων περὶ τὴν Σοδομίτην, *Laſan, terminus Chananæorum circa Sodomitam,* intellige λίμνην ſiue lacum: quod veriſſimum eſt, quia ibi terminus aduerſus Moabitas. Conſentiunt etiam Iudæi interpretes. Ionathan Chaldæus iunior in Geneſ. x, עד לשע reddidit עד קלרוהי *vsque ad Callirrhoen.* Sic & Breſchith Rabba ſect. XXXVII & Targ. Hieroſol. Megilla f. 71, 2. Non placent hæc Bocharto, ſed Laſam Moſis putat Ptolemæi Λύσαν, *Lyſam* in Arabia Petræa eſſe. Verum longius hæc in auſtrum eſt reducta, quam vt ad terminos Chananææ adferri poſſit. Quare in dicto Hieronymi & Iudæorum conſenſu adquieſcimus.

CCCXXXVII.

In Rubenitarum oppidis fuit etiam *Sibama*, ſiue *Sibma*, ſeu *Sabama*, Numer. XXXII, 28, de cuius ſitu nihil certi habemus: & tabularum auctores ſuas quisque coniecturas ſequuntur. Hieronymus in Locis: *Sabama ciuitas Moab, in terra Galaad, quæ cecidit in ſortem tribus Ruben. Meminit & huius Eſaias in viſione contra Moab.* Agrum habuit vitiferum, Eſa. XVI, 8, 9. Ierem. XLVIII, 32. Vtrobique cum Iazer ſiue Iaſer, termino tribus Gad ad orientem, coniungitur. Propagines eius dicuntur dispellendæ *trans mare:* ſed quale? num mortuum? hoc quidem attingit tribus Ruben, ſed longe diſtat ab Iaſer: num mare Iaſer? ſed hoc cum oppido procul a tribu Ruben. Forte ad limitem Ruben fuit, qui mare ſeu lacum Iaſer ſpectabat.

PRISCI HABITATORES CHANANAEAE.

CCCXXXVIII.

Chanaan, nepos Noæ, numeroſam prolem habuit, & vndecim filii Geneſ. x nominantur, e quibus non nulli in Syria aut Phœnice ſibi ſuisque poſteris ſedes delegerunt, *Sidon* primogenitus, & *Arki*, a quo Arce condita ad Libanum; *Aruadi*, quem *Aradium* interpres Latinus nominat; & *Amathæum* ſiue *Hamathi*, a quo Hemath, vrbs antiqua, condita: plures autem terram occuparunt, poſtea Abrahami poſteris promiſſam, etiam tempore completo datam. Hos ſeu poſteros eorum in plures gentes diſtributos promiſſione prima Deus Geneſ. XV, 19, 20, 21 ſic enumerauit, vt Vulgatus interpres expreſſit: *Cinæos, Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque: & Amorhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos.*

CCCXXXIX.

Vbi promiſſio hæc repetita eſt, plerisque locis quinque tantum gentes ex hisce enarrantur, *Hethæi, Phereſæi, Chananæi, Amorrhæi, Iebuſæi,* adiecta ſexta gente, quæ prima promiſſione non fuit nominata, *Heuæorum;*

rum; Exodi III, 8, 17, cap. XXIII, 23, cap. XXXIII, 2 & XXXIV, 11, Deuteron. XX, 17: nonnullis locis hiſce ſex populis adiunguntur ex prima promiſſione *Gergeſæi*, gens ſeptima, Deuteron. VII, 1, Ioſuæ III, 10, cap. XXIV, 11. Ex quibus licet colligere, qui Geneſ. XV præter hos enumerantur *Kenæi*, *Kenizæi*, *Kadmonæi*, & *Raphaim*, aut ſub ſex ſeptemue repetitis comprehendi, amiſſo nomine; aut ſedibus ſuis relictis aliorſum commigraſſe, antequam Moſes cum populo adueniret. *Kenæos* & *Kenizæos* Bochartus, diligentiſſimus originum & ſucceſſionum ſcrutator, nusquam inuenit, eorumque nomen deletum putat illo temporum interuallo, quod inter Moſen & Abrahamum fuit. *Cadmonæi* eidem videntur in prima promiſſione, qui vbique in repetitione eius *Heuæi* nuncupantur, & ſub Hermone monte dicuntur habitaſſe, Ioſuæ XI, 3, qui orientalis eſt reſpectu Libani & Phœnices & partium Palæſtinæ ſeptemtrionalis. nam vox ipſa *orientalem* ſignificat. Quod niſi eſſet, nulla in promiſſione prima, quæ pleniſſima eſt, mentio populi Heuæorum fieret, ſemper deinceps in repetitione nominati. *Raphaim* ſiue *Rephaim* quibusdam communis vox eſt, gigantes ſonans, vti fuerunt; ſed Gen. XV eſſe proprium gentis nomen ex ipſo contextu eſt luculentum. Nec difficile eſt illos inuenire trans Iordanem in Baſan ſeu Batanæa, quos Kedorlaomor in tractu trans flumen per Suſim & Emim ad Sodoma & Horitas vsque in monte Seir, Geneſ. XIV progrediens: licet non negemus, alibi *Raphaim*, interpretum conſenſione, gigantes eſſe.

CCCXL.

Septem nunc populos terræ Chanaan, in repetita promiſſione nominatos luſtrare noſtrum eſt.

1. *Hethæi* ſiue *Hittæi*, Χεττοῦοι Græce, circa Hebronem, quæ tum Kiriath Arba dicebatur, habitarunt, uti ex patriarcharum hiſtoria Geneſ. XXIII, 10, XXV, 9, XXVI, 34, inter quos *Enakim*, gigantes erant, Ioſuæ XIV, 15. Dicta a filio Chanaan, cui *Heth* nomen erat, Geneſ. X, 15.

2. *Phereſæi*, Φερεζοῦοι, ex quo filio Chanaanis fuerint progeniti, non conſtat. Geneſ. XIII, 7 dicuntur habitaſſe in illa regione, vbi Abraham & Lot ante ſeparationem inquilini erant. Abrahami autem tentoria erant inter Bethel & Ai, vt ibidem commate 3 eſt proditum.

3. *Amorrhæi*, *Amoritæ*, a filio Chanaanis Amori ſiue Emori nomen habebant, Gen. X, 16. Habitarunt in montanis Iuda ad meridiem, cap. XIV, 7, & alicubi Hethæis permixti, commate 13, 16, etiam circa Sichem, Geneſ. XLVIII, 22, atque etiam Moſis temporibus in montanis cis Iordanem habitabant, Numer. XIII, 30. ſed magna illorum pars traiecto flumine Moabitis & Ammonitis terrarum multam & forte dimidiam partem armis eripuerunt, Iſraelitis poſtea, victo Sihone illorum rege, relinquendam: de qua Amorrhitide ſupra in tribubus Ruben & Gad copioſe actum fuit.

4. *Chananæi* ſequuntur in prima promiſſione: in ceteris etiam nunc primo, nunc medio loco cernuntur poſiti. Omnes quidem hi populi Chananæi erant, id eſt Chanaanis poſteri: quidam tamen hoc nomine ſingu-


ARABIA
PETRAEA ET DESERTA
Septemtrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARIS
MEDITER-
RANEI
PARS
SYRIA
MESOPOTAMIA
Antiochia
Orontes fl.
Caſius M.
Apamea, Hemath
Euphrates fl.
Chaboras fl.
Saocoras fl.
Byblus
Libanus M.
Berytus
Phoenicia
Sidon
Tyrus
Antilibanus
Ituræa
Trachonitis
Damaſcus
Palmyra
Thapſacus, Amphipolis
Arabes
Scenitæ Transeuphrateſii
Birtha
Galiſtha
Auzara
Audatha
Dadara
Balagæa
Colarina
Pharga
Belgynæa
Reſcipha
Catanii
Terra Vz ſiue Auſitis
S. Iobi ſedes
Cauchabeni
BABYLONIA
ET
CHALDAEA
Orchoa
Cæſarea Philippi
Galilæa
Ptolemais
Batanæa
Solitudo Palmyrena
Canatha
Saccæa
Geneſaret
Gaulon
Adra
Cæſarea
Samaria
Ioppe
PERAEA
Ammonitis
Pella
Philadelphia, Rabbat Ammon
Iaſer
Boſtra
Philippopolis
ARABIA
Barathena
Sabe
Gabare
Rheganna
Choce
Aurana
Aiſitæ Ptol. ſeu potius Auſitæ
Montes Chaldæi Ptol.
Hieroſolyma
Callirrhoe
Amorritis
Areopolis, Rabbat Moab
Arnon fl.
Azotus
IUDAEA
Moab
Zared fl.
Solitudo Arabica
Alata
Themma, ſeu Thema
DESERTA
Agræi
Gaza
Raphia
Zoara
Corace
Rhinocolura
Seir
Maguza
Ziza
Erupa
Marteni
Luma
Duma
Theman
Caparorſa
Eluſa
Eboda
Zur
Sirbonis Lacus
Aegypti fines
Sinai
Horeb
Lyſa
Gubba
Gypſaria
Auara
Petra Arce
Nabatæorum regio
ARABIA PETRAEA
Solitudines
Seuia
Thauba
Dapha
Cora
Maſani
Tedium
Arrade
Zagmais
Terra Heuila
Audia
Necla
Anitha
Adron
Moca
Banacha
Dumetha
Ammæa
Perſici Sinus Pars
Elana
Phara
Aſiongeber, Berenice
Obœra
Agubeni
Rhaabeni
Allata, Alata
Calathuſa
Idicara
Pars Sinus Arabici
Kedar, Cedrei
Artemita
Bere, Abere
Orcheni
Salma
Iucara
FELICIS ARABIAE FINES, quam vide in Tabula Orientis expreſſam

ſingulariter vſi, incertum ex quo filio Chanaanis; & qui factum, vt auitum nomen propinquiori, ex quo erant, præferrent: niſi ex vitæ genere, mercaturam exercentes, id præ ceteris cognatis adepti ſunt, quia כנענים Ebræis etiam *mercatores* ſignificabant: cui ſtudio præcipue ſedes illorum ſeu regio erat idonea. Dicuntur enim habitaſſe ad mare & circa Iordanem, Numer. XIII, 30, & Ioſuæ XI, 3. atque ita maiorem partem promiſſæ patriarchis terræ poſſederunt.

5. *Heuæi*, Εὐαῖοι, in repetitis promiſſionibus etiam inter principes ac maiores populos recenſentur, de quibus ſupra in Cadmonæis dictum eſt. Sub Hermone habitarunt, Ioſuæ XI, 3. & ſub parte Libani, aut inter Libanum & Hermonem montes, Iudic. III, 3. Quo Bochartus fabulam de Cadmo eiusque vxore refert Harmonia, ſeu Hermonia, in ſerpentes conuerſis, quia priſcum Cadmonæorum nomen, de quo diximus, mutatum in Heuæorum fuerit, a חויא *fera, beſtia*, vt anguis eſt, petitum. Cadmus autem, qui litteras in Græciam intuliſſe fertur, videtur ex Cadmonæis fuiſſe: quem ex Phœnice Græci in ſuam terram aduenisse tradunt.

6. *Gergeſæi*, quod rarius, quam ceteri, memorantur, & tantummodo Geneſ. XV, 21, Deuteron. VII, 1, Ioſuæ III, 10, cap. XXIV, 11, videntur & pauciores & obſcuriores ceteris fuiſſe. Vulgo circa Gergeſam, oppidum trans Iordanem, locant. Cuius quod non certiſſimæ rationes ſunt, vt ſupra demonſtrauimus; etiam de reliquiis eorum in oppido Gergeſa nihil definimus. Iudæi in Iuchaſin, migraſſe ex terra ſancta tradunt, & in ſeptemtrionali quodam loco conſediſſe. Nomen genti eſt a Chanaanis filio *Girgaſi*, Geneſ. X, 16, quem Vulgatus interpres etiam *Gergeſæum* dixit.

7. Et *Iebuſi*, Chanaanis filius auctor gentis *Iebuſæorum*, ita bellicoſæ, vt vsque ad Dauidis tempora inter Iſraelitas ſe & res ſuas, ſaltem in oppido Iebus, quod Hieroſolyma poſtea ſeu Ieruſalem dictum fuit, conſeruaverint: Iudic. I, 21, 1 Samuel V, 6.

CAPVT XIV
DE
A R A B I A.

I.

SYriam & Palæſtinam excipit *Arabia*, longe lateque patens regio, ab Aegypto vsque ad Chaldæam: & ex alia plaga ab Euphrate Syriam adluente vsque ad oſtium ſinus Arabici, quo ex Erythræo ille Oceano effunditur. Diuiditur in tres maiores partes, quarum ſingulæ varias gentes ac nationes habent. Prima eſt *Arabia Petræa*, * Palæſtinæ partim ab auſtro obiecta,

* Hanc Græce nominat nobis Dioſcorides lib. I cap. 92 Ἡ δὲ ἐξ αὐτῆς ῥητίνη κομίζεται μὲν ἐξ Ἀραβίας τῆς ἐν πέτρᾳ, *reſina eius ex Arabia Petræa defertur*, Strabo & Stephanus & Mela eam non nominat.

obiecta, partim ab oriente. * Altera *Arabia Deſerta*, inde a Palmyrenis ſolitudinibus ſub Euphrate ad Chaldæam vsque procurrens. Tertia *Arabia Felix*, vtrique iam dictarum in auſtrum verſus ſubiecta, comprehenſa ſinu Arabico ab occidente, & ſinu Perſico ab oriente ac ſeptemtrione. De ſingulis agemus ſeparatim, & primum de Petræa.

SECTIO I.

ARABIA PETRAEA.

II.

Antiquiſſimi Arabiæ Petrææ populi, quorum habetur mentio in ſacris hiſtoriis, ſunt *Ammonitæ*, *Moabitæ*, *Idumæi*, ſeu Edomitæ, *Amalekitæ*, *Madianitæ* ſiue Midianitæ, *Iſmaelitæ*, ſed plerorumque nomina ſunt tempore deleta, ſolo *Idumæorum* diutius conſeruato: & *Nabatæorum* primum, deinde *Saracenorum*, latiſſime diffuſum, in commune ſucceſſit fere omnibus. Erant etiam *Ituræi* & *Trachonitæ* Arabici generis, de quibus ſupra in Palæſtina trans Iordanem ſita actum fuit. Nomen autem *Arabiæ Petrææ*, quod *Petra*, Nabatæorum regia dedit, non eſt antiquiſſimum, ** nec ipſum nomen vrbis, quod Græcum eſt, πέτρα, ante Macedonum tempora potuit eſſe impoſitum. Sed infra de hac vrbe: nunc prius de antiquis populis.

III.

AMMONITAE ſeu *filii Ammon*, trans Iordanem & in montibus Galaad, ac vltra, ſuam habuerunt ſedem: partem vero citeriorem rex Amorrhæorum Sihon illis eripuit, Amorrhæo Sihoni Iſraelitæ. atque ita Ammonitæ in orientem compulſi, terram tribui Gad finitimam coluerunt. Vnde Ioſuæ XIII, 24, 25 dicitur: *Moſes dedit tribui Gad ciuitates Galaad & dimidiam partem filiorum Ammon vsque ad Aroer, quæ eſt contra Rabba.* Hanc vero partem filii Ammon amiſerant ante, quam Iſraelitæ ad Arnonem & Iordanem peruenirent, quum iam facta Amorrhitis eſſet. Quod ergo hæc Iſraelitis ceſſit, nunc reliquam partem, quæ manſit Ammonitis, & in orientem a limite Iſraelis vergit, perluſtrabimus.

IV.

Limes *Ammonitidis* ab occaſu partim, partim a ſeptemtrione flumen *Iabok* fuit, quamquam decurſus eius a fontibus, quo ductu, recto an obliquo feratur, nullis documentis definiri poteſt. Adrichomius, & qui eum ſequuntur, ex ſeptemtrione deducunt, flectunt in occaſum: ſed in eo fallunt, quod in lacum Galilæum effundunt, quum tam Ioſephus lib. IV Antiquit. cap. V, & Hieronymus de Locis cum Euſebio teſtes ſint, *in Iorda-*

* Hæc illuſtrabuntur multis illis veterum ſcriptorum locis, quos Relandus cumulauit libr. I cap. 16. De illis hic modo Ioſephi Antiq. XIV, 1, 4 & Euſebii adnotationem ad vocem *Iordanis*, Ἀραβὼθ, Ἐσσεβὼν commemoraſſe ſatis eſt. Ex iis liquet, Arabiam dictam eſſe omnem terram, quæ trans Iordanem ſita erat. Ea autem ab vrbe principe Petra *Petræa* dicebatur, vt mox auctor noſter docet.

** Vide notam ad § I priorem.

Iordanem, non in lacum, exire. Hic enim clare, ῥεῖ μεταξὺ Ἀμμὰν, τουτέστι Φιλαδελφίας, καὶ Γερασῶν, καὶ κατερχόμενος συμμίγνυται τῷ Ἰορδάνῃ, *fluit inter Amman, id eſt Philadelphiam, & Geraſam, & delapſus miſcetur Iordani.* Hieronymus poſt *Geraſam* interſerit, *in quarto milliario eius.* Quod ſi μεταξὺ, *inter* Philadelphiam & Geraſam decurrit, alius error tabularum Adrichomii & Bonfrerii manifeſtatur, quæ ex ipſa Philadelphia deducunt, quaſi vrbem perluat, aut intra illam naſcatur. De *vrbe aquarum*, parte vrbis regiæ, poſt dicturi ſumus.

V.

Caput gentis erat *Rabba*, 2 Samuel. XI, 1 & XII, 27; ſiue *Rabbath Ammon*, ſeu *Rabbath filiorum Ammon*, 2 Samuel. XVII, 27, Ierem. XLIX, 2. Vnde Polybius compoſito nomine Ῥαβατάμανα τῆς Ἀραβίας, *Rabatamana Arabiæ* adpellauit, quod eſt ex Rabbat Ammon. nam eamdem vrbem etiam Ἀμμὰν, *Amman* dixerunt, vt modo ex Euſebio & Hieronymo cognouimus. Ioſephus lib. IV Antiquitat. cap. V ita deſcripſit, ἐν Ῥαβαθᾷ πόλει τῶν βασιλείων τῆς Ἀμμανίτιδος, *in Rabata, vrbe regia Ammanitidis.* Magnificentiam eius nomen *Rabbah*, id eſt *magna* oſtendit, cuius ſuburbium *vrbs aquarum* a præfluente amne, vel a fontibus aut lacu nominatur 2 Sam. XII, 27, quo vero nondum euictum eſt, ex vrbe Rabba Iabocum, vt tabulæ referunt, effluere, qui μεταξὺ, *inter* illam & Geraſam, vt vidimus, decurrit. Ex caſu belli vel alio fortunæ reſtituit & ornauit Ptolemæus Philadelphus, (nam tum Aegyptii reges Cœleſyriam ſibi vindicabant) & de ſuo nomine *Philadelphiam* nominauit, quod nomen in poſteris etiam obtinuit. Hieronymus in *Amman* & *Amon* vrbem *nobilem & illuſtrem Arabiæ* dixit, quo nomine totus ille tractus, etiam Moabitis, poſteriori æuo deſignabatur. * Vnde pars illa *Arabia Philadelphenſis* fuit cognominata. Epiphanius Anacephalæoſi pag. 145 οἱ τὴν Βάκαθον κατοικοῦντες, μητροκωμίαν τῆς Ἀραβίας τῆς Φιλαδελφίας, *qui Bacathi habitant, qui eſt Arabiæ Philadelphenſis primarius vicus.* Plura de hac vrbe ſupra in Decapoli, cuius pars fuit, dicta ſunt, quæ relegantur. Situs demonſtrari accurate nequit, quia turbatior hoc loco Ptolemæus eſt. Adrichomius & Bonfrerius, qui Iabocum ex ſeptemtrione deriuant, e regione ferme medii lacus Geneſaritidis ponunt: at Euſebius cum Hieronymo in *Iazer*, decimo milliario ab Iazer in ortum ſolis. Quod ſi eſt, nimium quantum a loco Adrichomii ſeiuncta eſt, etiam Iabok in contrariam plagam deflectendus. Conſentit Ioſephus lib. III de Bello cap. IV latitudinem Perææ definiens ἀπὸ Φιλαδελφίας μέχρι Ἰορδάνου, *a Philadelphia ad Iordanem.* Ex Adrichomii autem diſpoſitione non ad Iordanem, ſed ad lacum Geneſaret, qui oppoſitus eſt, ducenda latitudinis menſura eſſet, quum vero ibi nec Peræa ſit, quam Ioſephus definit. Cuius longitudinem quum a Pella ad Moabitas idem duxerit, oportet Philadelphiam auſtraliorem quam Pellam eſſe. Hinc regio ibidem Φιλαδελφηνὴ, *Philadelphene* dicta, vt χώρα vel γῆ ſubaudiatur.

* Vide adnotata ad § I huius capitis.

VI.

Mennith, oppidum, ad quod vſque ab Aroer Ammonitas victos fugienteſque Iephta perſequutus eſt, Iudic. XI, 33. Hieronymus cum Euſebio; *Mennith, vbi Iephte prœliatus eſt: nunc autem oſtenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus pergentibus Philadelphiam*, id eſt in ortum æſtiuum. Propinquitas vrbis Esbus ſiue Hesbon facit locum hunc ſuſpectum, quia ſic in tribum Gad incideret: quum probabile ſit extrorſum victos in ſuam terram verſus refugiſſe. *Mennith* enim eſt primus fugæ terminus; *Abel vinearum* alter & vlterior. Ceterum plaga non aliena eſt, quod ab Aroer, initio fugæ, Philadelphiam verſus ſitum vtrumque oppidum Mennith & Abel vinearum fuerit: Non poſſum præterire, *Mennith* mihi non genuinum aut plenum nomen oppidi videri, ſed מנית עשרים עיר *Minnith viginti oppidorum*, vt, ſi differentiæ cauſſa diceres *Philadelphia Decapoleos;* ſic hoc loco *Minnith* XX *oppidorum*, quaſi regio illa ab oppidorum numero denominata ſit; aut ſicut *Tripolis* vna vrbs eſt, & *Decem pagi* in Germania ſuperiori, Romanorum prouincia. Niſi enim verba *viginti oppida* coniungas cum *Minnith*, non explicabis cur adpoſita ab ſacro ſcriptore fuerint. nam disiungere, vt quædam verſiones ſolent, incommodum ſenſum infert, quaſi per viginti oppida, aut præter totidem, Iephta hoſtes, ab Aroer ad Minnith perſequendo, ceciderit: quod nimium eſt & incredibile.

VII.

Abel vinearum, quæ in eadem hiſtoria commemoratur, ab aliis huius nominis, etiam trans Iordanem poſitis, ſeparanda. Illæ enim in terra Iſraelis erant: hæc ſine dubio in Ammonitide, extra limitem tribuum illarum præfinitum. Hieronymus: *Abela vinearum, vbi dimicauit Iephte in terra filiorum Ammon. nam & vsque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur vinetis conſita: alia quoque eſt ciuitas nomine Abela: vini fertilis, in duodecimo a Gaderis milliario contra orientalem plagam.* Græci interpretes Iudic. XI, 33 Ἄϐελ ἀμπελώνων, & quibusdam libris Ἔϐελ χαρμὶν, Ebræa voce retenta: Euſebius Αϐελαμπελών.

VIII.

Ioſephus lib. XII cap. XI Ιαζωρὶν, *Iazorum* videtur in Ammonitide ſtatuere, quam Iudas Maccabæus bello Ammonitico dicitur expugnaſſe. *In Ammonitas*, inquit interpres vetus, *arma transtulit, & his quoque diuictis, Iazorum, eorum vrbem, expugnauit:* Græce ſine pronomine τὴν Ἰάζωρον ἐξῆρε πόλιν. Verum 1 Maccab. V, 8 in eadem hiſtoria legitur Ιαζὴρ, *Iazer* ſiue *Iaſer*, quod nomen vrbis eſt ſupra explicatæ in tribu Gad, quam vt Moabitæ prophetarum temporibus poſſederunt, Eſa. XVI, 8, Ierem. XLVIII, 32; ita progreſſu temporis Ammonitæ, quorum finibus propinquior erat, occupauerant, quum Iudas Maccabæus illam expugnaret. Adde Eſa. XLIX, 1. Plura de Ammonitide nobis haud conſtant.

IX

IX.

MOABITIS olim Ammonitidi in auſtrum ſubiecta fuit, antequam Amorrhæus Sihon vtrique genti partem terrarum eriperet, ab Iſraelitis poſtea poſſeſſam, Numer. XXI, 26. Tum vero Moabitæ Arnone fluuio, lacu Aſphaltite, & torrente Zared concludebantur, quamquam Iſraelis regno decreſcente aut euerſo plura Rubenitarum Gaditarumque inuaſerunt, Eſa. XV, & ſequente, Ierem. XLVIII, quo bello Moab & Ammon videntur arma conſociaſſe, quia Hesbon nunc Moabitarum dictis locis fuiſſe dicitur, nunc Ammonitarum, Ierem. XLIX, 3. Sed de nouis his poſſeſſionibus, quæ Iſraelitarum fuerant, quod ſupra actum fuit, nihil addimus; tantum *Moabitidem propriam*, & Arnone amne diſterminatam, perluſtraturi.

X.

Regio ipſa vocatur Μωαβῖτις, *Moabitis*, a Moab Loti filio, cuius poſteris diuinitus ad inhabitandum conceſſa fuerat, Deuter. II, 9, Ioſephus lib. III de Bello cap. IV de Peræa: μεσημβρινὸν αὐτῆς πέρας ἡ Μωαβῖτις, *meridianus eius terminus Moabitis eſt.* Prius fuit poſſeſſio gigantum *Emim*, quos deleuit Deus per Moabitas. Deuter. II, 10. Caput eius & vrbs regia fuit *Ar*, ad Arnonem fluuium ſita, de qua dicto cap. II Deuteronomii, commate 9, 18, 29; Numer. XXI, 15, 28 & Eſa. XV, 1. Adpellata etiam fuit *Rabba*, Ioſuæ XIII, 25, vbi Aroer dicitur ſita *contra Rabba*, id eſt in altera Arnonis ripa modico interuallo ſeiuncta. Hieronymus in *Iazer* cum Euſebio: *tribus Gad extenditur vsque Aroer, quæ & ipſa reſpicit vsque Rabbam.* Et ne cum Rabba Ammonitarum confundatur, *Rabbat Moab* * vocata fuit. Hieronymus in *Moab*, ſeu Euſebius potius: Μωὰβ πόλις τῆς Ἀραβίας, ἡ νῦν Ἀρεόπολις. καλεῖται δὲ Μωὰβ καὶ ἡ χώρα. ἡ δὲ πόλις Ῥαββὰθ Μωάβ. quod Hieronymus vertit: *Moab ciuitas Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur. Vocatur autem Moab* [ex nomine vrbis] *& regio: & ipſa ciuitas, Rabbath Moab, id eſt grandis Moab.* Vbi vrbs ſimpliciter *Moab* dicatur, vt Euſebius dixit, exemplum, quod clare probet, non occurrit: ſed gentis Moab & regionis nomen eſt. Probabilius alterum nomen *Areopolis.* quod Euſebius dicit ſuo tempore (νῦν) obtinuiſſe. quo & ipſe cum Hieronymo vſus eſt in *Arnon* & *Luith.* Eadem ergo *Ar*, *Areopolis* & *Rabbath Moab:* non autem *Aroer*, quæ in altera ripa ſita erat Arnonis, & Iſraelitarum fuit in tribu Gaditide.

XI.

Arnon autem fluuius olim Moabitidem antiquis temporibus ſecabat: deinde hanc ab Amorrhitide, mox a tribu Ruben & Gad Iſraelitarum ſeparauit, Numer. XXI, 13, 26, cap. XXII, 36, Deuteron. II, 36, cap. III, 12, 16, cap. IV, 48. Ioſephus lib. IV Antiquit. cap. IV hunc fluuium (ποταμὸν vocat, non χειμάῤῥουν, *torrentem*, quod contra interpretes quoſdam notandum) hunc, inquam, ex Arabiæ finibus procurrere dicit, & ὁρίζειν τήν τε Μωαβῖτιν καὶ Ἀμορῖτιν, *diſterminare Moabitin & Amoritin:* & tandem in la-

* Immo etiam *Rabbath Moma*, quod nomen in nummis quoque adparet. Relandus.

cum Aſphaltitin effundi. Dicitur & *flumen Gad* 2 Samuel. XXIV, 5, qui ipſe Arnon eſt, quod ex 2 Reg. x, 33 manifeſtum eſt. Huic fluuio adpoſitæ erant Ar ſiue Rabba, & Aroer, ſed in diuerſis ripis. Hieronymus etiam *rupis Arnon* mentionem habet, *in ſublime porrectæ in finibus Amorrhæorum:* in qua fontes Arnonis Adrichomius ponit, quaſi ex rupe illa profluentis. Etiam locus Φαραγγώδης, vt Euſebius vocat, *prærupta & horribilis vallis*, vt Hieronymus vertit, *ſupra Areopolim ad ſeptemtrionem* ſita, Αρνών, *Arnon* adpellatur, in quo loco militum ex omni parte præſidia ſint diſtributa.

XII.

Ceterarum Moabitidis vrbium poſitionem non poſſumus diſtincte definire, hiſtoria & geographia veteri deficiente. Fuit in his *Mizpe*, vbi Dauid parentes ſuos, quum Saulum fugeret, apud regem Moabitarum depoſuit 1 Samuel. XXII, 3. Græci interpretes Μασσηφ τῆς Μωάβ vocant, Latinus, *Maſpha, quæ eſt in Moab.* Deinde fuit *Luith* Eſa. XV, 5, Ierem. XLVIII, 5. Hieronymus de Locis: *Luith. huius meminit Eſaias: & eſt vsque hodie vicus inter Areopolim & Zoaram nomine Luith.* Ebraice לוחית *Luchith* ſcribitur, & vtroque prophetarum loco cum præfixo nomine מעלה לוחית *adſcenſus Luchith* ſiue *Luhith*, quod editiorem ſitum eius demonſtrat. Vtroque etiam loco cum Luith coniunctum eſt oppidum *Horonaim*, Hieronymo *Oronaim* ſine adſpiratione, Græcorum more: ſed nihil addit, niſi vrbem Moabitarum eſſe.

XIII.

Karioth ſiue *Carioth, Kirioth*, in Moab cenſetur Ierem. XLVIII, 24, 41, vbi Græci Καριώθ tamquam proprium nomen ſcripſerunt: at Amos II, 2 tamquam commune reddiderunt τῶν πόλεων, quod vox ipſa pluralis ſonat. Hieronymus: *Carioth in regione Moabitarum, ſicut Hieremias ſcribit.* Fuerunt etiam *Aquæ Nemrim* in Moabitide, Eſa. XV, 6, Ierem. XLVIII, 34. *Nimrim* Ebraice pronunciantur, de quibus Hieronymus: *Nemrim cuius meminit Eſaias in viſione contra Moab, & Hieremias. Nunc autem eſt vicus nomine Benamerium ad ſeptemtrionalem plagam Zoaræ.* Prauatum vici huius videtur nomen: Euſebius Βενναμαρὴμ, quod propius ad antiquum Nimrim ſeu Namrim accedit, præfixo *Beth* ſeu Talmudico בי *Be*, quod domum ſiue locum ſignificat.

XIV.

Et *Aquarum Dimon* eſt mentio in Moab facta Eſaiæ XV, 9, quæ dicuntur ſanguine a cædibus fluere. Vnde quidam exiſtimant, eſſe *Dibon*, vnam ex poſtremis manſionibus Iſraelitarum, nomine in infauſtius a דם *ſanguis*, mutato, vt Bethel in Bethauen. Sed longius hoc videtur petitum, præſertim quod idem propheta etiam *Dibon* habet in hac comminatione, commate 2 cap. XV, vt malis pro diſtincto loco in Moabitide propria habere, aquis adfluente. Nihilominus Græci interpretes legunt hoc loco Δεβὼν, Hieronymus *Debon:* qui & in commentario ad Eſaiæ XV, *Ne quis ſcriptoris vitium putet & errorem, emendare dum vult, faciat. Vna vrbs & per*

& per M *& per* B *litteram ſcribitur; e quibus Dimon ſilentium interpretatur, Dibon fluens: indito vtroque nomine propter latices, qui tacite fluant. Vſque hodie indifferenter & Dimon & Dibon hoc oppidulum dicitur.* Quod ſi eſt, *Dimon* huc non pertinet, ſed ad tribum Gad, Numer. XXXII, 34, & ſupra in *Dibon* eſt expoſitum: licet poſteriori tempore Moabitæ occupauerint.

XV.

Et *Diblathaim,* ſeu *Beth Diblathaim* Ierem. XLVIII in oppidis Moab numeratur, iunctum cum Dibon, Nebo, Kiriathaim, Bethmeon: quæ extra Moabitin propriam trans Arnonem ſita fuerunt. Quod vero in manſionibus vltimis etiam *Helmondeblathaim* ſiue *Almondiblathaim* memoratur, eodem & Ieremiæ locum referunt, quamquam ille non ſimpliciter Diblathaim, ſed *Helmon Diblathaim* vocatur, vt prius nomen ſit manſionis, poſterius vicinæ vrbis ad fines Moabiticos poſitæ, quam Bonfrerius prope fontes fluminis Zared conſtituit: quod non videtur inprobabile. Situs autem locus manſionis inter *Dibongad* ſolitudinis, & inter montes *Abarim,* qui cum Nebo & Piſga cohærent, Numeror. XXXIII, 46. Hieronymus: *Deblathaim in terra Moab, ſicut ſcribit Hieremias.* Plura non addidit.

XVI.

Cetera, quæ Moabitidi oppida Eſa. XV, XVI, & Ierem. XLVIII, præter iam recenſita, aut Ezech. XXV, 9 tribuuntur, trans Arnonem in Iſraelitica terra fuerunt, in ſorte tribuum Ruben atque Gad: ibidemque a nobis ſupra explicata: a Moabitis autem prophetarum tempore, quum defeciſſet regnum Iſraelis, occupata. Ioſephus lib. XIII cap. XXIII recenſens Μωαβίτιδας πόλεις, *Moabitides vrbes,* quas Maccabæi expugnauerint, quasdam Iſraelitici antea iuris, vt Eſebon & Medabam; adiungit ignotas plures, *Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium,* quibus vero nemo facile certam ſedem attribuerit: & quia Pellam ſubiungit, videntur in limite Ammonitarum, poſtea etiam a Moabitis poſſeſſo, ſita fuiſſe, vt ſic ad noſtram Moabitidem nihil adferant.

XVII.

Pars quoque MADIANITARVM ſedes coniunctas cum Moabitis prope Arnonem habuit, qui, filiabus in caſtra Iſraelitarum, quæ inter Abarim & Iordanem erant, Bileami conſilio immiſſis, in fœdam libidinem & idololatriam illos pellexerant, Numer. XXV, propterea ad internecionem cæſi, Moſe ſuperſtite, Numer. XXXI, vbi quinque regulos ſiue principes, etiam oppida & caſtella dicuntur habuiſſe, verſu 8 & 10, e quibus vnum videtur gentis nomen tuliſſe, de quo & cognomine in Locis Hieronymus: *Madian vrbs ab vno filiorum Abraham ex Ketura ſic vocata. Eſt autem trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum maris rubri, vnde vocantur Madianæi & Madianæa regio. Sed alia ciuitas eſt,* ὁμώνυμος *eius, iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur.* Vides hinc duas vrbes nomine *Madian,* ſiue *Midian,* a gente ſua, in duas partes diuiſa, vel illius auctore, ita nominatas: vna fuit in meridie poſt

rubrum

rubrum mare: altera ab oriente ad Moabitin & Arnonem. Prioris fuit vxor Moſis Zippora: poſterioris, Madianitides, Iſraelitas in vltima manſione ad fœdas voluptates & idololatriam inlicientes. Quarum populus licet exciſus eodem anno fuerit, tamen reliquiæ, in gentem innumerabilem ſuccreſcentes, Iudic. VI notantur, cum aliis orientalibus & Amalekitis, qui victi a Gideone Iordanem petebant, non auſtralia Iudææ, in patriam ſuam ſe fuga recepturi. Vrbes huius gentis alias, ſcriptura ſacra tacente, quis nominabit? quis earum ſitum demonſtrabit?

XVIII.

AMALEKITAE his proximi, orti ab Amalek, Eſaui, ex Eliphaz primigenito, nepote: gens peſſima, ideo excidio a Deo addicta Exod. XVII, 14, quæ inde a Moabitis & orientalibus Madianitis ab ortu Aſphaltitæ lacus habitauit: & interrupta, vt videtur, per montes Seir, auſtralia Chananææ, in montibus maxime extremis, tamen etiam intus in vallibus incolebat: atque ab ortu hiberno partim a meridie Chananææ illorum ſedes erat. Prius ex eo eſt manifeſtum, quia Balaam in vertice montium Moab Amalekitas vidit, Numer. XXIV, 20, quippe vicini Moabitis ab auſtro erant, vt Ammonitæ a ſeptemtrione, Iudic. III, 13; & ſocii orientalium, Iudic. IV, 3 & 33. Altera pars huius gentis meridianam Chananææ plagam in montibus & vallibus ſubiectis inſedit, Numer. XIII, 30, 45, vnde deſcenderunt Iſraelis profectionem impedituri Exod. XVII, 8, in Raphidim: etiam rebelles in Cadesbarnea Iſraelitas, quum adſcenderent in limitem Chananææ, de montibus ſuis deturbarunt. Hos tandem Saul acie victos cecidit ab Heuila Iſmaelitarum vsque ad ſolitudinem Sur, 1 Samuel. XV, 7, nec vero ita excidit, quin reliquiæ manerent, a quibus Ziklag oppidum exuſtum fuit, 1 Sam. XXX, 1, qui a meridie irruiſſe dicuntur, quum antea vsque ad Sur habitaſſent, 1 Sam. XXVII, 8.

XIX.

Oppida quoque Amalekitas habuiſſe, non eſt dubitandum, idque de vno, ſine tamen nomine, adfirmatur 1 Sam. XV, 5. Videtur *Sela*, Græce *Petra*, nomen oppidi fuiſſe. Ioſephus lib. III Antiquit. cap. II de Amalekitis Exod. XVII aduerſus Iſraelem dimicantibus: *οἱ τὴν Γοβολίτην καὶ τὴν Πέτραν κατοικοῦντες, οἱ καλοῦνται μὲν Αμαληκῖται*, *qui Goboliten & Petram inhabitant, Amalekitæ adpellati.* Gobolitis Ioſephi haud dubie eſt eadem, quæ Γεβαληνὴ Euſebii, *Gabalene* Hieronymi in *Allus* & *Idumæa*: quam vterque *Idumææ regionem* interpretatur. nam deleto Amalekitarum nomine illorum montes etiam Idumæi, qui proxime habitabant, occupauerunt: interiora autem ſeu valles Amalekitæ Calebi poſteris in terræ diuiſione ſunt cedere coacti, Numer. XIV, 25. At Pſalm. LXXXIII, 7 גבל, id eſt, vt Kimchi interpretatur, אנשי גבל *Gebalitæ* ſeu *Gabaleni*, ab Edom & Iſmael diſtinguuntur. Ipſa vox *Gobolitis* vel *Gabalene* montanam regionem ſonat, quia גבל Arabice *mons* eſt. *Petra* autem illa Amalekitarum videtur Iudic. I, 36 notari, quia fuit ad *Adſcenſum ſcorpionis*, qui locus, ſupra explicatus, adprime cum montanis Amalekitarum conuenit: etiam 2 Reg. XVI, 7, vbi

Iectael

Iectael cognominatur. Diuerſa ergo eſt a celebriore illa vrbe Petra, quæ Petrææ Arabiæ nomen dedit, a Scorpionis adſcenſione longius remota. Adde quæ Iac. Bonfrerius de loco iſto commentatus eſt; & dicenda infra in Idumæa.

XX.

Abhinc in occaſum & in Sur ſolitudinem habitarunt olim ISMAELITAE. Geneſ. XXV, 18 *Habitauit* [Iſmael cum poſteris ſuis] *ab Heuila vsque Sur, quæ reſpicit Aegyptum.* atque ita longe per Petræam Arabiam diffuſi Iſmaelitæ fuerunt, quam ob cauſſam Ioſephus lib. I Antiquit. cap. XIII Iſmaelem vocat κτίστην τοῦ Ἀράβων ἔθνους, *conditorem gentis Arabum.* Sed rara admodum eſt mentio huius populi, vt in Ioſephi hiſtoria Geneſ. XXXVII, quum vix augeri cœpiſſent Iſmaelitæ. His enim venditus Ioſephus fuit, qui in Aegyptum, quo negotiandi cauſſa proficiſcebantur, abduxerunt. Silet dein hiſtoria de Iſmaelitis, vsque dum Midianitis & Amalekitis adſociati aut permixti, a Gideone proſtrati ſunt, Iudic. VIII, 24. Ex quo coniicitur, per alias gentes diſperſos fuiſſe & nomen ſenſim amiſiſſe ſuum. Pſalmo LXXXIII, 6, vbi omnes hoſtes μερισμοῦ figura recitantur, Iſmaelitarum etiam & Hagarenorum mentio habetur.

XXI.

HAGARENI autem ibidem, quod mireris, ab Iſmaelitis diſtinguuntur. Kimchi Iudæus hoc ita conciliat & interpretatur commentario in iſtum Pſalmum, הגרים שאר בני הגר שהיו מבעל אחר *Hagareni ſunt reliqui filii Hagar, quos ex alio viro habuit.* Græci interpretes ibi, οἱ Ἀγαρηνοὶ, *Agareni.* Sed obſcurum populum oportet fuiſſe, cuius nulla alibi mentio in antiquis exſtat hiſtoriis, nec de diſtincta illorum ſede quidquam licet agnoſcere, quam vero in Arabia fuiſſe, non eſt quod dubitemus. Poſt longum temporis interuallum *Agarenorum* nomen ſub Conſtantinopolitano imperio reuixit, & lato complexu Saracenos & Arabas omnes denotauit. Sed id ad noſtram antiquam geographiam reducendum non eſt.

XXII.

EDOM & IDVMAEA ex antiqua Arabia ſupereſt. Edom eſt Eſau Geneſ. XXXVI, 1, 8, & noui nominis ratio eſt cap. XXV, 30 expoſita. Sic & *Edom* regio eſt *Idumæa,* * & *Edomitæ, Idumæi.* Hieronymus in Locis: *Idumæa, regio Eſau, quæ ex eo, quod ille Edom vocabatur, nomen accepit.* Idem commentario in Ezech. XXV, 12 *Sciendum quod in Ebræo numquam ſcribatur Idumæa, ſed ſemper Edom, quam Idumæam Græca expreſſit translatio.* Non autem ſemper Ἰδουμαίαν reddiderunt Græci, ſed Ἐδὼμ aliquando in verſione ſua reliquerunt, v. gr. Numer. XXXIII, 37 πλησίον τῆς γῆς Ἐδὼμ, *prope terram Edom:* & I Reg. XI, 15 ἐν τῷ ἐξολεθρεῦσαι Δαβὶδ τὸν Ἐδὼμ, *quum Dauid exſcinderet Edom.* In Nouo tamen Teſtamento etiam Ἰδουμαία, *Idumæa* vocatur Marc. III, 8, quod perpetuum nomen apud profanos

* Ἐν τῇ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων γῇ ἢ Ἰδουμαίων. Aelian. VI Animal. c. 17.

nos eſt, vt poſtea videbimus. Poetæ vero etiam *Idume* dicunt. Silius lib. III verſ. 600

Palmiferamque ſenex bello domitabit Idumen:

vbi pro Iudæa ponitur, quam domuit ſenex Veſpaſianus. Et Lucanus lib. III verſ. 216

- - - *arbuſto palmarum diues Idume.*

Gentile & poſſeſſiuum *Idumæus* eſt, atque ita Martialis lib. II epigr. II *Idumæos triumphos* dixit Iudaicum Titi & Veſpaſiani. quod ideo factum, quia Iudæis in Babylonia captiuitate detentis magna pars Iudææ ab Idumæis fuit inuaſa & poſſeſſa vsque ad Hebronem, atque ſic deinceps auſtralis Iudæa nomen adſumſit *Idumææ*. Sed nunc de propria Idumæa disquirendum, eiusque tractu atque finibus.

XXIII.

Iac. Bonfrerius cenſet geminam fuiſſe Edomitarum ſedem, veterem in montibus Galaad, auſtrum verſus, ex qua fratri Iacobo, ex Meſopotamia redeunti, obuiam progreſſus ſit, Geneſ. XXXII, 3, & XXXIII, 1. non enim credibile eſſe, quum is circa Iabokum fluuium hæreret, per plura quam centum millia miſiſſe nuntios & munera ad Eſauum, & hunc cum quadringentis ſuorum iter duorum fere graduum latitudinis, ab auſtro in ſeptemtrionem, vt fratri occurrat, ſuſcepiſſe. Robur ſuæ petit ſententiæ ex Deuteron. II, 12, quod Horræi ſiue Horitæ montes Seir incoluerint, quos non ipſe Eſauus, ſed poſteri demum, numeroſiores facti, expellere aut delere potuerint. At vero in montes Seir Iacob ſuos nuntios legauit Geneſ. XXXII, 3. Reſpondet, vtriusque tractus orientalis & auſtralis, montem Seir fuiſſe; illius forſan ab ipſo Eſau piloſo (hoc enim vox ſonat) nomen eſſe; huius antiquius, etiam Geneſ. XIV, 6 memoratum, niſi per anticipationem eſt: nec tamen ab Eſauo fuit, ſed potius a Seir Horræo ſeu Horita, qui montanam illam regionem habitauerit Gen. XXXVI, 20. Horitæ vero ante Edomitas illum tractum poſſederunt, etiam quum a Kedorlaomar cladem acceperunt, Geneſ. XIV, 6. Hoc eſt, quod ſuſpectiorem reddit Bonfrerii opinionem, quia vtut ſedes potuerint diuerſæ eſſe, difficilius tamen ad credendum eſt, duos etiam montes vel tractus fuiſſe Seir dictos, & vtrumque Eſauum aut poſteros incoluiſſe.

XXIV.

Quare malumus vnam terram *Edom* & vnam regionem *Seir* cum pluribus tueri, quæ vbi ſita fuerit, ex itinere Iſraelitarum per ſolitudines, quo circuierunt terram Edom, ingreſſi non ſunt, demonſtramus. Sub horum ex Aegypto exitum terra Edom non erat ampliſſima, quia nec primo itinere a ſinu Arabico ad Cadesbarnea, neque regreſſu a Cadesbarnea ad idem mare, ſed alia via, in ortum magis recedente, terram Edom attigerunt: inde moturis in Moabitidem, transeundum quidem via recta erat per Idumæam, tranſitu autem prohibiti circuierunt illam, dextrorſum fines prætergreſſi, dum venirent ad limites Moabitarum. In illo circuitu mons memorabilis eſt *Hor*, in quo Aaron mortuus eſt, & vnde cum rege Arad,

Arad, per ſolitudinem deſcendente, Iſraelitæ pugnauerunt, Num. xx, 17, 21, 22, 24, & cap. xxi, 1, 3, 4, vt ita neceſſe ſit, inter Hor & Arad fuiſſe Idumæam, cap. xx, 23, xxi, 1. Atque hæc eſt Edom ſeu Idumæa antiqua & propria, cuius poſitioni non obſtat interuallum ab amne Iabok, quia triduanum iter vix excedit, præſertim ſi Eſau camelis aliisque iumentis vſus fuerit. Horitæ videntur ſenſim & mora temporis, non ſimul aut vno impetu deleti.

XXV.

Oppida huius Idumææ, in ſacris hiſtoriis quæ memorantur, ſunt forte *Theman, Bozra* ſeu *Boſra, Boſor; Dedan, Duma.* Prima, &, vt videtur, præcipua eſt *Theman,* quam in Edom Ieremias xlix, 7, 20, Ezech. xv, 13, & Amos 1, 11, 12 tamquam regiam ponunt: a qua regio circumiecta etiam *Theman* dicta fuit. Hieronymus in Locis: *Theman regio principum Edom in terra Gebalitica a Theman filio Æliphaz, filii Eſau, ſortita vocabulum. Sed & vsque hodie eſt villa nomine Theman diſtans ab vrbe Petra quinque millibus* [lege *quindecim*, quia Euſebius ἀμφὶ τὰ ιέ σημεῖα] *vbi & Romanorum militum præſidium ſedet, de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum.*

XXVI.

Altera eſt *Bozra, Bazra* ſeu *Boſra* aut *Boſor.* Amos 1, 12 *Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Bozræ.* Hieronymus in *Boſor: Adpellatur & alia Boſor* [Βοσὼρ Euſ.] *ciuitas Eſau in montibus Idumææ, cuius Eſaias recordatur dicens* [cap. lxiii, 1] *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, fulvida veſtimenta eius ex Boſor?*

XXVII.

Et *Dedan* in ciuitatibus Idumææ numeratur Ierem. xlix, 8, & Ezech. xv, 13, de qua Hieronymus: *Dedan in regione Idumææ, ſuper qua ſcribit Hieremias. Eſt autem in quarto milliario a Metallofeno contra aquilonem.* Euſebius autem: παράκειται τῇ Φανᾷ ὡς ἀπὸ σημείων δ΄ πρὸς βορρᾶν, *ſita eſt prope Phanam, ferme in quarto milliario ad ſeptemtrionem.* Hæc Euſebii *Phana* alibi *Fenon* ab Hieronymo nuncupatur. *Fenon,* inquit, *caſtra filiorum Iſrael in deſerto. Fuit autem quondam ciuitas principum Edom, nunc viculus in deſerto, vbi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur inter ciuitatem Petram & Zoaram.* Ex quo nomen alterum Hieronymi *Metallofenon* intelligitur, quod etiam Martyrologium iv nonas Maias habet: *In metallo Phennenſi Palæſtinæ natalis beati Siluani, Gazæ epiſcopi, qui in Diocletiani perſecutione, Maximini Cæſaris mandato, cum plurimis ſuis clericis martyrio coronatus eſt.* Palæſtinæ, puta Tertiæ, quæ in Arabia medio æuo erat. Nomen autem manſionis, quod *Fenon* Hieronymus ſcripſit, in Ebræo & Vulgato eſt *Phunon:* Græce Φινών. *

XXVIII.

Duma quoque in Edom fuit, Eſa. xxi, 11, quia dicitur in Seir ſita. Alia ergo hæc eſt ab illa *Duma* tribus Iudæ in Daroma, Ioſuæ xv, 52, quam

(Dd dd) 2 Hiero-

* Etiam *Phæno* Φαινῷ apud Athanaſium epiſt. ad ſolitar. vit. agent. p. 658 Φαινήσια μέταλλα memorantur ab Epiphanio adv. hæreſ. lib. II pag. 719. Relandus.

Hieronymus in Locis, decem & ſeptem; in Eſa. XXI autem viginti milliariis ab Eleutheropoli abeſſe dixit. neutrum enim ſpatium ad montes Seir ab Eleutheropoli pertingit. Ipſi autem montes שעיר *Seir*, qui terram Edom continent, reſpectu Iudæ in auſtro ſiti ſunt, vt tamen etiam in ortum ad Moabitidem vergant, quod ex Eſaui ad Iacobum itinere, id quod non poteſt longiſſimum fuiſſe, manifeſtum eſt. Num vero terram Chanaan contigerint, an Amalekitarum aliquid intercucurrerit, difficile eſt explicatu. Si illud, interrupta fuit Amalekitarum ſedes; ſin hoc, Edom regio ſeiuncta olim ab Iudæa fuit, dum Amalekitæ omnes exſtinguerentur. quorum ruina & interitus coniunxit Idumæam cum Iudæa.

XXIX.

Hæc illa ſunt oppida, quæ in diuinis hiſtoriis genti Edomitarum tribuuntur: an vero etiam nobilis illa *Petra*, metropolis Arabiæ, Edomitarum fuerit, & in ſacris æque ſcripturis memorata, in quæſtionem, ſolutu non facillimam, adducitur. Vtramque quæſtionis partem Hieronymus adfirmat. *Petra*, inquit, *ciuitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata eſt Iectael, & a Syris Recem dicitur.* Confundit Petram Amalekitarum, ad fines Iudææ poſitam, cum hac metropoli Arabiæ, longe ab illa in auſtrum reducta. Ea enim *Sela* ſiue, vt Græci vocant, Petra, quam rex Amazias, deuictis Idumæis in valle ſalinarum, expugnauit, eique nomen indidit *Iectael*, non procul a valle illa, ſede victoriæ fuit: *vallis* autem *ſalinarum* ſiue *ſalis*, prope mare ſalis ſeu ſalſiſſimum, vt ſacris litteris mare mortuum ſeu Aſphaltites adpellatur. Nec vero infitiamur, illam Petram tum temporis etiam Edomitarum fuiſſe, qui deletis Amalekitis in Iudæam vſque fines protulerunt. Hæc autem Petra iuxta Scorpionis adſcenſum fuit, Iudic. I, 36, de qua ſupra etiam in Amalekitarum regione diximus. De Amaziæ hiſtoria & nomine Iectael vide 2 Reg. XIV, 7.

2. Alterum Petræ nomen, vt Hieronymus dixit, eſt *Recem*, ſiue *Rekem*, quod quia a Midianitarum principe Rekem, tamquam conditore, habuiſſe videtur, Numer. XXXI, 8, quidam in Moabitide *Petram Racemis* ponunt, vbi victi ſunt illi reges Midianitarum, e quibus Rekem ſecundus erat. Sed falluntur, iudice Ioſepho lib. IV Antiquitatum cap. VII, qui etiam nomen vrbis, quam Græci *Petram* vocant, Ἀρεκέμη, *Araceme* ponit, idque a Midianitarum rege, quem quintum facit, (πεμπτὸς δὲ Ρέκεμος) deducit; at non ad aliam Petram refert, quam quæ caput erat Arabiæ. Nam regis illius Ρεκέμȣ, *Recemi*, ait, eſt πόλις ἐπώνυμος τὸ πᾶν ἀξίωμα τῆς Αράβων ἔχȣσα γῆς, *vrbs cognominis, quæ omnem dignitatem Arabiæ continet.* De hac eodem libro cap. IV itidem Ioſephus: χωρίον, ὃ μητρόπολιν αὐτῶν Ἄραβες νενομήκασι, πρότερον μὲν Ἄρκην λεγομένην, Πέτραν δὲ νῦν ὀνομαζομένην, *locus, quem ſibi metropolim Arabes conſtituerunt, prius Arcen dictam, iam Petram nominatam.* Putares, aliam eſſe *Arcen* cognomine, aliam cuius cognomentum fuit *Raceme* ſiue *Araceme.* At Bochartus lib. I cap. XLV idem nomen eſſe demonſtrat *Rekem* ſeu *Recem*, & *Arce*, quia hoc per apocopen fit ex *Arekem*, id eſt Recem cum articulo. Hieronymus cum Euſebio: *Recem* (Ρεκὲμ) *eſt Petra*

ciuitas

ciuitas Arabiæ, in qua regnauit Ῥοκὸμ, *Rocom, quem interfecerunt filii Iſrael. Dicitur autem ipſe quoque rex Madian.* Hanc olim Midianitarum fuiſſe non dubitamus: hac vero gente magis magiſque attrita, credibile ab Edomitis, qui proximi erant, occupatam eſſe: vnde pro temporum diuerſitate & vrbs Midianitarum cum Ioſepho dici poteſt, & Idumæorum cum Hieronymo: aut communi harum gentium nomine *Arabiæ* metropolis.

3. Huius *Petræ* ſitum, controuerſum maxime, ex antiquis monimentis inuenire nunc labor & opus noſtrum erit. Ptolemæus lib. V cap. XVII longitudinem eius LXVI graduum cum dodrante: latitudinem XXX graduum cum triente conſtituit. In auſtrum ergo a parallelo Hieroſolymorum LXXX millibus paſſuum deuergit: a meridiano autem eiusdem vrbis in tanta latitudine XXXVII millibus, aut plus paullo in ortum recedit. Quamuis autem Ptolemæus ſæpe in hac regione fallat; tamen non probabile eſt, in regiis ac primariis id vrbibus contigiſſe, quæ notiores illo tempore erant, quam vt in illis error, minorum ferme & obſcurarum proprius, admitteretur. Accedit auctoritas Ioſephi, qui dicto lib. IV Antiquit. cap. IV montem, quo Aaron mortuus eſt, dicit ἐνταῦθα, *ibidem,* ſiue in loco, quo Petra ſeu Arce, vrbs Arabum primaria, ſita erat, aut prope illam, eminere. Iam vero ex itineribus, Numer. XX & XXI, non obſcurum eſt, quanto interuallo mons ille a ſinu Arabico, quanto idem a Moabitarum finibus & amne Zared afuerit. Strabo lib. XVI pag. 536 *μητρόπολις τῶν Ναβαταίων ἐςὶ ἡ Πέτρα καλȣμένη, metropolis Nabatæorum eſt, quæ Petra vocatur.* Hinc, ait, trium aut quatuor dierum itinere Herichuntem abeſſe: quod bene conuenit cum Ptolemæo. Plinius lib. VI cap. XXVIII peruerſos numeros habet. *Nabatæorum,* inquit, *oppidum Petra abeſt a Gaza oppido litoris noſtri* DC. M. *a ſinu Perſico* CXXXV. M. Inuerte nomina: a Gaza CXXXV. M. a ſinu Perſico DC. M. ſic numeri melius conſtabunt, & ceteris, tam geographis quam hiſtoricis, conciliari poterunt. Huius quoque, quum Romanorum facta eſt, aliquot nummi, ſub Hadriano cuſi reperiuntur, alter ſignatus ΠΕΤΡΑ ΜΗΤΡΟΠΩΛ *Petra metropolis:* alter ΑΔΡΙΑΝΗ ΠΕΤΡΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. *Hadriana Petra metropolis.* Metropolis autem poſtea Palæſtinæ Tertiæ facta eſt, quod Stephanus & vetus Eccleſiæ Notitia tradunt.

4. An huius Petræ etiam ſcriptura ſacra meminerit, in quæſtione eſt. Non leuia illius veſtigia ſunt Eſa. XVI, 1, & cap. XLII, 11. Vtrobique סלע *Sela,* tamquam oppidum, laudatur: ibi *a Sela deſerti* Moabitæ iubentur opima ſacrificia, vel munera adferre: hic ישבי סלע *ciues Sela* inter ceteras *vrbes & villas ſolitudinis* ad Dei laudem canendam excitantur. Priori loco interpretes fere alieni ſunt ac varii: poſteriori videntur magis conſentire, Græci, οἱ κατοικȣ̃ντες Πέτραν, quod Hieronymus vertit, *qui habitant in Petra:* ipſe ex Ebræo, *laudate, habitatores Petræ.* Probabiliorem interpretationem facit, quod *habitatores Kedar,* qui in Arabia Petræa ſunt, coniunguntur.

XXX.

Superſunt auſtrales huius Arabiæ populi, eorumque oppida, circa litus Arabici ſinus, * & ad fines Arabiæ Felicis: etiam *Sur*, ingens ſolitudo, & loca Iſraelitarum itineribus memorata. Sinus Arabicus in ſummitate ſua in duos alios ſinus fiſſus, Heroopolitanum, qui altero latere Aegyptum adluit, & in vertice Heroum vrbem habet, vnde denominatur: & per hunc Iſraelitæ ex Aegypto, ſuſpenſis vtrimque aquis, pertranſierunt: alter hinc in ortum ſolis recedens Elaniticus vocabatur. Vterque, hic totus, ille ex parte, noſtram Arabiam adluit. Prior Straboni dictus lib. XVI pag. 522 ὁ πρὸς Αἰγύπτῳ κατὰ τὴν Ἡρώων πόλιν κόλπος, *ſinus ad Aegyptum iuxta Heroum ciuitatem:* Ptolemæo lib. V cap. XVII κόλπος ὁ Ἡρωοπολίτης, *ſinus Heroopolites:* Plinio lib. V cap. XI *Heroopoliticus ſinus:* in cuius ora Arabica nihil eſt memorabile vsque in angulum fiſſionis, ſeu initium ſinus Elanitici. Angulus enim promontorium habet, ſupra quod in plano ſitum eſt *Phara* Ptolemæi, qui lineam terminalem duxit μέχρι τȣ̃ κατὰ Φαρὰν ἀκρωτηρίȣ, *vsque ad promontorium iuxta Pharan*, quæ ibidem ex Palatino codice ἡ Φάρα κώμη, *Phara vicus* dicitur, vt fere Arabum oppida fuerunt. Stephano eſt Φαρὰν, *Pharan* primo caſu. Φαρὰν, inquit, πόλις μεταξὺ Αἰγύπτȣ καὶ Ἀραβίας, *Pharan eſt oppidum inter Aegyptum & Arabiam*, videlicet ſecundum Ptolemæi lineam, ad promontorium, qua ſinus Heroopolitanus Aegypto relinquitur. Salmaſius in Solin. pag. 344 dicit, ab Iſmaelitis conditum, Hieronymi auctoritate. Rem non negabo, quia late habitarunt Iſmaelitæ: at de conditu nihil Hieronymus, ſed tantummodo Iſmaelem *habitaſſe in deſerto Pharan*, ex Geneſ. XXI, 21. Illa autem ſolitudo eſt vltra deſertum Sinai, in ſeptemtrionem, Numer. X, 12, cuius Cadesbarnea erat, Chananææ proxima, cap. XIII, 4, quo conferas cum cap. XXXII, 8. Ebræis פארן *Paran* eſt, vt plerumque interpres noſter: Græci autem & Latinus Φαρὰν, *Pharan.* Oppidum ergo extra ὁμώνυμον ſolitudinem, nec valida argumenta ſunt, quæ a nuda nominis petuntur ſimilitudine. Ab oppido *Pharanitæ* Ptolemæi dicuntur.

XXXI.

Hinc montes procurrunt in boream, quos Ptolemæus μέλανα ὄρη, *Nigros montes* adpellat. Vltra autem promontorium eſt ſinus alter Straboni dictus Ἐλανίτης κόλπος, Ptolemæo Ἐλανείτης, *Elanites ſinus:* Diodoro Siculo lib. III cap. XLIII κόλπος Ἀλαΐνίτης, *ſinus Alainites* (lege Αἰλανίτης, *Ailanites*) quem Nabatæi accolunt. Plinius diphthongo prima ſcripſit *Aelaniticus ſinus*, ab *Aelana* oppido, ſiue *Elana.* Plinius lib. V cap. XI *Heroopoliticus, alterque Aelaniticus ſinus Rubri maris in Aegyptum vergentis*, CL *mill. paſſ. iteruallo inter duo oppida, Aelana & in noſtro mari Gazam.* Ptolemæus lib. V cap. XVII ἡ Ἐλάνα κατὰ τὸν μυχὸν κειμένη τȣ̃ ὁμωνύμȣ κόλπȣ, *Elana ſita eſt iuxta ſeceſſum cognominis ſinus.* Et Stephanus chorographus:

Αἴλανα

* Sinum Arabicum diligentiſſime deſcribit Diodorus III pag. 172, qui locus quum longior ſit, inde repetatur. Ibidem reperies etiam nomina inſularum illius ſinus & alia quædam a Ptolemæo & aliis prætermiſſa.

Αἰλανὰ πόλις Ἀραβίας, ἧς ὁ πολίτης Αἰλανίτης. τινὲς δὲ κόλπον Ἄϊλα φασί. Aila-na vrbs Arabiæ, cuius ciuis Ailanites. Quidam vero dicunt ſinum Aila. Ioſephus lib. VIII cap. II vrbis huius nomen Εἰλανὴ, *Eilana* ſcripſit. Strabo lib. XVI pag. 522 *Hinc* [a Gazæorum portu] *dicitur ὑπέρβασις, tranſcenſus eſſe* CIↃ CCLX *ſtadiorum εἰς Ἄελαν πόλιν ἐπὶ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου κειμένην, in oppidum Ailam, ſitam ſuper ſeceſſum ſinus Arabici.* Sunt qui Strabonem Ἔλαναν ſcripſiſſe putent, quia ſinum ibidem dixit Ἐλαιίτην: ideoque Xylander verſionem veterem, quæ *Ailam* habet, interpolata ſua mutauit in *Elana.* At ſiue Strabo ſcripſit Ἄελαν, ſiue gloſſa eſt & in margine adſcripta interpretatio, facta *συνωνύμῳ* vocabulo; non minus tamen verum eſt nomen Ἄελα ſiue Ἄϊλα, quam Elana, quia gemina huius oppidi adpellatio fuit. Et Procopius Αἴλὰν dixit, primo caſu Αἴλὰς, lib. I Perſ. Belli cap. XIX, vbi dicit Palæſtinæ fines pertingere ad mare Rubrum, *καὶ πόλις Αἴλὰς καλουμένη πρὸς τῇ ταύτης ἠϊόνι ἐστὶν, ἔνθα ἡ θάλασσα ἀπολήγουσα πορθμός τις ἐς ἄγαν στενὸς γίνεται, & litori adpoſitum vrbem eſſe nomine Ailas: vbi mare deſinens in ſinum arctatur anguſtiſſimum.* Quid? quod *Aila* antiquius nomen eſt, quam Elana ſeu Aelana, quæ vox denominatiua Græcorum eſt ſicut *vrbs Romana* dicitur ab *Roma.* Etenim hæc ipſa eſt, quam Moſes dixit אילת *Ailath* ſiue *Elath*, Deuteron. II, 8. *Quum*, inquit, *tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitabant in Seir, per viam campeſtrem de Elath & de Aſiongaber; venimus ad iter, quod ducit in deſertum Moab.* Dicitur idem oppidum אילת *Ailath* ſeu Elath 2 Reg. XIV, 22, & in eadem hiſtoria אילות *Eloth* 2 Paralip. XXVI, 2. quod inde a Salomonis tempore reges Iuda ſibi vindicarunt. * Hieronymus in Locis: *Ailath in extremis finibus Palæſtinæ, iuncta meridianæ ſolitudini & mari rubro: vnde ex Aegypto Indiam, & inde ad Aegyptum nauigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima: & olim quidem Ailat a veteribus dicebatur; nunc vero adpellatur Aila.* Eadem ab Hieronymo vocatur *Abeloth.* Vide librum de Locis Ebraicis.

XXXII.

Non procul hinc ad eumdem ſinum *Eziongeber*, ſiue *Aſiongaber*, Salomonis & Ioſaphati nauale, illi fructuoſum; huic minime, fractis nauibus; 1 Reg. IX, 26, cap. XXII, 49. Vetuſtum oppidum, etiam Numer. XXXIII, 35, & Deuteron. II, 8 memoratum. Vicinitatem Ailæ ſiue Elanæ, & nomen poſterius *Berenice* Ioſephus docet lib. VIII cap. II pag. 269 de Salomone: *ἐναυπηγήσατο ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ Αἰγυπτιακῷ κόλπῳ σκάφη πολλὰ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἔν τινι τόπῳ λεγομένῳ Ἀσιωγγάβερος. αὕτη γὰρ Βερενίκη καλεῖται, οὐ πόῤῥω Εἰλανῆς πόλεως. ἡ χώρα τὸ πρὶν Ἰουδαίων ἦν. Claſſem rex in Aegyptiaco ſinu ædificauit, in quodam loco ad mare rubrum, qui nominatur Aſiongaber. Hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana vrbe, quæ regio tum in Iudæorum poteſtate erat.* Stephanus ſex vrbibus nomen Berenices tribuit, quarum ſecunda, a Ptolemæo Philadelpho condita, niſi hæc

* Relandus ex coll. 2 Samuel. VIII, 14 & 2 Chronic. VIII, 17 iam Dauidi poſſeſſionem eius tribuit.

hæc noſtra eſt, ceterarum nullam eidem adplicaueris. Nihil autem de ſitu tradit Stephanus, conditoris contentus nomen indicaſſe: vt neſciam, an alius noſtræ, præter Ioſephum, clare ac diſtincte meminerit. Summus quidem vir Iſaacus Voſſius contendit, Ioſephi Berenicen etiam a Pomponio Mela lib. III cap. VIII definitam eſſe. *Ab intimo*, inquit Mela, *angulo prima Berenice, inter Heroopoliticum & Strobilum.* Heroopoliticum promontorium ad ſinum cognominem eſt, vt videtur, non procul ab Heroum ciuitate: Strobilum Voſſius interpretatur, id, quod Ptolemæo iuxta Pharan eſt: vt Berenice hæc media inter Heroopolim & Pharan fuerit. Perſuaſit Voſſius clariſſimo viro Abr. Berckelio: nos autem induci non poſſumus, vt credamus, eamdem eſſe Ioſephi & Pomponii Berenicen. In Aegypto potius & Berenice illa Melæ & promontorium Strobilum quærenda ſunt. Ait enim: *Alterum ſinum vndique Arabes incingunt. Ab ea parte, quæ introeuntibus dextra eſt, vrbes ſunt Canæ & Arabia & Gandamus: in altera ab intimo angulo prima, Berenice, inter Heroopoliticum & Strobilum.* Introire ſinum eſt per os & fretum ex Oceano inuehi, vbi dextra pars eſt ad Arabiam Felicem, cuius etiam illa tria oppida ſunt, ſi recte modo ſcripta ſunt: [Vide Pintiani caſtigationes] *in altera* [parte] quæ ſiniſtra eſt & Aegyptiaci lateris & Berenice eſt & Strobilum poſt Heroopoliticum promontorium. quod etiam continuatio apud Melam oſtendit, in qua *Philoteris* eſt & *Ptolemais.* Deinde regreſſus Iſraelitarum ex ſolitudine Pharan ad mare Suph orientalior erat quam acceſſus; non autem hoc, ſed illo [regreſſu] ad Eziongeber venerunt, Numer. XXXIII, 35, & Ailath ac Eziongeber naturali ordine ſic ponuntur Deuteron. II, 8, vt illa in occidentem, hæc in ſolis ortum vergat. Ex quibus colligitur; Eziongeber, quæ Berenice eſt, non in Heroopolitico ſinu, [ſic enim extra Arabiæ lineam fuiſſet] ſed ad ſinum Elaniticum, & poſt Elanam in ortum verſus fuiſſe poſitam.

XXXIII.

Hæc oppida Hieronymus in *Ailath* tribuit Idumææ, non propriæ in montanis Seir, ſed æuo poſteriore ad Aegyptum vsque prolatatæ. *Ailath*, inquit, *ſuper litus maris rubri in terra Edom.* De Aſiongaber autem dicit, *eſſe non procul ab Ailath in mari rubro.* Sic etiam alii, & antiquiores de Idumæa cenſuerunt. Strabo lib. XVI pag. 523 τῆς Ιȣδαίας τὰ ἑσπέρια ἄκρα, τὰ πρὸς τῷ Κασίῳ, κατέχȣσιν Ιδυμαῖοι, *Iudææ extrema occidentalia, Caſio proxima, Idumæi occupant.* Plinius lib. V cap. XIII *Oſtracine Arabia finitur, a Peluſio* LXV *millibus paſſuum. Mox Idumæa incipit & Palæſtina.* Scilicet, Iudæis in Babyloniam abductis, potentiores facti Idumæi non ſolum per Arabiam fines ſuos propagarunt, verum etiam per ipſam Iudæam tum vacuam, ad Hebronem vsque & Eleutheropolim, per tribum Iuda & Simeonitidem, vt ſupra in Iudæa etiam dictum eſt, cuius auſtrales partes ſæpe in Maccabæorum libris & Ioſephi, etiam ſancti Marci cap. III, 8 *Idu-*

* Lib. III cap. 13 § 148 ſ. 1, & 200.

Idumæa vocantur. Hinc eſt quod Ioſephus lib. IV de Bello diſtinxit inter τὴν μεγάλην Ἰδουμαίαν, *Idumæam magnam* ſeu Arabicam, cap. XXX; & inter τὴν ἄνω καλουμένην Ἰδουμαίαν, *Idumæam ſuperiorem,* in montanis Iudææ, cap. XXXII.

XXXIV.

Nobile quoque nomen in Arabia eſt *Nabatæorum:* quod Hieronymus Quæſt. in Geneſ. XXV a Nabaioth, Iſmaelis primogenito deducit. *A Nabaioth*, inquit, *omnis regio, ab Euphrate vsque ad mare rubrum, Nabatena vsque hodie dicitur.* Deſertam ſic Arabiam cum magna parte Petrææ comprehendit. Diodorus Siculus lib. II cap. XLVIII Ἀραβία κεῖται μεταξὺ Συρίας καὶ τῆς Αἰγύπτου, πολλοῖς δὲ καὶ παντοδαποῖς ἔθνεσι διείληπται. τὰ μὲν οὖν πρὸς τὴν ἕω μέρη κατοικοῦσιν Ἄραβες, οὓς ὀνομάζουσι Ναβαταίους, νεμόμενοι χώραν τὴν μὲν ἔρημον, τὴν δὲ ἄνυδρον, ὀλίγην δὲ καρποφόρον. *Arabia, inter Syriam Aegyptumque ſita, in multas variasque gentes diſtinguitur. Ad ortum ſolis Arabes, qui Nabatæi vocantur, regionem deſertam & aquarum indigam, minimaque ſui parte frugiferam incolentes.* Putares, & hic ad Chaldæam vsque proferri, excluſis partibus, quæ vergunt in ſolis occaſum. Atque ſic etiam Ouidius lib. I Metamorph. verſ. 61

Eurus ad auroram Nabatæaque regna receſſit.

Contra Stephanus in auſtrum hos & in Felicem Arabiam relegauit. Ναβαταῖοι inquit, ἔθνος τῶν εὐδαιμόνων Ἀράβων, ἀπὸ Ναβάτου τινὸς, *Nabatæi, gens felicium Arabum, a Nabato quodam nomen ducens.* Sed exempla, quæ proſtant, in Petræam Arabiam cadunt. Strabo XVI, pag. 534 dicit Petram, vrbem Arabiæ nobilem, Nabatæorum eſſe: πρὸς τὴν Πέτραν τὴν τῶν Ναβαταίων καλουμένων Ἀράβων. Et Plinius lib. VI cap. XXVIII *Nabatæi oppidum includunt Petram nomine, in conualle, paullo minus duûm mill. paſſuum amplitudinis, circumdatum montibus inacceſſis, amne interfluente.* Idem lib. XII cap. XVII *in Nabatæis, qui ſunt ex Arabia contermini Syriæ.* quamquam hoc ultimum poſſis etiam ad Deſertam, inde a Thapſaco Syriæ cohærentem, referre. Et Diodorus Siculus lib. III cap. XLIII ſinum Elaniticum Nabatæos tradit circumcolere, qui vero ad occidentem eſt Arabiæ. Κόλπος, inquit, Αἰλανίτης περιοικούμενος πολλαῖς κώμαις Ἀράβων τῶν προσαγορευομένων Ναβαταίων, *Sinus Ailanites, quem circa vici ſunt Arabum, qui Nabatæi dicuntur.* At hic quoque ſinus in Petræa eſt. I Maccab. IX, 35 Nabatæi vicini dicuntur oppidi Rubenitarum *Medabæ:* & ipſe Stephanus de Vrbibus: Μήδαβα πόλις τῶν Ναβαταίων, *Medaba vrbs Nabatæorum.* Ergo etiam in Moab & Ruben ac Gad Nabatæi Arabes. * Dicto Maccabæorum loco Ναυαταῖοι ſcribitur: at cap. V, 25 Ναβαταῖοι. Suidas, demta ſyllaba, Ναβάται, γένος Ἀράβων, *Nabatæ, gens Arabum.*

XXXV.

* Epiphanius Hæreſ. IX ὑπάρχει ἐν τῇ αὐτῇ Ναβατίτιδι γῇ, τῇ καὶ Περαίᾳ πρὸς τῇ Μωαβίτιδι. *Eſt & in eadem Nabatitide terra, quæ Peræa quoque dicitur, circa Moabitidem.*

XXXV.

Vicini Nabatæis, ſinum Ailaniten circumcolentibus, fuerunt *Cedrei.* Plinius lib. v cap. xi *His Arabes iunguntur ab oriente Chanchlei, a meridie Cedrei, qui deinde ambo Nabatæis.* Cedrei a loco *Cedar*, ſiue *Kedar* dicti. Hieronymus in Locis: *Cedar eſt regio in eremo Saracenorum, a filio Iſmaelis Cedar ita cognominata.* At idem in Eſa. xlii, 11 *Cedar inhabitabilis fuit regio trans Arabiam Saracenorum.* Illud *trans* indicat, longe in meridiem ad fines ſeptemtrionales Arabiæ Felicis recedere. Dicuntur & *Kedareni.* Bochartus lib. iv Phaleg cap. ii *Kedareni Arabes pars erant Saracenorum.* In tentoriis habitarunt, vt alii ſcenitæ, Pſalm. cxx, 5, gregibus diuites, Eſa. lx, 7, fuſco colore inſignes, Cantic. i, 5, præſtantes ſagittandi peritia, Eſa. xxi, 17. Hieronymus in Eſa. lx, 7 *Cedar, regio Saracenorum eſt, qui in ſcriptura vocantur Iſmaelitæ. Et Nebaioth vnus eſt filiorum Iſmael, ex quorum nominibus ſolitudo adpellatur, quæ frugum inops, plena eſt pecorum.*

XXXVI.

Tandem & *Madianitæ* ſeu *Midianitæ* auſtrales his adiungendi ſunt. nam & ipſi poſt ſinum Elaniticum habitarunt Chuſæis permixti. Moſes eo vsque fugit, quum Aegyptium interfeciſſet, Exod. ii, 15, vbi *terra Midian* vocatur: non autem dubitemus, quin & vrbs eodem nomine in illa regione fuerit. Hieronymus Euſebii interpres: *Madian vrbs, ab vno filiorum Abraham ex Cetura, ſic vocata. Eſt autem trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum contra orientem maris rubri; vnde vocantur Madianæi & Madianæa regio.* In Petræa Arabia fuit, prope tamen fines Eudæmonis, quæ, vbi deſinit Ailanites ſinus, incipit. Inde Moſes gregem ſoceri ad montem Horeb egit, quod euincit non longiſſime remotum fuiſſe. Eſaiæ lx, 6 *Epha* regio coniungitur: *dromades Madian & Epha.* Dicta ab Epha, Madianis filio, Abrahami nepote, Geneſ. xxv, 2, 4.

XXXVII.

Hæc fere ſunt nomina populorum Arabiæ Petrææ, quæ in ſacris ſcripturis leguntur: poſtea vero in *Arabum* vocabulo coaluerunt: quod vero non antiquiſſimum nomen, nec ante regum Iſraelis tempora, quantum ex ſacris conſtat ſcripturis, innotuit. Eſaias xxi, 13, & Ezech. xxvii, 21 exempla præbent: locus i Reg. x, 15 dubius inter interpretes eſt: quod vulgatiſſimum apud Græcos Latinosque eſt.

2. Huic saracenorvm nomen æuo poſteriore ſucceſſit, & ipſum late longeque diffuſum. Qui ad Chaldæam vergebant Saraceni, Perſis erant ſubiecti: qui citra fuerunt, Romanis; ſaltem fœdere alterutri populo coniuncti. Sic Procopius lib. i Belli Perſ. cap. xvii diſtinxit τὲς ἐν Πέρσαις Σαρακηνὲς, *Saracenos Perſicos*; & Σαρακηνὲς τὲς Ῥωμαίοις ἐνσπόνδες, *Romanis fœdere iunctos Saracenos.* Et litus Arabici ſinus habitarunt, vt idem cap. xix libri eiusdem prodidit. Ptolemæi vero ætate ἡ Σαρακηνὴ, *Saracene* anguſtior Petrææ Arabiæ portio fuit *inter Aegyptum & Nigros montes*, qui a Pharan inter duos ſinus in ſeptemtrionem procurrunt, com-

comprehenſa. Vide lib. v cap. XVII. Sed latius poſtea habitarunt, quorum ſedem ſic Heracleota Marcianus Periplo Arabici ſinus deſcripſit: τὰ περὶ τὸν αὐχένα τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας μετὰ τὴν Πετραίαν καὶ τὴν Ἔρημον Ἀραβίαν κατέχουσιν οἱ καλούμενοι Σαρακηνοὶ, *Loca ad ceruicem Arabiæ Felicis poſt Petræam & Deſertam, tenent Saraceni qui vocantur :* de quibus dicit plures ſortitos eſſe προσηγορίας, *adpellationes*, & multum terræ deſertæ poſſidere. Nomen a סרק *prædari, furari* deducitur, quia proprium gentis eſt, ex rapto viuere, ad quod terræ ſterilitate inuitantur.

3. Circa αὐχένα magnæ Arabicæ pæninſulæ, quam Felicem dicunt Arabiam, Bochartus in Phaleg lib. IV cap. II *Scenitas* locat, eosque putat veterum Chuſæos eſſe, ac recentiorum Saracenos. At latius *Scenitæ*, habitantes in tabernaculis, vagati ſunt, & Plinii Arabas Scenitas in Deſerta Arabia exponemus; Strabonis in Meſopotamia.

4. Eadem ratio eſt *Nomadum* Arabum, qui a permutandis paſcuis nomen trahunt, quos ipſos etiam in Deſerta oſtendemus. Nec Arabum ſolorum hæc vocabula erant, ſed habet Pilnius etiam Nomadas Parthos, Nomadas Scythas, Nomadas Indos. nam vitæ genus ſignificatur vocabulo, non certa quædam natio.

XXXVIII.

Solitudines Arabiæ Petrææ nominibus ſuis ſeparatæ & diſtinctæ ſunt. Aegyptum reſpicit, quæ שור *Sur* vocatur, Geneſ. XVI, 7, XX, 1, XXV, 18, & I Samuel. XXVII, 18, inter Palæſtinam & ſinum Arabicum extenſa; ac Iſraelitæ ex mari egreſſi primum in Sur ſolitudinem venerunt, Exod. XV, 22. Hieronymus in Locis: *Sur, vbi inuenit angelus ancillam Saræ Agar inter Cades & Barad. Extenditur autem deſertum Sur vsque ad mare rubrum, quod ad Aegypti confinia peruenit.* Ex Sur Iſrael profectus eſt in deſertum סין *Sin*, Exod. XVI, 1, XVII, 1. Inde in deſertum *Sinai*, Exod. XIX, 1. deinde ex Sinai in פארן *Paran* ſiue *Pharan* ſolitudinem, Numer. X, 12, cap. XIII, 3, in cuius extremitate ad terram Chanaan ſitum erat *Cadesbarnea*, quod oppidum videtur fuiſſe. vnde exploratores terræ Chanaan nunc ex deſerto Pharan dicuntur emiſſi, Numer. XIII, 4, nunc ex Cadesbarnea, cap. XXXII, 8, Deuteron. IX, 23. Hæc in terminum auſtralem terræ promiſſæ incidebat, Numer. XXXIV, 4, Ioſuæ XV, 3, & dicitur aliquando *Cades* ſimpliciter, Geneſ. XVI, 14, cap. XX, 1. nec vero confundi debet cum altero Cades in deſerto Zin, Numer. XX, 1, 16.

2. Hinc conuerſio facta, & reditum alia via, iuxta montes Seir, per *Libna, Riſſa, Kehelatha*, montem *Sapher*, & per alia obſcura loca, ad mare vsque & Ezeongeber, quæ adiacet Elanitæ ſinui, degreſſi ſunt, quod iter Numer. XXXIII deſcriptum eſt: vnde locorum, quæ præteriimus, ignobilia nomina repetantur. Inde ventum ad deſertum צין *Zin*, quod interpretes etiam *Sin*, Σὶν vocant, ſed diuerſum a ſuperiore, etiam alia littera ab Ebræis ſignatum, Numer. XX, 1; quod Idumæam ambit, ſaltem ab auſtro & occaſu, cap. XXXIV, 3, vsque ad Palæſtinam ſeu Chananæam. In illa ſolitudine Zin fuit oppidum *Cades*, ad quod primis caſtris Iſrae-

litæ venerunt ex Eziongeber profecti, cap. XX, 1, & XXXIII, 36, a quo oppido deſertum etiam *Cades* nuncupatur, ibidem verſ. 36. Hæc ſolitudo Miriamæ ſepulcrum habet, & *Petram* cum *Aqua contradictionis*, Numer. XX, 1, 8, 13; Cades autem oppidum ad fines Idumææ erat: & tandem *Hor*, mons Aaronis morte nobilitatus. Hinc circumeuntes terram Edom Iſraelitæ venerunt *Zalmona*, inde in *Phunon*, ſiue *Fenon*, vt Hieronymus ſcripſit, de quo ſupra diximus: a Phunon, in *Oboth*: abhinc ad *Iim*, ad montes *Abarim*, qui fines erant Moabitarum. Loca ſolitudinis Moabiticæ ſupra in Moab explicata ſunt.

XXXIX.

Superſunt Ptolemæi oppida mediterranea Petrææ Arabiæ, ſed pleraque obſcura, nec aliunde declaranda. Supra Elanam, quæ ſinum denominat, ad dextram *montium Nigrorum*, poſita eſt *Geraſa*, dein *Gypſaria*, *Guba*, *Lyſa*: & magis ad ſeptemtrionem *Maliattha*; ſupra montes *Eboda*, Ἔβοδα; & *Eluſa*, * quam quidem Idumææ adſcribit, ſed aliam ipſe Idumæam deſignat, quam vel propria erat veterum, vel laxa & extenſa aliorum. His ab ortu adpoſuit, vt rurſus a ſinu in ſeptemtrionem progrediamur, *Auara*, quæ epiſcopalis eſt in Eccleſiæ Notitiis; *Zaanatha*, *Adru*, & Μόκα, *Moca*, in hiſtoriis, quantum conſtat, incognita, vtique vero ex nummo Antonini Pii apud Patinum, inſcripto circa templum & Deæ ſimulacrum MOKA. IEP. ACY. AYTO. *Moca ſacra, inuiolabilis, ſuis vtens legibus.* Harduinus quidem ad Samoſata refert, quaſi MOK inuerſis litteris KOM, & A πρώτη legi debeant; ſed docte refutatus eſt ab illuſtriſſimo Spanhemio Orbe Rom. pag. 404. In boream hinc inclinant *Necla*, *Cletharro*, *Thoana*. Sequuntur quæ in Moab & Amorrhitide expoſuimus, *Rabatmoma*, *Medaua* & *Esbuta*, quæ ſunt Rabbat Moab, Medba ſeu Medaba: Esbus ſiue Hesbon: quibus *Maguza* incognita accedit. Hinc rurſus in ortum *Anitha*, quæ etiam epiſcopum in conciliis habuiſſe fertur; *Audia*; *Ciza*, quæ in Imperii Notitia ſub Duce Arabiæ habet equites Dalmatas Illyricianos; *Surratha*, *Corace*, *Adra*, *Boſtra*.

XL.

De poſtremis duobus aliquid dicendum inuenimus. Ad *Adra* Holſtenius Proclum Ἀδράων epiſcopum, vti in MS. actus VI Concilii Calchedonenſis, perperam in editis Σαδράων, vocatur, referendum cenſet. In Seleucienſi conciliabulo etiam ſubſcripſit ἐπίσκοπος Ἀδράων, *epiſcopus Adraorum*, apud Epiphanium Hæreſi LXXIII. Sed hæc in ſeptemtrionem longe videtur reducta eſſe, quia Euſebius de Locis Ebr. in Aſtaroth; quæ regis Og in Baſan vrbs erat, ſcripſit: παράκειται ἐν τῇ Βαταναίᾳ Ἀδραὰ πόλις τῆς

* Propter auctoritatem Ptolemæi & Hieronymi ad Eſa. XV ſuſpiceris, *Eluſam* trans Iordanem fuiſſe. Sed quia *Eluſa* hebraice חלוצה dici putatur, & in Targum Hieroſol. Gen. XXV, 18 & Exod. XV, 22 שור redditur, ſaltem priori illo loco *Sur* ſignificari videtur; quia item Hilarion e vicinia Gazæ in Cades profecturus Eluſam tranſiit, Hieronymo in Hilarionis Vita teſte: apertum eſt, recte eam ab auctore noſtro doctiſſimo in tabula Geographica poſitam eſſe. Adde huc Relandum, qui etiam epiſcopos Eluſæ fuiſſe docet.

τῆς Αραβίας, ὡς ἀπὸ σημείων ἕξ. *Adiacet* [vrbi Aſtaroth] *in Batanæa, Adraa oppidum Arabiæ, quaſi in ſexto milliario.* Hieronymus *Adar* ſcripſit, ſed ſecundum Euſebium & alios Græcos eſt Αδραά, *Adraa.*

XLI.

Inde ab Adraa per viginti quinque milliaria vrbs *Boſtra* ſeparata fuit in ortum, puta hibernum. Euſebius dicto loco: ἡ δὲ Αδραὰ τῆς Βόςρης διέςηκε σημείοις κέ, *Adraa autem a Boſtra diſtat millibus paſſuum* XXV. Chorographus Stephanus: Βόςρα πόλις Αραβίας, οὐδετέρως καὶ θηλυκῶς. τὸ ἐθνικὸν Βοςρηνὸς καὶ Βοςραῖος. *Boſtra vrbs Arabiæ, genere neutro & femineo. Gentile Boſtrenus & Boſtræus.* In maximis Arabiæ vrbibus cenſebatur. Ammianus lib. XIV cap. XXVII [Valeſ. VIII] *Arabia ciuitates habet inter oppida quædam ingentes, Boſtram & Geraſam atque Philadelphiam.* Ornamenta a Traiano habuit, cuius Arabica expeditio non modo ex hiſtoriis, ſed nummis etiam notiſſima eſt, præ ſe ferentibus ARAB. ADQ. & ARAB. ADQVIS. id eſt *adquiſita.* Vnde *Traiana Boſtra* in nummis dicitur, quod in Iuliæ Mamææ nummo integre legitur, quem mox proferemus: ex quo Seueri nummum interpretamur N. ΤΡ. ΒΟϹΤΡΑ, Νέα Τραϊανὴ Βόςρα, *Noua Traiana Boſtra:* ſiue, vt in Commodi nummo Latine ſcriptum eſt, N. TRA. BOSTRA, vt Harduinus diſtinxit: Patinus, in Commodo, Latinas & Græcas litteras permiſcuit. Nondum illo tempore colonia fuit, vt ibidem Patinus credidit: quod cognomentum demum ex Alexandri temporibus habet. In ipſius & Mamææ nummis, COLONIA BOSTRA: in Iuliæ Aquiliæ, COL. F. BOSTRA ALEXAND. id eſt, *colonia felix Boſtra Alexandrina:* & alio Mamææ, TRAIANAE ALEXANDRINAE COL. BOSTRA: & Philippi imperatoris, COL. METROPOLIS BOSTRA. Huius Philippi patria fuit. Zonaras in vita eius: ὥρμητο ἐκ Βόςρων, *Boſtris oriundus erat.* Cedrenus de eodem, ὡρμᾶτο ἀπὸ Βόςρας τῆς Ευρώπης, *ortus eſt a Boſtra Europæ.* Arabiæ Boſtram nouimus, non Europæ: eiusque ſignum in prædicto Commodi nummo camelus, animal fere proprium Arabiæ: & Aurelius Victor *Arabem* Philippum dixit, ſic de illo exorſus: *M. Iulius Philippus Arabs Trachonites.* Trachonitis autem laxe ſumta, longe ex ſeptemtrione in auſtrum deducebatur, vt ſupra expoſuimus.

2. Summi viri Ioſ. Scaliger ad Euſebium, & Luc. Holſtenius ad Ortelium Boſtram hanc *Philippopolim* ab alumno ſuo adpellatam fuiſſe tradiderunt: quod vero ex hiſtoriis confirmari non poteſt. Victor Schotti, *condito apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere,* puta vterque Philippus, pater & filius. Zonaras, *ortus Boſtris,* ὅπου, *vbi vrbem, imperio potitus,* ἐδομήσατο, *condidit,* Φιλιππόπολιν ὀνομάσας αὐτὴν, *eamque Philippopolim nominauit.* Cedrenus, ortus ἀπὸ Βόςρας, ἔνθα καὶ πόλιν ᾠκοδόμησεν, *vbi & vrbem condidit, quam Philippolim nominauit.* Nihil hi aliud dicunt, quam Philippum vrbem ſui nominis in agro Boſtreno condidiſſe. Diuerſa ergo *Philippolis* Arabiæ a Boſtris fuit, ſed quanta diſtantia, neque hi auctores, neque alii prodiderunt. Diſtinxit etiam vetus Notitia Eccleſiæ, cum Caroli a Sancto Paulo Geographia S. excuſa, pag. 63, in Arabiæ ἐπαρχίᾳ ſiue

prouincia, (ſeparata a Palæſtina tertia) vbi Βόστρα μητρόπολις, & deinde quarto numero Φιλιππούπολις, nominantur: ex quo & ipſam *Philippopolim* Arabiæ vrbem epiſcopalem fuiſſe clarum eſt. Et hanc coloniam fuiſſe, de nummo Philippi patris conſtare poteſt, ſignato ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC, *Philippopolitarum coloniæ.* Et alius eorumdem Philippolitarum coloniæ, altera parte habens ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ, *Diuo Marino*, qui purpuram in Mœſia ſumſerat, Philippo regnante, vt Zonaras refert. Vide quæ CL. Harduinus de vtroque notauit.

SECTIO II.

ARABIA DESERTA.

XLII.

Arabia *Deſerta*, eſt Græce ἡ ἔρημος Ἀραβία, * cui Ptolemæus lib. V cap. XIX hos limites conſtituit; ab occaſu terminari partibus Syriæ & Arabiæ Petrææ: a ſeptemtrione, parte Meſopotamiæ, a qua Euphrate fluuio, iam in ortum inflexo, dirimatur: ab oriente, Chaldæa ſeu Babylonia, a qua montibus ſeparetur: a meridie, Arabia Felice, itidem montibus diſiuncta. Eratoſthenes apud Strabonem lib. XVI pag. 528 duas partes Arabiæ fecit, vnam προσάρκτιον καὶ ἐρήμην, *ſeptemtrionalem & deſertam*, quæ media ſit inter Cœleſyriam, Iudæam & Felicem Arabiam, & inde ab Ægypto ad Babyloniam extendatur. Altera ei pars eſt Arabia Felix, quæ in meridiem vergit. Nec aliter multo de Arabia Plinius lib. V cap. X, & lib. VI cap. XXVIII, vt illius ætatem diſtincta illa & tripartita diuiſio attingere haud videatur. Ptolemæus illius auctor eſt præcipuus, a quo accepimus: qui lib. V ſeparatim de ſingulis tractauit partibus, cap. XVII de *Petræa:* cap. XIX (nam Meſopotamiam interpoſuit) de ἐρήμῳ, *Deſerta:* ſed demum lib. VI cap. VII de *Arabia Felice:* quam Εὐδαίμονα ipſe adpellat. Ptolemæum poſteriores ſequuti ſunt Marcianus Heracleota, & Agathemerus, aliique.

XLIII.

Itaque veteres, Eratoſthenes præſertim, omnem Arabiam, quæ extra Felicem eſt, ἔρημον, *deſertam*, vt plurima eſt, vocabant, quia etiam, quam Petræam poſtea Ptolemæus & alii dixerunt, maiorem partem aſpera & inculta eſt. Vt autem in aliis diuiſionibus ſolet, ita hoc loco non tam ad rationes, quam ad vſum & conſuetudinem hominum referendum eſt, quod tres partes maiores Arabiæ conſtitutæ ſunt. Aut ſi omnino ratio inueſtiganda eſt, puto hanc forſitan ſubfuiſſe, vt, quia Petra ſedes regia erat, quidquid in poteſtate regum Petræorum fuit, qui inde a Damaſco imperium ſuum ad vsque Felicem Arabiam, & ex altera parte ab Ægypto vsque ad Petram & vltra, quum florentiori fortuna vterentur, prorogaſſe memoran-

* Sic Polyænus VII, 10, 7 αὐτὸς διὰ τῆς ἐρήμης Ἀραβίας ὁδεύσας, *ipſe per deſertam Arabiam profectus.*

morantur, omne Arabia Petræa vocaretur: reliqua pars, non ſubiecta Petræis regibus, vetus nomen deſertæ & ſterilis Arabiæ retineret.

XLIV.

Ptolemæus Deſertam Arabiam incipit a *Thapſaco*, quam primam illius vrbem conſtituit, ſitam ad Euphratem, nobilem traiectu & ponte, quo Darius vltimus & Alexander vſi fuerunt. Nos Plinium ſequuti & Stephanum, in Syria, eiusque parte Palmyrena, expoſuimus. Perinde autem eſt ſiue in Syria ſiue in Arabia hoc oppidum cenſeatur, quia in vtriusque fuit confinio: & ſi in Syria etiam relinquatur, nihilominus ex Ptolemæi diſpoſitione diſcimus, vnde initium Arabiæ Deſertæ ſumendum ſit, videlicet proxime poſt Thapſacum, ſi ripenſem partem recenſere volumus.

XLV.

Quæ in ripa Euphratis a Thapſaco ſequuntur, incerta & obſcura ſunt omnia, & multa aliter in Palatino codice, quam in vulgatis Ptolemæi libris leguntur. Sunt autem, *Bithra* (Palat. *Birtha*) quam perperam Ortelius, & Zoſimi Bithram lib. III cap. XIX, eamdem putat, quum Ptolemæi Bithra in occaſu Arabiæ Deſertæ fuerit; Zoſimi, in Babylonia: illa cis Euphratem, hæc trans eumdem poſt Naarmalca. Deinde in eadem ripa ſunt *Gadirtha, Auzara, Audattha, Eddara* [Pal. *Dadara,*] *Balatæa* [Pal. *Balagæa*] *Pharga, Colorina* ſeu *Colarina, Belgnæa,* [Pal. *Belgynæa*] qui terminus Arabiæ eſt ripenſis. Sed nihil de hiſce apud alios.

XLVI.

Neque notiora ſunt, quæ ad partem ſinus Perſici Ptolemæus adpoſuit, *Ammæa*, *Idacara*, ſiue *Adacara*, *Iucara* ſeu *Iocara:* neque mediterranea, quæ hinc in occaſum recedunt proxime, *Salma*, *Calathuſa*, *Arrade*, *Tedium*, *Odagana*, *Luma*, *Abere*, *Alata*, *Dumætha*, *Sora*, *Dapha*, *Seuia*, *Banacha.* Et ad Felicis Arabiæ montes *Artemita*, *Abæra:* ſupra quæ in ſeptemtrionem *Thauba*, *Erupa*, *Alata* alia (niſi prior *Allata* fuit, vt in libris eſt aliis) *Aurana*, *Choce*, *Gabara*, *Barathena*, *Sabe*, quæ haud dubie condita fuit a *Seba*, שבא, Abrahami & Keturæ ex Iakſan, nepote. nam Keturæi illi a patre Abrahamo in orientem dimiſſi, Geneſ. xxv, 3 & 6. Hinc ad Euphratem vsque nihil habet Ptolemæus, niſi *Cataniorum Cauchabenorum*que obſcuros populos: & inde in ortum ac montes verſus, Chaldæam ab Arabia diuidentes, ſupra Lumam ante dictam, *Themma*, Θέμμη, quæ videtur *Thema* Arabiæ eſſe, Iobi VI, 19, Eſa. XXI, 14, Ierem. XXV, 23, condita, vt videtur a Thema filio Ismael, Geneſ. XXV, 15. nam longe fines ſuos Iſmaelitæ extenderunt, ab Heuila ad Sur & Ægypti terminos, ibid. verſ. 18. quippe Heuila ſeu Hauila, prope Euphratem & Paradiſi locum eſt, Geneſ. II, II. Supra Themma, in ſeptemtrionem recedit *Rheganna* oppidum: & medio quaſi loco, inter hæc ſatis disiuncta oppida, aut paullo citerius, ſub *Cauchabenis*, qui ripam tenebant, prope Babyloniam, ſunt Ptolemæi Αἰσῖται, quos Latine *Æſitas* ſcribunt, Bochartus autem Αὐσῖται legi vult, *Auſitæ*, qui in *Auſitide*, ἐν χώρᾳ Αὐσίτιδι, vt Græcus Iobi interpres cap. I *terram Vtz* vertit, habitauerint. Vide Phaleg doctiſſimi

viri

viri lib. II cap. VIII. His ab occaſu Ptolemæus oppoſuit *Agræos*, * quos vir clariſſimus Frid. Spanhemius in Iobi Hiſtoria pag. 50, *Agaræos*, *Agarenos*, ex Agar ſeu Hagar, Iſmaelis matre, dictos interpretatur. Ad auſtrum iuxta Arabiæ Felicis montes ex eiusdem Ptolemæi diſpoſitione ſunt *Agabeni* ſiue *Agubeni*, & *Rhaabeni*, & propius Perſarum ſinum *Orcheni*: ſupra Rhaabenos, *Maſani*, quos a Maſa, Ismaelis filios poſſis deducere. Babyloniam verſus ſunt μαρτινοὶ, *Martini* ſiue *Marteni*.

XLVII.

In hac Arabia etiam, quamlibet multi diſſentiant, patriam & ſedem ſancti Iobi ſiue Hiobi cenſemus inueſtigandam eſſe. Scriptura dicit, *virum fuiſſe in terra Vtz*. Tres autem in patriarcharum genealogia memorantur nomine *Vtz*, a quibus regio denominari potuerit. Primus fuit nepos Semi ex Aramo, Geneſ. X, 23, quem Ioſephus lib. I Antiquit. cap. VII Trachonitin & Damaſcum dicit condidiſſe, atque ita ſcriptori hiſtoriæ Iobææ, quem Iſraelitam fuiſſe non dubitatur, ſeptemtrionalis fuit; Iobus autem inter filios orientis, cap. I commate 3. Alter *Vtz* fuit filius Nahori, fratris Abrahami, Geneſ. XXII, 21, qui videtur ex Haran Meſopotamiæ, patris ſede, traiecto Euphrate, in Arabiam deſertam profectus, & ibidem cum poſteris conſediſſe, vt infra declarabimus. Tertius *Vtz*, ex gente Horæorum, in montanis Seir fuit, Geneſ. XXXVI, 28, atque ita extra ſanctam Eberi poſteritatem.

2. Iam quæritur, a quonam Iobi *terra Vtz* nomen ſuum acceperit. Non a primo accepiſſe, ſupra oſtendimus ex plagarum diuerſitate; neque vſquam alibi Syria vel pars eius legitur terra Vtz adpellata eſſe: neque a tertio, quia regio illa *Sehir* & *Edom* vbique vocatur, non *Vtz*, niſi forte Thren. IV, 21, quod negat Frid. Spanhemius pag. 38, ampliatos Idumæorum fines vsque in Deſertam Arabiam notari exiſtimans. Sed ſi concedamus etiam, Vtz ibidem de Idumæa dici, id tamen ſtilo prope poetico, qualis Lamentationum eſt, imputari debet, quod ſecus in hiſtorico priorum capitum Iobi ſe habere quilibet intelligit. Deinde Edom auſtralis in S. ſcriptura cenſetur regio: ſedes autem Iobi, orientalis. Accedit quod vulgaris opinio de Iobo Idumæo, ex Eſaui poſteritate orto, ex errore nata ſit, quaſi *Iob* idem ſit, qui rex *Iobab*, Geneſ. XXXVI, 33, quum tamen diverſa nomina ſint, & alter rex, alter priuatus, quamlibet pecore & armentis diues, quod pluribus laudatus Spanhemius in Iobi Hiſtoria declarauit. Neque

* *Agræis* hiſce tribuit nummos, quibus inſcriptum eſt ΖΕΥΣ ΑΓΡΕΥΣ, Iacobus de Bary V. C. apud Relandum Palæſt. tom. II pag. 933 ſeqq. Agræorum vrbs a Plinio VI cap. 28 *Egra* fortaſſe nominatur, propterea quod a librariis corruptum eſt nomen. *Agram* vrbem fuiſſe, ipſe nummus declarat. Ita enim *Diana Epheſia*, *Apollo Delphicus*, *Apollo Daphnes*, & *Clarius* cet. nominantur. Deinde nummi ſpecies & tota ratio congruit cum nummis vrbium Palæſtinæ vicinarum, vt idem vir nobiliſſimus obſeruauit. Adde quod Mohammedes Ferganenſis in climate ſecundo vrbem *Hager* diſerte memorat, quæ cum primis celebris fuerit oportet, quod is fere illuſtres modo nominat. Vide eius Aſtronom. cap. 9. Ab hac vrbe *Agræos* nomen ſortitos eſſe, vix dubitarim. Golius item in Lexico Arabico vrbem habet حجر regionis Arabicæ Iemamæ.

Neque laciniam, Iobi Verſioni Græcæ in fine adſutam, quod nullius auctoritatis eſt, curamus.

3. Relinquitur ergo, vt in Deſerta Arabia & patriam & ſedem ſancti Iobi inueniamus: quod firmis etiam rationibus confirmari poteſt. Etenim prædones Iobi dicuntur *Chaldæi* & *Sabæi*. Quis vero credet, tum temporis Chaldæos prædandi cauſſa in Idumæam excurriſſe? vicinos oportet fuiſſe, qui tam ſubito inuadunt ac diripiunt. Sabæi vero prædones haudquaquam ex Felice Arabia, vt perperam multi credunt, aduolarunt, qui longiſſime remoti erant; ſed ex propinquiore Sabe, quam in Deſerta Arabia Ptolemæus habet. Et amici, qui conſolaturi ad Iobum venerunt, vno Eliphaz Themanita excepto, ex Deſerta fuerunt Arabia. Bildad certe dicitur *Suachites*, a Suah ſeu Suach, filio Abrahami ex Ketura. Omnes autem Keturæi a patre dimiſſi, cum muneribus, in orientem, id eſt Deſertam Arabiam, quæ præcipue id nomen in S. ſcripturis fert. Græcus interpres Σαυχαῖος, vnde coniicit modo laudatus theologus, ex Ptolemæi Σακκαία, *Saccæa* fuiſſe, quam ille ponit lib. v cap. x v ἀπ᾽ ἀνατολῶν τῆς Βαταναίας, *ab oriente Batanææ*, atque ita in limitem cadit Arabiæ Deſertæ. Tertius amicus fuit Zophar *Naamatites*. Vbi autem illa *Naama* fuerit, non eſt diſtincte adnotatum. Ab amœnitate petitum nomen eſt, cuius generis in Palæſtina fuere aliquot oppida, quæ inepte huc referas, quia, vt nihil de longinquitate dicamus, a Chananæis illo tempore poſſidebantur, quibuſcum amicitiam Iobo interceſſiſſe, non eſt credibile, nec ſanctitas viri etiam permittit. Quapropter non dubitamus, & hunc locum in vicinia Iobi, id eſt in Arabia Deſerta fuiſſe, cuius plurima nobis ſunt incognita.

4. Cum Auſiti (ſic Græcus Vtz reddit) coniuncta fuit regio *Buſitis*, a Bus ſeu Buz, ſecundo Nahori filio nomen trahens: vnde Elihu ſiue Elius, quartus collocutor, oriundus fuit, qui Iobi x x x i i, 2 ὁ Βουζίτης, *Buzites* a Græco interprete cognominatur, cum additamento ἐκ τῆς συγγενείας Ῥάμ τῆς Αὐσίτιδος χώρας, *ex cognatione Ram Auſitidis regionis*. Auſitis autem eſt terra Vtz huic interpreti, qui dicit Buziten Elihu genus ſuum in Auſiti habuiſſe, quæ ſane vicinitatem coniunctiſſimam arguunt, nec eam improbabilem, vt cetera interpretis additamenta; quia *Vtz* & *Buz* fuerunt fratres, qui forte non commode in Haran habitarunt, aut pulſi ab indigenis, res ſuas in Deſertam Arabiam transtulerunt. Vide Gen. x x i i, 21.

5. Sunt etiam eruditiſſimi viri, qui Pignorii nummum ΔΟΥΜΑΘΗΝΩΝ ſignatum, id eſt *Dumathenorum*, ab oppido Dumatha, ad hanc Arabiam referant, quia Plinius lib. v i cap. x x v i i i, vbi de Arabia agit, *Thumatam* quamdam memorauit, & Notitia Imperii Orientalis ſub duce Arabiæ Alam Valentinianam *Thamathæ*: quod Pancirolus ad Themma Ptolemæi in Deſerta Arabia, de quo ſupra dictum, retulit. Sed neutrum locum putamus ad noſtram Arabiam pertinere: non Plinii, quia dicit Tigri prænauigari, & de iis agit, quæ infra confluentem Tigris & Euphratis ſunt, quem totum tractum Ptolemæus non in Arabia cenſet, ſed in Babylonia.

Nec locus Notitiæ, quia prouincia illa Arabica in Petræa potius, quam Deſerta Arabia, poſita fuit, vt ex locis eius, quæ præſidia habuerunt, pluribus eſt manifeſtum, Ziza, Areopoli, Boſtra, & aliis. Et ſi omnino etiam ex Deſerta Arabia pars prouinciæ adiecta fuit, quemadmodum Panciro-lus *Adittha* Notitiæ ad *Audattha* Ptolemæi in ripa Euphratis refert, quod tamen admodum eſt dubitabile: tamen ad ripam Tigridis inferioris illa ætate prouinciam Romanam pertinuiſſe, haudquaquam eſt credibile. Pignorii nummus Harduino ſuſpectus eſt.

XLVIII.

Cæterum *Nomades* & *Scenitæ*, quamlibet & alibi, tamen in hac maxime Arabia cenſentur. Strabo lib. XVI pag. 526 *Vlterior Euphratis regio, quæ ad oſtia eius eſt, a Babyloniis & Chaldæis incolitur:* τὰ δ' ἑξῆς Μεσοποταμίας μέχρι Κοιλῆς Συρίας Σκηνῖται κατέχουσιν Ἄραβες, *quæ Meſopotamiæ* [cis Euphratem] *ſuccedunt*, aut oppoſita ſunt, *ea Arabes Scenitæ tenent vſque ad Cælen Syriam.* Plinius lib. V cap. XXIV de Euphratis regione a Syriæ latere: *oppida Europum, Thapſacum quondam, nunc Amphipolis: Arabes Scenitæ.* Idem lib. VI cap. XXVIII. *Nomadas inde* [a Palmyrenis ſolitudinibus,] *infeſtatoresque Chaldæorum Scenitæ claudunt, & ipſi vagi, ſed tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, vbi libuit.* Continuatum nomen etiam per alias Arabiæ partes. Idem Plinius lib. V cap. XVI *Proſpicit eum* [Aſphaltiten lacum] *ab oriente Arabia Nomadum.* Hæc autem pars eſt Arabiæ Petrææ, quæ & Moabitidem tenebat, huic lacui obiectam ad plagam ſolis exorientis.

SECTIO III.

ARABIA FELIX.

XLIX.

Arabia Felix, Ἀραβία ἡ Εὐδαίμων Græcis dicta, quod nomen Plinius lib. VI cap. XXVII Latine ſcripſit, *Arabia Eudæmon cognominata:* hæc, inquam, Arabia ad meridiem Petrææ & Deſertæ ſubiecta, & gemino ſinu, Arabico & Perſico, ac parte Oceani, quæ inter vtrumque ſinum eſt, in modum pæninſulæ concluſa eſt. Εὐδαίμων, *Felix* cognominatur a largiſſimo aromatum prouentu, a quo eadem præſtantiſſima illius pars, quæ ad auſtrum eſt, ἀρωματοφόρος, *aromatum ferax* regio a Strabone lib. XVI pag. 538, qua felicitate Sabæi maxime fruebantur, quorum regio ibidem p. 535 εὐδαιμονεστάτη, *feliciſſima* dicitur. Nec illa prærogatiua huius Arabiæ ſilenda eſt, quam idem illi Strabo lib. I pag. 27 dedit, Ἀραβία, *Arabia*, dicens, ἡ μὲν εὐδαίμων κέκληται μόνη τῶν ἁπασῶν, *hæc quidem ſola Felix inter omnes regiones vocatur.*

L.

Ab occaſu ſinum habet Arabicum, cuius litus orientale (nam occidentale Ægypti eſt) antequam recenſeamus, aliquid de *Nyſa*, in limine ſita iuxta Ægyptum, tradendum videtur, quo loco Oſiris ſeu Bacchus fertur

tur educatus eſſe. Diodorus Siculus lib. I cap. XV τραφῆναι μὲν [τὸν Ὄσιριν] τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας ἐν Νύσῃ, πλησίον Αἰγύπτου, *Aiunt Oſirin educatum eſſe in Nyſa Arabiæ Felicis, prope Ægyptum:* vnde cognomen Διονύσου, *Dionyſi* hæſiſſe ferunt, a patre Ioue & educationis loco Nyſa; * quod idem addit Diodorus. Repetiit hoc lib. III cap. LXIV, εἰς Νῦσαν τῆς Ἀραβίας, *Nyſam Arabiæ* infantem Bacchum ab Ioue deportatum eſſe, vt a nymphis ibidem nutriretur. At lib. IV cap. II ** dicit hanc Nyſam inter Phœnicen & Nilum ſitam eſſe. Adeo minus ſibi conſonant fabulæ. Nec tamen negauerim fuiſſe antiquis temporibus in Arabia hoc nomine vrbem, quamvis nulla eius apud alios ſcriptores veſtigia reperiantur. *⁎*

L I.

Quæ in litore Arabici ſinus ab Elanitico ſinu Ptolemæus in hac Arabia poſuit, omnia fere ignota ſunt, *Onne, Modiana, Hippos, Iambia,* cetera. Notior ἡ Λευκὴ κώμη, *Albus vicus*, quem Strabo lib. XVI pag. 537 Nabatæorum emporium dixit, vltra limitem Petrææ Nabatæorum habitationes in has vsque Felicis partes extendens. Arrianus Periplo maris Erythræi pag. 6. Φρούριον, ὃ λέγεται Λευκὴ κώμη, *munimentum, quod vocatur Albus vicus.* Aberat, vt idem tradit, a Berenice Ægypti, bidui aut tridui nauigatione in ortum ſolis. quo vix quindecim diebus Ælius Gallus, Ægypti præſes, fraude Syllæi circumductus, peruenit: vt Strabo ibidem obſeruauit. Nec vero hic vicus Strabonis aut caſtellum Arriani confundi debet cum Ptolemæi Portu Albo, qui in oppoſito Ægypti latere huius ſinus eſt.

L II.

Deinde in eodem Arabiæ litore Ptolemæus poſt alios vicos, *Copar* & *Arga*, βασίλειον, *regiam*, habet *Zabram*, (Ζαβράμ Palat.) & *Thebas* oppidum, (Θῆβαι πόλις) & breui poſt, *Bætii* amnis oſtia. A quo ſequitur proxime Βαδέου βασίλειον, *Badei regia:* & oppida, *Ambe, Puani vrbs, Pudni, Napegûs:* & emporium Μοῦσα, *Muſa*, quod Arrianus ſcripſit Μοῦζα, *Muza*, idque dixit ἐμπόριον νόμιμον παραθαλάσσιον, *emporium legitimum ad mare ſitum*, quod abſit a Berenice auſtrum verſus XII millibus ſtadiorum, qui numerus nimium quantum Ptolemæi poſitionem excedit, cui latitudinis differentia inter Muſam & Ægypti Berenicen Arabico ſinui adpoſitam circiter decem graduum eſt: a Berenice Ioſephi Arabica, quæ Ezeongeber olim dicta fuerat, graduum quindecim: quamquam hæc obſcura fuit: nobilis Ægyptiaca, de qua Plinius lib. VI cap. XXIII *Berenice oppidum, vbi portus rubri*

(Ff ff) 2 *maris.*

* De Nyſa Bacchi educandi loco vide Apollodor. biblioth. III c. 4 § 3 extr. p. 159.

* Sic item Euſebius Præparat. Euangel. II c. 2.

⁎ Immo vero reperiuntur apud Herodotum lib. II cap. 146 Νῦν δὲ Διόνυσόν τε λέγουσιν οἱ Ἕλληνες ὡς αὐτίκα γενόμενον ἐς τὸν μηρὸν ἐνεῤῥάψατο Ζεὺς καὶ ἤνικε εἰς Νύσσαν τὴν ὑπὲρ Αἰγύπτου ἐοῦσαν ἐν τῇ Αἰθιοπίῃ. *Etiam Bacchum aiunt Græci ſtatim a natiuitate femori inſutum a Ioue Nyſſam ſupra Aegyptum in Æthiopia ſitam tuliſſe.* Æthiopia autem eſt hic Arabia. Idem Herodotus III cap. 97 Δῶρα δὲ ἀγίνεον Αἰθίοπες οἱ πρόσουροι Αἰγύπτῳ, τοὺς Καμβύσης ἐλαύνων ἐπὶ τοὺς μακροβίους Αἰθίοπας κατεστρέψατο. οἳ περί τε Νύσσην τὴν ἱρὴν κατοίκηνται, καὶ τῷ Διονύσῳ ἀνάγουσι τὰς ὁρτάς. *Dona vero ferebant Æthiopes Ægypto finitimi, quos Cambyſes in Æthiopes longæuos ducens exercitum euertit, qui circa ſacram illam Nyſam habitarunt & Baccho feſta celebrarunt.* Imo Poëtam teſtem citat Diodorus III pag. 200.

maris. Et ibidem: *Eſt & tertius portus* [Arabiæ Felicis] *qui vocatur Muza, quem Indica* [ex Ægypto] *nauigatio non petit, nec niſi turis odorumque Arabicorum mercatores.*

LIII.

Poſt hoc emporium prope anguſtias freti, quæ os ſunt Arabici ſinus, eſt aliud, Ptolemæo dictum ὄκηλις ἐμπόριον, *Ocelis emporium.* Plinius ibidem: *Indos petentibus vtiliſſimum eſt ab Oceli egredi.* Arrianus pag. 8 huius Peripli, κατὰ τὸν ἰσθμὸν παραθαλάσσιός ἐστιν Αράβων κώμη τῆς αὐτῆς τυραννίδος, ὄκηλις, *Iuxta fretum maritimus eſt Arabum vicus, Ocelis nomine.* Addit vero, non tam eſſe emporium, quam portum & aquationem (ὕδρευμα) primumque intro nauigantium diuerſorium.

LIV.

Hinc per fretum intratur Oceanus, claudens a meridie Arabiam Felicem, quam *Homeritarum* oram Ptolemæus dixit, vbi poſt obſcura a freto oppida *Saninam, Madocen, Maracen,* eſt Αραβίας ἐμπόριον, *Arabiæ emporium,* medio inter fretum & Dioſcoridis inſulam; quod Arrianus communi regionis nomine dixit Εὐδαίμονα Αραβίαν, κώμην παραθαλάσσιον, *Arabiam Felicem, maritimum vicum.* Prope dictam inſulam Ptolemæo eſt Κάνη, *Cane,* emporium & promontorium, quod & Arriano eſt ἐμπόριον παραθαλάσσιον Κανὴ, *emporium maritimum Cana.* Plinius lib. VI cap. XXIII *Veniunt circiter* XXX *die* [a Berenice Ægypti nauigantes] *Océlin Arabiæ, aut Canen turiferæ regionis.*

LV.

Poſt Canam eſt *Trulla* portus apud Ptolemæum, Πριόνος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Prionis fluuii oſtia,* e regione inſulæ Dioſcoridis; & *Moſcha* portus, dein Σύαγρος ἄκρα, *Syagrum promontorium,* claudens Arabiæ latus auſtrale. Arrianus dicit eſſe ἀκρωτήριον τοῦ κόσμου μέγιστον, *promontorium mundi maximum.* Tum *ſinus Sachalites* in orientali latere, quod a dicto promontorio incipit: in ſinu oppidum *Auſara.* Atque hæc ex Ptolemæi diſpoſitione. Paullo aliter Arrianus. Poſt Canam hic *Sachaliten* ſinum nauigavit, contra regionem turiferam quidem, admodum autem inſalubrem. Tum promontorium ingens *Syagrum;* deinde *ſinus Omana,* & portus *Moſcha,* idoneus ad tus Sachaliticum conuehendum. Ptolemæus in extremum ſinum flumen *Hormanum* deduxit: dein *Boſara* & *Abiſa* oppida poſuit: poſt illa *Nigros montes* Ασαβῶν, *Aſaborum* habet; & tandem *Aſaborum promontorium,* in quo deſinit orientale latus, & incipit ſinus Perſicus, a quo latus ſeptemtrionale ex parte clauditur; reliqua, αὐχένι ſeu iſthmo pæninſulæ.

LVI.

Poſt fretum ſeu oſtium ſinus Perſici nihil notabile per longum ſpatium Ptolemæus habet, quam oppidum *Rhegama* ſiue *Rhegma;* & *Solis promontorium:* deinde exit fluuius, cui *Lar* nomen eſt: oppida *Cauana* & *Sarcoa:* vicus *Atta,* quo an nummi qui ATTA aut ATTAITΩN ſiue ATTAEITΩN præ ſe ferunt, pertineant, non habemus dicere. conſule periti-

tiſſimos

tiſſimos harum rerum viros Ez. Spanhemium, ſemper honoris cauſſa nobis nominandum, pag. 896; & Io. Harduinum p. 82. In flexu ſinus ad ſeptemtrionem *Gerra*, quam *Gerræi* accolunt: quos Strabo lib. XVI pag. 535 ex mercatura ditiſſimos dixit poſt Sabæos. Meminit etiam *Gerræorum* Diodorus lib. III cap. XLII, * eos, & Minnæos, tus & alios odores conuehere ἐκ τῆς ἄνω λεγομένης Ἀραβίας, *ex ſuperiore Arabia*, quia montuoſæ turiferæ regiones; depreſſæ, quæ ad mare ſunt & portus habent. Sunt deinceps oppida *Bilbana & Ithar*, & proxime, quod tamquam oppidum a Ptolemæo cum longitudinis & latitudinis numeris deſcribitur, Μαγῶν κόλπος, *Magorum ſinus*: ſupra quem alia oppida *Iſtriana, Mallaba*: *Itamus* portus, *Coromanis* oppidum: inde montes, quæ Deſertam Arabiam a Felice ſeparant. Atque hæc maritima Felicis ſunt Arabiæ.

LVII.

Mediterranea ſunt minus cognita præter paucos populos & vrbes. Quæ ad ſeptemtrionem ſunt, aſperiora & partem infrugifera Ælii Galli iter, quod Strabo ſcripſit, demonſtrat: fertiliora meridiana, vbi odores naſcuntur. Plinius alios populos nominat, alios Ptolemæus, quod incertiores rationes facit, & vitiata nomina arguit. Ille (Plinium puta) lib. VI cap. XXVIII plurimos nominat, ſed clariſſimi eorum *Sabæi, Minæi, Atramitæ, Agræi, Homeritæ, Gerræi.* De *Sabæis* ibidem: *Sabæi Arabum propter tura clariſſimi, ad vtraque maria porrectis gentibus. Oppida eorum in rubro litore Marane, Marma, Corolia, Sabatha: intus oppida, Naſcus, Cardaua, Carnus; & quo merces odorum deferunt, Tomala.* Mirum, non facere vllam vrbis *Sabæ* mentionem, quæ aliis metropolis, & genti dediſſe nomen perhibetur. Diodorus Siculus, poſtquam de Sabæis dixerat, lib. III cap. XLVII ſubdit, τοῦ δ' ἔθνους τούτου μητρόπολίς ἐστιν, ἣν καλοῦσι Σάβα, ἐπ' ὄρους ᾠκισμένη, *metropolis huius gentis, quam Sabam vocant, in monte eſt poſita.* Agathargidis Periplo p. 63 τὸ τῶν Σαβαίων ἄστυ τοῦ παντὸς ἔθνους προσηγορίαν δηλοῦν, ἐπ' ὄρους ἐστιν οὐ μεγάλου, πολὺ κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, ὃ καλεῖται Σαβὰ, *Saba, oppidum, totius gentis nomen indicans, monti incumbit non magno, omnium in Arabia pulcherrimum.* Ptolemæus non admodum longe ab Arabico ſinu, in latitudinis gradu XVI & minutis L, habet Σαβὴ, *Sabe.* Stephanus: Σαβαὶ πόλις μεγάλη, πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ φρούριον, *Sabæ, vrbs magna prope mare rubrum & caſtellum.* Hæc eſt illa שבא *Saba*, cuius regina ad Salomonem profecta fuit. 1 Reg. X, 1, vbi Græci interpretes etiam Σαβὰ reddiderunt, perinde ac Ierem. VI, 20 manifeſte turifera regio, in qua ſita eſt, ſignificatur, *quid mihi tus* משבא *ex Saba?* æque vt Virgilius Georg. I verſ. 57

India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi.

Et auſtralis ſitus Matth. XII, 42, bene conuenit cum poſitione Ptolemæi.

* Nicander Alexiph. verſ. 107 pag. 71

Γερραίης Λιβάνοιο χύσιν περιπήγεα θάμνοις.

Addit Scholiaſtes: Γερραίης δὲ τῆς Ἀραβικῆς. Γέρρα γὰρ πόλις τῆς Ἀραβίας.

Item v. 244 p. 80 de toxico: Τῷ μὲν Γερραῖοι νομάδες χαλκήρεας αἰχμὰς, Οἵ τε παρ' εὐφρήταο ῥόον πολέοντες ἀρούρας χραίνουσι. Ibi Scholiaſtes: Γερραῖοι ἔθνος Ἀραβίας, ἀπὸ Γέρρας μιᾶς αὐτῶν πόλεως. Νομάδες δὲ, νομάδα βίον ἔχοντες.

LVIII.

Aliam Plinius huius gentis metropolim nominauit, *Mariaba*, eodem cap. XXVIII. *Regia*, inquit, *omnium eſt Mariaba.* Strabo lib. XVI pag. 535 ἡ πόλις τῶν Σαβαίων, ἡ Μερίαβα, *vrbs Sabæorum Meriaba in monte ſita eſt arboribus pleno: & regem habet, qui & aliis dominatur.* In Agathodæmonis tabula eſt *Maraba metropolis*; in θέσει autem Ptolemæi prauatum nomen eſt. Pars Sabæorum fuerunt *Atramitæ.* Plinius ibidem: *Pars eorum Atramitæ, quorum caput Sabota*, LX *templa muris includens.* Videtur eadem Sabota, quam paullo ante Sabæorum vrbem *Sabatha* dixit. Ptolemæo eſt Σαύβαθα μητρόπολις, *Saubatha metropolis*, ſub eodem fere, quo Saba, parallelo, ſed multum orientalior: in eadem tabula etiam *Sabatha*, vt priore Plinii loco legitur. Sed *Adramitas* [ſic ſcripſit per Δ] auſtraliores Ptolemæus fecit, portum Cane ipſis attribuens, qui in meridiano Arabiæ latere, quod Oceanus conſtituit, prope inſulam Dioſcoridis eſt.

LIX.

Marane, quam Plinius in Sabæis cenſuit, *Maranitis* nomen dedit. Strabo pag. 534 παραλία πρότερον μὲν Μαρανιτῶν καλουμένη, νῦν δὲ Γαρινδαίων, *ora prius Maranitarum, nunc Garindæorum dicta.* Salmaſius autem in Strabone Φαρανιτῶν, *Pharanitarum* legendum cenſet. Strabonem tamen confirmat Diodorus lib. III cap. XLIII illud παραθαλάττιον, dicens τὸ παλαιὸν ἐνόμοντο Μαρανεῖς, μετὰ ταῦτα Γαρυνδανεῖς, *olim Maranenſes coluerunt maritimam oram, nunc Garandenſes.* Plinii *Naſcus* eſt etiam in Ptolemæi vulgatis, & metropolis vocatur: in Palatino autem legitur Μαόσκοπος, *Maoſcopus*; ſita ſub Perſico ſinu intus, atque ſic longe a Sabæis, niſi alia vrbs Plinii eſt, remota.

LX.

De *Minæis* dixi ſupra aliquid, quum de Gerræis ageretur, quos Strabo lib. XVI pag. 534 coniunxerat. Iunxit eosdem etiam Diodorus lib. III cap. XLII extr. qui Μινναίους ſcripſit, Strabo autem Μειναίους. Plinius prædicto loco: *Atramitis in mediterraneo iunguntur Minæi.* Regio eorum *Minæa* dicta, in meridiem longe recedens. Strabo XVI pag. 528 ἔρχονται ἐξ Ἐλανῶν εἰς Μειναίαν ἐν ἑβδομήκοντα ἡμέραις, *ex Elanis* ſeu *Ailana* [Arabiæ Petrææ in intimo ſinu] *in Meinæam veniunt* LXX *diebus.* Maxima Minæorum vrbs, eodem Strabone auctore, eſt *Carna* ſiue *Carana*, quæ videtur Plinii *Carnus* in Sabæis: quod Minæi continui Sabæis ſunt, ἐχόμενοι αὐτῶν. *Carna* autem Ptolemæi in boream recedit ad flumen *Bætium*: quod Harduino videtur alterum oppidum Plinii, *Carnon* nomine, in *Charmæis*, gente Minæorum vicina. *Quorum* [Minæorum] inquit, *Charmæi: oppidum* XIV M. P. *Mariaba Baramalacum, & ipſum non ſpernendum: item Carnon.*

LXI.

Catabani ſunt etiam gens non ignobilis Arabiæ Felicis. Plinius: *Gentes, Larendani, Catabani, Gebanitæ pluribus oppidis, ſed maximis Nagia,*

&

& Tamna templorum LXV. Fallit Ptolemæus dum Cattabenos prope ſinus Perſici anguſtias poſuit. Nam Strabo pag. 528 Καταβανεῖς καθήκοντες πρὸς τὰ στενὰ καὶ τὴν διάβασιν τοῦ Ἀραβίου κόλπου, τὸ δὲ βασίλειον αὐτῶν Τάμνα καλεῖται, *Catabani ad anguſtias & Arabici ſinus tranſitum pertinent: quorum regia dicitur Tamna.* Et, paucis interiectis, Καταβανία, *Catabania* vocatur regio. φέρει, inquit, λιβανωτὸν ἡ Καταβανία, σμύρναν δὲ ἡ Χατραμωτῖτις. *Catabania tus gignit: Chatramotitis myrrham.* Sunt autem *Chatramotitæ* Catabanis πρὸς ἕω *ad orientem* contermini: quorum etiam Plinius ac Stephanus mentionem habuerunt. Vrbem illorum Strabo dixit Καβάτανον, *Cabatanum.*

LXII.

Aſcitæ, Ἀσκῖται, gens Plinio & Ptolemæo in hac Arabia memorata: & hic quoque ſedem illorum definit παρὰ τὸν Σύαγρον τὸ ὄρος μέχρι θαλάσσης, *iuxta montem Syagrum vsque ad mare.* Syagrum autem promontorium, quo latus auſtrale connectitur orientali, procurrens ab illo monte Syagro, ſupra vidimus in maritimis.

LXIII.

Homeritæ Ptolemæi meridianum latus Arabiæ ab anguſtiis ſeu freto poſſederunt, quibus in ortum ſuccedebant *Adramitæ*, his *Aſcitæ*, a quibus latus incipit orientale. Plinius ſæpe dicto loco: *Homeritæ Maſſala oppido*, quod haud quaquam eſt Ptolemæi Μασθάλα, *Masthala*, vt Harduinus putat, quia hæc prope ſinum eſt Perſicum; Homeritæ autem in extrema meridie. Homeritarum fuit *Arabiæ*, quod ita a Ptolemæo vocatur, *emporium.*

LXIV.

Sapphoritæ Ptolemæi παρὰ, *iuxta* Homeritas, ſiue inter Homeritas & Sabæos, dicti a Σαπφὰρ, *Sapphar*, metropoli, quam *Saphar* ſcripſit Plinius lib. VI cap. XXIII. *Intus*, inquit, [a portu Oceli] *oppidum, regia eius adpellatur Saphar, aliudque Saue.* Hæc *Saue* diſtinguenda a Saba, quia Ptolemæus & Arrianus Σαυὴ ſcripſerunt, itidem βασίλειον, *regia.* Arriani Aphar ἀφὰρ, eſt *Saphar* Plinii, *Sapphar* Ptolemæi, abſorpta prima littera ab ſimili præcedente.

LXV.

Plinius in hac Arabia poſuit etiam *Ampelonen coloniam Mileſiorum.* Nomen videtur prauatum, quia hiſtoria nota eſt ex Herodoto, cui oppidum Ἄμπις, *Ampis*; Stephano & Tzetzæ Chil. VIII verſ. 993, Ἄμπη, *Ampe* eſt. Darius enim, vt lib. VI cap. XX Herodotus tradit, capta Mileto, incolas Suſa abduxit, deinde collocauit ad mare rubrum ἐν Ἄμπι πόλει, *in vrbe Ampi*, vbi fluuius Tigris eam præterfluens exit in mare. Quod ſi ita eſt, extra limitem Felicis in Deſertam Arabiam, vt vtriusque fines Ptolemæus deſcripſit, incidit, quia Tigris alias, in ſinum Perſicum ſe effundens, illam non poſſit παραῤῥέειν, *præterfluere.* Sed ſuſpecta eſt vox

Tigris

Tigris viro clariſſimo Abr. Berkelio, quia inſolens ſit ſinum Perſicum *mare rubrum* adpellari. *

LXVI.

Et *Sarracenos* Plinius dicto lib. VI cap. XXVIII in Felice Arabia poſuit, quod nomen recentius eſſe vulgo creditum: ſi modo ſana vox eſt Plinii, quam tamen magnopere Harduinus tuetur. Sed eſto, in Felice Arabia huius gentis fuiſſe colonos: tamen in Petræa, poſteriore æuo, plurimos fuiſſe, ex hiſtoria illorum temporum non ignotum eſt. Ptolemæus autem in Felice Arabia etiam habet Σαρακηνὺς, *Saracenos*, ſed in ſuperiori parte, quæ Petrææ eſt contermina, ſaltem propinqua. Iuxta illos habet *Thamydenos*, ſeu *Thamudenos*, ** quorum oppidum Plinio *Badanatha*: infra, *Napatæos*, *Athritas*, & alia obſcura nomina. Plinius plures addit, *Carreos* cum oppido *Carriata*; *Achoalos*, *Sammeos*, *Amatheos*, *Helmodenes* cum oppido *Ebode*: *Calingios*, quorum *Mariaba* oppidum aliud, diuerſum a Sabæo Charmæo: & flumen, per quod Euphratem emergere putent, & iuxta illud *Vrannimal* oppidum: Aliæ eodem auctore gentes, *Agrei*, *Ammonii*; item *Coranitæ*, *Cæſani*, *Choani*. De his Ouidius lib. V Metamorph. verſ. 163

Choanius Molpeus, dextra Nabatæus Ethemon.

Sic enim legendum, non *Chaonius*, vt vulgatum eſt, Nabatæorum docente vicinitate. Nam & in Felice Nabatæos fuiſſe, ſupra ex Strabone demonſtratum eſt: qui & oppida *Aſcam* & *Athrullam*, *** dicit ab Aelio Gallo capta eſſe. non autem Aſca illa Aſcitis Arabibus nomen dedit, locorum interuallo prohibente. Innumera alia Ptolemæi, tamquam incognita præterimus.

LXVII.

Panchaia, ſeu *Panchæa*, vulgo etiam pars Arabiæ Felicis, & quidem regionis turiferæ, eſſe creditur. Poetæ enim a turis prouentu commendant. Virgilius Georg. II verſ. 139

Tota-

* Antiquis ſcriptoribus plane non eſt in uſitatum *ſinum Perſicum* adpellari *mare rubrum*. Vide infra lib. III c. 19 extr. Addo hic ex monumentis ingeniorum III mon. XVIII § XV p. 192 locum Herodoti I cap. 180. Τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς, inquit, ποταμὸς διέργει, τῷ οὔνομά ἐστιν Εὐφράτης. ῥέει δὲ ἐξ Ἀρμενίων, ἐὼν μέγας καὶ βαθὺς καὶ ταχύς. ἐξίει δὲ οὗτος ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν. *Mediam vrbem Babylonem amnis dirimit, cui nomen eſt Euphrates. Decurrit autem ex Armeniis magnus & profundus & velox. Exoneratur vero in mare rubrum.* Idem Herodotus lib. I cap. 189 Ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν, ὃ δὲ παρὰ Ὦπιν πόλιν ῥέων ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν ἐκδιδοῖ. *Infunditur autem in aliud flumen Tigrin, quod Opin vrbem præterfluens in mare rubrum exit.* Idem IV cap. 37 Πέρσαι οἰκέουσι κατήκοντες ἐπὶ τὴν νοτίην θάλασσαν, τὴν Ἐρυθρὴν καλεομένην. *Perſæ ad mare auſtrale pertinent, quod rubrum adpellatur.* Ipſe Strabo lib. XVI pag. 1110 edit. Almel. de Arabia Felice locutus ita pergit: ταύτης δὲ τὸ μὲν προσάρκτιον πλευρὸν ἡ λεχθεῖσά ἐστιν ἔρημος· τὸ δ' ἑῷον ὁ Περσικὸς κόλπος· τὸ δὲ ἑσπέριον ὁ Ἀράβιος· τὸ δὲ νότιον ἡ μεγάλη θάλαττα. ἡ ἔξω τῶν κόλπων ἀμφοῖν, ἣν ἅπασαν Ἐρυθρὰν καλοῦσιν. *Cuius ſeptemtrionale latus facit deſerta illa regio: orientale ſinus Perſicus: occidentale Arabicus: auſtrale denique magnum illud mare, quod extra vtrumque ſinum eſt, quodque totum adpellant mare rubrum.*

** Vide de his Diodorum lib. III pag. 177 copioſe diſſerentem.

*** Hæc fortaſſe Ἄθλουλα appellatur a Dione LIII pag. 592.

Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.

Et eiuſdem operis lib. IV verſ. 379

- - - - *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.*

Et Ouidius Metamorph. lib. x verſ. 309

Tura ferat floresque alios Panchaia tellus.

Et ibidem verſu 478

Palmiferos Arabas Panchæaque rura relinquit.

Taceo de poetis ceteris, aliisque ſcriptoribus, qui tus & odores Panchaïcos laudarunt. Fabuloſa non nullis viſa fuit, vt ex Strabonis lib. VII pag. 207 adparet: Iſaacus autem Voſſius ex Arabia in Troglodytarum regionem retrahit, confiſus Pomponii Melæ teſtimonio [lib. III cap. VIII] ex MSS. vt ait, reſtituto, qui in Troglodytis dicat, *partem Panchæi habitant:* vbi *Candæi* legunt ceteri. Et Harduinus reducit Panchæos, nec vero in Troglodytice, ſed in inferiore Aegypto ponit, quod Plinius lib. x cap. II dicat, *phœnicis nidum deferri prope Panchaiam in Solis vrbem,* quam Aegypti ait Heliopolim eſſe. Euhemerus apud Euſebium de Præpar. Euang. lib. II cap. II pag. 60 inſulam dicit Oceani auſtralis eſſe Παγχαίαν, *Panchæam,* * cuius diuitias mirifice laudat. Adeo nihil certi de Panchæa conſtat veterum, quam in Arabia Seruius poſuit, quia nuſquam largius tus & præſtantius, quam ibi, aliique odores proueniant, licet non negetur, & alibi naſci, parcius tamen & ſine famæ celebritate.

LXVIII.

Inſulas circa Arabiam Felicem Ptolemæus plures notauit: ex quibus in Arabico ſinu, ſi ex Elanitico in auſtrum nauigatur, ſunt νῆσος Ἄινου, *inſula Aeni:* inſula *Timagenis*, & *Zygena:* inſula *Dæmonum*, & *Polybii*, antequam venitur ad oſtia Bætii amnis: poſt quæ inſula *Hieracum* ſiue accipitrum: & deinde *Socratis* inſula, & *Cardaméne,* cui ab occaſu, Troglodyticen verſus, *inſula Magorum* eſt oppoſita: in meridiem vero, *inſula Combuſta,* κατακεκαυμένη, quam & Arrianus in Periplo huius maris memorauit: infra quam *Malichi* [Μαλίχου] duæ; *Adani* duæ: quibus ab occaſu *inſula Diodori* reſpondet; & extrema huius ſinus longiſſimi *inſula Iſidis*, e regione Adulis, quæ in occidentali ora ſita eſt.

LXIX.

Poſt fauces vero Arabici ſinus in Oceano Erythræo *Agathoclis* duæ; *Cocconagi* tres: deinde *Dioſcoridis inſula,* quam μεγίστην, *ampliſſimam* Arrianus dixit, deſertam tamen & paluſtrem: & in Sachalite ſinu *Zenobii* ſeptem, & *inſula Sarapidis* cum templo. In ſinu autem Perſico *Apphana* inſula, *Ichara*, ſeu *Icarus* in Palatino codice: ** *Talo*, *Tylos*, *** *Arathos* † *CAPVT*

* Conſentit Diodorus V pag. 317, 318.

** Aelian. XI de Animal. cap. 9 Ικαρός ἐστι νῆσος καὶ τῇγε ἐρυθρᾷ θαλάττῃ ἔγκειται. &c. *Icarus eſt inſula in rubro mari ſita.*

*** Theophr. de Plant. IV cap. 9 ἐν Τύλῳ δὲ τῇ νήσῳ (κεῖται δ' αὐτὴ ἐν τῷ Αραβικῷ κόλπῳ) τὰ μὲν &c. Adde eumdem lib. V cap. 6.

† Vltra Arabiam in Oceano auſtrali Diodorus V p. 317 habet νῆσον ἱερὰν, *inſulam ſacram* & aliam

CAPVT XV

DE

MESOPOTAMIA.

I.

MEſopotamia, Μεσοποταμία, Græcorum vocabulum eſt, & regionem inter duo flumina contentam, quæ hoc loco Euphrates & Tigris ſunt, ſignificat. Strabo lib. XVI pag. 513 Μεσοποταμία ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὠνόμασται. εἴρηται δ' ὅτι κεῖται μεταξὺ τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγριος. *Meſopotamia ab euentu rei denominata eſt. Dicta eſt enim, quod inter Euphratem & Tigrin iaceat.* Definit ibidem etiam limites: Tigrin claudere latus orientale, Euphratem occidentale: e ſeptemtrione Taurum Armenios dirimere a Meſopotamia; auſtrale latus adiuere itidem Euphratem, conuerſum iam in orientem. Eosdem Meſopotamiæ terminos Ptolemæus lib. V cap. XVIII conſtituit.

2. Ebræi & hanc partem vocant ארם *Aram,* ſeu *Aramæam*, ſed diſcriminis cauſſa plerumque cum adpoſito nomine vel fluminum, vt *Aram Naharaim,* hoc eſt, Syria fluuiorum, Geneſ. XXIV, 10. Deuterôn. XXIII, 4. Iudic. III, 8. quorum primo loco Græci vna voce Μεσοποταμία verterunt, in ceteris, ſaltem in quibusdam codicibus loco medio, conſtanter autem in vltimo, cum adpoſito Μεσοποταμία Συρίας; Vulgatus, *Meſopotamia Syriæ.* Aut præponitur vox פדן *Paddan,* vt Geneſ. XXXI, 18, XXXV, 9, vbi *Paddan Aram* vel ſimpliciter a Græcis Μεσοποταμία, *Meſopotamia* vertitur; vel Μεσοποταμία Συρίας, *Meſopotamia Syriæ.* Quid? quod Geneſ. XXVIII, 7, vbi Paddan Aram Septuaginta verterunt εἰς τὴν Μεσοποταμίαν Συρίας; Vulgatus ſimpliciter tranſtulit *in Syriam.* Neque a Syris, qui cis Euphratem erant, vel moribus vel lingua inſigniter diſcrepabant qui coluerunt Meſopotamiam. Dum vero præponitur *Paddan* nomini Syriæ ſiue Aram, argumento eſt commune id potius eſſe quam proprium nomen: quod confirmatur ex eo, quia, quod Moſes dixit, Iacobum iſſe in *Paddan Aram;* Hoſeas expreſſit cap. XII, 13 in שדה ארם *in campos Aram* ſiue Syriæ. Conſentiunt Iudæi in Kimchi Lexico, de quibus ipſe ויש מפרשים פדן ארם שדה ארם *Sunt qui Paddan Aram interpretantur Campus Aram.* Atque ita etiam R. Salomo in Geneſ. XXV, 20, quosdam interpretari ait. Abeneſra autem in eumdem locum ſimpliciter, ſine diuiſione ſententiarum, פדן שדה *Paddan ſignificat agrum* ſeu *campum.* Omnes tres prouocant ad linguam Arabicam, in qua פדאן ager & campus ſit, vt ita Paddan Aram *Campeſtris Aram* ſeu *Syria* conuerti poſſit.

3. Dura adpellatio eſt, qua Dionyſii interpres, ſiue Priſcianus fuit ſiue

ei vicinam a Panchæis cultam. Cui accedat tertia, XXX ſtadiis ab altera remota. Sed eæ quum ab aliis ſcriptoribus non memorentur, recte etiam hic prætermittuntur.


Septemtrio
Meridies
Oriens
Occidens
MESOPOTAMIA
ET
BABYLONIA
FLUMINIBUS SECUNDUM VETEREM TABULAM DUCTIS
ARMENIA MAGNA
Arrapachitis
Gorduene
CAPPADOCIA
Taurus M.
Edeſſa
Batnæ
Anthemuſia Ptol.
Amida
Marde
Calachene
ASSYRIA
Zegira
Darna
Dartha
Degia
Calach
Corcura
Atra
Sapphe
Doſa
Arbela
Taurus Mons
Commagene
Zeugma
Osdroene
MESOPOTAMIA
Sinna
Mygdonia
Niſibis
Bessara
Resen
Sauara
Singas fl.
Gaugamela
ADIABENE
Germanicia
Singara
Singaras mons
Tigris fl.
Ninus
Nicatarius mons
CILICIA CAMPESTRIS
Hierapolis
Zama
Thergubis
Gorbata
Labbana
Apolloniatis
Apollonia
Carræ, Haran
Birtha
Chatrach-sarta
Beroea
Bariana
Thelbe
Manchane
Artemita
MARE SYRIACUM
Cypri pars
Eleia
Dabauſa
Naarda
Sipphara
Seleucia
Sittacene
Sittace
SYRIA
Antiochia
Anthemus
Reſaina, Reſæna
Teridata
Coche
Ctesiphon
BABYLONIA
Babylon
Chala
Sura
Nicephorium
Haran aliorum
Daremma
Aluanis
Pacoria
Chalonitis
Chalybon
Callinicum
Orontes fl.
Thapſacus
Circeſium
Arabes Transeuphratenſes
Vologeſia
Pallacopa
Regius fluvius
Apamia Meſenes
Chabora
Birtha
Thelda
Agra
Palmyra
Barabe
Zaita
Dura
Eudrapa
Reſipha
CHALDAEA
SUSIANAE PARS
Punda
Idiccara
Orchoe
Aracca, Erech
ARABIA
DESERTA
Aſia
Vestigia oſtii proprii Euphratis
Characene
Teredon
Meſene
Charax Paſinæ
Sinus Perſici pars
Euphrates fl.
Tigris fl.
Chaboras ſeu Aborras fl.
Saocoras fl.
Lycus fl.
Caprus fl.
Gorgus fl.
Gyndes fl.
Silla fl.
Amanus mons
Maſius M.
40
35
30

ſiue Rhemnius Fannius, *Medamnem* hanc regionem dixit, * verſum 993 periegetæ de terra inter Euphratem & Tigrin

Τήνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσιν,

Latine ita reddidit pag. 229, ed. Aldina,

Indigenæ populi pro re dixere Medamnem.

II.

Diuiſit Ptolemæus Meſopotamiam in plures *χώρας, regiones* ſeu provincias, quarum prima] eſt ἡ Ανθεμουσία πρὸς τῇ Αρμενίᾳ, *Anthemuſia, quæ Armeniam attingit,* atque ita ſeptemtrionalis eſt: ὑφ' ἣν ἡ Χαλκῖτις, *ſub qua Chalcitis* ſita eſt inter Edeſſam & Carras: & ſub hac ἡ Γαυζανῖτις, *Gauſanitis* inter Chaboram & Saocoram: καὶ πρὸς τῷ Τίγριδι ποταμῷ ἡ Ακαβηνή, *Acabene, ad Tigrin fluuium:* & ſub illa ἡ Τιγγηνή, *Tingene:* & iuxta Euphratem longo tractu ἡ Αγκωβαρῖτις, *Ancobaritis.* Hæ partes Ptolemæi, ſed minus cognitæ in hiſtoriis, præter primam. *Anthemuſia* enim etiam aliunde perſpecta eſt & nota. Strabo lib. XVI pag. 514 περὶ τὴν Ανθεμουσίαν ἄλλος [ποταμὸς] Αβόῤῥας, *circa Anthemuſiam alius fluuius eſt Aborras:* niſi oppidum Anthemuſiam, quam regionem, hic malis interpretari. Et Ammiano lib. XIV cap. IX regionis nomen eſt, dicenti, Batnen eſſe *municipium in Anthemuſia.* Eutropius lib. VIII, cap. II, & Sextus Rufus cap. XX *Athemuſium* hanc regionem vocant, & quidem Perſidis, id eſt regni Perſici ſiue Parthorum, cuius & Meſopotamia vt plurimum fuit.

2. Alia regionum Meſopotamiæ nomina in hiſtoriis ſunt *Oſroene, Mygdonia, Sophanene, Meſopotamia propria,* & *Arabia Scenitarum.* De ſingulis nunc ſeparatim, etiam de ipſa *Anthemuſia* & eius ſitu. Ortelius exiſtimat Anthemuſiam & Oſroenam eamdem regionem eſſe, quia Ammianus Batnen oppidum, quod, vt vidimus, lib. XIV *municipium in Anthemuſia* dixit, lib. XXIII cap. IV dicat *Batnas municipium Oſdroenæ.* Antiquius nomen Anthemuſiæ, quam Oſroenæ ſiue Oſdroenæ: & Choſroes ille ſiue Oſdroes, qui regulus nomen dedit, non videtur ante tempora Antoninorum exſtitiſſe; aut, ſi exſtitit, nomen Oſdroenæ frequens ante ac in vſu hominum fuiſſe. Ptolemæus certe nullam eius mentionem habuit, neque aliquis antiquior. Dio Caſſius quidem lib. XL in Craſſi hiſtoria Abgarum illum, qui in deuia Romanos abduxit, *Oſroenum* videtur dixiſſe: ſed libri Ορῤοηνὸς habent: & ſi vel maxime Οσροηνὸς legendum ſit, dubium tamen ſupereſt, an non Dio pro more temporis ſui ſcripſerit, quippe Herodianus gentem illam ſæpe Οσροηνοὺς, *Oſroenos* adpellauit, lib. III cap. IX, lib. IV cap. VII, & lib. VII cap. I. Originem nominis Procopius lib. I Perſ. cap. XVII prodit hiſce verbis: Οσροηνή τε, Οσρόου ἐπώνυμός ἐστιν, ἀνδρὸς ἐνταῦθα βεβασιλευκότος ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις. *Oſroene nomen habet ab Oſroe quodam, qui ibi quondam regnauit.* Græci ſcribunt, vt videmus,

* A Zoſimo ſemper adpellatur ἡ *μέση τῶν ποταμῶν.* lib. I c. 52 & 60. II c. 43 pag. 207. III c. 8 p. 260. Item a Polyæno IV cap. 17 Αντίοχος Σελεύκου τοῦ ἀδελφοῦ ἀποστὰς ἔφυγεν εἰς τὴν μέσην τῶν ποταμῶν, *Antiochus a Seleuco fratre deſciſcens in Meſopotamiam fugit.*

demus, Οσροηνὴ, *Oſroene:* Ammianus addita littera Oſdroene, etiam limata Valeſiorum editione. Vide pag. 12 & 353.

3. Num igitur eadem Oſroene & Anthemuſia? Diſtinguunt Eutropius & Rufus prædictis locis: at neſcio, quam vere, & quanta cum cura. Batnam Ammianus, quod ſupra oſtendimus, vtrique tribuit. Ptolemæus Anthemuſiam in ſeptemtrione ponit; Strabo circa Aborram fluuium, qui longe defluit antequam Euphrati infundatur. In Notitia Eccleſiæ eſt *Oſroenæ* metropolis Edeſſa; contributæ vrbes epiſcopales Carræ, Batnæ, Callinicum, Birtha. Igitur a ſeptemtrione ad oſtium Aborræ ſiue Chaboræ Oſroena producta fuit, circa quod flumen *Anthemuſiam* Strabo collocauit: vt adpareat multa habuiſſe communia, licet nolim adfirmare, limites plane vtriusque eosdem fuiſſe: aut alterutrius etiam eosdem manſiſſe, neque temporum, vt ſolet, ſenſiſſe mutationes. Si de ſitu vrbis *Anthemuſiæ*, vnde nomen regionis eſt, conſtiterit, forſan certius aliquid de ipſa regione infra pronuntiabimus. Sed de oppidis poſtea.

4. *Mygdonia*, nomen ex Macedonia in Meſopotamiam translatum, partem eius deſignat, qui eſt a Zeugmate ad Thapſacum iuxta Euphratem. Strabo ante dicto loco: *Partem eius* [Meſopotamiæ] *iuxta Euphratem, inde a Zeugmate vsque Thapſacum, tenent qui a Macedonibus Mygdones adpellati ſunt, quorum erat Niſibis, & ipſa Antiochia Mygdonia dicta.* Quæ ſi ita ſe ſe habent, vt verſione eſt expreſſum, omnis occidentalis Meſopotamia fuit Mygdonia, atque eas quoque partes occupauit, quas Anthemuſiæ aut Oſroenæ alii vindicarunt. nec vero alius ſenſus videtur Græcorum eſſe, τὰ πρὸς Ευφράτῃ, καὶ τῷ ζεύγματι, τῷ τε νῦν, τῷ κατὰ τὴν Κομμαγηνὴν, καὶ τῷ πάλαι τῷ κατὰ τὴν Θάψακον. ἔχουσι οἱ Μύγδονες, κατονομασθέντες ὑπὸ τῶν Μακεδόνων. Nec latitudo eius fuit exigua, quia Niſibin, vrbem propiorem Tigridi quam Euphrati, idem Strabo pag. 514 dicit Αντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ, *Antiochiam in Mygdonia ſitam* adpellari, quod plures ſcriptores confirmant: de qua re infra in Vrbibus.

5. *Sophanene*, quæ ſupra Niſibin eſt Amidam verſus & Tigrim, infra in amni Nymphio, qui illam rigat, ex Procopii lib. I Perſ. Bell. c. VIII declarabitur.

6. Relicta vero etiam his nominibus fuit, quæ proprie *Meſopotamia* vocaretur. Procopius lib. I B. Perſ. cap. XVII Oſroenen ab illa diſtinxit. *Oppida*, inquit Alamundari oratione, Μεσοποταμίας καὶ τῆς Οσροηνῆς καλουμένης χώρας, *Meſopotamiæ, & regionis quæ Oſroene vocatur.* Etiam in Notitiis Imperii & Eccleſiæ ſunt ſeparatæ prouinciæ *Oſroene* & *Meſopotamia* & huius caput Amida, ſicut illius, Edeſſa ſtatuitur: etiam alius Dux, qui Oſroenæ, alius qui Meſopotamiæ impoſitus: vtut Anthemuſia, quæ fere Oſroena eſt, Strabone auctore ſit τῆς Μεσοποταμίας, *Meſopotamiæ ipſius* portio, puta totius, ſeu laxe ſumtæ.

7. In-

* Hic ex Dione lib. XXXVI pag. 29 habeto iſta: Η δὲ Φοινικὴ καὶ ἡ Σωφανήνη χώρα τοῖς Αρμενίοις πρόσορος, *Phoenice & Sophanene regio Armeniis finitima.* Sed Phoenice longius afuit. Armeniorum igitur nomen pro imperio Armeniorum poſitum videtur, qui ante aduentum Romanorum in Armeniam latius regnauerunt.

7. Inferiorem & auſtralem partem Meſopotamiæ quod Arabes Scenitæ tenebant, & ipſa *Arabia* vocitata fuit. Xenophon lib. I ἀναβάσ. pag. 151 Gr. Cyrum, ad Thapſacum Euphrate traiecto, nouem dierum iter διὰ τῆς Συρίας, *per Syriam* [ſic Meſopotamiam vocat] feciſſe vsque ad flumen Araxem, quem doctiſſimus Bochartus Chaboram eſſe exiſtimat; ſed malim vlteriorem fluuium, quia propior Chaboras eſt Thapſaco quam pro ſpatio iam definiti itineris. Ab Araxe autem illo ἐξελάυνει διά τῆς Ἀῤῥαβίας, τὸν Εὐφράτην ποταμὸν ἐν δεξιᾷ ἔχων, ςαθμὲς ἐρήμες πέντε, παρασάγγας τριάκοντα καὶ πέντε, *profectus eſt per Arabiam, Euphratem ad dextram habens, per quinque manſiones in deſertis locis, triginta & quinque paraſangis.* Arabes autem, qui incolunt illum tractum, *Scenitæ* a Strabone XVI pag. 514 vocantur. Τὰ πρὸς μεσημβρίαν, inquit, κεκλιμένα τῆς Μεσοποταμίας καὶ ἀπωτέρω τῶν ὀρῶν, ἄνυδρα καὶ λυπρὰ ὄντα, ἔχεσιν οἱ Σκηνῖται Ἄραβες. *Meſopotamiæ partes ad meridiem vergentes, & a montibus remotas, ſiccas & ſteriles, Arabes Scenitæ incolunt.* Addit, hos latrociniis & paſcendo pecori deditos eſſe, & facile ſedem mutare, ſi præda & paſcua deficiant. Hos Euphrates ab Arabia Deſerta dirimebat. Etiam ſuperiorem tractum, vbi Carræ & Edeſſa, Plinius *Arabiam* adpellauit lib. V cap. XXIV. Vide infra in *Edeſſa.*

III.

Fuit olim etiam alia Meſopotamiæ, ratione imperiorum, diuiſio, Romani videlicet & Parthici, inde a Luculli & Pompeii expeditionibus inſtituta, qua circa Euphratem quæ erant, ab Romanis plurima ſunt occupata: quæ ad Tigrin vergebant, Parthis pleraque paruerunt. Sed vt non ſemper eadem fortunæ bellorum eſt facies, ita nunc plus, nunc minus Romani in Meſopotamia poſſederunt, & multi imperatores Euphratem maluerunt limitem habere, paucis vltra illum exceptis; quam ad Tigrin fines imperii ſui proferre, aut prolatos ab anteceſſoribus, defendere. Teſtes ſunt Auguſtorum hiſtoriæ, Traiani, Hadriani, Septimii Seueri, Cari, Conſtantii, Iuliani, Iouiani. Quænam ex vltimi horum ceſſione, quas *tranſtigritanas* Ammianus lib. XXV cap. XXIII vocat, Perſarum reſpectu, regiones Meſopotamiæ fuerint, quænam Armeniæ, difficile eſt definire. Quinque illarum nominat Ammianus, e quibus tantum *Corduena*, quam in Armenia Ptolemæus ponit; & *Zabdicena*, quæ cis Tigrin Patricio eſt Legat. pag. 30, &, vt videtur, in Meſopotamia, notiores ſunt; cuius etiam *Arzanene* fuit, vt ex Procopii lib. I B. Perſ. cap. VIII non obſcurum eſt.

IV.

Oppida Meſopotamiæ Ptolemæus ſecundum flumina diuiſit, primum enarrans quæ Euphrati ſint adſita; deinde quæ ad Tigrin; tandem media inter vtrumque fluuium. Quæ ad Euphratem poſita enumerat, ſunt fere omnia, paucis exceptis, obſcura. Incipit a *Porſica*, de qua nihil conſtat. Sita ex ipſius diſpoſitione fuit e regione Edeſſæ. Ortelius confert cum *Perſa* Stephani, quam dicit παρὰ τῷ Εὐφράτῃ καὶ Σαμοσάτοις, *iuxta Euphratem & Samoſata* ſitam eſſe, dextra, an ſiniſtra ripa, non exprimit. Quæ

hinc in auſtrum verſus ſequuntur, vsque ad Nicephorium, æque ſunt ignobilia, *Aniana, Barſampſe, Sarnuca, Berſima, Baumæ*, ſiue, vt Palatinus habet, *Maubæ*.

V.

Mirum præteriiſſe *Apameam*, quam tamen clariſſimi ſcriptores in hoc tractu poſuerunt. Plinius lib. v cap. XXIV *Zeugma* LXXII *millibus paſſuum a Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile. Ex aduerſo Apamiam Seleucus, idem vtriusque conditor, ponte iunxerat.* Et Iſidorus Characenus ſub initium Stathmorum: Διαβάντων τὸν Εὐφράτην κατὰ τὸ Ζεῦγμα, πόλις ἐςὶν Ἀπάμεια, *Tranſeuntibus Euphratem iuxta Zeugma, vrbs eſt Apamea.* Stephanus quoque Apameam quamdam Ἐδέσης πρὸς ἄρκτοις, *in ſeptemtrione circa Edeſſam* poſuit, quæ non alia ab illa Plinii & Iſidori eſt: quamquam non accurate illius ſedem definiuit. non enim ſupra Edeſſam ſita erat, ſed iuxta Zeugma Syriæ, cum quo ponte iungebatur. Edeſſa autem ſeptemtrionalior eſt quam Zeugma.

VI.

Mirum etiam, quod *Seleuciam* caſtellum, Zeugmati in Meſopotamia, vt pontem cuſtodiret, oppoſitum, Ptolemæus prætermiſit: de quo Strabo lib. XVI pag. 516 κατὰ τοῦτο [τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου] Σελεύκεια ἵδρυται φρούριον τῆς Μεσοποταμίας, προσωρισμένον ὑπὸ Πομπηίου τῷ Κομμαγηνῷ, *Iuxta hunc pontem Euphratis Seleucia eſt, caſtellum Meſopotamiæ, quod Pompeius Commageno contribuit*, id eſt, regi Commagenæ Antiocho. Erat autem antiquius, a Seleuco conditum Nicatore. Polybius lib. v cap. XLIII ὄντος αὐτοῦ κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους περὶ Σελεύκειαν, τὴν ἐπὶ τοῦ Ζεύγματος, *quum ille* [rex Antiochus] *Seleuciæ ad Zeugma eſſet:* quod hoc ipſum caſtellum Strabonis eſt.

VII.

Poſt obſcura Ptolemæi, quæ enarrauimus, *Nicephorium* eiusdem eſt, nobilius & a pluribus laudatum, ad Euphratem oppidum. Et hoc παρ' Εὐφράτῃ, *ad Euphratem* ſitum fuit, vt Characenus Iſidorus tradit, qui κτίσμα Ἀλεξάνδρου βασιλέως, *opus regis Alexandri* dicit. Plinius lib. v cap. XXIV *Iungitur præfectura Meſopotamiæ, originem ab Aſſyriis trahens, in qua Anthemuſia & Nicephorium oppida.* Et lib. VI cap. XXVI *In vicinia Euphratis Nicephorion, quod Alexander iuſſit condi propter loci opportunitatem.* Craſſus quoque, quum Meſopotamiam primum ingreſſus eſſet, vt Dio Caſſius lib. XL p. 126 refert, τάς πόλεις Ἑλληνίδας, τάς τε ἄλλας καὶ τὸ Νικηφόριον ὠνομασμένον προσεποιήσατο, *Græcas vrbes cum alias, tum quod Nicephorium vocatur, recepit.* Tacitus quoque lib. VI cap. XLI *Tiridates, volentibus Parthis, Nicephorium & Anthemuſiada, ceterasque vrbes, quæ Macedonibus ſitæ, Græca vocabula vſurpant, recepit.* Poſteriori æuo nomen mutauit, *Conſtantina* dicta ſecundum Stephanum; aut *Conſtantia*, Κωνςάντεια, ſecundum Suidam: de quo nomine in medii æui geographia dicturi ſumus.

VIII.

Fuit etiam *Zenodotium* ſiue *Zenodotia* in hoc tractu, vicinum Nicephorio, cuius incolæ fraudulenti in Craſſum & Romanos fuerunt. Deditione

ne enim ſimulata, receptos intra mœnia Romanos ad centum numero interfecerunt. Quamobrem vi Craſſus vrbem expugnauit, captiuosque ſub corona vendidit. Dio Caſſius prædicto loco, & Plutarchus in Craſſo pag. 553 hiſtoriam tradiderunt: vrbis etiam Stephanus mentionem habet. Ζηνοδότιον, inquit, πόλις Ὀσροήνης πλησίον Νικηφορίου, *Zenodotium eſt oppidum Osroenæ, vicinum Nicephorio.* Ob quam vicinitatem cum Nicephorio coniunximus, quamuis incerti ad Euphratem æque ſita fuerit, an ab illo reducta quodammodo. Longe enim abeſſe propter vicinitatem illam non potuit. Plutarcho eſt Ζηνοδοτία, *Zenodotia*, femineo genere.

IX.

Poſt Nicephorium Ptolemæo in ripa eſt *Maguda*, incognita: deinde Χαβώρα, *Chabora* ad oſtium fluuii cognominis: quod Simocattæ lib. IV c. X eſt Ἀβορέων φρούριον, *Aborenſium caſtellum.* Sed intercedunt alia, ſilentio minime prætereunda, *Callinicum* & *Cercuſium.* De Callinico Chron. Alexandr. pag. 408 Σέλευκος Καλλίνικος ἐν Μεσοποταμίᾳ Καλλινικούπολιν κτίζει, *Seleucus Callinicus in Meſopotamia Callinicopolin condit.* Libanius autem in epiſtola ad Ariſtænetum a Callinico ſophiſta, ibidem interfecto, nomen oppido fuiſſe refert, quod mireris, a priuato homine vrbem nomen accepiſſe. Id vero etiam dubitare licet, ſi a Seleuco nomen fuerit, cur non antiquior oppidi memoria reperiatur. Sophiſta autem Callinicus, teſte Suida, ſub Gallieno vixit. In Galerii, Iuliani, Iuſtiniani hiſtoria *Callinici* mentio eſt. Eutropius lib. IX cap. XV *Galerius Maximianus primo aduerſus Narſeum, adverſum prœlium habuit, inter Callinicum Carrasque congreſſus.* Zoſimus lib. III cap. XIII de Iuliano: ἐξορμήσας ἐκ Καῤῥῶν, καὶ τὰ ἐν μέσῳ διαδραμὼν φρούρια μέχρι Καλλινίκου, κἀκεῖθεν ἐλθὼν ἐπὶ τὸ Κιρκήσιον, *Carris profectus, caſtellis interiectis vsque ad Callinicum tranſitis, proxime venit Circeſium.* Ammianus Marcellinus lib. XXIII cap. VI Iuliani iter ſic deſcribit, vt Carris *Dauanam* venerit: poſtridie *ad Callinicum, munimentum robuſtum, commercandi opimitate gratiſſimum.* Male in libris *Calliniſum* eſt, & *Callinicum* ſcribi etiam Valeſius iuſſit. Procopius lib. I Perſ. cap. XVIII, quum Perſæ irrupiſſent in Syriam, & iam domum redituri conſediſſent in Euphratis ripa, dicit caſtra habuiſſe ἐν ἠϊόνι, ἣ δὴ πόλεως Καλλινίκου ἀντιπέρας ἐστὶν, *in ripa e regione vrbis Callinici.* Et interiectis non nullis: τῇ ὑστεραίᾳ Ῥωμαῖοι μὲν ὁλκάδων σφισὶν ἐκ Καλλινίκου πόλεως παραγενομένων πολλῶν ἐς αὐτὴν ἐκομίσθησαν, *poſtero die Romani, miſſis Callinico onerariis, in eam vrbem delati ſunt.*

X.

Alterum inter Nicephorium & Chaboræ confluentem oppidum eſt *Cercuſium*, ſiue *Circeſium*, ſeu *Circeſſus*, ſitum in angulo quem Aboras ſeu Chabora fluuius cum Euphrate facit. Ammianus lib. XXIII cap. XI *tendens imperator Cercuſium, principio menſis Aprilis ingreſſus eſt munimentum tutiſſimum & fabre politum: cuius mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut ſpatium inſulare fingentes.* Eadem confirmat Zoſimus lib. III cap. XII διὰ τοῦ Κιρκησίου. Φρούριον δὲ τοῦτο κυκλούμενον ὑπό τε τοῦ Ἀβώρα ποταμοῦ καὶ αὐτοῦ τοῦ Εὐφράτου. *per Circeſium. Caſtelli hoc nomen eſt quod Aboras fluvius*

vius & Euphrates ipſe circumfluunt. Eutropius lib. IX cap. II *Miles ei tumulum viceſimo milliario a Circeſſo, quod caſtrum nunc Romanorum eſt, Euphrati imminens, ædificauit.* Quæ Sextus Rufus iisdem fere verbis cap. XXII repetiit. *Milites,* inquit, *ei tumulum in viceſimo a Circeſſo caſtro, quod & nunc exſtat, ædificauerunt.* Procopius lib. II B. Perſ. cap. V etiam Κιρκήσιον, *Circeſium*, & Romanorum *Φρȣ́ριον ἔσχατον*, *munimentum extremum* dixit, qui non videntur infra Aboræ confluentem in hoc tractu aliquid poſſediſſe: ſitum, vbi Aborras Euphrati miſcetur. *τὸ δὲ Φρȣ́ριον τȣ̃το πρὸς αὐτῇ πȣ τῇ γωνίᾳ κεῖται, ἣν δὴ τοῖν ποταμοῖν ἡ μίξις ποιεῖται, in angulo autem, quem confluentes dicti amnes faciunt, poſitum hoc ita caſtellum τρίγωνον ἐπιτελεῖ σχῆμα, triangulum figuram facit.* Idem de Ædific. lib. I cap. VI dicit, Diocletianum condidiſſe, aut potius muniuiſſe, vt caſtellum fieret: quod Ammianus dicto loco clarius expoſuit: *Diocletianus exiguum antehac & ſuſpectum, muris turribusque circumdedit celſis.* Non enim dubitandum eſt, locum tam opportunum antiquitus habitatum fuiſſe. quod facit, vt multi exiſtiment Cercuſium eſſe illud *Carchemis* a ſacris ſcriptoribus 2 Paralip. XXXV, 20; & Ierem. XLVI, 2, nec non Eſa. X, 9 memoratum. Bochartus lib. IV Geogr. S. cap. XXI *Cercuſium viri docti putant eſſe* כרכמיש *Carcemis, vrbem ad Euphratem.* In quibus & Grotius eſt in Ieremiam: & antiquior Beniamin Tudelenſis, qui Itinerario pag. 62 קרקסיא היא כרכמיש על שפת נהר פרת *Karkeſia, olim Carcemis dicta, in ripa Euphratis poſita.*

XI.

Nomen fluuii, cuius confluentem in Cercuſio iam vidimus, non vno modo ſcribitur, vt tamen omnis varietas ad vnam originem referri poſſit. Ptolemæo eſt Χαβώρας, *Chaboras*, & Nubienſis Geographus *Alchabur*, cum articulo. Quod vero Græci adſpiratiuas litteras prætermittunt, Strabo lib. XVI pag. 514 ſcripſit Ἀβόῤῥας, *Aborras:* Zoſimus lib. III cap. XII Ἀβώρας, *Aboras:* Ioannes Antiochenus, cognomine Malala, in Iuliano pag. 17 Ἀββορᾶς, *Abboras:* Iſidorus Characenus pag. 4 Ἀβȣ́ρας, *Aburas:* Ammianus lib. XXIII cap. XI *Aboras.* Ex ſeptemtrione decurrit, & Ptolemæo auctore, ex monte Maſio: & vt Strabo dicto loco ait, *ῥεῖ περὶ τὴν Ἀνθεμȣσίαν ἄλλος ποταμὸς Ἀβόῤῥας, fluit circa Anthemuſiam alius* [ab Regio] *fluuius Aborras.* Non paruus eſt, ſed magnum incrementum Euphrati adfert. Procopius Belli Perſici lib. II cap. V Ἀβόῤῥας, ποταμὸς μέγας, *Aborras, magnus fluuius.* Ideo, quod Ammianus refert, Iuliani exercitus non vado, ſed *per naualem Aboræ pontem* tranſiit.

XII.

Poſt confluentem & oppidum Aboram, tria memorantur a Ptolemæo, *Thelda, Aphphadana* (Ἀφφαδάνα) & *Banabe*, modico inter ſe ſpatio diſtincta, quæ videntur Peutingerianæ Tabulæ *Thelbon* & *Banata*, medio loco prætermiſſo: tum demum eſt Ζέϑα, *Zeitha*, Zoſimi χωρίον Ζαυϑὰ προσαγορευόμενον, *oppidum Zautha dictum*, lib. III cap. XIV; ſed neutrobi vero nomine, quod *Zaita* eſt, ab oleæ prouentu eius regiunculæ petitum. *Profecti,* inquit, *exinde Zaitam, venimus locum, qui olea arbor interpretatur. Hic Gordiani*

diani imperatoris longe conſpicuum vidimus tumulum. Zoſimus autem: *Sexaginta progreſſus ſtadiis*, εἴς τι χωρίον Ζαυθὰ προσαγορευόμενον ἦλθε, καὶ ἐντεῦθεν εἰς Δοῦρα, *in locum Zautha nominatum venit: inde Dura*, (cuius, vt vrbis, veſtigia quædam reſtabant; ſed tum deſerta) οὗ Γορδιανοῦ τοῦ βασιλέως ἐδείκνυτο τάφος, *vbi ſepulcrum imperatoris Gordiani oſtendebatur.* Hic difficultas diſtantiarum eſt. Eutropius enim lib. IX cap. II Gordiani tumulum viceſimo milliario a Circeſſo caſtro Euphrati ad Aboræ confluentem, a militibus ædificatum dicit: quod ita etiam Sextus Rufus repetiit, eodem milliariorum expreſſo numero. Sed hoc in dubium Valeſius ad Ammianum vocat, quia Zoſimus *Zaita non plus quam* LX *ſtadia a Circeſio caſtro abeſſe* teſtatus ſit. At, *vnde* per ſexaginta ſtadia in Zaita profectus Iulianus ſit, non expreſſit Zoſimus: ſed, cum dixerat, a Carris, per Callinicum, Circeſium veniſſe, addit, flumine Abora traiecto, per Euphratem conſcenſa naui vectum eſſe, quouſque autem, non eſt definitum. Dein narrat ἀπὸ τοῦ βήματος, ex tribunali caſtrenſi concionem militum adlocutum eſſe, & donatiuo dato, contra Perſas progreſſurum fuiſſe. ἑξήκοντα δὲ προελθὼν σταδίους, εἴς τι χωρίον, Ζαυθὰ προσαγορευόμενον, ἦλθε, *ſexaginta ſtadia progreſſum, veniſſe in locum, qui Zautha adpellabatur.* Lege caput XIII & XIV libri III. Quis vero non videt alium terminum fuiſſe, vnde profectus per LX eſt ſtadia imperator, quam Circeſium? Accedit Ptolemæi teſtimonium, qui, vt diximus, tria oppida inter Aboræ confluentem poſuit & Zeitha ſiue Zaita. Non ergo ratio vlla eſt, cur ab Eutropii milliariorum numero refugiamus. Gordiani autem tumulus, quem a Zaita conſpici Ammianus dixit, Zoſimus a Dura, deſerto tum oppido; inter vtrumque fuiſſe videtur, forſan etiam ab Euphrate, cui adpoſita erant hæc oppida, quodammodo reductum.

XIII.

Dura, Δοῦρα, plurale, Græcorum more, ac Latine ſingulare femineum, Zoſimus vrbem ἔρημον, deſertam dixit, cuius vix ἴχνος ſeu veſtigium agnoſcatur. Olim bene culta fuit. Polybius lib. V cap. XLVIII κατέσχε Μεσοποταμίαν ἕως Δούρων, *Meſopotamiam occupauit vsque ad Dura.* Iſidorus Characenus pag. 4 poſt Aburæ ſeu Chaboræ confluentem: ἔνθεν Δοῦρα, Νικάνορος πόλις, κτίσμα Μακεδόνων, ὑπὸ δὲ Ἑλλήνων Εὔρωπος καλεῖται, *Inde Dura, Nicanoris vrbs, a Macedonibus condita, a Græcis autem Europus adpellata.* Id de Europi nomine ſingulare eſt, nec proditum ab aliis. * Quando autem vaſtata fuerit, vt Zoſimus narrabat, & an propterea poſthabuerit Ptolemæus, non habemus dicere.

XIV.

A Zaita autem vsque ad Saocoræ confluentem nihil Ptolemæus niſi *Bœthautha* habet, quod in Palat. cod. Βεθαῦνα, *Bethauna* ſcriptum eſt. Ammiano

* Ac repugnare videtur Polybius V cap. 49. Καὶ τὴν μὲν, inquit, παραποταμίαν μέχρι πόλεως Εὐρώπου κατέσχε, τὴν δὲ Μεσοποταμίαν ἕως Δούρων. *Et in regione quidem ad amnem ſita omnia vsque Europum vrbem occupat: in Meſopotamia vero omnia vsque ad Dura.*

miano autem poſt *Duram*, deſertum oppidum, eſt *Anathan* munimentum, quod Euphrates circumluebat, lib. XXIV cap. II. Characenus Iſidorus p. 4 Αναθὼ νῆσος κατὰ τὸν Ευφράτην ςάδια δ΄, ἐν ᾗ πόλις, *Anatho inſula in Euphrate ſtadiorum* IV, *in qua oppidum eſt.* Libanius autem pag. 312 χεῤῥόνησον τοῦ ποταμοῦ, *pæninſulam fluuii* vocat. Theophylactus Simocatta lib. IV cap. X Αιόθων Φρούριον, *Anothon caſtellum*, at lib. V cap. II emendatius Ανάθων, *Anathon* idem dixit. Aliud proxime caſtellum Ammianus cap. IV [Valeſ. c. II] *Thilutha* nomine poſuit, in medio fluminis ſitum. Meminit & Zoſimus cap. XIV, ſed ſine nomine, inſulam dicens, quæ Φρούριον, *caſtellum* habeat, quod deditione Iulianus cepit.

XV.

Flumen *Saocoras* Ptolemæi, ὁ καλούμενος Σαοκόρας ποταμὸς, Euphrati poſt Bethaunam, &, vt videtur, etiam hanc inſulam, adfunditur. Fontes habet prope Niſibin & totam prope Meſopotamiam diuidit. Xenophon in Cyri expedit. lib. I pag. 151 *Araxem* vocat, quod ex diſtantia quinquaginta paraſangarum a Thapſaci traiectu demonſtratur: in quo a Bocharto, viro doctiſſimo, qui Chaboram p. 93 interpretatur, ſeceſſionem facimus. Ad confluentem eius cum Euphrate, Ptolemæi poſita *Reſcipha* oppidum, rarum nomen, vt ipſius fluminis Saocoræ. Deinde ſequuntur obſcura Ptolemæi oppida *Agamna*, *Eudrapa*, *Addæa*; & *Pacoria* oppidum vel caſtellum, a Pacoro rege haud dubie conditum; *Teridata*, quod alterius regis nomen refert, qui Tiridates eſt Tacito: & tum *Naarda*, ac *Sipphara*, qui finis Meſopotamiæ ad Babyloniam ante ſciſſionem Euphratis.

XVI.

Obſcuriora omnia, vt dixi, præter *Naarda*, quæ & *Nearda* & *Nehardea* dicitur. Nam & olim, & medio æuo, receptaculum Iudæorum fuit. Ioſephus lib. XVIII Antiq. Iud. cap. XII Νεαρδὰ τῆς Βαβυλωνίας ἐςι πόλις πολυανδροῦσα, καὶ χώραν ἀγαθὴν καὶ πολλὴν ἔχουσα. - - - ἔςι δὲ πολεμίοις οὐκ εὐέμβολος, περιόδῳ τε τοῦ Ευφράτου πᾶσαν ἐντὸς αὐτὴν ἀπολαμβάνοντος καὶ κατασκευαῖς τειχῶν. *Nearda vrbs eſt Babyloniæ populoſa, fertilem & amplam regionem ſeu agrum poſſidens: nec hoſtium adſultibus patet, vndique Euphrate & firmis muris circumdita.* Babyloniæ dixit vrbem, quam Ptolemæus in Meſopotamia cenſuit; quia in vtriusque erat confinio. Extremo illo libro, vbi Iudæorum cladem, in oriente ſub Tiberio acceptam, Ioſephus expoſuerat, addit, pleroſque illorum, qui cædes euaſerant, ἐς τε τὰ Νεέρδα καὶ τὴν Νίσιβιν, (ſic varie ſcriptum vno libro) *Neerdam & Niſibin*, ſecuritatis cauſſa, quia munitæ vrbes, ſe contuliſſe. Interiectis quibusdam ſæculis, quum ex Palæſtina Iudæorum ſapientes in Babyloniam demigraſſent, ſcholas ſuas Nehardeæ, Soræ & Pumbedithæ celebriores inſtituerunt, de quibus Buxtorfius Tiberiade cap. VI conſularetur. Et quia multum agrorum poſſedit hæc ciuitas, vti ex Ioſepho iam cognouimus; factum, vt regio etiam vrbis primariæ vocabulo adpellaretur. Beniamin Tudelenſis Itinerario pag. 63 משם שני ימים לאליובר היא פום בריתא אשר בנהרדעא *Hinc* [a Karkeſia ſiue

ſiue Circeſio] *bidui itinere diſtat Aliobar, quæ & Pombeditha dicitur, in Nehardea,* id eſt, in Nehardenſi regione.

XVII.

Vltima Ptolemæi vrbs eſt *Sipphara,* Abydeno apud Euſebium Præparat. Euang. lib. IX cap. XLI, Σιππαρηνῶν πόλις, *Sipparenorum ciuitas,* poſt quam ſcinditur Euphrates, & pars per Babyloniam fertur, pars it per Seleuciam in Tigrin: ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται βασίλειος ποταμὸς, *in quorum medio eſt qui vocatur Regius fluuius.* Sed de diuiſione Euphratis in Babylonia acturi ſumus. Hæc Ptolemæus ante ſciſſionem: plura Ammianus. Etenim poſt Duram & Anathan, & inſulam Thilutham, lib. XXIV cap. IV [Valeſ. II] ei eſt *Achaiachala,* munimentum fluminis circumitione vallatum, arduumque transſcenſu. Interiectis inualidis, quorum nomen non eſt memoratum, venitur ad locum *Baraxmalcha:* vnde, amne tranſito, milliario ſeptimo eſt oppidum *Diacira,* Zoſimi Δάκιρα, *Dacira,* qui vero ἐν δεξιᾷ πλέοντι τὸν Εὐφράτην, *in dextra nauigantis Euphratem* ponit, quod in ſiniſtra ripa oportet eſſe. Hinc ventum ad oppidum *Ozogardana,* in quo Traiani tribunal oſtendebatur. Zoſimus lib. III cap. XV a Dacira habet *Sitham,* & *Megiam:* tum vero *Zaragardiam* (ſic vocat) ἐν ᾗ βῆμα ὑψηλὸν, ἐκ λίθου πεποιημένον, ὃ Τραϊανοῦ καλεῖν εἰώθασιν οἱ ἐγχώριοι, *in qua excelſum tribunal, ex lapide factum, quod incolæ dicunt Traiani fuiſſe.*

XVIII.

Ammianus progreditur hinc ad vicum *Macepractam,* vnde *pars fluminis ſcinditur.* Valeſius *Macepractam* & Plinii *Maſſicen* putat eamdem eſſe. Ita autem ille lib. V cap. XXVI *Scinditur Euphrates a Zeugmate octoginta tribus millibus paſſuum circa vicum Maſſicen, & parte læua in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri: dexteriore autem alueo Babylonem petit.* Prima hæc & magna ſciſſio, quam ſi Ammianus, vt Valeſio videtur, intellexit, *ſcinditur* ipſi eſt quod *abſcinditur:* de quo tamen dubitare liceat, quia hanc partem aquas dicit *ad tractus Babylonios interiores ducere:* partem *aliam* ex hac diuiſione *Nabarmalcha* vocat, & *fluuium regum* interpretatur. Sed quiſnam ille fluuius ſit, maiori cura in Babylonia diſputabitur. Quæ ſequuntur in Ammiani hiſtoria, quia exercitum Naharmalcha traieciſſe dicit, in Babyloniam cadunt, Meſopotamiam propriam non attingunt.

XIX.

Hanc enim Euphratis alueus exterior a Babylonia excludit, cui quod vrbs *Seleucia,* vbi exit ille in Tigrin, eſt adpoſita: de ea dubites, in qua ripa, externa & ſiniſtra, an intus in dextra fuerit collocata. Ptolemæus in Meſopotamia cenſuit cum iis, quæ in ripa dextra Euphratis ſunt poſita. Contra Iſidorus Characenus pag. 5 ita ſtathmos per Meſopotamiam ducit, vt, qui ab Abora amne & Anatho inſula Seleuciam tendat, ei & Euphratem & flumen Regium traiicere neceſſe ſit. Plures vocant *Seleuciam ad Tigrim:* Polybius lib. V cap. XLVIII, & Plutarchus in Lucullo pag. 506 εἰς Σελεύκειαν τὴν ἐπὶ τῷ Τίγριδι: Strabo XVI pag. 511 Σελεύκεια ἡ ἐπὶ τῷ Τίγρει.

& Iſidorus Characenus p.5 ἐπὶ Σελεύκειαν τὴν πρὸς τῷ Τίγριδι. Theophylactus Simocatta lib. v cap. vi copioſe agens de auctore & ſitu huius vrbis, dicit vtrumque fluuium Euphratem & Tigrim ὥσπερ στεφάνη ἕρκους τινος, *inſtar valli* circummunire illam. Plinius, vt modo vidimus, Euphratem læuo *vadere per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſum Tigri.* Non credibile, tantum flumen per mediam vrbem meare, eamque diuidere, ſed interpretor Plinium Theophylacti verbis, διαῤῥεῖ τῆς Σελευκείας ἐχόμενα, *campos continentes Seleuciæ perfluit,* ipſamque adiuit vrbem, ab altera parte Tigri etiam adfuſam. Notus auctor, in quo omnes conſentiunt, & ipſum oſtendit nomen, Seleucus Nicator, orientis poſt Alexandrum dominus. Vocatur & *Seleucia Babylonia,* quia ad fines Babyloniæ ſiue in ipſis eſt, & Babylonem magnitudine ſua exhauſit. Plinius lib. vi cap. xxvi *Babylon ad ſolitudinem rediit, exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonageſimum lapidem in confluente Euphratis foſſa perducti, atque Tigris, quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac ſui iuris.* Et Ammianus lib. xxiii cap. xx *poſt hanc* [Cteſiphontem] *Seleucia, ambitioſum opus Nicatoris Seleuci.*

2. Nec vero Seleucus in loco vacuo & ex fundamentis condidit, ſed vetus quoddam oppidum & ſpatio & ornamentis ampliauit maxime. Vetus nomen quod fuerit, ambiguum eſt, Ammianus xxiv cap. xviii [Valeſ. cap. v] ex Gelenii lectione, quam omnes poſtea ſequuti ſunt, *Coche, quam Seleuciam nominant.* Et Eutropius lib. ix cap. xii *Cochen & Cteſiphontem, nobiliſſimas vrbes cepit;* ſine dubio Seleuciam intelligens. Henricus tamen Valeſius ad Ammianum dubitat, an eadem ſit Coche ac Seleucia. nam idem Ammianus poſt paullo (cap. xxi Grut.) diſtincte oppidi *Coches* meminit: priori autem loco ſcripti omnes libri, & editi ante Gelenium quiduis aliud quam *Cochen* referunt. Et Arrianus apud Stephanum in Χωχὴ clariſſime diſtinxit, ἐξελάυνει ἐκ Σελευκείας οὐ πρόσω τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τίγριδος ἐς Κώμην, ᾗτινι Χωχὴ ὄνομα, *profectus eſt ex Seleucia in vicum cui Choche nomen eſt.* Zoſimo *Zochaſa* prius adpellata lib. iii cap. xxiii, τῆς πρότερόν μεν Ζωχάσης, νῦν δὲ Σελευκείας ὀνομαζομένης. A Lucio Vero, ductu Caſſii, capta eſt, *cum* xl *millibus hominum,* Eutrop. lib. viii cap. v, *contra fidem,* Capitolin. cap. viii; etiam exciſa tum, nec reſtituta Iuliani tempore, teſte Ammiano lib. xxiv cap. viii.

XX.

In ripa Tigris Ptolemæus hunc ordinem a ſeptemtrione in meridiem progreſſus ſeruat: *Dorbeta,* vicina Armeniæ, vnde ruit Tigris: circa quem locum poſteriores vrbem nobilem *Amidam* ponunt: de qua infra in fluuio *Nymphio* aliquid, plura in Notitia medii æui dicturi ſumus. Deinde Ptolemæi *Saphe,* quæ videtur χωρίον Σιφὰ, cuius Plutarchus in Lucullo meminit pag. 506, vbi Metrodorus Scepſius, Tigranis vxore curante, ſepultus fuit. nam & ille ad Tigrim Seleuciæ verſatus fuerat. *Deba* ſuccedit, de qua nihil conſtat: nobiliſſima autem, quæ ſequitur, vrbs *Singara,* Græcis τὰ Σίγγαρα, pluratiuo numero. Tigri adpoſitam

poſitam hanc vrbem fuiſſe, ex Ptolemæi deſcriptione clarum eſt, etiam ex Tabula Peutingeriana. Non itaque audimus Stephanum; cui eſt πόλις τῆς Αραβίας πρὸς τῇ Εδεσσῃ, *oppidum Arabiæ apud Edeſſam*, a qua perquam longe remota erat. Minus illi audiendi ſunt, qui propter Stephani diſſonantiam duas in Meſopotamia Singaras ſtatuunt: quos illuſtris vir Ezech. Spanhemius ad Iuliani Orat. I pag. 170 confutauit. Traianum cepiſſe, Dio Caſſius auctor eſt in Theodoſii excerptis. Coloniam poſt Romanam accepit, incertum quo primo deductore. Cognomina *Aureliæ* & *Septimiæ* in nummis ſunt, ſub Alexandro Seuero & Gordiano percuſſis: nec vero antiquiores adhuc reperti ſunt. Elegantiſſimus eſt Gordiani a Petro Seguino pag. 173 exhibitus, ΑΥΡ. ΣΕΠ. ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ, id eſt *Aurelia Septimia colonia Singara*. Quod *Aurelia* dicta, Lucio Vero tribuit politiſſimo ingenio vir Io. Vaillantius coloniæ origines primas: quod vero laudatus Spanhemius, nummis deficientibus, dubitat, & poſt Lucii tempora colonias factas cognomen idem habuiſſe, p. 170 ad Iulianum, demonſtrat. A Parthis ſeu Perſis munita: ab Romanis erepta octauo anno Conſtantii: rurſus a Perſis expugnata, quod Ammianus lib. XX cap. VI (XIII Grut.) ſcripſit. Maior clades ex prœlio ad Singaram accepta, non tam virtute hoſtium, quam incontinentia militum Romanorum. Hanc *Singarenam pugnam* Sextus Rufus dixit cap. XXVII: Iulianus, qui pluribus expoſuit Orat. I pag. 23 τὸν πρὸ τῶν Σιγγάρων πόλεμον, *prœlium ante Singaram commiſſum*. Sed hæc ad medii æui Geographiam pertinent.

XXI.

Multi exiſtimant, Singaram eſſe vetuſtum שנער *Sinear* ſiue *Senaar*; & Singarenam *terram Sinear*, Geneſ. XI, 2. quibus fauet, quod ע ſæpe in *G* mutetur ab interpretibus. At circa Babylonem potius, quam in remotiore Meſopotamiæ parte eſt Sinear iudicio veterum quærenda. Hiſtiæus Mileſius apud Ioſephum lib. I Antiquit. cap. V extremo, & Euſebium Præpar. lib. IX cap. XV, εἰς Σενααρ τῆς Βαβυλωνίας, *in Senaar Babyloniæ*. Et Hieronymus de Locis ex Euſebio: *Senaar campus Babylonis, in quo turris exſtructa eſt*. Et Daniel. I, 2 dicuntur vaſa templi *in terram Sinear* deportata eſſe, quæ nemo dubitat, auecta eſſe Babylonem.

XXII.

Ptolemæo eſt quoque ὁ Σιγγάρας ὄρος, *mons Singaras*, ſed longius ab vrbe in auſtrum deductus: quod, quem iterum honoris cauſſa nominamus, vir ſummus E. Spanhemius errore factum, & montem omnino vrbi coniunctum fuiſſe exiſtimat. Videtur id ante laudatus Gordiani nummus demonſtrare, in quo turrita mulier rupi inſidens vel monti, quem amnis præterfluit, ſaltem aqua ſubiecta eſt, conſpicitur.

XXIII.

Infra Singaram ad idem flumen fuit *Betouſa* ſeu *Betuna*, vt in Palatino eſt; *Betum*, vt in tabula ſubiecta Ptolemæo: deinde *Lambana*, tabulæ *Labbana*, non longe ab Nino Aſſyriæ, quæ in oppoſita ripa fuit. Sequitur Βίρθα, *Birtha*: quæ *Virta* videtur Ammiani eſſe lib. XX cap. VIII, (Val. VII)

fruſtra a Perſis oppugnata. *Rex*, inquit, *Virtam adoriri diſpoſuit munimentum valde vetuſtum, vt ædificatum a Macedone credatur Alexandro, in extremo quidem Meſopotamiæ ſitum, ſed muris velut ſinuoſis & cornutis, inſtructioneque varia inacceſſum.* Bocharto lib. IV cap. XXI videtur *Rehoboth* Geneſ. x, II.

XXIV.

Succedit *Carthara*, quæ an *Charta* Notitiæ Imperii ſit ſub ducē Meſopotamiæ, præſidio equitum alæ, quam tenuit, defenſa, non eſt certum. Incertior *Manchane*, de qua nihil conſtat: hanc excipit *Seleucia*, Euphratis alueo, in Tigrin iam exituro, adpoſita, vbi propriam Meſopotamiam, Euphrate concluſam, finimus, tametſi Ptolemæus ad Apameam, in eadem Tigris ripa poſitam, deducat: quam partem Babyloniæ relinquimus.

MEDITERRANEA MESOPOTAMIAE.

XXV.

Ex Ptolemæi diſpoſitione, ſi a ſeptemtrione partem, quæ Euphrati propior eſt, incipimus explicare, prima eſt *Bithias*, ſupra Edeſſam, prope montes Armenios poſita, de qua vero nihil habemus cognitum: *Edeſſa* autem vrbs nobilis, nec vnum nomen ſortita. Plinius lib. V cap. XXIV *Arabia, ſupra dicta, habet oppida, Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirrhoen a fonte nominatam: Carras clade Craſſi nobiles.* Arabia illa eſt pars Meſopotamiæ, quam Arabes incolebant, quemadmodum Xenophon etiam auſtralem eius tractum, vt ſupra docuimus, dixit Arabiam. Huic dicit *iungi præfecturam Meſopotamiæ*, id eſt Meſopotamiam propriam. Ad eumdem modum Tacitus *regem Arabum* Abgarum Edeſſenum lib. XII cap. XII dixit. Cetera Plinio commemorata nomina a Stephani epitomatore conciſa breuitate indicantur in Αντιόχεια: cui octaua eius nominis eſt ἡ ἐπὶ τῆς Καλλιῤῥόης λίμνης, *quæ ad paludem Callirrhoen ſita eſt.* Io. Harduinus de Edeſſa Meſopotamiæ interpretatur, quum Callirrhoe Palæſtinæ poſt Aſphaltiten lacum ſit ignobilior, quam vt Antiochiæ ei nomen regium conueniat: Abr. Berkelius autem hæſitat, quia nusquam huius Edeſſæ chorographus mentionem fecerit. In elemento enim E tantum dixit, Ἔδεσσα πόλις Συρίας διὰ τῶν ὑδάτων ῥύμην ὅτω κληθεῖσα, ἀπὸ τῆς ἐν Μακεδόνι, *Edeſſa eſt vrbs Syriæ, quæ ob fluentum aquarum ita dicitur ab vrbe Macedonica.* Et hoc loco idem vir clariſſimus (Berkelius) Hierapolim Syriæ interpretatur, quæ ſecundum Strabonem etiam fuerit Edeſſa nominata, lib. XVI pag. 515. Sed minime nomen Edeſſa vrbi Bambycæ hæſit, quæ ab omnibus *Hierapolis* dicta; nec reperietur, qui abſolute Edeſſam nominauerit. *Syriæ* vox laxe ſumitur pro ipſa Meſopotamia: ſæpe cum Aſſyria commiſcetur. Quotquot mentionem Edeſſæ in oriente habent, Meſopotamiæ illam intelligunt. Tacitus lib. XII cap. XII *Abgarus iuuenem multos per dies attinuit apud Edeſſam.* Et Eutropius lib. VII cap. XI de Caracalla: *defunctus eſt in Oſdroene apud Edeſſam.* Et Zoſimus III cap. XII Iulianum ait ab Edeſſenis inuitatum eſſe, quum iam in Osdroene apud

Batnas

Batnas eſſet. Socrates lib. IV cap. XVIII ἐν Εδέσῃ τῆς Μεσοποταμίας, *in Edeſa Meſopotamiæ.* [nam Græci quidam, etiam Zoſimus iam dicto loco, vno ſibilo pronuntiant.] Taceo Eccleſiæ Notitiam, Antonini Itinerarium, Peutingeri tabulam & alia antiquitatis monimenta; ipſi nummi Edeſſenorum ad Meſopotamiæ vrbem viri antiquarum rerum periſſimi, Ez. Spanhemius & Io. Harduinus, referunt, ex quibus etiam, coloniam factam eſſe, cognoſcimus. In nummis enim Alexandri Seueri & Gordiani legitur ΜΗΤΡ. ΚΟΛ. ΕΔΕϹϹΗΝΩΝ. *Metropoleos coloniæ Edesſenorum.* Perluitur flumine *Scirto*, quem Procopius deſcripſit lib. II Aedific. cap. VII vbi de reſtauratis in Meſopotamia agit.

XXVI.

Iulianus a traiectu Euphratis ἐπὶ Βάτνας, *Batnas verſus* tendebat: precibus autem Edeſſenorum in ſuperiora quoque, hoc eſt Edeſſam pertrahebatur, vt Zoſimus refert lib. III cap. XII. *Batnæ* ergo propiores viæ & ponti erant, quam Edeſſa. Ammianus Marcellinus lib. XXIII cap. IV *Iulianus, Euphrate nauali ponte transmiſſo, venit ad Batnas, municipium Osdroenæ.* Idem antea lib. XIV cap. IX plenius de eodem oppido: *Batne municipium in Anthemuſia, conditum Macedonum manu priſcorum, ab Euphrate flumine breui ſpatio diſparatur, refertum mercatoribus opulentis: vbi annua ſollemnitate, prope Septembris initium menſis, ad nundinas magna promiſcuæ fortunæ conuenit multitudo, ad commercanda, quæ Indi mittunt & Seres, aliaque plura vehi terra marique conſueta.* An con ſeruauerit hunc mercatum, dubitari poteſt, quia Procopius lib. II Perſ. cap. XII oppidulum paruum & ignobile dixit. Situm autem recte ibidem demonſtrauit. *Choſroes,* inquit, *quum vellet* Ἔδεσαν ἐξελεῖν, *Edeſſam expugnare,* ἐς Βάτνην ἀφίκετο, πόλισμα μὲν βραχὺ, καὶ λόγου οὐδενὸς ἄξιον, ἡμέρας δὲ ὁδῷ Εδέσης διέχον, *Batnen peruenit, quod paruum & obſcurum oppidulum eſt, vnius diei itinere ab Edeſſa diſtans.* Vocabulum ergo vtriusque numeri eſt, & vtroque Ammianus quoque ſecundum librorum fidem expreſſit. In Hieroclis autem Notitia prouinciæ Oſroenæ Βάτναι, *Batnæ,* multitudinis numero, & epiſcopatus dignitate inſigne oppidum. Non autem has Meſopotamiæ *Batnas* cum *Batnis* Syriæ amœniſſimis confundas, quod mihi accidit, quum ante multos annos ad Zoſimum aliquid commentarer. Iulianus, epiſt. XXVII ad Libanium ſophiſtam, tradit, ſitas inter Berœam & Hierapolim *Batnas* tam amœnas, vt cum Daphnenſi ad Antiochiam voluptate, & τεμπῶν Theſſalicorum comparet. Non autem olim obſeruaueramus epiſtolæ verba, ταῦτα εἶχον ἀπὸ τῆς ἱερᾶς πόλεως σοι γράφειν, quibus manifeſtum fit, citra Hierapolim Syriæ illas Batnas poſitas eſſe, quia a Berœa Batnes venit, antequam Hierapolim & ad Euphratem veniret. Maxime nobis Andreas Schottus perſuaſerat, plura lacunarum ſigna in Antonini, vt vulgo creditur, itinere a Callecome Edeſſam pag. 41, publice figens: quibus permoti de vnis Meſopotamiæ Batnis etiam illo in loco, qui corruptus videbatur, cogitauimus. Poſtquam vero cum Aldina & Simleriana, quæ carent illis ſignis, conferre cœpi, deprehendi vno itinere vtrisque

que Batnas, & iuſto ordine, deſignatas eſſe, vna tantum littera ex voce altera elapſa. Ordo ita habet:

Callecome			
Bathnas	M.	P.	XXIIII
Hierapolim	M.	P.	XXI
Thilaticomum	M.	P.	X
Bathas [*leg. Bathnas*]	M.	P.	XV
Ediſſam	M.	P.	XV.

Callicome, vt vides, in Syria eſt prope Berœam: Bathnæ ſiue Batnæ citra Hierapolim: Thilaticomum, Syriæ vltimum, ſi Schotti numerus milliariorum ſe recte habet: Aldus enim & Simlerus plura numerant: hinc Bathnæ ſiue Batnæ alteræ in Meſopotamia, deinde Edeſſa.

XXVII.

Batnis & Edeſſa, vt Zoſimus refert, Iulianus *Carras* venit, Romanis hiſtoriis nobiliſſimum oppidum & munimentum, & poſt etiam colonia Romana. * Plinius lib. V cap. XXIV *Carræ, clade Crasſi nobiles.* Florus lib. III cap. XI de Parthico bello: *vix dum venerat* [Craſſus] *Carras.* Et de eodem Eutropius lib. VI cap. XV *quum circa Carras contra omina & auſpicia dimicaſſet.* Et Lucanus lib. I verſ. 104

- - - - - - - *miſerando funere Craſſus*
Aſſyrias Latio maculauit ſanguine Carras.

Non autem proxime ad Carras, ſed ad vicinum ignobiliorem locum periit: pro quo autem notior nominatur, vt ab Arbelis Alexandri ad Gaugamela prœlium cognominatur. Strabo XVI pag. 514 καὶ τὰ περὶ Κάῤῥας καὶ Νικηφόριον χωρία, καὶ Χορδίραζα, καὶ Σίνακα, ἐν ᾗ Κράσσος διεφθάρη δόλῳ ληφθεὶς ὑπὸ Σουρήνα τοῦ τῶν Παρθυαίων στρατηγοῦ, *loca quæ ſunt circa Carras & Nicephorium, & Chordiraza, & Sinnaca, in qua Surena Parthorum dux Craſſum dolo captum interemit.* Plutarchus in Craſſo p. 562 ἐλάβοντο χωρίων ὀρεινῶν, ἃ καλεῖται Σίνακα, *loca montana adſecuti ſunt, quæ Sinnaca adpellantur.* A ſeptemtrione Carris obiecta, ex eo licet coniicere, quia victus Craſſus Carras fugit, Carris in Sinnaca, vt haud dubie ad pontem veniret, quo in Syriam ſe reciperet. nam victus prœlio Craſſus Carras refugit, & inde in Sinnaca. Lege Plutarchum.

2. Sed hæc obiter: reuertimur ad Carras, *antiquum oppidum*, vt Ammianus lib. XXIII vocat: in quod poſtmodum colonia fuit deducta. Stephanus: Κάῤῥαι πόλις Μεσοποταμίας, ἀπὸ Καῤῥὰ ποταμοῦ Συρίας, *Carræ oppidum Meſopotamiæ, a Carra Syriæ fluuio nomen trahens.* De hac Stephani Syria ſupra in Edeſſa diximus. Ptolemæi tabula Chaboræ amni adpoſitas Carras habet, qui an ſit ille Stephani *Carra* fluuius, an recipiat *Carram* minorem apud Carras oppidum, non eſt facile ad explicandum. Nummi huius vrbis partim ſtudium in Romanos, partim coloniam Romanam demon-

* Prius fuit oppidum Carræ colonia Macedonum Dio Caſſ. XXXVII pag. 35.

monſtrant. Nummus Marci Aurelii, ΚΑΡΡΗΝΩΝ ΦΙΛΟΡΩΜΕΩΝ, *Carrenorum Romanis amicorum:* & Caracallæ apud Patin. pag 306 ΚΑΡΡ. ΚΟΛΟ. [Sic ſcriptum ο pro Ω] *Carrenorum colonia.* Et Alexandri Severi, ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ, *Metropoleos Carrenorum:* & Gordiani, ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ, *Metropoleos coloniæ Carrenorum.* *

3. Et Carras cum ſacra hiſtoria conferre, hoc eſt quæſtionem diſcutere, an Carræ Craſſi clade inſignes ſint *Haran* ſiue *Charran* patriarcharum, non nullius pretii eſt. Primum clariſſimi viri Io. Harduini opinio noua, Meſopotamiam patriarcharum cis Euphratem eſſe in Syria, atque ita mediam inter Euphratem & Iordanem adpellari; Haran vero Palmyram eſſe, aut aliquod oppidum Cœles Syriæ; hæc, inquam, noua opinio, quia longiſſime a veterum diſcedit ſententia, primum excutienda eſt. Hanc autem in Chronologia Veteris Teſtamenti, quam nuper edidit, pag. 24 duobus præcipue argumentis probatam vult. Primum ſumſit ex Pſalmi LX inſcriptione, *cum Dauid pugnaret cum Meſopotamia & Aram Zoba:* bellum autem illud intra Euphratem geſtum fuiſſe. Eſt ita: citra fluuium illud geſtum bellum; etiam cum Meſopotamiæ populis, qui auxilio Syris venerant, atque ſic æque, vt ipſi Syri, profligati ſunt. Vide 2 Samuel. X, 16. Alterum argumentum ex libro Iudith eſt cap. II verſ. 14 Aſſyrium exercitum, cuius dux Holofernes fuit, tranſiiſſe Euphratem, & veniſſe in Meſopotamiam. Apocryphus autem ille liber eſt, qui multa turbata in hiſtoriis & geographia habet. Sed eſto hic recte ſe habere: nonne præceſſit, in Cilicia & vicinis regionibus prius geſſiſſe bella, & vrbem Melothi, quam Melitenen interpretantur, euertiſſe? vnde in Meſopotamiam regreſſuris Euphrates neceſſario traiiciendus fuit. Accedit quod Iacobus Haranum Meſopotamiæ profecturus ex Chananæa dicitur Geneſ XXIX, 1 orientem verſus iiſſe, cui, ſi Palmyra, aut vicinum ei oppidum Haran eſſet, in ſeptemtrionem fuiſſet iter faciendum.

4. Miſſa igitur male fundata nouitate, in Meſopotamia, quæ trans Euphratem eſt, *Haran* oppidum quærendum eſſe, plane cenſemus. An vero Carræ ſunt, poſtea Romanis hiſtoriis celebratæ? LXX interpretes, & Lucas in Actibus, & Ioſephus lib. I Antiq. cap. VII [ſic ibi emendo ex ſequente loco] & XIX, Χαῤῥὰν ſcripſerunt: Zonaras pag. 14 εἰς Καῤῥὰν, *Carran.* Et Nubienſis geographus Romanorum Carras ſcripſit חראן *Charan.* Sed adſunt clariora teſtimonia. Hieronymus in locis: *Charran ciuitas Meſopotamiæ trans Edeſſam, quæ vsque hodie Charra dicitur, vbi Romanus cæſus eſt exercitus, & Craſſus dux captus.* Poſteriora de ſuo adiecit: Euſebius enim, quamuis non aliter ſentiens ac Hieronymus, ita breviter: Χαῤῥάν. ἄυτη ἐςὶν εἰς ἔτι νῦν ἐπὶ τῆς Μεσοποταμίας Καῤῥὰ καλȣμένη πόλις. Ipſum vocabulum Hieronymus hoc loco *Charran* ſcripſit, Græcum Euſebii exprimens, qui LXX Græcos ſequutus eſt: Vulgatus autem Latinus vocat *Haran.* Secundum hos ergo, Euſebium & Hieronymum, non eſt

* Hos ipſos Καῤῥαίȣς adpellat Dio lib. XXXVII pag. 35 edit. Stephan.

dubium, quin Carræ Romanorum fuerint Haran patriarcharum.* Ex recentioribus ſufficere poſſit vnum, qui inſtar omnium in hoc ſtudiorum genere poteſt eſſe, Samuelem Bochartum ex Phaleg lib. II cap. XIV audiuiſſe. *Iam ex ſcriptura*, inquit, *conſtat, Tharam, Abrahæ patrem, habitaſſe in Chaldæorum oppido Vra; atque inde migrauiſſe Charan, vrbem Meſopotamiæ, quam de filii Charan nomine ſic dici voluit, qui paullo ante fatis conceſſerat. Græci & Romani ſcriptores Carrhas vocant, Craſſi clade nobile oppidum, ad fluuium cognominem, ſi quidem Stephano credimus.* Addo magnum Salmaſium Exerc. Plin. pag. 348 dicentem: *Carras vrbem οἱ ἔξωθεν adpellant, quam Ebræi* חרן *Haran ſiue Charan.*

5. Vir doctiſſimus Fridericus Spanhemius in Hiſtoria Iobi cap. V pag. 85 non quidem alio tractu, quam qui ad Chaboram flumen eſt, oppidum Haran locat, id vero Carras eſſe, ad idem flumen ſeptemtrionem verſus locatas, non ſine ratione dubitat. *Ex ſacris*, inquit, *intelligitur, poſitam fuiſſe Charanem in itinere, quod e Chaldæa in Chanaanem ducit, Geneſ. XI, 31. quo fit, vt omnino auſtralior fuerit, Arabiam verſus deſertam, & Syriam Palmyrenam, ſeu Aram Tſoba. Via enim ex Vr Chaldæorum in Palæſtinam tendit ab oriente in occidentem, præterquam vbi, ad vitanda Arabiæ auia, deflexum eſt, boream verſus, per auſtraliorem Meſopotamiam, quæ Chaldææ borealis eſt. Iterum, Palæſtinæ reſpectu, Charanis regio orientalis fuiſſe dicitur Geneſ. XXIX, 1.* In Tabula, huic Iobi Hiſtoriæ adiecta, æque quidem ad dextram ripam Chaboræ fluuii, quæ Carras habet, etiam Haran eſt poſitum, ſed plus quam quadraginta millibus paſſuum infra Carras, ſupra tamen latitudinem Nicephorii: vt propius a confluente Euphratis & Chaboræ abſit, quam a Carris, vt Ptolemæus eas poſuit.

6. Cui ergo ſententiæ accedendum eſt? In neutram tuto ire licet, antequam de Vr Chaldææ, vnde Thara cum filiis & nepote in Meſopotamiam profectus eſt, conſtitutum fuerit. Quidam, & ipſe iam laudatus Frid. Spanhemius, *Orchoan* Ptolemæi, longe a Babylone in auſtrum verſus poſitam, *Vr Chaldææ* eſſe exiſtimant: quod infra in Chaldæa curatius examinaturi ſumus. Hoc autem ſi eſt, omnino Carræ remotiores a via, quæ ex Chaldæa in Chananæam ferat, non minus nobis, quam Spanhemio, videntur eſſe. Alii contra, cum quibus & Bochartus facit, Abrahami patriam in ſeptemtrione Meſopotamiæ, Tigrin fluuium verſus, putant inueniri, quia Ammianus Marcellinus lib. XXV cap. XXVI [Valeſ. cap. VIII] referat, quum Iouiani exercitus, fame tantum non enecatus, centeſimo circiter lapide a Corduena prouincia & Armeniæ finibus Tigrin traieciſſet, & ſex diebus per ſolitudinem, in qua Hatra ſita erat, iter feciſſet, *ad Vr nomine Perſicum caſtellum* veniſſe qui cibos emaciatis militibus offerrent. Inde per Tiſalphata profecti ſunt Niſibin & Euphratem verſus. Hoc caſtellum ſi Vr Chaldææ fuit in ſacris ſcripturis memoratum, nihil probabilius eſt, quam ab Vr ad Carras veniſſe qui profecturi erant ab Vr in Palæſtinam. At hoc caſtellum Meſopotamiæ fuit: Vr patriarcharum Chaldææ. Nec vero ignoramus, auctores ſententiæ de Vr Ammiani,

miani, Chaldæam latius, quam Ptolemæum, per omnem tractum Tigritanum extendere: quibus videtur ſacer ſcriptor fauere Act. Apoſt. VII, 2, 4. *Deus*, dicens, *adparuit Abrahamo* ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. - - - Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαρράν. Vtrumque dicitur, primam iuſſionem factam eſſe in Meſopotamia, & profectum eſſe ex terra Chaldæorum, quaſi eadem Chaldæa ſit & Meſopotamia: quod vero aliter vir clariſſimus Thomas Hyde Hiſt. Relig. Perſ. cap. 11 pag. 75 interpretatur, Abrahamum ex Chaldæa profectum aliubi in Meſopotamia diuertiſſe antequam veniret in Haran. Sic dubia ſedes Vr oppidi, dubium etiam locum oppidi Haran facit. Sed de Vr infra ſuo loco pluribus diſſeremus. Vnum addo, dari etiam tertiam opinionem Eupolemi apud Euſebium lib. IX Præpar. Euang. cap. XVII, vbi de Abrahami natiuitate agit, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Ουρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν, *in vrbe Babyloniæ Camarina, quam quidam dicant vrbem Vriam* [forſan Ὄυρην, Vram] *quod nomen* [Camarina] *interpretari liceat Chaldæorum vrbem:* vt *Chaldæorum* artis ſit, non regionis nomen, quaſi τῶν כשדים *hariolorum.* Vide Franciſci Vigeri adnotationem. Sic Vr in Babylonia fuit, ſi modo proprie hoc loco illam, vt diſtincta eſt a Meſopotamia & Chaldæa, licet intelligere.

XXVIII.

Hæc ductu itineris Iuliani vsque Carras. Carrenis Stephanus addit *Bonchas*, populum. Βόγχαι [Xyland. Βόγχναι] ἔθνος τοῖς Καῤῥηνοῖς παρακείμενον, μέσον Ευφράτου καὶ Κύρου ποταμοῦ, *Conchæ gens Carrenis adiacens inter Euphratem & Cyrum fluuium.* Nullus hoc loco Cyrus fluuius: ideo Bochartus legi iubet Καῤῥᾶς, ex eodem Stephano in Κάῤῥαι: qui forte fluuiolus eſt apud Carras Chaboræ ſe infundens.

XXIX.

Reuertimur in ſuperiora, vrbem non ignobilem, quam forte Iulianus non attigit, inquiſituri. Illa *Anthemûs* eſt ſiue *Anthemuſia*, ſeu *Anthemuſium:* cuius & nomen originem Græcam arguit. Hanc in regione *Anthemuſia* fuiſſe non dubitandum eſt: regionem autem Ptolemæus ponit πρὸς τῇ Αρμενίᾳ, *iuxta Armeniam*, in ſupremo ſeptemtrione Meſopotamiæ. Ammianus lib. XIV cap. IX *Batnen* dixit *municipium in Anthemuſia:* & Strabo XVI pag. 514 ἡ διάβασις τοῦ Ευφράτου κατὰ τὴν Ανθεμουσίαν ἐστὶν αὐτοῖς, τόπον τῆς Μεσοποταμίας, *tranſeunt Euphratem* [mercatores Syri] *iuxta Anthemuſiam, locum Meſopotamiæ.* Incertum, τόπον dicens, vrbem an regionem intelligat. Si vero oppidum eſt, in ripa Euphratis oportet eſſe, quia tranſitus fiat κατὰ *iuxta* illud. At neque Ptolemæus in ripæ enarratione, neque, qui Craſſi aut Iuliani iter ſcripſerunt, illius mentionem faciunt. Regionem autem ad Euphratem pertinuiſſe, non eſt quod dubitemus: quam longe autem in meridiem proceſſerit, vix definiri poteſt, quum Strabo ibidem Aborram fluuium dicat labi περὶ τὴν Ανθεμουσίαν, *circa Anthemuſiam:* qui vero longe ex ſeptemtrione decurrit in auſtrum.

2. De oppido, vnde nomen eſt regioni, hæc habemus: Plinius lib v cap. XXIV *Arabia* [pars ſuperior Meſopotamiæ] *oppida habet Edeſſam - - & Carras. Iungitur præfectura Meſopotamiæ, in qua Anthemuſia & Nicephorium oppida.* Sic infra Carras fuit Anthemuſia, & circa Nicephorium. Quam longe autem a Ptolemæi regione Anthemuſia, & a Batne Ammiani? Audiamus & alios. Tacitus lib. VI cap. XLI *Tiridates Nicephorium & Anthemuſiada, ceteraſque vrbes, quæ Macedonibus ſitæ, Græca vocabula vſurpant, recepit.* Conſentit in re cum Plinio. Stephanus vrbium & populorum ſcriptor in Ἀνθεμȣ̃ς breuiter: πόλις Μακεδονίας καὶ Συρίας, *Anthemûs oppidum Macedoniæ: aliud Syriæ.* Syriæ, id eſt Meſopotamiæ, pro more huius auctoris. Vide ſupra in Edeſſa. Qua forma & Plinius eſt alibi vſus: lib. VI cap. XXVI *Mox in campeſtribus oppida, Dioſphage, Polytelia, Stratonice, Anthemûs. In vicinia Euphratis Nicephorion.* Sic ſecundum Plinium Anthemuſia vrbs reductior ab Euphrate fuit: & quamquam latitudinem Carrarum non æquauit, maiorem tamen habuit quam Nicephorium, ſeu mediam forſan inter Carras & Nicephorium ſedem; deleta vt videtur, poſt Taciti tempora, ideoque a Ptolemæo & poſterioribus præterita. Si autem Ptolemæi recte poſita eſt Anthemuſia regio, etiam oppidum in ſuperiora videtur reducendum eſſe. Sed quod Plinius & Tacitus conſentire videntur, tutius fortaſſe ab illorum partibus, quam Ptolemæi ſtabitur. Elagabali nummum, a Pyrrho Ligorio delineatum, L. Holſtenius ad Stephanum Notis adlegat, in quo circum deam Syriæ ſedentem ſcriptum ſit ΑΝΘΕΜΟΥΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

XXX.

Infra Carras, aut vltra eas fuerunt *Ichnæ* ad flumen *Bilecham* ſeu *Balicham*, pro diuerſa lectione Βάλιχα, Βίληχα, Βίλειχα, vbi primum prœlium Craſſianorum cum Parthis commiſſum fuit, quo filius Craſſi Publius, cum multis ſuorum periit. Iſidorus Characenus pag. 3 εἶτα Ἄλαμα ὀχύρωμα, ςαθμὸς βασιλικὸς, σχοῖνοι γ΄. μεθ᾽ ὃν Ἴχναι πόλις ἑλληνὶς, Μακεδόνων κτῆμα. κεῖται δὲ ἐπὶ Βίληχα ποταμȣ̃, σχοῖνοι γ΄. εἶτα Νικηφόριον παρ᾽ Εὐφράτȣ. *Deinde eſt Alama locus munitus, manſio regia, ſchœni* III. *Poſt quam Ichnæ, vrbs Græca, in poſſeſſione Macedonum, quæ ad Bilecha fluuium ſita eſt, ſchœni* III. *Deinde Nicephorium ad Euphratem.* Non itaque longiſſime ab Euphrate fuerunt, quia iter regium per eas a Zeugmate ducebat Nicephorium, & Bilecha fluuius etiam in Euphratem ibidem influit. Dioni lib. XL pag. 126 ſunt Ἰχνίαι, *Ichniæ*, niſi mendum eſt, quia etiam Stephanus ſcripſit Ἴχναι, *Ichnæ*, quas dicit eſſe τῆς ἀνατολικῆς πόλιν, *oppidum in oriente*, & diuerſum ab Ichnis Macedoniæ. Dio ait, ſuperiori anno Talymenum, præfectum regium, a Craſſo victum eſſe περὶ Ἰχνίας, τεῖχος ȣ̃τω καλȣ́μενον, *ad Ichnias, quod caſtelli nomen eſt.* Plutarchus ſibilum vocabulo addidit, Ἴσχναι; *Iſchnæ*, vt editum eſt. Suaſiſſe ait quoſdam iuniori Craſſo vulnerato, vt ſe prœlio ſubduceret, & confugeret εἰς Ἴσχνας, πόλιν ἠρημένην τὰ Ῥωμαίων, *Iſchnas oppidum partium Romanorum.* Hinc Craſſus pater ſe Carras recepit, quum prius Ignatius prœlio fugiens, vt Zeugma peteret, nocte

nocte concubia cladem vigilibus Carrenſibus nuntiaſſet. Ex quo diſtantia a Carris quodammodo cognoſci poteſt.

XXXI.

In hoc tractu fuit etiam *Dauana*, ſiue *Dabana*, quæ Iuliano, Carris profecto, primam manſionem præbuit. Ammianus lib. xxiii cap. vi *Exitu ſimulato per Tigrim, flexit dextrorſus, & - - - Dauanam venit, caſtra præſidiaria, vnde ortus Belias fluuius funditur in Euphratem.* Prope abeſt, quin exiſtimem, *Beliam* & *Bilicham* idem flumen eſſe, extruſa alterius vocabuli adſpiratiua littera, vt in *Ioannes:* niſi forſan, quod *ortus* apud Dauanam dicitur, decurſus breuior diuerſitatem arguit, quia Bilicha ſiue Bilecha & Alamam munimentum & Ichnas præterfluit. Notitia Imperii ſub Duce Oſroenæ ſunt *Equites Mauri Illyricani Dabanæ*, quæ ipſa eſt Dauana, caſtra præſidiaria. Procopius lib. ii περὶ κτισμάτων cap. iv caſtrum memorat cum aliis, cui nomen ſit Δαβανάς, *Dabanas*; ſed neſcio an hoc noſtrum ſit, quamuis videtur Valeſio; quia deſcribitur, quaſi non longius diſtet ab Amida: Dauana autem Marcellini fuit inter Carras & Callinicum.

XXXII.

A Carris in ortum hibernum fuit *Hileia* ſiue *Eleia*; & vltra paullo *Reſæna* ſiue *Reſaina.* Vtrumque locum prœlia Romanorum ſignauerunt. De priore Ammianus lib. xviii cap. x *poſt bellorum aſſiduos caſus, & maxime apud Hileiam & Singaram, vbi acerrima illa nocturna concertatione pugnatum eſt.* Sextus Rufus ſiue Rufus Feſtus cap. xxvii *Nocturna vero in agro Eleienſi prope Singaram pugna; vbi præſens Conſtantius adfuit,* cetera. Mira turbatio, nec facile explicanda. Singara ad Tigrin fuit, vt vidimus: Ptolemæi Ελεία, [ſic ſcriptum in Palatino] *Eleia* ſeu *Eliia* propior Carris atque Chaboræ, vltra xxv millia ab Singara, vt ſi Rufum tueri velis, duæ Eleiæ ſtatuendæ ſint, altera citerior Ptolemæi; altera prope Singaram Feſti Rufi. Sed ægre loca multiplicamus, præſertim quod in MS. Regio, quod Valeſius vidit, deeſt *Eleienſi*, & Ammianus, vt diuerſa prœlia *apud Hileiam* ET *Singaram* deſcripſit. quod etiam vero eſt ſimilius, & Ammianus Rufo præferendus. Quo admiſſo, Ptolemæi quoque poſitio Eleiæ, quam indicauimus, defendi poteſt.

XXXIII.

Alterum oppidum *Reſainam* ſeu *Reſænam* victoria Gordiani nobilitauit. Ammianus lib. xxiii cap. xiv Iuliani oratione: *Traianus & rurſus Seuerus hinc ſunt digreſſi victores & tropæati: rediſſetque pari ſplendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc vidimus honorate, apud Reſainam ſuperato fugatoque rege Perſarum, ni factione Philippi, præfecti prætorio, ſceleſte iuuantibus paucis, in hoc vbi ſepultus eſt loco, vulnere impio cecidiſſet.* Ptolemæi vulgatis libris eſt Ραισένα *Ræſena*, peruerſe: Palatino autem codice Ρεσαίνα, *Reſaina* vel *Reſæna*, prout diphthongum vel componas vel diſſoluas. nam & Colbertinus codex Ammiani *Reſaina*, vbi ceteris *Reſæna* legitur. Huc ſummi in his litteris viri nummum Decii referunt, CEΠ. KOΛ. PHCAINHCIΩN, id eſt *Septimiæ coloniæ Reſaineſiorum.* Stephanus

 praue,

praue, Ῥέσινα πόλις περὶ τὸν Ἄβορον ποταμὸν, *Reſina oppidum circa Aborum fluuium:* & Notitia Imperii ſub Duce Oſroenæ: *Equites ſagittarii indigenæ primi Oſroeni Raſin.* Non autem hæc Reſaina vel Reſæna confundenda cum altera Ptolemæi in eadem Meſopotamia Ῥίσινα, *Riſina*, ſita inter Edeſſam & montem Maſium: neque cum *Reſen*, de qua Moſes Geneſ. x, 12, quæ extra Meſopotamiam, inter Nineuen & Calach, vt ibidem deſcribitur, in Aſſyria eſt.

XXXIV.

Sub monte *Maſio*, qui ad ſeptemtriones Meſopotamiæ adſurgit, in meridiem verſus, eſt *Sinna* Ptolemæi, quæ haud dubie eſt *Syna Iudæorum*, quæ equites promotos indigenas præſidium ſub Duce Oſroenæ, vti eſt in Notitia Imperii, habebat. De ipſo monte Strabo lib. xi pag. 359, vbi de Tauro agit: κατ᾽ ἀρχὰς μὲν αὐτὸ τοῦτο καλεῖται Ταῦρος, διορίζων τὴν Σωφηνὴν, καὶ τὴν ἄλλην Ἀρμενίαν ἀπὸ τῆς Μεσοποταμίας· τινὲς δὲ Γορδιαῖα ὄρη καλοῦσιν. ἐν τούτοις ἐστὶ καὶ τὸ Μάσιον, τὸ ὑπερκείμενον τῆς Νισίβιος ὄρος καὶ τῶν Τιγρανοκερτῶν. *Primum ille mons vocatur Taurus: is Sophenam, reliquamque Armeniam a Meſopotamia diuidit. Quidam montes Gordiæos vocant: in his Maſius quoque eſt ſitus ſupra Niſibin & Tigranocerta.* Ex quibus intelligimus, a Tauro montem Maſium procurrere, & partem eſſe Gordyæorum, & ex Armenia auſtrali in Meſopotamiam vsque ad Niſibin proferri.

XXXV.

Ipſa *Niſibis*, ſiue, vt in nummis eſt, *Neſibis*, vrbs antiquiſſima iuxta & nobiliſſima, ad ſeptemtriones in Meſopotamia ſita, longius abeſt ab Euphrate, vicinior Tigri, vtpote a quo bidui diſtat itinere, vt Procopius lib. i Perſic. cap. xi tradit; & manifeſtus error eſt, quod Petrus Patricius vltimis excerptis pag. 30 dixit πόλιν παρακειμένην τῷ Τίγριδι, *vrbem Tigridi adpoſitam.* Flumine quidem adluitur, ſed cui *Mygdonio* nomen eſt. Iulianus Oratione i pag. 27 de Neſibi: ἐπέῤῥει Μυγδόνιος πελαγίζων τὸ περὶ τῷ τείχει χωρίον, *amnis Mygdonius inundans infunditur in adiacentem mœnibus campum.* Adde Orat. ii pag. 62. Tamen & Stephanus videtur fluuio Tigri adpoſuiſſe, qui ideo caute interpretandus eſt. Νίσιβις, inquit, πόλις ἐν τῇ περαίᾳ τῇ πρὸς τῷ Τίγρητι ποταμῷ. Verte: *Niſibis eſt vrbs in Transeuphratenſi regione, quæ ad Tigrim vergit.* Tam antiqua eſt, vt quidam a Nimrodo originem eius voluerint deriuare. Hieronymus Quæſt. in Gen. cap. x, 10 *Regnauit* [Nimrod] *& in Arach, hoc eſt in Edeſſa; & in Achad, quæ nunc dicitur Niſibis.* Verane ſit interpretatio nec ne, non iam iudicabimus: nobis ſatis eſt, quæ inde adparet, opinio antiquitatis. Macedones ſane non condiderunt, ſed mutauerunt nomen. Vt enim tractum illum ſuperiorem Meſopotamiæ *Mygdoniam* dixerunt, ita quæ in eo eſt vrbs Niſibis, adpellauerunt *Antiochiam Mygdoniæ.* Plutarchus in Lucullo pag. 514 διελθὼν τὸν Ταῦρον, εἰς τὴν λεγομένην Μυγδονίαν κατέβαινε χώραν πάμφορον καὶ ἀλεεινὴν καὶ πόλιν ἐν αὐτῇ μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον ἔχουσαν· ἣν οἱ μὲν βάρβαροι Νίσιβιν, οἱ δ᾽ Ἕλληνες Ἀντιόχειαν Μυγδονικὴν προσηγόρευον. *Transgreſſus* [ex Armenia] *Taurum, in regionem, quæ Mygdonia adpellatur, venit, fertilem & apricam,*

in

in qua vrbs ampla & populoſa erat: Niſibin barbari, Græci vocabant Antiochiam Mygdonicam. De Mygdonia ſupra diximus initio huius capitis ex Strabone, qui lib. XVI p. 514 ἐν οἷς ἐστὶ καὶ Νίσιβις, ἣν καὶ αὐτὴν Αντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ προσηγόρευσαν, ὑπὸ τῷ Μασίῳ ὄρει κειμένην, *in quibus & Niſibis eſt, quam Antiochiam Mygdoniam adpellarunt, ſub monte Maſio poſitam.* Tigranes tenuit Mithridatici belli temporibus, cui Lucullus eripuit.* Inde propugnaculum Romanorum fuit aduerſus Parthos atque Perſas, ad Iouianum vsque, qui Perſis illam ignominioſa pace reddidit. Ammianus lib. XXV cap. XXXI *Niſibis iam inde a Mithridatici regni temporibus, ne Oriens a Perſis occuparetur, viribus reſtitit maximis.* De traditione Iouiani Eutropius, Rufus, Zoſimus grauiter & dure cenſent: mollius Philoſtorgius lib. VIII, cap. I. Vocabulum prima ſyllaba ſecundam vocalem in nummo Iuliæ Paullæ habet, ſignato CE. . . KOΛΩ. NECIBI. id eſt *Septimiæ coloniæ Neſibitanæ:* Stephanus auctor eſt quosdam Νάσιβις, *Naſibis* ſcripſiſſe: ſed in libris vbique eſt Νίσιβις, pari per omnes ſyllabas vocali.

XXXVI.

Inter Niſibin & Tigrim fuit *Liba* Polybii lib. V cap. LI. Rex enim Antiochus, profectus Antiochia Mygdonia, προῆγεν εἰς Λίβαν, *Libam venit*, vbi deliberauit, quam viam iniret in hoſtes ducturus exercitum, & vbi Tigrim traiiceret. Certus autem locus oppidi, de quo ſilent alii, non poteſt definiri. Videtur autem non longe a Niſibi in ortum hibernum verſus fuiſſe poſitum.

XXXVII.

Prope Tigrim in hac ſuperiori parte fuit etiam *Bezabde*, munimentum in colle poſitum, vergensque in margines Tigridis. Dictum etiam fuit *Phœnica:* ſitum in regione *Zabdicenorum.* Hæc ex Ammiani lib. XX cap. XV. Et cap. XVIII ſimpliciter *Phœnica* vocatur, ac munimentum perquam tempeſtiuum. & cap. XXVI *Bezabde.* Nec ſolum caſtellum fuit, ſed *municipium* vocatur iam dicto cap. XV. Defenſum fortiter a Romanis: expugnatum tamen a Perſis. Hieronymus Chron. anno XI Conſtantii: *Niſibis obſeſſa: Bizabda & Amida captæ ſunt.*

XXXVIII.

Flumina in Tigrim ex Meſopotamia pæne multa exeunt, quod recentes peregrinatores, qui a Nesbin ſiue Niſibi ad Muſul, veteri Nino vrbem oppoſitam, proficiſcuntur, enumerarunt, e quibus tamen, quia Ptolemæus omnes præteriit, vix alium nominare poſſumus quam *Mygdonium*, qui Niſibin præterlabitur: nec vero, quo ſe loco exoneret in Tigrim, deſignari certo poteſt. Alius in latere illo, quod Tigrim verſus ſpectat, *Pellaconta* nomine in Euphratem exit. Plinius lib. VI cap. XXVI *Ad Pellacontam flumen Bura oppidum, Salmani, & Maſei Arabes.* Harduinus, neſcio quo auctore, in Euphratem ait delabi, quingentis fere ſtadiis ante, quam Seleuciam Euphrates adluat. Qui vero ſibi non conſtat, dum in

Emen-

* Videatur Dio lib. XXXV pag. 3.

Emendationibus *Dura* cenſet legendum eſſe, quod multo citerius erat oppidum, vt ſupra vidimus, quam pro definita ab ipſo diſtantia Seleuciæ.

XXXIX.

An vero etiam *Nymphius*, vt plures vocant, ſiue *Nymphæus*, vt Ammianus, in Meſopotamiæ finibus decurrit in Tigrin? Negant recentiores, qui Lexica condiderunt geographica, Martyropolim, ſequioris ætatis oppidum, quam is amnis adluit, Armeniæ maiori tribuentes: inducti forſan a Procopio, lib. III περὶ κλισμάτων cap. II dicente: ἐν Ἀρμενίᾳ τῇ Σωφανήνῃ καλουμένῃ πόλις ἐστί τις, Μαρτυρόπολις ὄνομα, παρ' αὐτὸν ποταμὸν Νυμφίον κειμένη. *Eſt in Armenia, quam Sophanenen vocant, vrbs Martyropolis, ad flumen Nymphium ſita.* Putant clari viri, hanc Sophanenen eſſe Strabonis & Ptolemæi Sophenen, Armeniæ maioris prouinciam. At illa ad Euphratem & Antitaurum: Nymphius vero in Tigrim inlabitur, vt Piſides apud Suidam, & Theophylactus Simocatta lib. I cap. IX teſtantur: & quidem in Meſopotamia, quia haud longe ab Amida vrbe Tigridri adpoſita. Ammianus enim lib. XVIII cap. XXII [Valeſ. IX] *vnde* [Amida] *aquiloni obnoxia eſt, Nymphæo amni vicina, verticibus Taurinis vmbratur.* Dubitat quidem Valeſius, quia Procopius lib. I Perſ. cap. VIII extremo CCC ſtadiis ab Amida abeſſe dicit. At interuallum non reſpectu Tigridis, in quem ille infunditur, ſed reſpectu loci, quo dux Celer Nymphium transiecit copias, intelligendum eſt. Et quid dubitamus? ipſe Procopius eodem primo Perſicorum libro cap. XXI clariſſime: *Perſæ iterum* ἐς Μεσοποταμίαν, *in Meſopotamiam irruperunt, ac, nemine reſiſtente,* Μαρτυρόπολιν ἐγκαθεζόμενοι ἐπολιόρκουν. αὕτη δὲ κεῖται μὲν ἐν τῇ Σωφανηνῇ καλουμένῃ χώρᾳ, πόλεως Ἀμίδης τεσσαράκοντά τε καὶ διακοσίοις σταδίοις διέχουσα πρὸς βορρᾶν ἄνεμον. *Martyropolim oppugnarunt. Hæc ſita in Sophanene regione, diſtat* CCXL *ſtadiis ab Amida in boream verſus*, ſeu potius in occaſum æſtiuum. Alia ergo hæc Sophanene ab Armeniæ maioris Sophena; ſita in ſeptemtrionali Meſopotamia ſupra Niſibin. De Armenia autem, cui ſupra adſcribebat, ipſe ſui interpres eſt Procopius lib. I cap. XVII *Meſopotamia nominata eſt a ſuo inter amnes poſitu: quamquam eius parti, præter commune vocabulum, etiam alia quædam tributa ſunt.* ἥτε γὰρ ἄχρις Ἀμίδης πόλεως, Ἀρμενία πρὸς ἐνίων ὠνόμασται· Ἔδεσσά τε ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτὴν χωρίοις Ὀσροηνή. *Quidam enim tractum illum, qui vsque Amidam pertinet, Armeniam adpellant: & Edeſſa cum circumiacentibus Oſroene.* Quapropter Nymphium ſub Tauro in Meſopotamia delabi, & ſupra Amidam in Tigrim infundi intelligimus. Nobiſcum & Salmaſius facit Exerc. Plin. p. 488. *Ammiano*, inquit, *Nymphæus amnis eſt in Meſopotamia ſuperiore, haud longe a Tauro monte prope Amidam vrbem.* Et Martyropolis, apud quam ἀγχοτάτω, *proxime* fluit Nymphius, vt Procopius lib. I Perſ. cap. VIII dixit, a Carolo de S. Paulo Geogr. S. p. 303 in Meſopotamia, ſub Amida metropoli, eſt poſita. Sed de hac vrbe, etiam de Amida, pluribus in Notitia medii æui dicturi ſumus.

XL.

Cetera oppida Meſopotamiæ, quæ Ptolemæus recenſet, obſcura & ignota

ignota ſunt omnia: ſupra Edeſſam, *Suma, Ammæa:* infra Edeſſam in Chalcitide, *Ombrea, Oxira,* [Pal. *Olibera*] *Auladis:* in Chaboræ ripa ſupra Carras *Ballatha, Trittha:* infra, *Acraba, Apphadana:* ad Saocoram ſub Niſibi, *Bithiga, Baxala, Zama, Peliala, Dimatra, Deremma:* inter hoc flumen & Tigrim, *Gurbata, Bariana,* cetera. Neque notiora ſunt quamlibet vocabula clara, quæ Plinius lib. VI cap. XXVI mediterraneis addit: *Mox in campeſtribus oppida: Diospage, Polytelia, Stratonice, Anthemus.* De vltimo ſupra diximus: ceterorum nomina interpretamur, a Græcis indita; ſitum ignoramus, nec alibi facile memoria illorum reperitur in hiſtoriis aut apud geographos. *Diospage* autem quaſi Διὸς πηγὴ, *Iouis fons*, Dorice: *Polytelia*, Πολυτέλεια, ab opportunitate ſitus & vtilitate, dicta: *Stratonice* victoriæ argumentum eſt, vel imitamentum vrbis Græcæ in Caria.

XLI.

Strabo lib. XVI pag. 515 τὰς Σκηνὰς, ἀξιόλογον πόλιν, *Scenas, vrbem memorabilem*, qui paullo ante de Scenitis Arabibus egit, Meſopotamiam auſtralem & deſertam inhabitantibus, quorum oppidum hoc, *Scenæ*, fuit ſitum ἐπὶ τοὺς τῆς Βαβυλωνίας ὅρους, ἐπί τινος διώρυχος, *ſuper foſſam quamdam ad Babyloniæ fines.* Addit diſtantiam a Seleucia σχοίνους ὀκτωκαίδεκα, *ſchœnos decem & octo.* Stephanus ad Strabonem prouocat, cuius verbis repetitis πόλις ἀξιόλογος, addit Περσικὴ, *Perſica* vrbs, id eſt imperii Perſarum. Ciues *Scenitæ* dicti, eodem auctore chorographo.

XLII.

Ammianus lib. XXV cap. XXVI [Valeſ. VIII] addit ſuperiori Meſopotamiæ caſtellum *Vr*, inter Tigrin & Niſibin poſitum, quod non nulli *Vr Chaldæorum* credunt eſſe, Abrahami ſedem patriam: de quo ſupra diximus in Carris & Haran. Deinde *Hatram*, vetus oppidum, in media poſitum ſolitudine, itidem inter ſuperiorem Tigrim & Niſibin, quod Traianus & Seuerus diuerſis temporibus adorti, cum exercitibus pæne deleti fuerint. Situm ipſe ſic Ammianus deſcripſit, quum Tigrim ſuperiorem Iouianus cum exercitu traieciſſet: *properantes itineribus magnis prope Hatram venimus, vetus oppidum, in media ſolitudine poſitum, olimque deſertum, quod eruendum adorti temporibus variis Traianus & Seuerus, principes bellicoſi, cum exercitibus pæne deleti ſunt, vt in eorum actibus has quoque digeſſimus partes.* Hinc aliquot dierum itineribus *ad Vr nomine Perſicum venere caſtellum*, qui cibos emaciato exercitui adferrent. Tum demum profecti ſunt Niſibin, & inde ad Euphratem. De Traiani obſidione Xiphilinus ex Dione praue: ἐς τὴν Ἀραβίαν ἦλθε καὶ τοῖς Ἀγαρηνοῖς ἐπεχείρισε, *profectus in Arabiam, Agarenis bellum intulit;* Ἀτρηνοῖς, *Atrenis* ſiue *Hatrenis* Valeſius ad Ammianum recte legi iubet: quia mox idem ſolitudinis oppidum ab Seuero quoque fruſtra dicitur oppugnatum, vbi τὰ Ἄτρα a Dione vocatur, ab Herodiano III cap. IX αἱ Ἄτραι, id eſt *Hatra* vel *Atræ.* Et Zonaras pag. 216 Seueri Atra πόλιν Ἀράβιον, *vrbem Arabicam* dixit. Quæ cauſſa eſt, vt nonnulli, quibuscum & nos olim fecimus, hæc Atra ſeu Hatram in Arabia Deſerta poſuerint. Verum rectius in Meſopotamia cum

Ammiano ſtatuitur; in qua multæ partes, propter incolas Arabes, nomen Arabiæ præ ſe ferunt. Et Stephanus in Meſopotamia cenſuit: Ἄτραι πόλις μεταξὺ Εὐφράτου καὶ Τίγρητος, *Atræ vrbs inter Euphratem & Tigrin ſita.* Herodianus obſcurus eſt, quia ex Armenia in Atrenos, inde in Adiabenos, deinde in Arabiam Felicem, & rurſus in Atrenos ducit: vt nihil certi ex ordine itinerum colligi poſſit. Nec clarior Peutingeriana Tabula, in qua *Hatris*, ſexto caſu, ad Tigrem quidem, ſed alieno loco, ponitur. Gentile Ατρηνοὶ, *Atreni,* vt ſæpe in Herodiani prædicto loco eſt.

CAPVT XVI

DE

BABYLONIA ET CHALDAEA.

I.

QVidam Meſopotamiam etiam ad inferiora extendunt: immo aliquando vltra Tigrim. Plinius lib. VI cap. XXVI *Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit, vicatim diſperſa, præter Babylona & Ninum. Macedones eam in vrbes congregauere propter vbertatem ſoli. Oppida præter iam dicta habet Seleuciam, Laodiceam, Artemitam.* Nulla harum vrbium Ptolemæi Meſopotamia continetur præter Seleuciam: Babylon vero extra Meſopotamiam, in ſingulari regione, Babylonia: cætera in Transtigritana. Sed hæc abuſio vocis eſt, vel vt verius loquar, de Transtigritanis præſertim, error Plinii & inconſiderantia. Ptolemæus tantum in Tigris ripa longiorem fecit vsque Meſenes Apameam: quod autem ſupra illam transuerſis ductibus Euphrates cum Tigri miſcetur; in Seleucia finiuimus Meſopotamiæ latus orientale: vt quæ Euphratis alueis continentur, & longius vltra illos procedunt in meridiem, Babyloniæ reſeruentur & Chaldææ.

II.

Ptolemæus igitur ſeparatam a Meſopotamia θέσιν ſeu poſitionem & delineationem *Babyloniæ* dedit, quod libri V caput eſt ſupremum ſeu XX. Hanc a ſeptemtrione terminat Meſopotamia; ab ortu Tigri fluuio: ab occaſu Arabia Deſerta: a meridie ſinus Perſici parte, & limite ad illum Arabiæ Felicis. Diſtinguit in regiones: quæ Euphrati adiaceat, vocat *Auranitidem:* quæ Deſertæ Arabiæ, *Chaldæam:* quæ circa paludes ſit, *Amordaciam*, ſiue vt in Pal. eſt, *Amordociam.* Sed ignota nomina *Amordocia*, & huius tractus *Auranitis:* ſola *Chaldæa* nobilis & cognita, quæ vero ſæpe laxius ſignificat, & ipſam Babyloniam comprehendit, apud Ieremiam præſertim, & in eiusdem temporis hiſtoria, vbi *Chaldæi* & *exercitus Chaldæorum* ſunt præcipue, qui circa Babylonem habitabant. Sic locus captiuitatis Iudaicæ, qui maxime circa Babylonem fuit, vocatur ארץ כשדים *terra Chaldæorum,* Ierem. XXIV, 5, XXV, 12, L, 8, & alibi: & ipſa vrbs Babylon dicitur in Chaldæa ſita Ezech. XII, 13, *abducam illum* בבלא ארץ כשדים *Babylonem in terram Chaldæorum:* Græci: εἰς Βαβυλῶνα εἰς γῆν Χαλδαίων.

Quod

Quod vero nomen *Babyloniæ* vbique inualuit, & frequentior eius, quam *Chaldææ*, vſus eſt, e. gr. Diodoro Siculo lib. XI cap. XI & XII; Straboni lib. XVI ineunte; Plinio lib. V cap. XII, & ceteris; quæ vox Babyloniæ vel omnem tractum ſonat, qui inter Meſopotamiam, Arabiam, Tigrin & ſinum Perſicum eſt, & Chaldæorum terræ æquatur, vt apud Ptolemæum dicto loco: vel partem illius ſuperiorem, quæ circa alueos Euphratis & ipſam Babylonem eſt, notat, vt fere ceteris ſignificat, & Diodorus iam dicto loco dicit, Euphratem & Tigrim Meſopotamiam facere, *μετὰ ταῦτα τὴν Βαβυλωνίαν διελόντας*, *Babyloniam ſecantes*, in mare Erythræum effundi; hinc fit, vt *Chaldææ* vocabulum in artiorem notionem redigatur, & tantum reliqua, quæ ad Arabiam ſunt, ſignificet. Quapropter nos quoque diſtincte de Babylonia & dein de Chaldæa reliqua acturi ſumus: & quia Babylonia maxime Euphratis ſciſſionibus continetur & alueis; de iis primum diſſeremus, deinde de terra, quam illi ambiunt aut adfunduntur.

SECTIO I.

BABYLONIA.

III.

Qualis facies *Euphratis* fuerit, priusquam manu factis foſſis & alueis diſtraheretur, difficile eſt delineare. Nam & illæ foſſæ antiquiores pleræque ſunt, quam Græci, a quibus & naturæ rerum, aut ab hominibus geſtarum memoriam habemus, ad ſcribendum & hiſtorias componendas, aut res naturæ tradendas, ſe compoſuerunt. Nec ſacri ſcriptores plus huius argumenti tradunt, quam נהרות בבל *flumina plura* Babylonis fuiſſe, Pſalm. CXXXVII, & vnum ex iis *Chobar*, ſiue *Chebar* fuiſſe adpellatum; & ſi quid ſimile fortaſſis adferunt: diſtinctius autem (neque inſtituti eorum fuit) rem nusquam expoſuerunt. Probabile autem admodum eſt, Euphratem ſingulari oſtio, in mare ſe effudiſſe, foſſis autem factum, vt pars per Tigrim ſe eiiciat, pars diſtrahatur in paludes. Quod ita certum etiam antiquioribus videbatur, vt Plinius etiam diſtantiam oſtiorum Euphratis atque Tigris, quibus in mare ſe eiiciant, notauerit. Libro VI enim cap. XXVII ita ſcripſit: *Inter duorum amnium* [Euphratis atque Tigris] *oſtia* XXV *millia paſſuum fuere, aut, vt alii tradunt,* VII *millia, vtroque nauigabili. Sed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes: nec niſi Paſitigri defertur in mare.* Sed ad foſſas & alueos inſpiciendos, quantum per obſcuritatem monimentorum veterum licet, accedimus.

IV.

De diuiſione Euphratis Plinius idem lib. V cap. XXVI *Scinditur a Zeugmate octoginta tribus millibus paſſuum circa vicum Maſſicen: & parte læua in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri. Dexteriore autem alueo Babylonem, quondam Chaldææ caput, petit, mediamque permeans diſtrahitur in paludes.* Hic bicornem facit Euphratem, & alueos, quaſi natura factos, deſcribit. Lib. VI autem cap. XXVI

 aliquid

aliquid humanæ operæ ſuperiori alueo tribuit. *Babylon*, inquit, *ad ſolitudinem rediit, exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonageſimum lapidem, in confluente Euphratis foſſa perducti atque Tigris.* Si foſſa perductus, vnus alueus natiuus, Babylonius, relinquitur. Si forſan pars tantummodo perducta fuit, neceſſe eſt, alueum infra Seleuciam ad Tigrim ſe vertiſſe; cuius vero nullum in antiquitate eſt veſtigium. Ptolemæus conſentit de alueis lib. v cap. XVII, ὁ Εὐφράτης σχίζεται εἴς τε τὸν διὰ Βαβυλῶνος ῥέοντα, καὶ τὸν διὰ Σελευκείας, *Euphrates ſcinditur in eum, qui per Babylonem fluit; & illum, qui per Seleuciam.* Inter hos medium dedu cit, quem *Regium fluuium* adpellat. ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται Βασίλειος ποταμὸς. *qui medius inter hos duo eſt, dicitur fluuius Regius.* Hunc dicit longe inferius ad Apameam cum Tigri miſceri. Atque ita tripartitus fit Euphrates: ad quem modum fere Ammianus lib. XXIII cap. XXI *Perfluunt easdem terras & Marſes, & flumen regium, & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus nauigabilis per omnes eſt riuos, inſulasque circumfluens, & arua cultorum induſtria diligentius rigans, vomeri & gignendis arbuſtis habilia facit.* Sed ſi omnino partitio hæc & Marſen & Regium comprehendit, non videtur tamen eadem quæ Ptolemæi, niſi Regium Ammiani flumen idem dicas, quod Ptolemæus præter Seleuciam ad Tigrin deduxit. De quo nunc diſpiciendum eſt.

2. Varie illud denominatur flumen: Polybio lib. v cap. LI eſt *βασιλικὴ διῶρυξ, Regia foſſa:* Ptolemæo, vt vidimus, *βασίλειος ποταμὸς, Regium flumen:* Iſidoro Characeno in Stathmis Parth. Ναρμάχα, *Narmacha:* Zoſimo lib. III cap. XXIV Ναρμαλάχης, *Narmalaches:* Abydeno apud Euſeb. Præp. IX cap. XLI Ἀρμακάλης, *Armacales:* Plinio VI cap. XXVI *Armalchar:* Harduinus nullo codice adiutus *Naarmalcha* repoſuit. ſed verum nomen eſt נהר מלכא, quod bene in Ammiani codicibus expreſſum legitur *Naarmalcha,* (vide Lindenbrog. p. 286 & 299, licet priore loco Valeſiana cap. II libri XXIV littera exciderit) id eſt fluuius regis, aut ab rege factus. Omnivm enim conſenſione non fuit natiuus hic alueus, ſed regum curis atque opera effoſſus. Abydenus dicto loco: Ναβουχοδονόσορος τὸν Ἀρμακάλην ποταμὸν ἐξήγαγεν, ὄντα κέρας Εὐφρητέω, *Nabuchodonoſorus fluuium Armacalen* [Naarmalcha] *cornu* ſeu excurſum *Euphratis eduxit:* interpres Latinus, *alio deriuauit.* Antiquum opus, neque cum Ammiani hiſtoria, vt primo videtur intuitu, conciliandum facile. Ventum eſt, inquit lib. XXIV cap. XXI [Valeſ. cap. VI] *hinc ad foſſile flumen, Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum. Id antehac Traianus, poſteaque Seuerus, egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi ſtudio curauerat ſummo, vt aquis illuc ab Euphrate transfuſis naues ad Tigridem commigrarent.* Sed confudit Marcellinus, quæ bene diſtinxit Zoſimus lib. III cap. XXIV ἦλθον εἴς τινα διώρυχα μεγίστην, ἣν ἔλεγον οἱ τῇδε, παρὰ Τραϊανοῦ διωρύχθαι· εἰς ἣν ἐμβαλὼν ὁ Ναρμαλάχης ποταμὸς εἰς τὸν Τίγριν ἐκδίδωσι. *Ventum ad foſſam permagnam, quam accolæ a Traiano ductam dicebant: in quam Narmalaches incidens in Tigrim ſemet exonerat.* Quod vero ſecundum Ptolemæum

lib. v

lib. v cap. xviii Naarmalcha per ſe in Tigrim apud Apameam, quæ plus quam gradu latitudinis a Seleucia diſtat, effunditur, principes illi bello Parthico intenti, ſuperiori loco ex regio alueo ad Cteſiphontem venturi ſine ambagibus, videntur nouam foſſam prope Cochen & Cteſiphontem duxiſſe, qua poſtea Iulianus etiam repurgata vſus eſt, quum exercitum Tigrim flumen traiiceret: quod idem Zoſimus adnotauit.

3. Nunc quinam ſit vetus *Naarmalca* ſiue Regius ille fluuius, diſquirendum eſt. Quæ Ptolemæus de alueo medio inter Seleucienſem & Babylonium, & de exitu eius apud Apameam, tradidit, ſupra cognouimus: initium non aperuit, habeatne ex dextro an ſiniſtro alueo. Puto ex dextro, & ſupra Babylonem deriuatum eſſe, vt impetus fluminis frangeretur, quod vrbem illam perluebat. Sunt vero etiam qui ſiniſteriorem illum amnem, per Seleuciam in Tigrim exeuntem, Naarmalcha vocant. Plinius lib. vi cap. xxvi *Sunt qui tradunt, Euphratem Gobaris præfecti opere diductum, vbi eum diximus findi, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret: ab Aſſyriis vero vniuerſis adpellatum Armalchar* [Naarmalcha] *quod ſignificat regium flumen.* Quum ait, *vbi diximus eum findi*, reſpicit verba lib. v cap. xxvi *Scinditur Euphrates circa vicum Maſſicen*, cetera. Et Ammianus lib. xxiv cap. ii [Grut. v] *Hinc pars fluminis ſcinditur largis aquarum agminibus, ducens ad tractus Babylonios interiores, vſui agris futura, & ciuitatibus circumiectis: alia Naarmalcha nomine, quod fluuius regum interpretatur, Cteſiphonta prætermeat.* Seleuciam credo in animo habuit, quum Cteſiphonta ſcriberet, trans Tigrim ſitam, quam hæc Euphratis pars minime permeare poteſt: vtique autem vel adluit vel permeat Seleuciam. Nec Polybii βασιλικὴ διώρυξ *Foſſa regia* videtur alia eſſe. nam Antiochus profectus Niſibi & Liba per ripam Tigris ducturus erat exercitum in Babyloniam, quod Zeuxis diſſuadet, quia poſt longum iter venturi ſint πρὸς τὴν βασιλικὴν διώρυχα καλουμένην, *ad Regiam foſſam quæ vocatur*, quam ſi hoſtes occupaſſent, nulla ratione poſſe traiici. Hoc ergo primum impedimentum itineri, & primus alueus Euphratis fuiſſet ſuperandus regi, ſi in Tigris ripa ab aquilone in meridiem proficiſceretur.

4. Num igitur duo amnes ſunt Regii in Babylonia? Plures ex Euphrate foſſas ab regibus ductas, fuiſſe non dubitamus: vnam autem præcipue *Naarmalcha*, flumen regis adpellatam eſſe ſcriptores videntur conſentire. Nihilominus Ammianus Marcellinus, ſi recte inſpicitur, bis Iulianum Naarmalcha diuerſis locis & temporibus traieciſſe lib. xxiv refert. nam cap. v [Valeſ. ii] dicit, ad Macepracta Euphratem ſcindi: partem ad tractus Babylonios interiores ferri; aliam, Naarmalcha nomine, Cteſiphonta [Seleuciam] prætermeare. hanc peditatum pontibus, equites cum iumentis natando traieciſſe. Et cap. xxi [Val. vi] multo interea itinere confecto, & aliquot expugnatis oppidis, *Ventum eſt*, inquit, *hinc ad foſſile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum.* Siue itaque hæc foſſa ita vocata fuit, ſiue, quod ex Zoſimo ſuppleri poſſe ſupra oſtendimus, qui in illam deriuabatur fluuius; alius tamen a priore

Naarmalcha eſt: niſi quis exiſtimet, ex Seleucienſi flumine hanc foſſam factam eſſe nauigabilem. Reclamat Ptolemæus, quem plures ſequuntur recentiores: & ex medio æuo Nubienſis Geographus reclamat, qui præter alueum, qui in Tigrim e regione Bagdad exit, quatuor alios, quorum extremus ad orientem, *Tſartſar* dictus, ignotus eſt veteribus: ab hoc proximus, *Almelic*, qui noſter eſt Regius: tertius ad Suram tendit; quartus ad Kupham, oppida a Tudelenſi Iudæo etiam deſcripta. Quod plenius, quem ſæpe laudauimus Bochartus enarrat, qui & ipſe hoc loco Ptolemæum & Nubienſem ſequutus eſt. Nec Tabula Ptolemæo adiecta, quamlibet antiqua, æſtum hunc nobis explicare poteſt, quæ pro duobus flumen vnum habet, quod Babylonem tranſit, idque Regium vocat, nullo alio inter hoc & Tigrim interlabente: quod contra Ptolemæi deſcriptionem eſt. Adeo incerta ſunt quæ de alueis & foſſis Euphratis ab antiquis ſcriptoribus ſunt tradita: ſicut nec hodie qui eius flexus ſint, quæ ſciſſiones, accuratius eſt notatum.

5. Ex his alueis eſt etiam qui *Chobar*, Ebraice כבר *Chebâr*, ab Ezechiele vocatur. Hieronymus in Ezech. I dubius eſt, proprium an commune nomen ſit, vt *validum* & *magnum* flumen ſignificet, Euphratem vel Tigrim: verum certius omnino eſt proprium eſſe, quia quater eodem modo repetitur Ezech. I verſ. 2 & 3: cap. III, 15, 23: & Græcus χοβὰρ ſcripſit: Latinus vetus *Chobar*. Et probabile eſt, & interpretum conſenſu plurimorum comprobatum, nomen a Gobare præfecto accepiſſe, quem Plinius memorat lib. VI cap. XXVI. *Sunt qui tradunt*, inquit, *Euphratem Gobaris præfecti opere diductum, vbi eum diximus findi; ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret: ab Aſſyriis vero vniuerſis adpellatum Armalchar* [Naarmalcha] *quod ſignificat regium flumen.* Num vero illud flumen ſit, quo Plinius referre videtur, quod ad vrbem Seleuciam feratur; an quod Ptolemæus Regium adpellauit; an aliud propinquum Babyloni, non poteſt certo definiri.

6. Tabula Ptolemæo adiecta, quæ quarta Aſiæ eſt, ſiue ab Agathodæmone ſiue alio vetere auctore eſt, ab occidente Babyloniæ flumen habet, quod P. Bertii editione *Maarſares* vocatur: vulgo *Baarſares.* quæ vocabula cum hoc diſcrimine petita ſunt ex Ptolemæi lib. V cap. XX, vbi Pal. codice Μααρσάρης legitur: vulgatis Βααρσάρης. Illuſtris Huetius de Paradiſo *Naharſares* legit, vt ſit flumen præfecti Sares, ſicut aliud eſt Nahar Chobar ſiue Gobari. Docta coniectura: quamquam & Ammianus lib. XXIII cap. XXI [Valeſ. VI] M tuetur *Marſes* in MSS legens, in vulgatis *Marſias*, quem eumdem & Maarſarem Ptolemæi eſſe doctiſſimorum hominum, Valeſiorum & Bocharti eſt ſententia; hic & *Narragam* Plinii lib. VI cap. XXVI, & Ακράκανον, *Acracanum* Abydeni apud Euſeb. Præp. IX cap. XLI eumdem Maarſarem putat, licet diuerſa ſint vocabula: in quibus poſtrema tamen conciliat, quaſi vtrumque ab אגם ſit, & flumen *ſtagni* ſignificet. Sint hæc ita: ſi modo de ipſo Ptolemæo conſtaret certius. a quo tamen & ductus fluminis & nomen cenſetur eſſe. Διαῤῥέουσι, inquit, τὴν

χώραν

χώραν ὅ τε Βασίλειος ποταμὸς καὶ ὁ διὰ τῆς Βαβυλῶνος ῥέων, καὶ ὁ καλούμενος Μααρσάρης, ὃς τῷ μὲν Εὐφράτῃ συμβάλλει, *Perfluunt regionem Baſilius ſeu Regius amnis: & qui per Babylonem labitur: & qui vocatur Maarſares, qui Euphrati miſcetur.* Qui deductus eſt ex Euphrate, qui poteſt συμβάλλειν, *exonerare ſe* in eumdem? Sed ſalua res, ſi numeros συμβολῆς, quos addit, longitudinis 79, latitudinis 34 graduum & partis tertiæ, attendimus, qui ducunt nos infra Vologeſiam, vbi Maarſares Euphrati non integro, ſed qui Babylonem perluerat, & natiuus eſt ac κατ' ἐξοχὴν Euphrates dicitur, ſe infundit: quod etiam in veteri tabula ſic expreſſum eſt. cuius auctor in cetero errauit, Regium fluuium & qui Babylonem perfluit, eumdem conſtituens, quaſi καὶ non legerit, quæ vocula in omnibus libris eſt, & diuerſitatem fluuiorum arguit. Nec cum Bertio conſentire poſſumus, qui de medio Ptolemæi fluuio cenſet *rectius* ex Pal. cod. legi διὰ τῆς Βαβυλωνίας, *per Babyloniam*, quum omnes tres per regionem Babyloniam decurrant, & vulgatam lectionem διὰ τῆς Βαβυλῶνος, *per Babylonem* & ipſe Ptolemæus cap. XVIII in Græco [nam aberrauit interpres;] & Plinius lib. V cap. XXVI confirment. Vnum addo, quod dubitationem adferre poſſit. Prima Euphratis ſciſſio ſecundum Plinium eſt, qua alueus ad Seleuciam deducitur. At Ptolemæi Maarſares multo prius & citerius deriuatur, qui ſi *Narraga* eſt, vt Bochartus cenſebat, non ignotus Plinio fuit: niſi forſan maiores tantum nobilioresque alueos, quum ſcindi Euphratem dixit, enarrauit.

7. Supereſt *Pallacopa*, ὁ Παλλακόπας ποταμὸς, vt Arrianus lib. VII Exped. Alex. vocat, διῶρυξ ἐκ Εὐφράτου, *ex Euphrate deducta foſſa*, non integro, ſed qui per Babylonem meauerat. octingentis enim ſtadiis a Babylone incipit: & Alexander per Euphratem ex Babylone deuectus eſt in Pallacopam amnem, & per illum in paludes, quæ Arabiam attingunt. Os, quo effluit ex Euphrate, propter terram mollem patentius factum, quam vt vtile ſitienti Chaldææ eſſet: ideoque Alexander fortiter obturauit, & triginta ab eo ſtadiis in petroſa terra nouum os aperuit, quod non aquæ plus emitteret, quam vt ne damnum Chaldæa regio caperet. Hæc Arrianus, & plura alia. Eadem ex Ariſtobulo Strabo lib. XVI pag. 510, *Alexandrum foſſas inſpexiſſe, & ora quædam obſtruxiſſe, non nulla aperuiſſe.* μίαν δὲ διώρυχα συντείνουσαν ἐπὶ τὰ ἕλη καὶ τὰς λίμνας τὰς πρὸ τῆς Ἀραβίας δυσμεταχείριστον ἔχουσαν τὸ στόμα, *vnam vero foſſam obſeruaſſe, quæ ad paludes & lacus, qui ſunt Arabiam verſus, tenderet, habentem os intractabile & obſtructu difficillimum propter humi mollitiem; ideo aliud os petroſo loco, XXX a priore ſtadiis aperuiſſe: ne omnis aqua in Arabiam efflueret*, ac expeditioni, quam animo agitabat, impedimento eſſet. Hiſce Pallacopam deſignari, quamuis nomine abſtinetur, nemo non intelligit. Appianus autem ſub finem lib. II de Ciuili B. nominat quidem, ſed corrupte, *Pallacottam*, de Alexandro, cum quo Cæſarem comparat, dicens: πλέων κατὰ τὸν Εὐφράτην ἐπὶ τὸν ποταμὸν Παλλακότταν, ὃς τὸν Εὐφράτην ὑπολαμβάνων ἐς ἕλη καὶ λίμνας ἐκφέρει, *ſecundo Euphrate nauigauit ad Pallacottam fluuium,*

qui

qui Euphratem excipiens in paludes & lacus deuehit. Rationem addit, *ne totam Aſſyriam* [Chaldæam] *inundet.* Plura de his V. Cl. Iac. Gronovius ſingulari libro, & ad Arrianum Diſſertatione.

8. Hæ itaque foſſæ & deriuationes ſunt illa נהרות בבל *flumina Babylonis*, in quorum ripis captiui Iudæi vt ſedeant, futurum vates Pſalmo CXXXVII prædixit: etiam organa ſua ſuſpenſuros eſſe in ſalicibus, quibus conſitæ illæ ripæ erant. Ideo נחל הערבים *flumen* vel vallis *ſalicum* Eſa. XV, 7, R. Salomone interprete eſt ארץ בבל *terra Babylonia*, in quam propheta opulentiam Moabitarum dicit deportatum iri.

V.

Satis de fluminibus & foſſis, quantum de illis reperire licuit: nunc de vrbibus oppidisque Babyloniæ dicendum eſt. Caput regionis *Babylon*, vrbs omnium antiquiſſima, Ebræis *Babel*, a qua regio dicitur *Babylonia.* Plinius lib. V cap. XXVI *Euphrates dexteriore alueo Babylonem, quondam Chaldææ caput, petit, mediamque permeans diſtrahitur in paludes.* Et lib. VII cap. XXVI *Babylon, Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyriæque Babylonia adpellata eſt, ſexaginta millia paſſuum amplexa, muris ducenos pedes altis, quinquagenis latis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quam noſtra; interfluo Euphrate, mirabili opere vtroque.* Mira hæc amplitudo LX M. P. quam vero Diodorus Siculus lib. II cap. VII ex Clitarcho ad CCCLXV ſtadia, hoc eſt, fere ad XLV. M. P. reduxit. Nihilominus Herodotus lib. I cap. CLXXVIII forma τετράγωνον, *quadratam* dixit, cuius quodlibet latus CXX ſtadia contineat, totus ambitus CCCCLXXX. quæ ipſa ſunt LX Plinii millia. Curtius fere cum Diodoro conſentit, ſtadia ponens CCCLXVIII: Strabo autem lib. XVI mœnium circuitum CCCLXXXV ſtadiorum conſtituit: latitudinem tantam, ὡς τέθριππα ἐναντιοδρομεῖν ἀλλήλοις ῥαδίως, *vt quadrigæ occurrentes facile ſe transmittant.* Non autem totum hoc habitatum fuit ſpatium, ſed ædificiis interiecti agri atque horti erant, & per XC tantum ſtadia, ſi Curtio fides eſt, habitationes. Cetera ornamenta, hortus penſilis, κρεμαστὸς κῆπος Diodoro & Straboni; κρεμαστὸς παράδεισος Ioſepho I adu. Apion. pag. 1045, & templum Beli, crepidines Euphratis, & alia miranda opera ab variis laudantur: in auctore deſignando diſſentitur: quamquam id non geographi, ſed hiſtorici munus eſt definire. Plures Semiramidi fabuloſæ tribuunt; ſed condita vrbs a Nimrodo, a Belo aucta, a Nabuchodonoſoro ornamenta præcipua & maxima ſunt addita, vt Abydenus apud Euſebium IX Præpar. cap. XLI, & Ioſephus dicto loco tradiderunt: * molem tamen ἀξιοθέητον, id eſt *ſpectabilem*, Euphrati coercendo a Semiramide, ſed alia & poſteriore, conſtructam eſſe, Herodotus refert lib. I cap. CLXXXIV. Nec fata vrbis tacenda ſunt, quæ leuiora paſſa fuit ſub Perſis Dario & filio Xerxe: ille enim τὸ τεῖχος περιεῖλε, *mœnibus detraxit*, vt Herodotus refert lib. III cap.

* Et Oroſius II hiſtor. cap. 6 pag. 77.

cap. CLIX; hic, vt Strabo memorat, κατέσπασε τὸν τοῦ Βήλου τάφον, *Beli ſepulcrum*, mirabile opus, *euertit:* grauiora paſſa ſub Macedonibus, exhauſta fere ab illorum Seleucia ad Tigrim condita, vti ex Plinio ſupra vidimus; adeo vt Strabonis ætate ἔρημος ἡ πολλή, *maiorem partem deſerta* eſſet; aut, vt Diodorus æqualis de ſuis temporibus tradit lib. II cap. IX, βραχύ τι μέρος, *exigua pars eius* habitaretur. Pauſanias autem Arcad. cap. XXXIII ſub Antoninis ſcripſit, Βαβυλῶνος οὐδὲν ἔτι ἦν εἰ μὴ τεῖχος, *Babylon iam nihil præter muros habet reliquum.*

VI.

Ptolemæus, lib. V extremo, in Babylonia ad Euphratem alia oppida, alia ad Tigrim fluuium: in vtroque genere & notiora ſunt & obſcura. Illorum præter metropolim Babylona, de qua diximus, ad Euphratem fuit *Volgeſia*, Οὐολγεσία, pro *Vologeſia*, quia conditoris nomen Vologeſes ſive Vologeſus, qui rex Parthorum Neronis & Veſpaſiani temporibus fuit, cuius multa apud Tacitum exſtat mentio. Hunc enim auctorem vrbis eſſe, non ſecundum aut tertium eius nominis, ex Plinii lib. V cap. XXVI certum eſt. *Nuper*, inquit, *Vologeſus rex aliud oppidum Vologeſocertam in vicino condidit.* Vologeſocerta, quaſi Vologeſopolis, quia קריתא orientalibus *vrbs* eſt. Stephano eſt Βολογεσιάς, *Vologeſias.* Βολογεσιάς πόλις πρὸς τῷ Εὐφράτῃ, ἐν Βολογέσου ᾠκισμένη, *Vologeſias vrbs eſt ad Euphratem a Vologeſo rege condita.* Ammianus lib. XXIII cap. XX [Valeſ. p. 371] *Vologeſſia* ſcripſit. In Tabula Peutingeriana eſt *Voloceſia* prauate. Sic & regis & vrbis nomen variat; vtrumque forſan corrigendum ex nummo, quem vir illuſtris Ezech. Spanhemius pag. 86 laudauit, inſcripto ΒΟΛΑΓΑCΟΥ, *Bolagaſi.* Situm vrbis Ptolemæus ita ſignauit, vt a Babylone in auſtrum recedat, & ſimul in occidentem declinet ad Maarſarem fluuium, cui in tabula Ptolemaica adponitur: in Peutingeriana XVIII millibus diſtat a Babylone.

VII.

Abhinc in ortum hibernum proxima eſt Ptolemæi *Barſita*, Βάρσιτα, quæ eruditis *Borſippa* Strabonis lib. XVI pag. 509 videtur eſſe, quam ait Dianæ & Apollini ſacram, vbi maximum linificium ſit: ſedem ſectæ cuiusdam Chaldæorum, quos inde *Borſippenos* adpellent, diſtinctos ab Orchenis. Putares hinc Borſippam longius a Babylone remotam, in meridiano tractu, vbi Chaldæa propria fuit, poſitam fuiſſe: niſi Ioſephus contra Apionem pag. 1045 fortaſſe propinquiorem Babyloni fuiſſe ex eo adprobauerit, quod Nabonnedus a Cyro victus cum paucis fugiens συνεκλείσθη εἰς τὴν Βορσιππηνῶν πόλιν, *Borſippenorum vrbe incluſus fuerit*, &, capta Babylone, Cyrus mouiſſet ἐπὶ Βόρσιππον, ἐκπολιορκήσων τὸν Ναβόννηδον, *ad Borſippum, vt Nabonnedum expugnaret.* Huic Βόρσιππος, *Borſippus* nomen vrbis eſt: Straboni τὰ Βόρσιππα, *Borſippa*, quod Latine femineam formam induit, vt alia Strabonis neutro plurali enuntiata. Etſi vero minus certum eſt, Borſippa Strabonis eſſe Ptolemæi Barſita: quod tamen non improbabile id eſt, & alioquin incertus locus eſt Borſippenſium oppidi;

coniungere hoc loco viſum fuit, quam in Babylonia fuiſſe minime eſt dubitandum.

2. Nec Barſita Ptolemæi modo videtur multis *Borſippa* Strabonis eſſe, ſed Harduino etiam Plinii *Hipparenum* idem ac Borſippa. Lib. VI cap. XXVI de illo ita: *Sunt etiamnum in Meſopotamia* [laxe ſumta, vt Babyloniam includit] *oppida: Hipparenum, Chaldæorum doctrina & hoc, ſicut Babylonii, iuxta fluuium Narragam, qui dedit ciuitati* [alii forſan, fluminis cognomini] *nomen. Muros Hipparenorum Perſæ diruêre.* Si Narraga, vt Bochartus cenſet, eſt Ptolemæi Maarſares, Hipparenorum oppidum poſſet Borſippa eſſe: quod vero demonſtrari certa ratione non poteſt.

VIII.

Cetera ad Euphratem obſcuriora ſunt: *Idicara*, prope Arabiam Deſertam: deinde Volgeſiam & Barſitam verſus *Duraba:* e regione Volgeſiæ, pari latitudine *Thaccona:* ſupra Babylonem in boream, prope Sippharam *Thelbencane:* infra Barſitam *Bibla* ſiue *Bilba:* & vbi maxime in meridiem Euphrates delabitur *Didugua*, in Palatino *Digua*, quod propius cum Plinii *Digbam* lib. VI cap. XXVI extremo conuenit: idque & Ptolemæi Digua idem plane oppidum doctiſſimo Harduino videtur eſſe: de quo vero dubitare nobis liceat. Plinius ait, *Eſt etiamnum oppidum Meſopotamiæ in ripa Tigris circa confluentes, quod vocant Digbam.* Si circa confluentes & in Tigris ripa, non poteſt Ptolemæi Digua eſſe, quæ longius ab illa ripa abeſt. Meſopotamiæ autem nomine nihil mouemur, quod longius in auſtrum quosdam deducere ſupra demonſtrauimus. Diguæ vel Diduguæ Ptolemæi ab occaſu vicina erat, extra ripam tamen *Beana* ſiue Βεῶνα, *Beona*, vti in codice Palatino eſt.

IX.

Iuxta Tigrim Ptolemæus vsque ad Apameam prorogauit Meſopotamiam: nos a primo confluente circa Seleuciam ad alterum, qui ad Apameam eſt, hoc latus propriæ Babyloniæ definimus. Confuſa hoc loco & mutilata eſt Ptolemæo adiecta tabula, quæ Regium flumen per Babylonem ducit, quem poſtea Maarſare adfuſo auctum vocat Euphratem, eique adpoſita habet oppida *Biblam* & *Didugua*, quæ lib. V extremo παρὰ τῦ Τίγριδος μέρος, *ad Tigris partem* Ptolemæus ſita dixit: & ad Apameam idem flumen in Tigrim immittit. Sed inde turbatio omnis eſt, quia auctor tabulæ fluuium Regium cum perlabente Babylonem, quos ipſe ſeparat Ptolemæus, vt ſupra monſtrauimus, confudit, & Tigridis citeriorem alueum neglexit.

X.

Turbatior res circa *Tigris fisſionem*, & incluſam *Meſenen* inſulam eſt: de qua Stephanus in ὄραθα dixit: ὄραθα πόλις τῆς ἐν Τίγρητι Μεσήνης. *Oratha oppidum eſt Meſenes, quæ in Tigri fluuio eſt.* Non ergo *Meſene* eſt Meſopotamia, quia hæc inter Tigrim & Euphratem, Meſene autem in Tigri, ſeu vtroque latere alueis Tigridis concluſa. Nihilominus in Μεσσήνη, Stephanus, quaſi immemor ſui, dixit, καὶ χώρα Περσίδος Μεσήνη δὶ

εἰὲς

ἑνὸς Σ, ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτȣ καὶ Τίγριδος μεσαζομένη, *Et Meſene, ſimplici S, Perſici regni regio, media inter duo flumina Euphratem & Tigrim:* quod, ſi ex vſu ſcriptorum examines, falſum eſt: quia hæc Meſopotamia dicitur, non Meſene; & ab ipſo Stephano μέση τῶν ποταμῶν. *Oratha* Stephani, quam ex Arriani Parthicis adfert, ceteris ignota eſt: Plinius autem & Ammianus *Apamiam Meſenes* laudant, ex qua de ſitu inſulæ iudicandum eſt: ille lib. VI cap. XXVII *Tigris circa Apamiam Meſenes in alueos duos diuiſus:* hic lib. XXIII cap. XX [Valeſ. p. 371] *In omni Aſſyria multæ ſunt vrbes, inter quas Apamia eminet Meſene cognominata, & Teredon, & Apollonia, & Vologesſia.* Vides Aſſyriæ nomen laxe ſumi, vt Babyloniæ etiam vrbem Vologesſiam, quæ ad occaſum & Arabiam recedit, complectatur.

2. Ptolemæus Apamiam ad Tigrim poſuit latitudine XXXIV graduum, X minutorum, & lib. V cap. XVIII tradit, ὑφ᾽ Ἀπάμειαν ἡ τȣ̃ Βασιλέως ποταμȣ̃ πρὸς τὴν Τίγριν συμβολή, *ſub Apamia miſcetur Regius fluuius cum Tigri.* Regius autem fluuius cum Babylonio Euphrate non toto, ſed ex parte, antequam in Tigrin exit, miſcetur, & quod probabile, circa idem oſtium etiam diuiſus Tigris commeat, nec poteſt alibi ſecundum Ptolemæi diſpoſitionem. Plinius autem in diuerſa it, & Apamiam ac Tigris ſciſſionem longe ſupra Seleuciam poſuit. Modo excerpta eius verba cognouimus: nunc integra proferemus. *Tigris*, inquit, *ex Armenia, acceptis fluminibus claris Parthenia ac Nicephorione, Arabas Oreos Adiabenosque diſterminans, & quam diximus Meſopotamiam faciens, luſtratis montibus Gordyæorum, circa Apamiam Meſenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam* CXXV *mill. paſſuum diuiſus in alueos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit, Meſenen perfundens; altero ad ſeptemtrionem flexus, eiusdem gentis tergo campos Cauchas ſecat. Vbi remeauere aquæ, Paſitigris adpellatur.* Omnia Ptolemæo contraria, cui Apamea integro gradu & ſextante eſt infra Seleuciam; Plinio autem ſuperior adeo, vt circa Apamiam findatur Tigris, & inde alueus meridiem ac Seleuciam petat; quæ inter ſe conciliari non poſſunt: neque intelligo, qui alter alueus in ſeptemtrionem feratur, neque, qui ſint *Cauchæ campi*, notum eſt, quos Harduinus quidem a Coche, de qua poſt dicturi ſumus, nominatos putat, Coche vero prope Seleuciam ad Tigrim illum ſita fuit, qui Seleuciam prætermeat: Plinius autem Cauchas campos dicit alueo diuerſo ab illo, qui Seleuciam ferebatur, ſecari.

3. Quæ quod ſatis conturbata mihi videntur, malo Ptolemæi rationes, qui fixam ſedem Apamiæ adſignat, & ſub ea confluentes habet, quam Plinianas ſequi: & Meſenen inde a Seleucia ad Apamiam, aut paullo vltra, definio, vt ſub Apamia pars Tigris dextera & ſimul Regius amnis in Tigrim maiorem exeant. Ptolemæus quidem non nominauit *Meſenen;* quod vero Apamia in Meſene fuit, & ipſe ad Seleuciam Euphratis confluentem habet, & alium proxime infra Apamiam ex eodem Euphrate; non poteſt eſſe, quin intercepto ſpatio Meſene ſit, & prope Seleuciam

Tigris ſcindatur, ac ad Apamiam, vel ſub ea, in vnum alueum coeat; quamuis Tabulam Ptolemæo ſuperadditam hic mutilatam eſſe, illum alveum, qui Meſenen ab occaſu claudit, non habere deſignatum, ſupra aliquoties prædictum eſt.

4. Eſt & alia *Meſene* regio inter oſtia Tigris fluminis, a Philoſtorgio III cap. VII ſic deſcripta, vt Tigris τοῖς ἐσχάτοις ςόμασιν ἀλλήλων διειργομένοις, *extremis oſtiis longe a ſe inuicem disiunctis* faciat νῆσον ποταμίαν τε ἅμα καὶ θαλαττίαν, ἣν ἔθνος ἐνοικεῖ τῶν Μεσηνῶν ἐπικαλέμενον, *inſulam fluuialem ſimul & maritimam, quam gens incolit, quæ Meſenorum nomen fert:* de qua infra dicendi locus erit. Iam diſtinctionis cauſſa mentionem feci, miratus eruditos viros Iac. Gothofredum & Io. Harduinum, quibus eadem eſt Meſene Plinii & Philoſtorgii, quum tamen ad oſtia Tigris nulla Apamia ſit, ex qua de veriore celebrioreque Meſene iudicetur. Vide, horum ad Plinium & Philoſtorgium Adnotationes.

5. Sed ad priorem *Meſenen* reuertimur, de qua etiam in Ἀπάμεια chorographus Stephanus: ἔςι καὶ ἄλλη ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ, τῷ Τίγρητι περιεχομένη, ἐν ᾗ σχίζεται ὁ Τίγρης ποταμὸς καὶ ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ μοίρᾳ περιέρχεται ποταμὸς Δέλας, ἐν δὲ τῇ ἀριςερᾷ Τίγρης ὁμωνύμως τῷ μεγάλῳ. *Eſt & alia* [Apamea] *in Meſenorum regione, Tigride cincta, in qua* [regione] *Tigris finditur: dextram partem fluuius Delas, ſiniſtram Tigris, quæ cum maiore eiusdem nominis eſt, circumfluit.* Hic citerioris aluei nomen *Delas* eſt, quod Salmaſius Exerc. Plin. pag. 492 in MSS. Σέλλας, *Sellas* legi perhibet, eumdemque putat *Sillam* Iſidori Characeni eſſe. At Iſidorus pag. 5 hunc Sillam non Babyloniæ, vbi Delas eſt, ſed Apolloniatidis, Transtigritanæ prouinciæ dicit flumen eſſe, quod Græcam vrbem Artemitam, XV ſchœnis a Seleucia in ortum diſtantem, perluat. *Delas* autem Stephani eſt dexter alueus ſciſſi Tigris, ſeu occidentalis, Babyloniam permeans, longe remotus a Silla, qui trans Tigrim eſt. Deinde incolas regionis ſeu inſulæ *Meſenios* dictos, ex Stephani verbis clarum eſt: quod nomen Valeſius ad Ammianum lib. XXIV cap. III non ſolum Prologo Trogi Pompeii XLII, vbi *Meſſenis bellum intulit*, eſt editum; verum etiam Eutropio lib. VIII cap. II ex MSS. & metaphraſi Græca vindicatum it, vbi Vinetus, Sylburgius, Schonouius *Edesſios* ediderunt.

XI.

Inter Seleuciam & Apamiam ad Tigrim fuit etiam *Teſcaphe* Ptolemæi, Τεσκάφη, quæ in Tabula *Scaphe*, demta ſyllaba ſcribitur; de qua vero nihil aliunde notum eſt. Prope Apamiam ſita eſt in ſeptemtriones. Nihil præterea Ptolemæus habet, quod ad Meſenen hanc referri poſſit.

XII.

Aliorum notior eſt *Coche*, ſupra Teſcaphen ad Tigrim ſita, quam Ammianus lib. XXIV cap. XVIII in vulgatis ipſam dixit Seleuciam eſſe, prius Cochen adpellatam, quam Seleucus Nicator amplificaret. Sed Gelenii illa coniectura eſt, libris manu ſcriptis mire diſſentientibus; & vel ideo

ideo ſuſpecta, quia idem Ammianus poſt aliquot itinera cap. XXI ad Cochen demum peruentum ſcribit. *Hac valle,* inquit, *purgata* [id eſt Traiani foſſa] *auulſis cataractis vndarum multitudine claſſis ſecura ſtadiis* XXX *repulſa, in alueum eiecta eſt Tigridis : & contectis illico pontibus exercitus, iter Cochen verſus promouit.* Et Arrianus quoque in Parthicis apud Stephanum in Χωχὴ diſtinxit, *καὶ βασιλεὺς ἐξελάυνει ἐκ Σελευκείας οὐ πρόσω τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τίγριδος ἐς κώμην, ᾗ τινι Χωχὴ ὄνομα, Et rex mouit ex Seleucia, haud longe a fluuio Tigri, in vicum, cui nomen eſt Coche.* Ita autem vicus fuit, vt munitiones etiam acceſſerint poſtea : ideoque Φρούριον *munimentum* ſeu *caſtrum* dictum ab aliis. Nazianzenus, qui ſimul ſitum demonſtrat, Oratione IV [quæ Inuectiua II in Iulianum eſt] pag. 115, vbi de Cteſiphonte egit, eiusque munitionibus, ſubdit: *ποιεῖ δὲ αὐτὴν ἰσχυροτέραν καὶ Φρούριον ἕτερον, ᾧ προσηγορία Κωχὴ, μετὰ τῆς ἀσφαλείας συγκείμενον, ὅση τε φυσικὴ καὶ ὅση χειροποίητος, τοσοῦτον ἑνούμενον, ὡς μίαν πόλιν δοκεῖν ἀμφοτέρας, τῷ ποταμῷ μέσῳ διειργομένας ταύτας. Hanc* [Cteſiphontem] *caſtrum aliud, quod Coche vocatur, firmiorem facit, natura & arte ita munitum, adeoque coniunctum, vt ambo vrbs vna videantur eſſe, quippe fluminis tantum intercurſu dirimuntur.* Quod ſi verum eſt, quod Plinius lib. VI cap. XXVI tradit, Cteſiphontem a Seleucia tertio tantum lapide abeſſe, certa etiam Coches ſedes cis amnem definita eſt. Eutropius Cochen *vrbem* dixit lib. IX cap. XII in Caro imperatore. *Cochen,* inquit, *& Cteſiphontem, vrbes nobiliſſimas cepit.* Nec obeſt, *κώμην, vicum* ab aliis dictam: quia & Cteſiphon Straboni *κώμη* eſt, ſed tantæ amplitudinis, vt vrbem quamuis exæquet, & omnem aulam Parthorum recipiat. Vide lib. XVI pag. 512.

XIII.

Fuerunt præterea alia Babyloniæ citra Tigrim oppida, de quorum ſitu autem non ſatis proditum eſt memoriæ. Ex his *Piriſabora* Ammiani eſt lib. XXIV cap. VI [Valeſ. II] poſt Macepractam, vbi finditur Euphrates: & traiecto Naharmalcha amne, *ad ciuitatem,* inquit, *Piriſaboram ventum eſt, amplam & populoſam, ambitu inſulari circumuallatam.* Nomen refert, poſteriori parte, *τοῦ τότε βασιλεύοντος, regis tum imperantis,* vt Libanius ait Orat. funeb. pag. 315, quem Græci Σαβώρην, Latini *Saporem* nominant, quocum Conſtantius & Iulianus bella geſſerunt: qui ſi auctor eſt vrbis, non cadit in noſtram, ſed medii æui geographiam : ſin primus Sapores, qui Valerianum imperatorem cepit, vtique ad noſtrum inſtitutum referri poteſt. Libanius tantum dixit, *ἦν τοῦ τότε βασιλεύοντος ἐπώνυμος, erat ei, qui tunc regnabat, cognominis,* non autem ab eodem conditam eſſe. Plura de hac vrbe Zoſimus lib. III cap. XVII, cui Βηρσαβῶρα adpellata eſt.

XIV.

Ab hac vrbe Iulianus prope locum venit, vt Ammianus refert, *vbi pars maior Euphratis in riuos diuiditur multifidos : in quo tractu ciuitas, ob muros humiles ab incolis Iudæis deſerta, iratorum manu militum conflagrauit.* Non additum ciuitatis nomen: Iudæi autem multarum frequentiam

& ſynagogas laudant, in quibus ſunt *Sura* & *Pombeditha* : ſed adeo diuerſe ab eruditis collocatæ, vt nihil certi definiri poſſit. Duos, ſed clariſſimos, in præſentia nominaſſe ſufficiat. Samuel Bochartus Suram adpoſuit flumini, quod Babylonem perluit, ſed ſupra Babylonem: Salomo van Til ad citimum, quem deriuat, Euphratis alueum, ante Naharſarem, & Vologeſiam: cui etiam Naardam adponit, quam cum Ptolemæo ſupra & Bocharto in Meſopotamia poſuimus. Idem Tilius Pombeditha in Arabica Euphratis ripa citra Saocoræ confluentes ponit, quam alii in Babylonia omnes cenſent. Beniamin Tudelenſis a Bagdad, quæ ad Tigrim eſt, profectus in Babyloniam primum *Reſen* veterem venit, quam *Gebiagan* dicit adpellari: inde ad *Babylonis* ruinas: progreſſus hinc ad *Hilam*, &, poſt medii diei iter, *Napham:* inde ad flumen *Chobar*, & altero die ad flumen *Ligam:* deinde ad oppidum *Kupham:* hinc ſesquidiei ſpatio *Suriam:* hinc bidui itinere *Schephithiph in Nehardea:* tum vero ſesqui die *Pumbeditham*, ſitam in Euphratis ripa. Quod ſi certi eſſemus, ſecundum rectam lineam profectum ſemper eſſe, aut non longe ab illa declinaſſe; ex diſtantiis, quas ponit, de ſitu locorum quodammodo iudicari poſſet: ſed potuit eligere loca, quæ prius adiret, aut pro itinerum ac comitatus ratione, aliisque commoditatibus ordinem, quem via ferebat, interdum poſthabere, vt nec ex hoc auctore de locis Babyloniæ, ab Iudæorum gente frequentatis, ſatis certi poſſimus eſſe. Beniaminem vt videtur Tilius in Paradiſi tabula ſequutus eſt: alias rationes Bocharti vide in Phaleg lib. I cap. VIII. Et quæ de *Reſen* in hoc itinere Beniamin tradit, in Aſſyriam ille lib. IV cap. XXIII transponit.

XV.

Hæc occaſione oppidi Iudæorum, quod Ammianus memorauit: vnde Iulianus *Maogamalcham* venit, vt Valeſius ſcripſit; ſeu *Maiozamalcham*, vt Lindenbrogius; vrbem magnam & validis circumdatam mœnibus. Ortelio videtur *Bithra* Zoſimi eſſe lib. III cap. XIX, de quo eſt vero quod dubitemus. Nam Bithræ receptus imperator cum exercitu: ad Maogamalcham in pericula & inſidias incidit, quam operoſa tandem obſidione expugnauit. Inde ad euerſam a L. Vero vrbem, vt Ammianus refert, ventum; deinde ad foſſam Traiani, quam etiam Naarmalcha vocat, vnde iter Cochen verſus Iulianus imperator promouit, & ex eo exercitum nauibus traiecit Tigrim. Zoſimus autem iter Iuliani a Berſabora ad vrbem, quam non nominat, duxit, ad quam Perſæ inſidiis Romanos adorti ſunt: ideoque vrbs vi capta & exuſta. Forſan hæc Maogamalcha eſt, cuius alioqui nulla mentio apud Zoſimum eſſet: inde *Fiſſeniam* duxit prope flumen Regium ſita, vt pars aquarum in munitiones deriuata fuerit: dehinc acceſſum ad *Bithram*, a qua per palmarum lucum ad caſtellum, vbi periculo imperator expoſitus fuit; & proximum oppidum *Beſuchim* peruenit: a quo iter XC ſtadiorum Cteſiphontem fuit. Caſtello autem, quod iam proximum Beſuchi eſſe dictum fuit, Zoſimus lib. III cap. XXII expugnando tribuit, quæ vrbi Maogamalchæ Ammianus: per cuniculos dicit captum

captum eſſe, e quibus primi prodierint Superantius, Magnus, Iouianus, quos eodem ordine cum honorum inſignibus etiam Ammianus adpellavit. Sed maior fides Ammiani, qui rebus interfuit, quam Zoſimi, qui poſtea, aliena nixus relatione, hanc hiſtoriam compoſuit.

XVI.

Characenus quoque Iſidorus Stathmis Parthicis per Babyloniam decurrit, ab inſulis Euphratis interiora vsque Seleuciam emetiens, ad quam non per Meſopotamiam, ſed Euphrate & Regio amne, qui intus in Babylonia ſunt, transmiſſis, contendit. Ab Anatho inſula de qua diximus, in aliam cui nomen *Olabûs*, in qua gaza Parthorum fuit, ſchœnos habet XII: inde *Izanneſopolim*, ſchœnos XII: deinde Αἴπολιν, *Aipolim*, vbi bituminis fontes, ſchœnos XVI: inde *Beſachanam*, in qua fanum fuit Atargatis deæ, ſchœnos XII: deinde *Neapolim* iuxta Euphratem, ſchœnos XXII: inde transeuntibus *Euphratem* & *Narmalcham* ad *Seleuciam* Tigridi adpoſitam, ſchœnos IX. Sed ignotæ hæ vrbes ſunt, quarum poſteriores intra Babyloniæ fines propriæ fuiſſe non dubitamus: ideoque Iſidorus ſummam ſchœnorum a Zeugmate vsque Seleuciam connumerans, ἄχρι τούτου Μεσοποταμία καὶ Βαβυλωνία, *hucusque*, inquit, *Meſopotamia & Babylonia.*

SECTIO II.

CHALDAEA.

XVII.

Chaldæa Ptolemæo prouincia eſt Babyloniæ ad Arabiam vergens deſertam: cui duas obſcuriores opponit, *Auranitidem* Euphrati adiacentem, & *Amordociam*, cui *Strophæ* ſiue *Strophades* ſubiacere dicuntur. Sed, ſiue omnem Babyloniam ſiue partem ſignificat, raro admodum *Chaldæa*, regionis nomen, inuenitur, vt apud Hieronymum in Ezech. XVI, *ingredientes Chaldæam:* in ſacris frequens mentio *terræ Chaldæorum*, ארץ כשדים Eſai. XXIII, 13, Ierem. L, 1, quæ Act. Apoſt. VII, 4 eſt γῆ Χαλδαίων, etiam Græcis prophetarum interpretibus. Aliquando gentile cum adfixa locali littera pro nomine eſt, כשדימה *Chaldæos verſus* Ezech. XI, 24, XVI, 29, XXIII, 16, vbi Græci æque γῆ Χαλδαίων reddiderunt: Vulgatus cap. XI & XXIII *Chaldæa.* Sacris litteris eadem Chaldæa & Babylonia: quamquam ſi Chaldæorum gens & nomen a *Cheſed*, filio Nahoris ſunt, Geneſ. XXII, 22, vtique antiquiora nomina ſunt *terra Sinear*, *terra Babel.* Hieronymus autem, vt recentiores taceam, Quæſt. in Geneſ. ad cap. XXII confirmat originem nominis. *Chaſed*, inquit, *quartus eſt* [Nahoris filius] *a quo Chasdim, id eſt Chaldæi poſtea vocati ſunt.*

2. Quod vero Babylon vrbs maxima & caput orientis fuit, factum eſt, vt omnis circa eam regio vsque ad ſinum Perſicum & fines Arabiæ, *Babylonia* vocaretur, * & *Chaldæorum* nomen arti, id eſt philoſophiæ & aſtro-

* Immo etiam *Babylon.* Nam niſi regio intelligatur: inepta erit ſententia Diodori lib. XV pag. 365. Clariſſimus hanc in rem eſt locus Xenophontis de Expedit. Cyri libr. VII extrem.

aſtronomiæ relinqueretur. Nihilominus hi ipſi auctores, qui Chaldæorum vocabulum ad artem referunt, non negant etiam nationis nomen eſſe in Babylonia. Cicero lib. I de Diuinat. cap. I *Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, vt prædici poſſet, quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus eſſet.* Strabo, lib. XVI poſt initium, explicatius: ἀφώριστο ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται οἱ ἕτεροι. ἔστι δὲ καὶ φῦλόν τι τῶν Χαλδαίων, καὶ χώρα τῆς Βαβυλωνίας ὑπ᾽ ἐκείνων οἰκουμένη, πλησιάζουσα καὶ τοῖς Ἄραψι καὶ τῇ κατὰ Πέρσας λεγομένῃ θαλάττῃ. *Conſtituta eſt habitatio peculiaris in Babylonia philoſophis indigenis, plurimum aſtronomiam tractantibus, qui Chaldæi adpellantur. Sunt ex iis, qui e natalibus hominum euentura iis vaticinari ſe profiteantur: ſed a ceteris non probantur. Eſt & Chaldæorum natio, & Babyloniæ regio ab iis habitata, Arabibus & mari proxima, quod Perſicum adpellatur.* *

3. Ex hoc Strabonis loco fundamentum noſtræ diſtinctionis inter Babyloniam propriam, & Chaldæam quaſi propriam demonſtramus. Babylonia proprie regio circa Babylonem eſt, variis fluentis, ex Euphrate magno deriuatis interciſa. Quæ inde in auſtrum vergit & occaſum, Chaldæam adpellamus, quia Ptolemæo lib. V extr. παράκειται τῇ ἐρήμῳ Ἀραβίᾳ ἡ Χαλδαία χώρα, *Arabiæ Deſertæ Chaldæa regio adiacet.* At hanc Arabiam Babylonia propria ab occaſu ſpectat & meridie: & auctor tabulæ antiquæ Ptolemæo adiectæ *Chaldæam* in meridiano tractu reſpectu Babyloniæ conſtituit. Quod ipſum eſt, cuius iam rationes Strabone auctore cognouimus, τὸ φῦλον τῶν Χαλδαίων, *nationem Chaldæorum* habitare in Babylonia regione ita, vt Arabas & mare Perſicum contingat. Plinius quoque lib. VI cap. XXVII *lacus Chaldaicos* vocat, per quos Tigris, iam Euphrate auctus, & oſtiis ſuis propinquus in ſinum ſe Perſicum infundit. Hos paullo ante cap. XXIII dixerat *lacum, quem faciunt Eulæus & Tigris iuxta Characem.* Eo vsque *Chaldaicum* nomen, auctore Plinio, pertinuit.

XVIII.

In hoc, quem definiuimus, Chaldæorum tractu fuit *Opis*, Ὦπις, emporium ad Tigrin, ſed incertum, quo loco & ordine, reſpectu oppidorum a Ptolemæo memoratorum. Herodotus lib. I cap. CLXXXIX πόλιν, vrbem dicit; Strabo lib. XVI p. 509 κώμην, vicum. Addit, Perſas cataractis voluiſſe illam nauigationem ex mari ad Opin prohibere, Alexandrum autem omnes demolitum eſſe.

XIX.

Quæ autem a Ptolemæo ad Tigrim poſt Meſenes Apameam ponuntur,

* Trahi huc poſſe putem illud Æliani IV cap. 20 Ἧκεν οὖν καὶ πρὸς τοὺς Χαλδαίους καὶ εἰς Βαβυλῶνα, καὶ πρὸς τοὺς Μάγους καὶ τοὺς σοφιστὰς τῶν Ἰνδῶν, *Democritus venit & ad Chaldæos, & ad Babylonios, & ad Magos & Indorum ſapientes.* Nec audiendus Perizonius ad h. l. Porphyrius in Vit. Pythag. ſ. 6 τὰ μὲν τῶν μαθηματικῶν καλουμένων ἐπιστημῶν παρ᾽ Αἰγυπτίων τε καὶ Χαλδαίων καὶ Φοινίκων φασὶν ἐκμαθεῖν. *dicit cum mathematicas ſcientias ab Ægyptiis & Chaldæis & Phœnicibus didiciſſe.* Adde inſequentia.

tur, ſunt *Spunda*, vti Palatino legitur, aliis *Gunda* ſeu *Punda:* deinde *Batracharta:* poſt quam *Thalatha:* denique *Altha:* circa quam Tigris rurſum diuiditur in duos alueos, qui inſulam faciunt triangulam, cuius baſis eſt in ſinu Perſico. Philoſtorgius lib. III cap. VII de hac inſula: πρὶν ἤδ' ἐπὶ θάλατταν καταβαίνει, σχίζεται εἰς δύο μεγάλους ποταμούς, ἔπειτα δυσὶ τοῖς ἑκάτοις στόμασιν ἀλλήλων διειργομένοις, εἰς τὴν Περσικὴν θάλατταν ποιεῖται τὰς ἐκβολὰς, γῆν ἐν μέσῳ πλείστην περιτεμόμενος, καὶ νῆσον αὐτὴν ποιῶν ποταμίαν τε ἅμα καὶ θαλαττίαν, ἣν ἔθνος ἐνοικεῖ τῶν Μεσηνῶν ἐπικαλούμενον. *Priusquam* [Tigris] *in mare ſeſe effundit, ſcinditur in duo magna flumina, duobusque exinde extremis oſtiis, longe ab inuicem diſſitis, in Perſicum mare ſe ſe immittit, terram in medio plurimam interſecans, eamque inſulam fluuialem ſimul & marinam efficiens, quam incolit quæ Meſenorum gens adpellatur.* Hanc etiam *Meſenen* Dio Caſſius in Traiani hiſtoria intellexit, quamquam male a Xiphilino exſcriptum, vel ab aliis editum Μεσσήνη, gemina ſibilante. καὶ τὴν νῆσον, inquit, τὴν ἐν τῷ Τίγριδι τὴν Μεσήνην, ἧς Ἀθάμβιλος ἐβασίλευσεν, ἀπόνως ᾠκειώσατο, *Meſenen quoque inſulam Tigris, in qua Athambilus regnabat, nullo labore cepit.* nam inferiorem hanc, non Apamenſem, Meſenen notari, patet, quia incommoda Traianus in ea paſſus eſt ὑπὸ τῆς τοῦ Ὠκεανοῦ ἀναῤῥοίας, *ab æſtibus Oceani:* etiam vicina erat Spaſini Vallo, de cuius ſitu trans Tigris oſtia infra dicturi ſumus. Hæc itaque alia *Meſene* ab illa eſt, quam ſupra in eodem flumine deſcripſimus, & in qua ſita Apamea erat, Meſenes cognomine a ceteris disparata.

XX.

Quarta Aſiæ tabula, Ptolemæi Geographiæ adiecta, inſcriptum huic inſulæ oppidum habet, cui *Terédon*, Τερηδὼν, nomen eſt. Ptolemæus Græcus hic mutilus eſt: poſt oſtia demum deſignata Teredonem oppidum recenſet. Alii ad Euphratis illud poſuere oſtium. Strabo lib. II pag. 55 ex Eratoſthenis ſententia: A Thapſaco ad Babylonem ſtadia numerat IV CIↃ IↃCCC: ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Εὐφράτου καὶ πόλιν Τερηδόνα τρισχιλίους, *inde vero* [a Babylone] *ad oſtia Euphratis & vrbem Teredonem tria millia.* * Idem lib. XVI pag. 526 eodem Eratoſthene auctore, Perſicum ſinum ad occidentem producit μέχρι Τερηδόνος, καὶ τῆς ἐκβολῆς τοῦ Εὐφράτου, *vsque ad Teredonem & oſtium Euphratis.* Dionyſius Characenus verſu 980 de Euphrate:

- - - - μέσσην Βαβυλῶνα περήσας
Περσίδος εἰς ἁλὸς οἶδμα θοὴν ἀπερεύγεται ἄχνην,
Ὑστατίης προχοῇσι Τερηδόνος ἐγγὺς ὁδεύων.

hoc eſt, *qui, mediam Babylonem præterlapſus, Perſici in maris fluctum rapidam euomit ſpumam, extremis fluentis iuxta Teredonem means.* His itaque aucto-

* Ælianus V de Animal. cap. 14 de Muribus: Ἀμύντας δὲ καὶ τοὺς ἐν Τερηδόνι, γῆ δέ ἐστιν αὕτη τῆς Βαβυλωνίας, τὴν αὐτὴν τροφὴν προσφέρεσθαι λέγει. *Amyntas autem etiam mures Teredonis (eſt autem hæc Babyloniæ regio) eumdem cibum habere dicit.* Fuit fortaſſe vrbi finitima regio cognominis. Niſi forte Ælianum ex Aeliani XVII, 17 interpretari malis. Sed hic quoque locus ambiguus eſt.

auctoribus Teredon extra inſulam oſtiorum Tigris, vbi Ptolemæi tabula habet, ſita fuit, ad Euphratis vetus oſtium, quod neceſſario in occaſum ab illa inſula, incertum quanto interuallo, probabilius autem, non magno, receſſit.

2. Sed has rationes turbauit Plinius lib. VI cap. XXVIII *E Parthico regno nauigantibus vicus Teredon, infra confluentem Euphratis & Tigris.* Vicum vocat, quam Strabo πόλιν, oppidum: & ſitum non tam explicat, quam inuoluit, ponens *infra confluentem* Euphratis atque Tigris. Sed vbi ille confluens? mox ait, *& Apamiam ſitam, vbi reſtagnatio Euphratis cum Tigri confluat.* Expedita res eſſet, quia reſtagnatio fluminis ad oſtia deducere videtur, niſi rurſus nomen Apamiæ illam turbaret. Apamiam enim ad Tigrim ſitam ſuperiori loco Ptolemæus poſuit, vbi Regius cum illo fluuius miſcetur. Harduinus quidem, perdoctus interpres Plinii, non Meſenes Apamiam, ſed Sittacenæ intelligit, de qua idem Plinius lib. VI cap. XXVII dicat: *Inter has gentes* [Medos, Adiabenos] *& Meſenen Sittace eſt, & Sabata: - - - item Apamia, cui nomen Antiochus matris ſuæ impoſuit; Tigris circumfunditur.* Sed incerta Sittacenæ eſt Apamia, nec alia mihi, quam illa Meſenes videtur. Si quod enim oppidi nomen fruſtra multiplicatum fuit, illud eſt *Apamiæ*, vt egregie vir doctiſſimus Octavius Falconerius de Nummo Apamenſi Diſſertatione demonſtrauit: qui quinque ſolum vrbes huius nominis admittit, quo numero excluſa eſt Sittacena. Accedit Sittacenam regionem longe ab oſtiis Euphratis Tigrisque fluminum collocari, &, ſi cum Strabone ſentiendum, (lib. XV pag. 503) Sittacenam olim fuiſſe, quæ poſtea Apolloniatis eſt nominata; longius illa a reſtagnatione ac oſtiis recedet, quia Apollonia integro gradu ſupra latitudinem Seleuciæ in ſeptemtrionem eſt remota. Potuit aut ex ea cauſſa Plinius errare, quia, quam dicit Apamiam Tigri circumfundi, in Meſene fuit, Tigris fluminis inſula, & æque regioni, quæ trans Tigrim eſt, vt Sittacena eſt, quam citeriori, id eſt Babyloniæ, attribui potuit. Et vicus fuit Διρίδωτις, *Diridotis* prope Euphratis oſtium, quem Arrianus deſcripſit de Reb. Ind. p. 588.

3. Sed vt ad aliud, a quo digreſſi ſumus, recedamus, *Teredon* vrbs erat, cuius ſitum conſiderabamus. Ptolemæus inter oſtia Tigris poſuerat, ſeu reductius a mari, Strabo coniunxit bis cum oſtio Euphratis, etiam Dionyſius in Periegeſi. Forſan inter Euphratem & Tigrim circa oſtia fuit Teredon ſita. Ex iisdem etiam adparet Euphratem olim in ſinum Perſicum peculiari oſtio exiſſe, licet foſſis poſtea & variis deductionibus mutata rerum facies fuerit: ideoque Ptolemæus ſilentio id oſtium prætererit. Arrianus quoque de Indica Alexandri expeditione pag. 588 Nearchum cum claſſe ex India reducem, ἐπὶ τοῦ ϛόματος τοῦ Εὐφράτου, *ad oſtia Euphratis* adpuliſſe, vnde nauigatio Babylonem ſit III MCCC ſtadiorum: quum vero audiiſſet, in Suſios profectum Alexandrum, ἔνθεν τὸ ὀπίσω, *inde retro* nauigaſſe, vt per *Paſitigrim* in Suſios obuiam Alexandro ferretur. Sed quonam Paſitigri? Salmaſio Exerc. Plin. pag. 830 vlterior eſt,

qui

qui vltra Suſa ex Vxiorum regione delabitur: ſed hic quartis caſtris in ortum aberat a Suſis, vt Diodorus XVII cap. LXVII, & Curtius lib. V cap. III teſtantur. Harduino eſt citerior Plinii lib. VI cap. XXVII, qui ipſe Tigris Meſopotamiæ eſt circa oſtia & Euphrate iam auctus, ex quo per foſſam in Eulæum atque ita ad Suſa nauigari poteſt. De foſſa illa Arrianus lib. VII p. 453; & Plinius VI, cap. XXIII *Inde Tigri Suſa*, puta nauigatur per alueum ſeu foſſam.

XXI.

Mediterranea Chaldææ propriæ, a Ptolemæo recitata, nunc inſpicienda ſunt. Poſt alueos Euphratis & confluentes cum Tigri ſunt *Chuduca, Chumana, Beththana, Orchoe, Biramba, Thelme:* & in meridiem vergentia, *Sorthida, Iamba, Rhagia, Ciriphe*, cetera: ſed nomina ſunt, nullis hiſtoriis aut geographorum illuſtrata conſenſu. Solam *Orchoen* ex iis fama recentior celebrauit, quia plures ſunt diuinarum litterarum interpretes, qui illam *Vr Chaldæorum*, Abrahami patriam fuiſſe exiſtimant: quod forſan aliud ex Ptolemaicis oppidis Chaldææ non inueniunt, in cuius vocabulo aliquid nomini *Vr* ineſſe ſimile inueniatur: qui ideo etiam *Vrchoe* frequenter ſcribunt, quod in Græco eſt ορχέη. Prætermitto Iudæorum fabulam, quam Hieronymus Quæſt. in Geneſ. XI refert, אור adpellatiue interpretantium, quod Abraham cum fratre Haran, ab idololatris in ignem coniecti fuerint, hic conſumtus eo, ille diuinitus ſeruatus fuerit; quod vere *fabulam* Hieronymus adpellat, cui & alii Iudæi ſapientiores contradicunt. Ioſephus enim lib. I Antiq. cap. VII *Haran* (frater Abrahami) ἐν Χαλδαίοις ἀπέθανε, ἐν πόλει Οὔρῃ λεγομένῃ τῶν Χαλδαίων, καὶ τάφος αὐτοῦ μέχρι νῦν δείκνυται, *in Chaldæa mortuus eſt, in oppido Vr, vt vocatur, Chaldæorum: & ſepulcrum eius hodieque oſtenditur.* Et Aben Eſra in Geneſ. cap. XI אברהם נולד במקום נקרא אור כשדים *Abraham natus eſt in loco qui vocatur Vr Chaldæorum.* Etiam Euſebius in Locis Ebr. ſeu ſacris: Οὐρ πόλις βασιλείας τῶν Χαλδαίων, *Vr oppidum eſt regni Chaldæorum.*

2. Fateor nec nomen *Orchoe* bene conuenire, nec iter in Palæſtinam per Carras aut vicinum ad Chaboram amnem locum: qua de re ſupra in Meſopotamia, quum de Carris & Haran ageremus, diſputatum eſt. Altera igitur ſententia de *Vr* Ammiani Marcellini, inter Tigrim ſito & Niſibin, eruditis hodie magis placet. Bochartus lib. I Phaleg. cap. X *Vr Chaldæorum, vbi Abrahæ maiores habitarunt, Gen.* XI, *28, non procul erat a Corduena, in qua ſubſtiterat arca Noæ. Res patet ex Ammiani lib.* XXV. *Ibi enim Romani, transmiſſo Tigri ad locum a Corduena centeſimo lapide ſeparatum, via ſex dierum emenſa, ad Vr nomine Perſicum caſtellum venere: vnde profectis primo Tiſalphata, deinde Niſibin iter fuit. Itaque Vr circa Niſibin, Tigri propior & Corduenæ.* Et Hugo Grotius in Geneſ. XI, 31 VR CHALDAEORVM. *Manſit loco nomen ad Ammiani Marcellini vſque tempora, quem vide libro* XXV. Hæc opinio id commodi præ altera habet quod Haran, patriarcharum ſedem alteram, recta in Carras, vt veteres docuerunt, ducit, vnde opportunus tranſitus in Palæſtinam erat. Si cognomen *Chal-*

dæorum obiicitur, reſpondent, Meſopotamiæ partem, præſertim quæ ad Tigrim verſus eſt, Chaldæos tenuiſſe, quod ex Act. Apoſt. VII, 2, 4 non leuiter videtur confirmari. De qua re ſupra in Meſopotamia pluribus diſputatum eſt.

XXII.

In Chaldæam etiam reducendi ſunt *Orcheni*, Ὀρχηνοὶ, quos Ptolemæus perperam in Arabia Deſerta iuxta Sinum Perſicum lib. V cap. XIX poſuerat. Plinius enim lib. VI cap. XXVII *Euphratem præcluſere Orcheni & accolæ agros rigantes: nec niſi Paſitigri defertur in mare.* Hoc eſt proprium oſtium eiusque alueum præcluſerunt, in riuos illum diuidentes, vnde agri rigentur. Straboni lib. XVI poſt initium ſecta Chaldæorum ſunt Orcheni, τῶν Χαλδαίων τῶν ἀστρονομικῶν γένος οἱ Ὀρχηνοὶ. atque ſic quoque in Chaldæa potius, quam Arabia, cenſendi: ideoque Plinio paullo ante cap. XXVI dicti *Orcheni tertia Chaldæorum doctrina.* In Chaldæa itaque propria ſeu auſtrali parte, infra alueos Euphratis, collocandi ſunt.

XXIII.

Antequam in Transtigritanas regiones progrediamur, videtur circa Euphratem & Tigrin aliquid de *Paradiſo* adiiciendum eſſe: ſed tot de illo eruditorum hominum diſſenſiones ſunt, vt quam ſententiam ſequamur tuto, vere neſciamus. Vetus illa & vulgaris, quam Ioſephus Antiq. Iud. lib. I cap. II expoſuit, Nilum etiam & Gangem in fluuiis Paradiſiacis eſſe, omnino propter nimiam illorum diſtantiam deſerenda eſt. Ceteras quoque opiniones, quæ longius ab Euphrate ac Tigri recedunt, ſuis quoque auctoribus relinquimus. * In oriente fuit reſpectu Palæſtinæ vel Arabiæ Petrææ: in hac enim Moſes ſcripſit; ad illam plurima direxit. *Euphratis* ipſe mentionem fecit: ex nomine *Hidekel* docti viri *Tigrin* eliciunt, quia, abiecta adſpiratiua, vt ſolent Græci, fiat *Dekel* vel *Degel:* & L in R mutata, vt ſæpe factum in propriis nominibus, *Deger* ſiue *Tiger;* vnde Græcorum caſu accedente, *Tigris* oriatur. quod latius a Bocharto eſt demonſtratum. **

2. Nec vero, qui de Euphrate & Tigri conſentiunt, de loco etiam ac ceteris fluminibus conueniunt. Sunt qui in Meſopotamia inter Saocaram & Tigrin fluuios fuiſſe Paradiſum contendunt, vbi facile reliquos duos fluuios ex Euphrate deriuare poſſunt, quos omnes ex magno fluuio, qui ex Meſopotamia in hortum influat, deducunt, ſaltem ex parte adaugent. Alii in vltima Chaldæa & partim oppoſita Parapotamia Paradiſum quærunt, vt Plinii Paſitigris ille fluuius maior fuerit, qui anfractibus ſuis Paradiſum rigaret, ac quatuor fluuios ex ſe efficiat, Euphratem & Tigrin ſupra hortum; ceteros, *Phiſon* & *Gihon*, infra illum, vbi vltimo Tigris fiſſus magnam pæninſulam, cuius baſis mare ſit, ante oſtia faciat. Et quod Phiſon terram Heuilam circueat, illa autem terminus orientalis Arabiæ Petrææ

* v. g. illam Io. Herbinii, Bicina Sileſii, qui in diſſertationibus de admirandis mundi Cataractis Amſtelodami An. 1678 editis, libr. III Diſſert. V Palæſtinam Paradiſum fuiſſe contendit.

** Et idem ab Huetio poſt Bochartum.

Petrææ Geneſ. xxv, 18 dicatur, ſicut occidentalis, Sur ante Ægyptum; putant bene ſibi rationes de Paradiſi loco conſtare. Vide quæ clariſſimi viri P. D. Huetius, & Samuel van Til circa hoc argumentum nuper in diverſas partes commentati ſunt: quibus me nolim interponere, quum in vtraque ſententia ſit, quod dubitationem non omnem eximat. Prior ex Meſopotamia fluuium maiorem in Paradiſum infundit, qui poſtea extra hortum deuolutus in quatuor flumina diſpeſcatur: cuius vero maioris fluuii in Meſopotamia nullum adparet indicium. Altera ſatis probabilis eſſet, ſi diuiſionem in quatuor flumina tam retro interpretari, quam de prono curſu & ſecundo, liceret. *

3. Concedo facile in Meſopotamia aut Babylonia ſeu Chaldæa Paradiſum fuiſſe: quo loco autem fuerit, & quisnam ſit fluuius ex terra Eden irrigans hortum, qui deinde in quatuor capita ſeu amnes diuidatur, non puto diſtincte ac certo definiri poſſe. Multa diluuio immutata ſunt, quorum rationes ex poſteriorum temporum geographia haud credo demonſtrari poſſe.

* *
*

DE SITV PARADISI.

I.

Situs Paradiſi illius beatiſſimi obſcurus eſſe non poteſt, ſi humana conſilia eum vel prolatandi vel coartandi abiiciantur. Verba quidem Moſis nimis ſunt perſpicua. Ecce illa e Geneſ. II, 8 *Tum inſtituit Deus hortum ad Edenis orientem, & hominem, quem formauerat, eo traduxit.* 9. *Et conſeuit eum Deus viuus omni genere arborum cum adſpectu iucundarum tum eſu bonarum, & interiorem eius partem arbore vitæ & arbore ſcientiæ boni & mali.* 10. *Ac profluens aqua ex Eden ad rigandum hortum perrexit, atque hinc demum diuiſa in quatuor amnes decurrit.* 11. *Vnius nomen eſt Piſon, qui circumit omnem terram Heuilæ, vbi aurum reperitur.* 12. *Et aurum quidem illius terræ præſtabile eſt, ibidemque bdellium & lapis Schoham.* 13. *Alterius autem fluminis nomen eſt Gihon, quod idem omnem terram Chus cingit.* 14. *Tertius amnis adpellatur Tigris, qui ex Aſſyria in orientem decurrit. Quartus denique nominatur Euphrates.*

II.

Iam vocabula, quæ fortaſſe obſcuritatem quamdam habere videantur, breviter explanabimus. *Eden* eſt tractus ille terrarum Aſiæ maioris, qui perpetuis pene montium iugis Aſiam percurrit mediam, & Scythas a nationibus orientem ſolem magis ſpectantibus ſeiungit. Hic Edenis ſitus intelligitur primum ex verbis Moſis בעדן מקדם id eſt, *ad Ede-*

(Mm mm) 3 *nis*

* Dicit enim Moſes והיה לערבעה ראשים *& omnis aqua fluens colligitur in quator flumina*: non dicit, *ex quatuor amnibus exiſtit vnus*, ſeu *quatuor amnes decurrunt in vnum flumen.*

nis partes orientales: deinde ex eo, quod *aquæ ex Edene in hortum defluxerunt.* Si enim ex Edene in hortum demum eius rigandi cauſſa decurrerunt: apertum eſt, hortum extra Edenem ſitum fuiſſe. Accedit Ieſ. LI, 3, vbi diuinus vates ad Paradiſum reſpicere videtur. *Conuertet,* inquit, *deſerta eius loca in Eden, & campeſtria eius in hortum Dei viui.* Deſerta autem loca erant fere illa, quæ nihil editi, nihil depreſſi habebant, vt nec vmbra æſtum ſolis defenderet, nec roris pluuiæque colluuies terræ æſtuanti ſuccum ſeruaret. Ergo ſi ex loco deſerto Eden fieri debebat: neceſſe erat, vt loca plana altius exſurgerent. Sunt etiam vrbes quædam, quæ *Adenæ* vel *Edenis* nomine inſignes fuere: ſed vt ad hanc cauſſam nihil proſunt, ita nihil obſunt. Potuerunt a *voluptate* ita dictæ eſſe: potuerunt memoriæ cauſſa nomen illud accepiſſe. Sunt quidem loca quædam *Paradiſi* nomine ornata, quæ a Paradiſo illo primorum parentum longiſſime abſunt: niſi forte Paradiſum Ienæ fuiſſe opineris, quia ibi quoque locus quidam ita nominatur. Illud tamen operæ eſt pretium memorare, apud Alferganum cap. IX in *Choraſana* ſupereſſe nomen longiſſimi tractus *Edenis.* Nam *s* ſenſim in locum *d* ſubrepſit. *Chor* autem non a Parthis (vt Golio videtur) ſed a vetere nomine חר natum eſſe videtur.

III.

Verſ. 10 *aquam profluentem* verti, quod Moſes נהר adpellauit. Hoc enim nomen non ſemper *amnem,* ſed interdum idem quod latinum *profluens,* ſignificat. Sic Pſalm. XLVI, 5 *riui* נהר *aquæ profluentis recreant ciuitatem Dei, ſanctiſſimam ſedem ſummi Dei.* Atqui Hieroſolyma hic a vate ſpectatur, quam flumen nullum prætercurrit, ſed aqua deducta proſperauit. Nam Kidron torrens vix alicuius momenti hic putari poteſt, quum non eſſet perennis, niſi quod fons Hieroſolymitanus aquas eius aleret. Ionas c. II, 4 *Ac me,* inquit, *in profundum proieciſti, in medium marium. &* נהר *aqua agitata inuolutus eram: omnes cum deſidentes tum ſurgentes fluctus me ſuperiores erant.* Immo נהר interdum *multos amnes* ſignat. Pſalm. LXXX, 12 *Prolataſti meſſem eius vsque ad mare, & propagines vitium eius vsque ad flumina.* Nam quibus temporibus hic ſcriptus videtur Pſalmus, iis regnum Dauidis non Iordane, ſed Chryſorrhoa & Rhinocorura etiam terminabatur. Sic item Pſalm. CV, 41 *Aperuit* Deus *rupem: ita eruperunt aquæ, & decurrerunt in locis* antea ſemper *ſiccis flumina* נהר.

IV.

Atque ex horto demum aqua profluens in amnes inſignes collecta quatuor oſtiis exoneratur. Hoc velle videtur Moſes. Multos per Edenem diſcurrere riuulos nec inſignes nec memorabiles: ſed in horto demum (nam illud eſt משם) ex concurſu multorum riuorum & amnium nimis iam inſigniter ſeiungi ac diſcerni amnes, quippe qui

quatuor

quatuor ingentia conſtituant flumina. Ex qua quidem interpretatione rurſus adparet, Edenem montibus conſtitiſſe, quos riui & fontes multi pererrarent.

V.

Verſ. 11. *Phiſon* quis amnis ſit & qua decurrat, minus liquet. Illud certum eſt, ignotiorem eum & longinquiorem fuiſſe de Moſis ipſius ſententia. Primum enim memorat, quam terram flumen illud ambiat. Hoc autem hiſtorici in longinquioribus tantummodo fluminibus faciunt. Rheni quidem accolis & vicinis nemo Rheni ſitum ac poſitionem deſcribit. Deinde ipſa terræ laus adiungitur, vt quæ præſtans aurum & lapidem ſchoham & bdellium proferre dicatur. Vbi tam multa inſignia memorari debent ad denotandam aliquam terram, ibi longinquitas & obſcuritas commemorationem eorum poſtulaſſe videtur. Quodſi נהר *flumen* ſignificat, quum Tigris & Euphrates nominantur: quid cauſſæ eſt, cur mox partem modo & extremitatem fluminis ſignet? Qua ex difficultate nunquam ſe expediet Huetius. Et annon probabilius eſt, flumina cetera, quæ a Moſe memorantur, commemorari idcirco, vt cum Tigri & Euphrate comparentur? Omnino quum idem vbique nomen נהר retineatur, ſine diſcrimine aut magnitudinis aut exiguitatis, proportionem aliquam fluminum ſignificari neceſſe eſt. Et quis credet, partem fluminis flumen vocari in eo ipſo loco, vbi pars illa a flumine reliquo rite diſtinguenda eſt? Multo autem minus credibile eſt, extremum fluminis alueum curioſe deſcribi & reliquum flumen ſolo nomine deſignari, ibi, vbi de ſcaturigine, de longitudine, de adiectis vrbibus, de ſoli percurſi natura multo plura memorari poſſint: quum præſertim tota terra, quæ a flumine cingi dicitur, ad totum flumen, non ad partem fluminis pertineat. Neque illud ſapientiæ Moſis conſentaneum fuiſſet, vt primum partem fluminis memoraret, tum ad aliud flumen tranſiret, rurſus deinde ad prius flumen rediret. Denique ſi pars illa aluei terram adluit gemmis fœcundam: cur hodie res ibi non ita eſt? Tot ac tantis difficultatibus conflictatur Huetiana coniectura. Falſa ſunt igitur & commentitia, quæcunque de alueis Euphratis hic dictitantur, vtpote qui Israelis genti in Arabia degenti nimium ignoti eſſe non poterant. Et quum Moſes de toto Euphrate nihil commemorabile ſcripſerit, quippe ſatis iam noto, vt ſupra dixi: num in exigua demum eius parte curam & laudem ſuam omnem conſumſiſſe putabitur? Quis tam erat ineptus, vt hominibus in Ægypto Arabiæ vicina, immo in ipſa etiam Arabia verſatis Arabum aurum, Arabum bdellium, Arabum lapillos ſcripto etiam prædicaret, quum vſus & commercium quotidianum ſatis ea omnia vulgo probaret? Ne ruſtici quidem noſtri egent prædicatione auri Vngarici. Mercatores ipſi ſatis id collaudare ſolent, vt ſcripto rem peruulgari nihil opus ſit. Celebrat aurum Arabiæ felicis Diodorus

lib. II

lib. II pag. 133. Sed auri præſtantiſſimi copia & vbertas regionibus iis, quæ longius in ortum receſſerunt, vindicauit antiquitas, vindicant recentiores ſcriptores. Mogoris regia quantam habet auri magnificentiam? Vide Theuenot. Part. III lib. I cap. 22. Tauernier voyage des Indes part. II liv. 2 c. 8 p. 277, 278. Quantopere Tibeti aurum laudat Tauernerius part. II lib. II c. 25 p. 413, qui de Arabico plane ſilet part. III lib. II c. 25, vbi loca perſequitur aurum gignentia? Adde huc Dionyſium Perieget. v. 1114.

VI.

Si cognitum nobis & exploratum eſſet, quid *ſchoham* & *bdolach* ſignarent: tum fortaſſis etiam oſtendere liceret, ex oriente in Arabiam ea importata fuiſſe. In oriente quidem floret gemmarum mercatura & copia. Vide Theuenoti part. III itin. orient. lib. I c. 8 & c. 25 & cap. 40. Tauernier part. II lib. II c. 8 & 9, & 10, & 15 & 16. ſeqq. Strabo XV p. 1045. *φέρει δὲ*, inquit, *καὶ λιθίαν ἡ χώρα πολυτελῆ κρυστάλλων καὶ ἀνθράκων παντοίων, καθάπερ τῶν μαργαριτῶν.* *India fert etiam lapides pretioſos, cryſtallos & carbunculos varios & vniones.* Adde pag. 1046 edit. Almelou. & Dionyſii Perieg. v. 1118 ſeqq. Iſidorus item Orig. lib. XIV c. 3 *India gignit tincti coloris homines - pſittacum auem, ebenum quoque lignum. - Mittit & ebur, lapides quoque pretioſos, beryllos, chryſopraſios & adamantem, carbunculos, lychnites, margaritas & vniones.*

VII.

Omnino *bdellium* & Arabicum datur & peregrinum, teſte Dioſcoride I c. 81 qui Arabicum peregrino præfert, & Iſidoro XVII c. 8, qui *bidellam Indiæ & Arabiæ arborem eſſe* ſcribit, *cuius lacryma melior Arabica ſit.* Ergo non video cauſſam vllam, cur Moſes rem notam & quotidianam ſuis tamquam ignotam & peregrinam prædicet. Arabiæ res pretioſas hominibus in Arabia viuentibus & mercaturam exercentibus laudari non erat neceſſe.

VIII.

Sed ad flumen *Phiſon* redeundum eſt. Id *Hypaſin* eſſe, nihil addubito. Nam ſyllaba prima in hoc amne & *Hydaſpe* item vt in *Euphrate* & *Hidekel* affiĉta eſſe videtur. *Hypaſis* autem pro toto Indo poſitus fuiſſe videtur. In eum quidem eximie conuenit *circuitus* nomen, vt ſuus quemque fluminis Indi conſpectus docet. Accedit, quod Indus *Tibetum* attingit, regionem auri vnius omnium nobiliſſimum etiamnum feracem. Neque illud nullius momenti eſt, quod vnum aliquod ex Indi oſtiis *aureum* eſt adpellatum.

IX.

At *Heuila* eſt pars Arabiæ. * Ita eſt: ſi quidem illa intelligatur, quæ a Chami

* Et quidem Euphrati propinquæ. Vid. Geneſ. XXV, 18. Sed illa *Chauila* exiguus tractus terræ fuiſſe videtur, quia *Suro*, paruo itidem tractui, opponitur. Bocharto autem in Phaleg lib. II cap. 28 ſi credideris: *Chauila* in Arabia felice quærenda eſt. Quod ſi verum foret: Huetii cauſſa victa eſſet omnino.

Chami filio nomen eſt ſortita. Geneſ. x, 7. Sed eſt item alius *Hevila* Semi nepos Geneſ. x, 29, 30, 31, a quo alibi terra *Heuila* ſic adpellari potuit, vt a ceteris filiis Semi, Elamo *Elymais*, Aſſure *Aſſyria*, Arphachſado *Arrapachitis*, Aramo *Aram*, id eſt *Syria* vocari cœptæ ſunt. Et quid obſtat, quo minus ab Arami filio *Vz* gens *Vxia*, a Gethero *Gedroſi*, a Maſcho *Meſeni* geniti putentur? * Quid? nonne *Heuila* ille cum *Ophiro* coniungitur a Moſe? Ophir autem regio eſt orientis. Cur igitur *Heuila* non itidem regioni nomen indidiſſe credetur? cum præſertim Moſes Geneſ. x, 30 teſtetur, filios Ioktanis a Maſa coluiſſe terras vsque ad Siphra montem orientis. Ioſephus Antiquit. I cap. 6 ſ. 4 Ουτοι (Σαβεὺς, Οφείρης, Ευιλάτης, Ιώβαβος,) inquit, ἀπὸ Κωφῆνος ποταμȣ̃ τῆς Ινδικῆς καὶ τῆς πρὸς ἀυτῷ Αρίας τινὰ κατοικȣ̃σι. *Sabeus, Ophires, Euilates, Iobabus a Cophene fluvio Indiæ & Aria ei adiecta habitant.* Quid? *Chauila* ſi litteras radicales ſpectes, nonne dare poteſt nomen græcum Κωλίς. *Colis* autem fuit terra, quam Ganges adluit ad mare porrectam. Dionyſius Perieg. verſ. 1144 ita canit:

ἔθι χρυσοῖο γενέθλην
Δαιδαλέην Υπανίς τε Φέρει θεῖός τε Μέγαρσος
Λαβρόταται ποταμῶν· ἀπὸ δ' ȣ̉́ρεος Ημωδοῖο
Ορνύμενοι προρέȣσι ἐπὶ γαγγήτιδα χώρην,
Πρὸς νότον ἑλκόμενοι παρὰ τέρματα Κωλίδος ἄιης.
Ἡ δ' ἤτοι προνένευκεν ἐπ' ὠκεανὸν βαθυδίτην
Ηλίβατος, ταχινοῖσι δυσέμβατος ὀιωνοῖσι.

Quos verſus Andreas Papius ita vertit:

auri (mirabile viſu)
Qua cruſtas Hypanisque vehit diusque Megarſus,
Immanes fluuii: celſo qui monte profecti
Emodo terræ penetrant Gangetidis arua,
Ad noton impulſi ſacræ ſub Colidis oras:
Oceani vergens altum quæ nutat in æquor
Ardua quam nullæ ſuperant impune volantes.

Longiſſime quidem in orientem diſceſſiſſe Ioktanis liberos & eosdem Semi poſteros, vel ex eo liquet, quod citato ſupra Geneſ. x, 31 adiungitur clauſula illa: *Hi ſunt poſteri Semi ſecundum familias linguasque ipſorum in terris ſuis ſecundum gentes ſuas.* Digna ſunt hæc verba quantauis animaduerſione. Nam ſi linguarum diſcrimen, ſi nationum diuerſitas animaduerti potuit: familiæ iſtæ per longiſſimos terrarum tractus proceſſiſſe intelliguntur. Huic Moſis ſententiæ conuenienter Iſidorus Orig. IX cap. 2 ſcripſit illud: *Ietan filius Heber, a quo Indorum gens orta eſt.* Ioſephus item Antiquit. I cap. 6 ſ. 4 Σήμα δὲ πέντε γίνονται παῖδες, οἵ τὴν μέχρι τȣ̃ κατ' Ινδίαν ὠκεανȣ̃ κατοικȣ̃σιν Ασίαν ἀπ' Ευφράτȣ τὴν ἀρχὴν πεποιημένοι. *Semæ autem quinque naſcun-*

* Ioſephus coniecturæ huic refragari videtur. Sed ea de re alibi fortaſſe diſputabimus.

naſcuntur filii, qui Aſiam vsque ad oceanum Indicum incoluerunt ab Euphrate progreſſi.

X.

Adhuc igitur omnia in id conſpirant, vt Paradiſus ille diuinus ad Indos vsque prolatetur. Videbimus iam cetera, quæ ſententiam hanc magis magisque ſtabiliunt.

XI.

Gihon quod flumen fuerit & quas terras percurrerit, vix eget diſputatione. Nam ſi e גחון littera ה extrudatur, vt græcorum lingua gutturales ſolet: in procliui fuit, vt *Gan* & addita terminatione græca *Ganes*, aut, vt ſyllaba prior producta indicaretur, *Ganges* fieret. Sic *Tanis* græcorum factum eſt ex Hebraico צֹעַן, & *Rameſſes* ex רעמסס, & *Taphne* ex תחפנחס, Ἰηȣς ex יהוא *Iehu* apud Ioſephum & LXX Interpretes. * Præſertim autem *Ganges* noſcitatur ex curſu, qui omnem terram Æthiopiæ complecti dicitur. Æthiopia autem eſt extrema pene Aſiæ maioris pars, ex qua Æthiopes in Africam quoque infuſi fuerunt. Sic enim multi ſcriptores antiqui teſtantur. Nos pro inſtituti noſtri modo paucos hic proferemus. Iſidorus Origin. IX cap. 2 *Hi* (Æthiopes) *quondam ab Indo flumine conſurgentes iuxta Ægyptum inter Nilum & Oceanum in meridie ſub ipſa ſolis vicinitate conſedernnt, quorum tres ſunt populi, Heſperi, Garamantes & Indi. Heſperi ſunt occidentis, Garamantes Tripolis, Indi orientis.* Homerus iam Odyſſ. A v. 23

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένȣ Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.
Æthiopas qui bifariam diuiſi ſunt, vltimi hominum,
Alteri occidentis ſolis, alteri orientis.

Non eſt autem dubium, quin Homerus vtrosque mari rubro diſcreverit, quamuis Euſtathius contrarium teneat, verborum vi non ſatis perpenſa. Dionyſius Periegeta v. 1107

Πρὸς δ' αὐγὰς Ἰνδῶν ἐρατεινὴ πέπταται αἶα
Πασάων πυμάτη, παρὰ χείλεσιν ὠκεανοῖο.
Ἣν ῥά τ' ἀνερχόμενος μακάρων ἐπὶ ἔργα καὶ ἀνδρῶν
Ἠέλιος πρώτοισιν ἐπιφλέγει ἀκτίνεσσιν.
Τῶ γαίης νάεται μὲν ὑπὸ χρόα κυανέȣσι
Θεσπέσιον λιπόωντες κ. τ. λ.
Oceani at finem iuxta ſolemque orientem
Indorum felix ſe porrigit vltima tellus.
Quam radiis luſtrans diuumque hominumque labores
Accenſam primo conſpergit lumine Titan.
Vnde etiam populis atros color inficit artus
Splendentes fulgore nouo cet. Add. v. 1161.

Herodot. III cap. 94 Παρικάνιοι δὲ καὶ Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίας τετρακόσια τάλαντα ἀπαγίνεον. *Paricanii & Æthiopes Aſiatici quadringenta talenta*

* Fateor tamen ex עזה *Gazam*, ex צער *Segor*, ex קרתא חדתא *Carthaginem* vel Καρχηδόνα natam fuiſſe.

talenta attulerunt. Strabo lib. I pag. 59 quum multos iam memoraſſet, qui orientis Æthiopas ab occidentis Æthiopibus ſegregaſſent; ita pergit: Μηνύει δὲ καὶ Ἔφορος τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν, ὅς φησιν ἐν τῷ περὶ τῆς Εὐρώπης λόγῳ, τῶν περὶ τὸν Οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν τόπων εἰς τέσσαρα μέρη διῃρημένων τὸ πρὸς τὸν Ἀπηλιώτην Ἰνδοὺς ἔχειν· πρὸς Νότον δὲ Αἰθίοπας· πρὸς δύσιν δὲ Κελτούς. πρὸς Βοῤῥᾶν ἄνεμον Σκύθας. προστίθησι δὲ, ὅτι μείζων ἡ Αἰθιοπία ἢ ἡ Σκυθία. Δοκεῖ γὰρ, φησὶ, τὸ τῶν Αἰθιόπων ἔθνος παρατείνειν ἀπ' ἀνατολῶν χειμερινῶν μέχρι δυσμῶν· ἡ Σκυθία δ' ἀντίκειται τούτῳ. *Ephorus quoque antiquam de Æthiopia opinionem refert, in oratione de Europa indicans cœli ac terræ locis in quatuor partes diductis, eam quæ eſt ſubſolanum verſus, habitari ab Indis: quæ auſtrum verſus, ab Æthiopibus: quæ occaſum verſus, a Celtis: aquiloni obiectam a Scythis. Addit, Æthiopiam Scythia eſſe maiorem. Videtur enim, inquit, gens Æthiopum protendi ab ortu hiberno vsque ad occaſum, eique oppoſita eſt Scythia.* Addantur inſequentia, vbi Æthiopum ſedem per omnem oceanum meridialem extendit. Strabo XV pag. 1012 de India locutus pergit: Τῶν δ' ἀνθρώπων οἱ μὲν μεσημβρινοὶ τοῖς Αἰθίοψίν εἰσιν ὅμοιοι κατὰ τὴν χροιάν· κατὰ δὲ τὴν ὄψιν καὶ τὴν τρίχωσιν τοῖς ἄλλοις. *Ex hominibus meridiales colore Æthiopibus, facie & capillo aliis ſunt conſimiles.* Pertinet huc quoque Philoſtrati ſermo quodammodo in vita Apollonii VI cap. I pag. 229 & lib. III cap. 20 p. 110, vbi confer Olearii notam & Theuenot. part. III lib. I cap. 32 pag. 109. Memnonem cum Æthiopibus a rege Aſſyriorum, Priamo Troadis regi auxilio miſſum eſſe, Diodorus narrat lib. II pag. 109. At quis hos ex Africa miſſos crediderit? In Africam enim regnum Aſſyriorum non pertinuit. * Ergo e regionibus Indo vicinis miſſa ſunt auxilia iſta. Nigros igitur homines, hoc eſt, Æthiopas quum habuerit India & vicinia iſta: Æthiopia iure & merito adpellari potuit & adpellata eſt. vti adhuc ſatis demonſtrauimus. Iam e ſacris quoque ſcriptoribus oſtendemus, כוש Æthiopiam eſſe. Ierem. XIII, 23 כושי dicitur quisquis atra eſt cute. *An mutabit*, inquit, *Æthiops cutem ſuam?* Hoc nomen autem in omne genus Æthiopum valet & orientalium & occidentalium. Amos IX, 7 *Annon*, inquit, *vt filii Chuſæorum vos mihi, o gens Israel?* Hoc item dictum in omnes Æthiopes conuenit. Hiobus XXVIII, 19 *Non ei exæquabitur*, inquit, *topazius Æthiopiæ, nec aurum purum adpendetur contra.* Hic Æthiopiam orientalem ſignari gemmæ nomen declarat. Nobiliſſima enim gemmarum patria eſt India. ** Eſaias XVIII, 1 נהרי כוש flumina Æthiopiæ memorat. Iſta tu vero magis apud orientales quam occidentales Æthiopas repereris,

 ſi Iu-

* Nam *Æthiopia*, quam Semiramis imperio ſuo adieciſſe dicitur a Iuſtino I cap. 2 ſ. 8, eſt Arabiæ pars potius. Quare nihil eſt, quod Cellarius expeditionem Æthiopicam ab ea abiudicet. Arabiæ quidem pars etiam a Xenophonte Cyropæd. lib. VIII pag. 238 & pag. 233 *Æthiopia* dicitur.

** Memini, Bochartum Phaleg IV cap. 2 pag. 239 Topazium Arabiæ prædicare e Plinio. Sed quum Plinius ex inſula quadam Arabiæ topazium peti aiat: a Chuſæis ſaltem Palæſtinæ propinquis ſeiungenda eſt regio *Chus* Hiobi. Caltais topazii ſpecies ex India petitur. Vid. Plin. XXXVII cap. 8. Iſidor. Hiſp. XVI c. 7.

ſi Iudæorum rationes ſpectaris. * Oriens enim notior eis fuit, quam Africa. Ad orientales crebrius legatos miſerant, ab orientalibus magis identidem vexati erant, quam a regibus Ægyptiorum. Nam a ceteris Africæ regibus & nationibus nihil vnquam damni nec iniuriæ acceperant. Eſai. XI, 11 Deus iterum conuocaturus dicitur Iraelis gentem *ex Aſſyria & ex Ægypto, & ex Pathros & Æthiopia, & ex Elymaide & Sineare, & ex Hematha & ex inſulis.* Semper hic disiunctiſſima & diuerſiſſima loca inter ſe coniunguntur. Quantum enim ſpatium intercedit inter Aſſyriam & Ægyptum? inter Elymaidem & Sinearem, inter Hematham & inſulas maris mediterranei? Ergo Pathros & Æthiopia itidem diuerſiſſima ſint, oportet. Non igitur hic Æthiopia intelligitur Ægypto ſuperiori finitima, ſed orientalis, quæ eadem eſt disiunctiſſima.

XII.

Ergo iam ſatis adparet, Æthiopiam ſeu כוש vetuſtiſſimis temporibus in Aſia, & præſertim circa Indum, quæſitam fuiſſe, vnde in reliquas Aſiæ & Africæ oras Æthiopes infuſi ſunt. Omnino Æthiopes ſeu כושים non Arabes omnes adpellati ſunt, ſed quidam modo Arabum finitimi. Vide 2 Paralip. XXI, 16. Bochartus igitur liberalior eſt, quum nomen כושים & כוש cum vniuerſis Arabibus communicare videtur. Fateor tamen, circa vltima regni Iudaici tempora כוש ſæpius vel Arabiæ vel Africæ partem ſignare. Ieſ. XIX & Zephan. III, 10, cet.

XIII.

Si ſuſpiceris, amnes hic memorari eluuione illa Noachica deperditos: Moſen inſcitiæ accuſas. Quis eſt enim ſapiens, qui ex rebus deperditis & funditus ſublatis res vllas deſignet? Nos hodie Babylonis & Palmyræ ſitum ex locis etiamnum cognitis & cognitioni omnium expoſitis cognoſcere allaboramus. Ergo aliis item ſignare debemus. Hoc ipſum autem Moſes etiam in Paradiſi fluminibus denotandis feciſſe putandus eſt.

XIV.

Si magnitudinem paradiſi a nobis demonſtrati concoquere non poſſis: eodem tempore aſpernaris & impugnas maieſtatem gratiæ & liberalitatis diuinæ erga hominem primum & eius poſteros. Nam ſoli Adamo Paradiſus deſtinatus non erat. A Deo nihil proficiſcitur, niſi magnificum, admirabile, auguſtum. Aliter pro magnificentia & infinitate mundi anguſtias quasdam antri alicuius Cilicii Adamo donauiſſet.

XV.

Paradiſus igitur a Gange ad Euphratem vsque pertinuit.

CAPVT

* Bochartus quidem IV cap. 2 pag. 240 *Beſorem* & *Traiani amnem* & *Caryn* memorat (nam Rhinocorura torrens huc vix pertinet.) Sed ii quidem exigui ſunt præ fluminibus orientis fuſci. Neque deprædati ſunt terram circumiectam, quippe ſterilem per ſe & inanem. Ipſa etiam gens amnibus iſtis circumiecta numquam valida & nimis bellicoſa fuit. Quare nihil totius cap. XVIII Ieſaiæ ad Ægyptios pertinet atque Arabes. Immo Ieſaias cap. XIX demum Ægypto minatur calamitatem. Nam ſi naues papyraceas iactare velis: nec ibi præſidium vllum inuenies. Naues enim ex alga & iuncis confectæ reperiuntur etiam in Tigri; vt itineraria docent.

CAPVT XVII

DE

A S S Y R I A.

I.

ASſyria trans Tigrim ampliſſima regio, Orientis olim imperio clariſſima. Nomen ducit ab *Aſſur*, Noæ nepote, qui primus gentem illam condidit, ac fundamenta vrbium in ea iecit, Geneſ. x, 11, 22. Multi confundunt id nominis cum *Syria*, & *Aſſyrios* cum *Syris*. Virgilius II Georg. verſ. 465

- - - *Aſſyrio fucatur lana veneno,*

id eſt murice Tyrio. Et Nonnus lib. XLI Dionyſiac. verſ. 19

Ἀσσυρίῳ Λιβάνῳ παραπέπταται,

Aſſyrium iuxta Libanum expanſa [Beroe] *eſt.* Bochartus quidem duplices facit *Aſſyrios*, proprios ſiue Transtigritanos; & qui cis Euphratem fuerint: illos ab Aſſur patriarcha nomen trahere; hos ipſum nomen Syrorum cum articulo habere, a צור *Tyro* metropoli, צורים *Surim* ſeu *Sorim*, & cum articulo הצורים *Haſſurim* ſiue *Aſſyrios*. Erudite quidem ſic explicatur, vt tamen valde dubitem ſcriptores hos æque ita diſtinxiſſe, nec potius commune confudiſſe vocabulum. Iuſtinus enim lib. I cap. II ex Trogo: *Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti ſunt*, quaſi κατ' ἀφαίρεσιν. Sed fruſtra hæc dicuntur, quum vtrumque nomen oppido antiquum ſit. Quid? quod Leucoſyros etiam ad Pontum & in Cappadocia Aſſyrios eodem errore Periegeta verſ. 975 dixit,

Ἀσσύριοι δ' ἁλὸς ἄγχι παρὰ στόμα Θερμώδοντος.
Aſſyrii mare iuxta, ad oſtium Thermodontis.

2. Alia ratio eſt, quum συνεκδοχικῶς Aſſyriæ nomen etiam ad regiones refertur, quæ extra limitem veteris & propriæ Aſſyriæ erant, in ditione tamen Aſſyriorum. Sic Arrianus lib. VII Expedit. Alex. pag. 453 τῶν δὴ ποταμῶν, τοῦ τε Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγρητος, οἳ τὴν μέσην σφῶν Ἀσσυρίαν ἀπείργουσιν, ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα Μεσοποταμία πρὸς τῶν ἐπιχωρίων κληΐζεται, *Euphrates & Tigris mediam Aſſyriam continent, vnde & ab indigenis Meſopotamia vocatur.* Et Ammianus Marcellinus lib. XXIII cap. XX *In Aſſyria multæ ſunt vrbes, inter quas Apamia eminet Meſene cognominata, & Teredon, & Apollonia, & Vologeſſia, hisque ſimiles multæ. Splendidiſſimæ vero & peruulgatæ hæ ſolæ tres, Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis ſtruxit, arcem enim antiquiſſimus rex condidit Belus: & Cteſiphon, quam Vardanes priſcis temporibus inſtituit, poſteaque rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Perſidis effecit ſpecimen ſummum: poſt hanc Seleucia ambitioſum opus Nicatoris Seleuci.* Hic plures vrbes in Aſſyria cenſentur, quæ Babyloniæ & Chaldææ cis Tigrin ſunt, laxa notione Aſſyriæ accepta.

3. Illa ergo nobis ex Ptolemæi diſpoſitione eſt vera & propria *Aſſyria*, quæ a ſeptemtrione habet partem Armeniæ ac Niphatem montem: ab occaſu Meſopotamiam ſeu Tigrin fluuium: a meridie Suſianam; ab ortu partem Mediæ, Choatren & Zagrum montes. Alia dialecto dicta fuit Ατȣρία, *Aturia*, quo nomine Strabo vſus aliquoties eſt lib. XVI ineunte. Dio Caſſius in Traiano clare: καὶ πȣ̃ καὶ Ατυρία διὰ τȣ̃το βαρβαρισὶ, τῶν Σίγμα ἐς τὸ Ταῦ μεταπεσόντων, ἐκλήθη. *Ea* [Aſſyria] *quoque Atyria nominatur littera S in T barbarice mutata.*

4. Eſt & *Adiabene* dicta, Αδιαβηνὴ, æuo præſertim poſteriore. Plinius lib. V cap. XII *Adiabene, Aſſyria ante dicta.* Et Ammianus dicto loco: *Iuxta hunc circuitum Adiabena eſt, Aſſyria priſcis temporibus dicta.* Sed Dioni μέρος *pars* Aſſyriæ eſt Adiabene: etiam a Ptolemæo in partibus ſeu regionibus numerata: & ſynecdoche eſt, ſi quando plus ſignificat. Ipſa quoque *Aturia* videtur interdum partis potius, quam totius Aſſyriæ nomen eſſe. Sed de his nunc in partibus.

II.

Regiones Aſſyriæ Ptolemæus lib. VI cap. I conſtituit haſce: *Arrapachitin* iuxta Armeniam: proximam hinc *Adiabenen:* inde ortum verſus *Arbelitin:* ſupra Adiabenen ipſi eſt *Calacine* ſiue *Calachene:* inferius eſt *Apolloniatis:* iuxta Suſianam tandem *Sittacene.* Omnes nobiles & cognitæ præter primam Arrapachitin, quam alibi non nouimus memoratam. * Nec ceterarum limites vbique definire, aut cuique ſuas vrbes adiudicare poſſumus, quia Ptolemæus id poſthabuit, neque omnes regiones, quas alii memorant, enarrauit.

III.

De *Atyria*, ſiue *Aturia* propria, ſeu regione Strabo prædicto loco, eamque Lyco flumine Aturiam ab Arbelitide diſtinguit. ἡ Ατȣρία, inquit, τοῖς περὶ Ἄρβηλα τόποις ὁμοία ἐςὶ, μεταξὺ ἔχȣσα τὸν Λύκον ποταμόν. *Aturia ſimilis eſt iis locis, quæ circa Arbela ſunt, & Lycum flumen intermedium habet.* Et mox: ἐν τῇ περαίᾳ τȣ̃ Λύκȣ τὰ τῆς Ατȣρίας πεδία τῇ Νίνῳ περίκειται, *trans Lycum Aturiæ campi Ninum circumiacent.* Ex quibus ſatis manifeſtum eſt, Aturiam partem tantummodo Aſſyriæ fuiſſe Lyco flumine, & circa Ninum agro, terminatam. Ibidem circa Lycum & Caprum regio quædam Αρτακηνὴ, *Artacene* dicta in Strabonis libris, quam Scaliger, cui Caſaubonus ſubſcribit, Αρακ]ηνὴ, *Aractene* legit, & ab *Arec* Geneſ. X deducit, & cum Tibulli *Arectæis campis* lib. IV eleg. I verſ. 142 confert. Verba Strabonis ſunt: μετὰ τὰ Ἄρβηλα, καὶ τὸ Νικατόριον ὄρος, ὁ Κάπρος ἐςὶ ποταμὸς ἐν ἴσῳ διαςήματι, ὅσῳ καὶ ὁ Λύκος. ἡ δὲ χώρα Αρτακηνὴ λέγεται. *Poſt Arbela & Nicatorium montem, flumen eſt Caprus tanto, quanto Lycus, intervallo.* ** Auſtralem partem, in qua Cteſiphon eſt, Plinius lib. VI cap. XXVI vocat *Chalonitin.* An eadem Καλλωνῖτις, *Callonitis* Polybii lib. V cap. LIV ad radices Zagri montis, non omnino liquet: putat tamen Ortelius

* Videtur nomen habere ab *Arpachſado* filio Semi. Geneſ. X, 22.
** *Caprum* nominat etiam Polybius V cap. 51.

telius: nec improbabile, eo vſque a Tigri extenſam Chalonitin fuiſſe. Certiores autem χαλωνῖται, *Chalonitæ* Dionyſii verſ. 1015.

IV.

Hæc de regionibus Aſſyriæ in vniuerſum: quæ cuilibet regioni tribuenda ſint oppida, infra diſpiciemus. Interea Aſſyriorum *fluuios*, quotquot nominati ſunt, perſequemur. *Tigris*, de quo diximus in Armenia, quæ fontes habet; & in Meſopotamia ac Babylonia, quas terminat; Aſſyriæ tamen, cuius itidem limes eſt occidentalis, potiori iure adſcribitur, quia regiæ vrbes Ninus & Cteſiphon ei adpoſitæ erant, & omnes alii Aſſyriæ fluuii in Tigrim effunduntur. Deriuant vocabulum a beſtia huius nominis, ſicut vicina flumina, Lycus & Caprus, etiam ab animalibus nominantur: alii ſagittam Perſice ſonare dicunt; vt vtriusque denominationis ratio ſit celeritas fluminis & violentia, quam vero Petrus della Valle qui vidit, & nauigauit, negat, & tardiorem Euphrate eſſe confirmat: qua de re ad Curtii lib. IV cap. IX ſect. 16 adnotauimus, auctoribus priſcis nominatis, qui alterutram deriuationis opinionem ſequuti ſunt. Accedit tertia Bocharti, qui nomen ab Ebræo *Hidekel* deducit, de quo ſupra in Paradiſo plura diximus.

V.

Ptolemæus tres fluuios per Aſſyriam in Tigrim defert, *Lycum*, *Caprum*, & *Gorgum*, omnes inter Ninum & Seleuciam, pari quaſi inter ſe diſtantia, & eo ordine, quo recenſuimus, vt Lycus Nino ſit propior; Gorgus Seleuciæ; medius inter hos Capros. Polybius lib. V cap. LI Ἑρμείᾳ μὲν ἐδόκει παρὰ τὸν Τίγριν ποιεῖσθαι τὴν πορείαν προβαλλομένυς τῦτόν τε καὶ τὸν Λύκον ποταμὸν καὶ τὸν Κάπρον. *Hermias cenſebat, ſecundum Tigrim eſſe progrediendum ita, vt pro munimento exercitui eſſent tum hic, tum alii duo amnes, Lycus & Capros.* Nomina ex Phrygia in Aſſyriam a Græcis importata. ibi enim & *Lycos* & *Capros* Laodiceam dicuntur adluere, & proxime in Mæandrum ſe inferre. Vide Strab. lib. XII extremo, & Plin. lib. V cap. XXIX. Ptolemæi Græco libro Λευκὸς, *Leucus*, perperam, abundante littera, ſcribitur: ſed emendandus eſt ex Polybio, Arriano, Strabone, Curtio, & ipſa Ptolemæi tabula, quibus Λύκος, *Lycus* ſcriptum eſt. Bochartus Xenophontis Ζάτην, *Zaten* fluuium, * cuius lib. III ἀναβασ. p. 181 Gr. eſt mentio, putat Lycum eſſe, quia inter hunc & Tigrim alius ibidem non memoretur.

VI.

Gorgos fluuius minus notus, nec qui præter Ptolemæum eius mentionem habeat, reperimus. Vir doctiſſimus Io. Harduinus Plinii *Zerbin* eſſe ſuſpicatur lib. VI cap. XXVI *Gordiæis*, inquit, *iuncti Aloni, per quos Zerbis fluuius in Tigrin cadit.* Ad quæ verba Harduinus: *Is eſt, quantum ex ſitu coniicimus, qui* Γόργος ποταμὸς *Græca nomenclatura ob celeritatem curſus*

* Fortaſſe Ζάβην ex זאב.

curſus a Ptolemæo vocatur. * Sane γοργὸς vox Græca eſt & *velox* ſonat: an autem *Zerbis* huius nomen ſit barbarum ac primigenium, non poſſumus adfirmare.

VII.

Ammianus lib. XXIII cap. XX [Valeſ. VI] Adiabenen, præcipuam Aſſyriæ partem, a fluminibus *Diaba* & *Adiaba* nomen tradit ducere. nam reiecta vulgari opinione, quæ nomen a διαβαίνειν deducit; *Nos autem*, inquit, *id dicimus, quod in his terris amnes ſunt duo perpetui, quos & tranſiuimus, Diabas & Adiabas, iuncti naualibus pontibus, ideoque intelligi Adiabenam cognominatam, vt a fluminibus maximis Aegyptus Homero auctore, & India, & Euphratenſis, antehac Commagena.* In hunc locum Henricus Valeſius: *Exiſtimo hos fluuios eſſe eos, qui frequentius Zabas & Anzabas dicuntur. Vt enim diæta & zæta; Diabolus & Zabolus; Hippo Diarrytus & Zarrytus promiſcue dicitur; ita plane Diabas & Zabas. Zabæ autem fluuii mentio eſt apud Cedrenum & in Hiſtoria Miſcella in rebus geſtis Heraclii. Hic e montibus celſis a ſeptemtrione exortus modicus fertur: mox in auſtrum procedens ac torrentibus multis auctus, nauigabilis fit, atque in Tigrim delabitur, teſte Theophylacto lib.* IV *initio. Adiabas vero ab Anzabas lib.* XVIII, *& in Adiabene ponitur.* Verba eius ſunt cap. XIV [Valeſ. VI] *tranſitis fluminibus Anzaba & Tigride*: & cap. XVII *Poſtquam reges Nineue, Adiabenæ ingenti ciuitate, transmiſſa, in medio pontis Anzabæ hoſtiis cæſis, extisque proſperantibus tranſiere lætisſimi.* Mirum, nauigabiles amnes ſilentio tranſiri a veteribus, a ſolis memorari poſterioribus: vt ſuſpicari poſſis, noua hæc nomina forſan fluuiorum eſſe ſupra a Ptolemæo aliisque memoratorum. **

VIII.

* Quum, vt infra demonſtro, nomina fluminum in his terris Chaldaica ſint, *Zerbin*que ex צפיר *capro* natum ſuſpicari poſſimus: Harduini coniecturam adiuuandam putem. *Zerbis* enim per litterarum traiectionem erit צפיר. Quum autem hebræorum צ a Chaldæis ſæpius in ע vertatur, vti in ארעא ex ארץ, & in רעע ex רצץ, & in ער ex צר cet. adparet, ex צפיר fieri potuiſſe עפר. עפר autem & Κάπρος & Ptolemæi Γόργος vnum idemque flumen ſunt, vt mox demonſtrabimus.

** Fullerus in Miſcellaneis docet, *Adiabenen* e nomine eſſe hebraico הזאב; quod Chaldaice דיבא dicitur. Ergo Λύκος & *Diabas* ſunt nomina eiusdem fluminis e diuerſis linguis petita. Sed *Adiabas* vnde dictus ſit, difficilius eſt ad explicandum. Bochartus Phaleg lib. IV cap. XIX pag. 275 nominis huius originem ex Arabico הרב *properauit*, doctiſſimus ſcriptor imperii Adiabeni ex Chaldaico הדף *impulit* ingenioſe ducunt. Sed rationem nominis græci Κάπρυ reddere nullam poſſe videntur. Oportet autem, vt conuenientia nominis græci & chaldaici non minus declaretur, quam illa דיבא & Λύκυ demonſtrata eſt. Nam illud longius petitum eſt, quod Bochartus Κάπρον idcirco dictum putat, quia ira incenſus aper

Ruat oppoſiti nitens in vulnera ferri.

Omnino cetera item contortula ſunt, quæ idem adfert de *Phyſco*, de Βυμήλῳ, de Γοργῷ, *Abſitri*, quæ ſingula *Adiabæ* apud Xenophontem, Strabonem, Ptolemæum, Arrianum, Curtium & Plinium eſſe putantur nomina. Non meminerat vir doctiſſimus ſatis diligenter, neceſſe eſſe, vt nomen reperiretur, quod chaldaice *Adiaba*, græce Κάπρον ſonaret. Non meminerat, Ammiano, qui flumen *Adiabam* viderat, & ab accolis nominari audierat, ita fidem eſſe habendam, vt Græcis Κάπρον dicentibus ſuccurreretur. Græci & Romani nomina propria fluminum, marium atque vrbium peregrina vocabulis linguæ ſuæ reddere conſueuerunt, e. g. *mare Edomi* nominarunt Ἐρυθραῖον, *rubrum*;

VIII.

An etiam *Gyndes* fluuius Aſſyriæ fuerit, non conuenit inter ſcriptores. Laudatus Valeſius ad Ammiani XXIII pag. 375 ad verba CHOASPES ET GYNDES: *Hi fluuii nil videntur hic conuenire. nam Gyndes Dahos Ariosque diſterminat, teſte Tacito* XI. Si Taciti lib. XI cap. X ſalua lectio eſt, vtique illius Gyndes ad Aſſyriam & Tigrim minus pertinet. Sed MSS. habent *Sinden*, non *Gyndem*. De vero autem *Gynde* Herodotus lib. I cap. CLXXXIX *Gyndes in Mantienis ortus montibus per Darneos* ἐκδιδοῖ Τίγριν, *effunditur in Tigrin.* Mantieni autem poſt Armenios erant. Idem enim Herodotus lib. V cap. LII iter regium a Sardibus Suſa certis ſtathmis emetiens, ex Armenia ducit ἐς τὴν Ματιηνὴν γῆν, *in Matienam regionem;* [nam & ita ſcribitur] inde in *Ciſſiam:* tum denique ad Choaſpen & Suſa. Sic omnino ſupra Suſianam in Tigrim delabitur, quod ſi eſt, non poteſt aliter, quam per Aſſyriam auſtralem. Hic Gyndes eſt, quem Cyrus dicitur in CCCLX riuos diſtraxiſſe, quod non ſolum Herodotus notat, ſed Seneca etiam lib. III de Ira cap. XXI, tamquam inſanam iracundiam exagitat. Et Tibullus lib. IV eleg. I verſ. 141

- - - - - *rapidus Cyri dementia Gyndes:* *

ſiue ille perierit in tot riuos diſperſus; ſiue veterem alueum, quod non improbabile, repetierit.

IX.

Addendus eſt ποταμὸς Σίλλα, fluuius *Silla*, quem Iſidorus Characenus in Apolloniatide dicit mediam vrbem Artemitam perluere. De fluminibus hactenus: ſequuntur *Regiones* ſpeciatim cum oppidis explicandæ.

X.

On Ηλιούπολιν cet. Ergo neceſſe eſt, vt perſpiciamus, quo modo fieri potuerit, vt ex *Adiaba* Κάπρος efficeretur. Hic nihil ad fidem propius eſt, quam vt dicamus, *Adiabam* a דובא hoc eſt, *vrſum* adpellatum fuiſſe ab indigenis. Vicini vero Arabes (nam in Meſopotamiam etiam infuſi erant, non modo Euphratem attingebant) Arabes, inquam, lingua ſua amnem eumdem nominabant עפר, quod nomen *animal hirſutum*, immo etiam *aprum* ſignat. Ex עפר autem Κάπρος ita fieri potuit, vt ex עמרה *Gomorrha.* Quodſi duo nomina vnius eiusdemque fluminis concoquere non poſſis; fac memineris, *Iſtrum* & *Danubium*, *Rhenum* & *Vahalin*, *Verram* & *Veſerim* cet. ſaltem ex parte quadam eumdem eſſe fluuium. Ita *Auenche* dicitur a Gallis, quod a Germanis *Wifflisburg*, *Mons* vrbs Hannoniæ a nobis *Bergen* adpellatur. Non enim in Vngariam & Tranſiluaniam abiero, vbi duplicia vrbium nomina ſunt frequentiora. Quodſi iam *Adiabam* Phyſcum & Bumelum & Abſitrim a Xenophonte, Strabone, Arriano, Curtio, Plinio dictum putes: ratio ſingulorum ex noſtra ſententia reddi poteſt. *Phyſcus* enim a chaldaico פשק *foſſa aquarum* natum eſſe potuit. Μῆλα olim omnia genera animalium dicebantur. Βούμηλον igitur habebis *magnum animal*, in quo genere etiam vrſi numerantur. Sed malim credere, βούμηλον, quod etiam βούμαδον ſcribitur, ex βούμαλλος coortum eſſe. Βούμαλλος eſt *villoſus.* Ergo nomen hoc cum Arabico עפר rite congruit, & *apro* æque atque *vrſo* conuenit. Ptolemæi ΓΟΡΓΟϹ ex ΓΟΓΡΟϹ extitit, vnde græcum Κάπρος itidem corruptum eſt. *Abſitrim* fortaſſe a *gregum pernicie* deducere poſſimus, ſi ſuſpicionibus indulgere velimus. Sed hæc talia mittere ſatius eſt, qui in librariorum inſcitiam & negligentiam monſtra vocabulorum conferre malumus.

* Et Oroſius II hiſtor. cap. VI pag. 76.

X.

Incipimus a CALACHENA, Καλαχηνῆ, Strabonis, lib. XI pag. 347 & 365, vbi ἕως τῆς Καλαχηνῆς καὶ τῆς Ἀδιαβηνῆς ἔξω τῶν Ἀρμενιακῶν ὅρων, *vsque ad Calachenam & Adiabenam, quæ extra fines ſunt Armeniæ.* Et lib. XVI ineunte: τὰ περὶ τὸν Νῖνον πεδία, Δολομηνή τε, καὶ Καλαχηνὴ, καὶ Χαζηνὴ, καὶ Ἀδιαβηνὴ, *campi Nino vicini, & Dolomene, & Calachene, & Chazene, & Adiabene.* Nomen eſt a *Calach*, כלח, Geneſ. x, 11, antiquiſſima vrbe: quam Bochartus eamdem putat eſſe, quæ, vna mutata littera, 2 Reg. XVII, 6 חלח *Chalach* adpellatur, in quam rex Aſſyriæ Iſraelitas deportauit. Ptolemæo lib. VI cap. 1 hæc regio dicta Καλακινὴ, *Calacina*, quam ſub Armeniæ montibus a Tigri ad Lycum aut Arrapachitin regionem conſtituit. Videtur vrbs prope Tigrin fuiſſe, aut ei adpoſita, quia ceteræ quæ ſimul conditæ, iuxta id flumen ſitæ fuerunt, Ninus & Reſen. De Nino res certa: de *Reſen*, probabilis. *Reſen* enim, ipſo Moſe auctore, inter Ninum & Calach ſita fuit, &, ſi Bocharti coniecturam ſequimur, *Lariſſa* Xenophontis eſt, de qua lib. III Exped. Cyri Min. pag. 182 ἀφίκοντο ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμόν· ἐνταῦθα πόλις ἦν ἐρήμη μεγάλη, ὄνομα δ' αὐτῇ Λάρισσα. ᾤκουν δ' αὐτὴν τοπαλαιὸν Μῆδοι. *Venerunt ad Tigrim fluuium: ibi vrbs ampla deſerta iacebat, Lariſſa nomine, quam Medi quondam inhabitauerant.* Sic Calachenæ & hanc vicinitatis cauſſa adiungimus: licet neſcimus, Nino an Calachæ fuerit propior. Ignota Ptolemæi, quæ in hanc regionem incidunt, ſunt *Marde* ad Tigrim, *Bithaba*, ſub monte Niphate, Armeniæ vicina.

XI.

Altera ſeptemtrionalis regio, ſed in ortum ab illa recedens, ex Ptolemæi diſpoſitione eſt ARRAPACHITIS, quod ipſum nomen ſicut ignobile eſt, ita etiam oppida eius tractus obſcura omnia, niſi forte *Darna* ex criticorum coniectura nomen *Darneis*, populo, dedit, pro quo corrupte apud Herodotum lib. I cap. LXXXIX Δαρδανέων legitur. Per hos autem Gyndes delabi dicitur, & inde deferri in Tigrim.

XII.

ADIABENE nobiliſſima pars fuit Aſſyriæ, adeo, vt non numquam totam quoque ſignificet, vt ſupra ex Plinio diximus & Ammiano. De nominis origine in fluuiis dictum. * Ptolemæus ita poſuit, vt & *Ninum* & *Gaugamela* & *Arbela* poſſit comprehendere: quod de his tribus etiam Ammianus lib. XXIII cap. XX confirmat, niſi quod Ecbatana, quæ in Media ſunt, alieno loco admiſcet. At Strabo libri XVI initio, Ninum in Aturiæ campo ponit; etiam Gaugamela: Arbela autem propriam regiunculam denominat. Sed quamuis ita ſit, tamen eadem oppida etiam in Adiabena ſunt, quia tam Aturia, quam Arbelis pars eſt Adiabenæ. De *Aturia* Strabo prædicto loco: ἡ μὲν Νῖνος πόλις ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀτουρίας, *vrbs Ninus ſita erat in Aturiæ campo.* Et paucis interiectis: ἐν τῇ περαίᾳ τοῦ Λύκου τὰ τῆς Ἀτουρίας πεδία τῇ Νίνῳ περίκειται, *trans Lycum Aturiæ campi Ninum circumiacent.* Ergo Aturia inter Tigrim & Lycum fuit, pars Adiabenæ.

* Hoc cap. § VIII, ad quam lege quæ adſcripſimus.

benæ. De Arbelitide Plinius lib. VI cap XIII *Adiabene Aſſyriorum initium: cuius pars eſt Arbelitis, vbi Darium Alexander debellauit.* Stephanus aberrat, Adiabenen cum Meſopotamia confundens: etiam Tzetzes in Lycophronis Alexandram ad verſ. 704. Populus, *Adiabeni.* Tacitus lib. XII cap. XIII *Transmiſſo amne Tigri, permeant Adiabenos.* Et Sex. Rufus cap. XXI de Seuero: *Adiabenos deleuit, Arabas interiores obtinuit. - - - Huic cognomina ex victoriis quæſita ſunt. nam Parthicus, Adiabenicus, & Arabicus eſt cognominatus.* Idem cognomen ADIABENICO in multis marmoribus Seuero additum apud Grut. pag. 264. Et in Traiani nummo ADIAB. id eſt *Adiabenico.* Nunc oppida ſingulatim perluſtrabimus.

XIII.

Ninus, vt profani vocant; ſeu *Nineue*, vt ſacri ſcriptores, vrbs non ſolum antiquiſſima, ſed ampliſſima etiam. Origo prodita Geneſ. X: amplitudo in Ionæ prophetia. Magnitudinem etiam Strabo agnoſcit lib. XVI ineunte, πολὺ μείζων ἦν τῆς Βαβυλῶνος, *multo maior,* inquit, *quam Babylon fuit;* hortos etiam & agros, & alia inhabitata loca, vt Babylon, complexa. Et Diodorus Siculus lib. II cap. III περίβολον ἐκ σταδίων τετρακοσίων καὶ ὀγδοήκοντα, *ambitum* CCCCLXXX ſtadiis, hoc eſt quindecim milliariis Germanicis definiit; * in eo autem vel memoriæ lapſum, vel deſcribentium oſcitationem paſſus, quod ad Euphratem dicit conditam fuiſſe, quæ ad ſiniſtram ripam Tigridis erat. Herodotus lib. I cap. CXCIII ἐς τὸν Τίγριν, παρ᾽ ὃν Νίνος πόλις οἰκέαται, *ad Tigrim, iuxta quem vrbs Ninus ſita eſt.* Et lib. II cap. CL ἐς τὸν Τίγριν ποταμὸν παραῤῥέοντα τὴν Νῖνον, *ad Tigrim amnem, qui Ninum præterfluit.* Et Plinius lib. VI cap. XIII *Fuit & Ninus impoſita Tigri, ad ſolis occaſum ſpectans, quondam clariſſima:* vt de Strabone & Ptolemæo taceamus. Sacri ſcriptores, vt diximus, vocant נינוה, Græce Νινευὶ, *Nineue* Latine & *Niniue.* Ammianus lib. XVIII cap. XVI [Valeſ. VII] *Poſtquam reges Nineue, Adiabenæ ingenti ciuitate transmiſſa, in medio pontis Anzabæ hoſtiis cæſis, extisque proſperantibus tranſiere lætiſſimi.* Et Paullinus Nolanus Natali Felic. VIII, 168

- - - - *Babylon & opima Niniue.*

2. Euerſa fuit a Medis, quod etiam prædictum a Nahum fuerat: & Strabo XVI ineunte: ἡ μὲν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν, *vrbs Ninus extemplo poſt Syrorum* [lege Ἀσσυρίων, Aſſyriorum] *imperii deſtructionem deleta eſt.* Reprehendit Ptolemæum Salmaſius, quod Ninum inter vrbes Aſſyriæ, ſua ætate exſtantes, numerauerit, quæ olim exciſa fuerat. Quid vero de Tacito dicemus, qui lib. XII cap. XIII *Sed capta,* inquit, *in tranſitu vrbs Ninos, vetuſtiſſima ſedes Aſſuriæ.* Et ita etiam Ammianus lib. XXIII cap. XX [Val. VI] *In hac Adiabena Ni-*

(Oo oo) 2 *nus*

* Ἀλλὰ Φωκυλίδης τάτε ἄλλα ἀληθῶς λέγει, καὶ ὅτι σμικρὰ πόλις μετὰ φρονήσεως ἐπὶ σκοπέλου κατοικοῦσα κρείττων Νίνου ἀφρονούσης, *Phocylides vero cum cetera omnia, tum illud vere dixit, paruam vrbem cum prudentia in ſcopulo ſitam Nini oppido prudentia deſtituto antecellere.* Themiſtius Orat. XXIV pag. 307 C. Quibus ex verbis Nini magnitudo facile perſpicitur itidem.

nus eſt ciuitas, quæ olim Perſidis regna poſſederat. Puto poſt euerſionem a Medis factam, reſurrexiſſe tandem ex ruinis oppidum, quod priſcum nomen ferret, priori neque magnitudine neque ſplendore comparandum; * ſicut Ilium nouum ex veteri Troia in vicino loco natum fuit: vt ita Ninus magna vere deleta fuerit, atque etiam alia huius nominis ad Tigridis ripam Romanorum temporibus exſtaret.

XIV.

In Aturia etiam, hoc eſt inter Tigrim & Lycum, fuerunt quoque Γαυγάμηλα, *Gaugaméla*, victoria Alexandri nobilitatus locus. Strabo XVI ſub principium: ἐν τῇ Ατȣρίᾳ ἐςὶ Γαυγάμηλα κώμη, ἐν ᾗ συνέϐη νικηθῆναι καὶ ἀποϐαλεῖν τὴν ἀρχὴν Δαρεῖον. *In Aturia quoque vicus eſt Gaugamela, apud quem Darius ſuperatus amiſit imperium.* Addit, a Dario Hyſtaſpis nomen eſſe, qui camelo locum in alimentum dederit. De loco prœlii conſentiunt alii. Arrianus lib. III pag. 173 ξὺν ταύτῃ τῇ δυνάμει ἐςρατοπεδεύκει Δαρεῖος ἐν Γαυγαμήλοις πρὸς ποταμῷ Βȣμάδῳ ἀπέχων Αρβήλων τῆς πόλεως ὅσον ἑξακοσίȣς ςαδίȣς. *cum his copiis Darius in Gaugamelis ad flumen Bumadum caſtra poſuerat, ſexcentis circiter ab Arbelorum oppido ſtadiis.* quæ repetiit lib. VI pag. 399, at flumen ibi Βȣ́μηλον, *Bumelum* vocat: & de locis ita, πόλις δὲ ȣ̓κ ἦν τὰ Γαυγάμηλα, ἀλλὰ κώμη ȣ̓κ μεγάλη - - - ἔνθεν δὲ πόλις ȣ̓̃σα τὰ Ἄρϐηλα ἀπηνέγκατο τὴν δόξαν τῆς μεγάλης μάχης, *Gaugamela non oppidum eſt, ſed vicus non magnus; - - - hinc vrbs Arbela pugnæ maximæ gloriam abſtulit*, ſibique vindicauit. Hoc etiam Strabo dicto loco refert, & Plutarchus Alexandro pag. 683. Maluerunt ſane victores ab inſigni quodam oppido, quam ignobili loco pugnam denominari. Tabula quæ hanc Aſiæ partem ex Ptolemæi numeris ordinatam exhibet, Gaugamela inter Lycum & Caprum medio loco habet, quod perperam ita poſitum eſt. nam citra Lycum erant, quem Darius, ex vlteriori Aſia aduerſus Alexandrum ducens, ponte iunxit, & poſt LXXX ſtadia demum apud *Bumadum* ſeu *Bumellum*, alium amnem conſedit, qui proximus Gaugamelis eſt. Vide Curt. IV cap. IX ſect. 9, 10. & victus poſtea retro per pontem Lyci fugit, cap. XVI ſect. 8, & Alexander perſequens Darium ad flumen Lycum contendit, eumque tranſmiſit; quod Arrianus lib. III pag. 193 obſeruauit. Minoris fluminis nomen, Gaugamela rigantis variat etiam in Curtii libris, quem ex variante Arriano circa hoc nomen interpolatum credo. Recentiores plures lib. IV cap. IX legunt: *ad alterum amnem, Bumado nomen eſt:* Eraſmi liber: *cui Boumello nomen eſt.*

XV.

Hinc *Arbela*, τὰ Ἄρϐηλα, in ortum magis per ſexcenta fere ſtadia, vt Arrianus lib. III & VI tradidit, recedunt. Ptolemæi Tabula ad Caprum habet, ſed citerior fuit hoc flumine. nam Strabo XVI libro poſt initium, μετὰ τὰ Ἄρϐηλα καὶ τὸ Νικατόριον ὄρος, ὁ Κάπρος ἐςὶ ποταμὸς ἐν ἴσῳ διαςήματι, ὅσῳ καὶ ὁ Λύκος. *Poſt Arbela & Nicatorium montem* [ab Alexandro ita propter victoriam nominatum] *flumen eſt Capros, pari diſtantia*

ab

* Adde Lucian. Contemplant. pag. 359, qui veteris Nini ne veſtigium quidem ſupereſſe dicit.

ab hoc & Lyco, ſiue medio inter vtrumque fluuium loco. Diodorus lib. XVII cap. LIII κώμην, *vicum* vocat, quem Curtius lib. IV cap. IX ſequutus, de Dario dicit: *Iam peruenerat ad Arbela vicum, nobilem ſua clade facturus.* At Arrianus VI pag. 399 πόλις οὖσα τὰ Ἄρβηλα, *Arbela ſunt oppidum.* Strabo ſæpe prædicto loco τὰ Ἄρβηλα κατοικίαν ἀξιόλογον, *Arbela habitationem memorabilem* dixit: nec plane immunitam, quia theſauros bello neceſſarios Darius ibi depoſuerat. Arrianum lege lib. III pag. 193.

2. Regio circa Arbela dicta eſt *Arbelitis*. Ptolemæus ἡ Αρβηλῖτις χώρα: Plinius lib. VI cap. XIII *Adiabenæ pars eſt Arbelitis*. Strabo quum de Arbelis inter Lycum & Caprum ſitis dixiſſet, illico ſubdit, ἡ δὲ χώρα Αρτακηνή, *regio vero Artacena dicitur*, quod prauum aliis videtur nomen eſſe, qui Αρακληνὴ ſubſtituunt, vt ſupra in Regionibus de Scaligero & Caſaubono dictum eſt. Propius ad rem eſſet Αρβαληνὴ ſeu Αρβηληνὴ, *Arbelene* legere, quæ eadem Arbelitis eſt.

XVI.

Fuit hoc loco etiam oppidum, cui nomen erat *Demetriadi*. Strabo ibidem: περὶ Ἄρβηλα δέ ἐςι καὶ Δημητριὰς πόλις, *circa Arbela eſt etiam vrbs Demetrias.* Et Stephano Demetrias tertia eſt Περσίδος πρὸς Αρβήλῳ, *Perſidis*, id eſt regni Perſici, *ad Arbelum*, quaſi montem vel flumen ſubaudiat. Verum ex Strabone hauſit, & in voce Ἄρβηλα ad illum prouocauit: qui quod de oppido Arbelis loquutus eſt, hic etiam de oppido, cuius caſus forſan corruptus eſt, videturque legendus ita, πρὸς Αρβήλοις, *ad Arbela.*

2. Ptolemæi *Gomara* prope Arbela, obſcura eſt.

XVII.

APOLLONIATIS regio ex Ptolemæi diſpoſitione etiam in ortum verſus a Tigri eſt reducta: de qua Polybius lib. V cap. XLIII ὁ Μόλων κύριος γενόμενος τῆς Απολλωνιάτιδος, *Molo Apolloniatide potitus*, hoc eſt agro circa Apolloniam Aſſyriæ. Et cap. LI κατὰ τὴν Απολλωνιάτιν, *in regione Apolloniati.* Nomen eſt ab vrbe *Apollonia*, quam vltra Gorgon amnem Ptolemæus remouit. Hæc eſt Stephani viceſima quinta, μεταξὺ Βαβυλῶνος καὶ Σούσων, *inter Babylonem & Suſa* ſita, Græcæ originis, vt nomen prodit. Polybius etiam oppidum memorauit dicti libri cap. LII, vbi Antiochum dicit, Tigri transmiſſo, & Duris obſidione liberatis, octauo die τὸ καλούμενον Ορεικὸν, *Oricum quod vocant*, ſuperaſſe, & εἰς Απολλωνίαν, *Apolloniam* perueniſſe. τὸ Ορεικὸν montana ſunt, quaſi ὀρεικόν, niſi plane ὀρεινὸν legendum eſt. nam brevi poſt de Molone narrat, *Tigrim ſtatuit iungere ponte, & copias transmittere, vt, ſi qua fieri poſſet*, τὴν τραχεῖαν τῆς Απολλωνιάτιδος, *montana regionis Apolloniatidis prior occuparet.*

XVIII.

Huius regionis præter vrbem Apolloniam fuit etiam alia Græca, *Artemita* dicta, a multis ſcriptoribus laudata. Strabo lib. XVI pag. 512 ἐςι καὶ Αρτεμίτα πόλις ἀξιόλογος, διέχουσα πεντακοσίους τῆς Σελευκείας ςαδίους πρὸς ἕω τὸ πλέον, *Eſt & Artemita vrbs inſignis, quingentis ſtadiis a Seleucia*

 diſtans,

diſtans, plurimum orientem verſus. E quibus interpreteris locum alium Strabonis lib. XI pag. 358 ἐπὶ τὴν Ἀρτεμίταν τὴν ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ, *ad Artemitam, quæ in Babylonia eſt*, id eſt in regno Babylonio, eiusque parte Transtigritana. Tacitus lib. VI cap. XLI *Halum & Artemitam, Parthica oppida recepit.* Halus ignota eſt: Artemitam videtur a Græcis ibi diſtinguere. Sed Græcam diſerte Iſidorus Characenus, & Apolloniatidi quoque regioni pag. 5 adſcribit. *Hinc*, inquit, *incipit Apolloniatis, quæ continet ſchœnos* XXXIII. ἔχει δὲ κώμας, ἐν αἷς σταθμὸς, πόλιν δὲ Ἑλληνίδα Ἀρτέμιτα. *Habet vicos, in quibus manſio: & vrbem Græcam Artemitam.* Amnem, qui perluat vrbem, vocat *Sillam.* Stephano Ἀρτέμιτα πόλις Παρθυαίων, *vrbs Parthorum Artemita*, Strabonis auctoritate vtitur, haud dubie ad verba modo recenſita ex lib. XVI, reſpiciens. Ptolemæus Apolloniæ in meridiem ſubdidit *Artemitam.* Plinius autem lib. VI cap. XXVI *Artemitam* in Meſopotamia recenſens, haud dubie a vero ſitu aberrauit.

XIX.

Sic Apolloniatin in vlterioribus Aſſyriæ & circa Gorgon fluuium vidimus: quam vero etiam ad Tigrim in occaſum receſſiſſe minime dubitamus. Iſidorus enim, quum a Zeugmate vsque Seleuciam per Meſopotamiam & Babyloniam ſtathmos ſuos perſequutus eſſet, ſubiicit, ἐντεῦθεν ἄρχεται ἡ Ἀπολλωνιάτις, *Hinc incipit Apolloniatis.* Hinc, id eſt, a Seleucia, quæ ad Tigrim ſita eſt. Atque ita etiam *Dura* Polybii lib. V cap. LII, ſi ſe recte is locus habet, ad Apolloniatin referri poſſit. nam cap. XLVIII in Meſopotamia τὰ Δοῦρα, *Dura* cenſuerat, vt Ammianus quoque & Iſidorus: nunc Zeuxidis conſilio Tigri traiecto, primum iter fit ἐπὶ Δούρων *ad Dura*, qua vrbe ἐξ ἐφόδου in tranſitu ab obſidione liberata, per montana Apolloniam Antiochus venit: quaſi & trans Tigrim *Dura* eſſent, diuerſa ab vrbe Meſopotamiæ.

2. An *Sura* Ptolemæi inter Apolloniatidis oppida recenſa ſub alteris forſan Polybii Duris latent? quamquam tabula ad vltima Aſſyriæ reiecerit? Cetera Ptolemæi ſunt *Chatrachartá*, *Thebura*, *Arrapa*, omnia ignobilia.

XX.

20. SITTACENE ſuccedit, quam Ptolemæus παρὰ τὴν Σουσιανὴν, *iuxta Suſianam* locauit. Plinius latiores fines dat lib. VI cap. XXVII *Inter has gentes atque Meſenen Sittacene eſt, eadem Arbelitis & Palæſtine dicta.* Sed alii omnes diuerſam faciunt Arbelitin. Superiore cap. XXVI *Media habet a meridie Sittacenen, & Suſianen, & Perſida.* Alii T ſimplici ſcribunt, Strabo XVI Σιτακηνὴ, *Sitacene.* Sic & oppidi nomen a Xenophonte & Stephano. Strabo dicto libro pag. 512 τοῖς ἐκ Βαβυλῶνος εἰς Σοῦσα βαδίζουσι διὰ τῆς Σιτακηνῆς ὁδὸς ἅπασα, *Babylone Suſa euntibus totum iter per Sitacenen eſt.* Idem lib. XV pag. 503 Sitacenam & Apolloniatin eamdem facit: ἡ Σιτακηνὴ μὲν πρότερον, Ἀπολλωνιάτις δὲ ὕστερον προσαγορευθεῖσα, *quæ Sitacena antea, poſt Apolloniatis dicta.* Sic ampliata regionum nomina: quæ vero Ptolemæus diſtinxit & ſeparauit.

XXI.

XXI.

Oppidum, quod regioni nomen dedit, eſt Σιτάκη ſiue Σιττάκη, *Sitace* ſiue *Sittace*: de cuius poſitione lis eſt. Ptolemæus procul a Tigri vltra Artemitam poſuit: cui Plinius conſentire videtur. *Oppidum eius* [Sittacenæ] inquit, *Sittace Græcorum ab ortu eſt, & Sabata: ab occaſu autem Antiochia inter duo flumina Tigrin & Tornadotum.* Quod ſi eſt ita, quid de Xenophonte, qui ipſe vidit & peragrauit hæc loca, ſtatuemus? libro enim II ἀναβασ. pag. 167 ed. Gr. Steph. ἀφικνȣ͂νται ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμόν· πρὸς ᾧ πόλις ἦν μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, ᾗ ὄνομα Σιτάκη, ἀπέχȣσα τȣ͂ ποταμȣ͂ σταδίȣς πεντεκαίδεκα, *Venerunt ad Tigrin fluuium: ad quem vrbs magna & populoſa ſita, nomine Sitace, diſtans a flumine ſtadiis quindecim.* Si verum, quod Bocharto videbatur, Ψιττακὴν, *Pſittacen* Stephani eſſe eamdem quæ Sittace, confirmatur Xenophontis poſitio, quia Pſittace Stephani πόλις παρὰ τῷ Τίγριδι, *vrbs iuxta Tigrim eſt.* Verum nec in *Sitace*, quam πόλιν Περσικὴν, *vrbem regni Perſici* dixit, neque in Pſittace quidquam prodidit, vnde eamdem vrbem eſſe perſuadeas.

XXII.

Plinii *Sabata* ſi eadem, quæ Zoſimi Σάβαθα, *Sabatha*, lib. III cap. XXIII, triginta ſtadiis a Seleucia abfuerunt. Sed Zoſimus videtur cis Tigrin in Babylonia poſuiſſe, vt ita neceſſario diuerſa ſint. *Antiochia* eiusdem in Sittacena, videtur Harduino & aliis Apollonia eſſe, ſortita aliud nomen, niſi fortaſſis error ſubeſt. At laxos fines Sittacenæ Plinius fecit, vt ſupra demonſtrauimus. Addit etiam *Apamiam*, cui *Tigris circumfunditur:* quæ mihi non alia videtur, quam Meſenes inſulæ Apamia, ſupra explicata. nam fluuialis inſula æque vlteriori terræ, ac citeriori, adnumeratur.

XXIII.

CHALONITIS erat vltima Aſſyriæ in auſtrum vergens prouincia, & Tigris ripam attingens. Nomen eſt ab oppido *Chala*, quod Iſidorus Characenus refert pag. 5, qui addit, Chalonitin a Media monte Zagro ſeparari. Plinius lib. VI cap. XXVI *Inuicem ad hanc* [Seleuciam] *exhauriendam Cteſiphontem iuxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc caput eſt regnorum.* Paruo igitur ſpatio in altera ripa inferior eſt *Cteſiphon*, quam Seleucia: & ſola Cteſiphon regionis ſitum nobis declarat. Originem eius ac incrementa Ammianus lib. XXIII cap. XX [Valeſ. VI] prodit: *Cteſiphon, quam Vardanes priſcis temporibus inſtituit, poſteaque rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Perſidis effecit ſpecimen ſummum.* Quis fuerit ille Vardanes, primus auctor, incognitum eſt: Pacorum putat Valeſius eum eſſe, qui cæſus a Ventidio fuit, Orodis filius. Sed ab hoc non potuit nomen Græcum eſſe, quod etiam apud Polybium in bello Antiochi M. lib. V cap. XLV memoratur, ἀναχωρήσας εἰς τὴν ἐν τῇ Κτησιφῶντι λεγομένην στρατοπεδείαν, *ad Caſtra quæ vocant Cteſiphontem* (ab obſidione Seleuciæ) *recedens.* Hic propter aeris temperiem hiberno tempore Parthorum reges agebant: æſtate Ecbatanis aut in Hyrcania. Strabo lib. XVI pag. 512 Πλησίον δ᾽ ἐστὶ κώμη, Κτησιφῶν λεγομένη

γομένη, μεγάλη, ταύτην δὲ ἐπόιησαν χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς· - - - δυνάμει Παρθικὴ πόλις ἀντι κώμης ἐϛί. *Prope eam* [Seleuciam] *pagus maximus eſt nomine Cteſiphon, in quo Parthorum reges hiemabant: - - - potentia potius vrbs Parthica, quam pagus erat.* Lege ibi plura. Meminit & Tacitus lib. VI cap. XLII *Interim Cteſiphon, ſedes imperii, petita.* Et Herodianus lib. III cap. IX de Seuero imperatore: ἐπέϛη Κτησιφῶντι, ἔνθ' ἦν ὁ μέγας βασιλεὺς Αρτάβανος, *inſtabat Cteſiphonti, vbi rex magnus Artabanus erat:* occupauit etiam & diripuit, ægre cum paucis elapſo rege. Stephanus chorographus: Κτησιφῶν πόλις Ασσυρίας - - - τὸ ἐθνικὸν Κτησιφώντιος, *Cteſiphon vrbs Aſſyriæ: - - - Gentile, Cteſiphontius.* Atque ſic in Titi nummo, ΚΤΕϹΙΦΩΝΤΙΩΝ. Et Ptolemæus Cteſiphontem in Aſſyria cenſet, cui vltima eſt, meridiem verſus, in Tigris ripa: licet Chalonitidis regionis mentionem nullam fecerit, ſed haud dubie Cteſiphontem Sittacenæ adnumeret.

XXIV.

Cetera Ptolemæi in Tigris ripa, per diuerſas regiones ſunt inter Marden, quam ſupra primam ab Armeniis montibus expoſuimus; inter hanc, inquam, & Ninum ſunt *Sauara, Beſſara, Belciana:* inter Ninum & Cteſiphontem *Sacada, Oroba, Thelde*, ſat obſcura omnia. Habet etiam aliam *Orobam* in mediterraneis, & *Doſam*, & *Degiam*, & *Comopolim*, cetera; neque hæc magis nota.

CAPVT XIIX
DE
MEDIA ET ADIACENTIBVS.

I.

MEdiam Ptolemæus a ſeptemtrione parte Caſpii maris, ipſis Caſpiis, Caduſiis, & qui eo tractu ſunt, terminat: ab occaſu Armenia maiore: ab ortu, Parthia & Hyrcania: a meridie, Perſide, Suſiana & parte Aſſyriæ.

II.

Montes Ptolemæus notauit *Choatram*, qui a meridie ab Aſſyria diſterminat, procurrentem a *Niphate*, & *Cardiuchiis* montibus, qui & Gordyæi dicuntur, in Armeniæ Aſſyriæque confinio, a Xenophonte lib. IV Anabaſ. ineunte τὰ Καρδȣ́χια ὄρη dicti: & *Zagrum* montem, * qui ab ortu Aſſyriam a Media diſcernit: deinde *Parachoatram*, quem Perſidi opponit: at Straboni lib. XI pag. 363 προσάρκτιά ἐϛι τὰ ὑπερκείμενα τῆς Κασπίας θαλάττης ὄρη τὰ τȣ̃ Παραχοάθρα, *Parachoathri boreales ſunt & Caſpio mari imminent:* & tandem iuga illa, quæ ab ortu ab Hyrcania & Parthia ſeparant. Hi in finibus:

* Polyb. V cap. 44 Παράκειται δὲ τῇ Περσίδι προβεβλημένῃ τὸ Ζάγρον ὄρος, ὃ τὴν μὲν ἀνάβασιν ἔχει πρὸς ἑκατὸν ϛαδίᾳ, *Atſidet etiam Perſidi legiturque ab ea parte monte Zagro, cuius adſcenſus ſtadiorum eſt ferme centum.*

finibus: in media regione *Orontes* mons, ſeptemtrionem verſus: *Iaſonius*, in meridiem vergens: *Coronus*, Parthicos montes attingens.

III.

Fluuii plerique in mare Caſpium effunduntur. Poſt Araxem, de quo in Armenia & Albania dictum; Ptolemæo eſt *Cambyſis fluuius*; deinde *Cyrus fluuius*: poſt quem eſt *Mardus*, ſiue, vt Palat. cod. habet, *Amardus*: ſuccedit *Straton* fluuius: tandem *Charindas*, qui Hyrcaniæ proximus delabitur.

IV.

Populi ſecundum eumdem Ptolemæum ſunt præter *Caſpios*, de quibus in Albania diximus, cum qua Strabo coniunxit; *Caduſii*, Caſpiis in ortum coniuncti: καρχȣ̃δοι, vt Græcus habet; vt verſio, *Carchuci*; vt Tabula, *Carduchi*: ſed quod in Media hi Atropatia coluerunt, non videntur veteres *Carduchi* eſſe, de quibus Xenophon lib. III Anabaſ. extremo egit, quia illi ad Tigrin in Armeniæ & Aſſyriæ confiniis habitarunt. Plinius lib. VI cap. XV *Adiabenis connectuntur Carduchi quondam, nunc Cordueni, præfluente Tigri.* Etiam Bocharto lib. I cap. III iidem ſunt qui Cordyæi ſeu Gordiæi. Deinde ſunt *Mardi*, ad Hyrcaniæ fines: & *Tapuri*, qui alii ſunt a Tapyris inter Hyrcanos & Derbicas colentibus: Tapuri enim in finibus Mediæ magnæ a Ptolemæo locantur: Straboni autem *Tapyri* in Atropatena. Ceteri ſunt perobſcura nomina, *Cælici*, *Amariacæ*, *Margaſi*, *Sagartii*, *Sidices*, *Vadaſſi*, *Marundæ*: ad Perſidis fines *Syromedi*.

V.

Vniuerſam Mediam diuiſit Strabo lib. XI pag. 360 δίχα, in duas partes, quarum vna eſt μεγάλη, *Media Magna*, cuius caput & regia fuerunt Ecbatana; altera, ἡ Ἀτροπάτιος Μηδία, *Media Atropatia*: ſiue vt ibidem & pag. 363 ὁ Ἀτροπατηνή, *Atropatene*. Et Plinius lib. VI cap. XIII vocat *Atropatenen*, quam dicit *ad Caſpium mare tendere*; eiusque incolas *Atropatenos, partem Medorum*. Nomen eſt a præfecto Atropato, qui obſtitit, quo minus Alexander Macedo & illam partem occuparet; eiusque rex factus poſtmodum, ſucceſſores ſuæ ſtirpis vsque ad Strabonis tempora reliquit.

SECTIO I.

MEDIA ATROPATENE.

VI.

Regia, ſeu βασίλειον, huius partis Straboni dicta *Gaza*, in campo ſita; Plinio lib. VI cap. XIII extr. *Gazæ*, pari interuallo ab Artaxatis & Ecbatanis poſitæ: & loco edito ac natura munito *Vera*, Οὐέρα, quam Antonius Parthica expeditione oppugnauit; quod idem Strabo tradidit: qui & populos in hac parte nominauit *Caduſios*, *Amardos*, & *Tapyros*, ac *Cyrtios*. Ex his *Caduſii* ad occaſum in montanis habitarunt, ſimulque ad mare pertinebant; *Amardi* poſt hos circa fluuium *Amardum*, a Ptolemæo deſignatum. *Tapyri* videntur ſub Amardis in auſtrum fuiſſe, vt Ptolemæi *Tapu-*

ris, ſi modo hi paullulum in boream magis ducantur, conciliari poſſint, quos non credo diuerſos in tanta vicinitate fuiſſe. *Cyrtiorum* ſedem, quia Ptolemæus præteriit, definire non poſſumus: ſicut nec oppida Strabonis Gazam & Veram, itidem a Ptolemæo prætermiſſa. Nec certus eſt huius Atropatiæ limes orientalis, num ad Hyrcaniam ſub mari Caſpio excurrat, an ſiſtatur poſt Amardum fluuium: quod magis probabile propter imparitatem partium, quia Μεγάλη, *Magna* altera cognominatur: etiam Strabonis epitomator p. 147 ita cenſet, Mediam magnam dicens *τὸ ἀνατολικὸν, orientalem: τὸ δὲ δυτικὸν, ἥτις καλεῖται Ατροπατηνὴ, occidentalem, quæ Atropatene vocatur.*

VII.

Huic parti quæ Ptolemæus oppida dat, ad Caſpium mare ſunt inter Araxen & Cambyſen fluuium, *Sanina:* inter hunc fluuium & Cyrum, *Tazina* & *Sabææ aræ:* inter Cyrum & Amardum fluuium, *Caduſiorum vallum*, & *Cyropolis*. Salmaſius in Solin. pag. 840 negat hoc loco Cyropolin fuiſſe, quæ eadem ſit ac Κυρέσχατα, *Extrema Cyri vrbs* ad Iaxartem fluuium, interprete Stephano: & Ammianum dicit Ptolemæum ſequutum eſſe, quum lib. XXIII cap. XXIII *Cyropolim* in Mediæ vrbibus recenſet. Verum vt plures eodem nomine ab Alexandro, Seleuco, Antiocho ſunt vrbes conditæ, ita haud video, quare Cyro, non minus gloriæ, quam illi, cupido, hanc vrbem in auito regno poſitam denegemus, quamuis & alia, quæ ad Iaxartem fuit, æque *Cyropolis* ac *Cyreſchata* adpellata fuerit.

VIII.

Quæ ab occaſu Armeniæ Ptolemæus oppoſuit oppida, ignota omnia ſunt *Scabine, Gabale, Gabris, Saoza; Aluaca;* qui tractus videtur eſſe regio *Matiana*, inter Armeniam & Mediam ſita, ſic tamen vt Mediæ potius quam Armeniæ adiudicetur, Strabo lib. XI pag. 350, *τοῦτο γίνεται τῆς Μηδίας ἐν τῇ Ματιανῇ, hoc fit in Mediæ Matiana.* Idem pag. 360 *κεῖται* [Atropatene Media] *τῇ μὲν Αρμενίᾳ καὶ τῇ Ματιανῇ πρὸς ἕω, τῇ δὲ μεγάλῃ Μηδίᾳ πρὸς δύσιν, Sita eſt Atropatene ab Armenia & Matiana in ortum: a Media Magna in occaſum.* Herodotus lib. I cap. CLXXXIX *ἐν τοῖς Ματιηνοῖσι οὔρεσι, in Mantienis montibus* dicit Gyndis fontes eſſe, quæ ipſa *Matiena* regio eſt, vti ex lib. V cap. LV adparet, vbi Ματιηνὴν γῆν * adpellat, per quam ex Armenia prope Gyndem fluuium via regia ferat *ἐς Σοῦσα, in vrbem Suſa.* Alia tamen Characeni Iſidori *Matiana* eſt, ad Caſpias ſita Portas, cuius *Raga* fuit, vrbs Mediæ maxima.

IX.

Vlteriora & propria Atropatenes oppida, a Ptolemæo nominata non ſunt notiora, *Tigrana, Gauzania, Phaſaba, Pharaſpa, Phanaſpa,* cetera; ex quibus haud dubie eſt regia vrbs, *βασίλειον, Praaſpa*, vt Dio Caſſius lib. XLIX p. 407 vocat; ſiue *Phraata*, vt Appianus in Parth. p. 272, quam Antonius

* Vid. Herodot. V cap. 49 Κιλίκων δὲ τῶν ἔχοντ' Αρμένιοι οἵδε - Αρμενίων δὲ Ματιηνοὶ χώρην τήνδε ἔχοντες· ἔχεται δὲ τούτων γῆ ἥδε Κισσίη κ. τ. λ. *Cilicibus adiuncti ſunt Armenii hi -- Armeniis finitimi Matieni regionis ſuæ cultores: huic Ciſſia terra ſubeſt.*

tonius fruſtra oppugnauerit. Quod de *Vera*, munita vrbe, ſupra Strabo referebat,quam ad horum nominum aliquod reducere non alienum a varietate eſt, qua auctores ab auctoribus diſcrepant. Adeo vbique prauata ſunt propria vrbium & regionum vocabula.

X.

Nec de fluuiis Atropatenes, quos Ptolemæus nominauit, plane convenit cum aliis. Non dicam de Pomponio Mela, qui lib. III cap. V inconſiderate: *Cyrus & Cambyſes ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi, & in diuerſa abeunt, perque Iberas & Hyrcanos diu & multum diſtantibus alueis defluunt: poſt non longe a mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum ſinum vno ore perueniunt.* Quot putas in his prodigia eſſe? Iberes & Hyrcani (quanto interuallo ſeiuncti?) qui poſſunt ſua flumina per vnum os emittere? De Cyro & Araxe dixi in Albania, confluere quidem, Araxis parte in Cyrum infuſa, vt tamen pars altera proprio oſtio effundatur: id vero de Ptolemæi ſententia de alio Cyro, quem is Κύῤῥον, *Cyrrhum* vocat, intelligendum, qui ex Armenia veniens inter Albanum & Araxem ad mare tendit Caſpium: alius autem Cyrus eſt Mediæ, quem idem Ptolemæus per Atropatiam in illud mare deducit: ſiue vere illud nomen habuit, ſiue in nomine Ptolemæus errrauit. Ammianus lib. XXIII c. XXIII Cyrum cum Mediæ amnibus coniungit. *Amardus*, inquit, *& Charinda, & Cambyſes, & Cyrus, cui magno & ſpecioſo Cyrus ille ſuperior rex amabilis, abolito vetere, id vocabulum dedit, quum ereptum ire regna Scythica deſtinaret: quod & fortis eſt, vt ipſe etiam ferebatur; & vias ſibi, vt ille, impetu ingenti molitus, in Caſpium delabitur mare.* Incertum, quem Cyrum amnem ſignificet: ordo Mediæ; impetus & Scythicum iter Albaniæ videntur flumen deſignare.

2. Ceteri omnes vnum habent Cyrum ſe mari Caſpio inſinuantem, & eum quidem qui cum Araxe ſe coniungat, quem Ptolemæus lib. V cap. XII & XIII Κύῤῥον *Cyrrhum* vocat, vti vrbs Syriæ Κύῤῥος & Κύρος ſcribitur: alter vero Cyrus Ptolemæi, qui inter Cambyſen & Amardum decurrit, ignotior ſuperiore eſt. *Cambyſen* amnem Plinius lib. VI cap. XIII ex Caucaſiis montibus deducit, Ptolemæi Cambyſes ex auſtrali parte montium, qui Armeniam & Mediam ſeu Matianam disiungunt, ſeptemtrionem verſus, aut in æſtiuum ortum defluit. Strabonis Epitome p. 148 περὶ τὸν Καμβύσην, *circa Cambyſem* fluuium locat gentem Caſpiam citeriorem, quæ Caduſiis ſit proxima.

MEDIA MAGNA.

XI.

Media Magna, ἡ μεγάλη Μηδία, Perſide, Parthia, Hyrcania & mari Caſpio ſiue Hyrcano clauditur: ab occaſu ab Atropatene incertis finibus diſcernitur; ex parte etiam Aſſyriæ extremis terminatur. Strabonis, vt diximus, eſt hæc diuiſio in Magnam & Atropatiam, quam Ptolemæus neglexit,

glexit, *Tropatenen* quidem prouinciam quamdam truncate adpellans, oppida vero permiſcet ac confundit.

XII.

Regia & metropolis Mediæ magnæ *Ecbatana* fuerunt, * quam Cteſias auctore Stephano Αγβάτανα, *Agbatana* ſcripſit, ** quod etiam Iul. Cæſari Scaligero de Cauſſ. L. L. cap. XXXVII placet, qui *Egbatana* præfert. Nec vero κβ in talibus diſſociabiles ſunt, vt in ἐκβαίνω, ἐκβάλλω, & aliis adparet; & præterea omnes alii Εκβάτανα, *Ecbatana* ſcripſerunt. De accentu notandum, vulgo pænultimam attolli, quod contra antiquam pronuntiationem eſt. Lucilius Satyra VII apud Nonium Marcellum in V. CERCVRVS:

Ad regem legatu' Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
Ibo, cercurum ſumam.

Originem vrbs habuit a Deioce, Medorum rege, quod Herodotus lib. I cap. XCVIII prodidit: ideoque Plinius notandus eſt, qui lib. VI cap. XIV dixit: *Ecbatana, caput Mediæ,* *** *Seleucus rex condidit.* Non enim condidit, † ſed forſan inſtaurauit vrbem fortunæ ac temporum caſibus adflictam. Et qui potuit a Seleuco condita eſſe, cuius Demoſthenes etiam Philipp. IV pag. 100 mentionem habuit, regem Perſarum periphraſi ſignificauit τὸν ἐν Σȣ́σοις καὶ ἐν Εκβατάνοις, *eum qui Suſis & Ecbatanis* regiam ſedem habet? †† Notandus etiam Diodorus eſt, lib. II cap. XIII, ſequutus Cteſiam, Ecbatana ad fabuloſa Semiramidis aut his ſuperiora tempora referens. De hac enim dicit, παραγενομένη δ' εἰς Εκβάτανα πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, κατεσκεύασεν ἐν αὐτῇ πολυτελῆ βασίλεια, *Profecta in campeſtrem vrbem Ecbatana, ſumtuoſam in illa regiam condidit.* Ipſam vero vrbem in leni colle fuiſſe poſitam, ††† ex munitione Deiocis, quam Herodotus dicto loco deſcripſit, manifeſtum eſt. In eo tamen, quod res eſt, de ſitu vrbis ibidem Diodorus dixit, δώδεκα ςαδίȣς, *duodecim ſtadiis* ab ea montem *Orontem* abeſſe, quod adprime cum Ptolemæi poſitione conuenit: quæ vtique poſitio-

* Regia domus multis munimentis circumſepta erat. Themiſtius Orat. XXVI pag. 319 D de Ariſtotelis libris διὰ τȣ̃το, inquit, ἐν ποσὶν κυλινδȣ́μενοι ȣ̃τοι οἱ λόγοι, πλείοσι πεφραγμένοι εἰσὶ περιβόλοις, ἢ τὰ ἐν Εκβατάνοις βασίλεια. *Quæ cauſſa eſt, cur tametſi omnium ad pedes volutentur ii libri, pluribus quam regia illa, quæ Ecbatanis eſt, munimentis ſint ſepti.*

** Ακβάτανα ſcripſit Herodotus III cap. 92.

*** Polybius X cap. 24 multa habet, quæ huc pertineant. Vrbem dicit muro cinctam non eſſe, arcem vero munitam. De magnificentia vetere plurima narrat apud ipſum videnda. Ælianus H. V. VII cap. 7 arcem muris nudatam ab Alexandro propter Hephæſtionis mortem narrat.

† Fuit enim iam Medorum regum ſedes, auctore Polybio.

†† Add. Ælian. de Animal. X cap. 6, vbi Perſarum reges per æſtatem Suſis, per hiemem Ecbatanis verſari dicit. Quod contra fuiſſe probabile eſt, etiamſi Strabo ipſe ſuffragari videatur Æliano libr. XI pag. 795. Sed ibidem tamen narrat, *Coſſæos muneribus deliniri, quum rex Perſa, æſtate Ecbatanis peracta, in Babyloniam deſcendat.* Omnino qui Suſianam æſtu ſolis conflictari ſcierit e Strabonis lib. XV pag. 1063, non dubitauerit, quin æſtatis calores intolerabiles fugerint reges Perſarum, & idcirco Ecbatanis ſedem præoptarint per æſtatem.

††† Πόλιν adpellat Diodorus II pag. 101 ἄνυδρον. Sed Semiramidem aquas copioſas eo deduxiſſe ſcribit.

poſitioni Ammiani præferenda eſt, qui lib. XXIII cap. XXIII *Ecbatana,* inquit, *ſub Iaſonio monte in terris ſita Syromediæ.* Sed hæ in extremo auſtro ſunt ad fines Perſidos.

2. Quod vero in Syria etiam huius nominis oppidum fuit, vti ex Cambyſis fato notum eſt; hæc vrbs ſæpius cum Mediæ cognomento vocitatur. Herodotus lib. III cap. LXIV ἐν τοῖσι Μηδικοῖσι Ἐκβατάνοισι, *in Ecbatanis Mediæ :* & Diodorus lib. XIV cap. XXIII εἰς Ἐκβάτανα τῆς Μηδίας: * & Ioſephus lib. X cap. vlt. ἐν Ἐκβατάνοις τοῖς Μηδικοῖς: & Plinius lib. VI cap. XXVII *tantumdem ab Ecbatanis Medorum per montem Charbanum,* quæ pars videtur montis Zagri eſſe. Plutarchus Alexandro pag. 704 ὡς ἧκεν εἰς Ἐκβάτανα τῆς Μηδίας, *poſtquam Ecbatana Mediæ venit.* Meminit & Tacitus lib. XV cap. XXXI, *Digreſſus* [Tiridates] *Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis repperit.* Vbi aliquid mendi latere videtur in *Medorum* nomine. Th. Ryckius ad hunc locum: *Mirum, quod dicat Pacorum apud Medos repertum, Vologeſen Ecbatanis, quaſi Ecbatana, quæ Mediæ metropolis, in Medis non fuerint.* Femineo genere Hieronymus Chron. Euſ. n. MCCCIX, etiam in MSS. Scaligero teſte, *Deioces Ecbatanam condit.*

XIII.

Fuit & alia vrbs Mediæ, cui nomen *Batana,* diuerſa ab Ecbatanis, vt Holſtenius etiam cenſet in Ortel p. 29, Iſidoro Characeno p. 6, quamuis illi videatur nomen regionis eſſe : *Apobatana* autem dicit μητρόπολιν τῆς Μεδίας καὶ θησαυροφυλάκιον, *metropolim & theſaurorum conditorium.* An ſint hæc Ecbatana ſiue Agbatana, prauato non nihil priore vocabuli parte, non habeo dicere. non enim vox ex Græcorum præpoſitionibus nata ἀπὸ vel ἐκ idem pæne ſignantibus; verum ex אי vel אר, vt Scaliger ad dictum locum Euſebiani Chronici obſeruauit. *Batana* hæc videntur Ptolemæi Ῥάτινα, *Batina* eſſe, quæ a ſeptemtrione Orontis montis, circa Stratonem fluvium poſuit, vt mons ille inter hæc & Ecbatana interſit.

XIV.

Et alia clara oppida Mediæ Magnæ a Strabone recenſentur lib. XI pag. 361. εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ Ἑλληνίδες πόλεις, κτίσματα τῶν Μακεδόνων ἐν τῇ Μηδίᾳ, ὧν Λαοδίκειά τε καὶ Ἀπάμεια, καὶ ἡ πρὸς Ῥαγαῖς καὶ αὐτὴ Ῥάγεια, τὸ τοῦ Νικάτορος κτίσμα. ἐκεῖνος μὲν Εὐρωπὸν ὠνόμασε, Πάρθοι δὲ Ἀρσακίαν, νοτιωτέραν οὖσαν τῶν Κασπίων πυλῶν πεντακοσίοις που σταδίοις. *Sunt & Græcanicæ vrbes in Media, a Macedonibus conditæ, Laodicea, Apamea, & apud Ragas a Nicatore condita Rageia; quam ipſe Europum adpellauit, Parthi Arſaciam, meridiem verſus a Caſpiis portis ſitam quingentis circiter ſtadiis ;* quod auctoritare Apollodori Adramytteni confirmat. Integra verba adpoſuimus, vt de ſingulis curatius cenſeatur.

XV.

Prima *Laodicea* eſt, cuius nominis plures vrbes ſunt vel a matre Nicatoris, vel ab Antiochi II vxore adpellatæ. Vide Chorographum Byzantium; qui poſt alias Laodiceas, ἔστι καὶ Μηδίας ἑτέρα, *eſt,* inquit, *& alia* [Lao-

* Et libr. XVII pag. 538.

[Laodicea] *in Media.* Videtur ſub Perſidis finibus fuiſſe poſita, quia Plinius lib. VI cap. XXVI Perſidi, ſed in extremis finibus, tribuit. *Præterea,* inquit, *habet in extremis finibus* [Perſarum regio] *Laodiceam, ab Antiocho conditam.*

XVI.

Altera Strabonis vrbs *Apamea* eſt, cuius nominis quinque, non plures, Octauius Falconerius de Nummo Apamenſi pag. 173 defendit, & hæc noſtra illarum eſt vltima, quæ ab ipſo Strabone nunc Parthiæ nunc Mediæ tribuitur lib. XI pag. 354 & 361, quia in confinio vtriusque gentis erat, aut ea Mediæ parte, quæ etiam Parthiæ aliquando adſcripta fuit. Priori enim loco vbi Parthiam deſcribit, ἔςι δ' Ἀπάμεια περὶ τὰς Ραγὰς, *eſt vero,* inquit, *Apamea circa Ragas:* Ragæ vero omnium conſenſione ſunt Medorum. Plinius lib. VI cap. XIV *Reliqua Medorum oppida, Phazaca, Aganzaga, Apamia Raphane cognominata:* quod cognomen quum in Syria etiam oppidi nomen ſit, inde potuit ad hanc Apameam conferri, neque id ſollicitandum cenſeo: nec vero diffiteor, me aliquando cogitaſſe, forſitan *Ragane* legendum eſſe, quia Ptolemæus regionem circa Caſpias Portas *Ragianam* vocat, ſine dubio ab *Ragis* oppido eius tractus, in quo & Apamea illa ſita fuit. Sed nihil temere mutari velim ſine codicum adſenſu: tantum coniecturam olim mihi ſubnatam indicaſſe liceat.

XVII.

Tertia vrbs a Strabone dicitur Ράγεια, *Rageia,* ſeu *Ragea,* quamquam Caſaubonus malit Ράγα, *Raga,* quia a Stephano Ράγα vocetur: cui addo, quod vetus interpres *Rhaga* reddidit: ſed quia diſtinxit ipſe a Ragis ſiue Ράγαις, & Stephanus ex vtraque voce videtur vnum facere, non video, cur a vulgata lectione diſcedendum ſit. Strabonis verba ſunt, καὶ ἡ πρὸς Ραγαῖς καὶ αὐτὴ Ράγεια, &, *quæ apud Ragas ſita, ipſa quoque Ragea dicta.* neque enim Ragæ ibi populus ſunt, ſed oppidi nomen, ideoque pag. 354 dicitur περὶ τὰς Ραγὰς, *circa Ragas,* quæ diſtent a Caſpiis portis ſtadiis quingentis. Siue autem *Raga* legatur ſiue *Rageia,* perinde nobis eſt, modo concedatur, duplicem fuiſſe vrbem, veterem, ac nouam a Nicatore Seleuco ſuperadditam. De veteri Arrianus lib. III pag. 207, Alexandrum vndecimis caſtris veniſſe ἐς Ραγὰς, *Ragas,* quæ diſtent a Portis Caſpiis ὁδὸν ἡμέρας μιᾶς, *vnius diei itinere,* quod conuenit cum quingentis ſtadiis Apollodori & Strabonis. Et hæc eſt etiam, ad quam Tobiæ libro iter dirigitur, ſiue vera illa hiſtoria eſt, ſiue ad modum veræ compoſita & conficta. Ibidem vocabulum vrbis etiam plurale eſt, ſed neutrum, ἐν Ραγεῖς, ἐκ Ραγῶν, quæ ſunt primo caſu τὰ Ραγά.

2. Id vero perquam eſt credibile, veterem vrbem a noua fuiſſe exhauſtam, vt vnius tantum poſteriores meminerint. Iſidorus in Stathmis Parth. pag. 6 μεγίςη τῶν κατὰ τὴν Μηδίαν ἡ Ράγα, *maxima vrbium Mediæ eſt Raga.* Et Stephanus: Ράγα πόλις ἐν Μηδίᾳ, *Raga vrbs Mediæ.* Noua, *Europus,* Ευρωπὸς dicta, quo nomine etiam a Ptolemæo memorata eſt: deinde a Parthis vocata eſt *Arſacia.* Vtrumque Strabo prodidit: repetiit

repetiit Stephanus, qui vero, demta ſyllaba, Αρσάκη, *Arſace* ſcripſit, vbi Strabo *Arſacia.*

XVIII.

Reliqua Plinii oppida *Phazaca* & *Aganzaga*, obſcura nomina, in mendis latent: quæ produximus vocabula, a Ptolemæo Harduinus in ſuam Plinii editionem ſumſit. Iſidorus cum Raga coniungit *Characa*, vtramque in Matiana ſua conſtituens: Ptolemæo autem *Charax* eſt in Parthia, ſed proxime Europum ſiue Ragam, hoc eſt in confiniis vtraque. Cetera totam Mediam Iſidorus aliter ac reliqui, in Stathmis ſuis diſpoſuit, alia & ignota nominauit oppida. Ex Chalonitide enim Aſſyriæ duxit in Mediæ regionem *Carinam*, quæ ſine oppidis ſit: inde in *Cambadenam*, cuius ſit vrbs *Baptana.* Hinc, inquit, ἡ Μηδία ἡ ἄνω, *Media ſuperior*, cuius ſint oppidum *Concobar:* deinde *Adraginanas* in *Batanis:* denique metropolis *Apobatana.* Εντεῦθεν Ματιανὴ Μηδία, *Hinc Matiana Media*, in qua maxima vrbs *Raga;* & *Charax*, ſita ſub monte Caſpio, ἀφ' ȣ̃, *a quo* Portæ Caſpiæ ſint nominatæ. Hinc tranſcendi ipſas Caſpias Pylas.

XIX.

Longe hæc diſcrepant ab rationibus Ptolemaicis, quibus maiores regiones Mediæ dicuntur *Tropatene*, quæ in Tabula vltra Atropatenen eſt orientem verſus: a Zagro monte vsque Parthiam Χωρομιθρηνὴ, *Choromithrene*, cuius partes *Sigriane*, *Ragiane*, *Daritis:* iuxta totam Perſidem in meridie *Syromedia.* Oppida Ptolemæi præter ſupra memorata fere omnia obſcura ſunt, præter Ecbatana & Europum: a qua *Arſaciam* quamdam prope Iaſonium montem diſtinguit; ibidemque & *Heracleam* ſtatuit, quemadmodum Ammianus etiam lib. XXIII cap. XXIII *Heracleam* & *Arſaciam* coniungit. Ad mare poſt Amardi oſtia ſunt ei *Amana*, *Acota*, *Mandagarſis*, ſed æque ignobilia. *Carinen* oppidum habet ſuper Suſianam iuxta Zagrum montem, a qua *Carina* regio Iſidori Characeni ſupra demonſtrata. Cetera plurima propter obſcuritatem prætermitto.

XX.

Ammianus Marcellinus iam dicto loco circa Mediam hæc oppida nominatim poſuit: *Per hæc loca ciuitates diſperſæ ſunt plures, queis omnibus præſtant Zombis, & Patigran, & Gazaca.* Ex his *Zombis* etiam Stephano laudata, Ζομβὶς πόλις τῆς Μηδίας, *Zombis eſt vrbs Mediæ:* ſed in qua parte Mediæ ſita fuerit, definiri non poteſt, neque in maximo oppidorum numero Ptolemæus memorauit. *Patigran*, [ſic in MSS. eſt,] forte *Patigrana* legendum, idque Valeſius putat *Tigranam* Ptolemæi in Atropatena circa flumen Cyrum eſſe. *Gazaca* & Stephano nota, cui Γάζακα πόλις μεγίςη τῆς Μηδίας, *Gazaca vrbs maxima eſt Mediæ.* Ptolemæus eam circa Amardum fluuium in *Margaſis* populis [ſi recte ab auctore Tabulæ hæc gens eſt poſita] locauit. Addit Marcellinus: *opibus & magnitudine mœnium conſpicuæ ſunt Heraclea, & Arſacia, & Europos & Cyropolis, & Ecbatana,*

tana, ſub Iaſonio monte in terris ſitæ Syromedorum. Iaſonius quidem mons eſt prope Syromediam ex Ptolemæi diſpoſitione; Ecbatana autem ſuperiora ſunt ad Orontis radices. Lindenbrogius & Valeſius *ſitæ* ediderunt, quaſi omnes ante nominatas vrbes ſub Iaſonio poſuerit: quod vt credam, non adduci poſſum. Cyropolis enim ad mare eſt; Europus ad Portas Caſpias: ſola *Heraclea* & *Arſacia* propinquiores ſunt Orontis iugo ſecundum Ptolemæi rationes. Et hæc *Arſacia* diuerſa ab Europo eſt, quæ a Parthis etiam Arſacia, vt Strabo & Stephanus referunt, fuit transnominata.

XXI.

Ipſæ *Caſpiæ Portæ*, vt veteres deſcripſerunt, ſunt inter Mediam Parthiamque, ſeu in extrema Media ad orientem ſolem. Sic Ptolemæus poſuit: ſic etiam Strabo lib. XI pag. 362 *δοκεῖ δὲ μέγιστον εἶναι πλάτος τῆς Μηδίας τὸ ἀπὸ τῆς τοῦ Ζάγρου ὑπερθέσεως, ἥπερ καλεῖται Μηδικὴ πύλη, εἰς Κασπίους πύλας διὰ τῆς Σιγριανῆς σταδίων τετρακισχιλίων ἑκατὸν, maxima videtur latitudo Mediæ a tranſitu Zagri [Portam Medicam vocant] vsque ad Caſpias portas per Sigrianam, ſtadiorum quater mille ac centum.* Epitomator Strabonis inſtar interpretis hoc loco eſt. *Duæ*, inquit, *ſunt gentes Caſpiæ; altera occidentalior Caduſiis iuxta mare eodem nomine & fluuium Cambyſen: οἱ δὲ γείτονες τῶν Παρθυαίων, ὧν εἰσὶν καὶ αἱ Κάσπιαι πύλαι, altera Parthis vicina, cuius ſunt portæ Caſpiæ.* Et Arrianus lib. III Alexandrum dicit in perſequendo Dario *ab Ecbatanis* veniſſe vndecimo die *ἐς Ῥάγας*, *Ragas*, quæ vnius diei itinere abſint *a Caſpiis portis:* Darium autem per illas portas iam prægreſſum fuiſſe. Et Dionyſius periegeta verſ. 1039

> Ἀλλ' ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάων
> Πάρθοι ναιετάουσιν,

At vero portarum quidem ſub pede Caſpiarum Parthi habitant. Et Iſidorus Characenus pag. 6 de vrbe Charace, *ἔστιν ὑπὸ τὸ ὄρος, ὃ καλεῖται Κάσπιος, ἀφ' οὗ αἱ Κάσπιαι πύλαι, ſita eſt ſub monte, qui dicitur Caſpius, a quo Caſpiæ portæ nominantur.* Charax autem a Ptolemæo in fronte Parthiæ cenſetur: aut potius in confinio eſt Mediæ Parthiæque.

2. Sic omnes fere in ſitu conſentiunt: Plinius autem conturbat rem, ſaltem ſibi non bene conſtat. nam lib. VI cap. XV *Adiabenis connectuntur Carduchi quondam dicti, nunc Cordueni, præfluente Tigri: his Pratitæ, παρ' ὁδὸν adpellati, qui tenent Caſpias portas.* Quis non inde putet, portas has in citeriore Media locari, quia qui tenent & accolunt, finitimi ſunt Corduenis atque Tigri? Sic ſane eruditus interpres Io. Harduinus intellexit nota VI ad cap. XIV. *Portæ*, inquit, *Caſpiæ vocantur interrupta anguſto tranſitu iuga Caſpii montis in confinio Armeniæ Mediæque.* At cap. XXV idem Plinius: *Parthia habet ab ortu Arios; a meridie Carmaniam & Arianos: ab occaſu Pratitas Medos; a ſeptemtrione Hyrcanos.* Recte hoc loco Pratitæ conſtituti, hoc eſt gens mercaturæ dedita, quæ *παρ' ὁδὸν* dicuntur, id eſt, ad tranſitum portarum habitare. Recte, inquam, locati

ſunt,

ſunt, vt Parthos ab oriente ſole attingant. Sicut ergo Caſpia gens duplex erat, vt ſupra ex Strabonis epitoma monſtrauimus; ita etiam duplex eſt *Mons Caſpius*, alter vicinus Armeniæ, alter Parthiæ, quem ita Iſidorus Characenus adpellauit, cuius verba ſupra ſunt adlata. Famoſæ autem Caſpiæ portæ, vt vidimus, conſenſu omnium in vlteriore monte ſunt Mediam Parthiamque diſterminante.

3. Iterum hoc loco notandus error eorum eſt, qui Ibericas portas etiam vocarunt *Caſpias.* Plinius lib. VI cap. XIII rem plane expoſuit. *Corrigendus*, inquit, *eſt error in hoc loco multorum, etiam, qui in Armenia res proxime cum Corbulone geſſere. Namque hi Caſpias portas adpellauere Iberiæ, quas Caucaſias diximus vocari, ſitusque depicti & inde miſſi hoc nomen inſcriptum habent. Et Neronis principis comminatio ad Caſpias portas tendere dicebatur, quum peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vix vllo propter adpoſitos montes aditu ad Caſpium mare.* Eadem notanda in Suetonio cap. XIX, & Tacito lib. I Hiſt. cap. VI, qui etiam Neronis illam tentatam expeditionem memorant. Quod vero Tacitus præmiſſos a Nerone *ad clauſtra Caſpiarum, & bellum, quod in Albanos parabat*, dixit, eſt quod dubites, ac Caucaſiæ intelligantur, quibus in Sarmatas, non in Albanos iter erat. An ergo aliæ anguſtiæ in citeriore monte ad Albaniæ fines?

XXII.

Ad Portas Caſpias verſus, circa Coronum montem, ſunt magna illa prata, quæ Straboni λειμὼν ἱπποβότος, *pratum equos alens*, lib. XI pag. 361, & Euſtathio in Dionyſium, vbi de Caſpiis portis agit, circa verſ. 1033, τὸ Νισαῖον πεδίον, *Niſæus campus* dicta. Ibi optimos & maximos equos, quibus reges vtebantur, nutriri aiunt. Strabo: τοὺς Νισαίους ἵππους, οἷς ἐχρῶντο οἱ βασιλεῖς ἀρίστοις οὖσι καὶ μεγίστοις, οἱ μὲν ἐνθένδε λέγουσι τὸ γένος, οἱ δ' ἐξ Ἀρμενίας, *Niſæos equos, quibus reges vtuntur optimis & maximis, quidam hinc* [ex Mediæ pratis] *peti aiunt, alii ex Armenia.* Minus dubitanter Euſtathius: τὸ ᾀδόμενον Νισαῖον πεδίον ἐκεῖ που περὶ τὴν Μηδικὴν χώραν ἦν, φέρων ἵππους μεγάλους, τοὺς λεγομένους Νισαίους. *Laudatiſſimus ille Niſæus campus ibi in Mediæ regione erat, equos alens grandes, quos Niſæos vocant.* Epitome Strabonis pag. 148 πλησίον τῶν περὶ Παρθυαίους Κασπίων πυλῶν ἐστὶ τὸ Νισαῖον πεδίον ἱπποβότον, *iuxta portas Caſpias, quæ Parthis vicinæ ſunt, Niſæus campus eſt, equis paſcendis aptiſſimus.* Meminit & Ammianus lib. XXIII cap. XXI. Sed omnibus his maior & antiquior Herodotus lib. VII cap. XL Νισαῖοι καλέονται ἵπποι ἐπὶ τοῦδε· ἐστὶ πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ οὔνομα ἐστὶ Νίσαιον· τοὺς ὦν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Niſæi equi dicuntur hac de cauſſa: Eſt ingens Medicæ* [regionis] *campus, nomine Niſæus, qui grandes fert equos.*

XXIII.

Tandem de *Caſpio mari* aliquid dicendum eſt. Dicitur *Caſpium*, quia Caſpii, populus, accolunt; dicitur idem etiam *Hyrcanum* ſeu *Hyrcanium*,

canium, quod ex alia parte Hyrcani accolunt. Promiſcue ſic vtroque nomine adpellatur. Strabo lib. II pag. 83 Κασπία καλεῖται θάλαττα, οἱ δ' Ὑρκανίαν προσαγορεύουσιν, *Caſpium mare vocatur: quidam vero vocant Hyrcanium.* Et Diodorus Siculus lib. XVII cap. LXXV μέχρι τῆς Κασπίας καλουμένης θαλάττης, ἣν Ὑρκανίαν τινὲς ὀνομάζουσιν, *vsque ad Caſpium, vt vocatur, mare: quod quidam Hyrcanium adpellant.* Si tamen curatius intuearis, diſcriminis aliquid intereſt. *Caſpium* enim citerius eſt, quod Caſpios & Caduſios adluit: *Hyrcanium*, quod eſt ſupra Hyrcaniam, ſeu pars maris orientalis. Plinius lib. VI cap. XIII *A Cyro* [amne] *Caſpium mare vocari incipit: accolunt Caſpii:* & cap. XVI *Hyrcani, a quorum litoribus idem mare Hyrcanium vocari incipit.*

2. De ortu & figura huius maris grauis eſt diſſenſio. Plerique veterum ex ſeptemtrionali Oceano tamquam ſinum deducunt. Strabo lib. II pag. 83 Terram dicit ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης, *ab externo mari*, ſiue Oceano, multos in ſe admittere κόλπους ſiue *ſinus:* maximos quatuor, e quibus borealis ſit *Caſpium mare* ſiue *Hyrcanium.* Huic etiam antea pag. 51 στόμα ſeu *oſtium* adſignauit, quo effluat ex Oceano. Pomponius Mela lib. III cap. V, quaſi vidiſſet, *Caſpium mare vt anguſto, ita longo etiam freto primum terras, quaſi fluuius, irrumpit.* Plinius lib. VI cap. XIII *Irrumpit e Scythico Oceano in auerſa Aſiæ, pluribus nominibus accolarum adpellatum, celeberrimis duobus, Caſpio & Hyrcanio.* Et breui poſt: *Irrumpit autem arctis faucibus & in longitudinem ſpatioſis.* Arrianus lib. VII pag. 477 οὔπω ἐξεύρηνται αἱ ἀρχαὶ τῆς Κασπίας θαλάσσης, *nondum inuenta ſunt maris Caſpii initia.* Mirum, hæc ita tradita a poſterioribus, nec veriora ab accolis edocta fuiſſe, quæ multis ſæculis priorem Herodotum minime fugerunt. Hic enim lib. I cap. CCIII diſerte: ἡ Κασπίη θάλασσά ἐστι ἐπ' ἑωϋτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. *Caſpium mare per ſe ipſum mare eſt; non commixtum aut connexum cum mari alio.*

3. Ibidem Herodotus magnitudinem etiam ac figuram maris bene deſcripſit, longitudinem ab occaſu in ortum remis enauigari quindecim diebus: latitudinem diebus octo. Quod perperam Iul. C. Scaliger inuertit, & hunc ſequutus Adam Olearius, latius a ſeptemtrione in meridiem hoc mare extendentes, quam in longitudinem ab occaſu in ortum: quos multi tabularum artifices hodieque ſequuntur. Verum id non ſolum cum Ptolemæi tabulis, ſed cum ipſis quoque recentium experimentis, qui longitudinem nauigarunt, pugnat, quorum relatio adprime cum Herodoti rationibus conuenit. Quod pluribus contra Scaligerum & Olearium Iſaacus Voſſius in Melam Obſeruationibus ad lib. III cap. V. pag. 240 ſeq. demonſtrauit.

CAPVT


Lib. III pag. 675
Septentrio
Meridies.
Occidens
Oriens
ORIENS
PERSIA, INDIA
SCYTHIAE PARS
SCYTHIA INTRA IMAVM
MARE CASPIVM HYRCANVM
PONTI EVXINI PARS
SOGDIANA
GABAZA
MARGIANA
BACTRIANA
MASSAGETAE
Sacæ
HYRCANIA
MEDIA MAGNA
ATROPATIA
ARMENIA MAIOR
ARMENIA MINOR
IBERIA
ALBANIA
COLCHIS
CAPPADOCIA
Paphlagonia
Gallogræcia
PHRYGIA
Leucosyri
Lycaonia
Cataonia
CILICIA
CYPRVS
SYRIA
MESOPOTAMIA
ASSYRIA
ADIABENE
Cœlesyria
PHOENICIA
Galilæa
Samaria
IVDAEA
PERAEA
Ammon
Moab
Idumæa
Petra
BABYLONIA
CHALDEA
SVSIANA
Elymais
PERSIA
PARAETACENE
PARTHIA seu PARTHIENE
Hecatompylos
ARIA
CARMANIA DESERTA
CARMANIA
Carmana metropolis
DRANGIANA
ARIASPAE
ARACHOSIA
GEDROSIA
Ichthyophagi
Arabitæ
PAROPAMISVS
INDIA INTRA GANGEM
INDIA EXTRA GANGEM
Brachmanes
Sabracæ
Musicani
Præsti
Sabi regnum
Sabaræ
Gangaridæ
Palibothra
ARABIA PETRAEA
ARABIA FELIX
Saraceni
Midianitis
Nabatæi
Thamydeni
Sabæi
PANCHAIA
Thurifera regio
Muza emporium
Arabia emporium
SINVS ARABICVS
SINVS PERSICVS
MARE ERYTHRAEVM
OCEANVS INDICVS
SINVS GANGETICVS
CHERSONESVS AVREA
Vertex Taprobanæ
Lestorum regio
Ecbatana
Babylon
Persepolis
Alexandria
Maracanda
Susa
Cyropolis
Patala
Barigaza emporium
Modura

CAPVT XIX
DE
PERSIDE* ET SVSIANA
AC ADIACENTIBVS.

I.

QVæ inter Tigrin flumen, Mediæ montes, Carmaniam & Sinum Perſicum regiones ſunt, nunc vno curſu conſiderabimus. A Tigri *Suſiana* incipit: excipit anguſtior *Elymais:* finit ampliſſima *Perſis* ſiue *Perſia.* A ſeptemtrione in montibus aut ſub illis ſunt *Oxii*, *Coſſæi*, & *Parætaceni*, cum aliis ignobilioribus.

II.

2. Nomen eſt in ſacro codice פרס *Paras*, quod regionem & gentem ſignificat: & inde Græcæ & Latinæ adpellationes, Περσὶς, Πέρσαι, *Perſis*, *Perſia*, *Perſæ.* nam duplex forma Latinis in regionis nomine, *Perſia*, qua Plautus in Perſa fabula vſus eſt: & *Perſis*, Græco more, a ceteris fere omnibus, Mela, Plinio, Curtio, Ammiano, vt poetas taceam, recepta.

2. Eſt & antiquum nomen עילם *Elam:* vnde diſcimus, Perſas fuiſſe ab Elam filio Semi, Geneſ. x, 22. quamquam *Elymais* regio, ſeu *Elymæi*, populus, ab hoc videntur proprie eſſe; illaque prima Elami ſedes: antequam poſteri in vlteriora proficiſcerentur. Ioſephus lib. I Antiq. cap. VII Ἔλυμος μὲν Ἐλυμαίους, Περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας κατέλειπεν, *Elymus* [ſeu Elam, Semi filius] *Elymæos, vnde Perſæ orti ſunt, reliquit.* Et Hieronymus in Ierem. cap. XXV, 25 *Elam regio Perſidis trans Babylonem.*

3. Hæc ex ſacris libris nomina: profani addunt aliud ab *Achæmene* priſco quodam rege, quem Herodotus lib. VII cap. XI Cambyſis maioris patrem dixit, petitum. Horatio lib. II oda XII eſt *diues Achæmenes.* Hinc *Achæmenia*, id eſt Perſis, ſeu pars eius; & *Achæmenius*, Perſicus. Stephanus Byzantius: Ἀχαιμενία ἡ Περσίδος μοῖρα, *Achæmenia pars eſt Perſidis.* Si pars, circa Paſargadas fuit, in quibus, quod Herodotus lib. I cap. CXXV refert, *Achæmenidæ* ſunt certa tribus, e qua reges Perſarum orti fuerunt. Sic & Strabo lib. XV pag. 500 Ἀχαιμενίδας, *Achæmenides* inter tres præcipuas Perſarum gentes numerat. Poetarum eſt *Achæmenius* pro Perſicus. Horat. lib. III od. I *Achæmenium coſtum*, id eſt vnguentum Perſicum: & Epod. XIII *Achæmenia perfundi nardo.* Et Ouidius de Arte lib. I verſ. 226

Vrbs in Achæmeniis vallibus iſta fuit.

* *Perſis* non accipitur hic pro imperio Perſico, quod ſub vltimis præſertim regibus, ante Alexandrum, latiſſime patebat. Qua de re Herodotus III cap. 9 ſeqq. videndus, & dignus eſt qui legatur. Sed ponitur pro regione, quæ hoc nomen ſuſtinuit proprie, ita tamen, vt alias laxius, alias ſtrictius intelligatur. Vide § III & XXXV.

III.

Flumina Perſidis late dictæ, vt Suſianam etiam comprehendit, difficulter propter diſſenſiones auctorum ordinantur. Ptolemæus in Suſiana poſt Tigrin primum habet amnem *Moſæum*, μωσαῖον, quem in ſinum deducit Perſicum. Ammiano lib. XXIII cap. XXI *Meſeus* dictus. *Fluuii*, inquit, *multi per hæc loca diſcurrunt, quibus præſtant Oroates & Harax, & Meſeus:* vbi medium *Haracem* Valeſius falſum putat, ex errore ortum, quaſi nomen oppidi *Charax* fluuii vocabulum eſſet.

IV.

Poſt Moſæum Ptolemæus, amplio interiecto ſpatio ſeu toto πηλώδει κόλπῳ, *cænoſo ſinu*, fluuium habet *Eulæum:* quem Plinius lib. VI cap. XXVII *arcem Suſorum circuire*, vt ita omnino ſit ille אולי *Vlai* Daniel. VIII, 2. Herodotus autem lib. I cap. CLXXXVIII *Choaſpen* fluuium nominat τὸν παρὰ Σοῦσα ῥέοντα, *Suſa præterfluentem.* * Hinc quæſtio nata inter eruditos eſt, ſintne diuerſa an vnum flumen, Eulæum & Choaſpes. Plinius ſane diſtinxit, vtrumque quidem ex Media deducens, Choaſpem autem in Paſitigrim infundens; cum quo in lacus ſe Chaldaicos immittat: Eulæum vero in lacum Characenum, in quem ipſe Paſitigris exeat. Polycletus quoque apud Strabonem lib. XV pag. 501 dixit, εἰς λίμνην τινὰ συμβάλλειν, τόν τε Χοάσπην καὶ τὸν Εὔλαιον, καὶ ἔτι τὸν Τίγριν, ἐπ' ἐκεῖθεν ἐς τὴν θάλατταν ἐκδιδόναι, *Choaſpem & Eulæum, atque etiam Tigrim in lacum quemdam confluere, atque inde in mare exire.* Sic & ipſe Polycletus hos fluuios diſcreuit, & de exitu in communem lacum fere idem tradit, quod Plinius, niſi quod hic in Paſitigri ſuo turbatior eſt, & circa lacus, quos vocabat, Chaldaicos.

2. Contra Salmaſius in Solinum pag. 493 eumdem ducit Eulæum & Choaſpem, alio nomine inſignitum vbi oritur in Media, alio, vbi iterum erumpit, poſtquam ſub terra latuerat. nam Plinius lib. VI cap. XXVII; *Eulæus amnis*, inquit, *ortus in Medis, modicoque ſpatio cuniculo conditus, hac rurſus exortus, & per Meſobatenen lapſus, circuit arcem Suſorum.* Sed, quod *modico* tantum *ſpatio* conditus labatur, dubitare licet, quod cenſuerat Salmaſius, a fonte vsque ad alteram ex ſubterraneo meatu eruptionem, alio nomine ſignari, alio vbi denuo exoriatur. Nec vero de ipſo cuniculo & geminis quaſi fontibus dubitamus, quia Ptolemæus etiam lib. VI cap. III præter conſuetudinem duos fontes vnius fluminis Eulæi poſuit τὰς ἐν τῇ Σουσιανῇ πηγὰς, *fontes in Suſiana* latitudinis gradu XXXV; & τὰς ἐν τῇ Μηδίᾳ πηγὰς, *fontes* eiusdem *in Media* latitudinis gradu XXXVIII. *Quid ad hæc dicendum?* inquit laudatus Salmaſius. *An Eulæus in Media oritur, deinde abſconditur, poſtea in Suſiana emergit? nihil veriſimilius excogitari poteſt.* Proinde facile huic ſummo viro accedimus, vnum & eumdem fluuium Eulæum ac Choaſpem cenſentes, his, quas idem quoque vrget, inducti rationibus: quod primum, quæ de Choaſpe dicuntur, eadem con-

* Nimis laxe loquitur poeta Nonnus Dionyſ. XXIII verſ. 277 pag. 616 Χοάσπης - Περσίδι γείτων.

conueniunt Eulæo. Herodotus lib. I cap. CLXXX [VII. I] ait *Choaſpen* Suſa præterfluere, eiusque ſola aqua vti reges Perſarum, quam in longinquis ſecum itineribus decoctam ferre ſoleant. Sed eadem de *Eulæo* Plinius lib. VI cap. XXVII *circuit arcem Suſorum, ac Dianæ templum auguſtisſimum illis gentibus & ipſe in magna cærimonia: ſiquidem reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* * Deinde vtrumque, Choaſpem & Eulæum deducit ibidem Plinius ex Media: & tandem Ptolemæus ſolum Eulæum memorat, Choaſpem ignorat. Nec rarum denique, vnum amnem duobus adpellari nominibus, vt Danubius & Iſter; & Vierra ac Viſurgis: quorum alterum ſuperiori parti, alterum inferiori eſt impoſitum.

3. De exitu etiam diſſenſio magna eſt. Plinius lib. VI cap. XXIII *Lacus, quem faciunt Eulæus & Tigris iuxta Characem.* Et cap. XXVII *Tigris recipit ex Media Choaſpem.* Ptolemæus autem Eulæi oſtium ab orientali oſtio Tigridis per quinquaginta fere milliaria Germanica remouit, & inter hæc medium Moſæi oſtium poſuit. At propiorem Tigridi Eulæum fuiſſe ex Arriani lib. VII Exped. Alex. cap. VII adparet, qui dicit foſſa hos coniunctos fluuios fuiſſe: quis vero per tantum ſpatii, quantum Ptolemæus ponit, foſſam nauigabilem credet duci potuiſſe? Neque coniuncte Eulæus cum Tigri exit, vt Plinius tradit, & ex Polycleto Strabo, ſed ſpatium nauigabile inter vtriusque oſtium intercedit. Arrianus dicto loco de Alexandro: *Ipſe claſſe in Suſiorum regionem adpulſa, conſcenſis nauibus cum ſcutatis & agemate* κατέπλει κατὰ τὸν Εὐλαῖον ποταμὸν ὡς ἐπὶ θάλασσαν, *per Eulæum amnem ad mare nauigauit. Quumque iam non procul ab oſtio, quo in mare fertur, abeſſet, plerisque nauibus atque iis, quæ quaſſatæ erant, ibi relictis, ipſe cum velocioribus* παρέπλει ἀπὸ τοῦ Εὐλαίου ποταμοῦ κατὰ τὴν θάλασσαν, ὡς ἐπὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Τίγρητος, *ab Eulæo per mare ad Tigris oſtia nauigat. Reliquæ naues* κατὰ τὸν Εὐλαῖον ἐς τ' ἐπὶ τὴν διώρυχα, ἣ τέτμηται ἐκ τοῦ Τίγρητος ἐς τὸν Εὐλαῖον, ταύτῃ ἐκομίσθησαν ἐς τὸν Τίγρητα, *per Eulæum in foſſam, quæ ducta eſt ex Tigri in Eulæum, illic deuectæ ſunt in Tigrim.* Et breui poſt: Ἀλέξανδρος δὲ περιπλεύσας κατὰ τὴν θάλασσαν, ὅσον μεταξὺ τοῦ τε Εὐλαίου ποταμοῦ καὶ τοῦ Τίγρητος ἐπεῖχεν ὁ αἰγιαλὸς τοῦ κόλπου τοῦ Περσικοῦ, ἀνέπλει κατὰ τὸν Τίγρητα ἔς τε ἐπὶ τὸ στρατόπεδον. *Alexander circumuectus mari, quidquid ſpatii inter Eulæum amnem & Tigrim Perſici ſinus litus continet, per Tigrim ad caſtra nauigauit,* vbi Hephæſtion cum copiis conſederat. Et quia Moſæus interuenit Tigrim & Eulæum, oſtium quoque eius, ſi in mari eſt, vt tradit Ptolemæus, propius vtique ad Tigrim accedit, quam Eulæi. Quod vero foſſa illa ex Tigri in Eulæum, haud longe ſupra oſtia, vti ex Arriani verbis adparet, ducta fuit, dubites, qui foſſa per aliud flumen, Moſæum puta, transuerſa duci potuerit, vt non efflueret per flumen illud: niſi ſupra foſſam Moſæus vel Tigri vel Eulæo ſe adfuderit.

V.

Poſt Eulæum apud Ptolemæum *Oroatis* eſt fluuius: Strabo vero alios inter-

* Idem ſcripſerat Strabo quoque lib. XV pag. 1068.

interponit lib. XV pag. 501, μετὰ τὸν Χοάσπην, inquit, ἐστὶ ὁ Κοπράτας καὶ Πασιτίγρις, *Poſt Choaſpem* (quem ipſum Eulæum eſſe ſupra cum Salmaſio diximus) *eſt Copratas & Paſitigris.* Nec vero mirari licet Ptolemæum nullam *Cupratæ* mentionem habere, quia is tantum oſtia fluuiorum in ſinu Perſico hoc loco perſequitur: Copratas autem vltra Suſa fluens in Paſitigrim proprie ita dictum, ſeu Perſicum (non qui Meſopotamiam terminat) infunditur. Diodorus Siculus lib. XIX cap. XVIII παρεγενήθη πρὸς τὸν Κοπράτην ποταμόν. - - - ὅτος δὲ ἔκ τινος ὀρεινῆς ῥέων ἐξέπιπτεν εἰς τὸν Τίγριν, *Venit* [Antigonus] *ad amnem Copraten: - - - hic ex montana quadam regione profluens in Tigrin ſe effundit.* Sed hic Tigris eſt Paſitigris, ad quem caſtra habebat Eumenes, eiusque ripam præſidio tuebatur, a Suſis in vlteriora, aduentante Antigono, vnius diei iter progreſſus. Et Plutarchus in Eumene p. 591 clare Πασιτίγριν, *Paſitigrim* adpellat, vbi Antigono ſe Eumenes obiecit. Nec inſolens Diodoro eſt, Paſitigrim verum atque Perſicum ſimpliciter *Tigrim*, Τίγριν, adpellare, lib. XVII cap. LXVII dicens, Alexandrum Suſis profectum quartis caſtris ἐπὶ τὸν Τίγριν, *ad Tigrim* veniſſe, quæ verba Curtius lib. V cap. III vertit, *ad flumen: Paſitigrim incolæ vocant.* Putes deſcribentis potius, quam ipſius Diodori, errorem eſſe, niſi lib. XIX cap. XVII & XVIII repetat eamdem adpellationem. Vide Salmaſ. in Solin. p. 494. Semel recte ac vero nomine hoc flumen Πασιτίγριν, *Paſitigrim* vocauit, eodem libro XIX cap. XXI.

2. Strabonis autem *Paſitigris*, ſupra memoratus, eſt ille veri nominis fluuius, quem Curtius, Plutarchus, & Arrianus ita adpellant, longe diuerſus ab eo, quem Plinius, & quidam alii veteres, ita vocauerunt, qui ipſe Tigris eſt Aſſyrius, terminans Meſopotamiam Chaldæamque ab ortu, oſtiis ſuis vicinus: de quo ſupra actum fuit. Nec Græca hæc vox videtur, cuius ſimilitudo forſan non nullis impoſuit. Oritur, vt Curtius lib. V cap. III refert, in montibus Vxiorum, & per quinquaginta ſtadia præceps inter ſaxa deuolutus, deinde molliore ſolo per ſexcenta ſtadia, iam nauium patiens, leni tractu aquarum Perſico mari ſe inſinuat. Etiam Diodorus Siculus lib. XIX cap. XVII de ſuo Tigri, qui noſter Paſitigris eſt, itinere vnius diei a Suſis iuxta montanam regionem (ὀρεινὴν) delabi, τὴν ὑπὸ τῶν αὐτονόμων κατεχομένην, ὃς Οὐξίους προσαγορεύουσι, *quam liberi populi tenent, qui Vxii adpellantur.* Nec vero ſecum ipſe Diodorus pugnat, quando lib. XVII cap. LXVII dixit Alexandrum τεταρταῖον, *quartis caſtris* veniſſe a Suſis ad hunc Paſitigrim, quem Tigrim ſuo more adpellat. nam ibi de itinere grauis ac onuſti exercitus; lib. XIX autem de expedito viatore ſermo eſt. De eodem curſu Alexandri Arrianus lib. III cap. XVII Ἄρας δὲ ἐκ Σούσων, καὶ διαβὰς τὸν Πασιτίγριν ποταμὸν, ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν, *Mouens vero Suſis cum exercitu, & Paſitigren amnem transgreſſus, Vxiorum regionem invadit.*

3. Nunc ad *Oroatin* amnem venimus, quem & Paſitigrin eumdem dicto loco Salmaſius cenſet. Sane qui Oroatin memorant, tacent de *Paſitigri Perſico*; Plinius & Ptolemæus: & qui Paſitigris mentionem habent,

bent, Curtius & Arrianus, ſilent de Oroati: præter Strabonem, qui videtur vtriusque rationem habuiſſe. nam lib. XV pag. 501 τὸν Πασιτίγριν ἀπὸ τοῦ Ὀροάτιδος διέχειν περὶ δισχιλίους σταδίους, *Paſitigrin ab Oroatide duobus millibus fere ſtadiorum diſtare* ſcripſit. Scripſit vtique, non autem de ſua, ſed aliorum ſententia. Præcedit enim ex Nearchi relatione τῶν Ἀράβων παραλίαν συνάπτειν τῷ στόματι τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Πασιτίγριδος, *Arabum oram maritimam coniungi cum oſtio Euphratis & Paſitigris.* Ex quo ſimul adparet, Paſitigrin ibi non Perſicum, ſed Chaldaicum notari, cui diſtantia illa ſupra memorata adprime conuenit: quod Salmaſius pag. 494 ex Plinio confirmat, qui ab Oroati ad Characem dicit ducenta & quinquaginta paſſuum millia intereſſe, quæ ſunt ſtadia mille & nongenta cum viginti: vt reliqua octoginta ſtadia ſpatium a Charace ad oſtium Tigris conficiant. Plinii locus exſtat lib. VI cap. XXVII, vbi Frobenius & alii CCXL paſſuum millia legunt; Harduinus CCXI, neque rationem mutationis in notis reddidit, vt dubites, conſulto ita ſcriptum eſſe. Quamuis vero certum ſit, Nearchum dicto loco non de Vxiorum Paſitigri, ſed de ipſo Tigri Chaldæorum loqui: tamen breui poſt Strabo etiam Paſitigris veri mentionem fecit. *Poſt Choaſpem,* inquit, *Copratas eſt & Paſitigris:* nec tamen propterea alius ab Oroati eſt, ſicut ſupra Eulæus & Choaſpes a Plinio & Polycleto, cui videtur ipſe Strabo ſubſcribere, ſeparati, ſed fruſtra, erant.

4. Eumdem quoque fluuium Paſitigrim & Oroatim eſſe, ex eo etiam probabile eſt, quia Strabo p. 500 de Oroati tradit ταύτῃ ποταμὸν μέγιστον, *in illa regione flumen maximum eſſe:* iam vero Diodorus lib. XIX cap. XVII Paſitigrim dicit pluribus locis tria ſtadia, alicubi quatuor latum eſſe, quod licet fidem videatur ſuperare, tamen Strabonis μεγίστῳ, *maximo* fluuio, Oroati videlicet, etiamſi minuantur numeri, præ ceteris cunctis congruit.

5. Diſterminat Oroatis fluuius ſiue Paſitigris Elymaidem a Perſide propria, & vtriusque regionis communis terminus eſt. Plinius lib. VI cap. XXV *Perſidis initium ad flumen Oroatin, quo diuiditur ab Elymaide.* Et poſtea cap. XXVII *Infra Eulæum Elymais eſt, in ora iuncta Perſidi a flumine Oroati ad Characem* CCXL *millia paſſuum.* Sed hæc de Perſide propria, vt dixi, ſunt accipienda.

VI.

In hac Perſide Ptolemæus lib. VI cap. IV tria flumina memorauit, quorum oſtia ſimul in mari Perſico deſcripſit. Primum ſunt Ῥογομάνιος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Rogomanis fluuii oſtia:* deinde ſunt Βρισοάνα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Briſoanæ amnis oſtia:* poſtremo Βαγράδα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Bagradæ fluminis oſtia.* Nihil horum nominum, & eo quidem ordine, in Alexandri aut ſucceſſorum Macedonum hiſtoria. Et quia Ὀροάτιδος ἐκβολὰς in Suſiana Ptolemæus, qua Elymaidem etiam comprehendit, reliquerat tamquam terminum; poſt hunc tres iam dicti amnes inquirendi ſunt. Nearchus ex India reuertens per mare, apud Arrianum Indicæ hiſt. cap. XXXIX, etiam tot flumina in ora Perſidis notauit, ſed contrario ordine. Quem enim

ab

ab occaſu primum *Rogomanin* Ptolemæus poſuerat, eumdem, vt ex nomine adparet, Ῥώγονιν, ſiue vt in MS. optimo eſt Ῥώγωνιν, *Rogonin* Nearchus primum adiit ab oriente, vbi Ptolemæi eſt Bagrada. In occidentali parte Perſidis, vbi Ptolemæi Rogomanis eſt, Nearchus poſuit Ἄροσιν, *Aroſin*, vt editum eſt; ſiue, vt in MSS. eſt Ἄρσιν, ſeu Ἄρην. Hoc flumen quia Ptolemæus prope Perſepolim, vt ex longitudine adparet, delabi prodidit, inde cognoſcimus eumdem eſſe, quem Strabo & Curtius *Araxem* dixerunt, alium ab Armeniæ Araxe. Strabo lib. XV pag. 501 πρὸς αὐτῇ δὲ Περσεπόλει τὸν Ἀράξην διέβη *iuxta Perſæpolim Araxem traiecit.* Et Curtius lib. V cap. V præfectum gazæ Perſæpolitanæ Alexandro ſcripſiſſe ait, *properaret occupare: expeditum iter eſſe, quamquam Araxes amnis interfluat.* Proinde idem videtur fluuius eſſe *Rogomanis* Ptolemæi, *Araxes* Strabonis ac Curtii, & *Aroſis* Arriani: qui quod Alexandro Perſæpolim tendenti traiiciendus erat, ab occaſu vrbem ex interuallo quodam præterfluxiſſe certum eſt.

VII.

De medio fluuio magis Ptolemæo cum Arriano conuenit: illi Βρισοάνα, *Briſoana* eſt; huic dicto loco *Brizana*, Βρίζανα. Ab vltimo, inquit, amne, quem Rogonim vocauerat, reuecti claſſiarii, quibus Nearchus præerat, per CCCC ſtadia, αὐλίζονται ἐν ποταμῷ χειμάῤῥῳ. Βρίζανα τῷ ποταμῷ ὄνομα, *in flumine torrente conſtiterunt, cui Brizana nomen eſt.* Vltimus Ptolemæi ad orientem & Carmaniam verſus, eſt *Bagrada*, quo loco diximus Arrianum cum Nearcho *Rogonim* habere: niſi potius *Granis* Arriani, a quo ad Rogonim Nearchus nauigauit, Ptolemæi Bagrada eſt, quod inde mihi veriſimile eſt, quia ad hunc amnem intus paullo Ptlemoæus *Gabas* vrbem habet, quæ haud dubie *Gabæ* Strabonis ſunt, ἄλλα βασίλεια, *alia regia* Perſarum. Iam vero Arrianus prædicto loco, ἐς Ταόκην ὁρμίζονται ἐπὶ ποταμῷ Γράνιδι. καὶ ἀπὸ τούτου ἐς τὸ ἄνω Περσῶν βασίλεια ἦν, ἀπέχοντα τοῦ ποταμοῦ τῶν ἐκβολέων σταδίους ἐς διηκοσίους, *in Tacoen ad Granidem fluuium peruenerant. Ab huius fluminis oſtio, CC fere introrſum ſtadia, Perſarum regia eſt.* Conuenit diſtantia cum Ptolemæo, eiusque nomen cum Strabone: vt minus dubitare liceat, *Granidem* Arriani eſſe Ptolemæi Bagradam. De *Tacoe* huic adpoſita turbate nimis Ptolemæus, in occidentali parte Perſarum regionis conſtituens. De qua re infra in vrbibus dicemus.

VIII.

Supereſt *Cyrus* Perſidis fluuius non ignobilis, quamuis minoris famæ, quam alter eius nominis, qui ſupra Araxem Armenium vel per ſe vel cum Araxe in Caſpium mare ſe inſinuat: aliusque eſt etiam a Cyro Mediæ, de quo itidem ſupra diximus. De Perſico ſic Strabo lib. XV pag. 501 *Poſt Choaſpem ſunt amnes Copratas & Paſitigris, qui etiam ex Vxia fluit.* ἔστι δὲ καὶ Κῦρος ποταμὸς διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων περὶ Πασαργάδας, οὗ μετέβαλε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς, ἀντὶ Ἀγραδάτου μετωνομασθεὶς Κῦρος. *Eſt & Cyrus fluuius, qui per Cauam, vt dicitur, Perſidem circa Paſargadas fluit, ab rege adpellatus pro Agradato Cyrus.* Periegeta Dionyſius verſ. 1073 *Coron* vocat,

Χωρὶς

Χωρὶς μὲν Κόρος ἐςὶ μέγας, χωρὶς δὲ Χόασπις,

hoc eſt, *ab vno latere Perſidis Corus fluit, ab altero Choaſpes*, ille ab oriente, hic ab occidente regni. Priſcianus etiam *Corus* transtulit; Auienus *Cyrus.* Illud Salmaſius præfert tamquam genuinam adpellationem; & Ptolemæi Κόριος, ſecundum Palatinum, ex Carmania huc reducit. Quod ſi eſt, nimis ille incurioſus fuiſſet in Perſicis fluminibus & diſponendis & adpellandis. Vocauit & Ælianus Κῦρον, *Cyrum* lib. I V. H. cap. XXXII, vbi de illo agit, qui cauis manibus huius fluminis aquam regi prætereunti offerens dixerit, τιμῶ σε Κύρου ποταμοῦ ὕδατι, *honoro te Cyri fluminis aqua.* Et ipſe rex, qui nomen dedit in ſacris *Cores*; a Græcis Κῦρος, *Cyrus* vocatur: vnde nec in flumine cognominato eſt quod dialecti miremur diuerſitatem.

2. Vetus nomen, quod Strabo memorat, *Agradatus* videlicet, cognationem cum Bagrada Ptolemæi habere videtur, quaſi hic aberrans a vero nomen notius ex Africa ſubſtituerit. Non alienum hoc a Ptolemæo eſt, qui in hac ora multa turbauit, etiam plura flumina in vnum confudiſſe videtur, quædam duplicaſſe. Vide Bagradam eius, qui Arriani relatione vel Rogonis vel Cranis eſt; Salmaſio Corius Carmaniæ. Itaque hos forte amnes permiſcuit: vnum etiam in duo diuiſit & longo interuallo ſeparauit.

IX.

Hæc de fluminibus, quæ in mare Perſicum exeunt: ab his alia recepta duo vel tria nouimus. Strabo lib. XVI pag. 512 Elymaidis metropolim dicit Σελεύκειαν, τὴν πρὸς τῷ Ἡδυφῶντι ποταμῷ, *Seleuciam ad Hedyphontem fluuium.* Plinius *Hedypnum* vocat lib. VI cap. XXVII, & in Eulæum deriuat. *Eulæus*, inquit, *recipit amnem Hedypnum, præter Aſylum Perſarum venientem; Adunam ex Suſianis.* Alter *Aduna* eſt, qui ab eodem Eulæo recipitur. Sic ex MSS. Harduinus edidit: vulgatum erat *& vnum.* Tertius amnis *Medus* eſt, ex Media delapſus in Araxem. Strabo lib. XV pag. 502 ῥεῖ ὁ Ἀράξης ἐκ τῶν Παραιτάκων· συμβάλλει δ' εἰς αὐτὸν ὁ Μῆδος, ἐκ Μηδείας ὁρμηθεὶς, *In Araxem, e Parætacis labentem, Medus influit, e Media decurrens.* Curtius etiam horum confluentes habet lib. V cap. IV, ſed in hoc errat, quod Araxem a Medo in mare deferri dicit, quum maior Araxes ſit ac validior.

X.

Ammianus Marcellinus, qui, vt Salmaſius pag. 841 obſeruauit, omnia ſua geographica a Ptolemæo habet, in Perſidis quoque fluminibus illum ſequutus, lib. XXIII cap. XXIII *Amnes*, inquit, *multi per eam* [Perſidem] *in ante dictum fluunt ſinum: quorum maximi ſunt Vatrachites, Rogomanis, & Briſoana, atque Bagrada.* Poſteriores ſunt omnes Ptolemæi: primus, nomine obſcurus, prauato forſan, quia nec MSS. conſentiunt, & Colbertinus cod. *Vatradites* præfert. Corruptiora ſunt vocabula citeriorum cap. XXI, *Oates*, & *Harax* & *Meſeus*; de quibus ſupra diximus, eſſe Ptolemæi Moſæum & Oroatin: de *Harace* autem videtur nomen oppidi *Charax* pro flu-

mine oſcitanter accepiſſe, vt non ſolum Valeſius cenſuit, quem ſupra teſtem aduocauimus; ſed Salmaſius etiam in Solinum p. 841 ed. Traiect.

XI.

Vt ergo, quæ copioſe de fluminibus diſputata ſunt, in ſummam contrahamus, hoc nobis ordine videntur & Suſianam & Perſidem rigaſſe propriam. Primum non de ipſo flumine *Moſæi*, ſed de exitu eius in mare, quem Ptolemæus ſtatuit, dubitamus, propter transuerſam ex Tigri in Eulæum foſſam nauigabilem. Deinde ipſe *Eulæus* ſiue *Choaſpes*, vnus amnis, qui *Hedyphontem* recipit: poſt quem *Paſitigris* ſiue *Oroates*: tum ante Perſepolim *Araxes*, qui & *Aroſes* & *Rogomanis* dictus fuit, & *Medo* amne augetur: poſtea *Briſoana* ſiue *Brizana*: tandem *Agradatus*, qui *Cyrus* ſeu *Corus* transnominatus fuit, & ipſe *Bagrada* & *Granis* videtur eſſe, vti ab aliis nominatur. Nunc ad regiones & vrbes explicandas accedimus.

SECTIO II.

S V S I A N A.

XII.

Suſiana regio a Suſis metropoli nomen habet, & Græce tam Σȣσὶς, *Suſis*, obliquo Σȣσίδος, *Suſidis*; quam Σȣσιανὴ, *Suſiana* dicitur. Diodorus Siculus lib. XVII cap. LXV εἰς δὲ τὴν Σȣσιανὴν καταντήσας, *in Suſianam autem* [Alexander] *peruenit*. Et Strabo lib XV p. 503 ἡ μὲν δὴ χώρα ἥ τε Περσὶς καὶ ἡ Σȣσιανὴ τοιαύτη, *Atque ita ſe ſe Perſis ac Suſiana habet*. Et paullo ante: γειτνιᾷ τῇ Σȣσίδι ἡ Σιτακηνὴ, *Suſidi Sitacena vicina eſt*. Et pag. 500 idem: ἡ Σȣσὶς μέρος γεγένηται τῆς Περσίδος, *Suſis pars fuit Perſidis*. Continetur inter Aſſyriam a ſeptemtrione; Tigrim amnem ab occaſu; ſinum Perſicum a meridie; & Eulæum fluuium ſeu Elymaidem regionem ab oriente. Ptolemæus latiorem fecit, vt Elymaidem comprehendat, & Oroatin fluuium terminum orientalem conſtituit: Strabo autem ab Elymæis Suſios diſtinxit: & Plinius lib. VI cap. XXVII clarius: *Infra eſt Suſiane, in qua vetus regia Perſarum Suſa*. Et poſt paullo: *Suſianen ab Elymaide diſterminat amnis Eulæus*. quam diuiſionem, quod diſtinctior eſt, etiam in præſenti ſequimur.

XIII.

Diuiſio Suſianæ in populos & regiones eſt. In ſeptemtrione erant *Vxii*, quos Suſiis adſcripſit Arrianus de Ind. cap. XL, quamuis ille Suſios Perſasque coniungat, neglectis Elymæis, aut in Suſide comprehenſis. Ptolemæus etiam *Coſſæos* cis Eulæum poſuit, vt in propriam Suſianam caderent. Sed hi quoque ad ſeptemtrionem & ad montes fuerunt, quamuis Ptolemæus ad inferiora reduxerit. *Ciſſios* circa Suſa & Choaſpem Herodotus lib. V cap. XL locauit. * Tractum ad Tigrim Plinius lib. VI c. XXVII *Parapotamiam* vocat: Ptolemæus *Melitenen*, quam ob cauſſam, obſcurum eſt.

* Suſis adiungit *Ciſſiorum* regionem etiam libr. III cap. 91. Confer locum Herodoti ſupra ad § VIII cap. XVIII adlatum.

eſt. Quæ præterea Ptolemæus habet *Cabandenen* & *Chaltapetin,* non modo ignota ſunt, verum incertum etiam, an in Suſianam cadant, quia ductus Eulæi in Ptolemæo ſe non recte habet, oſtiis fluminis nimium in orientem reductis, & forte etiam ſuperiore illius parte quodammodo remota. In meridie eſt *Characene,* circa oppidum *Characem,* quod non longe a Tigris abeſt oſtiis.

XIV.

Caput Suſianæ *Suſa* ſunt, τὰ Σȣ̃σα, plurali numero, *vetus regia Perſarum,* vt Plinius verbis ſupra prolatis dixerat. Idem addit prædicto loco: *a Dario Hyſtaſpis filio condita.* Non autem hic condidit, ſed forſan inſtaurauit; fuit enim vrbs antiquiſſima, a Tithono condita, Memnonis patre. Strabo lib. XV pag. 500 λέγεται δὴ καὶ κλίσμα Τιθώνȣ τȣ̃ Μέμνονος πατρὸς, κύκλον ἔχȣσα ἑκατὸν εἴκοσι ςαδίων, παραμήκης τῷ σχήματι· ἡ δὲ ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνειον. *Dicitur* [vrbs Suſa] *a Tithono, patre Memnonis, condita, ambitum habens* CXX *ſtadiorum, & figuram oblongam: cuius arx Memnonêum vocabatur.* Et Herodotus lib. V cap. LIV μέχρι Σȣ́σων. τȣ̃το γὰρ Μεμνόνειον ἄςυ καλέεται, *vsque ad Suſa, quæ Memnonia vrbs vocatur.* Muros cum Babyloniis comparauit Strabo iam dicto loco, & Pauſanias Meſſen. cap. XXXI, qui etiam τὰ Μεμνόνεια τὰ ἐν Σȣ́σοις τείχη τοῖς Περσικοῖς, *muri, qui Memnonii dicuntur, Suſis in Perſide.* Mittendus itaque Polycletus, qui apud Strabonem negat Suſa muros habuiſſe: quod minime de regia ſede, & tanti theſauri (Diodor. lib. XVII cap. LXVI) cuſtodia eſt credibile. Quum vero a tot ſcriptoribus *Memnonium* nomen repetatur, dubites a patre Tithono eſſe, niſi inchoamenta: præſertim quod Stephanus Μέμνονος κλίσμα, *Memnonis opus* hanc vrbem vocauit. In ſacris ſemper vocatur שושן הבירה *Suſan caſtrum* ſiue *arx regia:* ad quod Kimchi adſcripſit in Radicibus, פירושו ארמון *ſignificat* (vox בירה) *arcem* ſeu *palatium.* Vide Daniel. VIII, 2, Neh. I, I, Eſther. I, 2 ſeqq. Nec vero propterea negare licet, vrbem magnam eidem arci adpoſitam fuiſſe. Nomen, vt Athenæus lib. XII cap. I extr. ex Ariſtobulo obſeruat, διὰ τὴν ὡραιότητα τȣ̃ τόπȣ, *propter amœnitatem loci* impoſitum, quia & orientalibus, & inde Græcis etiam vox lilium ſignificat. Et Stephanus in hac vrbe: κέκληται ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ἐκείνῃ, σȣ̃σάν τε αὐτὸ καλȣ̃σιν οἱ βάρβαροι, *nomen habet a liliis, quæ multa in regione illa naſcuntur, & Suſan barbari vocant lilium.* E quibus ſimul elucet, *Suſan* in Ebræis ſcripturis eſſe ipſam hanc vrbem Suſa, quod etiam Daniel. VIII, 2 vicinitate amnis Vhlai, qui Eulæus eſt, confirmatur. De hoc fluuio vrbem Suſa adluente, qui etiam Choaſpes dicitur, dictum ſupra in Fluminibus. Addo, quoſdam duo nomina ita conciliare, quaſi duo diuerſi fluuii ſupra Suſa vrbem, prope tamen illam, confluxerint, alter Eulæus, alter Choaſpes: vnde poſt confluentem nunc hoc, nunc illud nomen coniuncto & vrbem adluenti flumini datum ſit. Sed Salmaſio prior ſententia, ex Plinio ſupra expoſita, videtur veriſimilior.

XV.

Regio Suſianæ, in qua ſita fuit vrbs primaria Suſa, olim vocata fuit

Ciſſia. Herodotus lib. v cap. XLIX *Armenios contingunt Matieni:* ἔχεται δὲ τούτων γῆ ἥδε Κισσίη, ἐν τῇ δὴ παρὰ ποταμὸν τόνδε Χοάσπια κείμενά ἐστι τὰ Σοῦσα ταῦτα, ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνθαῦτά εἰσι. *Hiſce* [Matienis] *vicina regio Ciſſia, in qua iuxta hunc fluvium Choaſpem ſita ſunt hæc Suſa, vbi rex magnus domicilium habet, atque hic pecuniarum theſauri ſunt.* Et Ptolemæus lib. VI cap. III in Suſiana: ὑπὲρ τοὺς Ελυμαίους ἡ Κισσία, *ſupra Elymæos Ciſſia eſt.* Originem nominis Stephanus oſtendit, quamquam ſcribat Σ ſimplici. Οἱ πολῖται, inquit, Σούσιοι: οὓς καὶ Κισίους φησὶ κεκλῆσθαι ἀπὸ Κισίας μητρὸς Μέμνονος. *Ciues* [vrbis Suſorum] *dicuntur Suſii: quos etiam Ciſios ait vocatos eſſe a Ciſia, Memnonis matre.**

XVI.

In Parapotamia ſeu ad Tigrin, vbi Ptolemæus Melitenam regionem poſuit, ipſe oppida quædam poſt Cteſiphontem, vltimam Aſſyriorum, enarrat, quorum primum ſunt *Herculis Aræ*, ex oppoſito Apamiæ: deinde *Agra*, ignobile hoc loco nomen: ſuccedit *Aracca*, Ἄρακκα, quam CL. Bochartus lib. IV cap. XVI putat Moſis *Erec* ſiue *Erech* eſſe Geneſ. x, 10, & Ammiani *Aracha* lib. XXIII cap. XXI. *His tractibus*, inquit, *Suſiani iunguntur, apud quos non multa ſunt oppida: inter alia tamen eminet Suſa, ſæpe domicilium regum; & Arſiana, & Sele, & Aracha.* Ab hac Arecca ſeu Aracca Salmaſius in Solin. p. 840 deducit Tibulli *Areccæos campos* lib. VI eleg. I verſ. 142

Ardet Areccæis aut vnda perhoſpita campis.

Sic enim legendum cenſet: non *Arectæis*, vt aliis placuit. Denique Ptolemæi eſt Ασία, *Aſia*, vbi vltimo Tigris finditur, & per duos alueos ad oſtia decurrit. Ortum verſus & prope Eulæum Ptolemæo ſunt, ſupra Suſa, *Bergan;* infra, *Agarra*, & *Sele*, quam etiam ex Ammiano iam memorauimus: in media regione, *Dera*, Δῆρα; & *Tariana*, quæ videtur Ammiani *Arſiana*, quam idcirco Bochartus *Tarſianam* legendam cenſet. Mediterraneis forte adnumeranda eſt Herodoti *Anderica* lib. VI cap. CXIX. *Darius*, inquit, *Eretrienſes captiuos* τῆς Κισσίης χώρης κατοίκισε ἐν σταθμῷ ἑωϋτοῦ, τῷ οὔνομά ἐστι Ἀνδέρικα, *in ſuo Ciſſiæ regionis ſtathmo, cui nomen eſt Anderica.* Ducentis & decem ſtadiis abeſſe a Suſis dixit: ex quo ſuſpecta mihi fit Bocharti coniectura vel opinio, ad Erech, ſiue Aracca Ptolemæi, etiam hoc ipſum nomen referentis. multo maior enim inter Suſa & illam Araccam ſeu Aracham diſtantia eſt.

XVII.

Characene ſupereſt, regiuncula maxime auſtralis in Suſiana, ab oppido *Charace*, inter Tigris & Eulæi oſtia iuxta Perſicum ſinum aut æſtuaria fluminum. Originem & fata cum mutatione nominum deſcripſit Plinius lib. VI cap. XXVII. *Charax*, inquit, *oppidum Perſici ſinus intimum, a quo Arabia Eudæmon cognominata excurrit: habitatur in colle manu facto inter confluentes, dextra Tigrin, læua Eulæum*, III *mill. paſſuum laxitate. Conditum*

* Polybius V cap. 79 Μήδων καὶ Κισίων, καὶ Καδδουσίων, καὶ Καρμανίων. Sed cap. 82 Κισσίους καὶ Μήδους.

tum eſt primum ab Alexandro Magno, qui colonis ex vrbe regia Durine, quæ tum interiit, deductis, militumque inutilibus ibi relictis, Alexandriam adpellari iuſſerat, pagumque Pellæum, a patria ſua, quem proprie Macedonum fecerat. Flumina id oppidum expugnauere. Poſtea Antiochus reſtituit quintus regum, & ſuo nomine adpellauit. Iterumque infeſtatum Paſines, Sogdonaci filius, rex finitimorum Arabum, oppoſitis molibus reſtituit, nomenque ſuum dedit, emunito ſitu iuxta in longitudinem III *mill. paſſuum, in latitudinem paullo minus. Prius fuit a litore ſtadiis decem, & maritimum etiam ipſa inde portum habuit: nunc abeſſe a litore* CXX *millibus, legati Arabum, noſtrique negotiatores, qui inde venere, adfirmant.* Summa hæc eſt: ab Alexandro primum conditam vrbem, *Alexandriam* adpellatam: reſtitutam ab Antiocho, *Antiochiam:* iterum emunito ſitu ab rege Arabum Paſina, ſiue Spaſina, vt Salmaſius legendum cenſet, tam a munitione quam ab auctore nomen accepiſſe, quod erat Χάραξ Σπασίνε, *Vallum Spaſinæ.*

2. Ioſephus lib. I Antiquit. cap. VII de Arami poſteritate ex quarto filio, qui *vν Mas*, ipſi Μήσας, *Meſas* dictus eſt, refert: [Μήσας δὲ Μησαναίες· Πασίνε Χάραξ ἐν τοῖς νῦν καλεῖται, *Meſas autem* [condidit] *Meſanæos: Paſini caſtrum noſtro tempore vocatur.* Dio Caſſius, a Xiphilino excerptus, mentionem quoque in Traiano fecit. Agit de inſula Tigris vltima, etiam Meſene dicta, quam Traianus ceperit: cuius regulo Characeni ſubiecti erant. De his ait: καὶ οἱ τὸν Χάρακα δὲ τὸν Σπασίνε καλέμενον οἰκεντες φιλικῶς αὐτὸν ὑπεδέξαντο. *ſed & qui Spaſinæ Vallum, vrbem ita dictam, habitabant, ipſum* [Traianum] *amice ſuſceperunt.* In libris quidem eſt τὸν Τοσπασίνε, ſed omnes eruditi conſentiunt, ſuperfluam ſyllabam primam eſſe, & ex antecedente articulo perperam repetitam. Et Stephanus chorographus: Σπασίνε Χάραξ πόλις ἐν τῇ μέσῃ τε Τίγρητος Μεσήνῃ· ἡ δὲ τε Σπασίνε εὐθεῖα Σπασίνης ἐςί. *Spaſinu Charax vrbs eſt in media Tigridis Meſena. Spaſinæ vero rectus caſus Spaſines eſt.* Aberrat autem in eo, quod in media Meſena illa, quam Tigridis oſtia conſtituunt, poſuit, quam Plinius & Ptolemæus vltra Meſenam illam in Suſiana collocauerint. De nominis forma recte ſentit non *Spaſini* Characem, vt vulgo fit, dicendum eſſe, ſed *Spaſinæ,* quia primus caſus ſit Σπασίνης, ſicut Plinius *Paſines* expreſſit, quod vt *Anchiſes, æ*, in prima forma flectitur. De initiali littera dubium eſt, Πασίνε legendum cum Plinio, Ptolemæo, Ioſepho; an Σπασίνε, *Spaſinæ* cum Dione & Stephano. Hoc alterum Salmaſius probat, reiecto priore tamquam mutilato: mihi vero videtur vtrumque, pro dialecti varietate, probum eſſe, vt proſtheſis ſit in altero, ſicut μικρὸς & σμικρός. Vox χάραξ aggerem ſignificat ſiue molem, aduerſus fluuiorum inundationem emunitam, cui oppidum fuit impoſitum. Vulgo *Vallum, Caſtrum* vel aliter hoc loco vertunt: quidam Græcum nomen retinent, quaſi proprium; neque id male: quia hinc gentile formatur, *Characenus*, quo patrio cognomine egregium par geographorum laudatur, Dionyſius Periegeta, Plinio auctore; & Iſidorus, ſcriptor Parthicarum Manſionum. nam etiam hunc Iſidorum Characenum ex Charace Paſinæ fuiſſe ortum, V. C.

Henr. Dodwellus ad illum Diſſertatione, nuper in lucem emiſſa, demonſtrauit.

XVIII.

Cetera Characenæ regionis ignota ſunt, niſi *Aſiam* Ptolemæi ad Tigrin ſitam; & eiusdem ex Palatino codice Γραὰν, *Graan*, quæ hinc in ortum recedit, ad Characenam referre volueris. De *Vxiis* in Elymaide dicemus.

SECTIO III.

E L Y M A I S.

XIX.

Elymæi dicuntur ab *Elam*, עילם, filio Semi, Geneſ. x, 22, cuius poſteri regiones, quæ poſt Babyloniam ſunt, occupaſſe feruntur. Ioſephus lib. I Antiq. cap. VII hunc Semi filium Ἔλυμον, *Elymon* vocat, & poſteris eius Perſidem adſignat. Ἔλυμος, inquit, Ελυμαίους Περσῶν ἀρχηγέτας κατέλειπεν, *Elymus reliquit Elymæos, a quibus Perſæ originem trahunt.* Scilicet prius Elymais & Suſiana ab illis fuit habitata: poſt propria Perſis, creſcente multitudine, & prolatis ad habitandum finibus. nam Suſianam etiam comprehenſam fuiſſe, ex Daniel. VIII, 2 conſtat, vbi ſe in Suſan ſiue Suſis dicit fuiſſe ad flumen Eulæum, בעילם המדינה *in regione Elam* ſeu Elymæa. Inualuit tamen, vt Perſidem intelligâmus, vbi in Ebræa ſcriptura eſt Elam. Sic Ierem. XXV, 25 reges Elam Græci interpretes verterunt βασιλεῖς Περσῶν, *reges Perſarum.* Et Hieronymus, Stridonienſis ille eccleſiæ doctor, in hunc ipſum Ieremiæ locum, magis proprie, non totam Perſidem, ſed regionem laxe dictæ illius, ſicut Suſiana quoque pars Perſidis ab nonnullis dicta eſt. *Elam*, inquit, *regio Perſidis trans Babylonem: vnde & Elamitæ.* Sed de tota Perſide Ελαμῖται Act. Apoſt. II, 9 videntur explicandi, quia inter Parthos, Medos, & Meſopotamiam incolentes, velut medii, locantur, nec probabile, in illa gentium enarratione nobiliſſimam nationem Perſarum prætermiſſam eſſe.

XX.

Regio hæc a Plinio dicitur *Elymais*, vt poſtea oſtendemus: a Strabone lib. XVI Ελυμάτις, *Elymatis*, ſi ſalua eſt lectio, quam Aldi, Xylandri, Caſauboni edd. referunt: a Stephano Ελύμαι, elapſa forte Σ vltima pro Ελυμαΐς, *Elymæ*, ſeu potius *Elymais*. Ελύμαι, inquit, χώρα Ασσυρίων πρὸς τῇ Περσικῇ, τῆς Σουσίδος ἐγγύς. οἱ οἰκοῦντες Ελυμαῖοι. *Elymæ regio Aſſyriorum eſt iuxta Perſidem, Suſidi vicina.* Incolæ *Elymæi.* Non dubito, Ελυμαΐς legendum eſſe: Aſſyriorum autem regio non eſt hic Aſſyria propria, ſed regni pars Aſſyriaci. Eſt quoque Ελυμαία, *Elymæa*, in vocabulis huius regionis. Ælianus Hiſt. Animal. lib. XII cap. XXIII Εν τῇ Ελυμαία χώρα νεὼς ἐστιν Αδώνιδος, *in Elymæa regione Adonidis templum eſt.* nam in oriente etiam Adonis cultus, & Hieronymus Ezech. VIII, 14 vertit *mulieres plangentes Adonidem:* vbi Thammuz in Ebræo eſt, Græce, τὸν Θαμμοῦς. Et epiſt. XIII ad Paulinum: *Bethlehem nunc noſtram lucus inumbrabat Thamus,*

id

id eſt Adonidis: & in ſpecu, vbi quondam Chriſtus paruulus vagiit, Veneris amaſius plangebatur.

XXI.

Patet Elymais inter Eulæum & Oroatin fluuios a Media vsque ad ſinum Perſicum. Sunt quidem, qui in ſeptemtrionem referunt Elymæos, & Ptolemæus in ipſam transfert Mediam; & anguſtis terminis includunt: quos autem laudare non poſſumus. Quin potius in hoc tractu ſequemur Plinium, qui lib. VI cap. XXVII tam a Perſide, quam Suſiana accurate diſtinxit. *Suſianen*, inquit, *ab Elymaide diſterminat amnis Eulæus.* Et poſt paullo: *Infra Eulæum Elymais eſt in ora iuncta Perſidi a flumine Oroati ad Characem.* Oram ergo maritimam, de qua alii ſilent, hic quam maxime Elymaidi vindicauit. *Oram*, inquit ibidem, *quæ præiacet, minorum Syrtium vice diximus inacceſſam cœno, plurimum limi deferentibus Brixia & Ortacea amnibus: madente & ipſa Elymaide in tantum, vt nullus ſit, niſi circuitu eius, ad Perſidem aditus.* De finibus hæc Strabo lib. XVI pag. 512 τῇ Σȣσίδι [συνάπτει] ἡ Ελυμάτις, καὶ αὐτὴ τραχεῖα πολλὴ καὶ λῃστρική· τῇ δὲ Ελυμάτιδι τὰ περὶ τὸν Ζάγρον καὶ ἡ Μηδία, *Suſidi coniungitur Elymais, quæ magna ex parte aſpera eſt & latronibus referta: Elymaidi coniunguntur quæ Zagro ſunt proxima, & ipſa Media.* Aſpera & montuoſa eſt in ſuperioribus partibus ad ſeptemtrionem verſus: at madida, vt Plinius dixit, vbi in auſtrum vergit.

2. Conciliat de Elymæorum ſitu Strabonis epitomator lib. XI pag. 148 diuerſe ſentientes ita: ἄλλοι Ελυμαῖοι ἐν τῇ Ερυθρᾷ, καὶ ἕτεροι περὶ Μηδίαν, *alii Elymæi ſunt ad mare Erythræum*, [id eſt ſinum Perſicum] *alii iuxta Mediam.* Si circa ſeu iuxta ſunt, non erunt in ipſa Media, vbi Ptolemæus poſuerat. Nec vero inter ſic diuiſos gens alia, quantum ſcimus, intercedit, ſed coniunguntur ita, vt ſeptemtrionales, qui circa Mediam ſunt, propter loci ſitum nobiliores ſint, & a pluribus laudati; contra obſcuriores, qui ad mare habitabant, quod propter humida ac cœnoſa loca, per quæ tranſitus non erat, a paucis adibantur. Adde, quæ ſupra ex Plinio de his locis dicta ſunt.

XXII.

Fluminibus rigatur Elymais variis, ideoque vber & fecunda. nam incluſa eſt *Eulæo* & *Oroati* amnibus, qui ab ortu & occaſu fines ponunt: ſecatur ab *Hedyphonte* & *Coprata*, qui Eulæo adfunduntur: etiam a *Brixia* & *Ortacea*, qui in mare exeunt, plurimum limi ad litus deferentes: vt Plinius modo enarrauit.

XXIII.

Diuiditur Elymais in varias ἐπαρχίας ſiue præfecturas, e quibus Strabo lib. XVI pag. 512 *Maſſabaticam, & Gabianam, & Corbianam*; & δυναςείας μικρὰς, id eſt paruas dynaſtias *Sagapenorum* & *Silacenorum*. Prima *Maſſabatica* eſt ſeu *Meſſabatica* & *Meſubatene*: ſita eſt ſeptemtrionem verſus & loca Zagro monti vicina. Populus Ptolemæo *Meſſabatæ*: & Dionyſius Characenus verſ. 1014.

Αυτὰρ

Αὐτὰρ ὑπὲρ Βαβυλῶνος ἐπὶ πνοιὴν βορέαο
Κίσσοι, Μεσσαβάται τε, Χαλωνῖταί τε νέμονται.

Ceterum ſupra Babylonem, ad ventum boreæ, Ciſſi, Meſſabatæ, Chalonitæque habitant. Et Plinius lib. VI cap. XXVII *Suſianis ab oriente proximi ſunt Coſſæi: ſupra Coſſæos ad ſeptemtrionem Meſabatene ſub monte Cambalido, qui eſt Caucaſi ramus.*

XXIV.

Præfectura *Gabiana* Suſiis finitima erat ad occaſum poſita ſeu ad Eulæum; quod itidem ex Strabone conſtat. Vnde vero nomen trahat, non eſt liquidum: certe non a Gabis illis, quas Ptolemæus in vltima Perſide haud procul a mari poſuit. Diodorus lib. XIX cap. XXVI & XXXIV Γαβηνὴν, *Gabenen* vocat, Rhodomani verſione vtrobique *Gabienen.* De Eumene priore loco: ὑπέβαλε, τοὺς πολεμίους ἀποχωρήσειν εἰς τὴν Γαβηνὴν, *coniectauit, hoſtes in Gabenen abituros eſſe.* Et altero loco de eodem: ἀνέζευξεν ἐκ τῶν Παραιτάκων εἰς τὴν Γαβηνὴν, *ex Parætacis in Gabenen mouit.* Sic H. Steph. Græce edidit.

XXV.

Corbianæ ſitus non quidem a Strabone definitus eſt, nec vero difficile ex oppoſitis intelligere, quia Meſſabatica ad ſeptemtrionem fuit, Gabiana ad occaſum; hanc *Corbianam* ad ortum poſitam fuiſſe, minus eſt quod dubitemus. De *Sagapenis* & *Silacenis*, eorumque dynaſtiis, nihil apud alios repertum eſt.

XXVI.

Strabo ibidem Elymæis χώραν μείζω καὶ ποικιλοτέραν, *terram & maiorem* quam illorum accolis, *& variarum frugum feracem* tribuit; etiam potentiam tantam, vt illorum rex neque Parthorum regi paruerit, neque Syris Macedonibus, qui & Antiochum magnum, ipſis bellum inferentem, oppreſſerunt. Sic Strabo, Ἀντίοχον τὸν μέγαν, *Antiochum magnum* adpellans: cui Hieronymus conſentit in Daniel. cap. XI. Alii Epiphani Antiocho tribuunt, de quo poſt in vrbibus dicturi ſumus. Nec ſub Cæſaribus ignobile nomen *Elymæi,* ſed a Tacito etiam memorati lib. VI cap. XLIV. *Armeniis,* inquit, *Elymæisque, & ceteris a tergo excitis, vt fortunam tentarent.*

XXVII.

Oppida Elymæorum a diuerſis nominatur, in iisque ampla etiam & clara: quod vero nullum illorum Ptolemæus memorauit, difficile eſt ſuum vnicuique locum adſignare. Coniecturis ergo inſiſtendum eſt, vbi certiores rationes deficiunt. Strabo laudat dicto loco *Seleuciam* μεγάλην πόλιν, *magnam vrbem,* πρὸς τῷ Ἡδυφῶντι ποταμῷ, *Hedyphonti fluuio* adpoſitam. Addit, Σολόκη ἐκαλεῖτο πρότερον, *Soloce prius adpellata fuit.* Sed variant codices in veteri nomine. Plinius quoque ſæpe dicto cap. XXVII libri VI, *Oppida eius* [Elymaidos] *Seleucia, & Soſirate adpoſita monti Caſyro.* Sed neque mons ille, neque ſubiectum oppidum *Soſirate* aliunde nota ſunt, vt de ſitu certius conſtare poſſit. Seleuciam Strabo ad *Hedyphontem* ponit: hunc Pli-

Plinius *Hedypnum* nominat, & in Eulæum effundi dicit. *Recipit*, inquit, [Eulæus] *amnem Hedypnum.* Tantum de vtraque, Seleucia & Soſirati cognitum habemus.

XXVIII.

Vrbs quoque fuit *Badaca* ad Eulæum ſita. Diodorus Siculus lib. XIX de Antigono: *ἀνέζευξεν ἐπὶ πόλεως Βαδάκης, ἣ κεῖται παρὰ τὸν Ἔυλαιον ποταμὸν*, *ad vrbem Badacam ſe contulit, quæ ad Eulæum amnem ſita eſt:* ad quam partem Eulæi & in qua ripa, non quidem adſcriptum, ex eodem tamen auctore adparet, non in ripa Suſiana fuiſſe, ſed Elymæa, & ſupra Copratæ confluentem. Eumenes enim ad Paſitigrim ſeu Oroatin caſtra habebat, quem oppreſſurus Antigonus quum Suſis ad Copraten veniſſet, traieciſſetque quatuor millia militum, ipſe cum reliquo exercitu, quod ſequi, deſtitutus nauigiis, non poſſet, cæſis ſuis, qui flumen transmiſerant, Badacam, quæ ad Eulæum erat, receſſit.

XXIX.

De *Elymaide* vrbe, quam Antiochus Epiphanes direptum iuerat, quum victus fugatusque fuit a circumcolentibus; difficiliores rationes ſunt. Ioſephus lib. XII cap. XIII [IX] Antiochus quum audiſſet, *πόλιν ἐν τῇ Περσίδι πλούτῳ διαφέρουσαν, Ἐλυμαΐδα τοὔνομα, καὶ πολυτελὲς ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἐν αὐτῇ*, *eſſe in Perſide vrbem prædiuitem, Elymaida nomine, & in ea templum Dianæ opulentum, refertum omne genus donariis; incitatus rex hac fama, admoto exercitu, expugnare vrbem conatus eſt.* Eadem hiſtoria I Maccab. VI ineunte recenſetur, ſine tamen Dianæ nomine, etiam in ipſo nomine dubitanter. Aldi enim & Wecheliorum editione legitur *ἐν Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι πόλις*, id eſt, *vrbs in Elymæorum gente in Perſide*, ne de aliis Elymæis intelligas. Alii legunt, etiam Angli in Polyglottis, *ὅτι ἐστὶν Ἐλυμαΐς ἐν τῇ Περσίδι πόλις*, *quod eſſet Elymaïs in Perſide vrbs* diuitiis inclita. Priorem lectionem H. Grotius laudat; altera, quæ etiam Vulgati Latini eſt, cum Ioſepho magis conſpirat: quam qui tenent, plerique de Perſepoli interpretantur, quia eadem 2 Maccabæor. IX, de Antiocho ita narrantur: *Venit εἰς τὴν λεγομένην Περσέπολιν, ad vrbem quæ Perſepolis dicitur.* At vero *Elymaïs* ſi nomen vrbis eſt, vt Ioſephus prodidit; ſine dubio in Elymaide regione fuit, quæ diſparata eſt a Perſide propria, cuius caput fuit Perſepolis. Bochartus lib. II cap II *Elymaidis caput erat Elymaïs, inſignis vrbs.* Sed nulla eius mentio apud geographos reperitur, vt putares eamdem fuiſſe, quam Seleuciam Nicator nominauit, quia ſæpe nomen vetus non ita deletum fuit in vrbibus, quin non numquam repeteretur, aliquando etiam præualeret. Habet Strabo quidem vetus nomen Seleuciæ, ſed haud dubie prauatum, *Soloce*, quia in MSS. inepte legitur *Sodome.* In quo Strabo quidem aduerſarius huic ſententiæ videtur, in eo autem non alienus eſt, quod in eadem Seleuciæ Elymææ regione dicit *Ἀθηνᾶς ἱερὸν*, *Mineruæ templum* opulentum fuiſſe, *Ἄζαρα*, *Azara* dictum, quod Antiochus Magnus ſpoliauerit. Caſaubonus putat *τὰ Ζάρα*, *Zara* plurale templi nomen fuiſſe, quia Heſychius, quamuis mutile, *Ζαρῆτις*.

τις, Ἄρτεμις Πέρσαι, *Zaretis Diana Perſica.* Et Hieronymus in Daniel. XI *Dianam* numen *Elymaidos prouinciæ* vocat: Appianus autem Syriac. pag. 212 de Antiocho Epiphane: τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε, *Elymææ Veneris templum ſpoliauit.* Scilicet barbarum deæ nomen, forte Ναναία, 2 Maccab. I, 13, non vno modo ad Græca nomina adplicatur, & aliis Dianæ ſacra, aliis Mineruæ, itidem aliis, vt vidimus, Veneris ſignificari videbantur.

XXX.

Supra Elymæos, in montanis præſertim, quæ Mediam terminant, variæ gentes coluerunt, quas Plinius lib. VI cap. XXVII partim ad Suſianos reducit. *Suſianis*, inquit, *ad orientem verſus iunguntur Oxii latrones*, *&* *Mizæorum* XL *populi liberæ feritatis. Supra eos patent Parthuſi, Mardi, & Saitæ, Hyi, qui prætenduntur ſupra Elymaida, quam Perſidi in ora iunximus.* In ora ergo Elymæis Perſæ cohærent, id eſt ad mare verſus; in ſeptemtrione varias gentes intermiſceri dixit Plinius. Et, paucis interiectis, pergit: *Suſianis ab oriente proximi ſunt Coſſæi: ſupra Coſſæos ad ſeptemtrionem Meſabatene ſub monte Cambalido, qui eſt Caucaſi ramus.* Ex his nobiliores populos, miſſis obſcuris & ignotis, inſpicere penitus non ſolum pretium erit, ſed neceſſarium etiam inſtituto noſtro.

XXXI.

COSSAEOS proximos Suſianis ab oriente Plinius poſuit; etiam Ptolemæus: at Arrianus Indic. cap. XL Medis illos continuos facit, vt ſic etiam Elymæis, ſaltem ex parte immineant. Montes habitarunt. Curtius lib. IV cap. XII *qui montes Coſſæorum incolebant.* Plutarchus Alexandro pag. 704 *Cuſſæos* vocat. τὸ Κουσσαῖον ἔθνος κατεστρέφετο, *Cuſſæorum*, inquit, *gentem ſubegit.* At Diodorus Siculus lib. XVII cap. CXI etiam *Coſſæos* vocans, regionem & ſitum ita deſcripſit: *Alexander*, τῶν Κοσσαίων ἀπειθούντων, ἐστράτευσεν ἐπ᾽ αὐτοὺς εὐζώνῳ τῇ δυάνμει. τοῦτο δὲ ἔθνος ἀλκῇ διαφέρων κατοικεῖ μὲν τῆς Μηδίας τὴν ὀρεινὴν, πεποιθὼς τῇ τῶν τόπων δυσχωρίᾳ, *in Coſſæos, qui imperium ipſius reſpuebant, expeditum exercitum duxit. Gens iſta, fortitudine præcellens, montanos Mediæ tractus incolebat, locorum confiſa aſperitate.* Quidam *Ciſſios* & *Coſſæos* eosdem putant, quos vero Ptolemæus diſtinxit & ſeparauit. Alii כותיים *Chuthæos*, qui in Samariam transducti fuerunt, quaſi dialecto ſolum, quæ T & S permutat, diuerſa pronuntiatio debeatur: de qua re diximus in Collectaneis Hiſt. Samaritanæ cap. I ſect. XIX Regio *Coſſæa* dicitur. Diodorus dicto loco: τῆς Κοσσαίας τὴν πλείστην πορθήσας, *Coſſææ maximam partem* [Alexander] *vaſtauit.* Stephanus ſine diphthongo: Κοσσέα μέρος Περσίδος, *Coſſea, pars Perſidis.* Sic Perſidi hic tribuit, puta laxe ſumtæ; Diodorus Mediæ montanis, quod inter vtramque nationem medio quodem loco ſita fuit.

XXXII.

Sequuntur *Vxii*, vt plures vocant; Plinius *Oxios.* Arrianus Indic. c. XL, vt laxam ſedem Suſianis dat, a Tigri vsque ad Aroſem ſiue Araxem; ita Vxios partem Suſiorum conſtituit. Συσίων ἔθνος αὐτόνομον κατύπερθε

προσ-

προσοικέει Οὔξιοι καλεῦνται. *Suſiorum gens quædam ſuperne accolit · Vxii vocantur.* MS. Gronouii Σουσίων ἄλλο γένος, *Suſiorum alia gens*, quod Suſii in plures gentes diuiſi fuerint. Idem lib. III Exped. Alex. cap. XVII *Deinde Suſis cum exercitu mouens*, καὶ διαβὰς τὸν Πασιτίγριν ποταμὸν, ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν, *& transgreſſus Paſitigrin amnem, inuadit Vxiorum regionem.* Eadem Curtius lib. V cap. III ex Diodoro, vt ſupra demonſtrauimus: Rex [Suſis profectus] *quartis caſtris peruenit ad fluuium; Paſitigrim incolæ vocant. Amne ſuperato, in regionem Vxiorum peruenit.* Sic vltra Suſa, & vltra Paſitigrim ſeu Oroatin ad fines propriæ Perſidis *Vxii* habitarunt: & ipſe Paſitigris, vt Curtius ibidem tradit, *oritur in montibus Vxiorum*; ſiue, vt Diodorus lib. XVII cap. LXVII ſcripſit, ὃς ῥέων ἀπὸ τῆς Οὐξίων ὀρεινῆς. Quod vero etiam clariſſimus Gronouius ad Arrian. pag. 355 adnotauit, duæ Vxiorum gentes fuere, vna, quæ planitiem habitabat; & Perſis paruit; altera montana, eaque αὐτόνομος ſeu libera. Priorem ſeu campeſtria colentem intelligit Diodorus, quum dicto loco τὴν Οὐξίων, *Vxiorum regionem* dicit οὖσαν πάμφορον, καὶ δαψιλέσιν ὕδασι διαῤῥεομένην, καὶ πολλοὺς καὶ παντοδαποὺς ἐκφέρουσαν καρποὺς, *fertilliſſimam, & aquis largiſſimis irrigatam, quæ omnis generis fructus copioſe proferat.* De altera & montana gente cape, quod Strabo lib. XV pag. 501 dixit, ἔστι δὲ πλείω στενὰ διεκβαίνοντι τὰ ἐν τοῖς Οὐξίοις κατ' αὐτὴν τὴν Περσίδα, *ſunt complures anguſtiæ Vxios transeunti iuxta Perſidem.* Regio vocatur *Vxia.* Strabo lib. XVI pag. 512 *E Suſis in Perſidem mediterraneam iter eſt* διὰ τῆς Οὐξίας, *per Vxiam.* Eadem *Vxiana.* Diodorus lib. XVII cap. LXVII πασῶν τῶν κατὰ τὴν Οὐξιανὴν πόλεων ἐγκρατὴς, *omnibus Vxianæ oppidis potitus.*

XXXIII.

Mardi, populi non vnius loci ſunt. Videmus in extrema Media ad Hyrcaniæ fines apud Ptolemæum: habet & Plinius lib. VI cap. V Mardos a tergo Euxini Ponti inter Achæos & Cercetes: & eodem libro cap. XVI in Caucaſo vlteriore poſuit. *Ab huius*, inquit, [Margianæ] *excelſis per iuga Caucaſi protenditur ad Bactros vsque gens Mardorum, fera, ſui iuris.* Sed hi alieni a noſtro loco, vbi Oxiis [*Vxiis*] & Coſſæis idem cap. XXVII & *Mardos* coniunxit. De his Strabo lib. XI pag. 361 *quatuor populos prædando viuere*, ὧν Μάρδοι μὲν Πέρσαις προσεχεῖς ἦσαν, *e quibus Mardi Perſis contigui ſunt.* Reliqui ſunt Vxii, Elymæi [montani,] & Coſſæi. Et Arrianus Ind. cap. XL Μάρδοι μὲν Πέρσῃσι προσεχέες οἰκέουσι, λησταὶ καὶ οὗτοι, *Mardi, latrones etiam ipſi, Perſas accolunt.* Herodotus quoque lib. I cap. CXXV Mardos in Perſicis gentibus numerauit: quod de accolis potius, quam propriæ Perſidis cultoribus, ceterorum teſtimonio intelligendum eſt.

XXXIV.

His accedunt *Parætaceni*, quos quidem Ptolemæus partem Perſidis facit propriæ, ſed in citeriora etiam Strabo reducit: Plinius & in vlteriora, quam Perſis eſt, profert. Et ipſi montana maxime incoluerunt, nec vitæ genere diſſimiles ſuperioribus. Dicuntur *Parætacæ* & *Parætaceni.*

ceni. Strabo lib. XVI ineunte, Ελυμαῖοι καὶ Παραιτάκαι, *Elymæi & Parætacæ.* Et Arrianus lib. III cap. XIX *Alexander in Mediam progreditur*, καὶ Παραιτάκας μὲν, ἐς τὴν χώραν αὐτῶν ἐμβαλὼν, κατεστρέψατο, *& Parætacas quidem, impetu in eorum regionem facto, ſubegit.* Iterum Strabo XVI pag. 512 οἱ Παραιτακηνοὶ μᾶλλον μὲν τῶν Κοσσαίων ἐπιμελοῦνται γῆς, *Parætaceni magis agriculturam exercent quam Coſſæi.* Nomen regionis *Parætacene.* Strabo ibidem, Παραιτακηνή. Et Curtius lib. V cap. XIII *Tabas oppidum eſt in Parætacene vltima.* De ſitu Ptolemæus lib. VI cap IV καλεῖται δὲ τῆς Περσίδος ἡ μὲν παρὰ τὴν Μηδίαν πᾶσαν Παραιτακηνὴ, *Vocatur autem Perſidis pars ea, quæ iuxta totam eſt Mediam, Parætacene.* Et Strabo prædicto loco: ταύτῃ δὲ συνάπτει ἡ Παραιτακηνὴ καὶ Κοσσαία μέχρι Κασπίων πυλῶν ὀρεινὰ καὶ ληστρικὰ ἔθνη. *Huic* [Perſidi] *connexa eſt Parætacene & Coſſæa vsque ad Caſpias portas, gentes montanæ & latrociniis adſuetæ.* Et Plinius vltra Caſpias portas extendit lib. VI cap. XXVI. *Inter Parthos*, inquit, *& Arianos excurrunt Parætaceni.* Vt autem hic in ortum illos nimium profert; ita Strabo contra in occaſum, ſecus ac ipſe alibi & ceteri ſtatuerunt, reducit lib. XV pag. 503 ἀπὸ τῶν ἄρκτων δ' ὑπέρκεινται ἀμφοῖν πρὸς ἕω Ελυμαῖοί τε καὶ Παραιτακηνοὶ ληστρικοὶ ἄνδρες καὶ ὀρεινῇ τραχείᾳ πεποιθότες μᾶλλον δὲ οἱ Παραιτακηνοὶ τοῖς Απολλωνιάταις ἐπίκεινται, *vtrique* [Suſidi & Apolloniatidi] *Elymæi imminent & Parætaceni, latrones & aſperis montibus freti: ſed magis Parætaceni Apolloniatis imminent.* Apolloniatin vero ipſe ibidem interpretatur veterem Sitacenam, Aſſyriæ regionem, ad Tigrin vsque recedentem. Videntur ergo longe, late per montana habitaſſe, quorſum latrocinandi ſpes maxime inuitauerat; vt tamen genuina & propria ſedes fuerit ſupra Perſidem, qua parte Mediæ contigua eſt: aut ſub ipſa potius Media, vt Ptolemæus poſuit, & Herodotus lib. I cap. CI Παρητακηνοὺς, *Paretacenos* [ſine diphthongo ſcripſit] inter Mediæ gentes cenſuit. Stephanus quoque, ſi verum eſt vrbem huius nominis fuiſſe, Mediæ illam adſcribit. Παραίτακα, πόλις Μηδικὴ, *Parætaca*, inquit, *eſt vrbs Mediæ.*

SECTIO IV.
PERSIS PROPRIA.
XXXV.

Inter Elymaidem & Carmaniam Perſis Propria eſt, cuius latitudo inter Mediam & Perſicum ſinum patet. Incipit a Paſitigri ſeu Oroati fluuio ex Plinii dimenſione, quam ſupra de Fluminibus vides expoſitam. Difficilis aditus, quia montibus vix peruiis eſt circumdata, præter oram maritimam: in his στενὰ, *portæ* erant & anguſtiæ, per quas ſolas aditus, nec vero is facilis, aperiebatur. Strabo lib. XV pag. 501 παρεμπίπτει τις ὀρεινὴ τραχεῖα καὶ ἀπότομος μεταξὺ τῶν Σουσίων καὶ Περσίδος, στενὰ ἔχουσα δυσπάροδα καὶ ἀνθρώπους λῃστάς, *Inter Suſios & Perſidem montana aſpera & prærupta interiacent, quæ anguſtias habent difficulter ſuperabiles, & homines latrones.* Hæ anguſtiæ famoſæ illæ *pilæ* ſunt, quæ quia mediæ inter Perſas &

& Suſios, modo ab hac, modo ab illa gente denominantur. Curtius lib. v c. 11: *Omni hac regione vaſtata, tertio die in Perſidem, quinto anguſtias, quas illi Suſidas pylas vocant, intrat. Ariobarzanes has cum* XXV *millibus peditum occupauerat rupes, abſciſſas & vndique præruptas, in quarum cacuminibus extra teli iactum barbari ſtabant, de induſtria quieti & pauentibus ſimiles, donec in artisſimas fauces penetraret agmen.* Ex Diodoro putes hauſiſſe, lib. XVII cap. LXVIII dicente de Alexandro: *πεμπταῖος ἧκεν ἐπὶ τὰς Σουσιάδας πέτρας quinto die ad rupes peruenit, quæ Suſiades adpellantur.* Hæ vltra Paſitigrim in ipſa Perſide, a qua alii has pylas ſeu fauces denominant. Arrianus lib. III cap. XVIII, eamdem hiſtoriam de Alexandro & Ariobarzane perſequens, ἐπὶ τὰς πύλας τὰς Περσίδας ἀφίκετο, *peruenit*, inquit, *ad pylas Perſides.* Strabo lib. XV pag. 501 κατὰ τὰς Περσικὰς πύλας, *ad portas Perſicas.* Sunt etiam eiusmodi anguſtiæ ad Mediam verſus in ipſa Perſide. Plinius lib. VI cap. XXVI *Qua vero ipſa* [Perſis] *ſubit ad Medos, Climax megale adpellatur locus, arduo montis adſcenſu per gradus, introitu anguſto, ad Perſæpolim caput regni.*

XXXVI.

Diuiſionem Perſidis propriæ in minores regiones, nullam habemus accuratam. Ptolemæus enim tantum memorauit *Parætacenen*, quam iam expoſuimus, nec ab omnibus Perſidi adiudicatam: deinde *Misdiam*, obſcuram: & *Taocenen*, circa Taocen oppidum: & tandem μέχρι θαλάσσης vsque ad mare, *Mardenen*, quæ in Pal. cod. *Mardyene* eſt. Sed ſi qua Mardene fuit, Mardorum regionem fuiſſe crederem, qui vero omnes procul abſunt, vt vidimus, a mari Perſarum. Plinius lib. VI cap. XXVI illam maritimam regionem *Syrtibolon* nominat, idque alio loco conuenienter interpretatur. *Perſæ*, inquit, *Rubrum mare ſemper accoluere, propter quod is Sinus Perſicus vocatur. Regio ibi maritima Syrtibolos.* Gleba, aut ager βῶλος, & *Syrtibolos* regio paluſtris, Syrtibus Africæ non diſſimilis. Id ipſe Plinius cap. ſeq. XXVII de ora Elymaidis, quæ coniuncta eſt cum ora Perſica, ita expoſuit: *Oram, quæ præiacet, minorum Syrtium vice diximus inacceſſam cæno, plurimum limi deferentibus Brixia & Ortacea amnibus.*

XXVII.

Nec populi, quos Ptolemæus Perſidi adſcribit, notiores ſunt, præter *Meſabatas*, quos Strabo in Elymaide poſuerat, & nos ibidem expoſuimus. Sunt autem *Rapſii, Hippophagi, Suzæi, Metores*, Gr. Μέτορες. Herodotus lib. I cap. CXXV plures memorat, ſed pleroſque non nobiliores, *Meraphios, Maſios, Panthelæos, Deruſiæos, Germanios, Daos, Dropicos, Sagartios.* His addit notiores *Paſargadas*, quos a Perſis proprie dictis diſtinguit; & *Mardos*, de quibus ſupra diximus.

XXXVIII.

Oppida pauca nouimus fama & hiſtoriis celebrata. Caput gentis fuit *Perſæpolis* ſiue *Perſepolis*: nam vtroque modo ſcribitur. Strabo cum diphthongo Περσαίπολις, libro XV aliquoties, ſemel Περσέπολις Aldina lib. II;

bis Xylandri & Caſauboni editione. Plinius Harduini *Perſæpolis*; Frobenii, *Perſepolis*. Et Diodorus, * & Ptolemæus Græcus, ac Stephanus, & auctor libri II Maccabæorum Περσέπολις ſine diphthongo. Sita vrbs trans Araxem, haud vero longe a flumine: quod ex Alexandri itinere clarum eſt apud Curtium & Diodorum: etiam Strabo lib. XV pag. 501 πρὸς αὐτῇ δὲ Περσαιπόλει τὴν Αράξην διέβη, *apud ipſam Perſæpolim* [Alexander] *tranſiit Araxem fluuium*. Ptolemæus latitudinem poſuit XXXIII graduum & tertiæ partis. Pergit Strabo, ἔχουσα βασίλεια ἐκπρεπῆ, *habet regiam ſplendidam*, quam ſcriptores rerum Alexandri laudant. Plinius lib. VI cap. XXVI *Perſæpolis caput regni, dirutum ab Alexandro*. ** Non vrbs, ſed regia in vrbe, Alexandro facem inferente, flagrauit. Strabo lib. XV pag. 502 ἐνέπρησε ὁ Αλέξανδρος τὰ ἐν Περσαιπόλει βασίλεια, *regiam in Perſæpoli Alexander exuſſit*. Neque Arrianus lib. III cap. XVIII plus incenſum ſcribit, quam τὰ βασίλεια τὰ Περσικὰ, *regiam Perſarum*, videlicet arcem ſeu palatium. Quid? quod Diodorus lib. XIX cap. XXI ſeq. in rebus poſt Alexandri mortem geſtis, huius vrbis, tamquam ſuperſtitis, mentionem fecit: etiam auctor libri 2 Maccab. IX, 2. Et Ptolemæus longo poſt tempore meminit, tamquam ſua quoque ætate exſiſtentis.

XXXIX.

Antiquior regia Perſarum in *Paſargadis* fuit, gente circa Cyrum ſeu Corum fluuium colente, & ipſa vrbs *Paſargada* Ptolemæo dicta, Πασαργάδα. Strabo lib. XV pag. 502 feminea & plurali forma Πασαργάδαι, *Paſargadæ*. De populo Herodotus lib. I cap. CXXV *Sunt Perſarum plura genera: Arteatæ, Perſæ* (ſingulariter ita dicti,) *Paſargadæ, Meraphii, Maſii*. τουτέων Πασαργάδαι εἰσὶ ἄριστοι, ἐν τοῖσι καὶ Αχαιμενίδαι εἰσὶ φρήτρη, ἔνθεν οἱ βασιλέες οἱ Περσεῖδαι γεγόνασι. *Sed horum Paſargadæ ſunt præſtantiſſimi, in quibus & Achæmenidarum tribus eſt, vnde reges Perſici oriundi ſunt*. Situm Strabo oſtendit de Cyro amne dicens, ἔστι καὶ Κῦρος ποταμὸς διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων περὶ Πασαργάδας. *Eſt quoque Cyrus fluuius per cauam Perſidem, vt dicitur, decurrens circa Paſargadas*. Caua Perſis planities eſt montibus vtrimque concluſa.

2. Idem de oppido & regia: εἶτ' εἰς Πασαργάδας ἧκε· καὶ τοῦτο δὲ ἦν βασίλειον ἀρχαῖον. *Deinde* [Alexander] *Paſargadas venit, quæ antiqua regia erat*. Addit, Cyrum ideo hunc locum honori habuiſſe & amaſſe, quod ibi Aſtyagem Medum vltimo prœlio ſuperauiſſet. Ibidem etiam ſepeliri voluit & vidit Alexander τὸν Κύρου τάφον ἐν παραδείσῳ, *Cyri ſepulcrum in horto*, turrim non magnam, arborum denſitate occultam. Plinius *Paſagardas*, tranſpoſitis litteris, ſcripſit, & eadem de Cyri ſepulcro memorauit. Lib. VI cap. XXVI, vbi de Perſepoli dixerat, ſubdit: *Inde ad orientem Magi obtinent Paſagardas caſtellum, in quo Cyri ſepulcrum eſt*. Stephanus priori modo ex Anaximene Πασσαργάδαι ſcripſit, *Paſſargadæ*, cui

* Libr. XVII pag. 544.
** Triplici muro circumdata fuit arx, muri foribus æneis muniti. Diodorus XVII pag. 544, 545.

cui πόλις θηλυκῶς eſt, *vrbs femineo genere.* nomen interpretatur Περσῶν ϛρατόπεδον, *Perſarum caſtra.* id enim גז & גנז eſt Ebræis & orientalibus. Vide Gen. XLIX, 11, 19.

XL.

Tertia regia *Gabæ* fuerunt. Strabo dicto loco: ἦν καὶ ἄλλα βασίλεια τὰ ἐν Γάβαις ἐν τοῖς ἀνωτέρω πȣ μέρεσι τῆς Περσίδος. *Fuit & alia regia Gabis in ſuperioribus Perſidis partibus.* Ptolemæus locum monſtrauit in vltima Perſide, Carmaniam verſus, cui itidem Γάβαι, *Gabæ* nomen vrbis eſt. Arrianus Indic. hiſt. cap. XXXIX ſine nomine, Περσῶν βασίλεια, *Perſarum regiam* ad flumen Granidem ducentis ſtadiis introrſus ſiue ab oſtiis poſuit, quod adprime cum Ptolemæi Gabarum poſitione congruit, qui etiam ad vltimum amnem, quem Bagradam vocat, ſuas Gabas collocauit.

XLI.

Et quartam regiam videtur Strabo addere *Ocam* dictam, diuerſam a Gabis, nec vero longe ab illis diſtantem. *Erat*, inquit, *regia alia Gabis in ſuperioribus Perſidis partibus*, καὶ τὰ ἐν τῇ παραλίᾳ τὰ κατὰ τὴν Ὄκην λεγομένην, *& ea, quæ in ora ad mare ſita, iuxta ita dictam Ocam.* Caſaubono in mentem venit, eſſe forſan *Taocen*, quam Arrianus, non vbi Ptolemæus huius nominis promontorium habet, ſed ad oſtium vltimi Perſarum fluuii Granidis poſuit. *Ex Meſambria*, inquit, *digreſſi, & ſtadia circiter* CC *emenſi*, ἐς Ταόκην ὁρμίζονται ἐπὶ ποταμῷ Γράνιδι, *Taocen, ad Granidem fluuium poſitam nauigando venerunt.* Ignota *Oce* aliis: *Taoce* autem Arriani cum ſitu Strabonis bene conuenit, vt veroſimile ſit, truncatam vocem Ocen eſſe, ex Taoce deminutam. Ortelius quidem Ocam regiam dicit, verum non id Strabo aperte dixit, niſi ita ſubaudiendo compleas, καὶ τὰ ἐν τῇ παραλίᾳ [βασίλεια,] τὰ κ. τ. ο. λ. Credo ſeceſſum regium in illo litore prope Gabas fuiſſe ad *Ocen* ſiue *Taocen*, oppidum vel locum amœnitate commendatum. Seceſſus vero regii etiam βασίλεια, *regiæ ſedes* vocari poſſunt.

XLII.

Plinius addit *Ecbatana* Perſica, a Medicis & Syris ſeu Phœniciis diverſa. *Ad orientem*, inquit, *Magi obtinent Paſagardas caſtellum, in quo Cyri ſepulcrum eſt: & horum Ecbatana oppidum, translatum ab Dario rege ad montes.* Horum, id eſt Magorum illud oppidum fuit, ſiue ab Magis habitatum, quod propter poſitionis vitium vel aliam cauſſam rex Darius translocauit. Idem *Laodiceam* addit in finibus iuxta Mediam. *Habet*, inquit, [Perſis] *in extremis finibus Laodiceam, ab Antiocho conditam.* Verum quod Strabo lib. XI, & Stephanus Byzantius hanc in Media cenſent; nos quoque ſupra in Media auſtrali, vbi Perſidem contingit, expoſuimus: quod Plinii extremis finibus facile conciliatur, quia confinia ſæpe incertiora ſunt, & in iis poſita ab aliis huic regioni, & alteri ab aliis adſcribuntur.

XLIII.

Curtii *Tabas* lib. V cap. XIII, quod oppidum dicit in Parætacene vltima eſſe, eſt vtique Græca forma Τάβαι, *Tabæ:* ipſe autem barbaro caſu dixit

dixit *Tabas eſt oppidum*, cetera. cuius nominis vrbem τρίτην τῆς Περαίας, *tertiam in Peræa* Stephanus dixit eſſe. Quod vero trans Iordanem Tabæ minus notæ ſunt, Lucæ Holſtenio viſum fuit coniectare, an forſan Παραιτακηνῆς pro Περαίας legendum ſit, quia Curtius diſerte *Tabas in Parætacene* oppidum dicat. Quo pertinet quod Polybius Excerptis lib. XXXI [Valeſ. ed. p. 144 *] Tabas in Perſide ponat, vbi exſtinctus rex Antiochus ſit, poſtquam in Elymaidem, templum Dianæ ſpoliaturus, exercitum moviſſet. ἀναχωρῶν, inquit, ἐν Τάβαις τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον, *regreſſus inde, in Perſidis oppido Tabis mortuus eſt.* Parætacene autem ſecundum Ptolemæum fuit Perſidis ſuprema ad ſeptemtrionem prouincia.

XLIV.

Ptolemæus plura oppida narrat, ſed pleraque ignota. Primum in ora ſeu ad mare eſt Ταόκη ἄκρα, *Taoce* promontorium, quod in Tabula etiam vt oppidum repræſentatur. Intus paullo, ſed longius in ortum, eſt *Taoce* oppidum, & circa hæc duo, *Taocene* regio. Sed vereor vt recte hæc poſita a Ptolemæo ſint, quum Toacen Arrianus in vltima Perſide ad fines fere Carmaniæ conſtituerit. Deinde poſt Rogomanem fluuium eſt *Ionaca*, in Tabula *Ionacopolis:* & inter oſtia Briſoanæ & Bagradæ habet maritimum oppidum *Auſinzam.* Et hæc in ora. In mediterraneis, exceptis antea explicatis obſcuriora ſunt omnia. Quis enim de *Axima*, *Ardea*, *Tragonice*, *Portopana*, *Cauphiaca*, *Mætona*, quæ omnia citra Perſepolim ſunt, audiuit? aut de vlterioribus, *Marraſio*, *Sycta*, *Cinna*, *Gabra*, *Cotamba*, *Arbua*, *Mammida*; & prope mare de *Vxia*, Οὐξία, in Tabula *Vzia?* quod addidi de maritimo ſitu oppidi, ne quis putet ad gentem Vxiorum pertinere, quam ſupra in ſeptemtrione reliquimus, longiſſime ab oppido Vxia remotam. Nomina ſunt, quæ nullam memoriam adferunt.

XLV.

Inſulas Perſidis ſub Elymaide *Taxianam* Ptolemæus poſuit: ſub Perſide propria eiusdem eſt *Tabiana*; deinde *Sophtha*; tandem *Aracia*, quæ & *Alexandri inſula* dicta. Vltimam, Araciam, etiam Plinius lib. VI cap. XXV laudat: & alias duas memorat. *Contra Perſidem*, inquit, *Philos*, *Caſandra*, *Aracia cum monte prætalto*, *Neptuno ſacra.* Ceteræ in ſinu Perſico aut ad Arabiam Felicem pertinent, aut in Carmania, ſub qua iacent, explicabuntur.

XLVI.

De ipſo *ſinu Perſico*, ſupra quem Perſis ſita eſt, Plinius lib. VI cap. XXIII extremo, & XXIV, *Irrumpit & in hac parte geminum mare terras*, ** *quod Rubrum*

* Gronou. edit. pag. 1453.

** Oceanus, qui Arabiam & Perſiam adluit & longius inde procurrit, ἐρυθρὰ θάλασσα dicitur. Hinc fit, vt Euphratem εἰς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν influere aiat Herodotus I cap. 180, item Tigrim cap. 189. Idem tamen mare idem etiam νότιον adpellat libr. IV cap. 37. Πέρσαι, inquit, οἰκέουσι κατήκοντες ἐπὶ τὴν νοτίην θάλασσαν, τὴν Ἐρυθρὴν καλεομένην. *Perſæ ad mare AVSTRALE pertinent, quod idem RVBRVM adpellatur.* Adde Herodoti libr. III cap. 93. Hinc illud eſt Æliani hiſtor. Animal. XVI cap. 14. Τάς γε μὴν ἐκ τῆς Ἐρυθρᾶς ἐκπιπτούσας εἰς τὸν Ἰνδὸν λείας ἔχειν πέπυσμαι τὰς ἀκάνθας. *Quæ ex mari Rubro in Indum excidunt, leues audio habere ſpinas.* Polybius V cap. 48 Γενόμενος δὲ κύριος τῆς τε Βαβυλωνίας

*Rubrum dixere noſtri, Græci Erythræum a rege Erythra, * aut, vt alii, ſolis repercuſſu talem reddi colorem exiſtimantes: alii ab arena terraque, alii tali aquæ ipſius natura. Sed in duos diuiditur ſinus. Is, qui ab oriente eſt, Perſicus adpellatur, ** XXV M. paſſuum circuitu, vt Eratoſthenes tradit. Et ex aduerſo eſt Arabia, cuius XII M. paſſuum eſt longitudo. Rurſus altero ambitur ſinu Arabico nominato.* *** Nominis *Rubri* aut *Erythræi* rationem primam de Erythra rege ſolam admittit Curtius lib. VIII cap. IX: ceteras ridet, tamquam ab ignaris creditas. Numeri cum superna lineola tot centena notant millia.

CAPVT XX
DE
CARMANIA, PARTHIA ET HYRCANIA.

I.

VLtra Perſidem, orientem verſus, eſt *Carmania*, quæ ab ſeptemtrione Parthiam habet; ab ortu Gedroſiam; a meridie mare Perſicum ex parte, & deinde Indicum: quod proprio nomine τὸ Καρμάνιον πέλαγος, *Carmanium mare* Agathemerus lib. II cap. XI vocitauit. Ptolemæus diſtinxit in *Deſertam*, & quam ſimpliciter vocat *Carmaniam*: de illa lib. VI cap. VI, de hac cap. VIII, interiecta Felici Arabia, diſſeruit. Clarius id Agathemerus expoſuit cap. VI *Hyrcaniæ*, inquit, *ſubiacet Parthia*, ταύτῃ δὲ ὑποβέβληται ἔρημος Καρμανία· μεθ' ἣν ἡ ἀληθὴς κεῖται Καρμανία μέχρι θαλάσσης, *huic* [Parthiæ] *ſubiacet Carmania deſerta: poſt hanc ſita eſt vera Carmania ad mare vsque.* Deſerta igitur ad ſeptemtrionem eſt iuxta Parthiæ limitem; Vera & propria Carmania in meridiem vergit & ad mare pertinet.

II.

In *Deſerta Carmania* Ptolemæus neque oppidum, neque flumen memorauit:

καὶ τῆς περὶ τὴν Ερυθρὰν θάλατλαν ἧκε πρὸς Σοῦσα. *Subacta Babylonia præfectura & item ea, quæ eſt ad mare rubrum, Suſa contendit.* Dionyſius Perieget. v. 1132

Αλλά τοι ἑσπερίοις μὲν ὁμούριος ὕδασιν Ινδὸς
Γαῖαν ἀποτμήγει· νότιον δ' ἁλὸς οἴδματ' Ερυθρῆς κ. τ. λ.
Heſperiasque illi partes conterminus Indus
Flumine diſtinguit: notias maris æquora Rubri
Auroram Ganges.

Plinius VI cap. 26 *Perſæ*, inquit, *Rubrum mare ſemper accoluere, propter quod is Sinus Perſicus vocatur.* In primis memorabilis eſt locus Melæ libr. III cap. 8 princip. Is rem omnem in ſumma luce ponit.

* Vid. Philoſtrat. Vit. Apollon. III cap. 50 pag. 136.

** Sic item Solinus cap. 58.

*** Hinc illud Æliani hiſtor. Animal. cap. 13 Καὶ τὰ ὄστρεα δὲ τὰ τῆς Ερυθρᾶς θαλάσσης, ἡ περῶν ἐστιν ἡ Αράβιος τῆς αὐτῆς ἀγλαΐας ἄμοιρα οὐκ ἔστι. *Et oſtrea maris Rubri, qua Arabicum eſt, ſplendoris non ſunt expertia.* Malim legi ᾗ περῶν.

morauit: tantum populorum aliquot obſcurorum nomina refert, *Iſatichas*, & *Zuthos*, & *Gadanopydres*. Regionem, quæ a ſeptemtrione in orientem vergit, dixit *Modomaſticen*.

III.

Carmaniæ autem *Veræ* ſunt multa apud Ptolemæum flumina. Poſt Bagradam, Perſidis vltimum, ſunt *Dara*, dein Ἄρα̣πος ἐκβολαὶ, *Arapis oſtia*; poſt quæ *Corius*, vt Pal. legit; & *Achindana*, *Saganus*, *Andanis*, prope Armozum promontorium. Et hæc in ſinu Perſico. In mari Indico ſiue poſt os ſinus Perſici, ſinus eſt *Paragon*, in quem exeunt Carmaniæ amnes, *Sarus*, deinde *Samydaches*, poſt quem *Hydriaces*, [Pal. Καυδριάκης] & poſt Paragontem ſinum, *Zorambus* fluuius, [Pal. *Zoromba*.]

2. Ex his Plinio lib. VI cap. XXV quidam etiam nominati. *Amnes*, inquit, *Saganos, dein Daras, & Salſos*. Præterea meminit cap. XXIII *Sabis* & *Andanis* fluuiorum. *Carmaniæ*, inquit, *oram patere duodecies centena* L *millia paſſuum, Nearchus ſcripſit. Ab initio eius ad flumen Sabin centum* M *paſſuum. Inde vineas coli & arua ad flumen Andanin* XXV M. *ſpatio. Regio vocatur Armuzia*. Ignotus *Salſos*: at *Sabis* etiam a Mela lib. III cap. VIII mentionem fecit. *Sabis*, inquit, *per Carmanos; ſub Paſargadis Coros, effluunt*. Ptolemæus habet mediterraneum oppidum *Sabin*, prope Alexandriam, quod forſan huic flumini erat adpoſitum. Et *Andanis* Ptolemæo & Plinio communis, vt vidimus. Arrianus Indicis cap. XXXIII vocat *Anamin*. ὁρμίζονται κατὰ τὸν ποταμὸν Ἄναμιν. ὁ δὲ χῶρος Ἁρμόζεια ἐκαλέετο, *ad fluuium Anamin perueniunt: locus ipſe Harmozia vocatur*. Et quia Plinius quoque Andanin per Armuziam ducebat, quæ ipſa eſt Harmozia; adparet, eumdem amnem eſſe Anamin Arriani & ceterorum Andanin. Eſt & Plinio *Arbis* fluuius cap. XXIV. *In Carmaniæ angulo*, inquit, *ſunt, Chelonophagi, teſtudinum ſuperficie caſas tegentes, carne veſcentes. A flumine Arbi promontorium ipſum inhabitant*. Arbis ergo iuxta promontorium effluit: *promontorium Carmaniæ*, vt cap. XXIII vocatur, quod Straboni pag. 526 Ἁρμόζων, *Harmozon* eſt. Ex Eratoſthene refert, *os eius adeo anguſtum eſſe, vt* ἐξ Ἁρμόζοντος τοῦ τῆς Καρμανίας ἀκρωτηρίου, *ex Harmozonte Carmaniæ promontorio, pars Arabiæ conſpiciatur*. Ex quo intelligimus, ad ipſas fauces ſeu fretum, quo Perſicus ſinus Oceano cohæret, hoc ſitum eſſe promontorium. Ptolemæus ſcripſit Ἅρμοζον ἄκρον, *Armozon* promontorium. In eo *Aræ Alexandri* teſte Plinio cap. XXV lib. VI.

3. Sed hoc obiter propter flumen Arbin, Plinio monitore. Et tantum de ipſis fluuiis Carmaniæ, in quibus Ptolemæi rationes incertæ ſunt, quod vel *Corius* demonſtrare poteſt, qui doctiorum iudicio ipſe Corus ſeu Cyrus eſt Perſidis. Neque illud conſtat, ſintne *Sabis* & *Arbis* amnes prætermiſſi a Ptolemæo, an aliis nominibus expreſſi. Ammianus lib. XXIII cap. XXV tres memorat, *Sagareum, Saganim*, & *Hydriacum*. Duo ex Ptolemæo ſunt: medius ignotus aut prauatus.

IV.

Oræ maritimæ a Perſidis confinio ad ϛόμα ſeu fretum vsque nulla oppida

oppida neque promontoria apud Ptolemæum ſunt. Vbi finit ſinus, incipiunt anguſtiæ, *Armozon* promontorium eſt, & iuxta illud *Armuza* oppidum; & quem Plinius cap. XXV addit, *Portus Macedonum.* Vbi deſinit fretum, *Carpella* eſt ἄκρα ſeu promontorium: inter quod & flumen *Sarum* oppida Ptolemæi ſunt *Canthapis, Agris, Combana, Rogana:* inter Sarum & *Samydacem* fluuios, *Maſinda,* & *Samydace* oppida. Deinde eſt Τῆσα, *Teſa* oppidum: alius fluuius *Caudriacus:* poſt quem *Bagia* promontorium: *Cyiza* portus: Ἀλαβητὴρ, *Alabater*, promontorium: & hæc in *Paragonte* ſinu. Poſt quem *Deranobila* oppidum: *Cophanta* portus: *Zoromba* fluvius: *Badara* & *Muſarna* oppida. Hactenus ex Ptolemæo. Ammiani oppida cuncta intus ſunt, niſi forſan *Hermupolis*, quod Valeſio pag. 377 placet, eſt ipſa *Armuza* Ptolemæi: vnde nomen & inſulæ vicinæ & regionis hodieque *Ormus* vocatur.

V.

Mediterranea oppida Ptolemæi ſunt, *Carmana* metropolis, quam etiam Ammianus refert, ſequutus Ptolemæum. Sita eſt in ſeptemtrione prope Deſertæ Carmaniæ & Drangianæ fines. Citerior hac, ſed æque ſeptemtrionalis *Portoſpana.* Sic etiam apud Ammianum ſcribendum, non, vt Lindebrogius edidit, Ortopana. Inter vtramque deſcendenti in meridiem occurrit *Thaſpis*, ſiue *Theſpis;* deinde *Nipiſta:* & vltra Saganum fluuium, *Taruana*, vulgo *Tarſiana*, prope oſtia: & hinc in ortum *Sabis*, haud dubie ad Sabin amnem Plinii & Melæ: nec procul inde *Alexandria*, a Plinio, Ptolemæo & Ammiano laudata. Longius recedit in ortum *Oraſca*, Pal. *Throaſca:* & vlterior *Ora:* ſupra has ſeptemtrionem verſus *Chodda:* infra, *Cophanta*, quæ vero plus in auſtrum, quam Ptolemæus poſuit, deducenda, ne longius abſit a portu ſuo, qui ſupra *Cophanta portus* dictus fuit. *Zethis* Plinii ignota eſt.

VI.

Populus Καρμανοὶ, *Carmani*, & Καρμάνιοι, vtrumque auctore Stephano. Tacitus lib. VI cap. XXXVI *Artabanus Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat.* Sub his variæ gentes: ad Perſidis fines *Camelobosci*, qui & Σωξόται, *Soxotæ;* deinde Ἄιραι, *Aeræ*, vtrique fide Ptolemæi, qui vero perperam *Paſargadas*, Perſidis gentem, his admiſcuit. Vltimi ſunt Χελωνοφάγοι *Chelonophagi*, ſupra Indicum mare, ad Gedroſiæ fines, de quibus, & illorum nomine, ſupra in fluminibus dictum eſt Plinii verbis. His addendi *Armozei* & *Arbii* ex eiusdem Plinii cap. XXV *A promontorio*, inquit, *Carmanis iunguntur Armozei. Quidam interponunt Arbios*, CCCCII *millia paſſuum toto litore.* Promontorium illud eſt quod Carmaniæ & Armozon vocatur. *Armozei* autem a Carmanis proprie dictis diſtinguuntur; nam & ipſi Carmani erant. Arbii haud dubie circa flumen Arbin, de quo ſupra dictum, habitarunt.

VII.

Inſulæ ad Carmaniam Ptolemæo ſunt in Perſico ſinu *Sagdiana*, in

qua oppidum *Miltus;* ſita in boreali parte, e regione Portoſpanæ: deined *Vorochtha.*

2. In Indico mari *Palla:* deinde *Carminna,* * quæ *Carmana* Stephano dicta. ἔϛι καὶ, inquit, Κάρμανα νῆσος, ἡ ἀπὸ τῶν Καρμάνων, *Eſt etiam Carmana inſula, quæ a Carmanis nomen habet.*

3. Tandem *Liba,* extrema & iuxta Gedroſiæ confinium.

4. Eſt & nobilis inſula *Ogyris,* de qua Dionyſius verſ. 606 ſeq.

Ἔϛι δὲ τοι προτέρω, Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης,
Ὤγυρις· ἔνθά τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Eſt autem tibi vlterius, Carmaniæ extra promontorium, Ogyris: vbi tumulus Erythræi regis. Pomponius lib. III cap. VIII *oſtio proximam* [partem Arabiæ Felicis] *& Carmanis contrariam Macæ tenent. Aliquot ſunt in medio inſulæ ſitæ. Ogyris, quod in ea Erythræ regis monimentum eſt, magis clara quam ceteræ.* Et Plinius lib. VI cap. XXVIII *inſula in alto obiacet Ogyris, clara Erythra rege ibi ſepulto.* At Erythræ ſepulcrum Arrianus Ind. cap. XXXVII *Oaractæ* inſulæ tribuit; Strabo lib. XVI pag. 527 *Tyrrinæ* inſulæ: Straboni tamen mendum ineſſe docti viri putant, cui Salmaſius acriorem medicinam p. 831 adfert, Ὤγυριν ſubſtituendo; leniorem Iſaacus Voſſius ad Melam, legens Ὠγυρίνην vel Γυρίνην.

5. De Oaracta autem Arriani res difficilior, nec facile patiens conciliationis. Voſſio eſt Ogyris ipſa Ormus nobilis mercatu in freto Perſico inſula: Harduino inſula Mazira iuxta Felicis Arabiæ latus orientale, vbi fere Ptolemæi eſt *Organa*, quam propinquam Oaractæ Arrianus dixit: niſi Oaracta Ptolemæi Ὀυορόχθα, *Vorochtha* eſt, ſupra fretum in Perſico ſinu ad Carmaniæ oram poſita. Sed de his plura Salmaſius & Iſ. Voſſius citatis locis.

6. Fuit & *Aphrodiſias* nomen inſulæ ad Carmaniam. Plinius lib. VI cap. XXV *Ab eo promontorio* [quod Carmaniæ proprium dixerat, alii Armozon] *Themiſteas, inſula Aphrodiſias habitatur.* Themiſteas videtur Harduino promontorium *Tarſia* Arriani eſſe: & *Aphrodiſias* eiusdem inſula *Catæa,* quam dicit Mercurio & Veneri (vnde Aphrodiſiadis nomen ſit) ſacram eſſe. Id ſolum diſcrimen intercedit, quod Catæam Arrianus deſertam dixit; Aphrodiſiadem Plinius habitari.

SECTIO II.

PARTHIA. **

VIII.

Carmaniæ a ſeptemtrione adiacet *Parthia:* huic Hyrcania, ad mare ſui

* Etiam vrbem huius nominis habet Nonnus Dionyſiac. XXVI v. 219 p. 688
Καὶ ϛρατὸς ἄλλος ἵκανε πόλιν Καρμίναν ἐάσσας.

** *Parthi quoque & ipſi a Scythis originem trahunt. Fuerunt enim eorum exules, quod etiam vocabulo eorum manifeſtatur. Nam Scythico ſermone exules Parthi dicuntur. Hi ſimiliter vt Bactriani domeſticis ſeditionibus Scythia pulſi ſolitudines iuxta Hyrcaniam primum furtim occupauerunt: deinde pleraque finium etiam virtute obtinuerunt.* Iſidor. Orig. IX cap. 2.

ſui nominis pertinens. De vocabulo Stephanus: Παρθυαία ἡ χώρα, καὶ Παρθυηνὴ, *regio Parthyæa dicitur, & Parthyene:* & Latinorum littera *Parthiene;* qui vero plerumque *Parthia* dicunt, vt Ptolemæus quoque ἡ Παρθία. Populus Græce Παρθυαῖοι, vt plurimum: Latine *Parthi,* quam formam etiam Græci quidam amant, vt Dio Caſſius lib. XL pag. 125 de Craſſo, ἐπὶ τοὺς Πάρθους ἐστράτευε, *in Parthos expeditionem ſuſcepit:* atque ita Plutarchus conſtanter in Craſſo & Antonio. Vt autem ſupra Aſſyriam propriam ab Aſſyriorum regno, & ſic Babyloniam quoque a regno Babyloniorum diſtinximus; ita in præſenti quoque Parthiam proprie dictam, non vniuerſum Parthorum imperium, quod poſt defectionem a Syris Macedonibus ampliſſimum fuit, deſcribemus.

IX.

Sub Perſarum regibus, etiam primis ex Macedonica gente Syris, ignobilis fuit Parthia, alieno ſatrapæ plerumque contributa. Strabo lib. XI pag. 354 ἡ Παρθυαία πολλὴ μὲν οὐκ ἐστι· συνετέλει γοῦν μετὰ τῶν Ὑρκανῶν κατὰ τὰ Περσικὰ, καὶ μετὰ ταῦτα Μακεδόνων κρατούντων ἐπὶ χρόνον πολὺν, *Parthia ampla non eſt, vt quæ a Perſis, atque etiam Macedonibus rerum potitis, cum Hyrcania fuerit cenſa.* Et Curtius lib. VI cap. 11 *Hinc in Parthienen peruentum eſt, tunc ignobilem gentem; nunc caput omnium, qui poſt Euphratem & Tigrim amnes ſiti Rubro mari terminantur.* Erat ἄπορος, quod addit Strabo, id eſt inops, quia ſilueſtris & montoſa. De finibus Plinius lib. VI cap. XXV *Quod ad Parthos attinet, ſemper fuit Parthia in radicibus montium ſæpius dictorum, qui omnes eas gentes prætexunt. Habet ab ortu Arios, a meridie Carmaniam & Arianos, ab occaſu Pratitas Medos, a ſeptemtrione Hyrcanos, vndique deſertis cincta. Vlteriores Parthi Nomades adpellantur.* Et Ptolemæus lib. VI cap. V eoſdem fines poſuit, ab occaſu Mediam, a ſeptemtrione Hyrcaniam, ab ortu Ariam, a meridie Deſertam Carmaniam.

X.

Diuiſit Ptolemæus in regiones ita, vt iuxta Hyrcaniam ſit *Cominſine,* Straboni *Camiſene,* Καμισηνή: & ſub ea *Parthyene* ſtrictim dicta & propria; nam aliis ipſa eſt Parthia, eaque tota: εἶτα, deinde *Choroane,* Straboni ἡ Χωρηνή, *Chorena:* & ſub hac *Atticene:* poſt quam iuxta Carmaniam *Tabiene,* adiacentes habens *Sobidas.* Sed ſatis obſcura hæc nomina, nec quæ cuiusque regionis fuerint oppida, ex hac Ptolemæi relatione internoſci poteſt. Diſtinctius & ordinatius diſtributa eſt Parthia ab Iſidoro Characeno. *Tranſeuntibus,* inquit, *per Caſpias portas planities eſt & Choarena* (Ptol. Choroane, Strab. Chorene) *in qua vrbs Apamia. Hinc Comiſena, vrbem nullam, octo pagos habens.* Hinc ad Hyrcaniam venit & Aſtabenam: tum demum in Parthyenen propriam, in qua tres vrbes laudat & vicum vnum. Prima eſt Σαυλώη Παρθαύνισα, *Sauloe Parthauniſa,* vbi regia ſepulcra; Græcis hæc *Niſæa* dicta: altera *Gadar* vrbs: tertia *Siroc:* & vicus *Saphri.*

2. Plinius ita de regione & oppidis Parthorum lib. VI cap. XV, *Pratitæ,* πρὸς ὁδὸν *adpellati, tenent Caſpias portas. Iis a latere altero occurrunt*

deſerta Parthiæ & Citheni iuga. Mox eiuſdem Parthiæ amœniſſimus ſinus, qui vocatur Choara. Duæ vrbes ibi Parthorum, oppoſitæ quondam Medis, Calliope, & alia in rupe Iſſatis quondam. Ipſius vero Parthiæ caput Hecatompylos abeſt a portis CXXXIII *millia paſſuum. Ita Parthorum quoque regna foribus diſcluduntur.* Et cap. XXV eiuſdem libri: *ab occaſu vrbes eorum* [Parthorum] *quas diximus, Iſſatis & Calliope: ab oriente æſtiuo Europum: ab hiberno Mania: in medio Hecatompylos, Arſacæ regia: Niſæa Parthyenes nobilis, vbi Alexandropolis a conditore.* Strabo dicto loco: ἔϛι καὶ Ἀπάμεια καὶ Ἡράκλεια περὶ τὰς Ῥαγάς, *Eſt & Apamea & Heraclea, vrbes apud Ragas.*

XI.

Ptolemæus multa quidem oppida enarrat, ſed pleraque obſcura. Ammianus, qui excerpere illum ſolet, pauca adnotauit lib. XXIII cap. XXIV. *Parthi,* inquit, *ſiti ſub aquilone, colentes niuales terras & pruinoſas: quorum regiones Choatres fluuius interſcindit ceteris abundantior: & hæc potiora reſiduis ſunt oppida Crenonia, Charax, Apamia, Artacana, & Hecatompylos.* Addi ex Ptolemæo poſſunt *Aſpa, Marriche, Rhagæa:* & ex Ammiano cap. XXIII, vbi diſperſas per regiones ciuitates enumerat, quæ ad Parthiam ab aliis referuntur, *Heraclea, & Arſacia, & Europos.*

XII.

Ex his nunc varie recenſitis de regionibus & vrbibus conſtituemus. Primum, an Parthyene Ptolemæi ſit pars totius Parthiæ, dubitatur. Negat Salmaſius in Solin. cap. LV, & erroris Ptolemæum accuſat, quod Parthiam regionem cum Parthorum regno confuderit. Sed eſto, Parthyenem partem Parthiæ notare, quæ veros Parthos ex Scythia profectos habuerit, vt Thraciæ pars quædam Thracia ſingulariter fuit adpellata, & ita quoque in aliis.

XIII.

Deinde Iſidorus anguſtiores fines dat Parthiæ, quam vel Strabo vel Ptolemæus. Separat enim *Choarenam* & *Comiſenam,* quas prouincias ſic ſcribendas & tam Strabonem quam Ptolemæum corrigendos Salmaſius cenſet. Sed ipſe Strabo conciliat, de Parthia dicens, ἀλλὰ νῦν ἠύξηται. μέρη δ' ἐϛὶ τῆς Παρθυηνῆς ἥ τε Καμισηνὴ καὶ Χωρηνή. *Aucta vero eſt Parthia. Partes eius ſunt Comiſena & Choarena,* vt vocabula hæc Characenus ſcripſit. E quibus patet in occidentali latere olim minorem fuiſſe Parthiam ſeu Parthyenem, quam poſtea cenſebatut. Plinius e contrario videtur auxiſſe ac de Margiana aliquid addidiſſe, quod Salmaſius dicto loco p. 842 adfirmat.

XIV.

Articene Ptolemæi in tabula Agathodæmonis *Paratauticene,* eſt Iſidori Ἀπαυαρκτικηνή, *Apauarcticene,* tamquam ſeparata regio a Parthyene, ei a meridie adiecta, cuius vrbs ſit Ἀπαβαρκτική, ſiue Ἀπαυαρκτική, *Apabarctica,* Plinio lib. VI cap. XVI *Apauortene* dicta eſt, vt omnes MSS. habent. *A*

Caſpiis,

Caſpiis, inquit, *ad orientem verſus, regio eſt Apauortene dicta, & in ea fertilitatis inclitæ locus Dareïum. Mox gentes Tapyri*, ceteræ.

XV.

Quod igitur fines & limites non iidem apud omnes ſunt, factum eſt, vt quæ circa Portas ſunt, nunc Mediæ, cuius fuerant, nunc Parthiæ, cui adiecta ſunt, adſcribantur. Tales ſunt *Charax* Ptolemæi, quem alii in Media ponunt, vti fuit, quia cis Portas fuit, a nobis etiam in Media deſcriptus: *Europum* Plinii, quod ipſum Strabonis eſt oppidum Mediæ prope Portas, olim Ragæ, dein *Europos* a Nicatore, a Parthis Arſace dictum: *Apamia, Raphane* cognomento, a Plinio cap. XIV in Media; a Strabone & Ptolemæo in Parthia cenſa: & *Heraclea* Strabonis huc pertinet, quia fuit circa Ragas; eadem Heraclea Ammiani. nam & ipſa cum *Arſacia & Europo* (male diſtinctis, quia vna vrbs Straboni & Stephano) coniungitur. Bochartus quoque lib. II cap. XIV huc *Ragau* Iſidori Characeni refert, quaſi Raga ſeu Ragæ ſit in finibus Mediæ; quod vero, quia in Apauarcticena regione eſt, mihi potius *Ragæa* Ptolemæi videtur, quam in vltima ille poſuit Parthia.

XVI.

Intus & vltra ambiguos limites fuit *Hecatompylos*, Arſacidarum regia, de qua ſupra ex Plinio, & eius diſtantia a Portis dictum eſt. Latitudinem Ptolemæus XXXVII cum ſextante adſignauit, qui Εκατόνπυλον βασίλειον, *Hecatonpylon regiam* ſcripſit: Diodorus Siculus lib. XVII cap. LXXV Εκατοντάπυλος: alii Græci cum Latinis Εκατόμπυλος, *Hecatompylus*. Stephanus Byzantius: Εκατόμπυλος πόλις Παρθίας, *Hecatompylos vrbs Parthiæ*. Polybius, ſimul nomen explicans, lib. X cap. XXV ὁ δὲ βασιλεὺς, διανύσας τὴν ἔρημον, ἧκε πρὸς τὴν Εκατόμπυλον προσαγορευομένην, ἣ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ Παρθυηνῇ, τῶν δὲ διόδων φερουσῶν ἐπὶ πάντας τοὺς πέριξ τόπους, ἐνταῦθα συμπιπτουσῶν, ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος ὁ τόπος εἴληφε τὴν προσηγορίαν. *Rex ſolitudinem emenſus, ad oppidum venit Hecatompylon dictum. In media Parthia hæc vrbs eſt ſita. Quum autem diuerticula viarum, quæ ad omnes circa ferunt regiones, ibidem coeant, ex euentu ipſo accepit nomen.* Origo incerta, etiam antiquum & barbarum nomen. Curtius quidem lib. VI cap. II *Vrbs erat ea tempeſtate clara Hecatompylos, condita a Græcis.* Sed a quibus? nomen quidem Græcum per interpretationem potuit accedere: an a Græcis condi potuit, quæ iam clara erat, quum Alexander ad eam veniret?

XVII.

Quæ ab occidente ſitæ erant, Plinio teſte, Medis oppoſitæ, *Iſſatis* & *Calliope*; earum prior aliunde non eſt nota: poſterior, *Calliope*, laudata etiam a Stephano, Καλλιόπη πόλις Παρθυαίων, *Calliope, oppidum Parthorum*, ex Polybio X. Nec huius origo certa, quia multæ in oriente vrbes adpellatæ tantum ſunt nominibus Græcis. Appianus in Syr. pag. 201 de Seleuco, quum nouas vrbes condidiſſe dixiſſet, addit, τὰς δὲ ἄλλας ἐκ τῆς Ελλάδος ἢ Μακεδονίας ὠνόμαζε, *aliis autem Græca aut Macedonica nomina indidit.* Et poſt plurima exempla quæ adfert, ſubdit tandem, ἐν δὲ τῇ Παρθυηνῇ, Σώτειρα,

τειρα, Καλλιόπη, Χάρις, Εκατόμπολις, Αχαΐα. *Et in Parthia, Sotera, Calliope, Charis, Hecatompolis, Achaia.* Sed error vel ſcribentium lapſus eſt, quum *Hecatompolis*, Εκατόμπολις, tam Caroli Stephani quam Tollii editione pro *Hecatompylos*, expreſſum eſt. Ceterarum, *Soteræ, Charitis, Achaiæ* ſitum ignoramus.

XVIII.

Niſæa, Plinii videtur regio eſſe, cuius nominis in extrema Media campos alii ponunt: Iſidoro autem eſt vrbs a Græcis ita dicta, quæ barbare *Sauloe*, Σαυλώη nominata: cuius cognomen Παρθάυνισα, *Parthauniſa* prauatum videtur ex Παρθῶν νίσα vel νισαία, *Parthorum Niſa* vel *Niſæa*. In regione autem Niſæa Plinii, *Alexandropolim* idem poſuit, quæ ſuſpecta eſt, & vt Salmaſio viſum fuit, in Margianæ forſan Alexandria quærenda. *Gadar* & *Siroc* Iſidori ignorantur.

XIX.

Ammiani *Genonia* videtur Ptolemæi *Sinunia* eſſe, Tabulæ *Oenunia*, in ſeptemtrione ad occaſum poſita. *Artacana*, quam itidem Marcellinus ex Ptolemæo hauſit, in meridie prope Deſertam Carmaniam fuit. Plinii *Mania*, quod quidam libri habent *Maria*, Salmaſio videtur Ptolemæi *Marriche* ſeu *Mariche* eſſe: *Aſpa* Ptolemæi Holſtenio in Ortel. eſt nobilis Isfahan. Situs Ptolemæi in latitudine XXXIII graduum non multum declinat: an etiam longitudo, dubitatur.

XX.

Cetera oppida Ptolemæi nullius famæ ſunt; ſupra Portas *Dordomana*, *Araciana*, & *Ambrodax*; in ſeptemtrione, *Caripraca*, *Roara*, *Suphtha*, & hæc ad ortum etiam, in ſeptemtrionali plaga, vltima. ſub qua *Myſia*, Ammiani *Mœſia*, vt ex MSS. Valeſius ſuppleuit; Ptolemæus autem Μυσία. Huic propiora, ab occaſu *Parbara*, a meridie *Taſtache*, & *Armiana*: in media regione circa Hecatompylon ab auſtro *Syndaga* & *Semina*: ſed magis in hanc plagam vergunt *Choana*, *Simpſimida*, & *Appha*: ſub quibus in extremo meridie ſunt *Rhuda*, & *Artacana*, de qua diximus, & *Ragæa*, de qua itidem ſuperius aliquid dictum fuit. Sed pleraque hæc ſunt nomina ſine vſu & hiſtoria.

XXI.

Choatres fluuius Ammiani (alias montis nomen æque vt Parachoatres, ex Caucaſo ſubnati) Hic, inquam, fluuius adeo ceteris eſt incognitus, vt neſciatur quem curſum teneat, vtrum in mare an alium fluuium ſe effundat, & num Hyrcanum mare an Indicum vel per ſe vel per aliud flumen maius petat. Nec notiores fluuii *Zioberis* & *Rhidagus*, quorum Curtius meminit lib. VI cap. IV. De itinere agit ex Parthia in Hyrcaniam, & caſtris Alexandri in valle, qua Hyrcaniam adeunt. *Ibi*, ait, *ex montium radicibus Zioberem, miræ naturæ amnem effundi, qui nunc aperte labatur, nunc occultetur, iterum oriatur & tandem in alium ſe amnem Rhidagum nomine, infundat.* Et Diodorus huius mirandi amnis men-

mentionem fecit lib. XVII cap. LXXV, qui vero non Zioberem, ſed Στιβοίτην, *Stibœten* vocat. Rhidagi autem memoriam præteriit.

XXII.

Tandem de imperio Parthorum, quod Romano oppoſitum fuit, aliquid adiiciendum eſt. Quum oriens a Syromacedonibus, impulſore Arſace Partho, defeciſſet, duodeuiginti regna dicuntur Parthi in ditionem redegiſſe ſuam. Plinius lib. VI cap. XXV *Regna Parthorum duodeuiginti ſunt omnia. ita enim diuidunt prouincias circa duo, vt diximus maria, Rubrum a meridie, Hyrcanum a ſeptemtrione. Ex iis vndecim, quæ ſuperiora dicuntur, incipiunt a confinio Armeniæ, Caſpiisque litoribus; pertinent ad Scythas, cum quibus ex æquo degunt: reliqua ſeptem regna inferiora adpellantur.* Hæc regna ſecundum ordinem & numerum, quem in Manſionibus Parthicis Iſidorus Characenus obſeruat, interpretanda eſſe, Cl. Salmaſius in Solin. cap. XV cenſet, Pliniumque reprehendit, quod ad mare Rubrum fines Parthorum extenderit: quum in Iſidori enarratione neque Suſianæ nec Perſidis, neque Carmaniæ ratio habeatur. Cuius rei rationem reddit ex Strabonis lib. XV pag. 501, Perſas ſemper ſuum regem habuiſſe, ſed Parthorum regi obnoxium.

SECTIO III.

HYRCANIA.

XXIII.

Hyrcania ſub mari Hyrcano, quod & Caſpium vocatur, ſita eſt a Mediæ finibus vsque ad Oxum amnem, Parthiæ contermina in meridie. Sic & Ptolemæo lib. VI cap. VII Hyrcania terminatur a ſeptemtrione parte maris Hyrcani vsque ad flumen Oxum: ab occaſu oppoſita eſt Mediæ: a meridie Parthiæ per Coronum montem; ab ortu Margianæ.

XXIV.

Idem Ptolemæus flumina tantum duo memorauit, *Maxeram*, & *Oxum*; quum plures eſſe dubitari non poſſit. Tabula etiam *Socandam* fluuium inter vtrumque adſcriptum habet, ſed ipſe Ptolemæus πόλιν eius nominis ſeu oppidum, vt in antiqua verſione eſt, poſuit; Græce autem eſt Σωκανάα πόλις, *Socanaa oppidum.* Fortaſſe oppidum adpoſitum flumini commune nomen habuit. Plinius lib. VI cap. XVI poſt Apauortenæ ſiue Apauarcticenæ, de qua in Parthia egimus, deſcriptionem, *Mox*, inquit, *gentes Tapyri, Anariacæ, Stauri, Hyrcani, a quorum litoribus idem mare Hyrcanium vocari incipit, a flumine Syderi. Citra id amnes Maxeras, Stratos, omnes ex Caucaſo.* Ex Caucaſo puta, & eius excurrentibus ramis ſeu diuortiis. Præter *Maxeram*, quem modo ex Ptolemæo diximus, duos nominat fluuios, *Syderin* ab occaſu, vbi incipit mare Hyrcanium vocari: & *Straton* inter Maxeram & Oxum. *citra* ibi reſpectu orientis, vbi Tapyri aliique erant, intelligendum videtur, vt ſit, ortum verſus. Sed neque Syderis neque Stratos aliunde demonſtrari poſſunt.

XXV.

Ptolemæus diuidit in gentes & regiones. Gentes ſunt *Maxêræ*, Μαξῆραι, circa eiusdem nominis fluuium ſub mari Hyrcano: & *Aſtabeni*, quos ab Hyrcanis proprie dictis diſtinxit Iſidorus Characenus, *Aſtabenen* illorum regionem vocans: & *Chrindi* ſub Maxeris. Regiones nominat *Arſitin*, adiacentem *Corono* monti, cuius iuga Hyrcaniam Parthiamque diſterminant: & *Siracenen*, ſub Aſtabenis poſitam.

XXVI.

Iſidorus Hyrcaniam, quam ab Aſtabene ſeparauit, non oppidis, ſed vicis vndecim, qui manſiones habeant, deſignauit: ceteri omnes oppida nominatim laudauerunt. Ptolemæus duo maritima oppida recenſuit *Saramannen* inter Mediæ fines & Maxeram; quæ Straboni lib. XI pag. 350 *Samariane* dicta eſt: & *Socanaam*, quæ interpreti veteri *Socanda* eſt, ſitam inter Maxeram & Oxum fluuios. Ammianus lib. XXIII cap. XXV *Socundam* & *Saramannam* dixit.

XXVII.

Mediterranea oppida plura memorantur a diuerſis. De regia vrbe diſſenſio. Strabo, τὸ βασίλειον Τάπη, *Tape regia eſt:* Ptolemæus, Ὑρκανία μητρόπολις, *Hyrcania, primaria vrbs.* Polybius lib. X cap. XXVIII εἰς τὴν προσαγορευομένην Σύριγγα πόλιν, ἣν συνέβαινεν εἶναι τῆς Ὑρκανίας ὡσανεὶ βασίλειον διά τε τὴν ὀχυρότητα καὶ τὴν ἄλλην εὐκαιρίαν, *in oppidum, quod Syringem vocant, eſtque Hyrcaniæ quaſi caput, firmitate munitionis & rerum abundantia præſtans.* Addit, κεῖσθαι οὐ μακρὰν τῆς Τάμβρακος, *non procul a Tambrace ſitam eſſe*, quam ante paullo dixerat πόλιν ἀτείχιστον, ἔχουσαν δὲ βασίλεια καὶ μέγεθος, *vrbem immunitam, quæ vero ampla ſit & regiam habet.* Hæc *Talabroca*, Strabonis videtur, quia Τάμβραξ ſeu Τάμβρακα, forma alia, facile *Talabroca* mutari poteſt. Et Arrianus lib. III cap. XXV de Alexandro: ἦγεν ὡς ἐπὶ Ζευδράκαρτα, τὴν μεγίστην πόλιν τῆς Ὑρκανίας, ἵνα καὶ τὰ βασίλεια τοῖς Ὑρκανίοις ἦν, *duxit exercitum ad Zeudracarta, maximam Hyrcaniæ ciuitatem, vbi & regia erat Hyrcanorum.* Hæ veterum de regia Hyrcaniæ ſede variantes ſententiæ, ſaltem diuerſæ adpellationes. Addo ſummi viri noſtra memoria coniecturam, Lucæ Holſtenii, qui ad Ortelium Adnotationibus pag. 22 ſcripſit: Ασαὰκ *Hyrcaniæ ciuitas Iſidoro Characeno: puto eſſe metropolim prouinciæ, quæ Ptolemæo Hyrcania.* Aſaac vero Iſidorus in Aſtabena poſuit, ibique dicit Arſacen primo eſſe regem declaratum.

2. Sic varie de regia Hyrcanorum traditum eſt, vt nequaquam ſit credibile, tot regias & tam diuerſas in vna gente exſtitiſſe. Quin potius ſub Hyrcania vrbe, cuius ſitum Ptolemæus monſtrauit, videntur plures ex his adpellationes latuiſſe. Forte Polybii *Syringem* & *Tambraca*, quæ Strabonis *Talabroca* eſt, huc referre liceat, vt altera in loco ſit, altera in vicinitate: quia haud longe disiunctæ traduntur fuiſſe. *Zeudracarta* autem Arriani videtur *Carta* Strabonis eſſe, quam ipſe a Tape regia & a Talabroca, Polybii Tambrace, diſtinxit. Ptolemæi autem *Hyrcania* metropo

tropolis circa flumen Maxeram eſt, inter XL & XLI gradum latitudinis: flumen autem mediam ſecat Hyrcaniam, a meridie in ſeptemtrionem delabens.

XXVIII.

Cetera Ptolemæi ſunt ab occaſu *Sale*, Ammiano *Sole*, prope Medorum confinia: deinde *Amaruſa*, *Abarbina*, & Maxeram verſus *Aſmurna*, Ammiani *Azmorna:* & trans Maxeram fluuium *Adrapſa*, *Caſape*, *Sinaca*, *Mauſoca*. quæ inania nomina ſunt ſine memoria hiſtoriarum. De prima, *Adrapſa*, etiam dubitare poſſis, quia Strabo lib. XV pag. 498 Ἄδραψα πόλιν τῆς Βακτριανῆς, *Adrapſa vrbem Bactrianæ* dixit. Inſula Hyrcani maris citra oſtia Maxeræ a Ptolemæo *Chalca*; Pal. cod. *Talca* nominatur.

XXIX.

Gentes, quas Plinius lib. VI cap. XVI, vt ſupra adlegauimus, in litore Hyrcani maris enumerat, quædam extra limitem Hyrcaniæ fuerunt, vt *Anariacæ* in Media, quorum etiam Strabo mentionem habet. Lib. XI pag. 350, tractum illum, inquit, tenent *Gelæ*, *Docuſini*, *Amardi*, *ac Quintii*, καὶ Ἀναριάκαι, & *Anariacæ*. Stephanus etiam oppidum habet *Anariacam*, ad Strabonis prouocans auctoritatem: qui quod nihil de vrbe habeat, tantum de gente; non vereor, vt errarit in excerpendo illo nomine. Situm Ptolemæus monſtrat, qui vero male ſcripſit *Amariacæ*, aut a deſcribentibus prauatus eſt. Hos vero Tabulæ auctor, Ptolemæo adiectæ, in vltima Media, prope fines Hyrcaniæ, vna cum Mardis poſuit: quos ſequuntur *Chrindi* Hyrcaniæ, deinde *Maxêræ*, omnes ſub mari Caſpio ſeu Hyrcano. De *Gelis* & *Amardis* actum in Media, cuius ſunt maritimæ gentes: *Quintii* Strabonis ignoti: de *Tapyris* in Margiana, quia vltra Hyrcanos erant, dicemus. Huc & *Barcani* pertinent, quos Curtius laudat lib. III cap. II, & duodecim millia militum in Darii exercitum miſiſſe refert. Stephanus vrbium & populorum ſcriptor: Βαρκάνιοι ἔθνος τοῖς Ὑρκανοῖς ὅμορον, *Barcanii*, *populus finitimus Hyrcanis*: ſed ex quo latere, incertum. puto tamen ab ortu potius, quam ad occaſum. Cteſias Excerpt. cap. VIII cum Derbicibus coniunxit. *Cyrus*, inquit, *morti vicinus*, Σπιτάδην μὲν, Δερβίκων ἀπέδειξε σατράπην, Μεγαβέρνην δὲ, Βαρκανίων, *Spitadem quidem Derbicum ſatrapam conſtituit; Megabernem autem Barcaniorum.*

CAPVT XXI
DE
MARGIANA, BACTRIA, ET SOGDIANA.

I.

HYrcaniam ab ortu *Margiana* attingit, a flumine *Margo* dicta, qui ſecat illam, in Oxum ſe infundens. Oxus a ſeptemtrione ſtringit, & a Sogdiana diſterminat. A meridie Arianam ſpectat; ab ortu ſolis, Bactri-

Bactrianam. Plinius lib. VI cap. XVI *Sequitur regio Margiane, apricitatis inclitæ, ſola in eo tractu vitifera, vndique incluſa montibus amœnis, ambitu ſtadiorum mille quingentorum, difficilis aditu propter arenoſas ſolitudines per* CXX *millia paſſuum, & ipſa contra Parthiæ tractum ſita.* Eadem Strabo lib. XI pag. 355 de ſolitudine ambiente, & de vini fertilitate tanta, vt vitem ſæpe ne homo quidem complecti poſſit, vuæ dependeant bicubitales. Montes, quibus ab Ariana ſeparatur, *Sariphos* Ptolemæus vocauit.

II.

Vrbem Margianæ *Antiochiam* Strabo, Plinius, Iſidorus Characenus laudant, quæ Ptolemæo eſt cognominata Ἀντιόχεια Μαργιανὴ, *Antiochia Margiana,* in tabula eius aut Agathodæmonis ad Margum fluuium poſita: nomen habens ab inſtauratore Antiocho, antea ab Alexandro conditore *Alexandria* denominata. Plinius dicto loco: *in qua* [Margiana] *Alexander Alexandriam condiderat. qua diruta a barbaris, Antiochus Seleuci filius, eodem loco reſtituit Syriam,* puta vrbem, ex Syria denominatam, id eſt Antiochiam. De inſtauratore res certa ex Strabone, qui *miratus,* inquit, fertilitatem ὁ Σωτὴρ Ἀντίοχος, *Antiochus Soter,* τείχει, *muro* ſeu munimento eam circumdedit, cuius ambitus ſtadia CIↃ IↃ habebat: πόλιν δὲ ἔκτισεν Ἀντιόχειαν, *vrbem vero in ea condidit Antiochiam.* Iſidorus in Margiana: ἔνθα Ἀντιόχεια ἡ καλουμένη ἄνυδρος, *vbi Antiochia eſt, Arida cognominata.* At vero Margus fluuius rigabat, vt Ptolemæi præfert tabula, de qua diximus: & Plinius quum dixiſſet, *eodem loco reſtituit Syriam,* addit: *nam interfluente Margo, qui corriuatur in Zotale, is maluerat Antiochiam adpellari.* Zotale agri nomen eſt, vbi Margus in riuos rigationis cauſſa deducitur. Vnde eſt quod in Iſidoro ἔνυδρος, id eſt *aquoſa* & *irrigua* clariſſimi viri Io. Harduinus & Io. Hudſon, cum quibus & nos facimus, legendum cenſent. Vrbis amplitudo circuitu LXX ſtadiorum, Plinio auctore: qui & adiicit, *in hanc Orodem Romanos, Craſſiana clade captos, deduxiſſe.*

III.

Infra Antiochiam ad fluuium Margum, vel circa illum, apud Ptolemæum ſunt *Iaſonium,* & *Aratha,* ac propior Oxo *Ariaca:* & ad fontes fluuii *Niſæa,* Pal. cod. *Nigæa:* & in occaſum a fluuio *Argadina* & *Rhea.*

IV.

Populos Ptolemæus in tractu ad Oxum poſuit *Derbiccas,* (quos ipſe geminato Kappa ſcripſit, Græce Δερβίκκαι, *Derbiccæ;*) oſtiis Oxi vicinos; ſiue, vt Stephanus ait, ἔθνος πλησίον τῶν Ὑρκανῶν, *gentem Hyrcanis proximam;* deinde *Maſſagetas;* poſt eos *Parnos, Daas;* & ἀνατολικωτέρους Ταπόρους, *magis in orientem recedentes Taporos,* quos alii *Tapyros* adpellant. Ex Plinio *Mardi* adponi poſſunt, dicente dicto loco: *Ab huius* [Antiochiæ Margianæ] *excelſis ad Bactros vsque gens Mardorum, fera, ſui iuris.*

V. Pri-

V.

Primum genus *Derbices* ſunt, οἱ Δέρβικες, vt Plinius & Strabo vocant, qui tertio caſu τοῖς Δέρβιξι lib. XI pag. 358 dixit, quod ſimplici numero eſt ὁ Δέρβιξ, *Derbix*, quæ forma producit obliquos, * vt opus non ſit attollendæ ſyllabæ cauſſa, quod Ptolemæus & Apollonius apud Stephanum fecerunt, litteram duplicare, Δερβίκκαι, *Derbiccæ:* Cteſias, eodem Stephano teſte, etiam Δερβίους, *Derbios* illos, & Δερβίσσους *Derbiſſos* dixit: Dionyſius periegeta verſ. 734 Δερκεβίους, *Dercebios*, quos ipſos Derbices eſſe, Palatinus codex Ptolemæi confirmat, quo ſcriptum eſt: Δερβίκκαι, οἱ καὶ Δερκέβοι, *Derbiccæ, qui & Dercebi dicuntur.* Numeroſa gens, ſi Curtio fides habenda lib. III cap. II, qui etiam *Derbices* ſcripſit. nam nec Oxo terminantur, ſed trans illum in Sogdiana etiam regione colebant. Plinius ibidem: *Derbices, quorum medios fines ſecat Oxus amnis, ortus in lacu Oxo.*

VI.

Alterum genus Ptolemæi ſunt *Maſſagetæ*, Μασσαγέται, quorum vero ſedes non eſt certa, quum multi in citerioribus ponant, quia Cyrus contra Tomyrin, Maſſagetarum reginam, moturus, Araxem traiicere neceſſe habuerit, Herodoto & Dionyſio auctoribus. Quod vero ipſe Herodotus lib. I cap. CCII de Maſſagetis dicit: τὸ ἔθνος τοῦτο καὶ μέγα λέγεται εἶναι, καὶ ἄλκιμον, οἰκημένον δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς πέρην τοῦ Αράξεω ποταμοῦ, *Hæc gens* [Maſſagetarum] *fertur & magna eſſe & ſtrenua, ad auroram ſolisque ortum ſita trans Araxem fluuium;* ex eo intelligitur, alium Araxem ſignificari, diuerſum ab Armenio, qui Cyri reſpectu, in Perſide ſedem regiam habentis, non in ortum, ſed in occaſum potius & ſeptemtrionem referendus erat. Accedit, quod Stephanus tradat, Μασσαγέται ἔθνος Σκυθῶν, *Maſſagetæ ſunt Scytharum gens.* Scythas vero cis Oxum nemo poſuit. Quapropter in ſummi viri Iſaaci Voſſii ſententiam ire nihil dubito, qui in Melæ lib. III cap. V pag. 244 ſcripſit: *Herodotus per Araxem manifeſte Oxum intellexit, quum Maſſagetarum faciat terminum. Sed quomodo Matianis tum oritur montibus? Debuiſſet enim dicere ex Paropamiſo, vt Ariſtoteles. Sane Oxum, ante victorias Alexandri, a Græcis Araxem fuiſſe adpellatum nullus dubito, quum ad orientale maris Caſpii latus illum deſcribant. Quod Mela & alii Araxi adſcribit, id ipſum Polybius Oxo tribuit.* Vide Melam lib. III cap. V de Araxe, Polybium lib. X cap. XLV de Oxo. Sane non vnius fluminis nomen *Araxem* eſſe, ſupra in Armenia & Perſide vidimus: vt nihil alienum ſit & tertium circa Bactros & Margianos, id eſt Oxum, ita a non nullis adpellatum fuiſſe. Sed de Maſſagetis infra ſuo loco plura dicemus.

VII.

Sequuntur apud Ptolemæum *Parni* & *Daæ*, quos diuidit Ptolemæus: Strabo lib. XI pag. 352 quosdam Daas dicit *Aparnos* cognominatos, τῶν

 Δάων

* Nonnus Dionyſ. XXVI verſ. 339 pag. 696
Δερβίκων δὲ γένεθλα συνέσπετο Δηριαδῆι.

Δάων οἱ μὲν προσαγορεύονται Ἄπαρνοι. *Aparni* autem Strabonis ſunt ipſi *Parni* Ptolemæi. *Daæ* vero, ſiue, vt Latini ſcribunt, *Dahæ*, commune nomen Scythicarum gentium. Ibidem Strabo: οἱ πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι, Δάαι προσαγορεύονται, *plerique Scytharum, qui a Caſpio mari incipiunt, Daæ adpellantur.* Et Plinius lib. VI cap. XVII *Vltra ſunt Scytharum populi. - - - Celeberrimi eorum Sacæ, Maſſagetæ, Dahæ.* Nec vno loco habitarunt omnes, ſed diſperſi mixtique aliis gentibus, profecti autem ex Scythia, ἀπὸ τῆς Περαίας τοῦ Ιαξάρτου, *e regione, quæ trans Iaxartem eſt,* vt Strabo commemorauit.

VIII.

Quos autem Ptolemæus ἀνατολικωτέρους Ταπόρους, *orientaliores his Taporos* dixit, hi aliis ſunt *Tapyri.* Periegeta v. 733 Ὑρκάνιοι Ταπυροί τε, *Hyrcanii & Tapyri,* correpta pænultima. Strabo pag. 354 Ταπύρους οἰκεῖν φασι μεταξὺ Δερβίκων τε καὶ Ὑρκανῶν, *Tapyros habitare dicunt inter Derbices & Hyrcanos.* Arrianus lib. III cap. XXIII Ταπούρους, *Tapuros* dixit. Polybius lib. V cap. XLIV Ταπύρων, *Tapyrorum* montes non longe dicit ab Hyrcanio mari abeſſe, οὐ πολὺ διέστηκε. Vinolentiam Tapyrorum Ælianus notauit lib. III V. H. cap. XIII, in quem locum vide quos vir clariſſimus Iac. Perizonius ſcriptores alios de Tapyris adlegauit. *Mardos* Plinii ſupra deſcripſimus, a montibus Antiochiæ Margianæ ad Bactrios habitare. Nec vero, qui ita vocantur, eiusdem loci fuerunt omnes, ſed inter Mediam & Perſidem ab aliis ponuntur; a quibusdam in ipſa Media ſeptemtrionali, quia vi vocis, quæ a מרד *rebellare,* videtur eſſe, gentes rebelles & ex præda ac latrociniis viuentes intelliguntur.

SECTIO II.

B A C T R I A N A.

IX.

Bactriana ſiue Bactria * (nam vtroque modo dicitur) Magianam ab occaſu habet: a ſeptemtrione, Oxum fluuium: a meridie, Paropamiſi montis iuga; ab ortu ſolis, gentes Scythicas, Maſſagetas & his adiacentes.

X.

Ampla & diues regio, multis diuiſa fluminibus, quæ cuncta fere a meridie in ſeptemtriones delapſi, in Oxum fluuium tandem exeunt. Primus eſt *Ochus,* qui propior Margianæ fluit, Ptolemæo Ὦχος. Is *Dargomanem* amnem defert ex Paropamiſo decurrentem. Si non terminus occidentalis Bactrianæ, quem Ptolemæus in citerioribus montibus ſtatuit; tamen prope illum, & quaſi terminus, Ochus eſt. Plinius lib. VI cap. XVI *Gens hæc* [Bactrorum] *obtinet auerſa montis Paropamiſi ex aduerſus fontes Indi: includitur flumine Ocho.* Memorauit etiam Curtius lib. VII cap. X, & ab

* Etiam Græce Βάκτρία dicitur. Polyænus Strategem. I, I, 3 Διόνυσος εἰς τὴν Βακτρίαν ἐνέβαλεν, ὁρίζει δὲ τὴν Βακτρίαν ποταμὸς Σαράγγης. Οἱ Βάκτριοι τὰ ὄρη κατέλαβον. *Bacchus impreſſionem in Bactriorum terram fecit. Terminat autem Bactriam fluuius Saranges.*

& ab Oxo diſtinxit: *ſuperatis amnibus Ocho & Oxo.* Alter, qui Ochum auget, *Dargomanes* Ptolemæo, *Orgomanes* Ammiano eſt lib. XXIII cap. XXVI, *Ochus & Orgomanes iuncti conuenis aquis, augent immania Oxi fluenta.*

XI.

Poſt Ochum *Zariaſpis* eſt, ὁ Ζαριάσπις, cui *Artamis*, fluuius alius miſcetur. Ammianus ibidem, pro more Ptolemæum ſequutus: *Artamis & Zariaſpes antea ſibi conſociati, itidemque Ochus & Orgomanes iuncti conuenis aquis, augent immania Oxi fluenta.* Poſt hos *Dargidus* in Oxum infunditur.

XII.

Nomina tam regionis quam populi variant caſu ſeu terminatione. Illa dicitur *Bactria* & *Bactriana*, vt paullo ante memorauimus: hic, *Bactri, Bactrii*, & *Bactriani*. Strabo lib. XI τῆς Βακτρίας μέρη, *Bactriæ partes.* Ibidem, πρὸς ἕω τῆς Βακτριανῆς, *ſupra Bactrianam ortum verſus.* * Subauditur γῆ, *terra* ſeu *regio.* Curtius lib. VII cap. IV *Bactrianæ terræ multiplex & varia natura eſt.* Et lib. VI cap. VI *Bactrianam regionem petebant.* De populo Strabo dicto loco: ὄξος ὁρίζει τήν τε τῶν Βακτρίων, καὶ τὴν τῶν Σογδίων, *Oxus diſterminat Bactriorum & Sogdiorum regiones.* ** Plinius lib. VI cap. XVI *Derbices, - - - Bactri, quorum oppidum Zariaſpe, quod poſtea Bactrum.* Nomen *Bactrianorum*, populi videlicet, vbique obuium. Vide Curtium. Et Strabo, Σκυθικώτερον τὸ τῶν Βακτριανῶν, *magis Scythicus mos eſt Bactrianorum.* Populos in Bactriana Ptolemæus enumerat varios, ſed obſcuros omnes, præter *Zariaſpas*, ſub Oxo fluuio quos poſuit. Quis enim audiuit de *Salataris, Comis, Acinacis, Tambyzis, Tocharis, Marycœis, Amariſpiis*, ac reliquis? Tranſeant ignobilia nomina: nec notiora Ptolemæi pleraque oppida: contra ſunt quædam ab aliis celebrata, quæ ille prætermiſit.

XIII.

Caput regionis, quod nomen dedit, *Bactra* ſunt, vrbs ampla & opulenta: quæ eadem & *Zariaſpe* dicta fuit, quamuis interpres Ptolemæi & eidem adiecta tabula *Zariſpam* a Bactris diſtinguant, quibus minorem fidem habemus, quia in Græco Χάρισπα, *Chariſpa.* Strabo de hac vrbe: πόλεις δ' εἶχον, τά τε Βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριάσπαν καλοῦσι, ἣν διαῤῥεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς, ἐμβάλλων εἰς τὸν ὦξον, *Vrbes* [Bactriani] *habuerunt, Bactra, quæ & Zariaſpa dicitur, eamque fluuius eiuſdem nominis perfluit.* Et Plinius lib. VI cap. XV *ad Bactra oppidum, quod adpellant Zariaſpa.* Et cap. XVI *Bactri, quorum oppidum Zariaſpe, quod poſtea Bactrum, a flumine adpellatum eſt.* Harduinus verba, *quod poſtea Bactrum*, parentheſi incluſit, & adpellationem a flumine, non ad Bactrorum nomen, ſed ad alterum referri contendit. Strabo ambiguus: Curtius lib. VII cap. IV *Ipſa Bactra, regionis eius caput, ſita ſunt ſub monte Parapamiſo. Bactrus amnis præterit mœnia. is vrbi*

* Sic item lib. I pag. 60 edit. Almeloueen.

** Polyænus Strateg. I, 1, 3 Οἱ Βάκτριοι καταφρονήσαντες γυναικῶν κατέλθοιεν ἀπὸ τῶν ὀρῶν. *Vt Bactrii mulieribus contemtis de montibus deſcenderent.* Adde inſequentia. Ælian. de Animal. IV cap. 27 Βάκτριοι γειτνιῶντες Ἰνδοῖς, *Bactrii vicini Indis.*

vrbi & regioni dedit nomen. Ptolemæus ſilet de hoc flumine & βάκτρα βασίλειον, Bactra regiam non ad Zariaſpem fluuium, ſed ad Dargidum adpoſuit, nec ſub Paropamiſo monte, qui auſtralis terminus eſt, ſed in media fere Bactriana regione. Adeo difficile eſt de certa ſede vrbis etiam primariæ iudicare. Fluminis *Bactri* etiam mentionem habet Polyænus lib. VII Strateg. cap. XI extremo.

XIV.

Alia vrbs clara eſt *Alexandria*, quæ Stephano eſt ἐνδεκάτη, κατὰ Βάκτρα, *vndecima huius nominis, iuxta Bactra:* quanta vero ab illis diſtantia, nullo indicio eſt proditum. Ptolemæus hanc præteriit: Plinius autem memorauit lib. VI cap. XXIII *Hæc regio*, inquit, *eſt ex aduerſo: Bactrianorum deinde* [regio] *cuius oppidum Alexandria, a conditore dictum.* Ptolemæo Strabonem opponimus, lib. XI pag. 356 dicentem, Alexandrum ὀκτὼ πόλεις ἔν τε τῇ Βακτριανῇ καὶ τῇ Σογδιανῇ κτίσαι, *octo vrbes in Bactriana & Sogdiana condidiſſe.* Mirum, ſi ex tot oppidis nullum Bactriani ſub Alexandriæ nomine habuiſſent.

XV.

Fuit etiam vrbs *Darapſa*, quam proximam poſt Bactra Strabo memorauit lib. XI; at lib. XV p. 498 ſcripta eſt *Adrapſa.* Videtur *Drapſaca* Arriani eſſe lib. III cap. XXIX, ad quam Alexander a Caucaſo ſeu Paropamiſo venit, inde moturus in *Aornos* & *Bactra;* quod auſtralem ſitum arguit. De poſterioribus ait, ἐς Ἄορνυς τε ἦγε καὶ Βάκτρα, αἳ δὴ μέγισαι εἰσὶ πόλεις ἐν τῇ Βακτρίων χώρα, *in Aornos mouit & Bactra, quæ ſunt maximæ vrbes in Bactriorum regione.* Si recte vterque narrat, hæc vrbs *Aorni* Bactrianæ diverſa eſt ab Aorno petra, quam Curtius deſcripſit lib. VIII cap. XI, ad Indiæ fines inter Oram & Ecbolima, de quibus agit, ſitam.

XVI.

Straboni eſt etiam vrbs *Eucratidia,* τῦ ἄρξαντος ἐπώνυμος, *a principe ita denominata:* quam Ptolemæus quoque cognitam habuit, & ſupra Bactra regiam in ſeptemtrionem verſus inter Zariaſpem & Dargidum amnes collocauit. *Cariatam*, vt Strabo prodit, Alexander deleuit. *Siſimithræ Petra* inter propugnacula Bactrianæ numeratur. In hac Alexander nuptias cum Roxane, Oxyartis filia, quæ ibi cuſtodita fuerat, celebrauit, itidem Strabone teſtante. *Oxi Petra* eiusdem, in Sogdiana fuit. Ptolemæus in auſtro habet *Maracandam* & *Maracodram*, ſed vereor ne prior ſit Maracanda Sogdianæ: ſuperius *Choana*, cuius nominis etiam oppidum in Media fuit, Ptolemæo auctore, quod Diodorus Siculus lib. II cap. XIII dixit χάονα πόλιν τῆς Μηδίας, *Chaona Mediæ ciuitatem.*

SECTIO III.

S O G D I A N A.

XVII.

Sogdiana inter Iaxartem & Oxum fluuios ſita, Auxios montes occi-

duum

duum terminum Ptolemæo diſponente; Sacarum gentem ab ortu habens. De fluminibus finitoribus conſentit Strabo lib. XI. *Oxo*, inquit, *Sogdii a Bactriis: Iaxarte a Nomadibus diſtinguuntur.* De ceteris terminis ſilet. Occidentalis eſt dubius, & recentiores Sogdianam vſque ad mare Hyrcanum proferunt. Gentis nomen *Sogdiani*, quod paſſim occurrit, & Σόγδιοι, *Sogdii* apud Strabonem lib. XI; & Ammiano lib. XXIII cap. XXVI Regionis Σογδιανὴ, *Sogdiana*, & apud Dionyſium verſ. 747 Σουγδιὰς, *Sugdias*, ſiue *Sogdias.*

XVIII.

Populos Sogdianæ Ptolemæus multos numerauit, ſed pleroſque obſcuros, *Paſcas* iuxta Oxios montes: *Iataos* ad Iaxartem: *Oxydracas, Drybactas, Candaros, Mardyenos*, & iuxta Oxum *Oxianos* & *Chorasmios.* His orientaliores dicit *Drepſianos* a flumine ad flumen pertinentes: & magis ab his in ortum recedentes Αριστεῖς, *Ariſtes* iuxta Iaxartem; & *Cirradas* iuxta Oxum. Ex quibus *Chorasmii* a variis memorantur. Plinius VI cap. XVI vna cum *Candaris*, quos etiam hoc loco Ptolemæus nominauit, inter illius tractus populos expoſuit. Dionyſius periegeta v. 746

Τοῖς ἐπὶ πρὸς βορέην Χωράσμιοι. οἷς ἔπι γαῖα
Σουγδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος,
Poſt hos ad boream Chorasmii, poſt quos terra
Sugdias, per quam magnus Oxus deuoluitur.

Mentionem illorum etiam Athenæus fecit lib. II ſub finem, qui poſt Parthos ad ortum ſolis ponit. De rege Chorasmiorum, ad Alexandrum profecto, Arrianus lib. IV cap. XV. Et Curtius lib. VII cap. IV ac lib. VIII cap. I *Chorasmios* cum Dahis, Sacis, Maſſagetis coniunxit. Strabo lib. XI pag. 354 vocat Χωρασμουσινοὺς, *Chorasmuſinos.*

XIX.

Flumina, quæ hanc nationem includunt, ſunt *Oxus* & *Iaxartes*; ille a meridie, diuidens a Bactrianis: hic a ſeptemtrione, ſeparans a Scythis. Ptolemæus etiam ab oriente præduxit, fontes in auſtro ſtatuens, vnde in ſeptemtrionem primum, deinde curſu in occaſum lapſus, mare ſubeat Hyrcanum. Plinius dicto loco: *Vltra Sogdiani, - - - - includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silin* vocant: *Alexander, militesque eius, Tanain putauere eſſe.* Vnde eſt, quod Curtius lib. VI & VII ſæpe, & Arrianus dicto lib. IV cap. XV *Tanain* vocant, qui Iaxartes eſt Straboni, Dionyſio, Ptolemæo, & ceteris. Ammianus lib. XXIII cap. XXVI duo flumina addit *Araxatem* & *Dyman:* verum male Ptolemæum expreſſit, ideoque notatus eſt a Valeſio pag. 379.

XX.

Inter Iaxartem & Oxum, mare Hyrcanum amnis *Polytimetus* ſubit, Ptolemæo auctore, qui Scythiæ tractum, per quem labitur, adſcribit; Curtius autem lib. VII cap. X Sogdianæ, & de eo tradit terra abſorberi.

XXI.

Oppida Sogdianæ a Ptolemæo pauca enumerantur: iuxta Oxum

Oxiana, & citerior *Alexandria Oxiana:* vlterior in ortum æſtiuum ab Oxiana, *Drepſa* metropolis, Δρέψα μητρόπολις: longe hinc in auſtrum Ἀλεξάνδρεια ἐσχάτη *Alexandria vltima:* hinc in ſeptemtrionem, ab Oxiana in ortum, Κυρέσχατα, *Cyreſchata*, id eſt Cyropolis vltima. Obſcuriora, *Maruca*, *Cholbeſina*, *Trybactra.* Ammianus, qui ſueuit Ptolemæum ſequi, lib. XXIII cap. XXVI, *Hic inter alia oppida* celebrantur *Alexandria, & Cyreſchata & Drepſa metropolis.* Sic Valeſius pag. 379 ex ſcriptorum codicum veſtigiis: vulgati pro *Cyreſchata* habent *Tribatra*, quod ex *Trybactra* Ptolemæi deductum eſt.

XXII.

Plinius lib. VI cap. XVI de Sogdiorum oppidis ita: *Vltra* [Bactros] *Sogdiani, oppidum Panda, & in vltimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro Magno conditum.* Harduinus oppidum *Pandam* ſuſpicatur Strabonis *Paracandam* eſſe, de quo lib. XI dicit Alexandrum octo vrbes in Bactriana & Sogdiana condidiſſe: quaſdam etiam euertiſſe: de quibus fuerit Cariata Bactrianæ, vbi Calliſthenes comprehenſus & in cuſtodiam datus eſt: Παράκανδα δὲ τῆς Σογδιανῆς, & *Paracanda Sogdianæ.* Quod vero, Caſaubono teſte in MSS. Μαράκανδα, *Maracanda* eſt, quam regiam Sogdianæ alii dicunt, videtur omnino alia Plinii Panda & diuerſa, ſi recte ille ſcripſit, fuiſſe. De *Maracanda* vero ſcriptores rerum Alexandri conſulantur. Arrianus lib. III cap. XXX ἐπὶ Μαράκανδα ἦγε· τὰ δέ ἐστι βασίλεια Σογδιανῆς χώρας, *in Maracanda mouit, quæ eſt Sogdianæ regia.* Meminit & Curtius lib. VII cap. VI & IX.

XXIII.

Fuit & locus ſiue oppidum *Nautaca* dictum, in quod ſe Beſſus, Alexandrum fugiens, recepit. Arrianus lib. III cap. XXVIII διαβὰς τὸν Ὦξον ποταμὸν - - - εἰς Ναύτακα τῆς Σογδιανῆς χώρας ἀπεχώρει, *traiecto Oxo flumine, in Nautaca Sogdianæ regionis ſe recepit.* In Diodori Siculi ſummariis in lib. XVII *Nautacæ* populus ſunt, in quem Alexander expeditionem fecit, ſed perdita illa pars libri eſt, vnde forſan de loco & gente clariora peti potuerint.

XXIV.

Fuit & *Petra* Sogdianæ memorabilis, quam Alexander expugnauit. Curtius lib. VII cap. XI ineunte: *Et cetera quidem pacauerat rex: vna erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum* XXX *millibus armatorum obtinebat - - - Petra in altitudinem* XXX *eminet ſtadia; circumitu* C *&* L *complectitur. Vndique abſciſſa & abrupta, ſemita anguſta aditur.* Hæc & *Oxi petra* fuit adpellata, forte flumini Oxo propinqua. Strabo lib. XI pag. 356 ἑλεῖν καὶ πέτρας ἐρυμνὰς σφόδρα - - - τὴν ἐν Σογδιανῇ, καὶ τὴν τοῦ Ὄξου, οἱ δ' Ἀριαμάζου φασίν. *Cepit & petras valde præruptas* [Alexander] *aliquam in Sogdiana, & dictam Oxi petram: quam alii Ariamazæ petram vocant.* Quæ ipſa eſt Curtiana, quia & ille Arimazis ſiue Ariamazæ poſſeſſoris nomen habet.

XXV.

De regiis vrbibus aliquid addendum. Duas Sogdiana Alexandrias

habuit

habuit ſecundum Ptolemæum, citeriorem; & vltimam, vt vidimus. Confirmat Stephanus, qui decimam ſeptimam Alexandriam ἐν τῇ Σογδιανῇ, *in Sogdiana* poſuit, quæ Ptolemæi citerior eſt, Ἀλεξάνδρεια Ὠξιανή, *Alexandria Oxiana*, ſiue ad Oxum amnem ſita ad Bactrianæ fines: & octauam decimam ἐπὶ τοῦ Ταναΐδος, αὐτοῦ κτίσμα, *ad Tanain, eiusdem* [Alexandri] *opus.* Tanais autem hic Iaxartes eſt, vt ſupra demonſtratum fuit. Hæc vltima eſt, quia Scythas verſus Alexandri expeditionum Iaxartes fuit terminus: ideoque Appianus Syriacis pag. 202 ἐν Σκύθαις Ἀλεξανδρέσχατα, *in Scythia Alexandreſchata* ſeu vltimam Alexandriam poſuit, id eſt ad fines Scythiæ. Videntur tamen turbatæ rationes tam Stephani, quam Ptolemæi. Ille priorem, τὴν ἐν τῇ Σογδιανῇ, *quæ in Sogdiana fuit*, ponit παρὰ Παροπαμισάδαις, *iuxta Paropamiſadas*, in quo diſcrepat a Ptolemæo, quia inter Oxum & Paropamiſum tota interiacet ampliſſima Bactriana. In altera ad Tanain, quæ ipſius octaua decima eſt confudiſſe, doctiorum iudicio, tertiam decimam videtur, quam in Macarene ad Maxaten amnem dicit ſitam eſſe. Ignota nomina, ſub quorum altero *Maxate*, vix dubitatur Iaxartes latitare. Deinde Alexandriam vltimam ab Iaxarte, vt in Tabula eius eſt, longius reduxit, poſuitque ad ortum huius regionis: quam vero Tanai ſeu Iaxartæ fuiſſe impoſitam alii tradiderunt: quo loco non poteſt ἐσχάτη, *vltima* eſſe, quia Alexander vlteriores poſuit: at in ſeptemtrione ad Iaxartem iuxta Scythas vere fuit vltima, quia longius in plaga illa Alexander minime progreſſus eſt. Plinius lib. VI cap. XVI vnius tantum Alexandriæ, eiusque vltimæ, in Sogdianis meminit. *Vltra*, inquit, *Sogdiani, oppidum Panda, & in vltimis eorum finibus, Alexandria ab Alexandro conditum.* Verum duas fuiſſe, non eſt incredibile, non ſolum Ptolemæi & Stephani auctoritate, verum etiam ipſius Strabonis, qui octo ait vrbes ab Alexandro in Bactriana & Sogdiana conditas fuiſſe.

XXVI.

Tandem Κυρέσχατα, *Cyreſchata*, id eſt Cyri regis extrema, prope fontes Iaxartis, quos a meridie in ſeptemtrionem tradit effluere, conſtituit: nec tamen proxime ad illos, ſed ex interuallo ſatis ſpatioſo. Strabo autem, qui τὰ Κύρα, *Cyra* vocat, ad ipſum Iaxartem adpoſuit lib. XI. *Alexander*, inquit, *euertit Paracanda Sogdianæ:* καὶ τὰ Κύρα, ἔσχατον ὂν Κύρου κτίσμα ἐπὶ τῷ Ἰαξάρτῃ ποταμῷ κείμενον, *itemque Cyra, vltimum eorum, quæ Cyrus condidit, ad Iaxartem ſita.* * Stephanus *Cyropolim* etiam dictam fuiſſe ſignificat. Κυρούπολις, inquit, ἡ καὶ Κυρέσχατα καλεῖται, *Cyropolis, quæ etiam Cyreſchata vocatur*, hoc eſt τὰ Κύρα Strabonis, cum adpoſito ἔσχατα *extrema.*

XXVII.

Plinius, dicto loco, in hoc Sogdianæ tractu etiam *Aras*, variorum ter-

* Nonnus Dionyſ. XXVI v. 48 pag. 670

Ὅσσοι Κυρὰ νέμοντο, καὶ Ἰνδῴου ποταμοῖο
Βαίδιον Ὀμβυλοῖο παρὰ πλατὺ βάρβαρον ὕδωρ.
Καὶ ῥοδόην εὔπυργον ἀρειμανέων πέδον Ἰνδῶν
Καὶ κρανάον προπάνισον.

minos memorauit. Poſt Alexandriam enim, in vltimis Sogdianorum finibus locatam, addit: *Aræ ibi ſunt ab Hercule ac Libero patre conſtitutæ, item Cyro, & Semiramide, atque Alexandro: finis omnium eorum, ductus ab illa parte terrarum.* Puta, ad Iaxartem, a ſeptemtrione Sogdianæ, Scythis obuerſæ. nam ortum verſus plerique horum dicuntur longius in ipſam Indiam progreſſi eſſe. Alexandri autem aræ ſine dubio ad vltimam fuerunt Alexandriam, & Cyri, ad Cyreſchata, victoriæ monimenta, ſub religionis ſanctitate diutius quam tropæa quæ inuiſa erant, conſeruanda.

XXVIII.

Sogdianæ adnexæ ſunt aliæ regiones, quas quidam Scythis tribuunt; quod pleræque illarum gentes origine Scythæ fuerunt: Ptolemæus autem a Scythis diſtinxit. Prima eſt *Gabaza*, de qua ſolus Curtius lib. VIII cap. IV mentionem fecit. *Tertio*, inquit, *menſe ex hibernis mouit exercitum, regionem, quæ Gabaza adpellatur, petiturus.* Arrianus lib. IV cap. II in hoc tractu habet oppidum, cui nomen *Gaza*, Γάζα, fuit: & cap. XVII aliud, cui nomen *Gabæ*, ἀφικόμενοι δὲ ἐς Γάβας, χωρίον τῆς Σογδιανῆς ὀχυρὸν, ἐν μεθορίῳ τῆς τε Σογδιανῶν γῆς καὶ τῆς Μασσαγετῶν Σκυθῶν ᾠκισμένον, *quumque Gabas veniſſent, munitum Sogdianorum oppidum, medium inter Maſſagetas Scythas & Sogdianos ſitum.* Ex alterutro, niſi vtroque per confuſionem, haud dubie nomen *Gabazæ* regionis deductum eſt.

XXIX.

Deinde ſunt ipſi MASSAGETAE, Μασσαγέται, de quorum ſede ac patria non minus, quam de Amazonum certatur. Philoſtratus in Heroicis pag. 677 ἐλάσας γὰρ Κῦρος ὑπὲρ ποταμὸν Ἴστρον ἐπὶ Μασσαγέτας τε καὶ Ισσηδόνας. *Cyrus enim Iſtrum fluuium traiecit, moturus aduerſus Maſſagetas & Iſſedones.* Sed hic Darii Hyſtaſpis expeditionem contra Scythas Europæos confudit cum bello Cyri aduerſus Scythas Maſſagetas in Aſia vlteriori. Ammianus iuxta Albaniam trans Araxem ponit lib. XXIII cap. XIV in Iuliani oratione: *Vt Lucullum*, inquit, *tranſeam vel Pompeium, qui per Albanos & Maſſagetas, quos Alanos nunc adpellamus, hac quoque natione perrupta vidit Caſpios lacus.* Quocum Tibullo conuenit lib. IV eleg. I v. 143

Nec qua regna vago Tomyris finiuit Araxe.

Sed Araxis nomen videtur Marcellino impoſuiſſe. Varium illud eſt, nec ſemper Armenium Araxem ſignificat, ſed Oxus quoque, qui Bactrianam & Sogdianam diuidit, ita vocatur, vt ſupra cum Iſaaco Voſſio (ad Melam pag. 244) probatum fuit. Tomyris autem regina fuit Maſſagetarum, quæ Cyrum oppreſſiſſe dicitur. Nec Maſſagetas commode Alanos interpretatus eſt. Ptolemæus lib. VI cap. X in Margiana poſuit Maſſagetas: ſed vlteriores fuerunt. Herodoto lib. II cap. CCI ſunt ἔθνος οἰκημένον πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς, *gens ad auroram ſoliſque ortum ſita.* Arrianus lib. IV ſæpe vocat Scythas, a quibus etiam orti fuerant: ſed tales, quos Alexander in Sogdiana conſiſtens vlteriores habuerit. Vide cap. XVII ſeq. vt adeo pronum ad fidem ſit, vltra Sogdianam in ortum habitaſſe. Dionyſius verſ. 738

Δερκέβιοι δ' ἑτέρωθεν ἐφ' ὕδασι Κασπίοισι,
Τοὺς δὲ μετ', ἀνατολίην δὲ πέρην κελάδοντος Ἀράξου
Μασσαγέται ναίουσι.

id eſt, *Dercebii* (quos Derbices eſſe ſupra diximus) *altera ex parte ad vndas Caſpias: hos vero poſt, orientem verſus, trans reſonantem Araxem Maſſagetæ degunt.* Oppida, Scytharum more, vix vlla habuerunt: ſaltem nulla memorantur, niſi quæ Arrianus ſupra inter Scythas Maſſagetas poſuit & Sogdianos. De bello Cyri aduerſus Maſſagetas ſcripſit Herodotus lib. I cap. CCI ſeqq. & Diodor. Sicul. lib. II cap. XLIII ſeq. & Iuſtinus lib. I cap. VIII, qui vero ex Trogo ſuo tantum *Scythas* adpellat.

XXX.

Maſſagetis DAHAE ſiue *Daæ* coniunguntur, itidem gens Scythica. Late id nomen patet, per diuerſas prolatum nationes. Herodoto ſunt in Perſide etiam Δάοι, *Dai*, lib. I cap. CXXV, plerisque aliis poſt Hyrcanum mare ſunt, Ptolemæo in Margiana, vbi etiam cum Maſſagetis coniunxit; ſed pars hæc eſt vtriusque gentis, non totus populus vel natio. Strabo lib. XI pag. 352 οἱ μὲν πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι, Δάαι προσαγορεύονται, *Plerique Scytharum, qui a Caſpio mari incipiunt, Daæ adpellantur.* addit: *orienti viciniores Maſſagetæ & Sacæ.* Quos & alii coniungunt. Plinius lib. VI cap. XVII *Vltra ſunt Scytharum populi. - - - multitudo populorum innumera: & quæ cum Parthis ex æquo degat. Celeberrimi eorum Sacæ, Maſſagetæ, Dahæ*, ceteri. Curtius lib. VII cap. IV in Beſſi oratione: *venturos Chorasmios, & Dahas, Sacasque.* Et lib. VIII cap. I *Phrataphernes quoque, qui Chorasmiis præerat, Maſſagetis & Dahis regionum confinio adiunctus, miſerat, qui facturum imperata pollicerentur.* Diuiſit Strabo dicto loco *Dahas*, quorum alii *Aparni* dicantur, qui propinqui ſint Hyrcaniæ & mari Hyrcano: alii *Xanthii* cognominentur, alii *Piſcuri*, qui e regione Ariæ late porrigantur. De Aparnis, qui Ptolemæo *Parni* ſunt, quos cum Dais coniungit; ſupra dictum fuit. Poetis etiam noti fuerunt, & quidem comicis, id eſt comœdiæ nouæ ſcriptoribus, quibus Δάοι in ſeruis ſunt, puta, poſt Alexandri tempora; Latinis *Daui*, quos a Dacis ſeu Getis eſſe Salmaſius negat: noti etiam ceteris, quos epicos adpellant. Virgilius lib. VIII extremo, *indomitique Daæ.* Et Silius lib. XIII verſ. 764

- - - - cui peruia Bactra Dahæque.

XXXI.

Dahis SACAE coniunguntur tamquam vicini, vti ex Curtio Plinioque vidimus. Diodorus Siculus lib. II cap. XLIII ἀφ' ὧν [Σκυθῶν] τοὺς μὲν Σάκας προσαγορευθῆναι, τοὺς δὲ Μασσαγέτας, τινὰς δὲ Ἀριμασποὺς, *a quibus Scythis quidam Sacæ cognominantur, quidam Maſſagetæ, alii Arimaſpi.* * Strabo lib. XI pag. 352 *Scythæ qui a Caſpio mari incipiunt, Daæ adpellantur:* τοὺς δὲ πρὸς ἕω τούτων μᾶλλον Μασσαγέτας καὶ Σάκας ὀνομάζουσι, *qui vero his* [Dais] *orientaliores ſunt, hos Maſſagetas & Sacas vocant.* Ptolemæus lib. VI

(Xx xx) 3 cap.

* Polyænus Strategem. VIII, 10, 8 aliquoties Σάκκας vocat.

cap. XIII toto Σακῶν θέσιν, *Sacarum poſitionem* habet. Ab occaſu terminari ait Sogdiana, a ſeptemtrionibus & oriente Scythia, a meridie Imao monte. Oppida negat habere: nemora ait incolere ac ſpeluncas. Atque hos a proprie dictis Scythis, ſeu magnæ Scythiæ incolis diſtinguit & ſeparat, licet alii plerique propter originem & mores Scythas cenſeant. Hæc ex Ptolemæo. At Iſidorus Characenus, qui Σακαςηνὴν Σάκων Σκυθῶν, *Sacaſtenam Sacarum Scytharum* regionem vocat, oppida illis tribuit quæ ſunt *Barda* & *Min*, & *Palacenti*, obſcura omnia: at *Sigal*, in qua Sacarum regia: καὶ πλησίον, *& prope* vrbs *Alexandria*, & iterum prope, *Alexandropolis*. At alia hæc videtur a regione Sacarum Ptolemæi: & quia inter Ariam & Arachoſiam poſuit mediam, cum Paropamiſidarum regione convenit propius. Nec veriſimile, vltimos Ptolemæi Sacas in ditione Parthorum vnquam fuiſſe. Citeriores etiam gentes, a Scythis ortæ, a quibusdam *Sacæ* dictæ. Plinius lib. VI cap. XVII *Vltra ſunt Scytharum populi. Perſæ illos Sacas in vniuerſum adpellauere a proxima gente.* *

XXXII.

Diuidit Ptolemæus Sacas ſuos in populos diuerſos. In montanis ab adſcenſu Sogdianæ, Κόμηδαι, *Comedæ* dicuntur: qui iuxta Iaxartem, *Caratæ:* pars etiam *Comari:* qui vero iuxta Aſcatancam *Maſſagetæ*, pars forſan abſciſſa ab gente integra: qui vero interiacent, *Grinæi Scythæ*, & *Toornæ:* ſub quibus iuxta Imaum montem *Byltæ.*

XXXIII.

Hæc fide Ptolemæi. De *Chorasmiis* ſupra actum eſt, licet etiam ſedes certa ipſis vix adſignari poſſit. Videntur enim etiam maior alicubi gens prope Maſſagetas fuiſſe, ex qua Ptolemæus, vt in ceteris fecit, quamdam partem in citeriores prouincias reduxerit. Nihil enim certi in hoc tractu definiri poſſe, ipſe Strabo lib. XI p. 349 conqueſtus eſt. *Qui trans mare Hyrcanum*, inquit, *Sacas & Maſſagetas adpellarunt. Neque vero de iis quidquam potuerunt accurate ſcribere, quantumuis Cyri aduerſus Maſſagetas bellum narrarent. Sed neque de his quisquam veritatem exacte perhibuit, neque de priſcis Perſarum, Medorum, Syrorum rebus fidem admodum magnam inuenerunt ſcriptores: idque* διὰ τὴν τῶν συγγραφέων, ἁπλότητα καὶ τὴν φιλομυθίαν, *propter ipſorum ſimplicitatem, & fabulas edendi ſtudium.*

CAPVT XXII
DE
PAROPAMISO, ARIA, DRANGIANA, ARACHOSIA ET GEDROSIA.

I.

NVnc reliqua Orientis, quæ citra Indiam ſunt, perluſtrabimus. Prima regio PAROPAMISADARVM eſt ſub monte *Paropamiſo*, qui pars Tauri eſt,

* Nonnus Dionyſ. XXVI verſ. 340 pag. 696
Αἰθίοπες τε Σάκαι τε καὶ ἔθνεα ποικίλα Βάκτρων,
Καὶ πολὺς ὑλοκόμων Βλεμύων ςρατός.

eſt, aliam aliamque ſortientis adpellationem: Arrianus Ind. cap. 11 de Tauro monte: ἄλλη δὲ ἄλλο καλέεται τὸ ὄρος, τῇ μὲν Παραπαμισὸς, τῇ δὲ Ἡμωδός· ἄλλη δὲ Ἥμαον κλήΐζεται, *Alibi vero aliam hic mons accipit adpellationem. quibusdam enim in locis Parapamiſus, aliis Emodus, aliis Emaus dicitur.* Scribitur *Paropamiſus* & *Parapamiſus*: Illa ſcriptura eſt Strabonis & Plinii; hæc, vt vidimus, Arriani, & veterum librorum Curtii, cum quibus & noſtra editione fecimus, & ſua clariſſimus Pitiſcus: recentiores pleræque ex Plinio vel Strabone mutatum A in O habent. Sic etiam populi accolentis nomen diuerſum eſt *Paropamiſadæ* Straboni, & Plinio: *Parapamiſadæ* autem Curtio & Arriano. Ptolemæus prioribus accedit, ſed litteram mutat aliam, Παροπανισάδαι, *Paropaniſadæ*: quod etiam Dionyſii eſt, contracta voce metri cauſa, verſu 1097

- - - ὅσσους τε παρὰ πτυχὶ Παρπανισοῖο,

quoscumque etiam ad decliuitatem Parpaniſi.

Per adulationem Macedones hunc montem *Caucaſum* adpellarunt. Strabo lib. XI pag. 348 Χαριζόμενοι τι τῷ βασιλεῖ, τοὔνομα τοῦ ὄρους μετενέγκαντες εἰς τὴν Ινδικὴν, *vt regi ſuo blandirentur, nomen montis* [Caucaſi] *in Indiam transtulerunt.* Et Arrianus Indic. cap. 11 *Macedones cum Alexandro militantes, eum montem Caucaſum adpellauerunt,* ἄλλον τοῦτον Καύκασον, οὐ τὸν Σκυθικὸν, *ſed alium Caucaſum, non illum Scythicum. Vnde fama tenuit, Alexandrum Caucaſum tranſcendiſſe.* Idem lib. V Exped. Alex. cap. III tradit, *Macedonas Caucaſum montem ex Ponto ad orientales terræ partes & Parapamiſadarum regionem, ad Indos videlicet, ſermonibus transtuliſſe, Parapamiſum Caucaſum vocantes,* τῆς Αλεξάνδρου ἕνεκα δόξης, *in gloriam Alexandri, quaſi Caucaſum ipſe ſuperauerit.*

2. Quidam vero diſtinguunt hunc Caucaſum & Paropamiſum, non ſolum Alexandri expeditionis ſcriptores, Curtius & Arrianus; ſed alii etiam, & ipſe Strabo, & Ptolemæus, qui vtriusque in hoc tractu mentionem habent. Sed eſt inter hos diſcrimen aliud ratione ſitus, quinam illorum in orientem vergat, quinam in occaſum. Salmaſius in Solin. diſſenſionem ita expoſuit p. 554 *Secundum Ptolemæum Caucaſii illi montes habent ab oriente Imaum, ab occidente Paropaniſum. Sic Paropaniſadæ Caucaſum illum ab orientali parte proſpectant. Contra hæc Ammianus Paropamiſidas Caucaſum ab occidente reſpicere ſcribit* lib. XXIII [cap. XXIX.] Scilicet illud iugum, quod ante Indum eſt vltimum, Paropamiſus dicitur, pars eius, quam Alexander tranſiit, in gloriam eius Caucaſus vocatur: ſed quæſtio eſt, dextrorſum ille an ſiniſtrorſum tranſierit. Videtur ſiniſtrorſum & citerius, quod in Bactrianam intraret ad perſequendum Beſſum: ideoque corrigenda Ptolemæi tabula. Strabo conſentit lib. XV pag. 498 παρὰ τὸν Ινδὸν οἱ Παροπαμισάδαι, ὧν ὑπέρκειται ὁ Παροπαμισὸς ὄρος. *Iuxta Indum ſunt Paropamiſadæ, quibus ſuperiacet mons Paropamiſus.* Et perpaucis interiectis: οἱ Βακτριανοὶ τῇ τε Αρείᾳ πρὸς ἀριστερὸν παράκεινται καὶ τοῖς Παροπαμισάδαις, δι' ὧνπερ Αλέξανδρος ὑπερέβαλε τὸν Καύκασον, ἐλαύνων ἐπὶ τὴν Βάκτρων.

τρων. *Bactriani Ariæ ad ſiniſtram adiacent & Paropamiſadis : per quos Alexander Caucaſum tranſcendit in Bactrianam.*

II.

Regio Paropamiſadarum in Ptolemæi tabula *Paropaniſus* ſiue *Paropamiſus* communi montis nomine, cui ſubiacet, vocatur. Ab occaſu Arios habet, vt Indum ab ortu tangit, quemadmodum diximus. Ibidem Strabo: τοῖς Παροπαμισάδοις παράκεινται πρὸς τὴν ἑσπέραν Ἄριοι, *Paropamiſadis ab occaſu Arii adiacent.* Pars regionis, ad orientem ſita, dicta *Capiſſene,* ab vrbe, quæ Ptolemæo in Paropamiſadis eſt, Καπίσα, *Capiſa:* Plinius gemino S *Capiſſa* lib. VI cap. XXIII. *A proximis Indo*, inquit, *gentibus montana. Capiſſene habuit Capiſſam vrbem, quam diruit Cyrus.* Populos Ptolemæus alios, ad ortum *Ambauatas* locauit: ab occaſu *Ariſtophylos:* a ſeptemtrione *Cabolitas,* Pal. *Bolitas:* in meridie *Parietas*, recto caſu Παριῆται.

III.

Præter Capiſam, oppida plura Ptolemæo in Paropaniſadis, *Barzaura, Parſiana, Artoarta, Baborana, Draſtoca, Niphanda,* & obſcura alia: ab Ammiano ſimul notata *Agazaca,* (Ptol. *Gazaca,*) *Naulibis,* & *Ortopana,* de qua Ptol. Κάβουρα, ἡ καὶ Ορτοσπάνα, *Cabura* [ſic Pal. at vulg. Carura] *quæ etiam Ortoſpana vocatur.* Hæc Straboni etiam memorata eſt lib. XV pag. 497, ſed *Oroſpana,* eliſa littera. *Via*, inquit, [in Indiam] *recta it per Bactrianam, & montis transſcenſum* εἰς Ορόσπανα, διὰ τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον, ἥτις ἐστὶν ἐν Παροπαμισάδαις, *in Oroſpana, per triuium e Bactris, quod in Paropamiſadis eſt.*

IV.

Nobilior vrbs *Alexandria,* in ſeptemtrione huius regionis ab Alexandro, quum in Bactrianam per Paropamiſum, quem Caucaſum vocabant, iturus eſſet, ad radicem illius montis poſita. Plinius lib. VI cap. XXIII *Ad Caucaſum Cadruſi: oppidum ab Alexandro conditum.* quod Solinus peruertit cap. LIV, *Cadruſia eſt oppidum ab Alexandro M. ad Caucaſum conſtitutum eſt.* Cadruſi enim Plinio ſunt populus : oppidi autem ad Caucaſum nomen fuit *Alexandria.* Arrianus lib. III cap. XXVIII Ἐν τούτῳ δὲ Ἀλέξανδρος πρὸς τὸν Καύκασον τὸ ὄρος ἦγεν, ἵνα καὶ πόλιν ἔκτισε, καὶ ὠνόμασεν Ἀλεξάνδρειαν. *Inter hoc Alexander ad Caucaſum montem profectus, vrbem ibi condidit, quam Alexandriam nominauit.* Et lib. IV cap. XXII de reditu ex Bactris: ὑπερβαλὼν δὲ τὸν Καύκασον ἐν δέκα ἡμέραις, ἀφίκετο ἐς Ἀλεξάνδρειαν πόλιν, τὴν κτισθεῖσαν ἐν Παραπαμισάδαις, ὅτε τὸ πρῶτον ἐπὶ Βάκτρων ἐστέλλετο, *decimis caſtris transmiſſo Caucaſo, peruenit Alexandriam, quæ apud Parapamiſadas condita fuerat, quum primam expeditionem in Bactros faceret.*

SECTIO II.

ARIA ET ARIANA.

V.

Aria & Ariana ſintne eadem regio, an diſtinctæ, non conuenitur inter auctores. Ptolemæus vnam habet Ἀρίαν, *Ariam:* ignorat Arianam & Arianos. Plinius *Arianam* tantum regionem habet lib. VI cap. XXIII: *Ariam* non memorat; at *Arios* & *Arianos* diſcernit lib. VI cap. XXV. *Parthia,* inquit, *habet ab ortu Arios, a meridie Carmaniam & Arianos.* Ex quo coniiciunt, Arianos latius patere quam Arios, illosque Gedroſios quoque & Drangas includere. Vide Harduin. ad cap. XXI pr. ſeu ſectionem XXIII. Arrianus tantum Ἀρείαν, *Ariam* habet & Ἀρείους, *Arios* lib. III cap. XXV; de Ariana ſilet. Strabo autem vtrumque nomen habet, & Arianæ quidem fines latiores dat quam Ariæ, nec vero ipſe definit, niſi quod lib. XV pag. 495 ab India, μετὰ τὴν Ἰνδικὴν, Arianam ait incipere. * Pag. 497 Eratoſthenis ſententiam proponit, dicentis, τὴν Ἀριανὴν, *Arianam ab oriente Indo terminari; ab auſtro* μεγάλῃ θαλάττῃ, *mari magno; ab aquilone Paropamiſo & montibus vsque ad Caſpias portas; ab occidente iisdem finibus, quibus Parthia a Media, Carmania a Parætacene & Perſide diſtinguitur.* Ingens ſic & ampliſſima eſt Ariana. Dionyſius v. 1097 etiam latius Arianos extendit, ſub Paropamiſo tamen continet. Sic enim ſcripſit,

- - - ὅσσους τε παρὰ πτυχὶ Παρπανίσοιο
Ξυνῇ ὁμῶς μάλα πάντας ἐπωνυμίην Ἀριηνούς,
- - - *quotquot ad decliuia Parpaniſi*
Communi nomine ſimul vniuerſos Arienos.

Alibi vero, verſ. 714, idem meminit ἐρυθραίων Ἀριηνῶν, *ruforum Arienorum,* quod alii ab Erythræo mari eiusque vicinitate interpretantur, quaſi illud Ariani attigiſſent. Hoc vero inde dubitari poteſt, quia Alexander ex India redux diuiſit copias, & partem dedit Cratero, qui *διὰ τῆς μεσογαίας, ἅμα χειρούμενός τε τὴν Ἀριανὴν, per mediterranea* duceret, *ſimul* Arianam ſubacturus: ipſe vero per Arachotos & Drangas profectus in Carmania ſe cum rege, qui alteram copiarum partem per Gedroſiam & maritima duxerat, coniunxit: quod Strabo lib. XV p. 496 notauit. Vides, hic Arianam extra Gedroſiam & maritimum tractum eſſe. Cl. Salmaſius Exerc. Plin. p. 558 operoſus in eo eſt, vt Arianam ab Aria diſtinguat, nec vero certos illi ponit limites. Inter alia, *Arianen,* inquit, *vsque ad Indiam pertingere conſtat ex Strabone, & diuerſam eſſe ab Aria. Diuerſa igitur hæc Alexandria* Ἀριανῆς *ab altera Alexandria, quæ cognominatur* ἐν Ἀρείοις. Sed dubia illa Arianæ Alexandria, quam ipſe ex ignota Stephani quinta Ὀπιανῆς,

* Add. Theophraſt. de Plant. IV cap. 5 pag. 347 extr. qui *Ariam* ab India itidem diſtinguit. Ταῦτα μὲν οὖν κατὰ τὴν Ἰνδικήν· ἐν δὲ τῇ Ἀρίᾳ χώρᾳ καλουμένῃ ἄκανθά ἐστιν κ. τ. λ. *Hæc in India: In regione autem Aria dicta ſpina eſt &c.* Sed Arianam Indiæ nomine contineri putauit Ælian. de Animal. XVI cap. 16 Παρὰ τοῖς Ἀριανοῖς τοῖς Ἰνδοῖς χάσμα Πλούτωνός ἐστι κ. τ. λ. Vide infra cap. XXIII § 11.

νῆς, putat Ἀριανῆς legendam eſſe, & ad Alexandriam Paropamiſadarum ſub Caucaſo monte refert, de qua ſupra diximus. Verum, quæcumque differentia inter Arianam fuit & Ariam, illaque hac, quantis libet finibus, eſt latior, explicari illam a nobis totam & coniunctam nihil opus eſt, qui partes illius, quæcumque ſunt, ſeparatim explicamus, Paropamiſum, Arachoſiam, Drangianam, & ipſam, ſi ad mare pertinuit, Gedroſiam.

VI.

Quare contenti iam *Aria* ſumus, cuius fines Ptolemæus lib. VI cap. XVII ita deſcripſit, vt a ſeptemtrione Margianæ & Bactrianæ partes habeat, ab ortu Paropaniſadas: a meridie Drangianam. Et Strabo pag. 498 τοῖς Παροπαμισάδαις παράκεινται πρὸς ἑσπέραν Ἄριοι, *Paropamiſadis ab occaſu Arii adiacent.*

VII.

Ipſum vocabulum ambigue ſcribitur, cum diphthongo & ſine illa. Strabo, dicto loco οἱ Ἄριοι, & ἡ Ἀρία, * regio: etiam Ptolemæus, Ἀρία: & Stephanus, Ἄρια, θηλικῶς καὶ οὐδετέρως Περσικὴ χώρα. τὸ ἐθνικὸν Ἄριοι καὶ Ἀριεὺς, *Aria, femineo & neutro genere, Perſici regni regio eſt, cuius gentile Arii, & Arieus.* Contra Characenus Iſidorus extremis Stathmis, χώρα τῆς Ἀρείας, *regiuncula Areiæ:* & Arrianus lib. IV cap. VI καὶ Ἄρειος, ὅτου ἐπώνυμος ἡ τῶν Ἀρείων γῆ ἐστὶ, & *Areius* [fluuius] *cui cognominis regio Areiorum eſt.*

VIII.

Iſidorus Characenus vnius tantum regionis in Aria meminit, quæ *Anabon* (Ἀνάβων χώρα τῆς Ἀρείας) vocatur: in qua vrbes dicuntur eſſe *Phra, Bis, Gari,* & *Nii,* omnia nomina ignota. Nec notiora Ptolemæi oppida Ariæ, *Diſta, Nabaris, Taua, Bitaxa, Sarmagana, Bogadia, Chaurina, Capotana,* cetera. Vnum videtur nobilius, quod *Aria* (Ἀρία πόλις) vocatur, quod regioni forſan nomen dedit, adpoſitum in vetere Tabula fluuio *Ariæ*, qui Arriano lib. IV cap. VI Ἄρειος, Plinio itidem *Arius*, Ammiano *Arias* eſt, adpoſitum. Habet etiam Ptolemæus quædam oppida Græco nomine, ſaltem Græcis non inuſitato, vt ſunt Σώτειρα, *Sotira* & *Niſibis*, ſita ambo circa *lacum Ariam*, in quem fluuius huius nominis cum aliis eius regionis infunditur.

2. Nobiliſſima autem vrbs eſt *Alexandria*, Ἀλεξάνδρεια ἐν Ἀρίοις Ptolemæo, quam itidem huic lacui dicta tabula adpoſitam habet; non autem ad oſtium fluminis Arii, ſed ex aduerſa parte ſeu oppoſita. Plinius autem lib. VI cap. XXIII *Arius amnis, qui præfluit Alexandriam, ab Alexandro conditam.* Idem antea cap. XVII illam vrbem *Alexandriam Ariôn*, id eſt Ἀρείων ſeu Ariorum, vocauerat. Eadem Straboni lib. XV p. 497 Ἀλεξάνδρεια ἡ ἐν Ἀρίοις, *Alexandria in Ariis* dicta. Ammianus lib. XXIII ſub finem ex Ptolemæo vrbes repetiit non nullas: *Abundat,* inquit, *Aria oppidis, inter quæ ſunt celebria Bitaxa, Orbitana, & Sotera, & Niſibis, & Alexandria; vnde nauiganti ad Caſpium mare quingenta ſtadia numerantur & mille:* quod de ſuo Arrianus adiecit. Ptolemæus enim tantum diuerſos fontes fluminis enarrat,

* Theophraſtus de Plantis IV cap. 5 pag. 347 extrem. Locum ſupra ad § V adſcripſi.

rat, vnum in Paropaniſo, alterum apud Sariphos, & lacum facere Ariam dictum, quaſi illo abſorbeatur. Quæ vero ab Alexandria Ariorum fiat navigatio in Caſpium mare, non intelligo, niſi per Seriphos montes, vnde oritur Arius, Alexandriam præterfluens, eumdem amnem reducas in Margum, & per hunc in Oxum, qui tandem in mare deferat: de quo recurſu nihil Ptolemæus habet, neque recentes peregrinatores, qui litterarum expertes, nihil obſeruant quod ad veterem geographiam conferat: neque nouæ ſunt admodum ſtudioſi.

3. Præterea memorantur Ariorum vrbes aliæ, inter quas eſt *Suſia.* Arrianus lib. III cap. XXV ἐκεῖθεν ἦγε ἐπὶ τὰ τῆς Ἀρείας ὅρια, καὶ Σουσίαν πόλιν τῆς Ἀρείας, *inde* [ex Parthis] *profectus ad Ariæ fines, & ad vrbem Ariæ Suſiam.*

4. Et aliam ibidem vrbem, eamque regiam, Arrianus laudat, cui nomen *Artacoana* fuit. De Satibarzane rebelli dicit: ὁπλίζων τοὺς Ἀρείους καὶ ξυνάγων εἰς Ἀρτακόανα πόλιν, ἵνα τὸ βασίλειον ἦν τῶν Ἀρείων, *Arios armat, congregatque ad vrbem Artacoana, in qua regia Ariorum erat.* Hanc ita etiam Plinius cognominauit lib. VI cap. XXIII, *Oppidum Artacoana: Arius amnis, qui præfluit Alexandriam.* Straboni autem lib. XI pag. 350 eſt Ἀρκτακάνα *Arctacana:* qui & aliam *Achaiam* ibidem nominat, de qua vero nihil conſtat, niſi Græca ex nomine origo.

5. Iſidorus in Stathmis præter obſcura oppida, quæ in Anabone regione Ariæ poſuit, in propria Aria tres vrbes recenſet, quarum vna eſt Ἀλεξάνδρεια ἡ ἐν Ἀρείοις, *Alexandria Ariorum,* de qua ſatis dictum: ceterarum altera eſt Κανδάκη, *Candace*, ignota; altera Ἀρτακάυαν, *Artacauan*, quæ videtur Ptolemæi Ἀρτικαῦδνα, *Articaudna* eſſe, in Tabula Ptolemæi vetere *Articane,* ſita ad lacum Ariam ab ortu ſolis. Plinius dicto loco laudat etiam *Artacabanen*, diuerſam ab Artacoana, eamque ab Antiocho iterum munitam dicit. Harduino videtur ipſa Iſidori *Artacauan* eſſe ac Ptolemæi *Articaudna.*

SECTIO III.

DRANGIANA.

IX.

Drangiana a ſeptemtrione habet Ariam: ab ortu Arachoſiam: a meridie Gedroſiæ partem. Iugis continetur duobus: a ſeptemtrione, Ariam verſus, *Bagoo* monte; a meridie monte *Becio.* Flumen maius, quod minora recipit, Ptolemæus ſine nomine memorauit, tantum dicit Arabio flumini adfundi, a quo in Oceanum defertur. Arrianus autem lib. IV cap. VI nominatim, Ἐτύμανδρος δὲ Εὐεργετῶν ῥέει, *Etymander per Euergetas defluit:* qui ſine dubio eſt vnus ex Ptolemæi fluuiis, forſan maximus, receptor ceterorum. Omnes autem ex Bagois montibus decurrunt. De Euergetis iam in populis dicemus.

X.

Nomen regionis eſt Straboni & Ptolemæo & Plinio ἡ Δραγγιανή,

Drangiana: Diodoro lib. XVII Δραγγινὴ, *Drangina:* populi Δράγγαι, *Drangæ.*

XI.

Oppida duo nobiliora Ptolemæi ſunt, *Prophthaſia*, ſita ſub Bagoo monte, ad ſeptemtrionem regionis Drangianæ: altera *Ariaſpe*, propior monti Becio. Prior in Græco Ptolemæi libro cum ſibilo ſcribitur Προσφθασία, & ſi recte expreſſum cum iota ſubſcripto, quaſi diuiſe legendum ſit πρὸς φθασίᾳ: at Strabo & Plinius Προφθασία, *Prophthaſia.* Ille lib. XV pag. 497 ἀπὸ τῆς Ἀρίας πρὸς νότον εἰς Προφθασίαν τῆς Δραγγιανῆς, *ab Aria meridiem verſus ad Prophthaſiam Drangianæ:* hic, lib. VI cap. XVII *Inde* [ab Alexandria Ariôn] *ad Prophthaſiam Drangarum* CXCIX *millia.* Idem vero Plinius lib. VI cap. XXIII *Prophthaſia oppidum Zariaſparum:* quod argumento eſt, *Zariaſpas* partem Drangarum fuiſſe, qui a *Zariaſpa* vrbe dicti, non autem illa Bactrianæ, ſed quæ in Drangis fuit aut prope illos. Sed Plinii *Zariaſpæ* ſuſpecti mihi, & vereor, ne *Ariaſpas,* ſeu *Agriaſpas* aliorum in animo habuerit, ſi modo genuina illa ſcriptura. Variant enim in nomine auctores & qui Arriano lib. III cap. XXVII ſunt *Agriaſpæ,* in optimo MSS. Ἀριάσπαι, *Ariaſpæ;* Diodoro lib. XVII cap. LXXXI dicti ſunt *Arimaſpi.* Puto igitur ab *Ariaſpe,* Ptolemæi in Drangis vrbe, nomen eſſe, quæ quod æque, vt Prophthaſia, in ortum verſus ab illo poſita, videtur ille tractus modo ſub Drangis cenſus, vt Ptolemæus fecit, modo a propria Drangiana fuiſſe diſtinctus, vt Strabo atque Plinius.

2. Ad quod demonſtrandum, prænotamus, *Ariaſpas* ſiue *Agriaſpas* a Cyro vocatos *Euergetas* eſſe. Arrianus dicto loco: ἀφικνεῖται ἐς τοὺς πάλαι μὲν Ἀριάσπας καλουμένους, ὕστερον δὲ Εὐεργέτας ἐπονομασθέντας, ὅτι Κύρῳ τῷ Καμβύσου ξυνεπελάβοντο τῆς ἐς Σκύθας ἐλάσεως. *ad eos peruenit, qui olim quidem Ariaſpæ, poſtea vero Euergetæ vocati ſunt, quod Cyrum, Cambyſis filium, in expeditione Scythica adiuuiſſent.* Eadem Curtius lib. VII cap. III *Alexander, Arianorum ſatrape conſtituto, iter pronuntiari iubet in Agriaſpas, quos iam tum mutato nomine Euergetas adpellabant, ex quo, frigore victusque penuria Cyri exercitum adfectum, tectis & commeatibus iuuerant.* A Cyro nomen fuiſſe, etiam Strabo confirmat lib. XV p. 498 εἶτ' ἐκ Δραγγῶν ἐπί τε τοὺς Εὐεργέτας ἧκεν, οὓς ὁ Κῦρος οὕτως ὠνόμασε, *deinde ex Drangis* [Alexander] *venit in Euergetas, quos Cyrus ſic nominauit.* Et Plinius dicto cap. XXIII ſeparat quidem Euergetas a Drangis, nihil autem interponit. *Drangæ,* inquit, *Euergetæ, Zarangæ, Gedruſi.* Zarangæ, ignoti alias, Harduino etiam pars aliqua Drangarum videntur. Diodorus in nomine errauit Ariaſpas vocans *Arimaſpos,* qui Scythæ Hyperborei ſunt. Ceterum recte ibidem ille Euergetarum nomen poſuit: τὰ κατὰ τὴν Δραγγινὴν καταστήσας, ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ τοὺς πρότερον μὲν Ἀριμασπούς, νῦν δὲ Εὐεργέτας ὀνομαζομένους. *Rebus,* inquit, *circa Dranginam conſtitutis, cum exercitu in Arimaſpos, olim vocabantur, mouit, nunc autem nominantur Euergetæ.*

3. Ptolemæi oppida reliqua ſunt obſcura, *Ruda, Inna, Aricada, Aſta,* *Xarxia-*

Xarxiare, Noſtana, Pharazana, Bigis, Arana: nec notiora duo Iſidori Characeni, quæ ſola in Drangiana memorauit, *Parin* & *Coroc*, Κορὸκ.

SECTIO IV.

ARACHOSIA.

XII.

Arachoſia ab ortu adiacet Drangianæ, Græce Αραχωσία; populus Αραχωτοὶ Straboni lib. XV, ſeu Αράχωτοι, *Arachoti*, * vt Arrianus lib. III cap. XXIII τὰς Αραχώτας: & Αραχῶται, Dionyſio verſ. 1096, & Plinio *Arachotæ* & *Arachoſii*. Libro VI enim cap. XXIII Arachoſiam ita deſcripſit: *Arachoſia cum oppido & flumine eiusdem nominis, quod quidam Cophen dixere, a Semiramide conditum. Amnis Erymanthus præfluens Parabeſten Arachoſiorum. Proximos iis a meridie, ad partem Arochatarum faciunt Gedroſos, & a ſeptemtrione Paropamiſadas.*

XIII.

Dicit *cum oppido & flumine eiusdem nominis.* Supra cap. XVII *Arachoſiorum oppidum* dixit Stephanus: Αραχωσία πόλις ἐκ ἄποθεν Μασσαγετῶν· ὑπὸ Σεμιράμεως κλιθεῖσα, ἥ τις καὶ Κωφὴν ἐκαλεῖτο. *Arachoſia vrbs non longe a Maſſagetis ſita; a Semiramide condita, quæ Cophen antea vocabatur.* Ptolemæo dicta hæc vrbs Αράχωτος, *Arachotus*, ſita in parte orientali Arachoſiæ.

2. Flumen, cuius Plinius meminit, Αραχωτὸς, *Arachotus* ab Iſidoro Stathmis vltimis vocatur, etiam a Stephano, qui a Caucaſo delabi dicit. Idem Iſidorus ad eumdem amnem habet Αλεξανδρόπολιν, μετρόπολιν Αραχωσίας, *Alexandropolim caput Arachoſiæ*, quæ decima quinta eſt Stephani, παρὰ τοῖς Αραχώτοις, ὁμορῦσα τῇ Ινδικῇ. *apud Arachotos, Indiæ contermina.* Et Ptolemæo in Arachoſia eſt Αλεξάνδρεια, *Alexandria*, quæ ipſa Iſidori eſt Alexandropolis.

3. *Parabeſte* Plinii, quam *Erymander* præfluit, eſt incognita.

4. Iſidorus addit aliam Græcam vrbem *Demetriadem*, cuius poſitionem, poſthabente Ptolemæo, ignoramus.

5. Cetera Ptolemæi ignobilia ſunt omnia, *Ozola*, *Phoclis*, *Rixana*, *Choaſpa*, *Aſiace*, *Gammace*, *Arbaca*, *Maliana*, *Dammana:* nec notiora Iſidori reliqua, *Biyt*, *Pharſaga*, & *Chorochoad.*

XIV.

Diuidebantur Arachotæ in certos populos, quorum nomina, præter *Sydros*, quod aliter aliterque in libris ſcribuntur, vt dubia & incerta, ac vtrimque ignota, præterimus. Adi Ptolemæum; qui & *Fontem Arachotum* memorat, quem vero lacum, a fluuio huius nominis factum, interpretatur. Ammianus lib. XXIII cap. XXIX de fluuio illo dicit, *efficit paludem Aracho-*

* Nonnus Dionyſiac. XXVI verſ. 148 pag. 684

Ὥπλισαν οἶολα φῦλα δορυθρασέων Αραχώτων
Δερσαίων τε φάλαγγας ὁμήλυδας.

Arachotoſcrenem, quia Ptolemæo eſt Ἀράχωτος κρήνη. Eiusdem Ammiani oppida tria ſunt a Ptolemæo, *Alexandria*, *Arbaca*, *Choaſpa*.

SECTIO V.

GEDROSIA.

XV.

Gedroſia ſecundum Ptolemæum lib. VI cap. XXI terminatur ab occaſu Carmania: a ſeptemtrione Drangiana & Arachoſia: ab ortu parte Indiæ iuxta Indum amnem: a meridie parte Oceani Indici. * Græce ἡ Γεδρωσία, *Gedroſia* Straboni & Ptolemæo. Ampliſſima regio ab India ad Carmaniam procurrens, & magno etiam ſpatio in ſeptemtrionem.

2. Populus *Gedroſi*, Plin. lib. VI cap. XX extr. & cap. XXIII: quo capite etiam bis *Gedruſi* ſcripſit. Dionyſii verſu 1086 Γεδρωσοὶ, *Gedroſi*: Strabonis lib. XV Γεδρώσιοι, *Gedroſii*. Vtraque forma Arriani eſt lib. VI, qui inſuper primam vocalem mutauit, cap. XXIV τὰ βασίλεια τῶν Γαδρωσῶν, *regia Gadroſorum*: & cap. XXV ἡ Γαδρωσίων γῆ, *Gadroſiorum regio*: item τὰ πεδία τῶν Γαδρωσίων, *campi Gadroſiorum*. Diodorus Siculus lib. XVIII cap. VI per K ſcripſit Κεδρωσία, *Cedroſia*: etiam Alexander Polyhiſtor apud Stephanum, quod is fruſtra incorrecto codici imputat. Et Suidas Κεδρωσία ὄνομα πόλεως, *Cedroſia nomen vrbis*; verius ſcripſiſſet, regionis. Sic in Ammiani pluribus iisque optimis MSS. vt Valeſii p. 369 notarunt, eſt *Cedroſia*, non *Gedroſia* lib. XXIII.

XVI.

Maximus amnis Gedroſiæ varie vocatur; *Arbis*, *Arabius*, *Artabis*, & *Artabius*. Straboni lib. XV p. 495 Ἀρβις, *Arbis*: etiam Stephano *Arbis*: quamquam is perperam ab *Arabi* amne diſtinguat, qui idem eſt. Ptolemæo eſt *Arabis*, Ἄραβις Græce; interpreti Latino, & Tabulæ auctori, *Arabius*; Sic autem ille, Ἀράβιος ποταμȣ̃ ἐκβολαί. Qui eum ſequuntur T interſerunt, Marcianus in Periplo Ἄρταβις; Ammianus lib. XXIII cap. XXIX *Artabius*. Arrianus autem Ἀράβιος, *Arabius* ſcripſit lib. VI Expedit. cap. XXI. *Nearchus*, inquit, *a Pattalis ſoluens*, ἐς τε μὲν ἐπὶ ποταμὸν τὸν Ἀράβιον προὐχώρει, *ad amnem Arabium proceſſit*: & paullo poſt, Ἀραβῖται μὲν δὴ, ἔθνος καὶ τȣ̃το αὐτόνομον τῶν περὶ τὸν Ἀράβιον ποταμὸν νεμομένων. *Arabitæ, ipſi quoque liberi, ex iis, qui circa Arabium fluuium habitant.* Nihilominus videtur *Arbis* vel *Arbius*, genuina fuiſſe denominatio.

2. Plinius lib. VI cap. XXIII addit flumen *Nabrum*, ignotum ceteris. *Hæc digna*, inquit, *memoratu produntur*: *Arbis oppidum a Nearcho conditum in nauigatione ea: flumen Nabrum, nauium capax: contra inſula diſtans* LXX *ſtadiis*. Quod vero dixit tantum digna memoratu tradere, nec hoc loco Arbis ſeu Arabii fluminis mentionem facit (nam quem cap. XXIV extremo memorat, alienus eſt iuxta Carmaniæ promontorium) dubitare licet,

* Gedroſiam adlui mari, docet etiam Ælianus de Animal. XVII cap. 6 Περὶ δὲ τὴν Γεδρωσίαν χώραν (ἔστι δὲ μοῖρα τῆς γῆς τῆς Ἰνδικῆς ȣ̓κ ἄδοξος) Ὀνησίκριτος λέγει καὶ Ὀρθαγόρας γίνεσθαι κήτη ἥμισυ ἔχοντα σαδίȣ τὸ μῆκος κ. τ. λ.

licet, an forte in *Nabrus* ipſe amnis Arbis lateat. Harduinus autem ſeparat & prope Indiæ fines aut Indi oſtia in mare *Nabrum*, neſcio quo finitore, deducit. Ptolemæus ex *Arbitis* montibus, qui διὰ μέσης Γεδρωσίας, *per mediam Gedroſiam* protenduntur, deducit fluuios, qui Indo miſceantur, nomina vero non ponit, tantum dicens τινὲς ποταμοί.

3. De Τεμήρῳ, *Tomero* Arriani paullo poſt in Populis * dicemus.

XVII.

Populi Gedroſiæ ſunt memorabiles & maritimi *Arbies* ** ſeu *Arbitæ; & Oritæ, & Ichthyophagi.* Strabo lib. XV p. 495 de Ariana magna: *Auſtrale latus ab Indo & Pattalene, deſinit ad Carmaniam & os ſinus Perſici.* - - - Οἰκοῦσι δὲ Ἄρβιες πρῶτον, ὁμώνυμοι ποταμῷ Ἄρβει, τῷ ὁρίζοντι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἑξῆς Ὠρειτῶν, ὅσον χιλίων ϛαδίων ἔχοντες παραλίαν, ὥς φησι Νέαρχος. Ἰνδῶν δ' ἐϛὶ μερὶς καὶ αὕτη. εἶτ' Ὠρεῖται ἔθνος αὐτόνομον. τούτων δ' ὁ παράπλους χιλίων ὀκτακοσίων. ὁ δὲ τῶν ἑξῆς Ἰχθυοφάγων, ἑπτακισχίλιοι τετρακόσιοι· ὁ δὲ τῶν Καρμανίων, τρισχίλιοι ἑπτακόσιοι, μέχρι Περσίδος. *In ea primum* [ab Indi oſtiis] *Arbies habitant, eodem nomine, quo Arbis fluuius, adpellati, quod eos a ſequentibus Oritis ſeiungit, mille fere ſtadiorum oram habentes, vt Nearchus refert: quæ & ipſa Indorum pars eſt. Poſtea ſunt Oritæ, gens libera, quorum præternauigatio* CIↃ IↃ CCC *ſtadiorum eſt. Inde Ichthyophagorum ora ſeptem millium & quadringentorum ſtadiorum. Hinc Carmaniorum ter mille & ſeptingentorum vsque in Perſidem.* Ex quibus cum ordinem populorum videmus, tum amplitudinem cuiusque regionis. Diſcimus hinc etiam, Arbin ſeu Arabim fluuium in orientem magis, quam in Ptolemæi tabula eſt, reducendum eſſe, quemadmodum Marcianus amplum ſpatium inter ipſum & Carmaniæ fines conſtituit.

2. Eumdem ordinem etiam Arrianus ſeruat in Indicis cap. XXI ſeqq. Macedonum claſſem dicens ab Indo veniſſe ἐς Κρόκαλα νῆσον ἀμμώδεα, *in Crocala, inſulam arenoſam,* cui vicina loca gens Indica, Ἀράβιες, *Arabies* teneant, ἐπώνυμοι ποταμοῦ Ἀράβιος, *nomen habentes a flumine Arabi*, quod per ipſorum regionem in mare deferatur. A Crocalis, poſt diuerſos portus, quorum primum εὔορμον λιμένα vocat, cui Nearchus *Alexandri* nomen indiderit, prouectos eſſe ad oſtium *Arabis* fluuii, cui inſula vaſta obiaceat: inde præternauigaſſe τῶν Ὠρειτέων χώρην, *Oritarum regionem*, vbi Leonnatus, Alexandri dux, Oritas prœlio deuicerat. Hinc ventum eſt ad amnem Τόμηρον, *Tomerum*, per Oritas decurrentem, qui forte *Tuberus* Plinii eſt lib. VI cap. XXIII. Iam addit Arrianus cap. XXVI ἐπὶ δὲ Ὠρείτῃσι κατὰ μὲν μεσογαίην Γαδρώσιοι ἐπεῖχον, *Poſt Oritas, mediterranea verſus Gadroſii habitant*, quorum fines difficulter Alexander cum exercitu pertranſiit. κάτω δὲ Γαδρωσίων παρὰ τὴν θάλασσαν αὐτὴν οἱ Ἰχθυοφάγοι καλεόμενοι οἰκοῦσι, *infra Gadroſios in maritimis habitant, qui Ichthyophagi vocantur.* Sic bene de ordine

* § XVII n. 2 & § XVIII n. 5.

** Vid. Nonnus Dionyſ. XXVI verſ. 167 ſqq. pag. 686

Κασπείρων τε γένεθλα καὶ Ἀρβίας, οἵ τ' ἔχον αὐτὸν κ. τ. λ.

ordine harum gentium Arriano cum Strabone conuenit: Plinius autem eſt turbatior.

3. Ἄρβιες, *Arbies* Strabonis ſunt Plinii iam dicto loco *Arbii*, ſeu *gens Arbiorum*: Dionyſii Ἄριβες, *Aribes*, verſ. 1096 dicentis

Ὠρίτας τ' Ἀριβάς τε, λινοχλαίνους τ' Ἀραχώτας,
Oritas, & Aribes, & lino veſtitos Arachotas,

metri cauſſa per metatheſin: Arriani Αράβιες, *Arabies*, Indic. rer. cap. XXI: & Ἀραβῖται, *Arabitæ*, eiusdem lib. VI Exped. Alex. cap. XXI, quæ forma & Stephani eſt in Ἄραβις, fluuii nomine; & Curtii lib. IX cap. X, *nonis caſtris in regionem Arabitarum peruentum eſt.* Vt autem in fluuii, ſic in gentis quoque nomine videtur alpha medium redundare, legendumque *Arbis, Arbitæ, Arbies.*

4. De *Oritis* ex Strabone & Arriano ſatis iam dictum fuit: leuiora de nomine adiiciemus. Curtius lib. IX cap. X *Horitæ* ſcripſit, Strabo & Arrianus Ὠρεῖται diphthongo; Dionyſius Ὠρῖται, vt vidimus; Plinius *Oros* videtur dixiſſe. *Ori gens*, inquit, lib. VI cap. XXIII. Ibidem memorat quidem etiam *Ichthyophagos Oritas*, quos diuidunt alii; Arrianus vero, qui ſæpe Ορειτῶν, *Oritarum* mentionem habet, pro iis *Oros* lib. VI cap. XXVIII poſuit. *Nearchus*, inquit, περιπλεύσας τὴν Ὤρων τε καὶ Γαδρωσῶν, καὶ τῶν Ιχθυοφάγων, *Ororum & Gadroſorum & Ichthyophagorum regionem prænauigans, appulit ad Carmaniæ oram.*

5. *Ichthyophagi*, ab eſu piſcium ita dicti, in Carmaniam vsque, oram maritimam tenuere, homines maxime feri. Nomen in aliis etiam gentibus Ptolemæus notauit. Mores & viuendi rationem, quod vel crudis piſcibus, vel ſole toſtis & molitis veſci ſoliti fuerint, etiam ex oſſibus piſcium ædificauerint, tradiderunt Strabo lib. XV, & Arrianus Rer. Ind. cap. XXIX. Alexander autem, quod Plinius dicto loco refert, *Ichthyophagos omnes vetuit piſcibus viuere*, vt ad cultiorem vitam reduceret. Nonnumquam *Ichthyophagi* latius explicantur, vt vicinos Oritas etiam vel omnes vel ex parte comprehendant, vt modo dicti Plinio erant *Ichthyophagi Oritæ*: ideoque idem mox ait: *deinde Ichthyophagi tam longo tractu, vt* XX *dierum ſpatio prænauigauerint.* Quum vero Oritæ & Ichthyophagi Gedroſiis opponuntur, Gedroſii non in vniuerſum, ſed interiores & mediterranei intelliguntur, quia Ichthyophagi ſunt maritimi & litorales. Vide Arrianum paullo ante ex lib. VI cap. XXVIII adlegatum, & de Reb. Indicis cap. XXVI.

6. Vt vero pateat, quantum oræ maritimæ quæque harum gentium poſſederit, ex Arriani Indicis de Nearchi nauigatione dimenſiones & diſtantias excerpemus. Ab Indi oſtiis Arbies ſiue Arabies populi vsque ad oſtia fluuii Arbis ſeu Arabii tenuerunt circiter mille ſtadia: ab hoc fluuio Oritæ habitarunt per ſtadia mille ſexcenta: inde ad Carmaniæ vsque oram Ichthyophagis proprie dictis vix mille ſtadia relinquuntur. Vide lib. Indic. rer. cap. XXV, ſeq.

XVIII.

XVIII.

Oppida Gedroſiæ, quæ Ptolemæus recenſet, pleraque ſunt obſcura. In litore a Carmania primum eſt *Rapaua*, quod Marcianus *Rapaura* ſcripſit in Periplo.

2. Deinde Γυναικῶν λιμὴν, *Feminarum portus*, cuius Arrianus etiam Indic. cap. XXII meminit, & nominis hanc rationem dat, quia femina in illo loco prima imperauerit.

3. Poſtea ſunt *Boiamba* (Pal. Coiamba) & *Rizana*.

4. Arrianus dicto loco in litore ab Indo ad Arbin fluuium ſub Arbitis habet *Portum Alexandri*, ita a Nearcho nominatum: *Saranga*, *Sacala*, *Morontobaros*, *Portum feminarum:* inter Arbin & Tomerum fluuios ſub Oritis ſunt *Pagana*, *Cabana*, *Cocala:* poſt Tomerum *Malana*, vltimus locus Oritarum.

5. Sub Ichthyophagis propriis *Bagiſara* in ora, vbi portus eſt, & pagus *Paſira*, cuius accolæ Πασιρέες, *Paſireenſes*; Plinio, dicto loco, *Paſiræ*, quos ait circa flumen nauigabile *Tuberum* eſſe, quod varie in codicibus ſcriptum eſt, nec vero id aliud eſt ab Arriani Τομήρῳ, ποταμῷ χειμάρρῳ, *Tomero, torrente fluuio.* A Paſira, emenſis CC ſtadiis ἐς Κόλτα, *Colta* ventum eſt, qui videtur vltimus Gedroſiæ locus in hac nauigatione notatus.

5. Proximus enim a IↃC ſtadiis, *Calama* dictus, contra inſulam Carninam, quæ Ptolemæi Carminna eſt, cenſa ſub Carmania, ad illam quoque pertinet.

XIX.

Mediterranea Ptolemæi ad Arachoſiæ fines ſub *Becio* monte, ab ortu in occaſum numerando, *Soxetra*, *Cottobara*, *Muſarna*, (diuerſa ab huius nominis portu in extrema Carmania) *Badara*, *Cuni:* hinc in auſtrum verſus *Oſcana*, *Omiza*.

2. Nobiliora ſunt, ad amnem Arbim, ſeu Arabim, *Arbis* oppidum, non mediocri a mari ſpatio. Plinius dicto loco: *Arbis oppidum a Nearcho conditum in nauigatione ea:* quod difficile ad credendum eſt. Nam neque locus, neque tempus, neque oppidi nomen id facile admittit. Longius enim a mari abeſt ſecundum Ptolemæum, quam vt claſſi licuerit, eo vsque aduerſo flumine nauigare: nec tempus nauigationi deſtinatum tantam in vno loco moram admiſit, quanta condendæ vrbi eſt neceſſaria: & nomen cum gentis nomine congruit; Macedones autem Græca nomina aut ipſius Alexandri impoſuerunt. Præterea Arrianus Indic. cap. XXII, vbi Nearchum ad Arabis oſtia fuiſſe dicit, quadraginta tantum ſtadiis intraſſe flumen ait ad aquam dulcem ex lacu petendam, καὶ ὑδρευσάμενοι, ὀπίσω ἐπενόστησαν, &, *ſumta aqua, reuertiſſe.* Marcianus autem addit, ſi aduerſo flumine nauigetur, πόλις ἐν δεξιᾷ κατὰ τὸν ἀνάπλουν κεῖται Ἀρβὶς καλουμένη, *vrbem in dextra ripa ſitam eſſe, quæ Arbis nominetur.*

3. Altera vrbs ad idem flumen, & in eadem ripa non ſatis certi eſt nominis. Ptolemæus μητρόπολιν, primariam Gedroſiorum vrbem fuiſſe tradit: nomen vulgatis in libris eſt Ἤασις, *Eaſis*; in Palat. cod. Πάρσις, *Par-*

ſis, quod cum Marciani Heracleotæ Periplo conuenit. καὶ ἔτι, inquit, ἀνώτερον, ὁμοίως ἐν δεξιᾷ τοῦ ποταμοῦ πόλις Περσὶς, ἡ μητρόπολις τῆς Γεδρωσίας, *& adhuc ſuperius ad dexteram fluminis eſt Perſis* [ſic interpres ſcripſit] *Gedroſiæ metropolis.* At Arrianus lib. VI cap. XXIV Αὐτὸς δὲ προὐχώρει ὡς ἐπὶ τὰ βασίλεια τῶν Γαδρωσῶν· ὁ δὲ χῶρος Πούρα ὀνομάζεται, *Ipſe vero* [rex] *ad Gadroſorum regiam contendit: locus is Pura nominatur.* Si itaque in metropoli fuit regia, tria nomina concurrunt in vna ciuitate, quæ maxime diſſonant, *Eaſis*, *Parſis*, ſeu *Perſis*, & *Pura.* Sed dubito eamdem eſſe, quia metropolis in Arbitis fuit, in confinio Oritarum; τὰ βασίλεια, *regiam* autem ſat longe ab Oris, qui vel ipſi Oritæ ſunt, vel coniuncti cum ipſis, quia inde ſexageſimo die, quamquam ſtatiua aliquot interuenerint, Alexander dicitur in Gedroſorum regiam veniſſe, apud Arrianum lib. VI cap. XXIV. nec vero locus *Puræ* certus definiri poteſt, aut quanto ſpatio abfuerit a mari.

4. Nec certiores rationes ſunt vrbis *Oræ*, a qua Oritæ & Ori dicuntur denominati. Summus vir, Salmaſius Exerc. Pl. p. 828, *Ori* (quorum Plinius lib. VI cap. XXIII, & Arrianus lib. VI cap. XXVIII meminere) *ab vrbe Ora videntur adpellati, cuius meminit idem Arrianus* lib. IV [cap. XXVII] εἰς τὰ Ὦρα τὴν πόλιν. *Ptolemæo dicitur Ora, & in Carmania ponitur. Ab Ὦρα Ὦροι, vt a Palibothra Palibothri, & ſimilia. Quinimmo & Ὠρίτας ab illo oppido Ὦρα denominatos, veriſimile eſt, nam ab eodem prototypo Ὦροι* & *Ὠρῖται.* * Sed pace tanti viri dixerim, neutrum locum cum Oritarum vrbe conuenire. Longe abeſt Carmanorum Ora ab ſede Oritarum: longius Ora Arriani, ſita in citeriore India (quidam Scythis tribuunt eum tractum) inter Indum & Paropamiſadas, prope Baziram vrbem & Peuceliotin regionem. Nec forte præſidium huic Oritarum Oræ eſt in Arriani lib. VI cap. XXI ἐν Ὤροις, *in Oris*, & cap. XXIV ἐξ Ὤρων, *ex Oris*; quia gens ibidem, οἱ Ὦροι, potius, quam oppidum, videtur ſignificari. Malo igitur de nominis Oritarum origine tacere, quam vrbem fingere incertæ aut nullius auctoritatis.

5. An etiam *Alexandria* in Gedroſis fuerit, eſt quod dubitetur. Silent ceteri: Plinius videtur adſerere lib. VI cap. XXIII. *Arbis*, inquit, *oppidum a Nearcho conditum in nauigatione ea. Flumen Nabrum, nauium capax: contra inſula diſtans* LXX *ſtadiis. Alexandria condita a Leonnato iuſſu Alexandri in finibus gentis.* Leonnatus autem vicerat Oritas, vt Arrianus refert in Indic. cap. XXIII; etiam Oritarum ſatrapæ ab Alexandro adiunctus fuit, eodem teſte lib. VI cap. XXII, vt non inprobabile ſit, ab eodem in ea regione oppidum fuiſſe conditum. Quod vero Plinius dixit *in finibus gentis*, quidam ad Arachoſiam referunt, cui duas det Stephanus, vnam ἐν Ἀραχώτοις, *in Arachotis*, duodecimam: alteram, quintamdecimam, παρὰ τοῖς Ἀραχώτοις, ὁμοροῦσα τῇ Ἰνδικῇ, *apud Arachotos, Indiæ contermina.* Sed neutra poteſt hæc Plinii eſſe. Prior enim fuit in media Arachoſia ad flumen

* Oritis vrbem tribuit Philoſtratus, quæ *Pagala* dicta ſit. In Vit. Apollon. III cap. 54. Omnia Oritis plena ære eſſe dicit idem.

men Arachotum: altera in Indiæ confinio, etiam longe diſtans ab Oritis. Ergo *in finibus* Plinio eſt intra fines, in regione.

6. Tandem *Xylenopolis*, etiam Alexandri opus, a Plinio, dicto loco, adiicitur. *Oneſicriti,* inquit, *& Nearchi nauigatio nec nomina habet manſionum, nec ſpatia: primumque Xylenopolis ab Alexandro condita, vnde ceperunt exordium, iuxta quod flumen, aut vbi fuerit, non ſatis explanatur.* Videtur in vltima Gedroſia fuiſſe, prope Indi oſtia, quia exordium nauigationis inde captum eſt.

XX.

Inſulas Ptolemæus ſub Gedroſia duas habet, *Aſthæam*, Carmaniam verſus; & hinc in ortum *Codanen.* Plinius, ſæpe dicto loco, laudat *inſulam*, quæ *Solis* adpelletur, & eadem *cubile Nympharum, rubens, in qua nullum non animal abſumitur.* Nearchus apud Arrianum Ind. cap. XXXI tradit, centum ſtadiis a continente Ichthyophagorum abeſſe, quam ἱρὴν Ἡλίου ἔλεγον εἶναι οἱ ἐπιχώριοι, καὶ Νόσαλα καλέεσθαι, *Soli ſacram homines illius regionis dixerunt eſſe, ac Noſala vocari.* Addit fabulam, Nereidem inhabitaſſe, quæ aduenas in piſces transformarit, qui poſtea in homines reſtituti, Ichthyophagorum gentem propagarint. Plinius hanc inſulam in narratione ſua poſuit inter Ichthyophagos & gentem Oros: Arrianus autem dicit, Ichthyophagos Nearchum præteruectum fuiſſe, quum ad illam inſulam fabuloſam ſe conferret, vt ita Carmaniæ potius quam Gedroſiæ ſubiaceat.

2. Alias quoque inſulas ibidem Arrianus narrat in Nearchi nauigatione obſeruatas. Prima poſt Indi oſtia eſt *Crocala*, arenoſa, cui vicini in continente Arbitæ ſeu Arabitæ erant, & mons *Irus:* deinde contra Alexandri portum *Bibacta:* poſt quam, occaſum verſus, Δόμαι, *Domæ*, deſerta inſula: inde nauigatum præter alia in litore loca ad oſtia Arbis fluvii, quem ipſe *Arabin* & *Arabium* vocauit. Poſt nullam inſulam memorauit in nauigatione illa vsque ad *Carninen*, quæ Ptolemæi Carminna eſt, cenſa ſub Carmania.

CAPVT XXIII

DE

I N D I A.

I.

INdia, ἡ Ἰνδική, * ampliſſima Orientis regio, ſecundum flumina, quorum duo maxima ſunt, Indus & Ganges, in duas magnas partes diuiditur, quarum altera dicitur *India intra Gangem*, Ptolemæo ἡ ἐντὸς Γάγγου Ἰνδική: altera *India extra Gangem*, ἡ ἐκτὸς Γάγγου Ἰνδική. Limites cuiusque par-

* Exempla huius adpellationis obuia ſunt vsquequaque. Sed Polyænus IV, 3, 30 etiam Ἰνδίαν habet, & Ioſephus Antiquit. I cap. 6 ſect. 4 Ab Ἰνδικῇ eſt Targumi Hieroſol. ad Geneſ. XXV הנרקיא.

tis ſeparatim Ptolemæus poſuit, ſicut & diuerſis partes capitibus tractauit, primo & ſecundo libri ſeptimi. Indiæ intra Gangem terminos ab occaſu conſtituit Paropaniſadarum regionem, Arachoſiam & Gedroſiam: a ſeptemtrionibus Imaum montem: ab oriente Gangem fluuium: a meridie Oceanum. Quæ extra flumen Gangem eſt, terminatur ab occaſu illo flumine: a ſeptemtrionibus Scythia & Serica: ab ortu Sinarum regione: a meridie Oceano. *

SECTIO I.

INDIA INTRA GANGEM.

II.

Huius terminos ſupra ex Ptolemæo perſpeximus. De occidentali autem dubitatio ſupereſt, quia is Gedroſiæ, Arachoſiæ & adiacentium fines communem terminum conſtituit, Indi fluuii hac in cauſſa non meminit, in quo alii ab occidente Indiam finire ſolent: *Indoſcythiam* autem in vtraque ripa Indi fluuii habet, quam etiam in Indiæ regionibus numerauit. Contra Plinius lib. VI cap. XVII *vsque ad Indum amnem, qui eſt ab occidente finis Indiæ.* Et Arrianus lib. V cap. IV τὸν ποταμὸν Ἰνδὸν διέβαινε Ἀλέξανδρος ἐς τῶν Ἰνδῶν τὴν γῆν, *Indum fluuium traiecit Alexander in Indorum regionem:* quod argumento eſt, citra amnem quum res ageret, nondum veniſſe in Indiam: quod de proprie dicta India concedimus, non de nomine vniuerſo. Nam ipſe Plinius cap. XX extremo de aliorum ſententia latiſſime fines cis Indum protraxit. *Plerique*, inquit *ab occidente non Indo amne determinant, ſed adiiciunt quatuor ſatrapias, Gedroſos, Arachotas, Arios, ** Paropamiſadas, vltimo fine Cophete fluuio, quæ omnia Ariorum* [Arianorum] *eſſe, aliis placet. Nec non & Nyſam vrbem plerique Indiæ adſcribunt, montemque Merum, Libero patri ſacrum. - - - item Aſtacanos gentem.* Quod de quatuor præfecturis dicit, videtur nimis lata terminorum extenſio: quæ vero de Nyſa, Mero, Aſtacanis & ſimilibus, illa non abſurde cum India cenſentur, quemadmodum etiam a pluribus, qui Alexandri res tradiderunt, Indiæ contribuuntur.

2. Dionyſius Characenus verſu 1088 periegeſeos dixit:

Ἰνδὸν παρ' ποταμὸν νότιοι Σκύθαι ἐνναίουσιν,
Indum ad fluuium auſtrales Scythæ habitant:

quos vna voce Euſtathius in hunc locum Ἰνδοσκύθας, *Indoſcythas* dixit, eosque ad Ptolemæi Indoſcythiam plerique referunt, quam ipſe in Embolimis ſeptemtrionem verſus, ſeu circa Cophenis, & quos defert, ac Indi conflu-

* Paullo aliter fines Indiæ deſcribit Diodorus II pag. 120, vbi hæc habet: Ἡ τοίνυν Ἰνδικὴ τετράπλευρος οὖσα τὴν πρὸς ἀνατολὰς νεύουσαν πλευρὰν καὶ τὴν πρὸς τὴν μεσημβρίαν ἡ μεγάλη περιέχει θάλαττα· τὴν δὲ πρὸς τὰς ἄρκτους τὸ Ἠμωδὸν ὄρος διείργει τῆς Σκυθίας, ἣν κατοικοῦσι τῶν Σκυθῶν οἱ προσαγορευόμενοι Σάκαι· τὴν δὲ τετάρτην τὴν πρὸς δύσιν ἐστραμμένην διείληφεν ὁ Ἰνδὸς προσαγορευόμενος ποταμός. *India figuram quatuor laterum habet, quorum orientale & meridiale magnus ille oceanus continet: illud quod ſeptemtriones ſpectat, Scythiæ monte Emodo, Sacarum ſede, cohibetur: quartum occidentale flumen Indus nominatum terminat.*

** Confer adnotata ad libr. III cap. XXII § V.

confluentes finit. Sed *νοτίες*, *auſtrales* non Indorum reſpectu, ſed Scytharum propriorum & ſeptemtrionalium, intellige, vt quidquid circa Cophenem amnem, & inter hunc & Indum Alexander expugnauit, ad hos auſtrales Scythas ſeu Indoſcythas referatur, atque ita pars Indiæ, ſed citerior, aut citra Indum, vt, Plinio auctore, plerique tradiderunt, a nobis etiam cenſeatur: quo ipſo tamen Indiæ propriæ, quæ poſt flumen Indum eſt, nihil derogatur. Tabula quoque, ad Ptolemæi mentem comparata, tractum illum Indiæ intra Gangem, quamuis cis Indum ſit, adſignat.

III.

Flumina Indorum maxima ſunt Indus & Ganges, vt diximus: de illo multa in Alexandri hiſtoria, qui tranſiit & nauigauit ſecundo curſu in reditu: de Gange referuntur pauciora, quia Macedones ad illum non peruenerunt. De Indo Plinius lib. VI cap. XX *Indus, incolis Sindus adpellatus, in iugo Caucaſi montis quod vocatur Paropamiſus, aduerſus ſolis ortum effuſus; & ipſe vndeuiginti recipit amnes: ſed clariſſimos Hydaſpem,* * *quatuor alios adferentem:* ** *Cantabram, tres: per ſe vero nauigabiles Aceſinem & Hypaſin.* Hydaſpes notus, de quo mox plura dicturi ſumus: *Cantabram,* alterum clariſſimorum, nemo alius memorauit, vt de ſcriptura dubitare liceat. Quos Alexander amnes traiecit, hoc ordine Strabo lib. XV p. 480 recenſuit: *ἦν δὲ μετὰ τὸν Κώφην ὁ Ινδὸς, εἶθ' ὁ Υδάσπης, εἶθ' ὁ Ακεσίνης, καὶ ὁ Υάρωτις, ὕστατος δ' ὁ Ὕπανις. Poſt Cophem erat Indus, poſt hunc Hydaſpes, inde Aceſines, ab hoc Hyarotis, poſtremo Hypanis.*

IV.

Primus, & ex his occidentalis maxime, vocatur *Cophes* & *Cophen*, ὁ Κώφης Dionyſ. v. 1140; τὸν Κώφην Strab. lib. XV; *ad flumen Cophcta* Plinius lib. VI cap. XVII, & *Cophete fluuio,* cap. XXI. Contra Arrianus Ind. cap. IV ὁ Κωφὴν, *Cophen,* recto caſu; τὸν Κωφῆνα, *Cophenem,* lib. IV Exped. Alexand. cap. XXII.

2. Plures hic fluuios in Indum defert, e quibus nobilior *Choaſpes* eſt. Strabo XV p. 479 τὸν Κώφην, καὶ τὸν Χοάσπην, ὅς εἰς τὸν Κώφην ἐμβάλλει ποταμὸν, *Cophem fluuium, & Choaſpem, qui in Cophen exit.* Ptolemæo dictus *Coas,* obliquo Κώα ποταμȣ ἐκβολαὶ, *Coa fluminis oſtia:* Arriano lib. IV c. XXIII Χόης, *Choes;* πορευθεὶς, inquit, παρὰ τὸν Χόην καλȣμενον ποταμὸν, *iter iuxta Choen flumen fecit.* Nihilominus Ariſtoteles lib. I Meteor. cap. XIII ex Paropamiſo monte etiam Χοάσπην, *Choaſpen* fluuium deducit, vt de Strabonis ſcriptura dubitare non liceat. Alius amnis eſt Choaſpes Perſicus, *** alius Indi-

* Vide Diodorum II pag. 122.

** Quo iure igitur canit poeta Lucan. III, 235

Quaque ferens rapidum diuiſo gurgite fontem
Vaſtis Indus aquis miſtum non ſentit Hydaſpen.

*** Nicander Theriac. v 890 pag. 59

Ὅσσα θ' ὑπ' Ινδὸν χεῦμα πολυφλοίσβοιο Χοάσπȣ
Πιστάκι' ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεντα πέφανται.

Et quæcunque ad Indiæ flumen perſtrepentis Choaſpi piſtacia amygdalis ſimilia adparent in prægrandibus ramis.

Indicus, quos male Dionyſius confudit verſ. 1073, de fluminibus agens, quæ Perſidem irrigant:

- - - - - - - Χοάσπης
Ἕλκων Ινδὸν ὕδωρ.

Choaſpes ferens Indicam aquam: quaſi ex India per vaſtiſſimas regiones & celſiſſima iuga montium in Perſidem ſeu Suſianam deferatur.

V.

Arrianus in Indicis plures addit cap. IV, Κωφὴν δὲ ἐν Πευκελαὥτιδι ἅμα οἱ ἄγων Μαλάμαντόν τε καὶ Σόαστον, καὶ Γαροίαν, ἐκδιδοῖ ἐς τὸν Ινδόν. *Cophen in Peucelaitide, ferens ſecum Malamantum, Soaſtum, & Garœam amnes, effundit ſe in Indum:* e quibus *Soaſtum* ſeu *Suaſtum* etiam Ptolemæus habet Σουάστου ποταμοῦ πηγαὶ, *Suaſti fluuii fontes* ſcribens, cum diphthongo in prima. *Garœas* amnis Arriano lib. IV cap. XXV dictus Γουραῖος, *Guræus*, & gens, per quam labitur, *Guræi:* & regio, quam colunt, Ptolemæo Γωρυαία, *Goryæa.* Addit Arrianus, dicto ex Indicis loco, *Ptarenum* & *Saparnum*, non multum inter ſe diſtantes, qui etiam in Indum exeunt: *Soamum* quoque per ſe Indo adfluentem, non delatum ab alio. Tabula, ad Ptolemæum conformata, ex Arachoſia & Gedroſia in Indum alia flumina, ſed ſine nomine, infundit, præter Arachotum, cuius nomen & aliunde notum eſt.

VI.

Ipſe ſequitur *Indus* * fluuius in Alexandri itinere, ortus, vt ex Plinio ſupra cognouimus, in Paropamiſo monte, qui etiam Caucaſus adpellatur. Receptis pluribus, etiam naues ferentibus fluuiis, iuxta Arachoſios & Gedroſos, prono curſu in mare defertur, in quod δίστομος, *duobus alueis*, vt Arrianus lib. V cap. III loquitur, ſe effundit, magnam oſtiis illis faciens inſulam, τῷ Αἰγυπτίῳ Δέλτα παραπλήσιον, *Ægyptio Delta non diſſimilem*, quæ *Patala* & *Patalena* adpellatur: de qua plus infra in regionibus & oppidis dicturi ſumus. Quos a dextra ripa amnes recipiat, iam vidimus: a ſiniſtra & ex India propria occurrit primo *Hydaſpes*, ** nobile flumen, in quo claſſem Alexander ædificauit, qua per Indum in Oceanum nauigauit. Strabo lib. XV p. 480 *Silua ad Emodos montes, ex qua Alexander multam abietem, pinum, & cedrum cecidit,* ἐξ ὧν στόλον κατεσκευάσατο ἐπὶ τῷ Υδάσπῃ, *e quibus claſſem in Hydaſpe fluuio ædificauit.* Recipit *Sinarum* amnem, vt Arrianus tradit: etiam *Sandabalim*, vt Ptolemæus nominat, & Tabula, illi accommodata, deducit. Effertur ipſe Hydaſpes in Aceſinem, & per hunc demum in Indum. Arrianus dicto loco: Υδάσπης, ἄγων ἅμα οἱ τὸν Σίναρον, ἐν Αρίσπαις ἐς τὸν Ακεσίνην ἐκδιδοῖ καὶ οὗτος, *Hydaſpes ſecum fert Sinarum, & in Ariſpis ipſe in Aceſinem effunditur.* Ptolemæus praue *Bidaſpen* adpellauit: Tabula autem, vt ceteri, *Hydaſpin*, quod indicium mendi in Græco eſt.

VII. *Ace-*

* Vid. Nonnus Dionyſiac. XXVI v. 225 pag. 690.

** Non opus eſt memorari fabulam de Hydaſpe in vinum mutato. Nonnus Dionyſiac. XXV v. 276 ſeqq. pag. 658 eam propoſuit.

VII.

Aceſines * autem non ſolum Hydaſpe, ſed magno etiam fluuio, quem *Tutapum* Arrianus vocat, incognitum ceteris, auctus, apud Mallos in Indum exoneratur, nomen ſuum, tamquam victor fluuiorum, quos receperat, eo vsque retinens, quod Arrianus dicit, ἐπικλήσει ἐκνικήσας. nam præter dictos, & aliis augetur, e quibus, qui ceteros defert in Aceſinem, *Hyarotis* ſiue *Hydraotes* eſt. Poſt Aceſinem hic & Alexandro traiiciendus erat: traiecit autem equo, quod Arrianus lib. VI cap. VIII refert. Hic Ὑδραώτην, *Hydraoten* vocat: Strabo** Ὑάρωτιν, *Hyarotin*, creſcente ſyllaba in obliquis ceteris, vt πέραν τȣ̃ Ὑαρώτιδος. Videtur *Adris* Ptolemæi eſſe. Recipit vltimum fluuiorum Alexandri, *Hyphaſin* ſiue *Hypanin*, & cum eo ſe in Aceſinem effundit. Plures addit Arrianus, ſed ignotos. *In Indum*, inquit, *illabitur Hydraotes quidem in Cambiſtholis, qui Hyphaſin in Aſtrobis, Sarangem ex Meceis, Neudrum ex Attacenis in ſe recipiens, in Aceſinem fluit.* Vt populorum, qui hic memorantur, ita etiam fluminum, præter Hyphaſin, quæ recipit Hydraotes, obſcura nomina ſunt. Notior autem ille ſcribitur varie, Ὕφασις, *Hyphaſis* ab Arriano, & Diodoro Siculo lib. XVII cap. XCIII, ac Philoſtrato Vita Apollonii lib. III ineunte: *Hypaſis* a Plinio lib. VI cap. XVII, & Curtio lib. IX cap. I: & *Hypanis* a Strabone lib. XV, Diodoro lib. II cap. XXXVII, & Dionyſio verſ. 1145, ſemper idem, & quem Strabo Ὕπανιν ὕϛατον, *Hypanim vltimum* dixit, is eſt Arriani etiam vltimus *Hyphaſis*, Alexandro puta, quia vt ille in Indic. cap. IV tradit, ȣ̓ πρόσω τȣ̃ Ὑφάσιος ἦλθεν Αλέξανδρος, *vltra Hyphaſin Alexander non progreſſus eſt.* Idem de Hypaſi Plinius dicto loco: *Hypaſis fuit Alexandri itinerum terminus, exſuperato tamen amne, ariſque in aduerſa ripa dicatis.* Ptolemæus vitioſe *Bibaſis* pro *Hypaſis*, in quem ipſe *Zadradum* deducit, qui nomen ad confluentes vsque cum Indo retineat. Sed maior ſuperiorum eſt auctoritas, Strabonis & Arriani, in ordinandis nominandiſque illis fluminibus.

VIII.

Alter maximorum amnium eſt *Ganges*, ὁ Γάγγης, *** non viſus Alexandro; ideo pauca de illo veteres, quæ veri eſſent ſimilia, tradiderunt. Strabo lib. XV p. 483 ἱκανῶς συμφωνεῖται, *magna eſt conſenſio, Gangem eſſe* μέγιϛον τῶν μνημονευομένων κατὰ τὰς τρεῖς ἠπείρȣς, † *fluuiorum maximum, qui*

* Accentum huius nominis docet Nonnus Dionyſiac. XXIII v. 276 pag. 616

Αλλη δ' Ινδὸν ἔναιεν ἐριβρεμέτην Ακεσίνην.

** Lib. XV pag. 1017.

*** Nonnus Dionyſiac. XXVII verſ. 162 pag. 708

\- - - ὅθεν δονακῆα διαίνων

Στέλλεται εὐόδμοισι καταῤῥυτος ὕδασι Γάγγης.

Vid. Ælian. hiſtor. Animal. XII cap. 41.

† Diodor. Sicul. II pag. 122 Οὗτος δὲ τὸ πλάτος γενόμενος ϛαδίων τριάκοντα φέρεται μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτȣ κ. τ. λ. *Hic vbi latitudinem triginta ſtadiorum ſortitus eſt, a ſeptemtrionibus defertur.* Ælian. hiſtor. Animal. X cap. 41 Ο Γάγγης ὁ παρὰ τοῖς Ινδοῖς ῥέων, ὑπαρχόμενος ἐκ τῶν πηγῶν βαθύς ἐϛιν εἰς ὀργυιὰς εἴκοσι, πλατὺς δὲ εἰς ὀγδοήκοντα ϛαδίȣς. Ετι γὰρ αὐθιγενεῖ τῷ ὕδατι πρόεισί καὶ ἀμιγεῖ πρὸς ἕτερον. Προϊὼν δὲ τῶν ἄλλων εἰς αὐτὸν ἐμπιπτόντων καὶ ἀνακοινȣμένων οἱ τὸ ὕδωρ, εἰς βάθος μὲν ἥκει καὶ ἑξήκοντα ὀργυιῶν. πλατύνεται δὲ καὶ ὑπερεκχεῖται, εἰς ϛαδίȣς τετρακοσίȣς, καὶ ἔχει νήσȣς Λέσβȣ τε καὶ Κύπρȣ μείζονας καὶ τρέφει κήτη. *Ganges flumen*

qui in tribus continentibus [terrarum orbis] *memorantur; ſecundum ab eo Indum; tertium Iſtrum; quartum Nilum.* Plinius dubitanter lib. VI cap. XVIII, *alios incertis fontibus, vt Nilum; alios in Scythicis montibus naſci dixiſſe.* Sed vtique ex montibus illis, ſiue Imai iuga, ſiue aliter vocantur. Strabo p. 474 καταβὰς ὁ Γάγγης ἐκ τῆς ὀρεινῆς ἐπειδὰν ἅψηται τῶν πεδίων ἐπιςρέψας πρὸς ἕω, *Ganges a montana regione deſcendens, vbi campos attigit, in ortum ſolis conuertitur.* Conuerſio illa mollis & lenis eſt, inclinatio aliqua in orientem, vt tamen ab illa in auſtrum ad oſtia ruat. * Strabo ibidem μιᾷ ἐκβολῇ, *vno oſtio* in mare effundi dicit: at quinque vel ſex Ptolemæus numerat, & ſuo quodque nomine ſignat, primum, quod maxime eſt occidentale, *Cambuſum* vocat: ſecundum, μέγα, *Magnum:* tertium, *Camberichum,* quartum *Tilogrammum:* quintum ψευδόςομον, *Pſeudoſtomum,* quaſi falſum oſtium: ſextum, ἀντιβολὴν, *Antibolen,* quaſi oppoſitum ceteris. Etiam recentiores plura eius oſtia notarunt.

IX.

Flumina in Gangem vndeuiginti Plinius inferri dicit: e quibus citeriori ripæ adfunduntur *Iomanes* per Palibrothos decurrens: & *Erannoboa,* quem Arrianus Indic. cap. x ad vrbem Palibrotha cum Gange dicit confluere: & *Cainas:* reliqua, incertum, ad quam ripam tendant, *Condochates, Coſoagus, Sonus,* quæ omnia nauigabilia dicit; ceterorum celato nomine. Ex his etiam ab Arriano Indic. cap. IV, vt Gangis acceſſiones, memorantur *Caina, Condochates, Erannoboa, & Sonus:* additque *Coſſoanum, Sittocatim, Solomatim, Sambum, Magonem, Agoranim, Omalim.*

X.

Inter hos maximos amnes, Indum & Gangem, Ptolemæus plures alios in mare Indicum deducit, *Namadum, Nanagunam,* tribus oſtiis, longe ſeparatis, tamquam ſingularibus fluminibus, in quibus etiam Ptolemæus cenſet. Primi nomen eſt *Goaris* recto caſu; ſecundi *Binda;* tertium denique *Nanagunæ* nomen retinet. Sequitur *Pſeudoſtomum,* ſingulare & proprium flumen: poſt quod enumerat Ptolemæus *Barin, Solenum, Chaberum, Tynam, Mandam, Tyndim, Doſaronem, Adamantem,* qui Gangi eſt proximus: ſed omnes ignobiles & nullius memoriæ, hiſtoria in partibus, quas percurrunt, deficiente.

XI.

Montes Indiæ nobiliores ad ſeptemtrionem ſunt, & a Scythia ſeiungunt, cohærentes inter ſe, ſed nominis non vnius. Plinius lib. VI cap. XVII *Iunguntur inter ſe Imaus, Emodus, Paropamiſus, Caucaſus, a quibus tota*

Indorum e fontibus effuſus viginti orgyias profundus & LXXX ſtadia latus eſt: Quum nondum alienis miſceri cœpit aquis. Sed vbi iam alia in ipſum infundi cœperunt flumina: LX orgyias profundus eſt, extenditur autem in CCCC ſtadia, & habet inſulas Lesbo & Corſica maiores, ac balænas nutrit.

* Errat igitur Lucanus l. III v. 230

Qua colitur Ganges, toto qui ſolus in orbe
Oſtia naſcenti contraria ſoluere Phœbo
Audet & aduerſum fluctus impellit in Eurum.

tota decurrit [India] *in planitiem immenſam & Ægypto ſimilem.* De Paropamiſo & Caucaſo dictum ſupra eſt: De ceteris in Scythia dicendi locus erit. De Imao, quatenus Indiæ ſuperiacet, ex eodem Plinii loco adiicimus, *Emodorum promontorium Imaum vocari.* Ptolemæus in India intra Gangem, & quidem in mediterraneis notauit propius Indum *Apocopos* montes, & poſt eos *Sardonichem, Bettigum, Vindium, Adiſathrum;* & Gangem verſus *Vxentum.* Sed nihil niſi nomina ſunt; hiſtoria memorabili deſtituuntur. De *Mero* monte cis Indum, ad Nyſam vrbem dicemus. Mons *Mallus*, in Mallis populo eſt, apud Plinium lib. VI cap. XVII extremo.

XII.

Populi & regiones ſunt innumerabiles. v. g. a ſeptemtrionali parte *Aſpii, Peucolaitæ, Taxili* ſeu *Taxillæ, Aſſaceni, Guræi, Gandaræ, Malli, Oxydracæ, Sibæ:* * *Praſii* autem ſeu *Praſiatæ* ad Gangem: etiam a ſectis nominati *Gymnoſophiſtæ, Brachmanes:* ** & in meridiali tractu, ac mare verſus, *Laryces* prope ſinum Canthi & Indi oſtia: deinde *Ariaces, Limyrices,* regio *Aiorum*, & *Careorum* in ſinu Colchico; *Pandionis* regio, *Bati, Aruarni, Maſolia, Sabaræ, Gangaridæ:* & medio tractu ab Indo ad Gangem, *Sabracæ, Muſicani, Præſti,* omnes hi ad ripam Indi: & in mediterraneis, *Agriophagi, Parapiotæ, Phyllitæ, Brolingæ, Poruari, Adiſathri, Soræ Nomades, Mandalæ, Cocconagæ,* & quæ alia obſcura nomina.

2. De ſingulis, aut potioribus ex illis, aliquid in vrbibus dicemus, quas ſecundum iter Alexandri, quod diligentius perſcriptum eſt, explicabimus: ex ignotis quoque Ptolemæi aut aliorum præcipuas quoque ac maiores, vt ſedes regias, & metropoles, atque emporia, deſignaturi.

XIII.

Alexander ex Paropamiſadis in Indiam mouens, primum *Nicæam* venit, in confinio Paropamiſadarum poſitam, citra flumen Cophenem. Arrianus lib. IV cap. XXII ἀφικόμενος δ' ἐς Νίκαιαν πόλιν καὶ τῇ Ἀθηνᾷ θύσας, προὐχώρει· ὡς δὲ ἐπὶ τὸν Κωφῆνα, *Inde Nicæam veniens, ſacro Palladi facto, proceſſit: vt vero ad Cophenem amnem,* cetera. Inuenit ergo Alexander hanc Nicæam, non condidit. Ex qua vero victoria nomen fuerit, an ex fabuloſa Liberi patris, aut Herculis, non poteſt definiri. Hinc ad *Cophen* ſeu *Cophenem* fluuium proceſſum: Hephæſtion vero & Perdiccas in ſuperiora, ἐς Πευκελαῶτιν *in Peucelaotin* miſſi.

XIV.

Regio hæc inter Cophenem & Indum eſt Arriano lib. IV cap. XXII dicta Πευκελαῶτις χώρα *regio Peucelaotis:* nomen a principe vrbe ducens, quam idem poſt paullo cap. XXVIII dicit πόλιν Πευκελαῶτιν οὐ πόῤῥω τοῦ Ἰνδοῦ ᾠκισμένην, *vrbem Peucelaotin, non procul ab Indo conditam.* Straboni lib. XV p. 480

* Nonnus Dionyſiac. verſ. 218 pag. 688
Τοῖς ἔπι θωρήσσοντο Σίβαι καὶ λαὸς Ὑδάρκης.

** Hinc intelligendus Lucianus Fugitiu. pag. 594, vbi *Brachmanes* Necoræis & Oxydracis finitimos eſſe ait.

p.480 eſt πόλις Πευκολαῆτις, *vrbs Peucolaetis:* Plinius lib. VI cap. XVII *oppidum Indorum Peucolaitin* dixit, quæ formula periphraſin continere videtur, ideoque πόλις oppidum, in ſingulis adiectum. Verum autem vrbis nomen eſt *Peucela,* de qua in Indicis Arrianus cap. I καὶ ἄλλη πόλις Πευκέλα, ἔτι μεγάλη καὶ αὐτὴ, οὐ μακρὰν τοῦ Ἰνδοῦ, *& alia vrbs Peucela, quæ & ipſa magna eſt, non longe ab Indo.* Incolæ Plinio cap. XX eiusdem libri ſunt *Peucolaitæ.*

XV.

Populi hic memorantur ab Arriano lib. IV cap. XXIII *Aſpii,* & *Thyræi,* & *Araſaci,* de quibus vero nihil aliunde notum eſt. Hos vero Alexander domuit παρὰ τὸν Χόην πορευθεὶς, *iuxta amnem Choen,* ſeu Choaſpen, *iter faciens.* De flumine ſupra dictum: de oppidis iuxta illum & regiunculis ita Strabo p. 479 *In Indiam iter conuertit. Montibus autem per breuiores vias ſuperatis, reuerſus eſt habens Indiam a ſiniſtris:* εἶτ' ἐπέστρεψεν εὐθὺς ἐπ' αὐτὴν καὶ τοὺς ὅρους τοὺς ἑσπερίους αὐτῆς, καὶ τὸν Κώφην ποταμὸν καὶ τὸν Χοάσπην, ὃς εἰς τὸν Κώφην ἐμβάλλει ποταμὸν, καὶ κατὰ Πληγήριον πόλιν ῥυεὶς παρὰ Γωρυδάλην πόλιν, καὶ διεξιὼν τήν τε Βανδοβηνὴν καὶ τὴν Γανδαρῖτιν. *Poſtea rediit rurſus in illam* [Indiam] *eiusque fines occidentales, & ad Cophen fluuium & Choaſpen, qui in Cophen exit, & iuxta vrbem Plegerium fluens præter Gorydalem vrbem, tam Bandobenen quam Gandaritin permeat.* Ignota oppidorum nomina, niſi *Gorydalis* eſt Ptolemæi *Gorya,* regionis *Goryææ:* nec nota regio *Bandobena:* at *Gandaritis* eſt populi, quem *Gandaras* Ptolemæus dixit, duo oppida illis attribuens *Proclain* & *Nauliben.* Hinc ventum, tranſmiſſo Choe ſeu Choaſpe, ad vrbem *Andaca,* vti in MSS. eſt, vulgo *Andraca;* & flumen *Euaſpla,* vtrumque ſoli memoratum Arriano: vti etiam *Arigæum* oppidum. *Guræus* fluuius, & *Guræi,* populus ad illum, eiusdem Arriani ſunt, vec vero alii, quam quibus Ptolemæus regionem *Goryæam* dat & oppidum *Goryam,* inter Coam, ſeu Choaſpen, & Suaſtum fluuios. In eadem Goryæa regione poſuit quoque, auſtrum verſus, circa Cophenis & Choaſpæ confluentes, oppidum *Nagara,* quod etiam ex Bacchi fabula nomen aliud habet, Νάγαρα ἡ καὶ Διονυσιόπολις, *Nagara, quæ etiam Dionyſiopolis.*

XVI.

Per Guræos Alexander in *Aſſacenos* venit, quorum metropolis erat *Maſſaga* ſiue *Maſſaca,* ſeu *Mazagæ.* Arrianus lib. IV cap. XXVI πρῶτα μὲν ἐπὶ Μάσσαγα ἦγε, τὴν μεγίστην τῶν ταύτῃ πόλεων, *primum Maſſaga cum exercitu petit, vrbem eius regionis maximam.* Et in Indicis cap. I ἐν Ἀσσακηνοῖσι δὲ Μάσσακα, πόλις μεγάλη, ἵναπερ τὸ κράτος τῆς γῆς ἐστι τῆς Ἀσσακίης, *apud Aſſacenos eſt Maſſaca ingens oppidum, quod Aſſaceni regni caput eſt.* Id Curtius lib. VIII cap. X vocat *Mazagas,* pluratiuo numero: Strabo autem lib. XV p. 480 *Maſogam.* Sequitur, inquit, ἡ Ἀσσακανοῦ, ὅπου Μασόγα τὸ βασίλειον τῆς χώρας, *Aſſacani terra, vbi Maſoga eſt caput & regia.* Ex quo etiam adparet *Aſſacanos* & *Aſſacenos* eosdem eſſe: & Arrianus qui lib. IV extremo

mo ſcripſit Ἀσσακανῶν χώρα; idem Indic. cap. I ἐν Ἀσσακηνοῖσι, quæ non maior variatio eſt quam in *Maſſaga* & *Maſſaca* diuerſis hiſce libris eſt.

XVII.

In tractu illo *Ora* & *Bazira* ſeu *Bezira*, non ignobiles vrbes ſunt; & *Aornos petra*, quam fama tenuit ne ab ipſo quidem Hercule expugnari potuiſſe: capta autem ab Alexandro. Hæc ex Curtio æque ac Arriano, & quod de Petra eſt, etiam ex Diodoro nota: Petræ, cuius radices Indus adluit, quod Strabo tradit, propinquæ fuerunt *Embolima*, vrbs Ptolemæo etiam memorata Arrianus lib. IV cap. XXVIII ἀφικόμενος ἐς Ἐμβόλιμα πόλιν, ἣ ξύνεγγυς τῆς πέτρας τῆς Ἀόρνου ᾤκεῖτο, *venit in vrbem Embolima, quæ non procul a petra Aorno ſita eſt.* Ptolemæus poſuit prope Cophenis & Indi confluentes, ſiue, vt ipſe vocat, vbi Coas, Suaſtum ferens, ſe Indo miſcet. De ceteris iam nominatis ibidem Arrianus: τὰ μὲν δὴ Ὦρα καὶ τὰ Μάσσαγα φρούρια ἐποίησεν ἐπὶ τῇ χώρᾳ. τὰ Βάζιρα δὲ πόλιν ἐξετείχισε, *Itaque, Oris & Maſſagis ad regionis præſidium firmatis, Bazira* [Alexander] *vrbem muro circumdedit.* Inſtaurauit etiam *Orobatin*, de qua vero nihil auctores alii referunt.

XVIII.

Tandem etiam eſt *Nyſa* ſiue *Nyſſa*, de qua fingebant a Baccho conditam, μεταξὺ τοῦ τε Κωφῆνος καὶ τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ, *inter Cophenem & Indum fluuios*, vt Arrianus lib. V ineunte tradit, ſita fuit. Strabo lib. XV & Arrianus ſcribunt Νύσσα, *Nyſſa*, geminata littera; Diodorus autem Siculus lib. I cap. XIX Νύσα, & Plinius, Mela, Curtius *Nyſa*, quod propius ad fabulæ originem accedit, quia hoc oppidum ferebatur, vt Strabo ait, Διονύσου κλίσμα, *opus Dionyſi* ſiue Bacchi. Incolæ Νυσσαῖοι, *Nyſſæi* apud Arrianum, qui vltro ſe per legatos Alexandro dediderunt. Imminet vrbi mons Μηρὸς,* *Merus*, quæ vox quod *femur* Græce ſignificat, fabulæ de Baccho Iouis femori inſuto, & bis nato, occaſionem dedit, quia in hoc monte cum exercitu ſeruatus dicitur, quum campos morbi & peſtilentia vaſtarent; vt Diodorus lib. II cap. XXXVIII interpretatur. Plinius lib. VI cap. XXI *Nec non & Nyſam vrbem plerique Indiæ adſcribunt, montemque Merum, Libero patri ſacrum: vnde origo fabulæ, Iouis femine editum.*

XIX.

Hæc de iis, quæ Alexander in India cis Indum flumen dicitur ſubegiſſe, poſitis omnibus inter Indum & Cophenem. Quo loco vero ſingula, & quo ordine ſita fuerint, quod varium Alexandri iter erat, & nunc ipſe, nunc duces diuiſis copiis vincebant, explicari non poteſt, præſertim

* Theophraſtus de hiſt. Plant. IV cap. 4 Κιττὸν ἐν Ἰνδοῖς φανῆναι, τῷ ὄρει τῷ Μηρῷ καλουμένῳ. ὅθεν δὴ καὶ τὸν Διόνυσον εἶναι μυθολογοῦσι. *Ederam in Indis adparere, monte Mero dicto, vnde etiam Bacchum eſſe fabulantur.* Polyænus Strateg. I, 1, 2 Διόνυσος ἐν Ἰνδικῇ τῆς στρατιᾶς οὐ φερούσης τὸ φλογῶδες τοῦ ἀέρος. κατέλαβε τὸ Τρικόρυφον ὄρος τῆς Ἰνδικῆς. τῶν δὲ κορυφῶν ἡ μὲν κλήζεται Κορασιβίη, ἡ δὲ Κονδάσκη, τὴν δὲ τρίτην αὐτὸς ἐκάλεσε Μηρόν. *Bacchus in India quum exercitus æſtum aeris tolerare non poſſet, occupauit Tricoryphum, Indiæ montem, ſic adpellatum a tribus cacuminibus, quorum vnum vocatur Coraſibie, alterum Condaſce, tertio ipſe nomen impoſuit MERVM.*

quod Ptolemæus nihil eorum nominum, præter ſola Embolima; ex vrbibus habet. Videtur hinc facies rerum cum tempore mutata, & vetuſtis deletis alia oppida & alia nomina ſucceſſiſſe.

XX.

Traiecto Indo amne, tum demum, vt Arrianus lib. V cap. IV ait, ἐς τῶν Ινδῶν τὴν γῆν, *in Indiam propriam* peruenit. Et cap. VIII Ἄρας δὲ ἀπὸ τοῦ Ινδοῦ, ἐς Τάξιλα ἀφίκετο πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, τὴν μεγίστην τῶν μεταξὺ Ινδοῦ τε ποταμοῦ καὶ Ὑδάσπου, *Tranſmiſſo Indo ad magnam & opulentam vrbem Taxila peruenit, quæ vrbium inter hunc amnem & Hydaſpem eſt maxima.* Et Strabo XV p. 480 μεταξὺ τοῦ Ινδοῦ καὶ τοῦ Ὑδάσπου Τάξιλά ἐστι πόλις μεγάλη καὶ εὐνομωτάτη, *inter Indum & Hydaſpem eſt Taxila, magna ciuitas & legibus optimis inſtituta.* Rex *Taxilus* humaniter Alexandrum ſuſcepit: Curtio *Taxiles* idem dictus, * ſequente nomine, imperium eius regionis in quem tranſiret: populus *Taxillæ* ſunt Plinio lib. VI cap. XX. *Transgreſſis Indum,* inquit, *& cum eo decurrentibus* (montanos autem populos, Caucaſo ſubiectos, ante deſcripſerat) *Samarabriæ, Sambruceni, Biſambritæ, Oſii, Antixeni, Taxillæ cum vrbe celebri iam in plano demiſſo tractu, cui vniuerſo nomen Amandæ.* Quæ alia inter Indum & Hydaſpem fuerint, non memorantur in expeditione, quia in vlteriora Alexander properabat: obſcura ſunt Ptolemæi *Labaca* & *Iomuſa*, & *Sagala*, etiam *Euthymedia* dicta: clarior *Bucephala*, quam idem in citeriore Hydaſpis ripa, id eſt ſiniſtra & occidentali ponit, conditam ab Alexandro, quum equum huius nominis amiſiſſet; & inſtauratam (nam imbres corruperant) quum ab Hypani, extremo fluuio, reuertiſſet. Duas eodem tempore vrbes ad idem flumen Hydaſpem condidit, *Nicæam* & *Bucephalam*, in memoriam victoriæ adverſus Porum, & equi Bucephali, qui iſto prœlio exſpirauerat. Vtriusque mentionem Diodorus habet lib. XVII cap. XCV, verum de fluuio dubie: Arrianus autem Hydaſpi adplicat lib. V cap. XIX: Strabo per ripas diſtinguit lib. XV pag. 480, ἐφ᾽ ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ [Ὑδάσπου] ὅπου τὸν Πῶρον ἐνίκα διαβάς, *in vtraque fluminis ripa, vbi, tranſmiſſo eo, Porum vicerat.* Et Curtius lib. IX cap. I *Rex duabus vrbibus conditis in vtraque fluminis, quod ſuperauerat, ripa.* Si Ptolemæum ſequimur, in dextra ripa Bucephalam poſuit: Nicæam in ſiniſtra, licet huius nullam mentionem fecerit. Et quia prœlium trans Hydaſpem commiſſum fuit in Pori regno, probabilius eſt Nicæam in loco victoriæ fuiſſe conditam, hoc eſt in ripa fluminis orientali. Nomen prioris vrbis caſu variat. Ptolemæus lib. VII cap. I Βουκέφαλα: Plinius lib. VI cap. XX *Bucephala:* Diodorus lib. XVII c. XCV ἡ Βουκέφαλα: Arrianus lib. V extremo τὰ Βουκέφαλα: Curtius lib. IX cap. III *Bucephalos:* Arrianus Periplo Erythræi ἡ Βουκέφαλος Αλεξάνδρεια.

XXI.

Inter Hydaſpem & Aceſinem amnes Porus ille, quem Alexander vicit, regnabat. Strabo prædicto loco: μεταξὺ τοῦ Ὑδάσπου καὶ τοῦ Ακεσίνου ἥ τε

* Lib. VIII cap. 12 ſ. 14. Locum hunc adſcripſi ideo, vt verba auctoris facilius intelligerentur.

τοῦ Πόρου ἐστὶ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ, σχεδόν τι καὶ περὶ τριακοσίων πόλεων; *Inter Hydaſpem & Aceſinem eſt Pori regio, multa ſane & opulenta,* CCC *fere oppidorum.* Vicos haud dubie connumerauit, vt tantum numerum conficeret. Sed quantus etiam numerus oppidorum fuit, nullum tamen nominatim in hiſtoriis eſt memoratum. De *Nicæa*, quæ in huius regni ripam cadebat, paullo ante dictum eſt, vbi de Bucephala, oppoſita illi, egimus.

XXII.

Pori regnum claudebat amnis *Aceſines* ab ortu: quo tranſmiſſo, ad alium amnem, *Hydraotem* nomine ſiue *Hyarotem*, properauit, quo etiam traiecto, alteris ab amne caſtris ad vrbem *Pimprama* Alexander venit, vt Arrianus & Curtius adpellant, ſita in gente *Adraiſtarum*. Pactis capta vrbe ac in deditionem recepta, in finitimam *Cathæorum* gentem profectus, *Sangala*, τὰ Σάγγαλα, oppidum illorum cepit. Arriano hi Κάθαιοι, *Cathæi* dicti; Straboni Κάθεοι, *Cathei*, ſimplici littera: a quibus ad *Hypanim* ſeu *Hyphaſin*, vltimum fluuiorum, quos adiit, progreſſus Alexander, fruſtra milites, itineribus fatigatos & defectos, vt ſe vſque ad Gangem & accolentes Gangaridas ſequerentur, hortatus, reditum conclamari iuſſit: tranſiit tamen amnem, caſtrisque ſolito maioribus, ac aris in vlteriore ripa poſitis, quæ terminum expeditionis poſteritati ſignificarent: vt ſupra ex Plinii lib. VI cap. XVII monſtratum fuit. Plinius *Hypaſin*, vocat, qui *Hyphaſis* & *Hypanis* eſt aliis.

XXIII.

Regreſſus ergo, iterum traiectis fluminibus, vsque ad Hydaſpem, in quo claſſis interea ædificata fuerat, eaque per hunc amnem vsque ad Aceſinis confluentes deuectus, in *Mallos* & *Oxydracas*, feroces populos, mouit, nec ſine extremo ſuo periculo. In his enim vrbs illa, in quam ſe ſaltu ex muro, auſu temerario, coniecit, & ægre conſeruatus fuit. Vrbem illam plerique Oxydracis tribuunt; etiam Curtius lib. IX cap. IV. Et Arrianus lib. VI cap. XI confitetur: αὐτίκα ἐν Ὀξυδράκαις τὸ πάθημα τοῦτο γενέσθαι Ἀλεξάνδρῳ, ὁ πᾶς λόγος κατέχει, *infortunium hoc in Oxydracis Alexandro obtigiſſe communis opinio eſt.* Ipſe tamen apud Mallos hæc paſſum eſſe adſeuerat. Et Strabo lib. XV p. 482 Μαλλοὶ καὶ Ὀξυδράκαι μεγάλα ἔθνη· καὶ Μαλλοὶ μὲν, παρ᾽ οἷς ἀποθανεῖν ἐκινδύνευσεν Ἀλέξανδρος, τρωθεὶς ἐν ἁλώσει πολίχνης τινός, *Malli & Oxydracæ magnæ nationes. Malli ſunt, apud quos Alexander mortis periculum adiit in expugnatione oppidi cuiusdam.* Caſtra interea erant ad Hydraotis & Aceſinis confluentes, quod Arrianus lib. VI cap. XIII adnotauit. nam circa Hydraotem amnem *Malli* erant: horum vicina natio Oxydracarum, qui ſe Διονύσου συγγενεῖς, *Bacchi cognatos*, vt Strabo ibidem refert, dixerunt.

XXIV.

Interea etiam noua vrbs ad Aceſinem, cuius nomen latet, Alexandri auſpiciis condita erat, de qua Arrianus lib. V cap. vltimo conſulatur: delatus vero per flumina ad Aceſinis, cetera ferentis, & Indi confluentes, quod Arrianus lib. VI cap. XV tradit, πόλιν κτίσαι ἐκέλευσεν ἐπ᾽ αὐτῇ ξυμβολῇ

τοῖν ποταμοῖν, ἐλπίσας μεγάλην τε ἔσεσθαι καὶ ἐπιφανῆ ἐς ἀνθρώπους, *vrbem condi ad confluentes fluminum iuſſit, ſperans magnam claramque futuram eſſe:* cui ſine dubio nomen *Alexandriæ* impoſuit.

XXV.

Secundo amne Indo deuectus in *Sabracas*, validam Indiæ gentem, vt Curtius vocat lib. IX cap. VIII; inde κατέπλει ἐς τῶν Σόγδων τὸ βασίλειον, καὶ ἐνταῦθα πόλιν ἐτείχιζεν ἄλλην, *in Sogdorum regiam nauigauit, ibidemque vrbem aliam condidit.* An hæc etiam *Alexandriæ* nomen acceperit, non poſſum dicere: niſi Curtii huc verba ex lib. IX cap. VII, ſect. 8 retrahamus, quia proxime ad Muſicanos ferunt: quæ olim ad priorem vrbem Arriani, iuxta confluentes Aceſinis & Indi poſitam, referebamus. Stephanus duas Alexandrias in India laudat, ſextam & decimamquartam: illam ſimpliciter τῆς ἰνδικῆς, *Indiæ* dixit: hanc παρὰ Σωριανεῖς Ἰνδικῷ ἔθνει, *apud Sorianos gentem Indicam*, cuius vero ſedem æque ac vrbis ignoramus. Nec vero dubium, quin plures vrbes in Indis ille condiderit, ſuoque adpellauerit nomine. Inde prono amne nauigauit in *Muſicani* regnum ſeu dynaſtiam, (ἐπικράτειαν Arrianus vocat:) quem Oneſicritus νοτιώτατα τῆς Ἰνδικῆς, *auſtraliſſima Indiæ* tenere apud Strabonem dicit: Curtius autem alias gentes poſt *Muſicanos* ponit: nam ſic vocat ſubiectum Muſicano populum lib. IX cap. VIII. Apud Indos enim frequenter reges nomen gentis habent. Curtius dicto loco e Muſicanis Alexandrum duxit in *Præſtos*, etiam Indicam gentem: ab his in *Sabi regnum:* (*Sambi*, Σάμβου βασιλείαν Diodorus Siculus lib. XVII cap. CII dixit) tum demum ad inſulam *Patalenam*, quam oſtiis ſuis Indus facit. Strabo etiam alia interponit, τὴν Σαβούτα Σινδοναλίαν, καὶ ἔτι τὴν Πορτικανοῦ, *Sabutæ Sindonaliam & Porticani regionem:* quæ vocabula, ſaltem priora aliquid monſtri vel mendi habere videntur: *Porticani* autem regionem (Πορτικάνου δυναστείαν) memorauit etiam Diodorus lib. XVII cap. CII. Certe non proxime Muſicani regiones Patalenam attingere, ex eo etiam clarum eſt, quia triduo exinde nauigauit Alexander, antequam de Patalenorum ſtatu ei nuntiatum eſt. Vide Arrianum lib. VI cap. XVII.

XXVI.

Ipſa inſula, quam oſtia faciunt, ab vrbe eius, ſub diuortio amnis ſita, *Patala* ſeu *Pattala* dicta, nomen habet, in quo Strabo & Arrianus geminant τ, ceteri * ſimplici littera exprimunt. Inſulam itaque plures *Patalenam* ſeu *Pattalenam* dicunt: Curtius *Pataliam:* Plinius communi vrbis nomine *Patalen* ſiue *Patalam*. A triquetra figura, quam oſtia cum mari faciunt, *Delta* vocant perinde vt Ægyptiam Nili inſulam: & Arrianus lib. VI cap. XVII μεῖζον ἔτι τοῦ Δέλτα τοῦ Αἰγυπτίου, *maiorem quam Delta Ægyptium* dicit. Nunc ſingulorum de vrbe & inſula verba adferemus. Strabo ibidem: ἐν τῇ Πατταληνῇ πόλις ἐστὶν ἀξιόλογος τὰ Πάτταλα, ἀφ' ἧς καὶ ἡ νῆσος καλεῖται, *in Pattalena vrbs inſignis eſt Pattala, a qua nomen eſt inſulæ.* Arrianus dicto loco: ὡς δὲ ἀφίκετο ἐς τὰ Πάτταλα, τήν τε πόλιν καὶ τὴν χώραν

ἔρημον

* Philoſtrat. Vita Apollon. III cap. 53.

ἔρημον καταλαμβάνει, *quum Pattala veniſſet, tam vrbem quam regionem deſertam inuenit.* Et cap. XVIII, quum ipſe rex ad Oceanum nauigaret, iuſſit Hephæſtionem τειχίζειν τοῖς Παττάλοις ἄκραν, *arcem in Pattalis ædificare:* quæ etiam exſtructa & munita fuit, vt ex cap. XX conſtat: ἐπανελθὼν ὀπίσω ἐς τὰ Πάτταλα, τήν τε ἄκραν τετειχισμένην καταλαμβάνει, *reuerſus Pattala, arcem emunitam inuenit.* Vrbs autem in ſuperiore inſulæ parte fuit ad ipſam ſciſſionem fluminis. Idem cap. XVIII περὶ τοῖς Παττάλοις σχίζεται τοῦ Ινδοῦ ὕδωρ ἐς δύο ποταμοὺς μεγάλους, καὶ οὗτοι ἀμφότεροι σώζουσι τοῦ Ινδοῦ τὸ ὄνομα ἔς τε ἐπὶ τὴν θάλασσαν, *apud Pattala Indus in duos ingentes fluuios ſcinditur, quorum vterque Indi adpellationem a mare vsque retinet.* Ptolemæus ſuam Παταλα, *Patalam* inferius a primo diuortio deduxit. Plinius inſulam *Patalen* vocat; oppidum *Patalam.* Lib. VI cap. XX de Indo: *ampliſſimam inſulam efficiens, quæ Praſiane nominatur: & aliam minorem, quæ Patale.* Sed Praſianam illam alii ignorant. Et poſt paullo: *ad oppidum in inſula, quam ſupra diximus, Patalam.* Et deinceps: *Oloſtræ* [populus] *Patalen inſulam attingentes.* Et cap. XXI *Sed ante ſunt aliæ, Patale, quam ſignificauimus in ipſis faucibus Indi, triquetra figura,* CCXX M. *paſſuum latitudine:* quod cum Nearchi rationibus prope conuenit, qui oſtia MDCCC ſtadiis ſeiungi apud Strabonem & Arrianum dixit. Pomponius Mela autem, quem Plinius alibi ſequi ſolet, inſulam *Patalenen* adpellauit lib. III cap. VII *Inter ipſa oſtia,* inquit, *Patalene.* Et Dionyſius periegeta verſu 1093

Νῆσον τὴν καλέουσιν ἐπιχθόνιοι Παταληνήν.

Inſulam quam vocant incolæ Patalenen. *

Quamuis autem veteres Indum duobus oſtiis in mare exire tradiderint, ideoque δίστομον ** Arrianus lib. V cap. III illum dixerit; tamen Ptolemævs ſeptem oſtia ordine recenſet, & ſuo quodque nomine diſtinguit. Primi ab occidente nomen eſt *Sagapa:* ſecundi, *Sinthum:* tertii, χρυσοῦν, *aureum:* quarti, *Chariphi:* quinti, *Saparages:* ſexti *Sabalaſſa:* ſeptimi *Lonibare.* Sed credo, foſſas quoque, rigandæ terræ factas, adnumerari, quales Arrianus aliquot, διώρυχας vocans, in Nearchi in mare excurſu memorauit de Reb. Indic. cap. XXI.

XXVII.

Hæc ex Alexandri itinere obſeruauimus: reliqua excerpemus ex Ptolemæo. Hic ad mare ab Indo ad Gangem habet multa quidem, ſed notabiliora ex iis ſunt *Monogloſſum,* emporium ad ſinum Canthi, in quem Indus fluuius exit: *Barygaza* emporium, paullo intus, Namado fluuio adpoſitum, *ſinum Barygazenum,* cui obiacet, denominans: ad quem & *Supara,*

* Nonnus Dionyſ. XXVI v. 89 pag. 680

Καὶ πεδὸν εὐδίνητον ἁλιστεφάνου Παταλήνης.

Idem XXVII v. 153 pag. 708

\- - - - Ὁππόθι γαίης
Μεσσατίης στεφανηδὸν ἐς ἑσπέριον κλίμα νεύων
Δίστομος οὐρεσίφοιτος ἑὸν ῥόον Ινδὸς ἑλίσσει
Κύμασι ἀμφίξως ἐπίστεψας Παταλήνην κ. τ. λ.

** Etiam Nonnus Dionyſiac. XXVI v. 225 pag. 690.

para, Σȣπάρα, ſita eſt, quam Lucas Holſtenius ad Ortel. p. 137 Ophir Salomonis putat eſſe. Addit quidem *emporium celeberrimum Ptolemæi*: ſed nihil hic de emporio habet, nec aliam dignitatis notam, vt regiæ, vel metropoleos; ſed tantum *Supara* ſcripſit, vt cum aliis in obſcurorum cenſu relinquatur. In extremo ſinu, poſt Bindæ oſtium, *Simylla* emporium & promontorium: dein *Hippocura*, *Balipatna*. Et hæc ex *Ariaces Sadinorum* maritima regione. Sequitur ex ἀνδρῶν πειρατῶν, *Piratarum* regione *Byzantium*, *Nanagunæ* oſtium, *Nitriæ* (Palat. *Nitra*) de quo mox ex Plinio dicimus: & ex *Limyrices* regionis maritimo tractu *Tyndis* oppidum, *Tundis* in Peutingeriana tabula; *Muziris* [Palat. Μȣζίρις *Muxiris*] emporium. Plinius de hoc & Nitriis lib. VI cap. XXIII *Indos petentibus vtiliſſimum eſt ab Oceli* [Arabiæ Felicis portu] *egredi. Inde vento Hippalo nauigant diebus quadraginta ad primum emporium Indiæ Muzirim, non expetendum propter vicinos piratas, qui obtinent locum nomine Nitrias; neque eſt abundans mercibus.* At Ptolemæi & Arriani æuo, qui Erythræi maris Periplo Muzirin πλοίοις Ἑλληνικοῖς, *nauibus Græcorum* frequentari dixit, meliores res huius emporii fuerunt. Laudatur etiam in tabula Peutingeriana cum lacu adiacente, qui *Muziris Lacus* adpellatur. Dicit idem Peripli auctor, κεῖται παρὰ ποταμὸν, *ad fluuium ſita eſt*, quem vero non nominat: Ptolemæus autem *Pſeudoſtomum* vocat, inter Nanagunam & Barin medium, qui proxime poſt Muzirin in mare deuoluitur. *Baris* fluuii oſtia claudunt Limyricen regionem.

XXVIII.

Poſt Barin amnem in *Aiorum* regione eſt *Elaneon* emporium & *Cottiara* metropolis, ac *Comaria* promontorium & oppidum, in Periplo Erythræi Κόμαρ & Κομαρεί; nunc, ſeruato nomine, Comarin. Ab hoc promontorio *ſinus Colchicus* incipit, cui *Colchi*, Κόλχοι, emporium adiacens, nomen dederunt. Iam dicto Periplo p. 33 πόλις ἡ λεγομένη Κόλχοι, *vrbs Colchi dicta*: & mox, μέχρι Κόλχων: item μετὰ δὲ Κόλχȣς, *vsque Colchos, poſt Colchos*. Non longe poſt in eumdem ſinum *Solenus* amnis effluit. Ipſe vero ſinus Colchicus a ſequente ſinu Argarico ſeparatur promontorio *Cory*, quod etiam *Calligicum*, *Coliacum*, *Colis* & *Colias* vocatur. Ptolemæus: Κῶρυ ἄκρον, τὸ καὶ Καλλίγικον, *Cory promontorium, quod & Calligicum*. Salmaſius p. 783 emendat Κωλιακὸν *Coliacum*: & accolas, quos Strabo lib. XV p. 475 dixit Κωνιακȣ̀ς, *Coniacos*, idem emendator legit Κωλιακȣ̀ς, *Coliacos*. Dionyſius Periegeta v. 951

Κεῖθεν δὲ ϛρεφθεὶς νοτίης προπάροιθε κολώνης
Αἶψά κε Κωλιάδος, μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο
Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Sic incidendum, vt Κωλιὰς κολώνη ſit *promontorium Coliacum*, quod idem Dionyſius v. 1148 *Colidem* dixit:

Πρὸς νότον ἑλκόμενοι παρὰ τέρματα Κωλίδος αἴης.
Ad auſtrum tracti ad fines Colidis terræ.

Pomponius Mela quoque lib. III cap. VII *a Gange ad Colida*, peruerſo ordine:

ordine: & mox, *Colis, alterius partis angulus, initiumque lateris ad meridiem verſi.*

XXIX.

Sequitur in Πανδίωνος χώρα, *Pandionis regione* maritima Αργεῖρε, ſiue Αγάρε πόλις, in Tabula *Argari* vrbs, quæ ſinum, cui adſidet, *Argaricum* denominat: in quo etiam eſt *Salur* emporium, & *Nicama* ſeu *Nigamma* metropolis. Poſt *Chaberi* (Χαβήρε) ſunt oſtia, & *Chaberis* (Χάβηρις) emporium; etiam *Sobura, Poduce, Melange*, emporia: & poſt *Tynnæ* oſtia *Manarpha, Cantacoſſyla, Alloſſygne*, itidem emporia: & in ſinu Gangetico oppida *Cottobara, Sippara*, & poſt *Tyndis* oſtia, *Mapura, Cocala, Coſamba*; poſt quam primum os Gangis eſt fluuii.

XXX.

Mediterraneæ ſunt plures regiæ: ſingulis Ptolemæus βασίλειον adſcripſit, *Ozene* [Οζήνη] *Bætana, Hippocura*, diuerſa a ſuperiori maritima; *Carura, Sora, Othura*, & ad Gangem *Palibothra:* & metropoles mediterraneæ *Raraſſa, Sageda*, & propius mare inter Nanagunam & Pſeudoſtomum amnes, *Muſopale.* Sed nobiliſſima harum *Palibothra* eſt, a pluribus memorata.* Plinius lib. VI c. XIX *Omnium in India prope, potentiam claritatemque antecedunt Praſii, ampliſſima vrbe ditiſſimaque Palibothra: vnde quidam ipſam gentem Palibothros vocant, immo vero tractum vniuerſum a Gange. Regi eorum peditum ſexcenta* M. *equitum triginta* M. *elephantorum nouem* M. Strabo lib. XV non ſemel eam laudat, eſſe ad Gangem ſitam, eoque aduerſo ex mari in eam nauigari, figura quadrangulam, longitudine LXXX ſtadiorum, latitudine XV. τὰ Παλίβοθρα plurali numero adpellat: Ptolemæus Παλίβοθρα βασίλειον, *Palibothra regiam*, & ad gradum XXVII latitudinis collocavit. Sita ad confluentem Gangis καὶ τῦ ἄλλυ ποταμῦ, *& alius fluuii*, quod Strabo addit, nec vero alterum illum nominat. Arrianus autem Indic. nomen prodidit cap. X, μεγίστην πόλιν Ινδοῖσιν εἶναι Παλίμβοθρα καλεομένην ἐν τῆ Πρασίων γῆ, ἵνα αἱ συμβολαί εἰσι τῦ τε Ἐραννοβόα ποταμῦ καὶ τῦ Γάγγεω, *maximam Indis vrbem eſſe, quæ Palimbothra vocatur, in Praſiorum terra, vbi confluentes ſunt Erannoboæ fluminis & Gangis.* Sic ſcripſit inſerta littera Arrianus: etiam Stephanus Παλίμβοθρα πόλις Ινδική. *Praſii*, gens, cuius fuit vrbs, etiam Curtio ſunt reſtituti lib. IX cap. II a Salmaſio in Solinum pag. 699. ** *Praſiatas* Ptolemæus etiam ad Gangem ponit, ſed ſupra Palibrothos.

XXXI.

De ſectis aliquid addendum, quod etiam certa oppida dicuntur poſſediſſe. *Gymnoſophiſtæ* dicebantur Indorum philoſophi ſeu ſapientes. Strabo lib. XVI p. 524 παρὰ τοῖς Ινδοῖς οἱ γυμνοσοφισαὶ, *apud Indos gymnoſophiſtæ ſunt:* recenſet enim ſingularum gentium ſapientes. Idem lib. XV

* Diodor. II pag. 124 ab Hercule condita & foſſis aqua plenis munita dicitur.

** Nonnus Dionyſiac. XXVI v. 60 p. 680

Τοῖς δ' ἐπὶ θαρσήεντες ἐπεστρατάωντο μαχηταὶ
Δάρδαι καὶ Πρασίων στρατιαὶ καὶ φῦλα Σαλάγγων
Χρυσοφόρων.

p. 489

p. 489 ex Oneſicrito philoſophos Indorum diuidit in duo genera, τὲς μὲν Βραχμᾶνας, τὲς δὲ Γερμᾶνας, *in Brachmanes & Germanes;* * illos εὐδοκιμεῖν, *rectius ſentire;* hos ſolitariam vitam in ſiluis agere, vini & Veneris expertes, & quæ alia vtriusque generis placita, mores & conſuetudines fuere, late ibidem a Strabone expoſita. Videntur vtrique & hi gymnoſophiſtæ fuiſſe, vt id commune vocabulum Indicorum ſapientum eſſet: Ptolemæus autem ſeparauit tamquam diuerſas gentes. *Gymnoſophiſtas* in ſeptemtrione locauit poſt fluuios illos, inter quos Alexander res geſſit, id eſt poſt Hypanim ſeu Hyphaſim ab ortu: *Brachmanos Magos* autem in meridie, inter Solenum & Chaberum fluuios, haud longe a mari ſeu Paralia, quam vocat, id eſt maritima regione. His dat oppidum, quod *Brachme* vocatur. Sed per varios Indorum populos Brachmanes habitarunt. ** Plinius lib. VI cap. XVII *Multarum gentium cognomen Brachmanæ, quorum Maccocalingæ.* Sic in Mallis vrbem habuerunt, quam Alexander expugnauit apud Arrianum lib. VI cap. VII. Et ad Indum circa Muſicani & Sambi regna, aut ſub his, oppida Brachmanum erant. Diodorus Siculus lib. XVII cap. CII, vbi Sambi vrbes Alexandrum vaſtaſſe dixerat, hoc finit epiphonemate: τὸ μὲν ἐν ἔθνος τῶν ὀνομαζομένων Βραχμάνων τοιαύταις περιέπεσε συμφοραῖς, *Tantas clades gens Brachmanum experta fuit.* Et cap. CIII *Harmatelia,* τὰ Ἁρματήλια, vocat, ἐσχάτην τῶν Βραχμάνων πόλιν, *poſtremam Brachmanum vrbem,* quam Alexander deditione poſt grauem oppugnationem cepit. Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. IV cap. XVII Brachmanum alios in montibus habitare ait, alios circa Gangem: qui ſectam Gymnoſophiſtarum eſſe ait, oppoſitam alteri, quam *Samanæos* adpellat. Ibidem ſingulari numero Βραχμὰν dixit, vnde pluralis forma Βραχμᾶνες, *Brachmanes:* qui Plinio *Brachmanæ* ſunt, vt vidimus: Ptolemæo Βραχμανοὶ, *Brachmani.*

XXXII.

Vltima gens ad Gangem ſeu eius oſtia erant *Calingæ,* de quibus Plinius lib. VI cap. XVII *Calingæ proximi mari:* ibidemque *Maccocalingas* Brachmanum partem facit, ſeu habitantes inter eos. Et cap. XIX *nouiſſima gente Gangaridûm Calingarum: regia Parthalis vocatur.* Hi Gangaridæ diſcriminis cauſſa *Calingæ* cognominantur, quia cis Gangem apud Calingas erant, aut iis permixti: reliqui trans flumen. Idem cap. XX *promontorium Calingûn,* & adpoſitum oppidum *Dandagula* refert, ſed numerus diſtantiæ ab oſtio Gangis manifeſto falſus eſt.

XXXIII.

Liceat huc etiam reſcribere *Padæos,* vltimi orientis populum. Herodotus lib. III cap. XCIX τῶν Ινδῶν πρὸς ἠῶ, *Indorum ad auroram* dicit eſſe, carnibus crudis veſcentes, qui vocentur Παδαῖοι, *Padæi.* Et Tibullus lib. IV eleg. I verſ. 145 *Vltima*

* Sic item Philoſtratus Vit. Apollon. I cap. 18.

** Ælianus XVI cap. 20 de Animal. Καὶ οἱ τῶν Ινδῶν λόγιοι, ἐν δὴ τοῖς καὶ τὲς Βραχμᾶνας ἀριθμεῖν ἄξιον. An igitur gentes Brachmanæ ſunt, quæ Brachmanum ſectæ erant, & ex eorum præſcripto vivebant? an quæ ſapientum illorum imperio parebant? an quæ Brachmanibus totæ conſtabant, vt oppida quædam Leuitarum erant apud poſteros Iſraelis?

Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus.

Vir ſummus Cl. Salmaſius Exerc. Pl. p. 700 hæſitat, an forſan Πανδαῖοι, *Pandæi* in Herodoto legendum ſit, quaſi a Pandæa, Herculis filia (de qua Arrianus Indic. cap. IX) genus duxerint. Plinius lib. VI cap. XX *Ab illis gens Pandæ, ſola Indorum regnata feminis. Vnam Herculi ſexus eius genitam ferunt, ob idque gratiorem præcipuo regno donatam.* Nihil vero de Herodoti lectione dubito, quia ipſe Salmaſius fatetur, Tibullum ab Herodoto ſumſiſſe, quod verſus etiam præcedens non dubie videtur confirmare. *Padæos* ergo in Herodoto Tibullus legit, cui Pandæ vel Pandæi ad metrum nihil attuliſſent.

SECTIO II.

INDIA EXTRA GANGEM.

XXXIV.

De hac pauca, & fere ſolius Ptolemæi fide adferemus. Terminatur ab occaſu Gange: a ſeptemtrione Scythia: ab ortu Sinarum regione: a meridie mari Indico. A Gange eſt itaque incipiendum, de quo Artemidorus apud Strabonem lib. XV p. 494 tradit, *ex Emodis montibus ad auſtrum deferri: & quum ad Gangem vrbem peruenerit, conuerti ad ortum vsque Palibothra atque oſtia.* Sed hæc inflexio eſt contra notitiam noſtrorum temporum. Oſtium non vnum eſt, vt Strabo cenſuit; verum ſex Ptolemæus diſtincte numerauit, multa etiam recentiores habent. Diximus ſupra, quod maxime in occaſum ſolis recedat, Ptolemæum vocare *os Cambuſum:* alterum, *os Magnum:* dein *os Camberichum*, & alia dicta *Tilogrammum* oſtium; *Pſeudoſtomum*, & *Antiboli* oſtium. Inter oſtia fuit vrbs *Gange* Ptolemæi, diuerſa ab Artemidori Gange modo dicta, ad ſuperiores partes huius fluminis. Vtrimque circa oſtia erant *Gangaridæ*, gens a Gange dicta, quorum qui citra erant, a Plinio *Gangaridæ Calingæ* ſunt cognominati, vt ſupra expoſuimus: ceteri inter oſtia, aut vltra illa & ſupra, ſimpliciter *Gangaridæ*, a Gange, * vt veriſimile eſt: non *Gargaridæ*, vt Dionyſius Perieg. v. 1144; nec *Gandaridæ*, vt Diodorus Siculus lib. II cap. XXXVII adpellauit.

XXXV.

Ab extremo Gangis oſtio in maritimis apud Ptolemæum prima vrbs eſt *Pentapolis*, dein *Baracura* emporium, poſtea *Tocoſannæ* fluuii oſtium. Tum ſequitur *Argentea*, vt dicitur, *regio* (Ἀργυρᾶ χώρα) in eaque *Sambra* & *Sada* oppida cum fluuio *Sado:* poſt quem *Berabonna* emporium, *Temala* oppidum & amnis. Succedit *Biſyngetorum* regio, qui anthropophagi erant, ſuper *ſinum Sarabacum*, dictum a *Saraba* (interpretes *Sabara*) primo eiusdem oppido: quod *Beſynga* emporium, [ſiue *Babyſenga*] excipit; hoc, *Beraba* oppidum.

XXXVI.

Hinc in meridiem procurrit Χρυσῆ Χερσόνησος, AVREA CHERSONESVS, in

(Bbb bb) 2

* Sic nominantur ab Iſidoro quoque Orig. IX cap. 2. *Gangaridæ*, inquit, *populi ſunt inter Aſſyrios Indosque inhabitantes circa Gangem fluuium. Vnde etiam* GANGARIDAE *nuncupati ſunt.*

in qua ad occidentale latus *Tacola* emporium, & fluuius *Chryſoana:* in auſtrali angulo *Sabana* promontorium: in latere orientali promontorium, quod dicitur Μαλαίȣ κῶλον, *Malæi colon:* item *Coli* & *Perimula* oppida. In hac Aurea Cherſoneſo multi putant *Ophir* Salomonis inueniri, quod in ea abundant omnia, quæ Salomo ex Ophir accepiſſe dicitur: quos non leviter Ioſephus lib. VIII cap. II iuuat, hanc nauigationem factam dicens εἰς τὴν πάλαι μὲν Σωφίραν, νῦν δὲ Φρυσῆν γῆν καλȣμένην, τῆς Ινδικῆς ἐςιν αὔτη, *in regionem Indiæ, olim Sophiram, nunc Auream terram nominatam:* quaſi χρυσῆν γῆν adpellauerit, quam non admodum longo poſt tempore Ptolemæus dixit χρησῆν χερσόνησον, *Auream Cherſoneſum.* Hieronymus in Locis etiam ad Indiam refert, ſed dicit inſulam, quod tamen etiam, vt alibi, de pæninſula intelligi poteſt. Huic opinioni aduerſantur ſummi viri Lucas Holſtenius & Samuel Bochartus. Ille, ad Græcorum interpretum & Ioſephi nomen Σωφειρὰ ſiue Σωφίρα reſpiciens, in *Supara* Ptolemæi quærit, oppido citerioris Indiæ ad ſinum Barygazenum, longitudine non maiore, quam Indi habent oſtia. Sed de oppidi illius obſcuritate ſupra diximus. Bochartus Ophir eſſe *Taprobanam* inſulam contendit, quæ nunc Zeilan vocatur, Taprobanæ nomen deducens ex פרון, quod etiam *Provan* legi poſſit, idque hauſit ex 2 Paralip. III, 6, vbi זהב פרוים *aurum Parvaim* laudatur. Præponit ex coniectura חף *litus*, vt *Taprobanæ* nomen habeat. Sed meræ diuinationes ſunt, quæ de *Ophir* diſputantur: nec poſteriores opiniones habent, quod primæ iuſtis de cauſſis præferatur. Longiſſime disiunctum a Palæſtina aut Arabico ſinu Ophiram fuiſſe, ex longinquitate temporis, quod huic itineri ſacra hiſtoria definit, manifeſtum eſt. Nec vero diſplicet, quod Bochartus inter Ophir Indicum & Arabicum diſtinguit, quia *aurum Ophir*, cuius mentio Iobi XXII, 24 & XXVIII, 16 eſt, pro temporum illorum ruditate de auro Indico non poteſt commode intelligi: * vt Ophir ſit aurifera regio tam Arabiæ Felicis, quam extremæ Indiæ.

XXXVII.

Poſt Cherſoneſum eſt Ληςῶν χώρα, *Leſtarum*, id eſt prædonum & piratarum regio, quam *Sobannus* fluuius ſecat, citra quem *Samarande* & *Pagraſa:* trans eum, *Pithonobaſte* emporium, *Zaba* oppidum. Tum ſequitur *Sinus Magnus* Ptolemæi, in quo ſunt *Balonga* & *Corgatha* metropoles, inter quas *Throana* oppidum, & *Doanæ* oſtia: poſt Corgatham *Sinda* & *Pagraſa* oppida, *Dorius* & *Serus* flumina. Atque hic finit Ptolemæus maritimam Indiæ oram, quæ extra Gangem cenſetur.

XXXVIII.

Mediterranea ſunt incertiora. Montes quosdam nominat, *Mæandrum* ſupra ſinum Gangeticum: & *Sepyrum*, & *Damaſum*, qui in ſeptemtrionem ad Emodos montes excurrunt, & *Semanthinos* montes, ab oriente obiectos. Sub Mæandro *Triglypton* regia: *Toſole* & *Tugma* metropoles.

Supra

* Ad aurum exquirendum numquam rudes fuerunt homines. Atque aurum orientis ſemper admirationi fuiſſe, iam ex Moſis conſtat Geneſ. II, 11. Neque liber Iobi vlla inſcitiæ & rudium temporum veſtigia habet. Immo quo antiquior eſt Iobus, eo plus nouiſſe videtur rerum orientalium, qui cognati inter ſe de ſtatu ſuo communicare diligenter ſolent.

Supra argenteam regionem, in maritimis expoſitam, eſt quæ *Aurea regio* adpellatur, inter Gangeticum & Magnum ſinum. Inter *Dorium* & *Serum* *Chalcitis* regio, a metallis dicta. In populis ſunt ad ſeptemtrionem *Tacoræi, Corancali, Indaprathæ, Cacobæ:* in media regione *Iberingæ, Dabaſæ.* Sed ſatis ſit obſcurorum nominum.

SECTIO III.

SINARVM REGIO.

XXXIX.

Sinæ vltimi Ptolemæo in Oriente, poſt Sinum Magnum, in meridiem vergentes, & nequaquam cum Chinenſibus ſiue Tzinenſibus noſtris confundendi: * quamuis ad Sericam vſque in ſeptemtrionem excurrant. Vltra Sinas ab ortu & meridie fatetur Ptolemæus eſſe γῆν ἄγνωςον, *terram incognitam:* ab occaſu autem Indos extra Gangem, quibus hoc loco vt appendicem adiungimus, quamquam Ptolemæus ſeparatim lib. VII ſingulari capite III de illis egerit.

XL.

Partem Sinus Magni accolunt, in quo ab Indiæ fine eſt *Aſpithra,* oppidum & eodem nomine fluuius, a Semanthinis montibus decurrens. Deinde meridiem verſus in litore ſunt *Bramma* oppidum; *Ambaſti* oſtia: *Rabana* oppidum; *Seni* fluuii oſtia. Circa æquatorem circulum (nam vltra etiam extendit) *Ichthyophagos Æthiopes* ponit: & trans æquatorem *Cotiarem* fluuium; *Catigaram,* ὅρμον Σινῶν, *Sinarum ſtationem.*

XLI.

In mediterraneis *Acadra* ſiue *Acathra* eſt, ad ſeptemtriones: in auſtrali parte ac trans æquatorem *Coccoranagora:* dein *Thinæ,* Θῖναι Ptolemæo, at Periplo Erythræi Θῖνα, *Thina,* metropolis: & tandem *Saraga* oppidum. Plura Ptolemæus de Sinis non poſuit; cetera relinquens terris incognitis. Ideoque Marcianus Heracleota p. II πρὸς τὴν ἕω καὶ τὰς ἀνατολὰς τȣ̃ ἡλίȣ μέχρι Σινῶν τȣ̃ ἔθνȣς, ὅπερ ἐπὶ τέλει τῆς οἰκȣμένης τυγχάνει κείμενον κατὰ τὴν πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς ἄγνωςον γῆν, *ad orientem ſoliſque exortum vſque ad Sinarum gentem, quæ ad extrema orbis habitabilis habitat iuxta terram orientalem incognitam.*

SECTIO IV.

INSVLAE IN MARI INDICO.

XLII.

Ptolemæus inſulas citerioris Indiæ ſiue inter Indi & Gangis oſtia has habet: In ſinu Κάνθει, *Canthi* [Pal. Κανθίκω, *Canthico*] vna eſt *Barace:* inde vſque in ſinum Colchicum, *Milizigeris, Heptaneſia, Peperina, Tricadira, Trineſia, Leuce, Panigeris:* & in ſinu Argarico *Cory* inſula; poſt quam ſub Tynæ oſtiis *Suſuara.* Arrianus ad Indi oſtia memorat *Cillutam* inſulam: niſi in ipſo oſtio fuit. Tradit enim lib. VI cap. XIX, Indos Alexandro dixiſſe, hanc ὁρμιςέα εἶναι αὐτῷ κατὰ τὸν πλȣ̃ν τὸν ἐς τὴν θάλασσαν, *aditum in Oceanum ei præbituram.*

* *Sinas* eſſe *Siamenſes* putat Iſaacus Voſſius differt. de ætate mundi c. 12 p. 279 & c. 11 p. 276.

XLIII.

Omnium autem nobiliſſima eſt inſula TAPROBANE, amplior omnibus in hoc mari, a Ptolemæo inter Colchicum & Argaricum ſinus poſita. Varie de illa tradiderunt veteres, & quidam continenti terræ propiorem dixerunt, * vt Ptolemæi etiam poſitio eſt; quidam viginti dierum nauigatione inde remouent, vt Strabo refert lib. XV p. 475: quidam etiam, an inſula eſſet, nec potius initium orbis alterius, dubitauerunt. Pomponius enim Mela lib. III cap. VII *Taprobane, aut grandis admodum inſula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur: ſed quia habitatur, nec quisquam circummeaſſe traditur, prope verum eſt.* Sed tamen plerique, qui ante Melam ſcripſerunt, indubitanter inſulam adpellant, quod iam circumnauigatam fuiſſe, aut intus circa litora plene cognitam, oſtendit. Periegeta Dionyſius, quem ſub Auguſto ſcripſiſſe doctiores nunc conſentiunt, verſ. 952

- - - - μεγάλην ἐπὶ νήσοιο ἵκοιο
Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Auieni Feſti verſione verſ. 777 redditur

Inſula Taprobane gignit tætros elephantos.

Et Strabo lib. II pag. 89 ἐν τῇ νοτιωτάτῃ θαλάττῃ πρόκειται τῆς Ἰνδικῆς νῆσος οὐκ ἐλάττων τῆς Βρεττανικῆς, ἡ Ταπροβάνη, *in mari maxime auſtrino ſita eſt ante Indiam inſula Taprobana, non minor quam Britannia.* Plinius poſterior quidem, ſed de ætate ſcribens Alexandri, libri VI cap. XXII *Taprobanem alterum orbem terrarum eſſe diu exiſtimatum eſt, Antichthonum adpellatione. Vt liqueret inſulam eſſe, Alexandri ætas resque præſtitere.*

2. Sic inſulam eſſe in Indico mari, & magnam ac felicem, ab antiquis etiam eſt cognitum: certiora autem vix prius fuere adlata, quam Taprobanenſes legati ad Claudium venerunt Cæſarem: de qua Plinius dicto loco ſubiicit: *Hactenus a priſcis memorata: nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit, legatis etiam ex inſula aduectis. Id accidit hoc modo: Annii Plocami, qui maris rubri vectigal a fiſco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans, aquilonibus raptus præter Carmaniam,* XV *die Hippuros portum eius inuectus, hoſpitali regis clementia ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea narrauit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum in auditis iuſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in captiua pecunia, quum diuerſæ imagines indicarent a pluribus factos. Et hoc maxime ſollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, principe eorum Rachia. Ex iis cognitum* D *eſſe oppida, portum contra meridiem adpoſitum oppido Palæſimundo, omnium ibi clariſſimo, ac regia* CC *millium plebis. Stagnum intus Megisba,* CCCLXXV *mill. paſſuum ambitu, inſulas pabuli fertiles complexum. Ex eo duos amnes erumpere, Palæſimundum, iuxta oppidum eiusdem nominis influentem in portum tribus alueis, quinque ſtadiorum arctiſſimo, quindecim ampliſſimo: alterum ad ſeptemtriones Indiamque verſum, Cidara nomine. Proximum*

* P. Oroſius Hiſtor. I cap. 2 *Aſia ad mediam frontem orientis habet in oceano Eoo oſtia fluminis Gangis, a ſiniſtra promontorium Caligasdamna, cui ſubiacet ad eurum inſula Taprobane.* Et poſt pauca: *Inſula Taprobane habet decem ciuitates.*

ximum eſſe Indiæ promontorium, quod vocetur Coliacum, quatridui nauigatione, medio in curſu Solis inſula occurrente.

3. Si vera hi narrarunt, putaſſes, ex eo tempore opinionum varietatem ceſſauiſſe: Ptolemæus autem, qui copioſe de hac inſula ſcripſit, * in plerisque in diuerſum iit. Vix quatridui nauigatione, ſed breuiori ſpatio ab Indiæ promontorio, quod *Cory* & *Colligicum* [Κῶρυ ἄκρον τὸ καὶ Κολλίγικον] vocatur, quod ipſum Plinii eſt *Coliacum*, disiungit. Separat illud duos ſinus, Colchicum, ab emporio adiacente dictum; & Argaricum. Deinde quamuis longiſſimam faciat & vltra æquatorem extendat; tamen vix triginta oppida recenſet. Et ſane largior vero numerus videtur quingentorum. Nihil quoque de magno lacu *Megisba* habet, duos magnos fluvios effundente: & quamuis inſulam πάλαι Σιμοῦνδου, *olim Simundi* inſulam dictam tradat, quod coniunxerunt alii; *Palæſimundi* legentes; tamen nec portum Palæſimundum, nec fluuium eius nominis nouit. Nec etiam *Hippuros* portum, in quam Annius Plocamus inuectus fuerat, in Ptolemæi inſula reperire licet.

4. Quæ diuerſitas in cauſſa eſt, vt doctiſſimi quidam viri dubitauerint, an eadem inſula Taprobane ſit Plinii ac Ptolemæi. Et quum plerique hodie in Zeilan Taprobanen quærant, fuerunt clariſſimo nomine viri, qui Sumatram, quod non omnia inſulæ Zeilan conuenirent, putarint veterem Taprobanam fuiſſe. Sed minus credibile eſt, Romanos aut Alexandrinos etiam mercatores in Sumatram vsque nauigaſſe, ideoque doctisſimus quisque, quorum tres nominatim laudaſſe ſufficiat, Salmaſius, Bochartus, Iſaacus Voſſius, in Zeilan adquieſcunt. Sane non eſt quod dubitemus, quin Ptolemæi Taprobane ſit, quæ hodie Zeilan adpellatur, quod ſitus vtrimque bene conuenit, licet in eo errauerit Ptolemæus, quod nimis in auſtrum & vltra æquatorem extendat.

5. Nomen non vnum fuit inſulæ: *Taprobane* præ ceteris nobilitatum: aliud *Palæſimundi* inſula: aliud & poſtremum veteribus *Salice*, vnde incolæ etiam *Salæ*. Sic Ptolemæus: ſic ex eo Heracleota Marcianus, qui explanatius, ἡ Ταπροβάνη νῆσος πρότερον μὲν ἐκαλεῖτο Παλαισιμούνδου, νῦν δὲ Σαλική. *Taprobane inſula prius quidem vocabatur Palæſimundi* [inſula] *nunc vero Salice.* De ſuo addidit πρότερον, *prius*, quod in Ptolemæo non legitur. Nec omnes in hoc ordine denominationis, quaſi vetuſtius Palæſimundi nomen quam Taprobanæ ſit, conſentiunt. Arrianus Erythræi Periplo p. 35 refert, Palæſimundi inſulam παρὰ ἀρχαίοις, *a veteribus* dictam Taprobanam: quod etiam noſtræ ætatis clariſſimis quibusdam viris placet.

6. At doctiſſimus vir, de Ætate & Auctore huius Peripli Diſſertatione, *Palæſimundi* inſulam a Taprobane ſeiungit atque ſeparat, & plane aliam cenſet eſſe, ſitam inter oſtia Nunagunæ fluminis, quorum priora *Goaris* & *Binda* a Ptolemæo adpellentur; quia *Hippocura* eius tractus videatur Plinii portus *Hippuri* eſſe, & nauigantibus in ortum, Gangem verſus, ipſa ſit πρὸς τὴν δύσιν, *ad occaſum*, vt auctor Peripli Erythræi maris de Palæſimundi inſula

* Aelianus item de Animal. XVI cap. 17 multa habet de Taprobane.

inſula adnotauit: & quæ aliæ viri clariſſimi coniecturæ ſunt. Quod vero idem Peripli auctor dixit εἰς πέλαγος ἔκκειται, *in alto ſitam eſſe*, vt interpres vertit: & Taprobane, quæ eadem auctori eſt, aliquot dierum nauigatione a continente diſtare fertur; minus probabilis illa opinio videtur, præſertim quod ne minimum quidem veſtigium in illo tractu apud Ptolemævm aut alium ſit, vnde nomen *Palæſimundi* vel regionis vel fluminis vel oppidi poſſis coniicere: nec ad Hippocuram vel portus vel emporii ſignum, vt in aliis ſolitus eſt, adiecit.

7. Tandem Ptolemæi Taprobanes, qualiſcumque fuit, & quam longe extenſa, excerpemus potiora oppida, portus ac promontoria. In ſummo ſeptemtrione promontorium eſt *Boreum*, Βόρειον ἄκρον, Indiæ promontorio Colligico ſiue Cory oppoſitum. Inde in litore occidentali ſunt *Margana* & *Iogana* oppida, *Anarismundi* promontorium, ſiue *Andraſimundi*; deinde *Soana* fluuius; *Priapius* portus; Διὸς ἄκρα, *Iouis promontorium*; Πρασώδης κόλπος, *Praſodes* ſinus; *Nubarta*. In auſtrali latere *Azani* oſtia, *Odoca*, ὄδωκα, oppidum; Ορνέων ἄκρα, *Auium promontorium*: Δάνα, *Dana* ſeu *Dagana*, oppidum Lunæ ſacrum; *Dionyſi* oppidum & promontorium; *Cetæum* promontorium. In orientali litore *Mordi* portus; Solis portus, *Procuri* oppidum, *Rhizola* portus; *Ganges* fluuius; *Spatana* portus; vnde in ſeptemtrionem poſt duo oppida reflexio, vbi *Moduti* emporium, & proprius Boreo promontorio Ταλακῶρι, *Talacori* emporium. In mediterraneis *Anurogrammum* regia, & *Maagrammum* metropolis, vtrumque vergens in ſeptemtrionem.

XLIV.

Inſula *Solis* Plinii diuerſa eſt ab altera, quæ ſub Gedroſia vel Carmamania ponitur ab aliis: & ſi in Taprobane conciliari Plinius Ptolemæo poteſt, forte eadem eſt inſula, quam *Cory* Ptolemæus dixit. Præterea in Gangetico ſinu Ptolemæo eſt inſula *Bazacata*; & longe hinc in auſtrum ſub ipſo æquatore Αγαθȣ̃ δαίμονος, *Bonæ fortunæ* inſula: ſub Sinu Magno contra Sinarum regionem *Satyrorum tres inſulæ*: & hinc in meridiem *Iabadii* inſula aurifera, metropolim habens, quæ Αργυρῆ, *Argentea* vocatur. Nugatur Stephanus, quando in Ἄργυρα metropolim hanc ad Taprobanen refert. Ex Ptolemæo enim hauſit, ſed in inſulæ nomine falſus eſt.

XLV.

Plinius lib. VI cap. XXI *Extra oſtium Indi, Chryſe, & Argyre, fertiles metallis* [inſulæ] *vt credo.* Et Pomponius Mela lib. III cap. VII *Ad Tamum inſula eſt Chryſe; ad Gangen, Argyre: altera aurei ſoli (ita veteres tradidere) altera argentei: atque ita, vt maxime videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula eſt.* Vtique fabulis, quam veræ rei, hæ inſulæ ſimiliores, quod vel ex ſitus, quem tribuunt auctores, varietate & inconſtantia adparet. Vbi *Tamos* promontorium Melæ? aut quorſum illud *extra Indi oſtium* pertingit? Periplo Erythræi maris p. 36 κατ' αὐτὸν τὸν ποταμὸν [Γάγγην] νῆσός ἐστιν ὠκεάνιος, ἐσχάτη τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν τῆς οἰκȣμένης, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον, καλȣμένη χρυσῆ, *Prope hunc ipſum fluuium* [Gangem] *inſula eſt in Oceano ſita, extrema partium, quæ ad orientem ſunt, ſub ipſum*

ſolis


Septentrio
SCYTHIA
ET
SERICA
OCEANUS HYPERBOREUS SIVE SCYTHICUS
TERRA INCOGNITA
TERRA OLIM INCOGNITA
Sycbi
Sycbi montes
Anthropophagi
Hyperborei montes
Mologeni
Saſones
Alanimontes
Sammitæ
Zaretæ
Tabeini
Galactophagi
Scythæ
Anarei
Anareimontes
Imaus mons
Abii Scythæ
Annibi
Annibi montes
Sinus Oceani Orientalis
SCYTHIA
INTRA IMAVM
Tybiacæ
Iaſtæ
Aſpiſii
Aſpiſii montes
Machageni
Rhymnici montes
Tapurei
Tapuri montes
Hippophagi
Sizyges
Occidens
Oriens
Coraxi
Norossus M.
Orosbes
Norossi
Rha fl.
Rhymnicus fl.
Orgaſi
Iotæ seu Aſiotæ
Daix fl.
Aorſi
Iaxartæ
Alcatancæ
Aſcatancas mons
Imaus
SCYTHIA EXTRA IMAVM
Auzacii montes
Damna
Damnæ
Oechardes fl.
Bautes fl.
TERRA INCOGNITA
Iaxartes fl.
Ariacæ
Alexandria Vltima
Maſſagetæ Ptol.
Auzacia
Piada
Oechardæ
Aſmiræa
Throana
Iastus fl.
SOGDIANA
Petra Sogdiana
Cyreſchata
Gaza
Dahæ
Iſſedon Scythica
SERICA
Iſſedones
MARE CASPIVM ſiue HYRCANVM
Polytimetus fl.
Maracanda
Sacæ Ptol.
Caſia regio
Oechardes fl.
Iſſedon Serica
Caſii montes
Panda
Gaba
Alexandria
Maſſagetæ
Gangis fons
Chætæ
Paliana
Aſpacara
Droſache
Sera metropolis
Cambyses fl.
Cyrus fl.
Amardus fl.
Straton fl.
Charindas fl.
Hyrcania
Oxus fl.
Bactra
Margiana
Indi fontes
Sœta
Thogara
Orſana
Abragana
Chaurana
Ottorocorrha
Daxata
MEDIA
Margus
Ochus fl.
Bactriana
Imaus
mons
Indus
Emodus mons
Bautes fl.
Solana
Sericus mons
Meridies
80
75
70
65
60
55
50
45
40
35

ſolis ortum, Chryſe dicta, id eſt Aurea. Ex his adparet, Chryſen, veterum inſulam, non aliam ab Aurea cherſoneſo eſſe, etiam Salmaſio in Solinum iudice p. 701, licet vagi quidam in ſede illius inuenienda errauerint. nam ſequuta ætas pæninſulam deprehendit, quam veteres pro inſula habuere. Diuerſa vero eſt ἤπειρος χρυσῆ, *Aurea continens* eiusdem Peripli, etiam ἐσχάτη, *extrema* ad orientem, & περὶ αὐτὸν, *circa idem flumen*, Gangem puta, poſita.

CAPVT XXIV
DE
SCYTHIA.

I.

SCythæ, nomen omnium populorum ſeptemtrionalium, Aſiæ maxime. * nam licet etiam in Europa Scythæ fuerint, & Plinius lib. III cap. XXVI cum Dardanis, Triballis, Mœſis, Thracibus etiam *Ponto conterminos Scythas* coniungat, illi tamen ſæpius *Getæ* vocantur, ** aut aliis & amplioribus locis *Sarmatæ:* *** Aſiatici plerumque *Scythæ.* Pomponius lib. III cap. IV *Sarmatiam* Germaniæ coniungit, Viſula amne diſcretam: mox cap. V ſubdit: *Inde Aſiæ confinia, niſi vbi perpetuæ niues ſedent & intolerabilis rigor, Scythici populi incolunt.* Nec vero *Scythicum* nomen penitus a citerioribus illis remouendum eſt. Plinius lib. IV cap. XII *Scytharum nomen vsquequaque tranſit in Sarmatas atque Germanos.* Contra in Aſiam etiam *Sarmatarum* nomen pertranſiit, ſed tantummodo in partes eius citeriores. Scylax principio Aſiæ: Ἀπὸ Ταναΐδος δὲ ποταμοῦ ἄρχεται ἡ Ἀσία· πρῶτον ἔθνος αὐτῆς ἐστιν ἐν τῷ Πόντῳ Σαυρομάται. *Poſt Tanaim fluuium incipit Aſia, & prima eius gens in Ponto eſt Sauromatarum.* Sauromatæ autem ſunt *Sarmatæ*, ſola diſtincti dialecto. Plinius ibidem: *alias Sarmatæ, Græcis Sauromatæ.*

II.

Nobis vero nunc *Scythia Aſiatica* curæ eſt, quæ a Bosporo Cimmerio, Mæoti palude, Tanai fluuio incipit, & inter Oceanum ſeptemtrionalem ac Pontum Euxinum, mare Hyrcanum, Iaxartem fluuium, Indicos montes, in extremum orientem ad Seres vsque, aut per illos etiam, procurrit. Itaque fines eius non vbique cogniti, ſed vel Oceanum in ſeptemtrione attingit, vel terram aliquam incognitam: ab ortu, ſi Seres vna includimus, vt Scytharum partem, limes vere ſecundum Ptolemæum terra ἄγνωστος, *incognita.*

III.

Quod igitur longiſſima eſt, in partes tres cum eodem diſpeſcimus, quarum quæ citima eſt, a Mæoti & Tanais oſtio ad Caſpii maris partem & flu-

* *Scythæ* vocabulum Germanicum eſt *Schützen.*

** *Getæ* ex vetuſtiſſimo vocabulo *wetzen*, quod vel *acuere* vel *circumcurſitare* ſignificat. Nam G apud Latinos & Græcos ex W Germanorum factum eſt, vti *Gallia* ex *wallen*, *geuſeti* a *weiſen*, id eſt, mercede conducti, *Germani* a *Wehrmænner.*

*** Sunt enim a *Schaar* & *matzen*, id eſt, *cultris* dicti, vnde Iulii Cæſaris *mattara*, noſtrum *Metzger*, *metzeln*, *Steinmetz* & *Schaarmützel.*

& flumen Rha, nunc Wolga, protenditur, Ptolemæo lib. v cap. ix dicta ἡ ἐν Ἀσίᾳ Σαρματία, *Sarmatia Aſiatica.* Hinc vsque ad Imai montis iuga eſt pars altera, quæ vocatur *Scythia intra Imaum:* & vlterior, *Scythia extra Imaum* montem; cui *Serica* quoque adnectitur.

SECTIO I.
SARMATIA ASIATICA.

IV.

Quæ in hac Sarmatia, ſiue Scythia, iuxta Pontum Euxinum ſunt, ſupra cap. ix cum Colchide, quam contingunt, expoſuimus. Montes ſunt a meridie *Caucaſus*, de quo in Iberia diximus, quam & vicinas regiones ab hac Sarmatia ſeparat. Diſtinctas in eo *Pylas*, id eſt anguſtos tranſitus, tamquam portas, Ptolemæus notauit, quarum alias, quibus in Iberiam itur, vocat *Pylas Sarmaticas*, quæ proprie dicuntur *Portæ Caucaſiæ;* alias *Pylas Albaniæ*, quibus tranſitus in Albaniam patet. Circa has poſteriores *Ceraunii* montes in ſeptemtrionem adſurgunt. Præter Ptolemæum etiam Plinius horum meminit lib. vi cap. vii. *Sunt*, inquit, *qui circa Mæotin ad Ceraunios montes has tradant gentes: a litore Napitas: ſupraque, Eſſedones Colchis iunctos montium cacuminibus.* Sunt & *Hippici* montes, a Cerauniis in occaſum æſtiuum recedentes. Magis in ſeptemtriones ſurgunt *Riphæi* montes, ex Europa per Aſiam continuati. Pomponius lib. i extremo: *Vltra ſurgit mons Rhipæus, vltraque eum iacet ora, quæ ſpectat Oceanum.* Adde initium libri ii. Scribitur vocabulum *Riphæus* vulgo: aliis eſt *Rhipæus*, Græcorum imitatione, quibus ſunt τὰ Ῥίπαια ὄρη. Virgilius Georg. i v. 240

Mundus vt ad Scythiam Rhipæasque arduus arces
Conſurgit.

Supra hos in extremo ſeptemtrione *Hyperborei* montes dicuntur. Ptolemæus lib. v cap. ix δύο ποταμοὶ ἀπὸ τῶν Ὑπερβορείων ὀρέων, *duo amnes a montibus Hyperboreis fluentes.* Sæpius autem gentis Hyperboreorum, quam montium eſt mentio, vt in populis dicturi ſumus. Strabo lib. vii p. 204 tam Rhipæos quam Hyperboreos in dubium vocat, οἱ τὰ Ῥιπαῖα ὄρη καὶ τοὺς Ὑπερβορέους μυθοποιοῦντες, *qui Rhipæos montes, & Hyperboreos* [populos] *comminiſcuntur.* Sed non tam ipſos montes, quam fabulas adfictas videtur negauiſſe. Iſaacus Voſſius in Melæ lib. i extremum etiam negat in ſeptemtrione tam altos montes eſſe. Sed etſi non ſunt altiſſimi, tamen montes ſunt, perpetua niue contecti, & ob id ſatis horrendi: quod etiam de illis, quos *Spizberge* noſtrates vocant, manifeſtum eſt.

V.

Flumina maiora ſunt *Tanais* & *Rha*, quibus Sarmatia hæc includitur. De *Tanai* in Europa dictum, quam terminat ab oriente. Magna flexione in ortum prius, dein in occaſum vertens, in Mæotin lacum infunditur. Alter eſt fluuius *Rha*. Pomponius lib. iii cap. v de Caſpio mari: *Multi in eo ſinu magni paruique amnes fluunt: ſed qui famam habent, ex Ceranniis montibus*

* Diuiſio Scytharum in *Palos* & *Napas* apud Diodorum II pag. 127 minus diuturna fuiſſe videtur, neque omnem Scythiam comprehendiſſe.

montibus vno alueo deſcendit, duobus exit in Caſpium Rha, cetera. Hoc enim nomen, quod perditum erat, Pintianus, Voſſius, Gronouius reſtituerunt. Sed in fonte Mela errat, & in oſtiis: illos geminos habet Ptolemæus, ſed longiſſime diſtantes: hæc non duo, ſed plurima eſſe, recentiorum docet obſeruatio. Non autem hic totus amnis Sarmatiam ab ortu finit, ſed pars inferior, poſt magnam flexionem, qua in auſtrum ad mare Caſpium decurrit: ſuperiores partes, quæ ab occaſu in ortum feruntur, in ipſa Sarmatia continentur. Salmaſio geminus eſt Rha fluuius, ex vno tamen alveo deductus, vnus occidentalis, qui in Mæotin influat; alter orientalis, qui in mare Caſpium deuoluatur. Ptolemæi verbis perſuaſus ita cenſet, ἔςι καὶ ἑτέρα τῦ Ῥᾶ ποταμῦ ἐκβολὴ, πλησιάζυσα τῇ τῦ Τανάϊδος, *Eſt & aliud Rha fluuii oſtium, quod ad illud Tanaidis adpropinquat.* Sed quod nec Tabula vetus ad illum conformata, nec loci natura id capit; malo cum Iſaaco Voſſio in Melam p. 243 ἐπιςροφὴ pro ἐκβολῇ legere, & de reflexione ad Tanaim, vt in Tabula Ptolemæi eſt, interpretari. Rara mentio huius fluminis, etiam magni & vnius: nec facile inuenitur niſi apud Ptolemæum (nam Melæ inditus eſt ingenio & coniectura) quod ex eo adparet eſſe, quia de terris, ſupra Caſpium mare ſitis, plerique veterum nihil certi cognitum habuerunt: alioqui mare illud non ſinum Oceani eſſe credidiſſent. Ammianus tamen lib. XXII cap. XVI *Huic* [Tanai fluuio] *Rha vicinus eſt amnis, in cuius ſuperciliis quædam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vſus multiplices medelarum.* Sed & hoc de inflexu fluuii Rha, quem Ptolemæi tabula refert, propius ad Tanaim accedente, explicari poteſt.

2. Minora flumina vel in Mæoticum lacum infunduntur, vel in mare Caſpium. In Mæotin deuoluitur, ſecundum Ptolemæum, poſt Tanaim *Marabius;* dein *Rhombites maior;* poſt quem *Theophanius:* ſuccedit *Rhombites minor:* a quo proximus eſt *Atticitus:* tum *Pſathis* ſeu *Pſates* ſequitur: tandem eſt *Vardanus* fluuius prope Boſporanos. De ordine dubitatur, etiam Strabone auctore, cui Atticitus, quem *Anticitum* ſeu *Anticiten* vocat, eſt vltimus, vt ſupra cap. IX demonſtrauimus.

3. In Caſpium mare influunt *Soana*, Albaniæ proximus: deinde *Alonta;* tandem *Vdon* propior amni Rha eiusque oſtiis. Qui ex Sarmatia hac cum Tanai vel Rha commiſceantur, nullos memorauit Ptolemæus.

VI.

Populi variorum maxime nominum, ſed obſcuritate laborantium plerorumque: nec ſedes certæ, quia plerique Nomades, vagabundi, Hamaxobii. Ad Mæotin ſunt Mæotidæ, in plures diuiſi gentes, *Iaxamatas, Themæotas, Tirambas, Arichos, Conapſenos* · vltra quos in mediterraneis ponuntur *Siraceni, Pſeſſii, Aſturicani, Zinchi:* & inter Hippicos montes & Rha amnem, *Melanchlæni, Sapothrenæ, Scymnitæ, Amazones:* * nam & hæ, vt aliis multis in locis, etiam in Sarmatia feruntur habitaſſe. ** Inter Hippicos

* Diodorus II pag. 128.

** Qua ſcilicet Mæoti Palude adluitur. Nam non improbabilis eſt Gundlingii coniectura, eas dictas eſſe a Germanico *am* & *Mait* ſeu *Mæoti*, quaſi *Mæotim accolentes* dicas. Sed quod terminationem Græcam *on* a *kony* deriuat, me non habet adſentientem. Vid. Gundling. part. III obſ. III § 3 pag. 276.

picos montes & Ceraunios, *Suani, Saconi.* Inter Ceraunios & Rha *Erinæi, Vali, Serbi, Vdæ:* & ad Caſpium mare *Olondæ, Iſondæ, Gerri:* & inter Caucaſum & Ceraunios *Tuſci, Diduri.* Inter flexus fluminis Rha, *Aſæi, Phthirophagi,* ματηνοὶ, *Mateni, Neſiotis regio:* iuxta ſeptemtrionalem flexum Tanais, *Perierbidi,* & vicini in ortum *Suardeni, Chænides.* Supra hos *Baſiliſcæi,* & *Modacæ:* & tandem in extremo ſeptemtrione *Hyperborei.* Virgilius III Georg. verſ. 381

Talis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni
Gens effrena virûm Rhipæo tunditur euro, cetera.

Pomponius Mela lib. III cap. V *In Aſiatico litore primi Hyperborei ſuper aquilonem Rhipæosque montes ſub ipſo ſiderum cardine iacent.* Plura de his apud Plinium inuenies.

VII.

Oppida perpauca notantur Sarmatiæ. Ad Tanain *Exopolis, Nouaris,* & ad oſtium fluminis vrbs eodem nomine *Tanais.* Ad Mæotin paludem poſt oſtia & vrbem Tanain *Paniardis, Patarue, Azara, Tyrambe, Geraſa, Mapeta.* Intus ad Rhombitem minorem *Azaraba;* ad Pſathin fluuium *Auchis:* ad Vardanum Ptolemæi *Suruba, Coruſia, Saraca:* in monte Corace, qui Caucaſo ab occaſu cohæret ſupra Colchidem, *Abunia, Naſſunia, Almia.* De oppidis & populis ad Pontum Euxinum ſupra cap. IX in Boſporanis actum fuit.

VIII.

Sub Hippico monte Ptolemæus tradit poſitas Ἀλεξάνδρου στήλας, *Alexandri columnas,* qui vero numquam in has regiones venit. Salmaſius coniicit, ad Iaxartem poſuiſſe victoriæ monimenta: quem amnem quod falſo crediderint eſſe Tanain, in Sarmatia quoque ab imperitis aut impoſtoribus columnas fuiſſe erectas; & hanc erroris cauſſam: quamquam illæ propiores ſunt flumini Rha, quam Tanai.

SECTIO II.

SCYTHIA INTRA IMAVM.

IX.

A fluuio Rha quæ vaſta terra ſupra Caſpium mare, & ſupra Iaxartem flumen & Indiæ montes vsque ad Imaum montem procurrit, & vsque ad Oceanum ſeptemtrionalem, ſaltem ad incognitam terram extenſa eſt, Ptolemæus *Scythiam intra Imaum* adpellat. *Imaus* autem citeriorem Indiam a Scythia diſterminat, & inde longiſſimo iugo in ſeptemtrionem procurrens, Scythiæ partem, quæ intra iugum eſt, dirimit ab altera, quæ eſt extra illud.

2. Montes præterea plures a Ptolemæo nominantur: *Rhymmici* montes ſupra Caſpium mare, a quibus amnis *Rhymmus* in id mare decurrit: deinde *Noroſſus* mons, a quo *Daix* amnis defluit, qui ſe Iaxarti miſcet.

3. In ortum magis inclinant *Aſpiſii* montes, qui etiam fluuios, in Iaxartem exeuntes, fundunt, quorum autem nomen non eſt proditum.

4. Vltra hos *Tapuri* montes, qui etiam flumina in Iaxartem mittunt.

tunt. Mendum in Ptolemæo eſt, vbi legitur Σάπυρα, *Sapuri:* nam mox ipſe ὄρη Τάπυρα * vocat, & ab ortu accolentes Ταπυρεῖς, *Tapureos.*

5. In ſeptemtrione ſunt *Alani* montes & *Syebi*, vnde populi etiam nominantur, ſicut a ceteris etiam montibus *Aſpiſii, Noroſſi, Tapurei, Aſcatancæ,* integræ gentes.

X.

De populis quid dicamus, vix certi aliquid habemus. Plinius lib. VI c. XVII *Vltra ſunt Scytharum populi. - - - Multitudo populorum innumera. Celeberrimi eorum Sacæ, Maſſagetæ, Dahæ, Eſſedones, Ariacæ, Rhymmici, Pæſicæ, Amardi, Hiſti, Edones, Camæ, Camacæ, Euchatæ, Cotieri, Antariani, Pialæ; Arimaſpi, antea Cacidari; Aſæi, Oetei.* Ex his Sacas, Maſſagetas, Dahas ſupra cum Sogdiana expoſuimus, neque Ptolemæus eos in ſua Scythia habet.

2. *Pæſicæ* videntur *Paſcæ* Ptolemæi iuxta Oxios montes, lib. VI c. XII.

3. *Hiſti* videntur *Iaſtæ* Ptolemæi eſſe inter Rhymmicos & Aſpiſios montes.

4. *Ariacas* Ptolemæus iuxta Iaxartem mari vicinum ponit, & vt in Tabula eſt, ad ſiniſtram ripam. nam maritimum tractum inter Iaxartis & Oxi oſtia demit Sogdianæ, Scythiæ adſcribit.

5. *Amardi* & Mardi in variis nationibus ſcribuntur. Vox ſonat gentem liberam, aut rebellantem, ſi regi prius paruerat.

6. *Eſſedones*, Ἰσσηδόνες, ab Herodoto ponuntur lib. I cap. CCI ἀντίον, *e regione* Maſſagetarum: Ptolemæus autem Iſſedones in Serica & Scythia extra Imaum locauit. ** Forſan inde orti: poſt migrationibus in citeriores partes venerunt. Plinius lib. IV cap. XII in Europæ Sarmatia cenſuit. *A Buge,* inquit, *ſuper Mæotin Sauromatæ & Eſſedones.*

7. *Arimaſpos* veteres Græci ſcriptores in Scythia Europæa, vt Strabo lib. XI p. 349 refert, poſuerunt. Et ipſe Plinius lib. IV cap. XII inter Mæotin & Riphæos montes poſuit. *Per oram,* inquit, *Tanaim vſque, Mæotæ, a quibus lacus nomen accepit: vltimique a tergo eorum Arimaſpi: mox Riphæi montes.* Ceteros Plinii populos Scytharum ignoramus. *Aſæos* ſupra in Sarmatia Aſiatica vidimus.

XI.

Difficillimum autem ſingulis populis ſedes certas adſignare, quas ipſi forſan non tenuerunt, vagabundi, & ſtudioſi migrationis. Vnde eſt, quod vnius gens originis, & nominis etiam vnius, nunc in Europa, nunc in Aſia; & in hac nunc citeriore, nunc vlteriore cenſeatur. Quod Plinius etiam lib. VI cap. XVII, vbi de Scythis agit, agnouit. *Nec in alia,* inquit, *parte maior auctorum inconſtantia: credo propter innumeras vagasque gentes.* Sic *Alanos* & *Agathyrſos*, quos in Europa demonſtrauimus, a Ptolemæo etiam in Scythia intra Imaum ponuntur. Immo in θέσει illius lib. VI cap. XIV

 ſcri-

* Polyb. V cap. 44 συνάπτει δὲ τοῖς Ταπύρων ὄρεσιν ἃ δὴ τῆς Ὑρκανίας θαλάττης οὐ πολὺ διέστηκε. *Tapyrorum quoque montes, qui non longe abſunt ab Hyrcania, contingit.*

** Herodot. lib. IV cap. 25 etiam ad orientem ponit.

*** Vid. Herodot. IV cap. 27 Diodor. II pag. 127.

ſcriptum eſt: *κατανέμονται ταύτης τῆς Σκυθίας τὴν μὲν πρὸς ἄρκτους πᾶσαν ἐγγὺς τῆς ἀγνώστου οἱ κοινῶς καλούμενοι Ἀλανοὶ Σκύθαι, Colunt autem hanc Scythiam omnem ad ſeptemtriones verſus, ad terram fere incognitam, qui communi vocabulo Alani Scythæ vocantur.* Ioſephus Alanos extra Caucaſum locauit, lib. XVIII cap. VI ſcribens, Iberos Alanis tranſitum per portas Caſpias (*Caucaſias* debuit dicere) vt Artabano bellum inferrent, dediſſe.

XII.

In ſeptemtrione ergo Ptolemæus habet *Alanos, Suſobenos, Agathyrſos:* ſub his *Maſſæos, Syebos;* & iuxta Imaum *Thaces:* ſub hiſce, *Sammitas, Ζαρέτας, Zaretas, Σάσονες, Saſones.* De *Noroſſis, Aſpiſiis, Tapureis, Anareis* diximus ſupra: quæque enim gens ſuos montes accolit, quos denominat.

2. Supra Hyrcanum mare Ptolemæo ſunt amni Rha vicini *Orgaſi:* deinde *Iotæ,* [Tab. *Aſiotæ;*] poſt *Aorſi,* quod nomen alibi diuerſis locis legitur, in Europa ſupra Iſtrum, & in Sarmatia Aſiæ. Plinius lib. VI cap. XI *Averſa eius* [Hæmi] *& in Iſtrum deuexa Mœſi, Getæ, Aorſi, Gaudæ obtinent.* Strabo lib. IX ſub initium: *Νομάδες καὶ Ἁμαξοικοί· ἐνδοτέρω δὲ τούτων Σαρμάται, καὶ οὗτοι Σκύθαι, Ἄορσοι καὶ Σιρακοὶ, μέχρι τῶν Καυκασίων ὀρῶν ἐπὶ μεσημβρίαν τείνοντες, Nomades & in plauſtris habitantes; citra hos Sarmatæ, ipſi quoque Scythæ; Aorſi & Siraci.* Hi videntur Taciti *Adorſi* & *Soraci,* lib. XII cap. XV.

3. Supra Iaxartem erant *Iaxartæ, μέγα ἔθνος, magna gens,* vsque ad flexionem ad Tapuros montes. Alia obſcuriora nomina tacemus, ſicut de oppidis, quæ forſan nulla fuerunt, Ptolemæus tacuit.

SECTIO III.

SCYTHIA EXTRA IMAVM.

XIII.

Scythia hæc Ptolemæo dicta *ἡ ἐκτὸς Ἰμάου ὄρους Σκυθία, Scythia extra Imaum montem,* habet ob occaſu Imaum, a ſeptemtrione terram incognitam, ab ortu Sericam, a meridie Indiam extra Gangem, a qua *Emodis* montibus [Ἠμωδὰ ὄρη Græce] diuiditur, qui poſtea cum Sericis cohærent. Supra hos ſunt *Caſii* montis longa iuga, ab occaſu in ortum & in Sericam procurrentia. Supra Caſios ſunt *Auxacii* montes, oblique in ſeptemtrionem ſiue in æſtiuum ortum conſurgentes: a quibus Tabula *Annibos* montes pari obliquitate in extremum ſeptemtrionem reducit: ſed hi in Seribus oriuntur, vbi etiam Ptolemæus exponit.

XIV.

Fluuius *Oechardus,* ex montibus Auxaciis ortus magno flexu in ſeptemtrionem decurrit.

XV.

Septemtrionales partes ſecundum Ptolemæum tenent *Abii Scythæ.* Sed etiam huius generis nominisque gentes in citerioribus & ad meridiem conuerſis partibus fuere. Curtius lib. VII cap. VI *Legati deinde Abiorum Scytharum ſuperueniunt, liberi, ex quo deceſſerat Cyrus: tum imperata facturi. Iuſtiſſimos barbarorum conſtabat.* Hos oportet haud longe a Maſſagetis coluiſſe, cum quibus Cyrus bella geſſit Scythica: vt ita ad auſtrales partes

partes Scythiæ intra Imaum videantur referendi. De iisdem Ammianus lib. XXIII cap. XXV *Contra hanc gentem* [de Hyrcanis loquutus fuerat & Oxo amne] *ſub aquilone dicuntur Abii verſari, genus piiſſimum, calcare mortalia conſuetum: quos, vt Homerus fabuloſius canit, Iuppiter ab Idæis montibus contuetur.* Homerus autem Iliados N verſ. 6

Γλακτοφάγων Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων,

Lacte veſcentium Abiorum, iuſtiſſimorum hominum.

Hos autem poetæ Abios interpretatur Strabo lib. VII p. 204 de Europæis Sarmatis, Thracum, Baſternarum, & gentium ſuper Iſtrum colentium vicinis: quorum notitia facilior Homero fuit, quam qui in extremo degebant oriente: quod vtique Marcellini ſententiæ præferendum eſt. Tam longe nomen Abiorum vagatur, non minus quam aliorum, quos modo in Europa, modo in Aſia cenſeri diximus.

XVI.

Ceteri extra Imaum populi a Ptolemæo ita ordinantur: Sub Abiis *Hyppophagi Scythæ:* poſt quos *Auxacitis* extenditur regio; & ſub hac regio *Caſia:* poſt quam *Achaſa* regio: & ſub hac iuxta Emodos montes *Charauni Scythæ.*

XVII.

Oppida quoque idem notauit quatuor. Primum eſt *Auxacia* in Auxacitide: dein *Iſſedon Scythica* ſub Auxacio monte, ab altera eiusdem nominis in Seribus, diſtinguenda. Tertia vrbs *Chaurana,* in gente cognomine: quarta, Σοῖτα, *Sœta* ad Emodos montes.

SECTIO IV.

SERICA SEV SERVM REGIO.

XVIII.

Serica, ἡ Σηρικὴ Ptolemæo, adnectitur Scythiæ, cui adiacet: etiam ab auctore veteris tabulæ, ad Ptolemæi mentem compoſitæ, coniungitur cum Scythia extra Imaum. Gens Σῆρες, *Seres* præſtantiſſimi lanificii ſtudioſa. Terminos poſuit idem ab occaſu Scythiam extra Imaum: a ſeptemtrione & ortu terram incognitam: a meridie partem Indiæ extra Gangem. Hæc certior eius poſitio a Ptolemæo deſcripta: ſecundum quam Chinæ ſeptemtrionali ſeu Cathay fere reſpondet: alii, vt in Scythis, ita etiam in Seribus locandis mire variarunt: plerique tamen in oriente ſedem illorum poſuerunt. Horatius lib. I oda XII

- - *ſubiectos orientis oris*
Seras & Indos.

Pomponius ad Ptolemæi poſitionem accedit propius lib. I cap. II. *Primos,* inquit, *hominum accepimus ab oriente Indos, Seres, Scythas. Seres media ferme Eoæ partis incolunt, Indi & Scythæ vltima.* Sed Seres potius vltima, quia vltra Scythas, veteribus cognitos, ſedem habent: forte etiam vltra Indos, ſi Sinas ab iis diſtinguimus.

XIX.

Studium illorum Plinius deſcripſit lib. VI cap. XVII. *Primi,* inquit, *ſunt hominum, qui noſcantur, Seres, lanicio ſiluarum nobiles, perfuſam aqua depecte-*

depectentes frondium canitiem: vnde geminus feminis noſtris labor redordiendi fila, rurſumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona transluceat. Ad hunc modum etiam Virgilius Georg. II verſ. 121

Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres. *

XX.

Emodos montes a meridie habent, qui continuati vocantur *Serici.* Iidem dicuntur etiam mons *Ottorocorrhas.* Caſii montes ex Scythia etiam in Sericam percurrunt: nec non *Annibi* ex eadem montes ad ſeptemtriones attingunt. Gemino flumine rigatur, *Oecharda* [Pal. οἰχάρδυς, forte οἰχάρδης legendum, vnde etiam in Scythia eſt οἰχάρδυ πηγή] qui ex Scythia decurrit: & altero *Bauta*, Βαύτης recto caſu. Vterque in ſeptemtrionem fertur ad incognitam veteribus terram, &, quod recens exploratum, eoi maris ſinui infunduntur.

XXI.

Serum maxime ſeptemtrionalia colit gens *Anthropophagorum:* ſub quibus *Annibi*, a montibus ſuis denominati: inter quos & Auxacios montes ſunt *Sizyges:* ſub quibus *Damnæ:* & *Oechardæ* gens ad flumen eiusdem nominis: inter fluuios *Aſmiræa* regio ad montes *Aſmiræos:* & hinc in occaſum *Iſſedones*, magna gens, Ισσήδονες μέγα ἔθνος: ſub iis *Aſpacaræ* & *Batæ:* & maxime auſtrales iuxta Emodos & Sericos montes *Ottorocorrhæ*, quod nomen & montis eſt cum Emodo connexi, & aliter *Serici* adpellati.

XXII.

Mirum in vltima hac gente plura oppida a Ptolemæo enumerari, quum Scytharum fuerint pauciſſima: vt olim quoque Seres cultiores fuiſſe videantur. Vrbs *Damna* in Damnarum gente ſub monte Auxacio, ad fines Scythiæ extra Imaum: *Aſmiræa* in gente Aſmiræorum ad montes eiusdem nominis: & prope Caſios montes *Iſſedon Serica*, alia ab Iſſedone Scythica, ſupra in Scythis monſtrata. In ortum hinc *Throana* in Throanis populo, ad extremum montium Aſmiræorum. Circa Caſios montes etiam *Aſpacara, Droſache*, & *Thogara:* a qua in ortum *Daxata:* & vlterior *Sera* metropolis, Σῆρα μητρόπολις; quam quidem idem Ptolemæus lib. I cap. XI Sinarum dixit metropolim, μέχρι Σήρας τῆς τῶν Σινῶν μητροπόλεως, *ad Seram vsque, quæ Sinarum eſt metropolis;* verum niſi mendum ſubeſt, & Σηρῶν, *Serum* legendum, vicinitati tribuatur, quia prope abeſt a ſeptemtrionali limite Sinarum. Tandem in auſtrali plaga, non longe ab Emodis & Sericis montibus ſunt *Oroſana*, ad occaſum verſus; *Solana* in ortum: media *Ottorocorrha*, prope montes huius nominis.

Ammianus Marcellinus lib. XXIII cap. XXVIII etiam Serum regionem deſcripſit, & quædam gentium ac oppidorum nomina ex Ptolemæo hauſit, in ſitu autem longiſſime aberrat, quod ex eo adparet, quum ſubiicit: *Ariani viuunt poſt Seras, boreæ obnoxii flatibus.* Ariani autem ſunt citra Indiam, vt ſupra demonſtrauimus.

NOTI-

* *Seres* μακρόβιοι fuerunt, vt qui trecentos annos attingerent. Lucian. de Macrobiis p. 467.

NOTITIAE ORBIS ANTIQVI

LIBER IV DE AFRICA.

AFrica, quæ Græce Λιβύη, *Libya* eſt, tertia orbis terrarum pars, in quantum veteribus fuit cognita, nunc nobis explicanda eſt. Inter Europam & Africam mediterraneum mare; etiam inter hanc & Aſiam ex parte ſe infundit: vbi autem terminus ſit Aſiæ Africæque, magna antiquorum eſt diſſenſio. Salluſtius Iugurthino cap. XVII *Africa fines habet ab ortu ſolis decliuem altitudinem: quem locum Catabathmum incolæ adpellant.* Et Pomponius Mela lib. I cap. VIII *Catabathmos vallis deuexa in Aegyptum, finit Africam.* Sed ſupra lib. I cap. XI demonſtrauimus, quam hæc ſit incommoda diſterminatio, quia tota Aegyptus, etiam Marmarica ad Aſiam ita reuocabuntur, quod contra plurimorum ſententiam eſt; etiam contra naturam καταβάθμου, qui breuior eſt, quam vt totam Africam ſeparare poſſit ab Aſia.

2. Plures Nilo diſcernunt vtrumque continentem maiorem, id eſt Africam & Aſiam. Strabo lib. II pag. 87 ἔςι ἡ Λιβύη μέχρι τοῦ Νείλου ῥύσεως, *Africa eſt vsque ad Nili fluentum:* quod etiam Dionyſius verſu 18 tuetur, Aſiæ auſtralem terminum (nam ſeptemtrionem verſus Helleſpontus eſt & flumen Tanais) ςόμα Νείλου, *oſtium Nili* conſtituens. Et Plinius lib. III cap. I *Termini* [Aſiæ] *amnes, Tanais & Nilus.* Sed huic ſententiæ Herodotus lib. II cap. XVI opponit, ſic Delta, Aegypti nobiliſſimam regionem, neque in Aſia neque in Africa fore. Ceterum ipſe Aegyptum ibidem diuidit & partem Africæ, partem Aſiæ, Nilo interlabente, adſcribit: quod vero etiam incongruens videtur, antiquiſſimam & pæne primam gentem in diuerſis ita orbis continentibus collocare.

3. Fuerunt etiam qui in Alexandrina vrbe hunc terminum conſtituerent. Hirtius de Alexandrino Bello cap. XIV *Erant inter duas claſſes vada transitu anguſto, quæ pertinent ad regionem Africæ: ſic enim prædicant, partem eſſe Alexandriæ dimidiam Africæ.* * Itaque non poteſt pars altera non eſſe Aſiæ; atque ita neque Nilus neque Catabathmus erit terminus, quia inter vtrumque ſita eſt Alexandria. Si vero vel maxime in vrbe aut iuxta eam eſſet aliquid, quod a natura diſcriminis loco conſtitutum videretur; quid vero reliquam Aegyptum, quid omnem Africam ab Aſia ſeparabit?

* Adde P. Oroſ. I hiſt. cap. 2.

4. Pro-

4. Proinde tutior commodiorque ſententia recentiorum eſt, quæ, naturam rerum ſequuta, in Arabico ſinu, & inde ad mediterraneum mare ducto iſthmo terminum communem Aſiæ Africæque conſtituunt: quæ nec ipſis antiquis ignota ſententia fuit. Ipſe enim Strabo lib. I pag. 24 οἱ χαριέστεροι τῶν διαιρούντων τὴν Ασίαν ἀπὸ τῆς Λιβύης, ὅρον εὐφυέστερον ἡγοῦνται τοῦτον τῶν ἠπείρων ἀμφοῖν τὸν κόλπον ἢ τὸν Νεῖλον, *Probatiores eorum, qui Aſiam ab Africa diuidunt, terminum naturæ conuenientiorem putant ſinum* [Arabicum] *eſſe, quam Nilum:* non excluſo iſthmo, quem ipſe ſub finem huius libri μεταξὺ τῆς ἐρυθρᾶς καὶ τοῦ ἐκρήγματος, *inter Rubrum mare & ecregma*, ſeu effuſionem mediterranei circa Sirbonidis lacum, conſtituit. Quod præter alios & Agathemerus lib. II cap. II tuetur: Χωρίζεται καὶ ἡ Ασία τῆς Λιβύης ἰσθμῷ στενῷ. τοῦτον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ Πηλούσιον θαλάσσης ἐπὶ τὸν μυχὸν ἀνιοῦσα τοῦ Αραβίου κόλπου γραμμή. *Diuiditur*, inquit, *Aſia ab Africa anguſto iſthmo, quem ducta a mari prope Peluſium ad intimam ſinus Arabici partem linea deſignat.* Etiam Ptolemæus totam Aegyptum & vtramque Nili ripam vsque ad ſinum & iſthmum in Africa cenſuit lib. IV cap. V.

II.

De nominibus Africæ addendum, quod Stephanus ex Polyhiſtore adfert, χώραν πολυώνυμον, *regionem multis nominibus inſignitam eſſe*, quæ ita recenſentur: γῆ Ολυμπία, Ωκεανία, Εσχατία, Κορυφὴ, Εσπερία, Ορτυγία, Αμμωνὶς, Αἰθιοπία, Κυρήνη, Οφίουσα, Λιβύη, Κηφηνία, Αερία, *Terra Olympia, Oceania, Eſchatia* ſiue Extrema, *Coryphe, Heſperia, Ortygia, Ammonis, Aethiopia, Cyrene, Ophiuſa, Libya, Cephenia, Aëria.* Sed quis non videt, totum cum partibus confundi, quia quotquot ex his notæ ſunt, particulares ſunt regiones, non tota Africa. Certum id eſt de Ammonide, Aethiopia, Cyrene: nec dubium de *Oceania*, quæ ad Oceanum ſitam regionem ſonat, Lactantio etiam in MSS. dicta lib. I cap. XI extremo: nec non *Eſchatia* vltimam regionem notat, licet incertum ſit, in quam plagam mundi deuergat: *Heſperia* autem eſt pars occidentalis: *Coryphe*, montana, forte vbi Atlas eſt: *Libya* poteſt propria eſſe, Latinis etiam ita dicta. Atque ita de ceteris etiam vocabulis, quæ ignota ſunt, videtur iudicandum.

III.

Quod vero ex Aſia in Africam ad explicandum progrediendum nobis eſt; contra ordinem geographiæ, qui ab occaſu in ortum tendit, procedemus, ab Aegypto, quæ contigua eſt Aſiæ, per maris oram ituri in Mauretaniam: & inde ad interiora deflexuri, quousque cognita veteribus fuerunt.

CAPVT I
DE
A E G Y P T O.

I.

AEgyptus, Αἴγυπτος, Ebr. מצרים *Mizraim*, a Noæ nepote, Hami filio, qui primus incoluit, ita Ebræis nominata. Palæſtinæ ad auſtrum ſubiacet,

cet, vt notum: Arabiæ ad occaſum. Quibus vero terminis contineatur, non conuenitur inter auctores. Iones, vt Herodotus lib. II cap. XV refert, ſolam regionem Nili alueis iam multiplicatis comprehenſam, quam Delta vocant, Aegyptum adpellauerunt. Contra Strabo lib. XVII pag. 549 *Commoditas loci plenius poteſt conſpici, ſi quis regionem peragret, ac primo maritimam oram a Catabathmo incipiens,* μέχρι δεῦρο γάρ ἐϛιν ἡ Αἴγυπτος, *nam eo vsque* [ad Catabathmum] *Aegyptus pertinet.* Catabathmum intelligit maiorem, quia proxime ſubdit: ἡ δ' ἑξῆς ἐϛὶ Κυρηναία, *deinceps eſt Cyrenaica:* & mox, inde recurſum in Aegyptum deſcribens, *a Catabathmo,* inquit, *Parætonium vsque recta nauigatione eſt curſus ſtadiorum* ↀ CCCC. Sic vero nimis amplificatur Aegyptus, & omnis Marmarica & Ammonis includeretur, quas ceteri extra Aegyptum omnes conſtituunt. Ipſe vero paullo ante pag. 544 fatetur, non eſſe hæc omnia veram & propriam Aegyptum, ſed adiectam & a quibusdam ſuperadditam. οἱ δ' ὕϛερον μέχρι νῦν προσέλαβον - - - ἐν τῇ παραλίᾳ τὰ ἀπὸ τοῦ Κανωβικοῦ ϛόματος μέχρι Καταβαθμοῦ καὶ τῆς Κυρηναίων ἐπικρατείας, *poſteriores autem ad hoc vsque tempus adſumſerunt in maritima ora quidquid a Canobico oſtio ad Catabathmum & Cyrenæorum regionem eſt.* Verum adiectæ denominationis cauſſa non alia eſt, niſi creſcens Aegyptiorum potentia, qua vero diſcrimen inter Aegyptum ipſam & imperium Aegyptiorum regum, ſeu Lagidarum, minime ſublatum eſt. Id vero ad rem eſt propius, quod ibidem dicit, ἐκ τῶν πρὸς ἕω μερῶν μεταξὺ τοῦ Ἀραβίου κόλπου καὶ τοῦ Νείλου σχεδόν τι πάντα, *ex parte orientis fere omnia, quæ inter ſinum Arabicum & Nilum ſunt,* adſumta ad Aegyptum fuiſſe: quia alio referri non poſſunt, nec Aethiopes χρῶνται τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ, *mari rubro,* ſiue Arabico ſinu, *vtuntur.*

2. Ptolemæus quidem lib. IV cap. V Marmaricam, Libyam & Aegyptum vna tractatione complectitur, ſingularum vero partium fines, oppida, nomina ſeorſum & ſeparatim exponit, nec Aegypti nomen ad ſuperiores illas extendit. Marmaricam a Cyrenaicæ oppido Darnide incipit, & ad Panormum vsque qui ante Catabathmum magnum eſt, producit: inde ad Glaucum vſque, promontorium quidquid ſub mari & intus ſitum eſt, Libyam adpellat: poſt quam Mareotin nomon habet, in eoque Plinthinen oppidum ad mare: qui primus veræ Aegypti eſt, quem ipſa vrbs Alexandria, caput Aegypti, ſequitur proxime. Plinius quidem Mareotin nomon ab Aegypto ſeparat & Libyæ contribuit, lib. V cap. VI dicens, *Quæ ſequitur regio, Mareotis Libya adpellatur, Aegypto contermina;* quod vero a lacu, qui vicinus admodum Alexandriæ eſt, nomen habet, nec longe ab illa vrbe in occaſum ex Ptolemæi finitione recedit; commodius in Aegypto, quam in Libya cenſetur. Quid? quod Athanaſius Apologia II p. 781 Μαρεῶτις χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐϛὶν, *Mareotis regio Alexandriæ eſt.* *

3. Hinc ſi ſub mari per Nili oſtia ad orientalem limitem proceditur, partim ille ad Arabiam, partim ad Palæſtinæ oram, nec tamen certus & in-

* Herodotus lib. II cap. 6 a Plinthine ad Selbonida λίμνην, Aegyptum pertinere dicit. Add. lib. II c. 18, 19, vbi Aegyptum ait patere, qua Nilus effundatur.

dubitatus inuenitur. Ptolemæus poſt Delta & Nili oſtia regionem Aegypto addit, quæ a monte Caſio Κασσιῶτις, *Caſiotis*, quamuis ipſe geminata littera ſcripſit, adpellata eſt: in qua præter montem, & quæ inædificata ſunt, lacum Sirbonidem cum ecregmate eius, dein oppida Oſtracinen, Rhinocoruram, & Anthedonem recenſet: a qua demum Iudææ facit initium. At ſupra Rhinocoruram & Anthedonem Palæſtinæ vindicauimus, Strabonis & Hieronymi auctoritate, immo ipſius S. Scripturæ, perſuaſi, quæ Aegypti fluuium, qui Sihor eſt, terminum Palæſtinæ ſeu terræ Chanaan facit, cui quod ad dextram ripam Rhinocorura, quæ etiam Rhinocolura dicitur, adpoſita fuit, non potuit illa in Palæſtinam non incidere: etiam Anthedon & Raphia, quæ vltra illam in ſeptemtrionem verſus ſita erant. Vltimam ergo Palæſtinæ Rhinocoluram facimus, Strabonem, Hieronymum & ipſam ſacram ſcripturam ſequuti: primam Aegypti in maritima ora, Oſtracinen.

4. Arabiam verſus vrbs vltima Aegyptiorum eſt Heroopolis, in intimo receſſu Arabici ſinus poſita: a qua quæ proximæ ſunt ad idem mare, Phara & Elana, ad Arabiam Petræam pertinent: etiam ſuperiora, Gubba, Eluſa, Eboda iuxta ſolitudinem Zur, quæ pars eiusdem eſt Arabiæ. In ceteris, quæ hinc ſequuntur, partibus, ſinus ipſe Arabicus ab ortu limes eſt certiſſimus.

5. Terminus Aegypti auſtralis Aethiopiam ſpectat, in quo extrema Aegyptiacæ ditionis oppida ſunt Syene ſub Cancri tropico poſita: & vltra paullo Elephantine ac Philæ. Plinius lib. V cap. IX *Ditionis Aegypti eſſe incipit a fine Aethiopiæ Syene: ita vocatur pæninſula mille paſſuum ambitu, in qua Caſtra ſunt, latere Arabiæ.* Et Tacitus annali II cap. LXI *Elephantinen ac Syenen clauſtra Romani imperii* vocat: & Lucanus lib. X verſ. 312

Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni clauſtra Philæ.

Arabum dicit, non Aethiopum, ex Iubæ ſententia apud Plinium lib. VI cap. XXIX, *accolas Nili a Syene non Aethiopum populos, ſed Arabum eſſe vsque Meroen.* Forſan ortum habuere ab Arabibus.

6. Quod Strabo lib. XVII pag. 544 obſeruauit, οἱ μὲν ἀρχαῖοι τὸ οἰκούμενον καὶ ποτιζόμενον ὑπὸ τοῦ Νείλου μόνον Αἴγυπτον ἐκάλουν, *priſci id ſolum Aegyptum vocauerunt, quod habitatur & a Nilo irrigatur, a locis Syenæ proximis vsque ad mare.* * Vtramque Nili ripam intelligit, ad quem maxime colitur Aegyptus. Vnde laterum non minus quam riparum diſcrimen notatur, quorum alterum *Africæ* dicitur, ſeu *Libyæ*, alterum *Arabiæ*. Plinius iam dicto loco: *Syene vocatur pæninſula mille paſſuum ambitu, in qua Caſtra ſunt, latere Arabiæ.* Et interiectis paucis: *inter Memphin & Arſinoiten nomon in Libyco turres, quæ pyramides vocantur.* In Libyco, id eſt Africano latere.

II.

Diuiditur Aegyptus in tres partes, *Delta, Heptanomidem* & *Thebaidem:* ab

* Vid. notam ad § II ex Herodoto.


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARE MEDITERRANEUM
Sinus Syrticus
Syrtis Maior
CYRENAICA ſiue PENTAPOLIS
Horti Heſperidum
Cyrene
Apollonia
Barce
Berenice
Automala
Herculis cumuli arenoſi
Apotimatæ
MARMARICA
Marmaridæ
Catabathmus magnus
Catabathmus paruus
Ammonis Oraculum
Fons Solis
Nomus Ammoniacus
Adyrmachidæ
Mareotis
Alexandria
Pharus
Canopus
DELTA
Pelusium
Rhinocolura
PALÆSTINÆ PARS
Sirbonis palus
ARABIA PETRÆA
Heroopolis
Memphis
Pyramides
Arſinoe
Labyrinthus
Moeridis lac.
HEPTANOMIS
Oaſis parua
Oaſitæ Nomi
Oaſis magna
AEGYPTUS
THEBAIS
Thebæ quæ et Dioſpolis
Syene
Elephantine
Berenice
ARABIAE FELICIS PARS
SINUS ARABICUS
Macæ Cinyphii
Cinyps
CINYPS REGIO Vddita
Naſamones
Pſylli
Velpi Montes
Augila
LIBYA DESERTA
Anagombri montes
Tropicus Cancri
Blemmyes
Garamantes
Garama
AETHIOPIAE LIMES
Philæ
Cataractes minor
Cataractes maior
Napata
Catadupæ
Colobi
Ichthyophagi
Troglodytæ
AETHIOPIA SUPRA AEGYPTUM
Nilus Flu.
Meroe Inſula
Aſtaboras Flu.
Eleii ſeu Rhizophagi
Adulis
NUBARUM REGIO
AEGYPTUS ET CYRENAICA

ab aliis in duas, *Superiorem* & *Inferiorem*, ratione fluminis labentis ita dictas. Priorem diuiſionem Ptolemæus tradidit lib. IV cap. V. cui ferme Strabo conſentit, excepto numero partis mediæ. Lib. XVII enim poſt initium ait: ἡ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε, δέκα μὲν ἡ Θηβαΐς, δέκα δ' ἡ ἐν τῷ Δέλτα, ἑκκαίδεκα δ' ἡ μεταξύ. *Regio ipſa primo in præfecturas diuiſa fuit, quas Nomos vocant: Thebais quidem in decem: quæ vero in Delta, in totidem: intermedia autem in ſedecim.* Sed alios nomos, qui circa Delta, & qui extra proprium Aegypti limitem ſunt, videtur pro media parte connumeraſſe, vt ſedecim, ſi ſalua lectio eſt, haberet, vbi ſeptem ſunt Ptolemæo.

2. Alterius diuiſionis exemplum habet Sozomenus lib. II cap. XXIII, vbi in Thebaidem dicitur veniſſe, qui Arſenium perquireret; nec vero ibi inuentum eſſe, quia præmoniti de aduentu inquirentis, μετέστησαν τοῦτον εἰς τὴν κάτω Αἴγυπτον, *eum in inferiorem Aegyptum transportauerunt.* Hæc Thebaidi potiſſimum opponitur, tamquam *ſuperiori:* Delta autem, & quæ adiacent ad latera, Aegyptus ſunt *inferior*, quem tractum Ptolemæus vocat τὴν κάτω χώραν, *inferiorem regionem*, & tam Heptanomidi, quam Thebaidi opponit. τὰ δὲ μεσημβρινώτερα τοῦ μεγάλου Δέλτα, καὶ τῆς κάτω χώρας, καλεῖται Ἑπτανομὶς, *quæ*, inquit, *auſtraliora ſunt magno Delta & inferiori regione, vocantur Heptanomis.* Sic itaque ſeptem nomi, ſeu Heptanomis, ad Superiorem Aegyptum referentur: vt tamen proprie Thebais ſit ſuperior Aegyptus; ideo poſt paullo Ptolemæus, τὰ ἔτι μεσημβρινώτερα τῶν Ἑπτανομιῶν καλεῖται Θηβαῒς καὶ ἄνω τόποι, *Quæ auſtraliora Heptanomis ſunt, vocantur Thebais & ſuperiora loca.*

3. Eſt autem νομὸς, *nomus* in Aegypto idem quod præfectura, Plinio interprete lib. V cap. IX. *Diuiditur*, inquit, *in præfecturas oppidorum, quas nomos vocant.* Clarius Cyrillus Alexandrinus in Eſa. cap. XIX Νομὸς δὲ λέγεται παρὰ τοῖς τὴν Αἰγυπτίων οἰκοῦσι χώραν, ἑκάστη πόλις, καὶ αἱ περιοικίδες αὐτῆς, καὶ αἱ ὑπ' αὐτῇ κῶμαι. *Nomi vocantur apud Aegyptios quælibet vrbs cum vicis & pagis circumiectis.* Quod nomen tam Latine quam Græce * vſurpatum fuit. Traianus ex Plinio lib. X epiſt. XXIII quærit, iatralipta eius, cui ciuitatem Alexandrinam petierat, *ex quo nomo ſit.* Reſpondit ille epiſt. V, eſſe νομοῦ Μεμφιτικοῦ. Vix autem certus nomorum numerus eſt, & Strabo aliter, Ptolemæus itidem aliter; nec Plinius ſecundum illorum rationes præfecturas ſuas recenſuit. Ex imperantium enim arbitrio pendet, plures vel pauciores præfecturas conſtituere, easque in has vel illas

 diſtri-

* Theophraſtus de Plantis IV cap. 3. Porphyrius de Abſtinentia libr. IV cap. 9 pag. 154. Euſebius Præparat. Euangel. III cap. 4 pag. 94 ex Chæremone: Καὶ μέρος τι τῆς Αἰγύπτου, ὃ καλοῦσι νομόν. *Et pars quædam Aegypti, quam NOMON adpellant.* De Nomis videndus etiam Herodotus II cap. 165. Philoſtratus Vita Apollon. V cap. 27 pag. 210. Ibi enim diſerte in νομοὺς diſpertitam eſſe Aegyptum contendit Herodotus. Qui idem tamen etiam Aſiam minorem, etiam maiorem in νομοὺς deſcriptam a Perſis dictitat libr. III c. 90 & ſqq. Et illi quidem νομοὶ conſtabant nationibus multis. Primus enim νομὸς coaluerat ex Ionibus, Magnetibus, Aeolibus, Caribus, Lyciis, Milyenſibus. Adde, ſis, cetera, longiora, quam quæ hic memorari poſſint. Νόμον adpellat Dio libr. XXXVI pag. 28 regionem Cappadocicam, cui adtributa ſit Nicopolis.

diſtribuere prouincias ſeu regiones. Verbi gratia in Thebaide Strabo decem nomos numerauit: Plinius vndecim: Ptolemæus tredecim. Et ſic quoque fit in ceteris Aegypti partibus. Quare non tam de numero nomorum, quam ipſis ciuitatibus ſolliciti ſumus, initium facturi ab inferioribus partibus, quæ prope mare mediterraneum ſunt, non modo in Delta, verum vtrimque etiam ad latera ipſius, id eſt a Marmaricæ finibus ad Palæſtinam & Arabiam.

P A R S I.

AEGYPTVS INFERIOR.

III.

Inferioris Aegypti pars præcipua eſt regio inter Nili alueos & oſtia ſita, quæ a triquetra figura vocatur *Delta*, * quia eadem forma huius litteræ eſt. Ab occaſu adiacet princeps vrbium *Alexandria* & *Mareotis* regio: a dextra ſeu ortu ſolis *Caſiotis* regio cum nomis quibusdam Arabiam ſpectantibus. Diſſonant auctores in termino Aegypti ab occaſu conſtituendo. Strabo, vt ſupra vidimus, ad Cyrenaicam vsque produxit, quod minime placet, quia plures regiones, ab Aegypto diſtinctæ, interiacent, Marmarica, Libya, Ammoniaca. Igitur *Mareotin*, Alexandriæ contiguam, extremam Aegypti regionem, intra minorem Catabathmum poſitam, ſtatuimus, vnde initium expoſitionis ab occidente, & in litore primum, facturi ſumus.

PARTIS I SECTIO I.

MAREOTES SEV MAREOTIS.

IV.

Vtroque ſexu dicitur ὁ μαρεώτης νομὸς, *Nomos Mareotes:* & ἡ Μαρεῶτις γῆ, aut λίμνη, *Mareotis regio* aut *palus.* Ptolemæus: Μαρεώτȣ νόμȣ πόλεις καὶ κῶμαι, *Mareotæ nomi vrbes & vici.* Athanaſius Apologia aduerſus Arianos ſect. XVII οἱ τȣ̃ Μαρεώτȣ πρεσβύτεροι πάντες, *omnes Mareotæ* [nomi] *presbyteri:* & mox, μήτε ἐν τῷ Μαρεώτῃ ἀπομείναντες, *neque in Mareote manentes.* Et eiusdem Apologiæ ſect. LXXXV ὁ Μαρεώτης, καθὰ προεῖπον, χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐςὶ, καὶ ȣ̓δέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν ἐπίσκοπος, ȣ̓δὲ χωρεπίσκοπος, ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται, ἕκαςος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίςας, καὶ ἀριθμῷ δέκα πȣ καὶ πλέονας. *Mareotes, vt ſupra dictum eſt, regio eſt Alexandrina, in qua numquam epiſcopus fuit, nec chorepiſcopus; ſed vniuerſæ regionis iſtius eccleſiæ Alexandrino parent epiſcopo: presbyteri autem ſinguli ſuos vicos habent maximos, decem circiter aut plures numero.* Plinius lib. V cap. IX videtur etiam nomon *Mareotim* feminea forma dixiſſe. Poſtquam enim, quos regio

* Nonnullis videtur hæc Aegyptus eſſe *opus fluminis Nili*, vt Ariſtoteles vocat Meteorolog. I cap. 14. Legatur totum caput, præſertim de Memphi & Thebe. Item Herodot. II cap. 5. Adde notam Grotii ad Cæſaris Germanici Arat. Phænom. verſ. 234. Sed alii rectius negant, quorum rationes vide apud Bochartum in Phaleg IV c. 24 p. 295, 296.

gio iuxta Peluſium, & reliqua extra Thebaidem *nomos* habeat, recenſuerat & poſtremo *Naucraliten, Meteliten, Gynæcopoliten, Menelaiten Alexandriæ regione* commemorarat, ſubdit hæc: *Item Libyæ Mareotis: Heracleopolites eſt in inſula Nili.* Antea cap. VI ad *regionis* vocabulum refert: *Quæ ſequitur regio, Mareotis Libya adpellatur, Aegypto contermina.* nam ſupra diximus, hunc tractum ab Aegypto ſeparare, quod propter Alexandriæ vicinitatem incongruens nobis videbatur. An vero in omnibus finibus Mareotes Ptolemæi & Athanaſii conueniant, non certum nobis eſt dicere. mutantur enim præfecturarum limites cum tempore: ſatis eſt, ſi conueniant in pluribus.

2. Litoralem tractum Mareotidis incipit Ptolemæus vico, qui Χειμῶ, *Chimo* vocatur. Hunc ſequitur Πλινθίνη, *Plinthine*, quam Strabo, vt Aldus, Xylander, & Caſaubonus ediderant, Πλινθύνη, *Plinthyne* ſcripſit. Sed etiam Stephanus per iota ſcripſit, Πλινθίνη πόλις τῆς Αἰγυπτίας, ἀπὸ τῆς Σαμαρείας, *Plinthine, vrbs Aegyptiæ* [terræ] *a Samaria.* Manifeſta prauatio, quam ſic reſtituit Caſaubonus in Athenæi lib. I pag. 74 Πλινθίνη πόλις τις Αἰγυπτία, ἀπὸ τῆς ἐν Σαμαρείᾳ, quaſi Stephanus putarit a לבנה *Libna*, quæ laterem ſonet, nomen petitum eſſe; quæ vero vrbs Iudææ fuit, non Samariæ. Probabilior eſt Voſſii ad Scylacem coniectura, legentis, ἀπὸ Μαρείας, *a Mareia* lacu. Nobis ſatis eſt, nomen per iota ſcribi, & oppidum Aegypto accenſeri. Etiam Ioſephus lib. IV cap. XXXVII de Bello, Πλινθίνη per iota ſcripſit: ἀπὸ Πλινθίνης ἀνάπλους εἰς Πηλούσιον, *a Plinthine in Peluſium nauigatio.* Ab hoc oppido ſinus, cui adiacet, cognominatur. Herodotus lib. II cap. VI *Longitudo Aegypti iuxta mare eſt* ἀπὸ τοῦ Πλινθηνήτεω κόλπου μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, *a Plinthenete ſinu ad lacum Serbonidem.* Videtur verum nomen Πλινθινίτης eſſe, aut alia forma Πλινθινὸς κόλπος, vt Scylacis veſtigia in Libya oſtendunt.

3. Inde Alexandriam verſus eſt Ptolemæi Χερσόνησος μικρὰ, λιμήν, *Cherſoneſus parua, portus,* ſeu portum habens. Hanc etiam Strabo Cherſoneſum memorat, Φρούριον, *caſtellum* dicens LXX ſtadiis ab Alexandria remotum. Χεῤῥόνησος Φρούριον, inquit pag. 550, πλησίον ἤδη τῆς Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς Νεκροπόλεως ἐν ἑβδομήκοντα σταδίοις, *Cherſoneſus caſtellum ab Alexandria & Necropoli diſtans ſtadia ſeptuaginta.* Et Hirtius B. Alexandr. cap. X. *Quum ad eum locum acccediſſet, qui adpellatur Cherrhoneſus;* quæ ipſa Ptolemæi & Strabonis Cherſoneſus eſt. Hanc inter & Plinthinem Strabo *Niciæ portum* interpoſuit. Ptolemæo poſt Cherſoneſum eſt Alexandria, caput Aegypti, de qua poſtea dicturi ſumus.

4. Intus ſupra Alexandriam lacus eſt *Mareia* ſiue *Mareotis* dictus, qui inſtar maris Alexandrinis eſt, ideo πέλαγος, *mare* a Strabone adpellatus. Libro enim XVII pag. 545 de Alexandriæ loco ſcripſit, ἀμφίκλυστόν ἐστι τὸ χωρίον δυσὶ πελάγεσι, τὸ μὲν ἀπὸ τῶν ἄρκτων τῷ Αἰγυπτίῳ λεγομένῳ, τὸ δ' ἀπὸ μεσημβρίας τῷ τῆς λίμνης τῆς Μαρείας, ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται. *Duo maria locum vndique adluunt, alterum a ſeptemtrione, quod Aegyptium dicitur: alterum a meridie, quod Mareia lacus & Mareotis adpellatur.* Hunc lacum

ait

ait augeri foſſis ex Nilo, tam a latere quam a locis ſuperioribus, vt vndique in eum ex Aegypto nauigari poſſit: quo fiat, vt Alexandrinorum portus, quem in hoc lacu habent, πλουσιώτερος τοῦ θαλαττίου, *opulentior, quam marinus*, ſit. Plinius de eodem lacu lib. v cap. x *Mareotis lacus a meridiana vrbis parte, euripo e Canopico oſtio mittitur mediterraneo commercio, inſulas quoque plures amplexus, triginta millia paſſuum traiectu*, CL *ambitu, vt tradit Claudius Cæſar. Alii ſchœnos in longitudinem patere* XL *faciunt, ſchœnumque ſtadia triginta: ita fieri longitudinis* CL *millia paſſuum; tantumdem & latitudinis.* Strabo autem p. 550 latitudinem lacus Μαρείας dicit ſupra centum & quinquaginta ſtadia eſſe; longitudinem intra trecenta, ſiue vt ipſe loquitur, ἐλαττόνων ἢ τριακοσίων. Circumiacentis agri præſtantiſſimum vinum eſt, quod *Mareoticum* vocatur, laudatum a Strabone dicto loco: de quo & Virgilius II Georg. 91

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ:

vbi Seruius *Aegyptiæ* interpretatur. Et Horatius de Cleopatra eiusque inſanis cum Antonio conuiuiis lib. I oda XXXVII

Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar.

Idem lacus etiam nomen regioni *Mareotidi*, ſeu nomo *Mareotæ* dedit.

5. Vici & oppida mediterranea *Mareotarum* (ſic Plinius vocat circumcolas) apud Ptolemæum ſunt omnia ab occidentali lacus latere, *Monocaminum*, & *Cobii*, Κωβίου, puta vicus ſiue villa, longiſſime a lacu: medio loco *Almyræ* mare verſus; *Hierax*, & in auſtrum recedens Ἀντιφίλου, *Antiphili*: propius lacum Ταπόσιρις, *Taposiris*; Straboni Ταπόσειρις, qui duplicem facit, quarum altera longius recedit. Procopius lib. VI κτισμάτων cap. I Ταφόσιρις, *Taphoſiris* ſcripſit, quod ibi Oſirin, Aegyptiorum deum, ταφῆναι *ſepultum eſſe* perhibeant. Vnius diei itinere ab Alexandria dicit abeſſe. πόλιν vero, *vrbem* vocat, non nudum τάφος aut ſepulcrum; quam Iuſtinianus poſtea ornauerit. Supra Taposirin prope lacum Φωμωθὶς, *Phomotis* erat. Addit Ptolemæus ab auſtro lacus Παλαιμαρίαν κώμην, *Palæmariam vicum*, quaſi *vetus Maria* ſiue *Marea* dicatur. Poſſes putare eſſe Herodoti *Maream*, de qua ille lib. II c. XVIII οἱ δὴ ἐκ Μαρέης τε πόλιος καὶ Ἄπιος, οἰκέοντες Αἰγύπτου τὰ πρόσουρα Λιβύῃ, *qui ex vrbe Marea & Api incolunt Aegypti fines, Libyam verſus*, ἔξω τοῦ Δέλτα, *extra Delta*. Sed quod oraculum ipſis reſpondit, Nilo irrigari, & ex Nilo bibere, dubitatur eumdem locum eſſe, quia Ptolemæi *Maria vetus* a Nilo longius remota eſt. Nihilominus ad lacum eiusdem nominis oppidum fuit, de quo etiam Thucydides lib. I pag. 68 *Inaros Pſammetichi, Libys*, βασιλεὺς Λιβύων τῶν πρὸς Αἰγύπτῳ, ὁρμώμενος ἐκ Μαρείας τῆς ὑπὲρ Φάρου πόλεως, *rex Libyum Aegypto finitimorum, ex vrbe Marea, quæ ſuper Pharum ſita eſt, profectus*, cetera. Qua clariſſ. Vaillantus nummum Antonini Pii, ſignatum ΜΑΡΕΩΤΩΝ, *Mareotarum*, refert, qui vero de gente potius & nomo, quam de vrbe, olim forte euerſa, (neque enim geographis nota eſt) explicandus videtur.

PARTIS I. SECTIO II.

ALEXANDRINA REGIO CVM VRBE ET OPPIDIS.

V.

Mareoti regione expoſita, tractum ingredimur, qui inter lacum Maream ſeu Mareotim, & extremum Nili oſtium, quod Canopicum & Heracleoticum adpellatur, poſitus eſt, antequam in ipſum Delta & ad Nili alveos ac oſtia nos conſeramus. Ptolemæus lib. IV cap. V de alueis & oſtiis Nili: καλεῖται δὲ κοινῶς ἡ περὶ τούτους τοὺς ποταμοὺς χώρα κάτω, ἧς νομοί τε καὶ μητροπόλεις αἵδε. Ἀπὸ μὲν δύσεως τοῦ μεγάλου ποταμοῦ ἀπὸ θαλάσσης ἀρχομένων Ἀλεξανδρέων χώρας νομός καὶ μητρόπολις Ἑρμούπολις μικρά. *Vocatur autem communi vocabulo, quæ circa hos fluuios regio eſt, Inferior, cuius nomi & metropoles hæ ſunt: Ab occaſu magni fluuii, quum a mari incipimus, regionis Alexandrinorum nomos eſt, & metropolis Mercurii ciuitas parua ſeu Hermopolis parua.* Non facile inueneris Alexandrinum nomon apud vllum ſcriptorem: neque hoc loco Ptolemæus ita adpellauit, ſed Ἀλεξανδρέων χώρας νομὸς, *Alexandrinorum regionis nomos*, in qua Hermopolin præcipuum oppidum conſtituit. Alexandriam autem eximunt a nomis, tamquam caput omnium nomorum. Nobis vero liceat paullo longius in auſtrum proferre regionem, vt & alios quosdam nomos, inter lacum & extremum Nili alueum ſitos comprehendat, nihilque relinquat quod extra Delta ab occaſu ſit.

2. Incipimus ab *Alexandria*, * totius Aegypti vrbe principe, & ſede regum Lagidarum, omniumque Græcarum artium & diſciplinarum, nec non mercaturæ opulentiſſimæ. ** De origine vrbis & conditore res nota eſt ex ſcriptoribus rerum Alexandri, Diodoro, Curtio, Plutarcho, Arriano. *** Plinius de illa lib. V cap. X *Iure laudetur in litore Aegyptii maris Alexandria, a Magno Alexandro condita, in Africæ parte, ab oſtio Canopico* XII *millia paſſuum, iuxta Mareotim lacum, qui locus antea Rhacotes nominabatur. Metatus eſt eam Dinochares architectus pluribus modis memorabili ingenio,* XV *M. paſſuum laxitate inſeſſa, ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato lacinioſam, dextra læuaque anguloſo procurſu: iam tum tamen quinta ſitus parte regiæ dicata.* Quæ de chlamydis effigie dixit, etiam ſic a Diodoro lib. XVII cap. LII, & Plutarcho in Vita Alexandri p. 679 referuntur. Ioſephus lib. II de Bello cap. XXVIII vrbis longitudinem facit triginta ſtadiorum: latitudinem non minorem, quam decem. Multa de hac vrbe Hirtius Alexandrino bello ſub initium, eiusque ſolo, ædificiis, aquæductibus refert, quæ inde repetere noſtri non eſt inſtituti: regia, a ſingulis ferme regibus aucta & nouis ampliata ornamentis in parte vrbis amœniſſima,

* Dicebatur a curioſis vulgo χρυσῆ, vt Nicomedia περικαλλής. Athenæus I p. 20 C.

** Vid. Oroſius VI cap. 19 pag. 473, vbi Alexandrinis opibus Romæ pretia poſſeſſionum duplicata füiſſe dicit.

*** Ammian. Marcellino XXII.

niſſima, quæ mare ſpectat, collocata fuit, & in partes diuiſa ſeu membra, quorum aliquod Μȣσεῖον, *Muſeum* dictum, quod peripatum & exhedram habuit: aliud Σῶμα, *Soma*, in quo regia ſepulcra erant: de quibus & aliis Strabo conſulatur. Portu vrbs gemino vtebatur. vno in mari ad Pharon inſulam, eoque amplo, & in plures poſtea diuiſo: altero in lacu Mareoti, quem ſupra ex Strabone ditiorem, quam illum in mari, diximus. Vetus nomen loci antea, vt modo Plinius referebat, *Rhacotes* fuit, quod etiam Strabo p. 545 confirmat. Priſcos dicit reges, infenſos peregrinis adnauigantibus, Græcis maxime, hunc locum præſidio muniuiſſe, quo aduenas arcerent, quum alibi litus importuoſum ſit: ex quo tempore vicus fuerit, nondum oppidum. κατοικίαν δ' ἀυτοῖς ἔδοσαν τὴν προσαγορευομένην Ρακῶτιν, ἣ νῦν μὲν τῆς Αλεξανδρέων πόλεως ἐςὶ μέρος τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων· τότε δὲ κώμη ὑπῆρχε, *habitandam*, inquit, *illis* [præſidiariis reges] *dederunt Rhacotin, vt vocabatur, quæ nunc pars eſt Alexandriæ, naualibus imminens; tunc autem vicus erat.* Ipſa Alexandria, quod Ioſephus extremo lib. IV de Bello teſtatus eſt, μεγίςη ȣ̉σα μετὰ τὴν Ρώμην ἡ πόλις, *poſt Romam vrbs maxima*, * in variis nummis laudatur, qui ſub Romanis imperatoribus cuſi ſunt: quos huc transſcribere nihil attinet. Mediobarbus, Harduinus & alii conſulantur.

Pars vrbis, aut ſuburbium potius, a mari remotius Νεκρόπολις, *Necropolis* dicta, a ſepulcretis, puta. nam minime amœnus locus erat, vt ex Ioſephi verbis, mox proferendis, conſtabit. Strabo prædicto loco de Cherſoneſo, ſupra in Mareota nomo deſcripta: πλησίον ἤδη τῆς Αλεξανδρείας καὶ τῆς Νεκροπόλεως ἐν ἑϐδομήκοντα ςαδίοις. *prope Alexandriam & Necropolim eſt ad ſeptuaginta ſtadia.* Idem p. 547 εἶθ' ἡ Νεκρόπολις καὶ τὸ προάςειον, ἐν ᾧ κῆποί τε πολλοὶ καὶ ταφαὶ καὶ καταγωγαὶ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν ἐπιτήδειαι. *Deinceps eſt Necropolis & prourbium, in quo multi horti, & ſepulturæ, & ædificia conditura mortuorum idonea.* Et breui poſt: ἀπὸ τῆς Νεκροπόλεως ἡ ἐπὶ τὸ μῆκος πλατεῖα διατείνει παρὰ τὸ γυμνάσιον μέχρι τῆς πύλης τῆς Κανωϐικῆς, *a Necropoli platea in longum præter gymnaſium pertendit vsque ad Canopicam portam.* Et Ioſephus lib. II contra Apionem pag. 1063, eidem, Iudæis Alexandrinis obiicienti, quod ad litus habitent importuoſum, reſpondet, nullum crimen ineſſe loco: etiam παράλιον μέρος εἰς κατοίκησιν τὸ κάλλιςον, *illam vrbis litoralem oram ad inhabitandum eſſe optimam,* Tum ſubiicit: ȣ̉κ οἶδα δέ, τί ποτ' ἂν ἔλεγεν Απίων, εἰ πρὸς τῇ Νεκροπόλει κατῴκȣν, καὶ μὴ πρὸς τοῖς βασιλείοις ἦσαν ἱδρυμένοι, *Neſcio autem, quid dicturus fuerit Apion, ſi circa Necropolim habitaſſent, ac non circa regiam ſedes poſuiſſent.*

3. Vbi proxima erat inſula *Pharos*, & ſub regibus, tamquam pars eius, ponte adiuncta. ** Plinius lib. V cap. XXXI *Inſula iuncta ponte Alexandriæ, colonia Cæſaris dictatoris, Pharus:* *,* *quondam diei nauigatione diſtans* ab

* Seneca epiſt. 102 *Primum* humanus animus *humilem non accipit patriam: Epheſum aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum.*

** Ammianus Marcellinus XXII.

, Aelianus de Animal. IX c. 21 Φάρος ἡ νῆσος πάλαι.

ab Aegypto: nunc e turri nocturnis ignibus curſum nauium regens. Namque fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alueis, Stegano, Poſideo, Tauro. Quod ait, quondam diei nauigatione ab Aegypto diſtitiſſe; id ex Homeri hauſit fabulis Odyſſ. Δ verſ. 354

Νῆσος ἔπειτά τις ἐςὶ πολυκλύςῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε (φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι)
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.
Inſula eſt deinde quædam vndoſo in ponto
Ante Aegyptum (Pharum autem ipſam vocant)
Tantum ſemota, quantum tota die caua nauis
Confecit, cui ſtridulus ventus a tergo eſt.

Sed nequaquam credi poteſt, tantum maris ſpatium vel limo Nili vel alia aggeſtione oppletum eſſe: ideoque dubitanter auctores de hoc retulerunt, ipſe Plinius lib. II cap. LXXXV *Homero credimus:* & Seneca lib. VI Quæſt. Nat. cap. XXVI *Tantum (ſi Homero fides eſt) aberat a continenti Pharos, quantum nauis diurno curſu metiri plenis lata velis poteſt.* Turrim in Pharo Soſtratus Cnidius, regum amicus, ædificauit, & hanc inſcriptionem, vt Strabo tradit, addiderat: ΣΩΣΤΡΑΤΩΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. SOSTRATVS CNIDIVS DEXIPHANIS F. DIIS SERVATORIBVS PRO NAVIGANTIBVS. Turris autem *ὁμώνυμος τῇ νήσῳ, eiusdem nominis, quo inſula.* * Pontem Strabo p. 545 *χῶμα, aggerem* dixit. *τὸ δὲ χῶμα ἐςὶν ἀπὸ ἠπείρου γέφυρα ἐπὶ τὴν νῆσον*, id eſt agger medio loco ponte iunctus. *Pontem* etiam dixit Hirtius, quo vrbi inſula iungebatur, Bell. Alex. cap. XIX, idemque cap. XVII *Pharitas* vocauit incolas. Propter portum Pharos dicebatur clauſtrum maris Aegyptii, aut Aegypti etiam ipſius. Lucanus lib. X verſ. 509

Tunc clauſtrum pelagi cepit Pharon.

4. Proxima Alexandriæ fuit *Iuliopolis*. Plinius lib. VI cap. XXIII *Duo millia paſſuum ab Alexandria abeſt oppidum Iuliopolis.* Qui præterea huius oppidi mentionem faciat, mihi, fateor, ignotum eſt. Nihilominus ita MSS. libri legunt; etiam excuſi, præter paucos, qui *Heliopolis* receperunt, quæ vero longo interuallo, toto Delta interiecto, diſtat ab Alexandria. Pergit Plinius: *Inde* [Iuliopoli] *nauigant Nilo Coptum* CCCIII. Longius quidem, quam duobus millibus, fluebat Nilus ab Alexandria: per lacum vero & foſſam intrari Niſus potuit.

5. Notior Aegypti eſt *Nicopolis*, prope eodem loco, quo Plinius Iuliopolim poſuerat. Ioſephus enim viginti, Strabo triginta ſtadiis ab Alexandria remouit: vt aliquando cogitauerim, eamdem forſan Plinii Iuliopolim eſſe & ceterorum Nicopolim. Sed ipſos auctores audiamus. Strabo XVII p. 547 *διὰ δὲ τοῦ ἱπποδρόμου διελθόντι ἡ Νικόπολίς ἐςι, ἔχουσα κατοικίαν ἐπὶ θαλάττῃ πόλεως οὐκ ἐλάττω. τριάκοντα δέ εἰσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ςάδιοι,*

* Epigramma Græcum in hanc turrim vid. lib. IV Antholog. c. εἰς πόλ. p. 499.

διοι, Tranſeunti hippodromum occurrit Nicopolis, quæ ad mare habitatur ita, vt non minor vrbe cenſeri debeat. Diſtat ab Alexandria ſtadiis triginta. Addit: *Auguſtus Cæſar hunc locum ἐτίμησεν, ornauit, quod ibi prœlio ſuperauerat, qui cum Antonio contra ipſum exierant.*

Ioſephus de Bello Iud. lib. IV extremo, iter Titi ab Alexandria in Iudæam ita deſcripſit: ὁ δὲ προελθὼν πεζῇ μέχρι Νικοπόλεως (εἴκοσι δὲ αὕτη διέχει τῆς Ἀλεξανδρείας ςαδίους) κἀκεῖθεν ἐπιβήσας τὴν ςρατιὰν μακρῶν πλοίων ἀναπλεῖ διὰ τοῦ Νείλου κατὰ τὸν Μενδήσιον νόμον μέχρι πόλεως Θμούεως. *qui terreno itinere Nicopolim vſque progreſſus, ab Alexandria viginti ſtadiorum interuallo diſtantem: inde milite longis nauibus impoſito, Nilo flumine iuxta Mendeſium tractum vſque Thmuim oppidum peruehitur.* Dio Caſſius auctor eſt lib. LI, iisdem ornamentis Auguſtum Aegyptiam Nicopolim auxiſſe, quibus ante paullo Epirenſem. nam poſtquam de illa, quæ Actio trans fretum oppoſita eſt, ineunte iſto libro egerat, poſtea, Aegyptia expeditione deſcripta, p. 456 *His actis*, inquit, πόλιν καὶ ἐκεῖ ἐν τῷ τῆς μάχης χωρίῳ συνῴκισε, καὶ τὸ ὄνομα καὶ τὸν ἀγῶνα ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ αὐτῇ δοὺς, *ibi quoque in loco, vbi pugnatum fuerat, vrbem condidit, idemque ei nomen & ludos eosdem attribuit, quos priori* [in Epiro conditæ] *dederat*, puta quinquennales equeſtres, de quibus etiam Suetonius poteſt conſuli.

6. Proximus Nicopoli fuit locus *Eleuſis*, ad foſſam Canopicam, habens διαίτας καὶ ἀπόψεις τοῖς καπυρίζειν βουλομένοις, *cœnacula & diuerſoria pro comeſſantibus*, vnde initium κανωβισμοῦ, *Canopicæ luxuriæ* fuiſſe Strabo p. 550 refert, quam etiam Iuuenalis notauit ſatyr. VI verſ. 84

- - - mores vrbis damnante Canopo:

& ſatyra XV verſu 46

Barbara famoſo non cedit turba Canopo.

7. Ipſa vrbs *Canopus*, Κάνωβος, [Græci enim molli littera ſcribunt; dura Latini] centum viginti ſtadiis abeſt ab Alexandria, ad mare ſita, vnde & oſtium, quod poſtremum Nili ad occaſum eſt, denominat Κανωβικὸν ςόμα, vt Strabo dicto loco ſcripſit; vt Plinius lib. V cap. XI *Canopicum.* Originem oppidi a Troiano bello ducunt, quia Canopus, Κάνωβος Menelai gubernator ibi perierat, quod præter Græcos, Strabonem & Euſtathium ad Dionyſii verſ. 13, etiam Tacitus refert lib. II Annal. cap. LX. *Germanicus,* inquit, *Nilo ſubuehebatur, orſus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob ſepultum illic rectorem nauis Canopum; qua tempeſtate Menelaus Græciam repetens, diuerſum ad mare terramque Libyam delatus.* Plura apud Euſtathium, loco iam prædicto. Meminit & Seneca epiſt. LI, ſimul loci voluptates caſtigans: *De ſeceſſu cogitans, numquam* [vir ſapiens, aut ad ſapientiam tendens] *Canopum eliget, quamuis neminem Canopus eſſe frugi vetet.* Et Ammianus lib. XXII cap. XLI *Canopus inde* [Alexandria] *duodeci-*

mo

* Ἔςιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτῃ χθονὸς, Νείλου πρὸς αὐτῷ ςόματι καὶ προσχώματι. Aeſchylus Prometh. vinct. pag. 51. Sic Strabo item lib. XVII pag. 1151. ſeqq. edit. Almelou. Dio lib. L pag. 497, & alii. Sed Stephanus Κάνωπος, οὕτως ἔδει γράφεσθαι διὰ τοῦ π, γράφεται δὲ ὅμως διὰ τοῦ β. *Canopus, ita ſcribi oportebat per P. Scribitur tamen etiam per B.*

mo diſiungitur lapide: quem, vt priſcæ memoriæ tradunt, Menelai gubernator ſepultus ibi cognominauit. Hactenus impendio locus fanis & diuerſoriis latis exſtructus, auris & ſalutari temperamento perflabilis.

8. Foſſa ad Canopum, vt dixi, ab Alexandria ferebat, inter quam foſſam & mare ςενή τις ταινία, *anguſtus quidam tractus* eſt, in quo poſt Nicopolim & Zephyrium eſt μικρὰ Ταπόσειρις, *Tapoſiris Parua* eſt, & promontorium, habens *Veneris Arſinoes ſacellum.* In hoc loco dicunt etiam vrbem *Thonim,* Θῶνιν fuiſſe, ab rege denominatam, qui Menelaum & Helenam ſuſcepit. Hæc ex Strabone. Mentio huius antiquæ vrbis eſt etiam apud Diodorum Siculum lib. I cap. XIX dicentem, κατὰ τὴν καλȣμένην Θῶνιν, *iuxta Thonim, vt vocatur,* exire Nilum in mare, qui locus ἐμπόριον παλαιὸν, *emporium antiquum* Aegypti ſit. Ipſum Ταινίας, *Tæniæ* vocabulum Athenæo lib. I cap. XXV quaſi proprium eſt, vnde Ταινιωτικὸν, *Tænioticum* vinum appellatur.

9. Supra Canopum ad flumen, quod per Canopicum oſtium effunditur, fuit Σχεδία, *Schedia,* diſtans quatuor ſchœnis ab Alexandria. * Strabo ibidem: Ἀπὸ τῆς Ἐλευσῖνος προελθȣ͂σι μικρὸν ἐν δεξιᾷ ἐςὶν ἡ διώρυξ, ἀνάγȣσα ἐπὶ τὴν Σχεδίαν· διέχει δὲ τετράσχοινον τῆς Ἀλεξανδρείας ἡ Σχεδία, κατοικία πόλεως· ἐν ᾗ τὸ ναύςαθμον τῶν θαλαμηγῶν πλοίων, ἐφ᾽ οἷς οἱ ἡγεμόνες εἰς τὴν ἄνω χώραν ἀναπλέȣσιν. *Ab Eleuſine paullulum progreſſo, ad dextram eſt foſſa, quæ ad Schediam deducit. Quatuor ſchœnis diſtat ab Alexandria, vicus oppido ſimilis, nauale habens thalamiferorum nauigiorum, quibus principes in ſuperiorem regionem vehuntur.* Meminit epiſcopi *Schediæ* Athanaſius epiſtola ad Antiochenos.

10. A Schedia Memphi nauiganti ad dextram plures pagi vſque in lacum Mariam occurrebant, in quibus erat ἡ Χαβρίȣ κώμη, *Chabriæ pagus,* cuius in Aegypto geſtæ res non ignotæ ſunt. Oppida ad illud flumen Ἑρμȣ́πολις, *Hermopolis,* Mercurii ciuitas, Ptolemæo, diſcriminis cauſſa, Ἑρμȣ́πολις μικρὰ, *Hermopolis Parua,* quia maior in Heptanomis eſt, infra explicandis: nihilominus & hanc paruam Ptolemæus μητρόπολιν, *metropolim* dixit. Pergit Strabo: εἶτα Γυναικῶν πόλις καὶ νομὸς Γυναικοπολίτης, *deinde Gynæcopolis, & nomus Gynæcopolites.* Et Plinius lib. V cap. IX nomon *Gynæcopolyten* memorauit. Nugantur Ariſtagoras & Arthemidorus apud Stephanum, nominis indagantes originem, quam vero per dubitationes ſuas non produnt, ſed occultant. Ptolemæus ſilet de Gynæcopoli: contra ponit in eodem tractu Ανδρȣπολίτην νόμον, *nomon Andropoliten,* & μητρόπολιν Ανδρῶν πόλιν, *metropolim Virorum ciuitatem.* Athanaſio epiſtol. ad Antiochenos eſt Ζώϊλος Ἄνδρων, *Zoilus Andro vrbis epiſcopus.* Quia nemo præterea, quod ſciam, Andropolim memorauit, neque hi, qui memorarunt, Gynæcopoleos mentionem fecerunt; videri poſſit vrbs eadem priori nomine in auſpicatius poſtea mutato.

 Nihilo-

* Scholiaſtes Nicandri ad Theriac. verſ. 622 Ἐνὶ σχεδίῃ ποθὲν οἴνῃ, adſcribit: Ἐνὶ σχεδίῃ δὲ, ἤτοι ἐν τῷ τυχόντι, ἢ ἐν Αἰγυπτίῳ. Σχεδία γὰρ πόλις Αἰγύπτȣ πλησίον τῆς χερσαίȣ. Δημήτριος δὲ σχέδιον οἶνον τὸν Κιρκυραῖον φησί. Ἐςι γὰρ πεπηγὼς, ὡς Ἀγαθοκλῆς ἐν τῷ περὶ διαίτης.

Nihilominus, quia incerta hæc coniectura eſt, vtramque in Tabula poſui, vt inuenio.

11. Herodotus lib. II cap. XCVIII, & Athenæus lib. I cap. XXV oppidum memorant, quod ille Ἀνθύλλαν, *Anthyllam*, hic Ἀντύλλαν ſcripſit, & ὀυ μακρὰν, non longe ab Alexandria diſtare dicit, cuius reditus Perſarum reges, Aegypto potiti, quisque vxori ſuæ in mundum muliebrem tradiderint. Poſſes ſuſpicari, vel hanc ipſam Gynæcopolin fuiſſe. Sed nihil definio: aliis cogitandum relinquo. Addit Herodotus *Archandropolim*, Ἀρχάνδρȣ, qui gener fertur Danai fuiſſe, πόλιν, ſeu ab ipſo conditam. Habet etiam Stephanus, ſed ex eodem Herodoto, nec plura addidit, vt minus definiri poſſit, ad mare, an ad flumen ſita, an ab vtroque & quantum reducta fuerit.

12. Eodem tractu fuit etiam Ptolemæi Λητȣπολίτης νόμος, *Letopolites nomos*, & μητρόπολις Λητȣ̃ς πόλις μεσόγειος, *metropolis Latonæ ciuitas mediterranea*, ſiue a flumine paullum in occaſum ſolis recedens. Huc & Strabonis πόλις Μενέλαος, *vrbs Menelaus*, pertinet, ac *Momemphis*, quam a Memphi diſtinguit. Dicit enim, a Schedia ad Memphim ſurſum nauiganti ad dextram eſſe multos pagos; ad flumen Hermopolim & Gynæcopolim. Addit ſtatim, *Momemphitas* Venerem colere & ſacram vaccam alere, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἄπις, *quemadmodum Apis in Memphi.* Stephanus quoque chorographus: Μώμεμφις πόλις Αἰγύπτȣ, *Momemphis Aegypti oppidum.* Auctores laudat Ariſtarchum, & Herodotum lib. II. Verba non addidit, nec mihi perluſtranti librum licuit invenire. ὑπὲρ δὲ Μωμέμφεως εἰσὶ δύο νιτρίαι πλεῖςον νίτρον ἔχȣσαι, καὶ νόμος νιτριώτις, *Vltra Momemphin ſunt nitri fodinæ duæ, plurimum nitri habentes, indeque dictus Nitriotis nomos.* Sed de hoc & monte Nitria in Nomis dicemus. Pergit Strabo: πλησίον καὶ ἐνταῦθα πόλις Μενέλαος, *non procul hinc vrbs Menelaus eſt*, cuius nomon Athanaſius epiſtola ad Antiochenos epiſcopo Schedienſi attribuit: Ἀγαθοδαίμων Σχεδίας καὶ Μενελαΐτȣ, *Agathodæmon Schediæ & Menelaitæ nomi epiſcopus.*

13. Hunc ordinem Strabo p. 552 in illo curſu a Schedia ad Memphin ſeruauit: & hinc ipſum Delta ad Naucratin ſe vertit.

PARTIS I SECTIO III.

D E L T A.

VI.

Delta Aegypti pars inferior, Nili alueis & mari, in quod influit ille, comprehenſa eſt. * Strabo lib. XVII pag. 542 γέγονε ἡ νῆσος ἐκ τε τῆς θαλάττης καὶ τῶν ῥευμάτων ἀμφοῖν τȣ̃ ποταμȣ̃, καὶ καλεῖται Δέλτα διὰ τὴν ὁμοιότητα τȣ̃ σχήματος, *Fit inſula ex mari & duobus Nili alueis, quæ Delta ob ſimilitudinem figuræ vocatur.* Plinius lib. V cap. IX *Multi Græcæ litteræ vocabulo Delta*

* Bochartus Phaleg I cap. 15 pag. 66 & IV cap. 27 pag. 313 hanc partem Aegypti etiam *Rahab* ab Hebræis, ab Aegyptiis *Rib* adpellatam dicit. Id quod ad locos quosdam ſcripturarum ſacrarum illuſtrandos pertinet.


Septemtrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARE AEGYPTIVM, PARS MEDITERRANEI
AEGYPTI DELTA ET NILI OSTIA
D E L T A
Pharus
Alexandria
Nicopolis
Tænia
Heracleum
Canopus
Canopicum ſiue Heracleoticum oſtium
Bolbiticum oſtium
Perſei ſpecula
Sebennyticum oſtium
Pineptimi ſeu Diolcos Pſeudoſtoma
Phatniacum oſtium
Mendeſium oſtium
Taniticum oſtium
Peluſium oſtium
Chabriæ caſtra ſiue agger
Gerra
Pentaſchænos
Peluſium, Sin
Pompeii tumulus
Iouis Caſii
Caſius M.
Sirbonis
Metelites nomos
Metelis
Schedia
Menelaites
Menelaus
Marea palus
Nomos Alexandrinorum regionis
Hermopolis parua
Anthylla
Gynæcopolites
Gynæcopolis nomos
Momemphis
Nitriotes nomos
Nitria
Nitriariæ fodinæ
Nitriotæ
Andropolites
Andropolis
nomos
Cellia ſiue Cellæ
Agni cornu
Mileſiorum murus
Ptenethu ſeu
Butus
Phthenotes
Cabaſa
Cabaſites nomos
Sais
Saites
Naucratis nomos
Proſopites
Proſopis
Nicii
Pachnamunis
Nomos
Hermopolis
Lycopolis
Sebennytus
Sebennyticus
Phthembuthi
Taua
nomos ſeu
Thermuthis
Phthemphu
Xoites nomos
Xois
Onuphites
Onuphis nomos
Cynopolis ſeu Cyno
Leontopolites
Aphroditopolis
Leontopolis
Nomos
Athribis
Athribites
Buſiris
Buſirites nomos
Mendeſius nomos
Thmuis
Tarichea
Neut
Panephyſis nomos
Mendes
Diospolis
Tanites
Tanis, Zoan nomos
Pharbæthites
Pharbæthus nomos
Sethroites
Sethrium nomos
Magdolum
Heracleopolis Parua
Daphnæ
Arabiæ nomos
Phacuſa
Nomos
Bubaſtus
Bubaſticus
Bubaſticus fluuius
Phagroriopolites
Phagroriopolis nomos
Foſſa Regum
PARS ARABIAE PETRAEAE
Onia Templum et oppidum
Regionis Delta Vertex
Letopolites
Latonæ ciuitas nomos
Cercaſorum
Babylon
Heliopolites
Foſſa Traiani
nomos
Heliopolis, On
TERRA GOSEN ſeu GESSEN
Raëmſes Rameſſes
Succot
Heroopolites
Frons deſerti
nomos
Heroopolis, Pithom
Cleopatris, Arſinoe
Etham
Baalzephon
Phihahiroth
Migdol
Solitudines Arabicæ
Sinus
Heroopolites
ARABICI SINUS
Elana
Phara
Sinus PARS Elaniticus
Memphis
Pyramides
Nilus fluuius
Acanthon
Aphroditopolis
Aphroditopolites nomos
Arſinoe
Nomos Nilopolis Heracleoticus
Heracleopolis magna

Delta appellauere Aegyptum : Aegyptum videlicet propriam & antiquis notiorem. neque enim tota Aegyptus triquetra eſt. Et Diodorus Siculus lib. I cap. XXXIII ὁ Νεῖλος κατὰ τὴν Αἴγυπτον εἰς πλείω μέρη σχιζόμενος ποιεῖ τὸ καλούμενον ἀπὸ τοῦ σχήματος Δέλτα, *Nilus in Aegypto in plures ſciſſus partes facit Delta, quod a figura ita vocatur.* Quod vero Nili alueis continetur Delta regio, de ipſo Nilo prius agendum eſt, vt ex diuortio eius & oſtiis ipſa regio ſeu Delta cognoſcatur.

2. Nilus incertis fontibus olim, aut ignotis fuit, quia per deſerta loca decurrat, per quæ nemini pateat tranſitus, qui exploret certiora. Sic Herodotus lib. II cap. XXXIV, Diodorus lib. I cap. XXXII, & Plinius lib. V cap. IX, quamuis hic in Iubæ ſententiam, qui in Mauretania ſe fontem Nili inueniſſe putabat (quod falſum eſt) propendeat. Nec mirum veteres in fontibus huius amnis aberraſſe, quum vix noſtra memoria vere illi in Abeſſinia inuenti fuerint. Nec huius loci eſt de cauſſis incrementi huius fluminis diſputare, quas phyſicis geographia indagandas relinquit. Ipſos auctus ita Plinius dicto cap. IX libri V deſcripſit : *Iuſtum incrementum eſt cubitorum* XVI : *minores aquæ non omnia rigant : ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ ſerendi tempora abſumunt ſolo madente ; illa non dant, ſitiente. Vtrumque reputat prouincia. In duodecim cubitis famem ſentit : in tredecim, etiamnum eſurit : quatuordecim cubita hilaritatem adferunt : quindecim, ſecuritatem : ſedecim delicias.* Paullo aliter Strabo poſt initium libri XVII, Petronio præfecto, quum duodecimum cubitum Nilus impleſſet, maximam fuiſſe frugum vbertatem : ante eius tempora, decimum quartum cubitum attuliſſe fertilitatem. Scilicet, quod ibidem Strabo obſeruauit, foſſis & aggeribus, hominum manu factis, natura iuuabatur : ideoque Auguſtus oblimatas foſſas militari opera deterſit, vt non tantum *habiliorem* prouinciam pro frugibus annonæ vrbicæ conuehendis, ſed *feraciorem* etiam redderet. Vide Suetonium cap. XVIII. Erant etiam *lacus effoſſa humo, ſuperfluentis Nili receptacula*, vt Tacitus annali II cap. LXI refert, quibus itidem natura fuit adiuta & ſementis tempori conſultum.

3. Nilus ab Aethiopia recto curſu in ſeptemtrionem fertur vſque ad eum locum, qui Delta vocatur. Herodotus lib. II cap. XV & XVII Nilum ad vrbem Κερκάσωρον, *Cercaſorum* findi dixit : & cap. XCVII παρὰ τὸ ὀξὺ τοῦ Δέλτα καὶ παρὰ Κερκάσωρον πόλιν, *iuxta acumen Deltæ & vrbem Cercaſorum.* Plato in Timæo p. 474 de Saitico nomo : ὃς ἐν τῷ Δέλτα, περὶ ὃ κατὰ κορυφὴν σχίζεται τὸ τοῦ Νείλου ῥεῦμα, *qui in Delta ſitus eſt, circa quod iuxta verticem finditur Nili fluentum.*

4. Diuiditur amnis primum in duos alueos, dextrum, qui Peluſium fertur, & ſiniſtrum, qui Canopum. Strabo p. 542 ἑκάτερα ῥεῖθρα, *duos alveos* ſiue *vtrumque fluentum* dixit : Herodotus autem lib. II cap. XVII *ad Cercaſorum vſque fluit Nilus* εἷς ἐών, *vnus exſiſtens*, ſeu *vno alueo concluſus :* τὸ δὲ ἀπὸ ταύτης τῆς πόλιος σχίζεται τριφασίας ὁδούς, *ſcinditur tripartito.* nam medium flumen per ipſum Delta dicit delabi & Sebennytico oſtio in mare exire.

exire. Hinc de numero alueorum oſtiorumque exoritur quæſtio. Plerique quidem ſeptem alueos faciunt & totidem oſtia; vt poeta Aen. VI ait, *ſeptemgemini oſtia Nili*, & ſcriptor vetuſtior ſanctus Eſaias XI, 15 שבעה נחלים *ſeptem flumina* Aegypti, vt de ipſo numero dubitare non liceat: de antiquitate autem & origine oſtiorum ſunt qui controuerſiam mouerunt. Ariſtoteles lib. I Meteorolog. cap. XIV φαίνεται τὰ ςόματα πάντα, πλὴν ἑνὸς τȣ̃ Κανωβικȣ̃, χειροποίητα, καὶ ȣ̓ τȣ̃ ποταμȣ̃ ὄντα, *videntur omnia*, [Nili] *oſtia, vno excepto Canopico, manu facta eſſe, non ipſius fluminis.* At vero antiquitas repugnat. * Nam quum Moſes prodigia in Aegypto faceret, Nilus propinquus Iſraelitis, in Arabica regni parte habitantibus, fuit, quod haud dubie de Bubaſtico alueo, ſeu Peluſiaco oſtio, ac proximo Tanitico intelligendum eſt, licet Canopicum fortius ceteris forſan fuiſſe non negemus. Herodotus lib. II cap. XVII quinque ex ſeptem oſtiis naturæ fluminis dat, Canopicum, Peluſiacum, & Sebennyticum, a quo rurſus duo alia diuidantur, Saiticum & Mendeſium. Duo vero eſſe ȣ̓κ ἰθαγενέα ςόματα, ἀλλ᾽ ὀρυκτὰ, *non natiua oſtia, ſed effoſſa*, ſeu manu facta, videlicet Bolbitinum & Bucolicum, vti adpellat. Quodnam ſit illud *Bucolicum*, non omnino liquet. ** Quidam Heracleoticum intelligunt, quia chorographus Stephanus: Ἡρακλεοβȣκόλοι, Αἰγυπτιακὴ συνοικία, *Heracleobucoli, Aegyptia cohabitatio* ſeu vicinia. At Heracleoticum oſtium eſt ipſum Canopicum, vt infra videbimus. Nullum ergo relinquitur ex ſeptem niſi Phatnicum, vt Strabo, ſeu Phatniticum, vt Plinius nominauit, quod Bucolicum interpretari poſſimus: præſertim ſi Taniticum & Saiticum etiam vnum ſint, vt Strabo retulit p. 552. Nec vero dubitatio ſublata omnis eſt. nam idem Strabo Phatnicum dicit tertium magnitudine eſſe poſt Canopicum & Peluſiacum; & haud procul a vertice ſcindi ab alueo altero extremorum: quod Herodotus Sebennytico tribuit. Hæc autem non videntur manu facto oſtio alueoque conuenire. Sed quoquo modo ſe res effoſſionis habet, quæ nec negari omnis, nec certo probari poteſt; de ipſis oſtiis, eorumque alueis, ſingulatim nunc dicendum eſt.

5. Prænotandum autem eſt, quosdam ſcriptores alueos & oſtia eodem nomine adpellare; alios diſtincta ab oſtiis vocabula imponere alueis. Ammianus Marcellinus lib. XXII cap. XXXVI *Præter amnes plurimos ex alueo deriuatos auctore, cadentesque in ſuppares eius, ſeptem nauigabiles ſunt & vndoſi, quibus ſubiecta vocabula veteres indiderunt: Heracleoticus, Sebennyticus, Bolbiticus, Phatniticus, Mendeſius, Taniticus, & Peluſiacus.* Sic alueos & amnes nominauit vocabulis oſtiorum. Contra Ptolemæus alia nomina dat oſtiis, alia fluminibus ſeu alueis. Qui per Heracleoticum oſtium ſiue Canopicum effunditur, dictus eſt Ἀγαθὸς δαίμων, *Agathos dæmon*,

* Non videtur repugnare. nam etiam Ariſtoteles loquitur de antiquiſſimis temporibus. Neque cauſa vlla adparet, cur Iſraelitæ non ex Nilo biberint indiuiduo aut ſaltem nondum in alueos diſtracto.

** *Bucolica* fuerunt loca Hilarionis temporibus Chriſtianorum nihil habentia. Vid. Hieronym. in Vit. Hilarion. extr. Sed hoc nondum ſatis eſt ad rem declarandam, niſi quod a locis hiſce *bucolicum* dici potuerit.

dæmon, ſeu bonus Genius; item ὁ μέγας ποταμὸς, *magnus fluuius.* Qui ad Peluſium defertur, ei eſt Βȣϐαςικὸς ποταμὸς, *Bubaſticus fluuius.* Ex Agathodæmone ſcinduntur duo aluei, quorum alter Τάλυ, *Taly* vocatur, qui per Bolbitinum oſtium effluit; alter *Thermuthiacus* amnis, qui per Sebennyticum os ſe exonerat. Ex Bubaſtico amne ſcinduntur plures aluei: qui proximus vertici, *Athribiticus* dictus, elabitur per Pſeudoſtomata: qui ſuccedit *Buſiriticus* amnis, excurrit per os Pathmeticum ſiue Phatniticum: pars etiam eius per Mendeſium. Qui vero *Bubaſtici* nomen retinet & extremus alueus ab ortu ſolis eſt, ita quidem per oſtium Peluſiacum exit, vt partem aquæ etiam anonymo alueo per Taniticum oſtium emittat.

6. Primum ab occaſu & Alexandria oſtium dictum eſt pluribus, Herodoto, Scylaci, Diodoro, Straboni, Plinio Κανωϐικὸν, *Canopicum*, ab oppido, quod adiacet, Canopo, de quo ſupra diximus. Ptolemæus vocat Ἡρακλεωτικὸν ςόμα, *Heracleoticum oſtium*, quod nomen nec Straboni fuit ignotum. * Ait enim p. 542 δύο μὲν ταῦτα τȣ̃ Νείλȣ ςόματα, ὧν τὸ μὲν Πηλȣσιακὸν καλεῖται, τὸ δὲ Κανωϐικὸν καὶ Ἡρακλειωτικὸν, *Hæc ſunt duo illa Nili oſtia, quorum alterum Peluſiacum vocatur, alterum Canopicum & Heracleoticum.* Et Diodorus Siculus lib. I cap. XXXIII τελευταῖον Κανωϐικὸν, ὅ τινες Ἡρακλεώτικὸν ὀνομάζȣσι, *vltimum* [ab occaſu oſtium] *eſt Canopicum, quod quidam Heracleoticam adpellant.* Nomen eſt ἀπὸ τȣ̃ Ἡρακλέȣς, *ab Heracleo* ſeu Herculis fano, ſiue oppido, Herculis templum habente, ſito inter Canopum & oſtium. Strabo p. 551 μετὰ τὸν Κάνωϐον ἐςὶ τὸ Ἡράκλειον, τὸ Ἡρακλέȣς ἔχον ἱερόν. εἶτα τὸ Κανωϐικὸν ςόμα, καὶ ἡ ἀρχὴ τȣ̃ Δέλτα. *Poſt Canopum eſt Heracleum, quod Herculis templum habet: deinde eſt Canopicum oſtium, & initium ipſius Delta.* Quod etiam Tacitus annali II cap. LX memorauit: *Condidere*, inquit, *id oppidum* [Canopum] *Spartani ob ſepultum illic rectorem nauis Canopum; qua tempeſtate Menelaus Græciam repetens diuerſum ad mare terramque Libyam delatus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud ſe & antiquiſſimum perhibent, eosque, qui poſtea pari virtute fuerint, in cognomentum eius adſcitos.* Plinius etiam tertium nomen addit, *Naucraticum*, lib. V cap. IX, licet ipſe oſtium Canopicum ab Heracleotico videatur ſeparare, qui vero ſane interpretandus eſt non de ipſo oſtio, ſed de vocabulis eius ac illorum origine. *Satis*, inquit, *Naucratis: vnde oſtium quidam Naucraticum nominant, quod alii Heracleoticum, Canopico, cui proximum eſt, præferentes.* Naucratis vero eſt oppidum in Delta amni Agathodæmoni, ſeu fluuio magno, adpoſitum.

7. Secundum oſtium ab occaſu in ortum proficiſcenti eſt Βολϐίτινον, *Bolbitinum*, vt Herodotus, Diodorus, Plinius, & Ptolemæus adpellant: vel Βολϐιτικὸν, *Bolbiticum*, vt Scylax: Strabo vtraque forma vſus eſt p. 551 Βολϐιτικȣ̃, & mox Βολϐιτίνȣ. Nomen eſt a *Bolbitine* oppido, de quo Stephanus:

* Nec Senecæ Quæſt. Natur. IV cap. 2 *Balbillus auctor eſt, quum ipſe præfectus obtineret Aegyptum, Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum a mari occurrentium & crocodilorum a flumine aduerſum agmen agentium velut pro partibus prælium.*

phanus: Βολβιτίνη, πόλις Αἰγύπτου, *Bolbitine, oppidum Aegypti.* Breuem alveum *Taly* hoc oſtium emittit.

8. Excipit tertium oſtium *Sebennyticum*, Σεβεννυτικὸν dictum ab oppido, cui Σεβέννυτος, *Sebennytus* nomen apud Ptolemæum, qui nomon inde, tamquam ab metropoli, denominat. Stephanus, Σεβέννυτος πόλις Αἰγύπτου, καὶ λίμνη, καὶ ποταμὸς, *Sebennytus vrbs Aegypti, & lacus, & fluuius.* Thermuthiacus amnis per hoc oſtium effluit.

β. Hinc *Pſeudoſtomata* ſunt, quæ Plinius *falſa ora* interpretatur, qui quatuor ponit, Ptolemæus autem duo, quorum alterum Πινέπτιμι, *Pineptimi* vocatur, citerius nempe; alterum Δίολκος, *Diolcus.* Minora ſunt, nec maioribus nauibus patent. Athribiticus alueus ſecundum Ptolemæum per hæc effunditur.

9. Quartum oſtium eſt, quod Strabo & Scylax Φατνικὸν, *Phatnicum*, Plinius *Phatniticum* nominauit: Diodorus Φατμικὸν, *Phatmicum:* Ptolemæus Παθμητικὸν ςόμα, *oſtium Phatmeticum.* Sed præſtat per N ſcribere trium conſenſu. Tertium magnitudine, id eſt ſolis Peluſiaco & Canopico minus, Strabo dixit, eiusque alueum haud procul a vertice oriri. An ab oppido nominatum ſit, non adparet: Valeſio ad Ammianum videtur adpellatum a Phatnite præfectura. Buſiriticum amnem hoc oſtivm effundit.

10. Succedit quintum, Μενδήσιον, *Mendeſium*, ſic ab omnibus ſcriptum; a ſolo Plinio *Mendeſicum*, niſi mendum ſubeſt, quod vero etiam in vetuſtis codicibus eſt. Oppidum, a quo nomen eſt, Μένδης, *Mendes* Straboni, qui ex Pindaro obliquum caſum ita formatum adfert Μένδητα παρὰ κρημνὸν, *iuxta Mendetem præruptum.* Pan ibi cultus fuit, eodem teſte Strabone, & hircus. Ptolemæus autem Mendeſii nomi metropolim Thmuin conſtituit, quod Mendes forſan interierat. Alueus, qui hoc oſtio exit, ex Buſiritico eſt deriuatus.

11. Sextum oſtium eſt *Taniticum*, quod & *Saiticum* vocatur. Strabo XVII pag. 552 εἶτα τὸ Τανιτικὸν ςόμα, ὅ τινες Σαϊτικὸν λέγουσι, *deinde eſt Taniticum oſtium, quod Saiticum quidam adpellant.* Herodotus autem Saiticum deducit ex amne Sebennytico lib. II cap. XVII ἔςι δὲ καὶ ἕτερα διφάσια ςόματα ἀπὸ τοῦ Σεβεννυτικοῦ ἀποσχισθέντα, φέροντα ἐς θάλασσαν, τοῖσι οὐνόματα κέεται τάδε: τῷ μὲν Σαϊτικὸν αὐτέων, τῷ δὲ Μενδήσιον, *A Sebennytico duo alia deducuntur oſtia, in mare ferentia, quibus hæc ſunt impoſita nomina, vni Saiticum, alteri Mendeſium.* Sed aliter Ptolemæus diſtribuit, cuius ordinem oſtiorum Diodorus, Strabo, Plinius confirmant. Non ille ex Sebennytico, cuius alueus ex Agathodæmone amne ſiue Canopico deriuatur, ſed ex Bubaſtico ſeu Peluſiaco tam Mendeſium quam Taniticum deduxit, quod ordini etiam, a ceteris adprobato, eſt conuenientius. Eſt vero nihilominus quod dubitetur. Sais enim metropolis a Ptolemæo ad ſiniſtram amnis Thermuthiaci, qui per Sebennyticum os euoluitur, eſt conſtituta, procul admodum ab oſtio Tanitico: ſed ad hoc infra in oppido

Sai

Sai reſpondebimus. *Tanis* autem metropolis ſuo amni, qui ex Bubaſtico deductus eſt, propior collocata viſitur.

12. Tandem eſt *Peluſiacum* oſtium, quod Bubaſticum amnem in mare effert. Peluſium a dextra & ortu habet, finitque Delta ſeu eius baſin, ab Heracleotico, quod apud Canopum eſt, huc vſque per maris oram & cetera oſtia deductam. Nomen a Peluſio, nobili vrbe, habet, quæ proxima eſt, viginti ſtadiis remota a mari: ceterum in exteriori ripa poſita extra Delta.

13. Hæc ſeptem illa memorabilia Nili oſtia, præter quæ plura alia ſunt, ſed minora & manu facta. Plinius lib. v cap. x *Sunt in honore & intra decurſus Nili multa oppida, præcipue quæ nomina dedere oſtiis, non omnibus* [xii *enim reperiuntur, ſuperque quatuor, quæ ipſi falſa ora adpellant*] *ſed celeberrimis ſeptem, proximo Alexandriæ Canopico, deinde Bolbitino, Sebennytico, Phatnitico, Mendeſio, Tanitico, vltimoque Peluſiaco.* Et Strabo xvii pag. 542 *Hæc ſunt duo præcipua oſtia Canopicum & Peluſiacum. Inter hæc* ἄλλαι πέντε εἰσιν ἐκβολαί, αἵ γε ἀξιόλογοι, *alia quinque oſtia, quæ quidem mentionem mereantur:* λεπτότεραι δὲ πλείους. ἀπὸ γὰρ τῶν πρώτων μερῶν ἀπόῤῥωγες πολλαὶ καθ' ὅλην μεριαθεῖσαι τὴν νῆσον, πολλὰ καὶ ῥεῖθρα καὶ νήσους ἐποίησαν, ὥσθ' ὅλην γενέσθαι πλωτὴν διωρύγων ἐπὶ διώρυξι τμηθεισῶν, *multa alia tenuiora. A primis enim partes quædam abruptæ paſſim per totam ſunt inſulam, quæ multos alueos inſulasque fecerunt ita, vt tota ſit nauigabilis foſſis ſuper alias foſſas actis.* Hæc de Nilo & eius oſtiis.

PARTIS I SECTIO IV.

OPPIDA IN DELTA.

VII.

Inter Heracleoticum oſtium & Hermopolim paruam iuxta Fluuium magnum eſt Ptolemæi *Metélis*, Μέτηλις. vnde nomon ipſe *Meteliten* denominat. Stephanus chorographus: Μέτηλις πόλις Αἰγυπτία, πλησίον Ἀλεξανδρείας, ἡ νῦν Βῆχις λέγεται, *Metelis vrbs Aegyptia, prope Alexandriam, quæ nunc Bechis dicitur.* Vetus nummus cum accipitris figura: ΜΕΤΗΛΙ. L. ΙΑ. *Metelitarum anno* xi ſub Hadriano cuſus eſt.

2. Ad idem Magnum flumen, ſed ſuperius & in auſtrum verſus, fuit *Naucratis*, antiquum oppidum, a Mileſiis conditum. Strabo xvii p. 551 *Mileſii*, qui antea poſt Bolbitinum oſtium munimentum condiderant, ἀναπλεύσαντες εἰς τὸν Σαϊτικὸν νόμον, καταναυμαχήσαντες Ιναρὸν, πόλιν ἔκτισαν Ναύκρατον οὐ πολὺ τῆς Σχεδίας ὕπερθεν, *in ſuperiora nauigantes, Inaro nauali prælio victo, vrbem condiderunt Naucraton, non longe ſitam ſuper Schediam.* Sic libri, etiam Aldinus, Ναύκρατον. Vereor autem, ne mendum ſit, quia ipſe Strabo poſt paullo: ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἐν τῷ Δέλτα ἐπὶ μὲν ποταμῷ Ναύκρατις, *ad ſiniſtram* [nauiganti aduerſo flumine] *eſt in ipſo Delta & quidem ad fluuium, Naucratis.* Herodotus quoque Ναύκρατις, *Naucratis* ſcripſit, perinde ac Ptolemæus atque Stephanus. Libro ii enim cap. xcvii ἐς μὲν Μέμφιν ἐκ

Ναυκράτιος ἀναπλώοντι, *ex Naucrate Memphin nauiganti:* & mox, ἐς δὲ Ναύκρατιν ἀπὸ θαλάσσης καὶ Κανώβȣ διὰ πεδίον πλέων, *a mari & Canopo Naucratem verſus per campum nauigans.* * Stephanus: Ναύκρατις πόλις Αἰγύπτȣ, ἀπὸ Μιλησίων τότε θαλασσοκρατȣ́ντων. *Naucratis, vrbs Aegypti, condita a Mileſiis tum maris imperium tenentibus.* Patria Athenæi fuit, vt ipſe in Gymnoſophiſtarum lib. XI cap. IX teſtatus eſt. *Eximii,* inquit, *conuiuæ verbis, calices fiunt etiam* ἐν τῇ τȣ̃ συσσίτȣ ἡμῶν Ἀθηναίȣ πατρίδι Ναυκράτει, *in conuiuæ noſtri Athenæi patria Naucrate:* qui ita tingebantur, vt argenteæ viderentur.

3. Duobus hinc ſchœnis abeſt Σάϊς, *Sais*, inferioris Aegypti olim metropolis. ** Strabo pag. 552 ἐπὶ τῷ ποταμῷ Ναύκρατις· ἀπὸ δὲ τȣ̃ ποταμȣ̃ δίσχοινον διέχȣσα ἡ Σάϊς, *ad fluuium eſt Naucratis: duobus ſchœnis a flumine diſtat Sais.* Et paullo ante pag. 551 ἡ Σάϊς μητρόπολις τῆς κάτω χώρας, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Ἀθηνᾶν. *Sais metropolis inferioris regionis, vbi Minerua colitur.* Et in occidentali parte regionis Delta fuiſſe, exinde clarum eſt, quia Naucratis, ad extremum fluuium poſita, in nomo fuit Saitico, Strabone & Ptolemæo auctoribus. Illius verba in Naucrate adlata ſupra ſunt: huius hæc eſt diſpoſitio lib. IV cap. V *Saites nomos. Metropolis Sais,* καὶ πρὸς τῷ μεγάλῳ ποταμῷ ἀπὸ δυσμῶν Ναύκρατις πόλις, *& ad magnum fluuium, ab occidente* [reſpectu Saëos] *Naucratis oppidum.* Sic bene inter vtrumque geographum conuenit, cum quibus etiam Notitia eccleſiæ conſentit, in qua Sais primæ Aegypti prouinciæ, quæ proxima Alexandriæ eſt, adſcribitur. Mirum itaque, eumdem Strabonem p. 552 ſcribere Τανιτικὸν στόμα, ὅ τινες Σαϊτικὸν λέγȣσι, *Taniticum oſtium, quod nonnulli Saiticum dicunt:* & Ioſephum lib. I contra Apionem pag. 1039 vrbem quamdam memorare ἐν νόμῳ τῷ Σαΐτῃ, κειμένην πρὸς ἀνατολὴν τȣ̃ Βȣβαστίτȣ ποταμȣ̃, *in Saite nomo ſitam ad orientem fluuii Bubaſtitæ;* quæ ſane ſuperioribus Strabonis & Ptolemæi non poſſunt conciliari, niſi diuerſas huius nominis vrbes fuiſſe dicas, aut forte Tanim etiam Sain aliquando nominatam. Stephanus nihil addidit memorabile, niſi quod obliquus caſus formetur Σάεως ὡς Μέμφεως, *Saëos, vt Mempheos.* Nummus Hadriani, CAIT. L. IA. id eſt *Saitarum, anno vndecimo.* Paullo ſupra Sain erat τὸ Ὀσίριδος ἄσυλον, ἐν ᾧ κεῖσθαι τὸν Ὄσιριν φασίν, *Oſiridis aſylum, in quo Oſirin ſepultum eſſe ferunt:* quod idem Strabo addidit.

4. Superius ſita, & magis in auſtrum vergit Ptolemæi μητρόπολις Νικίȣ, *metropolis Niciæ,* in nomo Proſopite, diuerſa a Niciæ vico, Νικίȣ κώμῃ, quem ſupra in Mareotidis ora maritima ex Strabone demonſtrauimus, quem etiam Stephanus chorographus deſcripſit. Sed de nomine plura infra in Nomis dicemus.

5. Infra Sain eſt *Cabaſa* ad Thermutiacum fluuium ex Ptolemæi poſitione.

* Sola Naucratis olim Aegypti emporium fuit. Herodot. II extr.

** Meminit eius Nicander Theriac. v. 565 p. 37. Scholiaſtes autem eam multos dicit habere hippopotamos, quod non dicit Nicander pari modo. Vide etiam Platonem copioſe differentem in Timæo p. 524 A.

ſitione. Dicitur & *Κάϐασος, Cabaſus* in Concilio Epheſino, vbi Θεόπεμπτος Καϐάσου, *Theopemptus Cabaſi* epiſcopus. Hinc nomos *Cabaſites* non Ptolemæo tantum, ſed Plinio etiam lib. v cap. IX. Hadriani nummus: ΚΑΒΑCΙ. L. ΙΑ. hoc eſt *Cabaſitarum, anno vndecimo.*

6. Hinc in ſeptemtrionem, in eodem tamen Thermuthiaci amnis tractu, ad oſtium verſus, quod hoc loco Sebennyticum eſt, fuit Βοῦτος, *Butus*, vt Strabo & Ptolemæus ſcripſerunt. Ille pag. 551 περὶ τὴν Βοῦτον, *circa Butum:* & ἐν τῇ Βούτῳ Λητοῦς ἐςὶ μαντεῖον, *Buti eſt Latonæ oraculum.* Item, *Poſt Mileſiorum munimentum ad Sebennyticum oſtium procedenti*, λίμναι εἰσὶ, ὧν ἡ ἑτέρα Βουτικὴ καλεῖται ἀπὸ Βούτου πόλεως, *lacus ſunt, quorum alter Buticus adpellatur, a Buto oppido.* Ptolemæus in Φθενότῃ νόμῳ, *Phthenote præfectura*, μητρόπολις Βοῦτος, *metropolis Butus.* Stephanus: Βοῦτος πόλις Αἰγύπτου. ἐκαλεῖτο καὶ Βουτώ, *Butus Aegypti vrbs: quæ & Buto dicta.* Sic Herodotus vſus eſt forma altera lib. II cap. CLV ἐςι μὲν Λητοῦς ἱερὸν ἐν πόλι τῇ μεγάλῃ ἱδρυμένον, κατὰ τὸ Σεϐεννυτικὸν ςόμα τοῦ Νείλου, ἀναπλέοντι ἀπὸ θαλάσσης ἄνω. ὄνομα δὲ τῇ πόλι ταύτῃ, ὅπου τὸ χρηςήριόν ἐςι, Βουτώ. *Eſt Latonæ templum in magna vrbe, contra oſtium Sebennyticum a mari aduerſo flumine nauiganti poſita, cui vrbi, quæ oraculum habet, nomen* Βουτώ, *Buto eſt.* Habuit & Apollinis & Dianæ templa: ſed maximum Latonæ, in quo oraculum eſt. Ab altera forma, Βουτώ, ſunt obliqui caſus τῆς Βουτοῦς apud Stephanum: ἐν τῇ Βουτοῖ, Herodotus iam dicto loco: ἐς Βουτοῦν, idem cap. LIX dixit.

7. Inter Bolbitinum & Sebennyticum oſtium, vt Strabo refert, eſt primo humile & arenoſum promontorium, ἄκρα, cui nomen Ἀγνοῦ κέρας, *Agni cornu:* deinde in eodem litore Περσέως σκοπή, *Perſei ſpecula*, cuius etiam apud Herodotum lib. II cap. XV mentio eſt: tandem Μιλησίων τεῖχος, *Mileſiorum munimentum*, prope os Sebennyticum. Atque hæc notiora ſunt oppida inter Magnum fluuium & Thermuthiacum; ac inter Heracleoticum oſtium & Sebennyticum: nunc a Sebennitico ad Phatniticum progreſſuri, quæ inter Thermutiacum flumen & Athribiticum; dein inter hoc & Buſiriticum occurrunt, conſiderabimus.

8. Inter Sebennyticum oſtium & primum falſum, quod Pineptimi vocatur, Ptolemæo poſita eſt metropolis *Pachnamunis.* Athanaſius epiſt. ad Antiochenos epiſcopum Παχνεμούνεως commemorat. Ad flumen Thermuthiacum eiusque ripam dextram, aut non longe ab illa *Hermopolis* in inſula fuit, incertum, num in fluuiali propria, an per foſſas facta: puto autem prius vero ſimilius, & in Thermuthiaco fluuio fuiſſe, ſaltem latus vnum inſulæ illum fluuium præbuiſſe, quia Strabo, περὶ τὴν Βοῦτον καὶ Ἑρμόπολις ἐν νήσῳ κειμένη, *circa Butum & Hermopolis in inſula eſt poſita:* & vlterior *Lycopolis*, quam cum Hermopoli Strabo coniungit. Sebennyticus hoc loco nomos, & vrbs, quæ huic nomen dedit, *Sebennytus.* Stephanus: Σεϐέννυτος πόλις Αἰγύπτου, καὶ ποταμός, *Sebennytus vrbs Aegypti, & lacus & fluvius.* Vrbs Straboni ἡ Σεϐεννυτικὴ πόλις, haud dubie ad flumen ſita, quia ipſum & oſtium denominat. Flumen autem eſt ipſum Thermuthiacum Ptolemæi, ſaltem pars eius inferior & oſtio propinqua. Lacus eſt ex illis,

quos Strabo ad oſtium Sebennyticum poſuit, alterumque Buticum ab oppido Buto nominauit. Longe hinc Ptolemæi tabula Sebennytum vrbem remouit, quod minime adprobamus.

9. Et quia Ptolemæus fluuium *Thermuthiacum* adpellat, (vitium autem ſubeſt, quia ſemel Θερμουθιακὸς legitur, iterum, eadem pagina, Φερμουθιακὸς, & in Tabula *Pharmutiacus*; e quibus prior adpellatio rectior videtur, quia ex noto Aegyptiorum vocabulo eſt deducta;) quia, inquam, flumen *Thermuthiacum* nominatur, non eſt quod dubitemus, eidem adpoſitum oppidum *Thermuthin* fuiſſe, & forte ſuperiore loco, breui poſt ἐκτροπὴν ſeu diuertigium interuallo. In Notitia Prouinciarum Τερνούθης, *Thernuthis*, forſan; & in Conciliis, *Terenuthis* ſcribitur. Epheſino ſubſcripſit Ευλόγιος Τερενούθιδος, *Eulogius Terenuthidis* epiſcopus. Byzantius chorographus in Ερμωνθὶς ſcripſit quoque Τερένουθις, *Terenuthis*.

10. Medio loco Ptolemæus habet oppidum *Taua*, Ταούα, in nomo, quem ipſe Phthembuthi adpellat. Stephanus ſcripſit Ταῦα, Antoninus ſeu auctor Itinerarii *Tafa*, qui inter Cynopolim & Andropolim poſuit. In Notitia epiſcopatuum eſt praue Σάυε pro Ταῦε vel Ταῦα.

11. Vlterior eſt *Xois* vrbs in inſula cognomine, nec vero extra nomon Sebennyticum. Strabo ſæpe dicto loco pag. 551 Ἐν τῇ μεσογαίᾳ τῇ ὑπὲρ τοῦ Σεβεννυτικοῦ καὶ Φατνικοῦ στόματος Ξόϊς ἐστὶ καὶ νῆσος καὶ πόλις ἐν τῷ Σεβεννυτικῷ νόμῳ. *In mediterranea ſupra Sebennyticum & Phatnicum oſtium eſt Xois inſula & oppidum in Sebennytico nomo.* Ptolemæus autem ſingularem nomon Xoiten fecit, cuius *Xois* metropolis eſt. In Ptolemæo Græco ſcriptum eſt Ζόϊς male, quia Stephanus etiam ex Strabone repetiit Ξόϊς, *Xois*, & in Notitia Ξόεως, ſecundo caſu pro primo. *

12. Sequitur *Athribiticus* fluuius, & vt auctor Tabulæ ad Ptolemæum factæ diſpoſuit, in dextra ripa ſeu orientali *Athribis* oppidum, a quo nomen eſt fluuio: & infra illud *Onuphis*, Stephano πόλις οὐκ ἄγνωστος, *vrbs non ignobilis*; vtraque nomon a ſe denominat non tantum apud Ptolemæum, ſed Herodotum etiam, cui lib. II cap. CLXVI eſt νόμος Αθριβίτης & Ονουφίτης. Athanaſius epiſt. ad Antiochenos Ονούφεως τῆς Λύχνων, *Onupheos, quæ Lychnorum eſt*, epiſcopum memorat. In Notitia prouinciarum Ονούφης, *Onuphes*: alterius, *Athribis*, meminit Ammianus lib. XXII cap. LX, & in maximis Aegypti ciuitatibus numerat. Athanaſio d. l. Αθρίβεως epiſcopus eſt. Dicitur etiam Αθάῤῥαβις, *Atharrabis*. Vide Stephan.

13. Inter has vrbes Onuphin & Athribin videtur media atque etiam circa Athribiticum flumen *Cynon*, ſiue *Cynopolis* fuiſſe. Antonini enim itinerario hic ordo ſeruatus:

Tani				
Thmuin		M.	P.	XXII
Cynô	[*Cynôn*]	M.	P.	XXV
Tauam		M.	P.	XXX
Andro	[*Andrôn*]	M.	P.	XII.

Sic ab ortu in occaſum per Delta proceſſum eſt.

* Vide infra lib. IV cap. I § 9 ſegm. 16.

14. Me-

14. Medio inter Athribiticum fluuium loco & Buſiriticum fuit, quam iam in itinere vidimus, *Thmuis*, nobilis ciuitas, ab eodem Ammiano & Stephano laudata. Barbara vox, hircum Aegyptiaca lingua ſonans, qui ibidem colebatur. Hieronymus lib. II adv. Iouinianum cap. VI *Vrbes quoque apud eos* [Aegyptios] *ex animalium vocabulis nuncupantur, Leonto, Cyno, Lyco, Buſiris, Thmuis, quod interpretatur hircus.* Et in Eſaiæ XLVI, I *Pleraque oppida eorum ex beſtiis & iumentis habent nomina:* Κυνῶν *a cane,* Λέων *a leone,* Θμοῦις *lingua Aegyptia ab hirco.* Epiſcopi ciuitatis huius laudantur in eccleſiæ hiſtoria. Idem Hieronymus de Scriptoribus eccleſ. [c. 99] *Serapion* Θμούεως, *Aegypti vrbis epiſcopus, qui, ob elegantiam ingenii, cognomen Scholaſtici meruit.* Hic Sozomeno lib. IV cap. IX eſt Σεραπίων ὁ Θμουΐτης, *Serapion Thmuitanus.* Epiphanius hæreſ. LXXIII cap. XXVI Πτολεμαῖος ἐπίσκοπος Θμούεως Αὐγουστονίκης, *Ptolemæus epiſcopus Thmueos Auguſtonices.* Cognomen eſt a ſpeciali prouincia, quæ Auguſtonice, & Auguſtanice, & Auguſtamnica dicitur, in cuius extremitate Thmuis ſita fuit, vt ex Notitia eccleſiæ, ſeu prouinciarum cognoſcimus. Sed de prouincia illa Medii æui Geographia dicturi ſumus. Nec vero propterea eſt vrbs noua, licet veteres geographi poſthabeant. Herodoto enim lib. II cap. CLXVI eſt Θμουΐτης νόμος, *Thmuites nomos,* ab vrbe adpellationem trahens. Et apud Ioſephum de Bello Iud. lib. IV extremo Titus a Nicopoli, quæ prope Alexandriam eſt, milites nauibus Nilo & foſſis deuexit μέχρι πόλεως Θμούεως, *vſque ad vrbem Thmuin.*

15. Hinc ad Buſiriticum fluuium venitur, qui Ptolemæo per Pathmeticum oſtium ſiue Phatniticum effluit: pars etiam, ſecundum veterem tabulam, per Mendeſium. *Mendes,* Μένδης, oppidum Mendeſio oſtio & præfecturæ nomen dedit: ex quo adparet, non longius ſitum fuiſſe ab oſtio. Pan ibi & hircus, vt Strabo refert, colebantur: vnde hircus in nummo Hadriani, in hac vrbe cuſo, conſpicitur cum epigraphe: ΜΕΝΔ. L. ΙΑ. *Mendeſitarum, anno vndecimo.* Sed de hoc oppido plura diximus in Oſtiis.

16. Strabo duo oppida cum Mendete coniungit, ſed in auſtrum a Mendete vergentia. πλησίον Μένδητος καὶ Διὸς πόλις καὶ αἱ περὶ αὐτὴν λίμναι, καὶ Λεοντόπολις, *Prope Mendetem eſt Diospolis* [Iouis ciuitas] *& lacus circa eam: & Leontopolis.* Tabula ad Ptolemæi numeros compoſita Leontopolim in Buſiritici fluuii ripa ſiniſtra poſitam habet: vnde probabile, circa eumdem, ſed inferius & propius ad Mendetem, fuiſſe etiam *Diospolim,* cuius nominis plures in Thebaide fuerunt, quod non inſolens in Aegypti vrbibus, in quibus plures Hermopoles, Cynospoles, Lycopoles, Latopoles, Apollonopoles, Aphroditopoles, Arſinoæ, Heracleæ. In Notitia prouinciæ Aegypti ſecunda eſt cum Cabaſa, Pachnemunide, Buſiri, Cyno, etiam *Diospolis,* quæ hæc noſtra eſt.

17. Altera vrbs a Strabone iam memoratarum eſt *Leontopolis,* quæ nomen a leonibus habet in ea religioſe ſeruatis atque cultis. Aelianus Hiſt. animal. lib. XII cap. VII λέοντας ἐν Αἰγύπτῳ σέβουσι, καὶ ἐξ αὐτῶν κέκληται πόλις,

λις, *Leones in Aegypto coluntur, & ab ipſis vrbs quædam nominata eſt.* Plinius lib. v cap. x de Aegypti in Delta vrbibus: *Butos, Pharbæthos, Leontopolis, Athribis*, ceteræ. qui & cap. ix, æque vt Ptolemæus, nomon inde *Leontopoliten* nuncupauit. Nummus Antonini Pii apud Vaillſantium: ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ L. I. H. *Leontopolitarum, anno decimo octauo.* In Notitia prouinciarum vocatur Λεοντῶ, *Leonto*, truncato vocabulo, quod illo æuo etiam in aliis Aegyptiarum vrbium nominibus factum, Cyno, Lyco, tam in Notitiis, quam Itinerariis, Adde ſupra Hieronymi verba in Eſa. XLVI, vbi pro λέων videtur λεόντων legendum eſſe, quia hæc nomina ex ſecundo multitudinis caſu κυνῶν, λύκων, facta ſunt, demto πόλεως, quod ſequebatur, vocabulo. Vulgaris vſus etiam N poſtmodum abiecit, & dictum λύκω, κυνῶ, λεόντω, *Lyco, Cyno, Leonto.* Vide quoque, quæ vir ſummus Lucas Holſtenius ad Ortelium in *Lycon* p. 110 adnotauit.

18. In Leontopolitano nomo etiam *Veneris vrbem* Strabo poſuit p. 552. *Supra Mendeſium*, inquit, *ac Taniticum oſtium eſt magnus lacus & Mendeſius nomos*, καὶ ὁ Λεοντοπολίτης, καὶ πόλις Ἀφροδίτης, καὶ ὁ Φαρβητίτης νομός. *& Leontopolites nomos, & Veneris ciuitas, & nomos Pharbetites.* Hæc eſt, quam Stephanus iuxta Athribin dicit ſitam eſſe, quod arguit, inter Leontopolin & Athribin fuiſſe poſitam. Sic enim infit: Ἀφροδίτης πόλις, ἡ καὶ Ἀφροδιτόπολις, ἐςὶ πόλις κατὰ Ἄθριβιν, *Aphrodites vrbs, quæ & Aphroditopolis, ſita eſt iuxta Athribin.*

19. Supra Leontopolim eſt *Buſiris* ad fluuium Buſiriticum, qui ab vrbe nomen habet. Strabo prædicto loco: *Prope Mendetem eſt Diospolis & lacus circam eam: & Leontopolis.* εἶθ' ἀποτέρω ἡ Βέσειρις πόλις ἐν τῷ Βεσειρίτῃ νόμῳ, καὶ Κυνὸς πόλις. *Vlterius eſt Buſiris vrbs in Buſiritica præfectura, & Cynospolis.* Strabo diphthongo ſcripſit; Herodotus, Ptolemæus, Stephanus Βέσιρις. Iſidis templum eximium habuit. Herodotus lib. II cap. LIX πανηγυρίζεσι ἐς Βέσιριν πόλιν τῇ Ἴσι. ἐν ταύτῃ γὰρ δὴ τῇ πόλεϊ ἐςὶ μέγιςον Ἴσιος ἱρὸν. *Conuentum ſacrum habent in Buſiri, in Iſidis honorem. In hac vrbe enim eſt templum maximum Iſidis.* Plinius dicto antea loco: *Leontopolis, Athribis, Iſidis oppidum Buſiris, Cynopolis.* * Non incido inter *Iſidis oppidum* & *Buſiris*, ſed pro eodem habeo: quod Herodotus confirmat, nec in Delta aliud oppidum, huius Deæ nomen gerens, facile inuenitur, in hoc præſertim tractu. nam tria illa *Iſea* Tabulæ Peutingerianæ, & eiusdem *Iſcopolis*, ſi vel maxime *Iſopolis* legas vel *Iſiopolis*, nimium hinc in occaſum ſolis inclinant. De tyranno Buſiride, qui in hac vrbe videtur ſedem habuiſſe, non eſt quod multa dicamus. Dicat, qui occidiſſe illum fertur, Hercules apud Ouidium IX Metamorph. v. 182

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Buſirin domui?

Dicat Virgilius ex lib. III Georg. verſ. 5

- - - - *illaudati Buſiridis aras:*

Referat Diodorus Siculus e libro IV cap. XVIII, quod Hercules, Antæo victo

* *Buſiris*, quum defeciſſet, a Diocletiano capta & euerſa eſt. Zonaras tom. II c. in Dioclet.

victo & occiſo, *παρελθὼν εἰς Αἴγυπτον, ἀνεῖλε Βούσιριν τὸν βασιλέα, ξενοκτονοῦντα τοὺς παρεπιδημοῦντας, digreſſus in Aegyptum, Buſiridem interfecerit, qui hoſpites & peregrinos mactauerat.* * Sed hæc in fabulis latent, quamuis poſſit ſubeſſe aliquid veri. Strabo autem lib. XVII p. 552 dubitat, immo negat, vmquam Buſiridem tyrannum aliquem in Aegypto exſtitiſſe. *

20. Vidimus Strabonem & Plinium *Κυνὸς πόλιν, Cynopolim* cum Buſiri coniungere & in eodem nomo collocare. Hanc vero, ſi ita eſt, putares diuerſam eſſe a *Cyno* Itinerarii, quod medium inter Tauam & Thmuin eſt; de quo ſupra diximus. Multiplicata quidem impura erat religio, & plura loca Anubi Cynoſcephalo conſecrata. Celebrior Cynopolis ſupra Memphin in Nili inſula eſt, quæ Cynopolitanum nomon Ptolemæo denominat. In prouinciarum autem Notitia *Cyno* vocatur Buſiritica Cynopolis, in prouincia ſecunda ſextum locum tenens, Buſiris ſeptimum. Si hanc & illam Itinerarii eamdem putamus eſſe, quod vero plane eſt ſimile; oportet Buſirin ex Ptolemæi loco paullulum moueri, & propius ad Leontopolim deduci; Cynopolis autem huic ab occidente, iuſto ex interuallo, adponi, vt a Thmui iter per Cyno ad Tauam deferri poſſit. Quo referri poteſt, quod Herodotus lib. II cap. LIX Buſirin *ἐν μέσῳ τοῦ Δέλτα, in medio Delta* poſitam dicit, quæ ex Ptolemæi poſitione ad oram eſt.

21. Poſt Buſiriticum amnem prope Mendeſium oſtium, ſeu *μεταξὺ τοῦ Βουσιριτικοῦ ποταμοῦ καὶ τοῦ Βουβαστικοῦ, inter Buſiriticum & Bubaſticum fluvium* Ptolemæus haud longe ab oſtiis nomon, quem Νεοῦτ, *Nëut* vocat, poſuit, eiusque metropolim dixit Πανέφυσιν, *Panephyſin*, quæ in prouinciarum Notitia eſt Πανέφουσος, *Panephuſus*. Antiſtites Panephyſi Philippus Nicæno, Ammonius Epheſino concilio ſubſcripſerunt.

22. Supra Panephyſin loco medio eſt *Tanis* ex Ptolemæi diſpoſitione, a quo oſtium nominatur Taniticum, etiam Tanitica præfectura ſiue nomos. Strabo p. 552 *εἶτα τὸ Τανιτικὸν στόμα, καὶ ὁ Τανίτης νομὸς, καὶ πόλις ἐν αὐτῇ μεγάλη Τάνις, Poſtea eſt Taniticum oſtium, & præfectura Tanitica, & in ea* [*αὐτῷ* videtur legendum] *vrbs magna Tanis.* Eſt & in eccleſiæ & prouinciarum Notitiis vrbs numero tertia in prima Auguſtamnica *Tanis*, multique exiſtimant, hanc veterem Pharaonum fuiſſe regiam. Vrbem etiam Zoan, vt Ebræi vocant, Græci interpretes Numeror. XIII, 13, Eſa. XIX, 11, 13, Pſalm. LXXVIII, 13 & 44 verterunt *Τάνις, Tanis:* de qua plus infra in Aegypto ſacris litteris memorata dicturi ſumus. Nummus Hadriani, TANI. L. IA. *Tanitarum, anno vndecimo.* Vt ſitus reſpectu ceterarum vrbium conſtet rectius, Antonini iter per Delta totum adſcribemus;

Peluſio		
Heracleopolin	M. P.	XXII

Tanin

* Præſertim Iſocrates in Buſiride pag. 528 ſeqq. edit. Wolf. Minutius Felix Octav. pag. 70. Boëth. Conſol. II proſ. 6. Claudian. I in Eutrop. verſ. 161. Sext. Empir. adv. Mathem. II pag. 82.

* Perizonius *Buſiridem* interpretatur *Crocodilum.* Sic Aelianus iam olim de Animal. X c. 46 extr. *Oſirim* eſſe eumdem putauit, quem *Nilum* ceteri dixere.

Tanin	M.	P.	XXII
Thmuin	M.	P.	XXII
Cyno	M.	P.	XXV
Tauam	M.	P.	XXX
Andron	M.	P.	XII
Nithine	M.	P.	XII
Hermupolim	M.	P.	XXIIII
Cercu	M.	P.	XXIIII
Alexandriam	M.	P.	XX.

23. Supra Tanin eſt *Pharbæthus*, φάρβαιθος, inter Buſiriticum & Bubaſticum alueos, non procul ab illorum ἐκτροπῇ, ſeu vbi ex vno alueo diffluunt. Ptolemæus & Stephanus diphthongo ſcribunt φάρβαιθος, etiam Plinius lib. v cap. x *Pharbæthus:* Strabo autem φαρβητίτης νομὸς, *Pharbethites nomos:* Herodotus tamen etiam νομὸς φαρβαιθίτης, cum diphthongo, lib. v cap. CLXVI.

24. Tandem aliquid de *Taricheis*, id eſt ſalſamentorum locis, dicendum eſt, quæ circa Nili oſtia fuerunt, & a Byzantio Stephano etiam inter oppida referuntur. Ταριχέαι, inquit, πόλεις πολλαί· αἱ μὲν Μενδήσιαι, αἱ δὲ Σκηνικαὶ, αἱ δὲ Κανωβικαί· *Tarichea, plures huius nominis vrbes: Mendeſiæ, Scenicæ, Canobicæ.* Herodotus lib. II cap. XV etiam *Peluſiacarum* mentionem fecit. *Iones*, inquit, *ſolum Delta Aegyptum eſſe aiunt*, ἀπὸ Περσέως καλεομένην σκοπιῆς λέγοντες τὸ παρὰ θάλασσαν εἶναι αὐτὴν μέχρι Ταριχειῶν τῶν Πηλουσιακῶν, *a Perſei ſpecula ita adpellari dicentes, iuxta mare ad Peluſiacas vſque Taricheas.* Vera & diſtincta a ceteris oppida fuerint, nec ne, & ad quod latus oſtiorum ſita, aliunde non poteſt demonſtrari. Nomen arguit, mercaturæ piſcium ſale conditorum inſeruiſſe.

25. Hæc notabiliora oppida, quæ in magno Delta obſeruare licuit. Dico *magnum* Delta, quia diſcernit Ptolemæus, & magnam illam triquetræ figuræ inſulam, cuius vertex prope Memphin in Nili ſciſſione eſt, baſis & latitudo a Canopo ad Peluſium pertinet; hanc, inquam, magnam inſulam, mari & fluminibus comprehenſam, Ptolemæus vocat μέγα Δέλτα, *magnum Delta:* idem μικρὸν Δέλτα, *paruum Delta* dicit, quod Bubaſticus fluuius cum Buſiritico facit, quem ex ſe emittit. Addit idem *tertium Delta*, quod Bubaſticus cum Athribitico fluuio faciat. Sed obſcuriora ſunt ſecundum & tertium, & plerique *Magnum Delta* ſignificari volunt, qui τοῦ Delta in hiſtoriis aut geographiæ expoſitionibus mentionem faciunt.

PARTIS I SECTIO V.

INFERIORIS AEGYPTI

LATVS ARABICVM.

VIII.

Latus Arabicum vocamus, quidquid extra Delta ab ortu ſitum eſt ad Palæſtinam vſque & Arabiam Petræam. In eo ſunt primum Bubaſtico

fluuio

fluuio, qui Delta ab ortu claudit, oppida adpoſita. *Bubaſtus*, a quo flumini nomen eſt, ad medium illum ſita eſt, vt Ptolemæus eam locauit. Strabo p. 553 αὐτοῦ καὶ ἡ Βούβαστος πόλις, καὶ ὁ Βουβαστίτης νομὸς, *ibi etiam oppidum Bubaſtus eſt, & nomos Bubaſtites.* Polybius lib. XV cap. XXV memorat Adæum quemdam ἐπὶ τῆς Βουβάστου τότε καθεσταμένον, *tum præfectum vrbi Bubaſto.* De Aegyptio enim tumultu & Alexandrina ſeditione agit. Diana ibi religioſe colebatur, vt Herodotus lib. II cap. LIX recenſet. πανηγυρίζουσι, inquit, ἐς Βούβαστιν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, *ſacros conuentus agunt in Bubaſtin, in honorem Dianæ.* Diana enim Aegyptiaca lingua *Bubaſtis* dicitur, eodem teſtante cap. CXXXVII & CLVI. Inde ad Latinos etiam nomen hoc manauit. Ouidius lib. IX Metamorph. verſ. 690

Sanctaque Bubaſtis, variusque coloribus Apis.

Et *ſacra Bubaſtia* cynegeticus Gratius habet verſ. 42

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Veſtitur ſonipes æſtiui turba Canopi.

Oppidum Βούβαστος, *Bubaſtus* dicitur a Polybio, Strabone & Ptolemæo: Βούβαστις ab Herodoto dicto loco, & *Bubaſtis* a Pomponio Mela lib. I cap. IX. An etiam in ſacris ſcripturis eius mentio fiat, infra ſingulari loco diſpiciemus.

2. Supra Bubaſtum ad idem flumen, aut prope illud, ſecundum Ptolemæi tabulam eſt *Onii metropolis* in Heliopolitano nomo. Græcus falſatus Ἡλίου referens, quod Ονίου, *Oniæ* legendum eſt. Conuenit etiam ſitus per numeros deſignatus vtrobique: nec ἡλίου poteſt Heliopolim ſignare, quæ ſtatim poſt ſequitur in eodem nomo. Quod vero non illam, olim clariſſimam ciuitatem, ſed Oniæ oppidum Ptolemæus metropolim Heliopolitæ nomi facit, eius rei cauſſam Strabo prodidit pag. 553, quia iam tum ipſius ætate erat πανέρημος ἡ πόλις, *deſolata vrbs* Heliopolis. Non eſt autem quod dubitemus, Oniam illum Iudæorum in Aegypto pontificem fuiſſe, qui templum in æmulationem Hieroſolymitani in Aegypto, regis permiſſu, condidit, quod Ioſephus lib. VII de Bello Iud. cap. XXXVII narrauit. Poſitionem idem Ptolemæi verbis ex epiſtola ad Oniam lib. XIII Antiquitat. cap. VI deſcripſit: τὸ ἐν Λεοντοπόλει τοῦ Ἡλιοπολίτου ἱερὸν συμπεπτωκὸς, προσαγορευόμενον τῆς ἀγρίας Βουβάστεως, *collapſum templum apud Leontopolim, quæ in nomo Heliopolite eſt, cognominatum Dianæ Agreſtis.* Hunc locum ſibi ab rege petierat Onias, vt ſibi in eo nouum templum liceret exſtruere: quod etiam conceſſum fuit. Muniuit templum Onias muro ex lateribus facto, addiditque ingentem turrim, ſimilem Hieroſolymitanæ. Vide Ioſephi lib. VII de Bello ſub finem. Non dubium, ædificatum hoc loco frequenter ab Iudæis, vt vrbis ſpeciem templum & caſtrum acciperet: aut ipſam illam Leontopolim Heliopolitæ nomi, propter hoc templum, Oniæ nomen induiſſe, vt Oniæ metropolim Ptolemæus adpellaret.

3. *Babylon* quoque ad Bubaſticum flumen prope verticem a Ptolemæo, & in eodem Heliopolite nomo ponitur: de quo loco plenius Strabo lib. XVII p. 555 Ἀναπλεύσαντι δ᾽ ἐστὶ Βαβυλὼν φρούριον ἐρυμνὸν, ἀποστάντων ἐν-

ταῦθα Βαβυλωνίων τινῶν, εἶτα διαπραξαμένων ἐνταῦθα κατοικίαν παρὰ τῶν βασιλέων, *Surſum nauiganti occurrit Babylon caſtellum permunitum, vbi Babylonii quidam conſederant, impetrarantque ab regibus, vt ibi habitarent.* Romani ibi vnam ex tribus legionibus poſuerunt, quæ Aegypto præſidio eſſent: quod idem Strabo adnotauit. Videtur tamen Strabo Babylonem non ad alueum ex ſciſſione Nili, ſed ſupra Delta & ſupra ſciſſionem poſuiſſe: nos autem Ptolemæi numeros & inde confectam tabulam ſecuti, hoc loco prætermittere noluimus, præſertim quod ſub Heliopolitano nomo cenſuit, quam vltimam Arabicæ partis ad auſtrum præfecturam inferioris Aegypti & τῶ Delta æqualis, conſtituimus. Accedit auctoritas Ioſephi lib. II Antiquit. cap. v, qui a Strabone diſſentit, Ptolemæo propior: etiam vetus loci nomen prodit. τὴν δὲ πορείαν ἐποιοῦντο, *Iter*, inquit, [Iſraelitæ ex Aegypto exeuntes] *faciebant* κατὰ Λητοῦς πόλιν ἔρημον οὖσαν ἐν τοῖς τότε, Βαβυλῶν γὰρ ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον, *iuxta Latopolim* [Latonæ ciuitatem] *tunc deſertam. Babylon enim poſt eo loco eſt condita, quo tempore Cambyſes Aegyptum vaſtabat.*

4. Hæc ſupra Bubaſtum ad flumen eiusdem nominis ex Ptolemæi poſitione: infra vrbem illam *Phacuſa* eſt, vt Ptolemæus ſcripſit, qui metropolim Arabiæ nomi vocat; Strabo autem pag. 553 Φάκουσα, *Phaccuſa*; & Stephanus Φάκουσσα, *Phacuſſa*, & vterque κώμην, *vicum* dixit, non oppidum. Inde foſſæ nauigabilis initium erat, quæ in mare Rubrum iuxta Arſinoen deducta erat, quam Strabo dicit centum cubitorum habuiſſe latitudinem.

5. Supra Phacuſam eſt *Heracleopolis parua*, quam vetus ad Ptolemæum tabula in dextra ripa Bubaſtici amnis habet. Poſſis dubitare de ſitu, annon in Delta ponenda ſit. Ptolemæus enim metropolim nomi Sethroitici hanc minorem Heracleopolim fecit: at nomum hunc Strabo dicit ἕνα τῶν δέκα τῶν ἐν τῷ Δέλτα, *vnum ex decem nomis, qui intra Delta ſunt.* At incertum eſt, fuiſſe nomos ſemper fluminibus ita diſtinctos, vt nihil trans flumen continere potuerint. Satis eſt, veterem metropolim, *Sethrum* Stephani, fuiſſe fortaſſe in Delta: an vero noua non potuit extra illud in loco eſſe proximo? Sic nihil volui in tabula immutare. Dicitur vero Ἡρακλέους μικρὰ πόλις, *Herculis parua ciuitas*, ad diſcrimen maioris, ſitæ in inſula Nili magna, quæ ſupra Memphin eſt, ad occidentalem fluminis alveum ſeu partem. Minorem Itinerarium Antonini deſignat, mediam inter Peluſium & Tanin, ab vtraque vrbe XXII milliariis diſtantem.

Peluſio			
Heracleus	M.	P.	XXII
Tanin	M.	P.	XXII.

Easdem manſiones etiam Titus, ex Aegypto cum exercitu in Pæleſtinam profecturus, tenuit apud Ioſephum extremo lib. IV de Bello. A Thmui terreſtri profectus κατὰ πολίχνην τινὰ Τάνιν αὐλίζεται, *iuxta oppidum quoddam Tanin caſtra ponit:* δεύτερος αὐτῷ σταθμὸς Ἡρακλέος πόλις, καὶ τρίτος Πηλούσιον γίνεται, *ſecunda manſio Heracleopolis fuit: tertia Peluſium.*

6. Ad

§. 6. Ad oſtium fluminis ipſum eſt *Peluſium*, * vrbs nobilis & munita, viginti ſtadiis a mari reducta, vt Strabo obſeruauit: *clauſtrum* Aegypti dictum ab Hirtio Bell. Alexand. cap. XXVII. Nomen vrbs ducit a πηλῷ, *luto*, ſecundum Strabonem, quia inter paludes ſita. Aliam & fabuloſam originem tam nominis quam vrbis, neſcitur quo auctore, Ammianus lib. XXII cap. XL [XVI Valeſ.] prodidit. *In Auguſtamnica*, inquit, *Peluſium eſt oppidum nobile, quod Peleus, Achillis pater, dicitur condidiſſe, luſtrari deorum monitu iuſſus in lacu, qui eiusdem ciuitatis adluit mœnia.* Hiſtoriam vel fabulam Pelei ab omnibus aliter narrari, Valeſius ad hunc locum demonſtrauit. Sæpe obſeſſa & multo labore capta, vtpote a Perſis, apud Diodorum lib. XVI, cap. XLVII ſeq. & ab Antonio, Gabinii auſpiciis, quum pulſum Ptolemæum reduceret, apud Plutarchum p. 917, & a Mithridate Pergameno pro Cæſare, apud Hirtium de Bello Alex. cap. XXVI, quia hac vrbe potiti, patentem in Aegyptum interiorem aditum habebant. Oſtium Nili vltimum, vt notum eſt, *Peluſiacum* denominat. Lucanus lib. VIII verſ. 465

- - - *diuidui pars maxima Nili*
In vada decurrit Peluſia, ſeptimus amnis.

Lentem Peluſiacam poetæ laudant. Virgilius lib. 1 Georgicorum verſ. 228

Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.

Et Martialis lib. XIII epigram. IX

Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem.

An etiam *Peluſia* muliebri genere nomen vrbis effertur? ait Salmaſius ad Capitolini Marcum cap. XXIII dicentis, *Sacra Serapidis a vulgaritate Peluſiæ ſubmouit.* Quid vero, ſi adiectiuum ſit, & vel *Peluſia* legendum, vel ſubaudiendum *ſuperſtitionis?*

7. Nunc a Peluſio mare perſequemur, vsque ad Rhinocoluram, extremam Palæſtinæ ciuitatem. Primum a Peluſio eſt Ptolemæi Γέῤῥον, *Gerrum*, quæ *Gerra* Strabonis ſunt lib. XVI p. 523 dicentis, εἶτ' ἐπὶ Πηλέσιον ὁδὸς, ἐν ᾗ τὰ Γέῤῥα, καὶ ὁ Χαβρίε λεγόμενος χάραξ, καὶ τὰ πρὸς Πηλεσίῳ βάραθρα, ἃ ποιεῖ ὁ παρεκχεόμενος Νεῖλος, φύσει κοίλων καὶ ἑλωδῶν ὄντων τῶν τόπων, *Deinde* [a Caſio monte & Pompeii ſepulcro] *via Peluſium fert, in qua ſunt Gerra, & qui Chabriæ dicitur agger* (Plinius *Chabriæ caſtra* dixit) *ac voragines Peluſio proximæ, Nili effuſionibus facta, quod ea loca caua & paluſtria ſunt.* Quod ergo a Caſio procedit Peluſium verſus, Gerra Caſio ſunt propiora, Agger Chabriæ Peluſio.

8. In Itinerario ſequitur *Pentaſchœnos*, æquali diſtantia XX MP. a Peluſio & a Caſio, cuius etiam Stephanus mentionem habet in Μαγδαλὸς & Τάκομψος.

9. Tractus a Gerro ad Rhinocoluram, Ptolemæo dictus eſt CASIOTIS, ſiue, vt ipſe ſcripſit geminata littera, CASSIOTIS, a *Caſſio* oppido, quod idem habet & Tabula Peutingerorum, cuius hæc eſt poſitio:

(Ggg gg) 3 *Peluſio*

* In vicinia Peluſii locus erat *Lychnos* adpellatus, vbi monachi verſabantur. Hieronym. in Vita Hilarion.

Peluſio VIII *Gerra* XXIII *Caſſio* [ ] *Oſtracine* XXIII (*Rhinocorura* XV.) Ammianus dicto loco etiam geminauit: *In Auguſtamnica Peluſium eſt - - - & Caſſium, vbi Pompeii ſepulcrum eſt Magni, & Oſtracine, & Rhinocolura.* Ceteri *Caſium* ſcribunt, & montem potius, quam oppidum intelligunt, niſi ad montem eiusdem nominis oppidum fuit. Strabo lib. XVI pag. 523 ἔστι τὸ Κάσιον θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, ἄνυδρος, ὅπου τοῦ Πομπηΐου τοῦ Μάγνου σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐστιν ἱερὸν Κασίου. *Caſius mons aggeribus arenarum ſimilis, & in mare procurrens, ipſe aquarum inops. In eo Pompeii Magni corpus iacet, & Iouis Caſii templum eſt.* Idem lib. XVII pag. 548 Πομπήϊος Μάγνος ἧκε φεύγων ἐκ Παλαιοφαρσάλου πρὸς τὸ Πηλούσιον καὶ τὸ Κάσιον ὄρος, *Pompeius Magnus venit, ex Palæopharſalo fugiens ad Peluſium & Montem Caſium.* Sic ex priore loco emendandum, non Κάσσιον legendum, vt editum eſt. Pomponius Mela lib. I cap. X *Arabia, niſi qua Caſio monte attollitur, plana & ſterilis.* Et lib. III cap. VIII de Sinu Arabico: *Init penitus introrſusque, dum Aegyptum pæne & montem Arabiæ Caſium attingit.* In eo autem falſus eſt Mela, quod priore loco huic Aegypti Caſio tantam tribuit altitudinem, vt ex ſummo vertice a quarta vigilia ortum ſolis oſtendat: quod ceteri de Caſio Syriæ monte referunt. Vterque *Caſius* rectius, quam Caſſius, ſcribitur. Salmaſius in Spartiani Hadrianum cap. XIV *Vbicunque ſcriptum* CASSIVM, *ſiue apud Græcos ſiue apud Latinos auctores reperitur, tam de Syriæ monte, quam de altero Aegypti circa Peluſium, reformandum in* CASIVM. De ſepulcro Pompeii Spartianus Hadriano cap. XIV *Peragrata Arabia Peluſium venit, & Pompeii tumulum magnificum exſtruxit:* de eodem & Iouis templo Plinius lib. V cap. XII *A Peluſio Chabriæ caſtra, Caſius mons, delubrum Iouis Caſii, tumulus Magni Pompeii.* Si oppidum fuit Caſium, ut Ptolemæus cenſuit, circa illud delubrum fuit, aut in ipſo oppido. At Ioſephus extremo lib. IV de Bello etiam templum, non oppidum dixit. *Ad Peluſium*, inquit, *milite per biduum recreato, tertio die pertranſiit* τὰς ἐμβολὰς τοῦ Πηλουσίου, *irruptiones Peluſii oſtii* ſeu paluſtria loca, καὶ προελθὼν σταθμὸν ἕνα διὰ τῆς ἐρήμου, πρὸς τῷ τοῦ Κασίου Διὸς ἱερῷ στρατοπεδεύεται, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ κατὰ τὴν Ὀστρακίνην. *& vnam manſionem profectus per ſolitudinem, ad Caſii Iouis templum caſtra poſuit; poſteroque die apud Oſtracinen.*

10. Poſt Caſium in Caſiotide Ptolemæi eſt Ἔκρηγμα Σιρβωνίδος λίμνης, *Ecregma*, id eſt eruptio, *Sirbonidis lacus.* Seruaui vertendo vocem *Ecregma*, quia vt propriam nobis Diodorus & Strabo commendant: ille lib. XIX cap. LXIV αὐτὸς παρῆλθεν ἐπὶ τὸ καλούμενον ἔκρηγμα, *ipſe ad Ecregma, quod ita vocatur, profectus eſt:* hic lib. XVI p. 523 *Quæ Gazam ſequitur regio, ſterilis eſt & arenoſa: magis etiam, quæ inde inter mare & Sirbonidem lacum, mari parallelum, & anguſtum ſpatium pro tranſitu relinquentem eſt,* μέχρι τοῦ Ἐκρήγματος καλουμένου, *usque ad Ecregma, quod ita nuncupatur.* Idem Strabo lib. I pag. 45 refert, quosdam magnos orbis continentes diſtinguere τοῖς ἰσθμοῖς, *iſthmis*, τῷ τε μεταξὺ τῆς Κασπίας καὶ τῆς Ποντικῆς θαλάσσης καὶ τῷ μεταξὺ τῆς Ἐρυθρᾶς καὶ τοῦ Ἐκρήγματος, *tum illo* [iſthmo] *qui eſt inter*

ter Caſpium & Ponticum mare, tum eo, qui eſt inter Rubrum mare [Arabicum ſinum] *& Ecregma.* Plinius lib. v cap. XIII ἔκρηγμα vertit *emerſum*, hoc eſt eruptionem. *Mox*, inquit, *Idumæa incipit & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacus.* Hic, & Ptolemæus, os lacus, quo effluit ex mari, videntur ἔκρηγμα, *emerſum* nominaſſe, quod ab occaſu lacus, ſeu occidentalem eius partem erat, vt ex Strabonis verbis liquet, a Gaza procedentis & lacum ab ortu in occaſum deſcribentis μέχρι τοῦ ἐκρήγματος, *vſque ad Ecregma.* Addit, τὸ δ' ἔκρηγμα συγκέχωσαι, *Ecregma autem aggeratum eſt.*

II. Ipſe lacus *Sirbonis* & *Serbonis* Σιρβωνὶς & Σερβωνὶς dicitur. Strabo lib. XVI ὑπερκειμένην ἔχουσι τὴν Σιρβωνίδα λίμνην, παράλληλον πρὸς τῇ θαλάττῃ μικρὰν δίοδον ἀπολίπουσαν μεταξὺ μέχρι τοῦ Ἐκρήγματος, *Habent* [hæc loca] *ſuperiacentem Sirbonidem lacum, parallelum mari, paruum quemdam tranſitum in medio relinquentem, vſque ad Ecregma.* Loquitur de interiecto inter mare & lacum ſpatio, quod inſtar tæniæ eſt, longum, vt ipſe ſupputat, CC ſtadia: latum, vbi maxime, quinquaginta. Conſentit Diodorus Siculus, lib. I cap. XXX ἔστι ἀνὰ μέσον τῆς δὲ Κοίλης Συρίας καὶ τῆς Αἰγύπτου λίμνη, τῷ μὲν πλάτει στενὴ παντελῶς, τῷ δὲ βάθει θαυμάσιος, τῷ δὲ μήκει ἐπὶ διακοσίους παρήκουσα σταδίους, ἡ προσαγορεύεται Σέρβωνις. *Eſt in medio Syriæ Cœles & Aegypti lacus, latitudine perquam anguſtus, ſed profunditatis admirandæ: longitudo autem ad ducenta ſtadia excurrit: Serbonis nuncupatur.* Secunda vocali *Serbonis* ſcripſit etiam Herodotus, qui lib. II. cap. VI longitudinem Aegypti iuxta mare definit ἀπὸ τοῦ Πλινθινήτεω κόλπου μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, παρ' ἣν τὸ Κάσιον ὄρος τείνει, *a Plinthinete ſinu ad Serbonidem vſque lacum, ad quem mons Caſius pertingit.* Et lib. III cap. V μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, παρ' ἣν δὴ τὸ Κάσιον ὄρος τείνει ἐς θάλασσαν, *vſque lacum Serbonidem, iuxta quem mons Caſius ad mare pertingit.* Acceſſit fabula, Typhonem in hoc lacu iacere. Herodotus ibidem: ἀπὸ Σερβωνίδος λίμνης, ἐν τῇ δὴ λόγος τὸν Τυφῶ κεκρύφθαι, *a Sirbonide lacu, in quo Typho dicitur occultatus.* Et Plutarchus Antonio p. 917 περὶ τὸ Ἔκρηγμα καὶ τὰ τῆς Σερβωνίδος ἕλη γινομένης αὐτοῖς τῆς πορείας, ἃς Τυφῶνος μὲν ἐκπνοὰς Αἰγύπτιοι καλοῦσι, *iter illis faciendum erat circa Ecregma & Serbonides paludes, quas Typhonis exhalationes Aegyptii vocant.* Ptolemæus & Strabo, vt vidimus, per iota ſcribunt Σιρβωνίς: & Plinius lib. v cap. XIII *Sirbonis*, ſecundo caſu, quaſi primo *Sirbon*, vel *Sirbo* formaſſet. *Idumæa*, inquit, *incipit, & Palæſtina, ab emerſu Sirbonis lacus, quem quidam* CL. M. *paſſuum circuitu tradidere. Herodotus Caſio monti adplicuit: nunc eſt palus modica.* Quod ab emerſu initium Palæſtinæ fecit, in eo Herodotum ſequutus videtur, qui lib. III cap. V, inuerſo quamuis ordine, ἀπὸ ταύτης [Σερβωνίδος λίμνης] ἤδη Αἴγυπτος, *ab hoc* [lacu Serbonide] *iam Aegyptus eſt.* Sed variæ de limite opiniones, quem nos ſupra in Palæſtina certis de cauſſis ad Rhinocoluram ſeu præterlabentem fluuium conſtituimus. Quod deinde caſu patrio *Sirbonis* format, in hoc conſentientem habet Stephanum, vtraque forma vſum. Sic enim ſcripſit: Σίρβων καὶ Σιρβωνίς, λίμνη πλησίον τοῦ Κασίου, *Sirbon & Sirbonis, lacus prope Caſium.* Quod denique lacum decreuiſſe dicit, id eo facilius ad credendum eſt, quo con-

ſtantius

ſtantius recentiores referunt, maiorem partem hodie exſiccatum eſſe.

12. Poſt lacum Sirbonidem ſequitur apud Ptolemæum *Oſtracine*, vltimum ex noſtra finitione Aegypti oppidum, quod iam in Aſia cenſeri debet, quum cetera Aegypti Africæ reliquerimus. Si non propria Aegypti eſt *Oſtracine*, tamen acceſſio, vel adiecta pars, quo minus habeatur, nihil repugnare video: idque rationes de limite in Palæſtina prolatæ ſatis videntur confirmare. Plinius lib. v cap. XII *Caſius mons, delubrum Iouis Caſii, tumulus Magni Pompeii. Oſtracine Arabia finitur, a Peluſio* LXV *millibus paſſuum.* Ioſephus lib. IV extremo ἁλώσεως de Titi itinere, πρὸς τῷ τοῦ Κασίου Διὸς ἱερῷ στρατοπεδεύεται, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ κατὰ τὴν Οστρακίνην. οὗτος ὁ σταθμὸς ἦν ἄνυδρος, *ad Iouis Caſii templum caſtra poſuit: poſtero die iuxta Oſtracinen: quæ manſio aquæ inops erat.* Magnum hoc vnius diei iter fuit, ut fere omnium illius expeditionis. nam XXVI paſſuum millia Itinerario, quod Antonini vulgo dicitur, numerantur. Sic enim diſtantiæ diſpoſitæ ſunt:

Rhinocorura		
Oſtracinam	M. P.	XXVI
Caſium	M. P.	XXVI
Pentaſchœnon	M. P.	XX
Peluſium	M. P.	XX.

Sic ab Oſtracina ad Peluſium ſunt LXVI paſſuum millia: quod bene convenit cum Plinio, qui LXV, vt vidimus, poſuerat.

13. A meridiano mari, cui Caſiotis adiacet, ad ſinum Arabicum decedimus, viſuri quæ ad illum τῷ Delta parallelæ vrbes fuerint poſitæ. Prima eſt *Heroopolis*, Ἡρώων πόλις, quam Ptolemæus ſupra intimum ſinum ſeu μυχὸν ſinus Arabici conſtituit; a qua ortum verſus Arabia Petræa incipiat; ſiue in occaſum eadem procurrat μέχρι τοῦ καθ' Ἡρώων πόλιν μυχοῦ τοῦ Αραβίου κόλπου, *vsque ad intimum ſinus Arabici iuxta Heroum oppidum.* Et Strabo lib. XVII pag. 553 πλησίον τῆς Αρσινόης καὶ ἡ τῶν Ηρώων ἐστι πόλις, καὶ ἡ Κλεοπατρὶς ἐν τῷ μυχῷ τοῦ Αραβίου κόλπου τῷ πρὸς Αἴγυπτον. *Prope Arſinoen eſt etiam Heroum ciuitas, & Cleopatris in intimo Arabici ſinus receſſu, qui Aegyptum ſpectat.* Plinius *Heroum oppidum* vocat lib. VI cap. XXIX. *Aſinu*, inquit, *Aelanitico alter ſinus, quem Arabes Aeant vocant, in quo Heroum oppidum eſt.* Alter ille ſinus, ab oppido *Heroopoliticus* vocatur. * Idem lib. V cap. XI *Heroopoliticus vocatur, alterque Aelaniticus ſinus Rubri maris in Aegyptum vergentis.* Mela lib. III cap. VIII *Berenice inter Heroopoliticum & Strobilum*; vbi promontorium ſubaudiunt. *Nomos Heroopolites* a nonnullis dictus (nec enim Ptolemæus agnoſcit) apud Plinium lib. V cap. IX.

14. Ab Herooum oppido proxima in latere ſinus Aegyptio apud Ptolemæum eſt *Arſinoe*, Αρσινόη, de qua Strabo lib. XVII p. 553 ἐκδιδοῦσα εἰς τὴν Ερυθρὰν καὶ τὸν Αράβιον κόλπον καὶ πόλιν Αρσινόην, ἣν ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσι, *educta* [foſſa eſt] *in Erythræum mare & Arabicum ſinum, & oppidum Arſinoen,* *quam*

* Eumdem *Heroum* adpellat Theophr. de hiſtor. Plantar. IV. c. 8. ἐν δὲ τῷ καλουμένῳ Ἡρώῳ, ἐφ' ὃν καταβαίνουσιν οἱ ἐξ Αἰγύπτου. *In ſinu Heroo nominato, ad quem deſcendunt Aegyptii.*

quam nonnulli Cleopatridem adpellant. Hæc Strabonis verba Patres Benedictini, qui Athanaſium cum Tabula eiusque explicatione ediderunt, ad Arſinoen, quæ ſupra Memphin eſt, & nomon denominat, adplicuerunt, in quo cum ipſis conſentire non poſſum, quum ad Erythræum mare & Arabicum ſinum geographus reſtringat. Facile autem concedo, & alteram Arſinoen fuiſſe poſtmodum Cleopatridem, ex muliebri, credo, æmulatione nuncupatam, quamuis diſerte id demonſtrare difficile eſt. Paucis autem interiectis verbis videtur Strabo eamdem Rubri maris Arſinoen, Heroopoli vicinam, a Cleopatride diſtinguere. Verba paullo ante in *Heroopoli* attulimus. Sed puto ita conciliari poſſe: Cleopatram Arſinoes nomen non penitus aboleuiſſe, ſed oppido illius nouam partem addidiſſe, quam Cleopatridem adpellauerit: vnde factum, vt totum oppidum poſtea quidam veteri nomine Arſinoen, quidam nouo Cleopatridem nuncuparent. Ordo verborum poſtulat, Cleopatridem fuiſſe inter Heroum oppidum & veterem Arſinoam, ſiue Arſinoæ a ſeptemtrione adpoſitam.

15. Haud procul inde fuit *Phagroriopolis* cum nomo *Phagroriopolitano*, nec vero ad Arabicum ſinum videtur oppidum fuiſſe, ſed intus paullo, ſeu in mediterraneis. Strabo, quum de Arſinoe, Heropooli & Cleopatride, ἐν τῷ μυχῷ, *in intimo ſinu* ſitis, egiſſet, illico dicit, ἐνταῦθα δ' ἐςὶ καὶ ὁ Φαγρωριοπολίτης νόμος, καὶ πόλις Φαγρωριόπολις. *Ibidem eſt etiam Phagroriopolitana præfectura, & oppidum Phagroriopolis.* Agit proxime poſt de foſſa per iſthmum a Phacuſa ad Arſinoen & in ſinum Arabicum ducta, circa quam Phagroriopolim fuiſſe ſitam, vero eſt ſimillimum. Stephanus de Vrbibus, etiam *Phagrorium* nominauit; Φαγρώριον, πόλις, ὡς Ἀλέξανδρος ὁ πολυΐςωρ ἐν Αἰγυπτιακοῖς. ἐξ οὗ σύνθετον Φαγρωριόπολις, καὶ Φαγρωριοπολίτης. *Phagrorium, vrbs, vt Alexander Polyhiſtor in Aegyptiacis. Ex quo compoſitum Phagroriopolis, & Phagroriopolites.*

16. Quod vero *foſſæ* mentionem fecimus per Iſthmum in mare Rubrum deductæ, de illa plenius nunc, quia opus erat admodum memorabile, dicemus. Diodorus Siculus lib. I cap. XXXIII ſcripſit, regem Neco, Pſammetichi filium, primum auctorem fuiſſe, ſed inchoatum reliquiſſe: Darium Perſam προκόψαι τοῖς ἔργοις ἕως τινὸς, *proceſſiſſe longius in illo opere vſque ad exiguam partem;* verum etiam abſtinuiſſe, territum a quibusdam, qui dicerent, perducta foſſa fore, vt Aegyptus ſubmergeretur: quia Rubrum mare editius eſſe, quam Aegyptum, perſuaſerunt. Tandem Ptolemæus II abſoluit opus, & foſſam in Rubrum mare iuxta Arſinoen ſine damno aut periculo perduxit. Quæ fuit tamquam διάφραγμα, *transuerſarium munimentum* regni, quod aperiri poterat, quoties voluerit rex διαπλεῦσαι, pernauigare; & rurſus celeriter claudi. Hæc Diodorus, qui ἐκ Πηλουσιακοῦ ςόματος, ex oſtio Peluſiaco, id eſt ex Bubaſtico amne deducit, quia ſæpe ςόμα totum alueum ſignificat. Strabo autem lib. XVII pag. 553 dicit, ἀπὸ κώμης ἄρχεται Φακκούσης, *a vico Phaccuſa incipit* illa foſſa, lata centum cubitos, & profunditatis tantæ, quanta magnis nauibus ſatis eſſet.

Exitum vterque ponit apud oppidum Arſinoen: nomen foſſæ vel amnis per foſſam decurrentis fuiſſe *Ptolemæi*, commune cum perfectore, Diodorus adnotauit.

17. Fuit etiam alia foſſa, per quam fluuius deductus erat a Babylone ad Heroopolim, qui *Traiani fluuius* ab auctore vel reparatore vocatus eſt. Ptolemæus lib. IV cap. V Ἡρώων πόλις, δι' ἧς καὶ Βαβυλῶνος πόλεος Τραϊανοῦ ποταμὸς ῥεῖ. *Heroum vrbs. Per hanc & Babylonem vrbem Traiani amnis fluit.* Quod vero magna illa Ptolemæi foſſa apud Arſinoen in mare exibat, quæ vrbs ſupra Heroopolim & intimum ſinus Arabici erat, non potuit Traiani fluuius per Heroopolim ferri, niſi exſiccata aut oblimata foſſa Ptolemæi fuerit: aut laxe dicitur per Heroopolim ferri, quæ prope illam fortaſſis exitum habuit. Prior autem opinio deſcriptioni Ptolemæi eſt accommodatior.

18. Magis in auſtrum hinc recedebat *Heliopolis*, Ἡλιούπολις, vt Herodotus, Diodorus, Ptolemæus, Stephanus ſcripſerunt: ſiue, vt Strabo, ἡ τοῦ ἡλίου πόλις, *Solis ciuitas*, vbi templum Solis fuit & maximus cultus ac veneratio. Antiquiſſima fuit, vt origo etiam ad fabulas referatur. Diodorus Siculus lib. V cap. LVII Ακτὶς δ' εἰς Αἴγυπτον ἀπάρας ἔκτισε τὴν Ἡλιούπολιν ὀνομαζομένην, ἀπὸ τοῦ πατρὸς θέμενος τὴν προσηγορίαν, *Actis vero in Aegyptum profectus, Heliopolim condidit, parentis nomine vrbi impoſito.* Fertur enim Actis ille Solis & Rhodæ filius fuiſſe, ibidem cap. LVI. Strabo lib. XVII pag. 553 ἡ τοῦ Ἡλίου πόλις ἐπὶ χώματος ἀξιολόγου κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ Ἡλίου, καὶ τὸν βοῦν τὸν Μνεῦιν, ἐν σηκῷ τινι τρεφόμενον, ὃς παρ' αὐτοῖς νενόμισται θεὸς, ὥσπερ καὶ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις. *Solis vrbs, mirando aggeri impoſita, Solis templum habet, & Mneuim bouem, qui in ſepto quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro deo habetur, quemadmodum Apis a Memphitis.* Dicit autem idem Strabo νυνὶ μὲν οὖν ἔστι πανέρημος ἡ πόλις, *ſuo tempore deſolatam vrbem eſſe.* Vnde eſt, quod Ptolemæus aliam metropolim Heliopolitani nomi conſtituerit. Sita vrbs in mediterraneis, propior tamen Nilo & Memphi, quam ſinui Arabico: & per foſſam facilis ingreſſus ab vrbe in Nilum, indeque nauigatum ab Heliopoli ad Thebas vſque, quod Herodotus refert lib. II cap. IX.

19. Iſthmus, qui inter Peluſium & intimum Arabici ſinus apud Heroopolim eſt, a Strabone pag. 552 cenſetur nongentorum eſſe ſtadiorum: quamuis longiorem Poſidonius faciat, cuius ſententia reiicitur, Strabonis a pluribus tenetur. Quæ præterea in hoc iſthmo, aut ſupra eum in Heliopolitano nomo ex ſacris litteris interpretanda eſſent, poſt paullo, quum prius de Nomis egerimus, ſingulari titulo exponemus.

PARTIS I SECTIO VI.

NOMI SEV PRAEFECTVRAE INFERIORIS AEGYPTI.

IX.

Nomos, νομὸς, videtur magis Aegyptia, quam Græca vox eſſe, quæ præfe-

præfecturam ſignificabat, quam cuilibet vrbi maiori tribuebant. Græci, Herodotus, Strabo, Ptolemæus vocabulum νομὸς retinent * Plinius lib. v cap. IX *præfecturam* interpretatur. *Diuiditur*, inquit, [Aegyptus] *in præfecturas oppidorum, quas Nomos vocant.* Et alii Latine vocabulum *nomos*, quando de Aegypto ſcripſere, vſurpauerunt. Traianus Plinio lib. x epiſt. XXIII *Tu, ex quo nomo ſit, notum mihi facere debebis, vt epiſtolam tibi ad præfectum Aegypti mittam.* Harpocrati enim, Aegyptio iatraliptæ, ciuitatem Alexandrinam a Traiano petierat. Repete quæ ſupra etiam de Nomis diximus. **

2. Non autem iam de ſingulis per totam Aegyptum agemus, ſed qui in Delta aut circa illam regionem ab vtroque latere erant: de ceteris, in aliis Aegypti partibus acturi. Primum autem tractabimus, qui circa Alexandriam cis Delta erant, ad Memphim vſque: deinde qui in ipſo Delta: tandem, qui vltra Delta in iſthmo ſunt & ad Arabiam.

3. Quod ſupra, quum de Aegypto cœpiſſemus dicere, ex Mareotide iuſtas ob cauſſas initium factum fuit; Ptolemæi Μαρεώτην νομὸν, *Nomon Mareoten* hoc loco non debemus præterire. Nullam vero hic metropolim nominauit, vt ſolitus eſt in nomis aliis: nec eccleſia talem in Mareotide habuit, ſed fuit ſub Alexandrino epiſcopo, vt ſupra ex Athanaſii Apologia demonſtrauimus. Oppida huius nomi ſunt ſupra etiam omnia, tam maritima, quam mediterranea, a nobis expoſita & declarata, quæ repetere nihil attinet.

4. Ptolemæus tres nomos habet inter Mareoticum & Delta. Primus eſt Αλεξανδρέων χώρας νομὸς, *Alexandrinorum regionis nomos*, cuius metropolis non eſt ipſa Alexandria, [hæc enim exemta eſt tamquam caput totius regni aut prouinciæ] ſed Ερμȣ́πολις μικρὰ, *Hermopolis parua.* Eccleſia quoque diſtinctos epiſcopos habuit, Alexandrinum & Hermopolitanum: & hic alter, tum Dracontius, ab Athanaſio nunc *Hermopoleos paruæ epiſcopus* vocatur, nunc χώρας Αλεξανδρέων, *Alexandrinorum regionis.* Vide Epiſt. ad Antiochenos in ſubſcriptione: & eiusdem Epiſtolam ad Dracontium ipſum ſub initium.

5. Secundus Ptolemæi cis Delta nomos eſt Ανδρȣπολίτης, *Andropolites*, cuius metropolis eſt Ανδρῶν πόλις, *Andropolis*, ad flumen Agathodæmonem ſupra Hermopolim paruam ſita: de qua ſupra diximus. Eadem eſt Ἄνδρω, *Andro*, in Epiſt. Athanaſii ad Antiochenos & in Itinerario. Idem an diuerſus ſit Plinii *Gynæcopolites* nomos lib. v cap. IX, ſupra in vrbibus diſputatum eſt.

6. Tertius eſt Λητȣπολίτης νόμος, *Letopolites nomos*, eiusque metropolis Λητȣ̃ πόλις μεσόγειος, *Latonæ vrbs mediterranea*, ſiue a flumine reducta. Non eſt hæc cum Thebaidos Latopoli, quæ λάτον piſcem colebat, permutanda, de qua Strabo lib. XVII p. 561.

7. Quartum nomon addimus, qui eſt Νιτριῶτις νόμος, *Nitriotis præfectu-*

* Vide quæ ſupra ad libr. IV c. I § 2 ſegm. 3 pag. 767 adſcripſimus.
** Ibidem.

fectura, dicta a nitri fodinis, quæ in ea erant. Strabo p. 552 ὑπὲρ δὲ Μωμέμφεως εἰσὶ δύο νιτρίαι, πλεῖστον νίτρον ἔχουσαι καὶ νομὸς Νιτριώτις, *Super Momemphin ſunt duæ nitri fodinæ, plurimum nitri habentes: & nomos Nitriotis.* Neſcio an huius alius meminerit. Plinio quidem Frobenius dedit, & qui hunc ſequuti ſunt: at vetuſtiores omnes aliter, & veſtigia manu ſcriptorum *Meteliten* ibi poſtulant. Hæ ſunt *nitrariæ Aegypti circa Naucratim & Memphim*, quas Plinius laudat lib. XXXI cap. I. Ptolemæus populum *Nitriotas* habet; μεσημβρινώτερα νέμονται Νιτριῶται, *Nitriotæ incolunt, quæ hinc in auſtrum vergunt.* Præcipue celebratur mons *Nitriæ* cum monaſteriis ſuis. Socrates lib. IV cap. XXIII de S. Ammone eiusque ſponſa: *quum caſtitatem inter ſe pacti eſſent*, ἐπὶ τὸ ὄρος τῆς καλουμένης Νιτρίας χωροῦσιν, *in montem Nitriæ, quæ ita vocatur, ſe conferunt.* Idem lib. VII cap. XIV τῶν ἐν τοῖς ὄρεσι τῆς Νιτρίας μοναχῶν τινες, *quidam ex monachis, qui in Nitriæ montibus habitabant.* Et Sozomenus lib. VI cap. XXXI καλοῦσι τὸν χῶρον τοῦτον Νιτρίαν. *Hic locus Nitria vocatur:* eo quod κώμη, *vicus* erat finitimus, in quo nitrum colligebatur. Habuit circiter quinquaginta monaſteria, τὰ μὲν συνοικιῶν, τὰ δὲ καθ' ἑαυτοὺς οἰκούντων, *quorum alia fratres cohabitantes, alia ſeparatim degentes habebant.* Sic Sozomenus χῶρον, *locum* tantummodo Nitriam vocauit, vt dubium ſit, oppidum fuerit an regio. Hieronymus pro oppido habet, nec tantum loquitur de eo vt oppido, ſed clare etiam oppidum adpellat. Epiſtola XXII ad Euſtochium de Virginitatis cuſtodia cap. XIV *quid ante non plures annos Nitriæ geſtum ſit, referemus.* Et Epitaphio Paullæ cap. VI *Veniam ad oppidum Domini Nitriam, in quo puriſſimo virtutum nitro ſordes lauantur quotidie plurimorum.* Septuaginta abhinc ſtadiis in eremo locus eſt, qui Κελλία, *Cellia* vocabatur, in quo σποράδην ἐςὶ μοναχικὰ οἰκήματα πολλὰ, *diſperſæ ſunt multæ monachorum habitationes:* a quorum cellulis nomen deductum eſt, vt ipſe quoque Sozomenus obſeruauit.

8. Strabo, quum de Nitrioti nomo dixiſſet, addit, πλησίον δὲ καὶ ἐνταῦθα πόλις Μενέλαος, *ibi non procul abeſt vrbs Menelaus.* Huius nummus eſt ΜΕΝΕΛΑΙΤΩΝ, *Menelaitarum*, inſcriptus. Hinc nomon Plinius lib. V cap. IX *Menelaiten* nominat. Athanaſii autem tempore Menelaites nomos non habebat proprium epiſcopum, ſed ſuberat epiſcopo Schediæ, quemadmodum epiſtola illius ad Antiochenſes Agathodæmon dicitur ὁ Σχεδίας καὶ Μενελαΐτου, *Schediæ &* [nomi] *Menelaitæ.*

9. Strabonis etiam pag. 551 eſt Ελαΐτης νομὸς, *Elaites nomus*, quem ad dextram foſſæ Canopicæ ponit, dictum a fratre primi Ptolemæi, non ab heroe, vt quibusdam viſum eſt. Vnde coniicias licet, an heros ille forſan Menelaus fuerit, vt idem nomos Elaites & Menelaites eſſet: quod etiam Ortelio viſum fuit. Nemo ſane, præter Strabonem, Elaitæ mentionem fecit: ipſe vrbem quidem *Menelaum* memorat; de nomo Menelaite tacet.

10. In ipſo Delta Strabo p. 553 decem nomos dicit eſſe. De Sethreitico enim ait, vnum eſſe τῶν δέκα τῶν ἐν τῷ Δέλτα, *ex decem, qui in Delta ſunt.*

ſunt. Sed plures ab aliis numerantur. Nam ab Alexandria & Canopo regionem Delta intranti eſt primus *Metelites nomos* Plinii & Ptolemæi, cuius metropolis eſt Μέτηλις, *Metélis.* Vnde Epheſino concilio ſubſcripſit Μακάριος Μετήλεως, *Macarius Metelenſis epiſcopus.*

11. Supra Meteliten in auſtrum vergit Φθενότης νομὸς, *Phenotes nomos* Ptolemæi, qui Harduino videtur idem eſſe qui Plinii *Ptenethu*, lib. v cap. ix, idque credo verius nomen eſſe, quam Ptolemæi, quia in Calchedonenſi ſynodo, actione I *Heraclius Ptenethenſis* memoratur. Metropolis iuxta Ptolemæum eſt Βȣ̃τος, *Butus.*

12. Sequitur eodem tractu inter Magnum fluuium ſiue Agathodæmonem, & Thermuthiacum, auſtrum verſus, *Cabaſites nomos* Plinii & Ptolemæi, cuius metropolis Κάβασα, *Cabaſa*, quæ Κάβασος, *Cabaſus*, in Epheſina ſynodo ſcribitur. De hac ſupra dictum in oppidis τȣ̃ Delta.

13. Poſt hunc eſt *Saites nomos,* cuius caput vrbs nobilis *Saïs.* Ptolemæus huic nomo etiam Naucratin adiecit: at Plinius inde ſingularem nomon *Naucratiten* fecit, & ſeparauit a Saita. Hoc enim ordine recitat dicto loco: *Onuphiten, Saiten, Ptenethu, Phthemphu, Naucratiten, Meteliten.*

14. Vltimus hoc tractu & propinquior vertici τȣ̃ Delta eſt *Proſopites nomos* Plinii & Ptolemæi. Oppidum, vnde nomen ſit, non adparet, niſi quod Stephanus ſcripſit, Προσωπὶς πόλις Αἰγύπτȣ, *Proſopis eſt Aegypti oppidum.* Ptolemæus metropolim habet Νικίȣ, quod nomen ſupra interpretatus ſum, quaſi Græcum eſſet, *Niciæ,* puta oppidum. Quod vero veteri itinerario *Niciu* quoque ſcriptum eſt, videri Aegyptium vocabulum poteſt, vt *Ptenethu, Iſiu, Phthemphu,* alia. Ordo itineris hic eſt:

Hierapoli, quæ videtur *Hermopolis parua* eſſe,

Andro	M.	P.	XXI
Niciu	M.	P.	XXXI
Letûs	M.	P.	XXVIIII
Memphin.	M.	P.	XX.

15. Nunc ſequitur alia Nomorum claſſis, ſitorum inter Thermuthiacum & Athribiticum amnes ſiue alueos. Iuxta & prope oſtia eſt *Sebennytes,* quem vnum & ſimplicem Plinius, etiam Herodotus lib. II cap. CLXVI, poſuerunt: Ptolemæus autem diuiſit in *Inferiorem*, quem ad mare ponit, eique metropolim *Pachnamunim* dat: & *Superiorem,* quem longe inde, & multis interiectis remouit: & huic demum adſignat metropolim *Sebennytum.* Quod vero oſtium ab oppido *Sebennyticum* denominatur, non poteſt id ab illo abeſſe longius, ideoque continuos inferiorem & ſuperiorem nomum ſtatuo, etiam *Sebennytum* vrbem reduco ad fluuium eiusque partes inferiores, qui per oſtium illud in mare effunditur.

16. Proximus eſt *Xoites nomos*, quem cum vrbe *Xoi* in inſula Strabo locauit, fluuio & foſſa, vt credo, cincta: nec ſeparatum & ſingularem ex illo nomon fecit, vt Plinius & Ptolemæus; ſed Sebennytico incluſit. Pag. enim 551 clare: *In mediterranea parte ſuper Sebennyticum & Phatnicum*

oſtium Ξόϊς ἐςὶ καὶ νῆσος καὶ πόλις ἐν τῷ Σεβεννυτικῷ νομῷ, *Xois eſt inſula & vrbs in Sebennytico nomo.* Quod ſi plures ſic Strabo contraxit, non mirandum eſt, tantum decem in Delta illum præfecturas numeraſſe. Plinius & Strabo per Ξ, *X* ſcribunt: Ptolemæus Græcus per Z, Ζοῖς & Ζοΐτης, quod ne lapſum deſcribentis putemus, aliorum eadem ſcriptura facit. In ſynodo Epheſina enim aliquoties inter Aegyptios epiſcopos Μακεδόνιος Ζόεως, *Macedonius Zoënſis* memoratur. Notitia autem prouinciarum & epiſcopatuum habet etiam, vt Strabo & Plinius, Ξόεως, *Xoëos.* *

17. Supra hunc inter dictos fluuios eſt nomos, quem Ptolemæus Φθεμβοῦθι vocat, *Phthembuthi;* Plinius autem *Phthemphu;* eiusque metropolis a Ptolemæo ſtatuitur *Taua,* in Itinerario *Tafa.* Ille quidem ſcripſit Ταοῦα: at Epheſino concilio Ισαὰκ Τάυα, *Iſaac Taua* epiſcopus interfuit.

18. Inter Athribiticum flumen & Buſiriticum ſunt plures nomi: ad mare *Mendeſius,* Herodoto, Plinio, & Ptolemæo laudatus. Nomen eſt ab oppido, quod Μένδης, *Mendes* a Strabone vocatur: Ptolemæo autem metropolis eſt *Thmuis,* quamuis Herodoto lib. II cap. CLXVI ſeparatus nomos Θμουίτης eſt.

19. A veteri autem oppido Mendete & oſtium denominatur, & hircus, qui ibidem colebatur, ὁ Μενδήσιος ἐν Αἰγύπτῳ τράγος, *Mendeſius hircus in Aegypto,* apud Plutarchum libro An bruta animalia ratione vtantur, pag. 989.

20. Deinde eſt *Onuphites nomos* Plinii & Ptolemæi. Oppidum, ſeu, vt Ptolemæus vocat, metropolis eſt ὄνουφις, *Onuphis.* In Epheſino concilio fuit Αδέλφιος Ὀνούφεως, *Adelphius Onupheos* epiſcopus.

21. Sequitur *Athribiticus* Ptolemæi, Plinii *Atharrhabites,* de qua diverſa adpellatione ſupra in Vrbibus dictum fuit. *Athribis,* metropolis ad fluuium eiusdem nominis, apud Stephanum eſt Αθάῤῥαβις, *Atharrhabis.* Epheſino concilio interfuit Στρατήγιος Αθριβίδος, *Strategius Athribidis* epiſcopus.

22. Hinc in ortum & ad Buſiriticum amnem eſt *Leontopolites nomos,* itidem Plinii ac Ptolemæi: Strabo autem videtur ſub alio, forte Mendeſio comprehendere. *Prope Mendetem,* inquit, πλησίον Μένδητος, *eſt Diospolis, & lacus circa eam; &* Λεοντόπολις, *Leontopolis.* Ptolemæus autem diuiſe λεόντων πόλιν, *Leonum oppidum* ſcripſit metropolim huius nomi.

23. Tandem *Buſiriticus nomos* eſt, ab oppido *Buſiri* dictus, ſito ad fluvium, qui inde Buſiriticus nominatur. Herodotus, Plinius, Ptolemæus memorarunt. De vrbe ſupra dictum fuit.

24. Denique nomi etiam, poſiti inter Buſiriticum flumen & Bubaſticum, recenſendi ſunt. Primus, ad mare ſitus, Ptolemæo dictus eſt Νεοὺτ νομὸς, *Nëut nomos.* Metropolim dat Πανέφησιν, *Panephyſin.* In Epheſina ſynodo fuit Αμμώνιος Πανεφυσοῦ, *Ammonius Panephyſi* epiſcopus, quod ex alia forma Πανεφυσὸς eſt.

25. Poſt hunc nomon eſt Σεθρείτης, *Sethreites,* quem Strabo pag. 553 dicit

* Vid. ſupra dicta libr. IV cap. I § 7 ſegm. II pag. 782.

dicit vnum eſſe τῶν δέκα τῶν ἐν τῷ Δέλτα, *ex decem, qui intra Delta ſunt*, licet videatur pars quædam excucurriſſe. Ptolemæus enim, cui Σεθρώιτης eſt, interpreti Latino & Plinio *Sethroites*, ſi recte ſe tabula vetus Agathodæmonis, vt putant, habet, metropolim trans flumen Bubaſticum, *Heracleam paruam* ſeu minorem Herculis vrbem, conſtituit, quod *Sethrum*, Σέθρον Stephani fortaſſis exciſum fuerat. In concilio Calchedonenſi actione I memoratur epiſcopus *Theon Sethroienſis*: in Epheſino idem *Theon* Σεθροΐτου, *Sethroitæ*, puta nomi.

26. Succedit *Tanites nomos*, Τανίτης, Herodoti, Strabonis, Plinii, Ptolemæi, cui metropolis eſt *Tanis*, prope flumen illud ſita, quod per os Taniticum elabitur in mare. De vrbe diximus ſupra, dicturi plura poſt paullo in Nominibus ſacris.

27. Tandem Φαρβαιθίτης νομὸς, *Pharbæthites nomos* eſt, in meridiem vergens, Bubaſtico & Buſiritico fluminibus concluſus. Vrbs *Pharbæthus* illius caput eſt ſiue metropolis. Nomon plures memorant Herodotus lib. II cap. CLXVI, Strabo XVII p. 552, Plinius lib. V cap. IX, Ptolemæus IV cap. V, cuius & oppidum eſt Φάρβαιθος, *Pharbæthos* lib. V cap. X.

28. An etiam Herodoti Παπρημίτης νομὸς, *Papremitis præfectura* lib. II cap. LXXI & CLXV ad Delta pertineat, & ſi pertinet, ad quam illius partem, incertum omnino eſt. Vrbs Πάπρημις, *Papremis*, Marti ſacra, ab eodem cap. LIX cum vrbibus in Delta ſitis coniungitur; ſed ibidem etiam Bubaſtus & Heliopolis memorantur, quæ extra Delta ſunt: vt adeo incerta ſit eius poſitio. Stephanus, qui per iota ſcripſit, tantummodo habet, Παπριμὶς πόλις Αἰγύπτου, *Paprimis oppidum eſt Aegypti.*

29. Extra Delta, Arabiam verſus, Ptolemæus tres nomos poſuit, primum dicit *Arabiæ nomon*, cuius metropolim *Phacuſam* facit, Bubaſtico flumini adpoſitam: ſecundum *Bubaſticum nomon*, cuius vrbs eſt *Bubaſtus* ſeu *Bubaſtis*, ad idem flumen ſita, cui nomen dat: tertium *Heliopolitanum nomon*, qui in meridiem recedit, cui, vaſtata Heliopoli, *Oniæ* adſignat metropolim, & a Babylone ad Heroopolim vſque extendit, vtramque in hoc nomo comprehendens. Plinius autem Heroopoli proprium nomon circumdat, quem *Heroopoliten* lib. V cap. IX vocat: quo adſumto & a ceteris diſtincto, quatuor in hoc latere nomi fuerunt.

30. Strabo quintum addit *Phagroriopoliten*. Quum enim de Arſinoë & Heroopoli, quæ ad ſinum Arabicum ſunt, dixiſſet, ſubdit: ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ὁ Φαγρωριοπολίτης νομὸς· καὶ πόλις Φαγρωριόπολις, *ibidem eſt etiam Phagroriopolites nomos, & oppidum Phagroriopolis.*

31. Mirum vero *Peluſii* nobiliſſimæ vrbis nullum reperiri nomon. Ego ſane non memini de illo me quidquam legere. An propter nobilitatem exemta, vt Alexandria? an quod maritimus tractus, qui a Peluſio incipit, non ab omnibus in Aegypto cenſus eſt? Strabo enim lib. XVI pag. 520 ἀπὸ Ὀρθωσίας μέχρι Πηλουσίου παραλία Φοινίκη καλεῖται, *ab Orthoſia vſque Peluſium maritima ora Phœnice adpellatur.* Nihilominus Peluſium in Aegypto cenſetur. Stephanus: Πηλούσιον, πόλις Αἰγύπτου, εἰς ἣν ἐκρεῖ τὸ

πρῶτον

πρῶτον ςόμα, Peluſium, vrbs Aegypti, in quam effluit primum [Nili] *oſtium.* Qui vero diligentiſſimi ſunt in nomis deſcribendis, Plinius & Ptolemæus, nullam habent Peluſiaci nomi mentionem: tantummodo ille lib. v cap. ix *Quæ iuxta Peluſium eſt regio, nomos habet Pharbæthiten, Bubaſtiten, Sethroiten, Taniten: reliqua autem Arabicum.* Quem hic Arabicum Plinius dicit, eſt Ptolemæi Ἀραβίας νομὸς, *Arabiæ nomos,* cuius metropolim Phacuſam fecit: nec vero Peluſium in eo contineri potuit, quia indignum fuiſſet, Phacuſam, quam *κώμην, pagum* Strabo dixit, vrbi anteferri præſtantiſſimæ. Idem etiam de Sethrio cenſeri poteſt, vnde nomos dictus Sethrëites vel Sethroites. Hæc de nomis in Delta & ad vtrumque eius latus ſufficiant. Nunc de Aegypto, vt in S. ſcriptura delineatus eſt, antequam ad reliquos nomos veniamus, quia quæ de Aegypto Scriptura ſacra habet, circa Delta, aut in eo, pleraque continentur.

PARTIS I SECTIO VII.

AEGYPTVS S. SCRIPTVRAE.

X.

Aegyptus Ebræis מצרים *Mizraim* ſiue *Miſraim* dicta, duali numero, quo, vt Bochartus explicat, * duplex prouincia, inferior & ſuperior ſignificatur. Singulari מצור eſt, quod munimentum ſonat, quia natura eſt locus munitiſſimus propter ſolitudines circumiectas, etiam ex Nilo foſſas prope inacceſſus, quod cum primis Diodorus Siculus lib. i cap. xxx demonſtrauit. Singulari numero aliquoties in ſacris litteris occurrit. 2 Reg. xix, 24 *Siccaui* כל יאורי מצור *omnes riuos Mazor*, id eſt *Aegypti.* Et Eſa. xix, 6 *ſiccabuntur,* יאורי מצור *fluuii Mazor*, vbi itidem de Aegypto ſermo eſt: in quem locum R. D. Kimchi פירוש מצור מצרים *Mazor idem eſt quod Mizraim.* Et Mich. vii, 12 *a Mazor ad fluuium*, hoc eſt, ab Aegypto ad Euphratem, qui termini ſunt Palæſtinæ. Vide plura apud Bochartum lib. iv cap. xxiv. His ita poſitis videtur Chami filius Mizraim nomen ab regione, quam ad habitandum ſibi elegit, accepiſſe: niſi parens ſecundo genitum filium Mizraim nominauit, quod duplex in eo ſeu alterum robur & munimentum familiæ impetraſſet. Aliter hoc vocabulum Hieronymus in Eſa. xix & xxxiii interpretatur.

2. Fertilitatem Aegypti ex Nilo etiam Moſes laudauit, comparans cum ea Geneſ. xiii, 10 Pentapolim Iordanis & circumiectum agrum ante vrbium euerſionem, quod vtrobique flumen vbertatem adferat. Septem autem Nili oſtia antiquis etiam temporibus fuiſſe, ſupra ex Eſaiæ xi, 15, vbi ſeptem Aegypti flumina dicuntur, cognouimus.

3. Prima regio, cuius in ſacris fit mentio, eſt גשן *Goſchen*, ſiue *Goſen;* Vulgato Latino *Geſſen;* Græcis Γέσεμ: & prima vrbs *On*, vtraque in hiſtoria Ioſephi patriarchæ: ſed vtraque etiam interpretum diſſenſione controuerſæ ac dubiæ poſitionis. Momentum rei in aulæ Pharaonis & ſedis Ioſe-

* Phaleg libr. IV cap. 24 & 27.

Ioſephi definitione ſitum eſt, quia Geneſ. XLV, dicitur ideo Iacobus cum ſuis in terram Goſen immittendus, vt propinquus Ioſepho, qui in aula regis erat, habitaret. Regiæ vero vrbes in Scriptura duæ celebrantur, *Zoan*, quam Græci interpretes *Tanin* vertunt, Numer. XIII, 23, Eſa. XIX, 11 & 13 ac alibi: & *Moph* ſiue *Noph*, quam *Memphin* interpretantur Eſa. XIX, 13, Ierem. II, 16, Hoſeæ IX, 6. Iam vero ſi in Tani Ioſephus fuit, multum probabilitatis interpretatio conſequitur, quia ſic Goſen erit in regione inferiore ac prima quaſi ex terra Chanaan aduentantibus: & conuenit cum Septuaginta Græcis, qui Geneſ. XLV, 10 & XLVI, 34 ἐν γῇ Γεσὲμ Αραβίας, *in terra Geſem* [Goſen] *Arabiæ* verterunt, quaſi nomon, e regione Tanitæ nomi ſitum, denotarent, quem Arabicum Plinius dixit; Ptolemæus νομὸν Αραβίας.

4. Si vero iter patriarchæ, & Ioſephi occurſum, ſecundum eosdem interpretes conſideramus, alia nobis via, alia regio oſtendetur. Ioſephus patri obuiam iuit in Goſen, Geneſ. XLVI, 28, 29, * quod Græci interpretes transtulerunt καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆς Ραμεσσῆ, *iuxta Heroopolim in terram Rameſſe;* & Ioſephus quoque hiſtoricus lib. II Antiquit. cap. IV καθ' Ἡρώων πόλιν αὐτῷ συνέβαλε, *iuxta Heroopolim ipſi obuiam factus eſt,* quod oppidum ad intimum Arabici ſinus eſt poſitum: quo conceſſo, oportet terram Goſen multo auſtraliorem fuiſſe, quam regio Taniticæ vrbi oppoſita: & quamuis Memphis ſic propior ſit terræ Goſen quam Tanis, tamen Pharaonis aulam in Tani fuiſſe omnino credendum eſt, quia Pſalmo LXXVIII, 12, 43 miracula Moſis dicuntur *in agro Zoan* facta: Zoan autem ſecundum Græcos & Chaldæos interpretes eſt ipſa *Tanis.* ** Neque Tanis ad Goſen ſe ita poſitione habet, vt non poſſit *propinqua* dici, aliorum locorum reſpectu, quæ longius inde recedunt: ſed etiam illud iter curru & iumentis breui tempore expediri poterat, ſolo flumine Bubaſtico interfluente, quod traiiciendum erat.

5. Hoc ita tenemus, quia non adparet, cur neceſſe fuiſſet, patriarcham ſinum Arabicum adire, niſi in vlteriora ille, ex promiſſo filii Geneſ. XLV, 10, deſtinauiſſet progredi. Quare, hoc itinere obſeruato, non videtur improbabile, circa On ſiue Heliopolim terram Goſen & Rameſſe ſeu Raemſe eſſe, quæ etiam Ioſephi Flauii ſententia fuit, dicto loco dicentis, iuſſum a Pharaone patriarcham cum filiis habitare ἐν Ἡλιουπόλει, *Heliopoli.* Quod

* Non tam obuiam iuit, quam viſum venit, quum pater iam in Goſen eſſet, quam ſedem iam apparauerat Iuda. Sic ordo narrationis Moſaicæ rem explicari poſtulat. Aſtute autem egerat Ioſephus, qui primum terram Goſen occupari iuſſerat, tum demum a Pharaone petierat, vt in Goſen habitare liceret cognatis ſuis. Difficilius autem e loco iam quaſi occupato eiici poterant hoſpites: quum præſertim iam multo ante animus Pharaonis a Ioſepho occupatus fuiſſe videatur. Ergo hoc iter Ioſephi parum ad rem demonſtrandam valet. Quodſi Ioſephus patri Aegyptum ingreſſuro mature occurrere voluiſſet: ad vnicum illum ex Arabia in Aegyptum aditum obuiam venire potuiſſet. Nam vnicum eſſe ex Herodoto lib. III cap. 5, Strabone lib. XVII pag. 1174, Diodoro lib. I pag. 26 conſtat.

** Niſi forte rex Aegypti Moſis temporibus Tani, aliis temporibus Memphi verſatus eſſe putetur.

Quod etiam Conſtantinus l' Empereur ad Tudelenſem p. 224 confirmat, quia peregrinator ille locum, quem Iſraelitæ habitandum acceperint, vocet עין אלשמס *fontem Solis*, quæ Heliopoleos deſcriptio eſt, etiam apud Nubienſem parte III climatis tertii: quamquam Beniamin in eo aberrat, quod inter Memphin ponit & Alexandriam. Ptolemæus etiam Heliopolim ita & circumiectum nomon collocauit, vt nec illa longe a Memphi abeſſet, & hic ad Heroopolim vſque extenderetur. Exitus etiam ex Aegypto per mare Rubrum ſic facilius demonſtrari poteſt, quam ſi ex regione, Taniticæ vrbi parallela, is factus eſſet.

6. Nec obeſt huic ſententiæ, LXX interpretes Γεσὲμ Αραβίας, *Goſen Arabiæ*, quo ad nomon Arabicum, quem Plinius & Ptolemæus ita nuncupant, reſpiciatur. Nam non tantum ille nomos, ſed totus tractus qui inter Nilum eſt & ſinum Arabicum, *Arabia* vocabatur, quamlibet pars Aegypti eſſet; quemadmodum altera Aegypti pars, quæ trans Nilum eſt, Libya, quam ſpectabat, fuit adpellata. Et quid multum dubitamus de Heliopolis poſitione, quum ipſe Strabo lib. XVII pag. 555 dixerit: ἡ μὲν ȣ͂ν Ηλιοπολῖτις ἐν τῇ Αραβίᾳ ἐςὶν, *Heliopolitis regio in Arabica* [Aegypti] *parte eſt.*

7. *On* autem oppidum, cuius ſacerdos ſocer Ioſephi fuit, ipſam eſſe *Heliopolim*, non ſinunt nos Græci interpretes dubitare. Geneſ. XLI, 45 & 50 ſocerum illum dicunt ἱερέα Ηλιȣπόλεως, *Heliopolitanum pontificem*, vbi in Ebræo vrbis nomen *On* eſt. Eadem leguntur cap. XLVI, 20. At Exod. I, 11 oppidis, ſeruili Ebræorum opera reſtauratis, addunt tertium cum clara interpretatione, τὴν Ων, ἥ ἐςιν Ηλιȣ́πολις, *vrbem On, quæ Heliopolis eſt.* Et Ezechiel. XXX, 17 νεανίσκοι Ηλίȣ πόλεως καὶ Βȣβάςȣ, *iuuenes Heliopoleos & Bubaſti.* Ioſephus quoque Antiquit. lib. II cap. III ſocerum Ioſephum patriarchæ dicit fuiſſe τῶν ἐν Ηλιȣπόλει ἱερέων, *ex ſacerdotibus Heliopolitanis.* Nec a Græcis demum ac Macedonibus hoc nomen Ebræo און *On* ſuffectum vel ſuperadditum. nam & Ieremias cap. XLIII extremo memorat בית שמש בארץ מצרים *domum Solis in terra Aegypti*, vbi itidem Ηλίȣ πόλιν verterunt. Chaldæus huc etiam *Ir-heres* refert Eſa. XIX, 18, ſed videtur חרס pro הרס legiſſe, aut vtramque potius lectionem paraphraſi ſua reddidiſſe.

8. Terra Goſen etiam רעמסס *Raëmſes*, ſiue vt Græci & Latinus reddiderunt, Ραμεσσῆ, *Rameſſes* dicebatur, & Geneſ. XLVII, 11 habitatio Iſraeli & filiis datur בארץ *in terra* ſeu *regione Rameſſe.* At etiam oppidum *Raëmſes*, ſiue *Rameſſe*, Iſraelitæ condiderunt ſeruientes, & inde exitus ex Aegypto tamquam a termino definitur Exod. XII, 37, Numer. XXXIII, 3 & 5: quæ ita videntur concilianda, vt regio quidem *Goſen* nuncupata fuerit, pars tamen eius, in qua oppidum fuit *Raëmſes* ſiue *Rameſſes*, idem nomen habuerit, præſertim poſteriori tempore, quando oppidum ſeruitute Iſraelitarum inſtauratum amplificatumque fuerat, cuius agro circumiecto Iſraelitæ videntur habitaſſe. Nec vero *Rameſſes* videtur ipſa eſſe Heliopolis, vt Conſtantinus l'Empereur loco ſupra indicato cenſuit. Græci enim interpretes diſtinguunt, & numquam Rameſſes, conſtanter autem On Helio-

Heliopolim tranſtulerunt. Ioſephi autem verba lib. II Antiquit. cap. IV ἐν Ἡλιȣπόλει, puto de agro potius & nomo, quam ipſa vrbe, interpretanda. Deinde, ſi exitus ex Heliopoli factus eſſet, tanta turba hominum cum parvulis & pecoribus non potuiſſet tertia manſione ad mare Rubrum venire, quod ſecundum Ptolemæi rationes circiter quinquaginta millia paſſuum ab Heliopoli remotum eſt. Propius ergo ad mare videtur oppidum Raëmſes ſiue Rameſſes fuiſſe, vt, interiectis duabus manſionibus, Succoth & Etham, tertia venirent ad Phi Hiroth iuxta mare. Pretium eſt iter illud ab Rameſſes ad tranſitum maris accuratius inſpicere.

Rameſſes — Succoth — Etham — Hiroth — Mare.

De *Rameſſes* ſeu *Raëmſes* ſatis eſt ſupra dictum.

9. *Succoth* tentoria & tabernacula ſonat, quod pluribus locis commune nomen eſt. Neſcio, an per tot ſæcula id nomen ſeruari potuerit, vt Itinerarii *Scenæ veteranorum* eodem referri poſſint, diſtantes ab Heliopoli XIIII millibus paſſuum? non ſane multum diſſident a loco, quem illis Succoth ſeu tabernaculis, vtpote primæ manſioni Iſraelitarum, deſignamus. Sed credo Scenas illas recentiores eſſe, & ex Romano bello vel caſtra veteranorum, vel coloniam eorum militarem ſignificare.

10. *Etham* Exod. XIII, 20 dicitur ſitum בקצה *in extremitate* ſolitudinis, quæ ad ſinum eſt Arabicum. Quum enim cetera Aegypti eſſent fertiliſſima, ad mare illud Arabicum multa eſt ſterilitas, ideoque ora illa rarius habitata. Idem autem eſt ſiue ad initium ſolitudinis ſitum locum Etham fuiſſe dicam, ſiue ad illius extremitatem, cultioris Aegypti reſpectu. Hinc tertii diei iter per deſerta loca vſque ad mare fuit. Potuiſſent quidem præterire & ad Heroopolim contendere, ſed diuino factum eſt conſilio, vt ad mare dextrorſum declinarent, vt Dei gloria in illo diuinitus dirupto, ſubmerſione Aegyptiorum, ſeruatis contra transductisque Iſraëlitis manifeſtaretur. Vide Exod. XIII, 17, 18, & cap. XIV, 2, vbi dicuntur diuino mandato *vertiſſe* ſe a via recta (וישובו) & ad mare verſus proceſſiſſe.

11. Tertia igitur caſtra, ſeu manſio, ſunt פי החירת, quod Græci ſeptuaginta adpellatiue Exod. XIV, 1 vertunt ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, *contra villam:* * at Numer. XXXIII, 7 ἐπὶ τὸ ϛόμα Εἰρὼθ, *ad os* ſeu introitum *Irot.* Latinus interpres retinuit Ebræum nomen *Phihahiroth.* Prope mare fuit, quia Exod. XIV, 2 additur על ים *ſuper mare:* & inde tranſitus ille admirabilis factus fuit. Hieronymus *Iroth* vocat de Locis Ebraicis, cui eſt *locus deſerti, ad quem venerunt filii Iſrael mare rubrum transfretantes.* Dubie dictum, & æque ad locum trans mare, quam qui citra fuit, referri poteſt. Clarius ſcripſiſſet *transfretaturi:* quia Euſebius, quem tranſtulit,

* Malim dicere: *prauo more conuertendi nomina propria externarum gentium in vocabula ſuæ linguæ vim propriorum iſtorum declarantia.* Vide quæ ſupra de *Lyco* & *Capro* ſcripſimus libro III cap. XVII § 7. Sic Bochartus iam Chanaan libro I cap. I pag. 362 demonſtravit, Græcos ad linguæ ſuæ rationes vocabula externa conformaſſe & contorſiſſe, vt ex *Moph* fieret Μέμφις, ex *Bozra* Βύρσα, ex *Ar* Ἀρεόπολις, ex *Kedron* & *Kiſon* torrentes τῶν Κέδρων & τῶν Κισσῶν.

tulit, habet: *ἀφ᾽ ȣ διῆλθον τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, ex quo Rubrum mare transierunt.*

12. Circa Phihahiroth dicuntur fuiſſe *Migdol* ſiue *Magdol;* & in altera parte *Baal Zephon*, ſed qua alterum plaga fuerit, ſiue quo latere, non eſt explicatum. Exodi XIV, 2 ita refert ſanctus ſcriptor ſecundum vulgatam interpretationem: *Loquere filiis Iſrael: Reuerſi caſtra metentur e regione Phihahiroth, quæ eſt inter Magdalum & mare contra Beelſephon: in conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare.* Igitur citra Phihahiroth fuit *Migdol*, vt Ebræi ſcribunt; ſiue Μάγδωλος, vt Græci: nec vero eſt Magdolon Itinerarii veteris, quia id tantum XII millibus paſſuum abeſt a Peluſio: longius autem multo, quod iam conſideramus. Vox turrim ſignificat ſiue munimentum. *BaalZephon* autem ſiue *Beelſephon* ſupra Phihahiroth fuerit an infra, non poteſt definiri: niſi ex nomine iudicabis, quod ſeptemtrionem ſonat, in illam plagam quoque receſſiſſe.

13. Nunc reliqua in ſacris memorata loca, in latere Aegypti Arabico poſita, perluſtrabimus. A *Peluſio* incipimus, quod ſicut Straboni *ἀπὸ πηλȣ, a luto* ſeu lutoſis paludibus, quibus circumdatum eſt, nomen habet, ita prorſus fit probabile, Ezech. XXX, 15 סין *Sin*, quod lutum & cænum ſonat, in forma proprii nominis eſſe ipſum Peluſium, vbi Vulgatæ Verſionis auctor transtulit: *Effundam indignationem meam ſuper Peluſium robur Aegypti.* In Ebræo eſt על סין מעוז מצרים *ſuper Sin, robur Miſraim.* At ſupra demonſtrauimus Peluſium dici *clauſtrum* Aegypti, & munimentum aduerſus Phœnicen & Palæſtinam. Et quia de magnis vrbibus Aegypti ibidem agitur, probabile eſt in tanto numero, quæ nominatim recenſentur, Peluſium non prætermiſſum eſſe. Græci interpretes *Sin* Ebræum reddiderunt *Sain*, de alia Aegypti vrbe prophetam intelligentes, *ἐπὶ Σάϊν τὴν ἰσχὺν Αἰγύπτȣ.* An vero Sais, quamlibet magna vrbs, מעוז *robur* & *munimentum* Aegypti ſeu *propugnaculum* vocari poſſit, admodum dubitamus, quia nec ſitu eius, nec hiſtoriarum teſtimoniis demonſtrari poteſt.

14. An vero etiam סינים *Sinim* Eſa. XLIX, 12 huc referri debeant, vt *Peluſiotæ* primario intelligantur; deinde *συνεκδοχικῶς* omnes Aegyptii: quæritur ab eruditis: Ait vir doctiſſimus Samuel Bochartus, quod quatuor mundi plagæ deſcribantur, ſeptemtrio & occidens explicitis verbis; oriens per מרחוק a longinquo, vt alibi etiam; relinqui ergo, vt Sinim ſint in meridiana plaga. Sic Hieronymus verba, *ex terra Sinim* Ebræa, conuertit *de terra auſtrali:* & Ionathan Chaldæus מארע דרומא *de terra meridiali:* & Kimchi, הוא הדרום *hæc eſt meridialis plaga:* Abeneſra מפאת מצרים *ex latere Aegypti.* Græci, *ἐκ γῆς Περσῶν, ex terra Perſarum,* quod longius petitum eſt. Poſſunt igitur *Sinim* ſeu *Sinæi* de Peluſiotis explicari, vt tamen omnis Aegyptus & auſtralis plaga intelligatur.

15. A Peluſio per XII millia paſſuum venitur *Magdolum*, vt ex Itinerario Antonini videmus: quod haud dubie eſt *Migdol* ſeu *Magdol* Ieremiæ XLIV, 1, & XLVI, 14. Priori loco Græci *τοῖς καθημένοις ἐν Μαγδωλῷ*, & poſteriori, *ἀναγγείλατε εἰς Μαγδωλόν.* *Magdalum* Hieronymus & Vulgatus

dixit.

dixit. Herodotus lib. II cap. CLIX καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε, *congreſſus cum Syris rex Neco ad Magdolum, victoria potitus eſt.* Etiam Bochartus de Magdolo, prope Peluſium quod eſt, interpretatur: in eo autem abludit a vero, quum addit, *non procul a mari rubro, Exod. XIV, 2.* nam iſthmus inter Peluſium & ſinum Arabicum non minor eſt τριῶν ἢ τεττάρων ἡμερῶν, *trium aut quatuor dierum itinere*, vt Strabo lib. I pag. 24 tradit: ſiue vt lib. XVII pag. 552 rationes iniit, ἐννακοσίων σταδίων, *nongentorum ſtadiorum eſt.* Quod ſi ergo Magdol XII milliariis a Peluſio abeſt, vt Bochartus ex Itinerario adprobat; non poteſt non procul a mari Rubro diſtare, nec minus quam ſtadiis octingentis. Aliud vero *Migdol* ſeu *Magdol* prope illud mare fuit, præter quod Iſraelitæ, antequam mare tranſirent, iter fecerunt, de quo ſupra actum fuit ex Exod. XIV, 2.

16. Sedecim millibus paſſuum a Peluſio in auſtrum diſtat *Daphne* ex eiusdem Itinerarii diſpoſitione. Non dubium eſt, quin hæ ſint Herodoti *Daphnæ Peluſiæ* lib. II cap. XXX, & Stephani Δάφνη πλησίον Πηλουσίου, *Daphne prope Peluſium:* quæ Pſammetichi temporibus præſidiarios milites habebat aduerſus Syros atque Arabas. Putares lauretum illi loco nomen indidiſſe, quæ forſan Herodoti opinio fuit, ſi modo per Δ vocabulum ſcripſit, nec a librariis demutatum eſt. Græci enim interpretes Τάφνη & Τάφναι conſtanter reddunt Ebræum תחפנחס *Tahpanhes*, Aegyptiam vrbem, a prophetis memoratam, vt Ierem. II, 16 Μέμφεως καὶ Τάφνης, cap. XLIII, 7 εἰς Τάφνας, & verſu 8 ἐν Τάφναις: cap. XLIV, 1 ἐν Μαγδώλῳ καὶ ἐν Τάφναις: & Ezech. XXX, 18 ἐν Τάφναις. Quos etiam Latinus interpres ſequutus eſt, *Taphne* vel *Taphnis* dictis locis transferens. Nec abludit vox nimium ab Ebræa *Tahpanhes*. Tolle enim adſpirationes, quas negligunt Græci, & contrahe ſyllabas eiusdem vocalis *aa*, habebis cum terminatione Græca Τάφνη vel Τάφναι: vt ita minus dubitemus, Τάφνας Græcorum eſſe vetus *Tahpanhes*, pro ſæculi vſu & conſuetudine contractius poſtmodum pronuntiatum. An vero Τάφναι hæ ſeu Τάφνη ſint Herodoti & Stephani *Daphnæ Peluſiæ*, non omnino certum eſt: probabilius tamen eſt, etiam Bocharti auctoritate, quam quod Bonfrerius ad Hieronymum de Locis contendit, Taphnen eſſe Tanin; quo vocabulo Zoan Græci, numquam Tahpanhes reddiderunt.

17. *Bubaſtus* etiam in iis eſt, quæ in ſacris litteris ex Aegypti vrbibus memorantur vel dicuntur memorari. Ezechielis XXX, 17 פי—בסת *Pi-beſet* Græci Βούβαστος tranſtulerunt, quos & Latinus; etiam noſter interpres, imitatus eſt. Fit probabilius locorum vicinitate. Dicitur, *iuuenes On & Pi beſet cadent gladio:* Græci, νεανίσκοι Ἡλίου πόλεως καὶ Βουβάστου ἐν μαχαίρᾳ πεσοῦνται: Hieronymus: *Iuuenes Heliopolios & Bubaſti gladio cadent.* Præceſſit Sin ſeu Peluſium, & No, & Noph: ſequuntur *Taphnæ* ſiue *Tahpanhes.* Nihil itaque probabilius, quam פי בסת *Pi beſet* eſſe Bubaſtum: de qua ſupra egimus: etiam de On ſeu Heliopoli.

18. In hoc tractu etiam *Pithom* Exod. I, 11 quærenda eſt, quam Iſraelitæ, quum ſeruirent Aegyptiis, coacti ſunt ædificare vel inſtaurare. Se-

ptuaginta ſcripſerunt Πειθώ: Hieronymus in Locis Ebraicis *Fithom:* Vetus Latinus *Phithom.* Nuſquam alibi eius mentio in ſacris occurrit: conſentiunt autem eruditi plures, eſſe Herodoti Πάτουμον, *Patumon,* lib. II cap. CLVIII. Deſcribit foſſam, quam Neco & Darius ex Bubaſtio Nili alueo in mare Rubrum conati ſunt deducere. *ἧκται δὲ κατύπερθε ὀλίγον Βουβάστιος πόλιος παρὰ Πάτουμον τὴν Αραβίην πόλιν. ἐσέχει δὲ ἐς τὴν ἐρυθρὴν θάλασσαν, paullo ſupra Bubaſtin oppidum, præter oppidum Arabiæ Patumon, deducitur. Infertur autem in mare Rubrum.* Vir clariſſimus Guil. Bonjour in Monumentis Copticis, Romæ nuper editis, ſect. XXI confirmat ex Aegyptiaca Verſione, quæ ex LXX Græcorum interpretatione expreſſa eſt. Quod enim Geneſ. XLVI, 28 dicitur a LXX, Iacobum patriarcham præmiſiſſe Iudam filium, vt Ioſephus occurreret ſibi καθ' Ηρώων πόλιν εἰς γῆν Ραμεσσῆ, *ad Heroopolim in terram Rameſſe:* & verſ. 29 *Ioſeph obuiam iuit patri* καθ' Ηρώων πόλιν; id vtroque loco interpres Aegyptius, Græcam alias verſionem ſequens, reddidit *ad Pethom.* Ergo *Pethom* vel *Pithom* eſt ipſa Heroopolis, etiam Aegyptiorum interpretatione ac conſenſu. Plura ſupra de itinere patriarchæ ſunt expoſita, quæ videas.

19. Inter principes Aegypti vrbes eſt *Noph,* נוף, a prophetis laudata, Eſa. XIX, 13, vbi שרי נוף Græci verterunt ἄρχοντες Μέμφεως, Hieronymus, *principes Mempheos.* Et Ierem. II, 16, XLVI, 14, Ezech. XXX, 13 Noph Μέμφιν verterunt; Latinus *Memphis;* Chaldæus מפיס *Maphes.* Semel מוף *Moph* legitur Hoſeæ IX, 6, vbi nihilominus Græci & Latinus Μέμφις, *Memphis;* Chaldæus מפיס, quæ Memphis eſt, reddiderunt: ac Kimchi ibi, מוף כמו נוף *Moph idem quod Noph.* De Memphi autem poſtea in Septem nomorum regione dicturi ſumus.

20. Fuit etiam נא *No* in numero vrbium Aegypti inſigniorum. Ierem. XLVI, 25 *Viſitabo* את אמון מנא *Amonem ex No:* & Nahum. III, 8 *num melior es* מנא אמון *præ No Amon.* Videtur idoli nomen, quod conuenit cum Iouis Ammonis, qui in vicina regione colebatur. Idque veroſimile putatur eſſe, quod iidem Græci interpres Ezechiel. XXX, 14, 16, vtroque verſu *No* verterunt Διόσπολιν, *Diospolin,* Iouis ciuitatem. Vir multæ doctrinæ Bochartus *Thebas* Aegypticas, vrbem ampliſſimam, interpretatur, quæ Διοσπόλεως nomen, Strabone & Ptolemæo teſtibus, accepit, & quidem, quod alter addit, μεγάλης, *magnæ.* Hieronymus in hunc Ezechielis locum, exiſtimat, Græcos aliam Diospolim (nam & Parua, μικρὰ, eſt in Thebaide, iterumque alia in Delta) intellexiſſe, miraturque, quum medio verſu 15 propheta etiam vrbis No mentionem fecerit, ibi eosdem non Διόσπολιν, ſed Μέμφιν transtuliſſe. *Priſtinum,* inquit, *nomen habet No: quod Aquila, Symmachus, & Theodotio, ſicut in Ebræo poſitum eſt, transtulerunt. Pro quo, neſcio quid volentes, Septuaginta dixere Diospolim, quæ Aegypti parua ciuitas eſt. Nos autem pro No Alexandriam poſuimus per anticipationem, quæ Græce πρόληψις adpellatur.* - - - ET INTERFICIAM, *ait* [verſ. 15] MVLTITVDINEM ALEXANDRIAE: *quæ rurſum in Ebræo poſita eſt* נא *No: pro qua nequaquam Dioſpolim, vt ſupra, ſed Memphim LXX*

transtu-

tranſtulerunt. Et vt oſtendat, populoſam iam illo tempore fuiſſe vrbem, PERDAM, *ait,* MVLTITVDINEM NO. Quod Hieronymus No interpretatur Alexandriam, in eo præiuit Chaldæus paraphraſtes Ionathan, quoties in Ebræo *No* legitur, reddens in paraphraſi ſua אלכסנדריא *Alexandriam.* Sed minus placet anticipatio Hieronymi, * qua repugnantiam temporum voluit conciliare: & populoſam ante Alexandri tempora hanc vrbem fuiſſe, contra fidem eſt hiſtoricam. Quare opinioni de Alexandria, videtur altera de Thebis dum certior adferatur, omnino præferenda.

21. In Delta eiusque parte orientali fuit *Zoan,* Pharaonum regia, quod ex Pſalmo LXXVIII, 12, 43 manifeſtum eſt, vbi prodigia, quæ Deus per Moſen in Aegypto coram Pharaone fecit, dicuntur facta בשדה צוען *in agro Zoan,* Græci interpretes ἐν πεδίῳ Τάνεως, *in campo Taneos.* Atque ita vbique *Zoan* Græci Τάνις, *Tanis* verterunt: etiam Chaldæi טנים ſiue טאנים *Tanes,* Onkelos Numer. XIII, 23, Ionathan Eſa. XIX, 11, 13, Ezech. XXX, 14, & paraphraſtes Pſalmorum dicto loco: nec non Latinus interpres *Tanis* habet præter locum Ezechielis, vbi *Taphnis* tranſtulit. Situs autem Taneos ſupra in Delta ex Ptolemæo eſt demonſtratus.

22.Upereſt ארץ פתרוס *terra Patros,* Ierem. XLIV, 1, Ezech. XXIX, 14, pars Aegypti, ** vt ex iis, quæ præcedunt & ſequuntur, adparet. Græci interpretes ἐν γῇ Παθούρης, *in terra Pathures.* Hieronymus Ezech. XXX, 14 *Diſperdam terram Phatures:* in Locis, *Fature,* vbi Euſebius ſcripſerat Φαθωρί: cui χώρα eſt Αἰγύπτου, *regio Aegypti.* Plinius lib. V cap. IX in nomis Aegypti habet etiam *nomon Phaturiten,* vt Harduinus ex MSS. emendauit. Situm huius nomi ex ordine quodammodo cognoſcimus, qui in Thebaide fuit, vnde initium enarrationis ſumit. *Diuiditur,* inquit, *in præfecturas oppidorum, quas nomos vocant, Ombiten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, Coptiten, Tentyriten, Diospoliten, Antæopoliten, Aphroditopoliten, Lycopoliten.* Multi ex his nomis ſunt in latere Arabico, in Libyco ceteri, vt ex iis cognoſci nequeat, in quo fuerit Phaturites. Et quod nomi ſunt oppidorum præfecturæ, non eſt dubitandum, metropolim huius nomi fuiſſe *Phaturam* ſiue *Phaturen.* Hieronymus commentario in Ezechielis cap. XXIX, 14 *collocabitur in vrbe metropoli, quæ adpellatur Phatures, vbi orta eſt, & vnde profecta eſt.* Fuit autem, vt ex ordine conſtat Plinii, in parallelo Copti & Tentyræ, quamuis, in qua ripa, definiri certo non poſſit. Ex Ebræo nomine *Patros* nomen gentis ſeu gentile eſt פתרסים *Patruſim,* Geneſ. x, 14, vbi LXX τοὺς Πατροσωνιεὶμ, Vulgatus, *Phetruſim.*

23. Denique *Caphtor* oppidum vel regio, vnde *Caphtorim* nominantur, a quibusdam ad Aegyptum refertur, quod negatur ab aliis. Beniamin Tudelenſis p. 125 *biduo Damiatam veni,* היא כפתור *quæ olim Caphtor erat.* Ad quæ verba Conſtantinus l' Empereur pag. 226 *Ex Geneſ.* x, 14 *&* 1 *Chron.* I, 12,

* Hieronymus Alexandriam ex *No* putari voluit natam. Nam in Epitaphio Paullæ: *Et vrbem No,* inquit, *quæ poſtea verſa eſt in Alexandriam.*

** Bochartus Phaleg IV cap. 27 Aegyptum ſuperiorem *Patros* dictam fuiſſe putat.

I, 12, *in Aegypto Caphtor quærendam eſſe, conſtat.* Et R. Saadias apud Kimchi in Ierem. XLVII, 4 Caphtor interpretatur דמיאט *Damiata.* Contra Samuel Bochartus lib. IV cap. XXXVIII *terra Caphtor vbicumque fuit, ab Aegypto & Philiſtæis non parum fuit diſſita:* idque ex Amos IX, 7 putat liquere. Plures interpretes Græci Deuter. II, 23 & Amos IX, 7; & Latinus Ierem. XLVII, 4; & Chaldæi non ſolum his tribus locis, verum etiam Geneſ. X *Cappadociam* & *Cappadoces* interpretantur: qui vero longius remoti ſunt a ſedibus poſterorum Mizraim Noæ ex Chamo nepotis. Etiam Ierem. XLVII, 4 *inſula Caphtor* dicitur, qualis nulla eſt in Cappadocia. Si vero in Aegypto Caphtor fuit, in ſuperiore, aut circa eam fuiſſe crediderim, quæ non raro ab Aegypto proprie dicta, ſeu Delta ac locis circa illud, diſtincta fuit.

PARS II.

AEGYPTVS SVPERIOR.

XI.

Supra etiam diuiſio Aegypti in Superiorem & Inferiorem fuit expoſita. Pauca addimus de diuiſione. Inferiorem etiam Strabo ita nominavit lib. XVII pag. 557 ἡ κάτω Αἴγυπτος, *inferior Aegyptus,* qua Delta & quæ circa ſunt, intelliguntur. Superior, ἡ ἄνω χώρα, *ſuperior regio* ſæpe vocatur, vt vidimus; & ſuprema, Aethiopiam verſus, τὰ ἀνώτατα Αἰγύπτου. Superior incipit a vertice τοῦ Delta, & adſurgit vſque in Aethiopiam ad vtramque ripam Nili fluminis. Hanc vero rurſus Ptolemæus diuiſit in *Heptanomidem* & *Thebaidem.* Poſt Delta incipit Ἑπτανομὶς, *Heptanomis,* regio ſeptem nomis ſeu præfecturis definita: vltra quam *Thebais,* regio ſeu pars Aegypti ſuprema. Nos hanc Ptolemæi diuiſionem ſequemur, &, diſtinctionis cauſſa, prius de Septem nomis illis, & quæ his adiecit Ptolemæus; deinde de Thebaide agemus.

PARTIS II SECTIO I.

HEPTANOMIS.

XII.

A ſeptem præfecturis ἑπτανομὶς, pars media Aegypti denominatur. Vt vero numerus nomorum in Delta non in denario, quem Herodotus & Strabo prodiderunt, ſubſtitit, ſed plures diuiſiones fuerunt factæ: ita etiam ad ſeptem hos Ptolemæi nomos quidam, tamquam appendix ac acceſſio, ſunt additi, vt poſtea videbimus. Ptolemæus auctor eſt nominis *Heptanomi* ſeu *Heptanomidis:* fuit tamen & antea de numero conſenſus, quamquam alio ſub vocabulo, ἑπταπόλεως videlicet, ſiue ſeptem oppidorum, ſi modo periegeta Dionyſius, vt doctis videtur, fuit ſub Auguſto, & Characenus ille, quem Plinius commendat. Hic autem verſ. 247

Ὅσσοι δ' Ἑπτάπολιν μεσάτην ἤπειρον ἔχουσιν,

quot-

quotquot mediam continentem, quæ Heptapolis dicitur, inhabitant. De Aegypto enim loquitur, quam vero a Thebaide, & illa, quæ ad mare vergit, diſtinxit. Euſtathius ad hunc locum: ἡ κατ᾽ Αἴγυπτον Ἑπτάπολις, καὶ Ἀρκαδία ὡς ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ἀρκαδίου, ὕστερον ἐκλήθη· πρὸ δὲ τούτου καὶ Ἑπτάνομος ἢ καὶ Ἑπτανομία ὠνομάσθη. *Quæ in Aegypto eſt Heptapolis, poſtea nominata eſt Arcadia, ab imperatore Arcadio. Prius etiam Heptanomus, aut etiam Heptanomia dicta fuit.* Heptapolis autem vocata eſt, quia nomi, vt Plinius ait lib. v cap. IX, ſunt *præfecturæ oppidorum*, puta nobilium, quas metropoles Ptolemæus dixit.

2. In hoc tractu ſupra Delta πρῶτος νόμος ἀπὸ δύσεως τοῦ ποταμοῦ ὁ Μεμφίτης, *primus nomos ab occaſu fluminis*, ſecundum Ptolemæum eſt *Memphitis*, eiusque metropolis *Memphis*, antiqua vrbs & regia Aegyptiorum. * Strabo lib. XVII pag. 555, poſtquam de Babylone caſtello dixerat, Ἐγγὺς δὲ καὶ ἡ Μέμφις αὐτὴ τὸ βασίλειον Αἰγυπτίων, ἔστι γὰρ ἀπὸ τοῦ Δέλτα τρίσχοινον ἐπ᾽ αὐτήν, *prope eſt & ipſa Memphis, regia Aegyptiorum, quæ tribus ſchœnis diſtat a Delta.* Plinius lib. v cap. IX *Memphis quondam arx Aegypti regum: vnde ad ſciſſuram Nili, quod adpellauimus Delta,* XV *millia paſſuum.* Variant ſchœni Aegyptii: in partibus inferioribus XXX ſtadiorum erant: ſexaginta in Thebaide; medio loco forſan etiam mediæ longitudinis. Plinius ſane Eratoſthenem ſequutus lib. XII cap. XIV quadraginta ſtadia numerat. *Schœnus,* inquit, *patet Eratoſthenis ratione ſtadia* XL, *hoc eſt, paſſuum quinque millibus.* Hac menſura congruit Strabo cum Plinio in diſtantia inter Memphin & initium τοῦ Delta. Habuit Memphis præter alia templa religioſum quoddam Apidi dicatum: & ipſe bos Apis ἐν σηκῷ τινι, *in ſepto quodam* apud Memphitas alebatur. Vrbs magna erat, etiam Strabonis ætate, ac πολυάνθρωπος, id eſt populoſa, ſecunda ab Alexandria. ** Nummos Memphitarum ſub Hadriano & Antonino cuſos habemus: in vno Oſiris cum Api boue expreſſus eſt.

β. Quadraginta ſtadiis a Memphi ὀρεινή τις ὀφρύς ἐστι, ἐφ᾽ ᾗ πολλαὶ μὲν Πυράμιδές εἰσι τάφοι τῶν βασιλέων, *montanum quoddam ſupercilium eſt, in quo multæ ſunt Pyramides, ſepulcra regum.* Strabo ait, tres ex illis eſſe ἀξιολόγους· τὰς δὲ δύο τούτων καὶ ἐν τοῖς ἑπτὰ θεάμασι καταριθμοῦνται. *tres,* inquam, *eſſe memorabiles: & duas illarum in ſeptem mundi miraculis numerari.* Singulas altitudinem ſtadii æquare, figura quadrata, paullo altiores quolibet latere, & mole ſe paullulum excedere. Plinius lib. v cap. IX extremo: *inter Memphin & Arſinoiten nomon, in Libyco turres, quæ pyramides vocantur.* Plura de Pyramidibus vide apud Herodotum lib. II cap. CXXIV ſqq. qui auctores fere ſingularum nominatim laudat: & apud Diodorum Siculum lib. I cap. LXIV, qui maximæ baſin lateris vltra ſtadium extendit; ſecundæ, ſtadio æquat: & in vniuerſum dicit, de pyramidibus neque indige-

* Vocatur ἀχείμαντος ab Athenæo lib. I pag. 20 D.

** Cnidius Soſtratus auerſo & diducto flumine vrbem hanc cepit a Ptolemæo defenſam. Lucian. Hippia pag. 355. Memphi cincinni Iſidis aſſeruabantur. Lucian. adv. Indoct. pag. 386.

indigenas, neque ſcriptores conuenire. Diſſenſum de ætate illarum, in Hiſtoria noſtra Antiqua (ad illam enim pertinet, non ad geographiam) propoſuimus.

γ. In Memphite nomo Ptolemæus etiam oppidum aliud poſuit, in cuius nomine variant libri, Κανθὼν, Palat. Ακανθὼν; ſed verum vocabulum auctore Strabone eſt Ἄκανθος, *Acanthus*. Sic enim p. 556 Μετὰ δὲ Μέμφιν Ἄκανθος πόλις ὁμοίως ὡς ἐν τῇ Λιβύῃ, καὶ τὸ τοῦ Οσίριδος ἱερὸν καὶ τὸ τῆς Ακάνθης ἄλσος τῆς Θηβαϊκῆς, *Poſt Memphin eſt vrbs Acanthos ſimilis Libycæ: ibidem Oſiridis templum, & lucus Acanthæ Thebaicæ.*

δ. Ad Memphiticum nomon, qui ad Delta vſque pertinet, etiam vrbs Κερκάσωρον, *Cercaſorum*, referenda, ad ſiniſtram Nili ripam, vbi in Delta ſcinditur, poſita. Herodotus lib. II cap. XV μέχρι Κερκασώρου πόλιος, κατ' ἣν σχίζεται ὁ Νεῖλος, ἔς τε Πηλούσιον ῥέων καὶ ἐς Κάνωβον, *vſque ad vrbem Cercaſorum, iuxta quam Nilus ſcinditur, in Peluſium fluens & in Canopum.* Et cap. XCVII παρὰ τὸ ὀξὺ τοῦ Δέλτα καὶ παρὰ Κερκάσωρον πόλιν, *iuxta acumen* τοῦ *Delta & vrbem Cercaſorum.* Strabo Κερκέσουρα, *Cerceſura* ſcripſit lib. XVII p. 555, Ηλιοπολῖτις ἐν τῇ Αραβίᾳ ἐστὶν. ἐν δὲ τῇ Λιβύῃ Κερκάσουρα πόλις κατὰ τὰς Ευδόξου κειμένη σκοπάς. *Heliopolitis* [præfectura] *in Arabico ſita latere: Cercaſura vero in Libyco iuxta Eudoxi Speculas.* *

3. Secundus nomos ex ſeptem Ptolemæo eſt *Heracleotes.* εἶτα καθὸ μέρος σχίζεται ὁ ποταμὸς, ποιῶν νῆσον τὸν Ηρακλεώτην νόμον. *Poſtea iuxta partem ſcinditur fluuius, facitque inſulam, quæ eſt Heracleotes nomos.* Metropolis in inſula iuxta occidentalem fluuii partem eſt Ηρακλέους πόλις μεγάλη, *Herculis ciuitas magna*, ſiue *Heracleopolis magna.* De hoc nomo Strabo ibidem: εἶθ' ὁ Ηρακλεώτης νομὸς ἐν νήσῳ μεγάλῃ, *Poſtea eſt Heracleotes nomos*, ſeu præfectura, *in magna inſula.* Ichneumones ibidem colebantur. Inferiore parte huius inſulæ fuit *Nilopolis*, reducta quodammodo ab vtraque fluminis parte. nam μεσόγειον, *mediterraneam* Ptolemæus dixit. Epheſino concilio Ευσεβίος Νειλουπόλεως, *Euſebius Nilopoleos* epiſcopus ſubſcripſit. Stephanus prauatus eſt, quum legitur, Νεῖλος πόλις Αἰγύπτου, *Nilus Aegypti vrbs.* Ipſe enim gentile format Νειλοπολίτης, quod argumento eſt, ſcriptum fuiſſe Νειλόπολις πόλις Αἰγύπτου. Quidam diuidunt vocabulum, Νείλου πόλις, *Nili oppidum.* Euſebius lib. VI Hiſt. eccleſ. cap. XLII Χαιρήμων τῆς Νείλου καλουμένης ἐπίσκοπος πόλεως, *Chæremon, Nili vrbis, vt vocatur, epiſcopus.*

4. Huic inſulari nomo ab occaſu adiacet *Arſinoites* nomos: ab ortu *Aphroditopolites.* Illius metropolis eſt *Arſinoe*, quæ prius Κροκοδείλων πόλις, *Crocodilorum vrbs* ſecundum Strabonem vocata eſt: ** quam reuerendi Patres Benedictini ad Athanaſium, poſtea *Cleopatridos* nomen ſuſcepiſſe

* In memorabilibus locis Memphitidis numero λευκὸν τεῖχος adpellatum & valde, vt videtur, munitum. Etenim Perſæ ab Aegyptiis & Athenienſibus victi eo confugerunt. Diodor. XI pag. 56 & pag. 57, 58. Ac Perſæ ibi magno numero modiorum frumenti alebantur. Vid. Herodot. III cap. 91.

** Aelian. VI de Animal. cap. 7. Εν τῇ Αἰγύπτῳ περὶ τὴν λίμνην τὴν καλουμένην μύριδος, ἔνθα Κροκοδείλων πόλις, κορώνης τάφος δείκνυται.

piſſe contendunt, quod propter muliebres reginarum æmulationes non eſt inprobabile. Nec vero certo id demonſtrari poteſt, quia Strabo, quem illi teſtem vocant, non de hac, ſed altera Arſinoe, ad ſinum Arabicum iuxta Heroopolim ſita, dixit, Cleopatridem adpellatam eſſe, vt ſupra declarauimus. Immo noſtræ *Arſinoes* nomen ſemper manſit, etiam ſub Hadriano, quod ex nummo perdoctus antiquitatum ſcrutator Vaillantius probauit, inſcripto ΑΡΣΙΝΟΙ. L. ΙΑ. *Arſinoitarum anno* XI. Ptolemæus hanc Arſinoen dicit μητρόπολιν μεσόγειον, *metropolim mediterraneam:* ergo reductior quodammodo a Nilo fuit. Nihilominus portum in Nilo habuit. Addit enim vrbis mentioni, καὶ ὅρμος Πτολεμαΐς, *& portus Ptolemais nomine.*

5. Alter nomos, qui ab ortu ſolis Heracleoticæ inſulæ eſt oppoſitus, Ἀφροδιτοπολίτης νομὸς, *Aphroditopolites* dicitur. Ptolemæus: ἀπὸ ἀνατολῶν τῆς νήσου Ἀφροδιτοπολίτης νομὸς, *ab orientali parte inſulæ eſt Aphroditopolites nomos.* Et Strabo pag. 556 εἶθ' ὁ Ἀφροδιτοπολίτης νομὸς, καὶ ἡ ὁμώνυμος πόλις ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ἐν ᾗ λευκὴ βοῦς ἱερὰ τρέφεται, *Deinde eſt Aphroditopolites nomos cum vrbe huius nominis* [Aphroditopolis] *in Arabico latere: in qua alba bos ſacra nutritur.* Breuiatum aliquando eſt vrbis nomen. In Epheſino concilio ſubſcripſit Χρυσαόριος ἐπίσκοπος Ἀφροδίτου, *Chryſaorius Aphroditi epiſcopus.* Additur huic nomo apud Ptolemæum Ἀγκυρῶν πόλις (ſic reſcribendum ex Stephano, non Ἀγγυρῶν) quaſi *Ancorarum vrbs*, quia in propinqua lapicidina ancoræ ſaxeæ dicuntur exciſæ. Ethnicum Stephano ex analogia Ἀγκυροπολίτης.

β. Iuxta Arſinoiticum nomon ab occaſu eſt lacus, quem *Mœridis*, Μοίριδος lacum Strabo ac Plinius; Μοίριος λίμνην Herodotus, ab auctore, qui effodit, Μοῖρι, *Mœri* nominant. * Pomponio eſt *Mœris lacus* dubio prioris vocis caſu, nominandi an gignendi. Strabo XVII pag. 558 *Arſinoitæ crocodilos colunt*, καὶ διὰ τοῦτο ἥτε διῶρυξ αὐτῶν μεστὴ ἐστὶ τῶν κροκοδείλων, καὶ ἡ τοῦ Μοίριδος λίμνη, *ideoque foſſa illorum plena eſt crocodilis, & Mœridis lacus.* Et Plinius lib. V cap. IX *Inter Arſinoiten & Memphiten lacus fuit, circuitu* CCL M. *paſſuum: aut vt Mucianus tradit*, CCCCL M. *& altitudinis quinquaginta paſſuum, manu factus; a rege, qui fecerat, Mœridis adpellatus. Inde* LXXII *millia paſſuum abeſt Memphis.* Herodotus lib. II cap. CXLIX, cui ἡ Μοίριος καλεομένη λίμνη eſt, *lacus Mœris*, ſeu *Mœrios*, *adpellata*, circuitum facit MMMDC paſſuum ſiue LX ſchœnorum: profunditate magis cum Plinio conueuit, quam ipſe πεντηκοντόργυιον, *quinquaginta orgyiarum* dicit. Pomponius Mela lib. I cap. IX *Mœris, aliquando campus, nunc lacus, quingenta millia paſſuum in circuitu patens, altior, quam ad nauigandum magnis onuſtisque nauibus ſatis eſt.* Ex his, quæ de Mœridis lacu tenenda ſunt, colligi ab vnoquoque poſſunt. Herodotus addit, longum eſſe a meridie in ſeptemtrionem.

γ. Prope hunc lacum, aut ſecundum nonnullos in ipſo lacu, fuit

 Laby-

* Herodotus libr. III cap. 91 Μοῖριν quoque adpellat, & ex huius piſcibus Perſarum regibus aliquos reditus fuiſſe dicit.

Labyrinthus, admirandæ ſtructuræ opus ſeu ædificium. Herodotus lib. II cap. CXLVIII ἐποιήσαντο Λαβύρινθον, ὀλίγον ὑπὲρ τῆς λίμνης τῆς Μοίριος, κατὰ Κροκοδείλων καλεομένην πόλιν, *Labyrinthum fecerunt paullo ſupra lacum Mœris, iuxta Crocodilorum, vt vocatur, vrbem.* Hæc poſtmodum Arſinoe nuncupata eſt, vt ſupra ex Strabone oſtendimus. Et cap. CXLIX ἡ Μοίριος καλεομένη λίμνη, παρ' ἣν ὁ Λαβύρινθος ὗτος οἰκοδόμηται, *Mœris lacus, iuxta quem Labyrinthus ædificatus fuit.* Huic ergo Labyrinthus non fuit in ipſo lacu, ſed extra eum, prope tamen, ὑπὲρ, *ſupra*, & παρὰ *apud* illum: quod præferendum Plinii opinioni videtur, lib. V cap. IX extremo dicentis, *Labyrinthus in Mœridis lacu, nullo addito ligno exædificatus.* Pomponius Mela tribuit Pſammeticho regi, & ſtructuræ artificium ſic deſcripſit dicto loco: *Pſammetichi opus Labyrinthus, domos ter mille & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exſtructus ac tectus, vnum in ſe deſcenſum habet, intus pæne innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, ſed continuo anfractu, & ſæpe reuocatis porticibus ancipites: quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno & explicabili tamen errore perplexus eſt.* Incredibilis pæne domorum numerus videtur, tamen etiam ita ab Herodoto cap. CXLVIII expreſſus, δυώδεκα αὐλαὶ κατάστεγοι ἀντίπυλοι ἀλλήλῃσι, *duodecim aulæ tecta opertæ, portis altrinſecus oppoſitis*; & οἰκήματα τριχίλια, *ter mille domicilia*, MD ὑπόγαια, *ſubterranea*, & totidem μετέωρα, *ſuperiora.* Adpoſitum Labyrintho fuit ſepulcrum (ὁ παρακείμενος τάφος) regis eius, qui Labyrinthum conſtruxerat. Strabo hoc prodidit: nomen autem regis ſuppreſſit.

6. Sequitur apud Ptolemæum *Oxyrynchites nomos:* ſed Strabo præpoſuit *Cynopoliten.* Ἑξῆς δ' ἐστὶν ὁ Κυνοπολίτης νομὸς, καὶ Κυνῶν πόλις, - - - ἐν δὲ τῇ περαίᾳ Ὀξύρυγχος πόλις καὶ νομὸς ὁμώνυμος. *Deinde eſt Cynopolites nomos & Canum vrbs; - - - trans fluuium Oxyrynchus vrbs & præfectura eiuſdem nominis.* Diſſenſio a Cynopolitæ nomi ſitu eſt, qui partim inſulam Nili, minorem tamen quam Heracleotica erat, tenebat, partim extra inſulam in Arabiam ſe proferebat. Huius ergo dicit Strabo in περαίᾳ Oxyrynchiten nomon eſſe, id eſt trans fluuium in Libyco Aegypti latere. Ptolemæus in hoc nomo ſuſpectus eſt, ponens metropolim non Cynopolim, vnde nomo eſt adpellatio, ſed Κῶ, *Co*, extra inſulam in Libyco: quod nomen videtur ex Κυνῶ, *Cyno* ortum, quo poſteriores vocabulum Cynopolis breuiarunt. Ipſam *Cynopolim* ille in inſula poſuit, quam Strabo Κυνῶν πόλιν vocat, *Canum vrbem*, quia Anubis ibi colebatur, & canibus cibus ſacer conſtitutus erat: extra inſulam in Arabico *Acorin* (in recto Ἀκωρὶς) ad flumen; & μεσόγειον πόλιν Ἀλαβαστρῶν, *Alabaſtrorum vrbem*, reductam a flumine, Plinii *oppidum Alabaſtrôn*, lib. V cap. IX, poſuit.

7. *Oxyrynchites* nomos ab vrbe *Oxyryncho* dictus eſt: vrbs a piſce Oxyryncho, id eſt acuti roſtri, quem præcipue in ea Aegyptii colebant. Strabo dicto loco: ἐν τῇ περαίᾳ Ὀξύρυγχος πόλις, καὶ νομὸς ὁμώνυμος. τιμῶσι δὲ τὸν ὀξύρυγχον καὶ ἐστιν αὐτοῖς ἱερὸν Ὀξυρύγχου. *Trans flumen* [reſpectu Cynopoli-

nopolitani nomi] *eſt vrbs Oxyrynchus, & nomos eiusdem adpellationis: vbi Oxyrynchus colitur, & templum Oxyrynchi eſt: quamquam & ceteri Aegyptii,* quod addit Strabo, *Oxyrynchum colunt.* Eſſe autem piſcem Oxyrynchum, clare Aelianus Hiſt. Animal. lib. x cap. XLVI docet: ὀξύρυγχος ἐστὶ ὁ ἰχθὺς, *Oxyrynchus piſcis nomen ex acumine roſtri trahit:* τρέφει δὲ ὁ Νεῖλος, *quem Nilus alit, & ab eo* νομὸς, *præfectura nominatur:* καὶ τιμὰς ἔχει ὁ αὐτὸς ἰχθυς, *& religioſe hic piſcis colitur.* Breuius hæc contraxit Stephanus: Ὀξύρυγχος πόλις Αἰγύπτου, τιμῶσα τὸν ὁμώνυμον ἰχθῦν, *Oxyrynchus vrbs Aegypti, quæ eiusdem nominis piſcem colit.* Ptolemæus a Nilo quodammodo in occaſum ſolis reduxit. Quum Chriſti doctrina per gentes inualeret, epiſcopalis facta: & Apollonius Seleucienſi concilio ſubſcripſit apud Epiphanium hæreſi LXXIII; Petrus, Epheſino.

8. Septimus nomos Ptolemæi eſt *Hermopolitanus*, a metropoli dictus *Hermopoli magna.* Ερμούπολις μεγάλη Græce ſcripſit, ad diſcrimen paruæ, quæ in Delta explicata eſt. Plinio eſt *Mercurii oppidum.* Ammianus in clarioribus cenſet vrbibus lib. XXII cap. XL [Valeſ. XVI] *Thebais* [laxe ſumta] *multas inter vrbes, clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoû.* Huius etiam nummi ſunt ex Hadriani æuo, cum Mercurii vel Oſiridis ſimulacro, præſcripti ΕΡΜΟ. *Hermopolitarum.* Μεσόγειον *mediterraneum,* fecit Ptolemæus, & a flumine ad occaſum nonnihil deduxit.

β. In hoc nomo ad occidentalem ripam Nili etiam caſtellum ſeu ſtatio militaris fuit, quæ ab oppido nomen accepit. Ptolemæus: καὶ ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ποταμοῦ παρακείμενα, Φυλακαὶ, *& quæ ab occaſu fluminis adiacent, Phylacæ,* ſiue Cuſtodiæ. Hæc eſt Strabonis Ερμοπολιτικὴ Φυλακὴ *Hermopolitana cuſtodia* ſeu caſtellum, τελώνιον τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καταφερομένων, *locus exigendi vectigalis de iis, quæ ex Thebaïde deferuntur.* Hinc ait, initium eſſe ἑξήκοντα ςαδίων Χοίνων, *ſchœnorum* LX *ſtadiis conſtantium,* quum circa Delta regionem ſint tantum XXX aut XL. Atque hic finis Heptanomidis: & poſt Hermopolim Thebais incipit: quod Plinius etiam ita lib. V cap. IX definiuit. *In Libyco,* inquit, *Lycôn, vbi montes finiunt Thebaidem. Ab iis oppida Mercurii, Alabaſtrôn, Canum, & ſupra dictum Herculis: deinde Arſinoe, & iam dicta Memphis.*

9. Nec vero hinc ſtatim Ptolemæus progreditur, ſed quaſi appendicem Heptanomidi adiungit, in orientali Nili ripa *Antinoiten nomon,* quod parallelus Hermopolitæ eſt: ab occaſu fluminis, *duas Oaſitas.* Prior nomos *Antinoites* ab vrbe *Antinoû,* vt modo ab Ammiano nominari & inter clariores Aegypti referri cognouimus, dictus eſt, quæ Ptolemæo eſt Ἀντινόου πόλις, *Antinoi vrbs,* ſeu *Antinoopolis.* Situs & poſitio tam ex Antonini Itinerario, quam Ptolemæi petatur numeris. Ipſa vrbs non tam noua, quam inſtaurata eſſe videtur, ac Caſaubonus in Spartiani Hadrianum cap. XIV antiquum nomen *Beſam* tradit, quod etiam dei Aegyptii nomen fuit, vt Ammianus lib. XIX cap. XXVI *Beſæ dei localiter adpellati oraculum* commendat, quod ipſe in Abydo ponit, oppido inter Ptolemaidem & Dioſpolim paruam ſito; vnde Helladius, Aegyptius ſcriptor, veteri & nouo

nomine coniuncto, apud Photium cod. CCLXXIX, Βησαντίνοος, *Beſantinoenſis* nominatur. De inſtauratione & origine Xiphilinus ex Dione in Hadriano: ὁ Ἀντίνοος ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύτησεν, εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσὼν, ὡς Ἀδριανὸς γράφει· καὶ οὕτω γε τὸν Ἀντίνοον ἐτίμησεν, ὡς καὶ πόλιν ἐν τῷ χωρίῳ, ἐν ᾧ τοῦτο ἔπαθε, συνοικίσαι, καὶ ὀνομάσαι ἀπ' αὐτοῦ. *Antinous* [delicium Hadriani] *in Aegypto vitam finiuit, in Nilum præcipitatus, vt ipſe Hadrianus ſcripſit: atque ita Antinoum honorauit, vt & vrbem in loco, quo perierat, conderet, ac ab ipſo nominaret.* In Notitia prouinciarum Ἀντινῷ, *Antino* vocatur, ſtatuiturque Thebaidis Primæ metropolis. Et quidam antiquiores poſtremas vocabuli ſyllabas contraxerunt. Pauſanias Arcadicis cap. IX ἐνομίσθη καὶ Ἀντίνους εἶναι θεὸς, *Antinûs etiam pro deo habetur.* Et mox: ἐπὶ τῷ Νείλῳ πόλις Αἰγυπτίων ἐστὶν ἐπώνυμος Ἀντίνου, *in Aegypto ad Nilum vrbs Antinu nomine eſt adpellata.*

10. Vt vero Ptolemæus, propter parallelum ſitum ab ortu Heptanomidi Antinoiten nomon adiecit; ita etiam ab occaſu propter eamdem cauſſam addidit *duos Oaſitas.* Finit enim Heptanomidem his verbis: οἷς νομοῖς προσγράφονται οἱ δύο Ὀασῖται, *His nomis adſcribuntur duo Oaſitæ.* Et Plinius lib. V cap. IX duos huius nominis nomos memorat. *Arſinoitæ*, inquit, *duo ſunt: hi & Memphites vsque ad ſummum Delta perueniunt. Cui ſunt contermini ex Africa duo Oaſitæ.* Straboni eſt Αὔασις *Auaſis* in MSS. qui lib. II pag. 89 Aegyptios, id eſt barbaros, Αὐάσεις loca raro & male habitata ait adpellare. * Editis libris eſt Ἄνασις: ſed vetus lectio a Stephano firmatur, qui eamdem *Oaſin* eſſe tradidit. Αὔασις, inquit, πόλις Αἰγύπτου. Ταύτην δὲ καὶ Ὄασιν καλοῦσιν. *Auaſis vrbs Aegypti: hanc vero etiam Oaſin nominant.* Duas *Oaſes* (ſic enim plerique nominant) Ptolemæus, Notitia Imperii, & qui diſtincte μεγάλης, *Magnæ* rationem habent, (vt Athanaſius ad Conſtantium Apologia cap. XXXII, & de fuga ſua cap. VII) memorauerunt: alii tres, vt Strabo lib. XVII p. 559, vbi ita definit ſingulas: vt πρώτη ἐκ τῶν λεχθεισῶν τριῶν, *prima ex tribus, quæ ita vocantur,* ſit κατὰ τὴν Ἄβυδον, *iuxta Abydum*, ſeu e regione eius, ſeptem tamen dierum diſtans δι' ἐρημίας, *per deſerta loca* itinere;** & hanc dicit aqua, vino, & aliis rebus abundare. δευτέρα δ' ἡ κατὰ τὴν Μοίριδος λίμνην, *Secunda*, inquit, *eſt iuxta Mœridis lacum:* τρίτη δὲ κατὰ τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Ἄμμωνι, *Tertia, iuxta Ammonis oraculum.* Et hanc quoque κατοικίας ἀξιολόγους, *bonas habitationes* dicit habere. Quænam ex his maior minorue dicatur, non addit: quod vero non obſcure proditur ab Olympiodoro apud Photium Cod. LXXX, qui etiam τρεῖς Ὀάσεις, *tres Oaſes* agnoſcit, δύο μεγάλας, *duas magnas*, τὴν μὲν ἐξωτέρω, τὴν δὲ ἐσωτέρω, *vnam exteriorem, alteram interius* Aegyptum verſus *poſitam*, centum σημείοις, id eſt *milliariis* inter ſe diſtantes: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη τρίτη μικρὰ, πολλῷ διαστήματι τῶν δύο κεχωρισμένη. *Eſt vero & alia tertia, Oaſis parua, longo interuallo ab reliquis duabus*

* Gentile nomen habet P. Oroſius I hiſtor. c. 2. *Vnde per loca, quæ accolæ Catabathmon vocant, haud procul a caſtris Alexandri M. & ſuper lacum Calcutium, deinde iuxta ſuperiorum fines Auaſitarum, miſſa in transuerſum per Aethiopica deſerta meridianum contingit oceanum.*

** Ὄασιν τὴν Αἰγυπτίαν διελθόντι ἀπαντᾷ ἑπτὰ ἡμερῶν ὅλων ἐρημία βαθυτάτη· μετὰ δὲ ταύτην κυνοπρόσωποι νέμονται ἄνθρωποι, κατὰ τὴν ὁδὸν εἰς Αἰθιοπίαν ἄγουσαν κ. τ. λ. Aelian. X de Animal. c. 25.

bus remota. Haud dubie hæc tertia eſt illa prope Ammonis fanum ſita, quam Strabo etiam dixit tertiam: Ptolemæus autem, & qui duas numerant alii, illam Ammoniacæ Oaſin ſilentio prætermiſerunt: & ſi omnino ibidem eſſet quædam Oaſis, non ad Aegyptum, ſed ad Marmaricam ſeu Ammonis regionem pertineret.

Ptolemæus autem duas tantum Oaſes, vt dixi, habet, pari ferme longitudine, at latitudine intra ſecundum gradum, ſeu paullo minus quam duobus gradibus diſtantes, quod fere congruit cum Olympiodori Magnarum ad centum milliaria, quam diximus, diſtantia. Diſcrepant autem paruitatis cognomento. Etenim Ptolemæus illam, quæ ad Mœridis lacum eſt, vocat μικρὰν, *paruam:* quæ Abydo eſt obiecta, *magnam:* Olympiodorus autem vtramque hanc μεγάλην, *magnam* dixit. Quibus vna *magna* eſt, vt Athanaſio ſupra citatis locis, illam etiam dicunt τὴν ἄνω ὄασιν, *ſuperiorem Oaſin,* in quam idem Athanaſius ad ſolitariam vitam agentes (alii Hiſtoriam Arianorum ad Monachos vocant) cap. LXXII Ammonium aliosque relegatos ſcribit: cuius reſpectu altera, minor Ptolemæi, quia ad Aegyptum inferiorem vergit, & ipſa *inferior* dicenda eſt. Qui vnius tantum mentionem habent, μεγάλην ſeu *Maiorem* illam Ptolemæi ſpectant, in quo numero etiam Herodotus eſt, qui lib. III cap. XXVI Cambyſis exercitum, aduerſus Ammonios miſſum, circa Oaſin, quæ ſeptem dierum itinere a Thebis diſtet, arenarum cumulis dicit obrutum interiiſſe. Et quia Athanaſius prædictis locis catholicorum exſilium Oaſin μεγάλην, *magnam,* & τὴν ἄνω, *ſuperiorem* vocat; etiam hiſtoriæ & leges in pœnarum deſcriptione, ſi Oaſin nominant, de maiori videntur intelligendæ. Sic Timaſius, militiæ magiſter, ſub Arcadio, τῇ Ὀάσεως οἰκήσει παραδοθεὶς, *ad inhabitandam Oaſim damnatus*, vt Zoſimus refert lib. V cap. IX; ſiue vt Sozomenus lib. VIII cap. VII dicit, εἰς τὴν κατ᾽ Αἴγυπτον ὄασιν, *in Oaſin, quæ iuxta Aegyptum eſt*, relegatus fuit. Et Vlpianus lege VII Dig. de interdictis & relegatis ſect. 5. *Eſt quoddam genus quaſi in inſulam relegationis in prouincia Aegypto, in Ouaſin relegare.* Dicit, *QVASI in inſulam,* quia hoc exſilium æquale erat deportationi in inſulam, quod inde regredi damnatus non poſſet nec effugere, ita Oaſi arenis cincta, vt inſula mari. Et lege vlt. Cod. de Pœnis, *Magiſtratus Alexandriæ & Thebaidos ſolos iubet in Gypſum & in Oaſin mittere vel in ſex menſes, vel ad ſummum in annum.* At Sozomenus dicto loco de Timaſio ἀϊδίῳ φυγῇ, *perpetuo exſilio.* * De *Gypſo* non ſatis conſtat: plurimi credunt eſſe quam Stephanus Γυψῆιν, *Gypſein* vocat, & Aethiopiæ adſcribit. Et lege vn. C. Theod. de Nili agger. dicuntur *Oaſenæ deportationi conſtringendi.* Adiacebat oppidum vel caſtellum *Ibis* vel *Hibis* nomine, in quo præſidium Romanorum fuit. Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Ala prima Abasgorum Hibe Oaſeos maioris.* Maior opponitur Minori. nam in eadem Notitia ſub Comite limitis memoratur *Ala ſecunda Armeniorum Oaſi minore.*

Vnum ſupereſt, quod dubitari poſſit. Exſilii ille locus Zoſimo eſt

τόπος

* Sed Iuſtinianus mitigarat pœnam. Quod cur ignoraſſe dicatur Cellarius, non video. Vid. Gundlingian. part. XXXV. ſ. IV pag. 538.

τόπος λυπρότατος, *locus inſigniter ſterilis* atque triſtis: Straboni autem lib. XVII prima illa Oaſis ἔνυδρός τε κατοικία καὶ εὔοινος, καὶ τοῖς ἄλλοις ἱκανή, *habitatio eſt aquis & vino & ceteris rebus abundans:* quo referri decet quod Herodotus ante dicto loco tradit, Μακάρων νῆσον, *Beatorum inſulam* adpellatam eſſe. At ſi recte tam Strabonem lib. II, vbi contrarium videtur de Oaſi proferre, quam Zoſimum inſpicimus, non de ſede illi media, quam πόλιν, *vrbem* Herodotus dixit, ſed de circumiectis arenis earumque ſterilitate loquuntur. Strabo, οἰκήσεις περιεχόμεναι ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ γῇ, *habitationes, quæ ſterili & aquis carente terra ſunt circumdatæ:* Zoſimus *Quæ aliunde huc euntibus interiecta terra occurrit*, ψαμμώδης οὖσα καὶ παντάπασιν ἔρημος, καὶ ἀοίκητος, ἀφαιρεῖται τῆς γνώσεως τοὺς ἐπὶ τὴν Ὄασιν ἀπιόντας, τῶν ἀνέμων τοῖς ἴχνεσι τὴν ψάμμον ἐπιφερόντων, *arenoſa & vaſta prorſus, & inhabitata, notitiam pergentibus in Oaſim omnem adimit, quod venti veſtigiis arenam ingerunt, nec arbor vlla, nec indicium aliud* ὁδοιποροῦσι, *iter facientibus relinquitur.* Sic ipſe locus poteſt commoditates ſuas habere, vt tamen acceſſus & receſſus propter circumſitas aliquot dierum arenas, ſit difficillimus. Non miror etiam *tertiam* a non nullis fuiſſe *Oaſin* adiectam, & quidem in Ammoniaca regione, quum ipſa ſedes oraculi Ammonii talis locus ſit, qui fontibus & viretis abundet, adeoque ad habitandum amœniſſimus: quem vero, niſi ægerrime per ſolitudines & arenas, vndique oraculum cingentes, adiri non poſſe, Scriptores expeditionis Alexandri Magni teſtantur.

PARTIS II SECTIO II.

THEBAIS.

XIII.

Poſt Heptanomidem & Oaſitas nomos Ptolemæus dicit: τὰ δὲ ἔτι μεσημβρινώτερα τῶν Επτανομίων καλεῖται Θηβαῒς καὶ ἄνω τόποι, *Quæ autem adhuc auſtraliora Heptanomiis ſunt, vocantur Thebais & loca ſuperiora.* Et ceteri *Thebaidem* hunc Aegypti tractum vocant. Strabo lib. XVII p. 559 de Ptolemaide Aegyptia, μεγίστη τῶν ἐν Θηβαΐδι, *maxima vrbium in Thebaide.* Et Plinius lib. V cap. IX *ſumma pars* [Aegypti] *contermina Aethiopiæ, Thebais vocatur.* Nomen a *Thebis* eſt, antiqua vrbe ad Nilum, de qua & eius mirandis infra dicturi ſumus. Ad vtramque Nili ripam patet, in longitudinem ab Heptanomide ad Aethiopiam vſque procurrens. Diuidit Ptolemæus Thebaidem per Nilum in duas partes, quarum altera nomos continet, qui ſunt ἀπὸ δύσεως τοῦ ποταμοῦ, *ab occaſu fluminis;* altera illos, qui ſunt ἀπὸ ἀνατολῶν τοῦ ποταμοῦ, *ab ortu fluminis Nili.* Eumdem ordinem nos etiam tenemus, primum explicaturi, quæ ab occaſu ſunt Nili: deinde, quæ trans flumen hiſce ad ſinum vſque Arabicum oppoſita.

THEBAIS AB OCCASV NILI.

2. Primus nomos Ptolemæi in occidentali latere eſt Λυκοπολίτης, *Lycopolites*, vt Plinius Latine etiam ſcripſit, qui etiam inde initium facit The-

Thebaidis. *In Libyco,* inquit lib. v cap. IX, *Lycôn, vbi montes finiunt Thebaidem.* nam a meridie in ſeptemtrionem progreſſus eſt, quo reſpectu Lycopolis eſt vltima in Thebaide. Agatharchides apud Photium p. 726 ἀρχὴ τῆς Θηβαΐδος ἡ Λύκων πόλις, *initium Thebaidis eſt Lycopolis.* Ptolemæus in hoc nomo: μητρόπολις μεσόγειος, Λύκων πόλις, *metropolis a flumine remota eſt, Luporum oppidum.* Sic etiam Strabo p. 559 diuiſe Λύκων πόλιν, vt Ptolemæus, ſcripſit. * Plinius *Lycôn,* Luporum vocat, ſuppreſſo *vrbis* nomine, ſicut ibidem dicit *Veneris*, oppidum intelligens. Integrum, ſed compoſitum nomen, *Lycopolis* eſt, quia nomos inde, vt vidimus, *Lycopolites* Plinio & Ptolemæo vocatur, & incolæ, vt iam videbimus, *Lycopolitæ.* Stephanus autem etiam diuiſit vocabulum: Λύκων πόλεις δύο, *Lycopoles duæ ſunt,* ἡ μὲν ἐν Λυκοπολίτῃ νομῷ τῆς Αἰγύπτου, ἡ δὲ ἑτέρα Σεβεννύτου νομοῦ παραθαλάσσιος, *altera in Lycopolite nomo Aegypti, altera in Sebennytico, propior mari.* Sed de hac ſupra in Delta. Nomen a cultu luporum eſt. Strabo p. 559 τιμῶσι λύκον Λυκοπολῖται, *Lycopolitæ lupum colunt.* Rationem vel fabulam adfert Diodorus Siculus lib. I cap. LXXXVIII, quum Aethiopes irruptionem in Aegyptum facerent, a luporum gregibus ad Elephantinen vſque fugatos eſſe. διὸ καὶ τὸν νομὸν ἐκεῖνον Λυκοπολίτην ὀνομασθῆναι, *Propterea nomon illum Lycopoliten nominari.* Nummus Hadriani cum Serapidis imagine: ΛΥΚΟ. L. ΙΑ. *Lycopolitarum anno* XI. Vt cetera cum πόλις compoſita truncata forma poſteriori æuo dicta ſunt, vt Cyno, Andro, de quibus ſupra diximus; ita etiam hæc vrbs *Lyco* fuit adpellata. Eunapius in Plotini Sophiſtæ vita: τὸ ἐξ Αἰγύπτου νῦν γράφων, καὶ τὴν πατρίδα προσθήσω, Λυκὼ ταύτην ὀνομάζουσι, *dum Aegyptium fuiſſe dico, etiam patriam eius addam: Lyco illam nominant.*

3. Alter nomos Ptolemæi eſt Ὑψηλιώτης, *Hypſeliotes*, cuius metropolis eſt Ὑψηλὴ, *Hypſele.* Et Notitia prouinciarum in Thebaide prima, Ὑψηλὴ, *Hypſele.* Epiſcopalis Chriſtianorum temporibus fuit, & Arſenius epiſtolæ ſuæ ad Athanaſium (in huius Apologia ſect. LXIX) præſcripſit: Ἀρσένιος ἐπίσκοπος τῶν ποτε ὑπὸ Μελίτιον τῆς Ὑψηλιτῶν πόλεως, *Arſenius epiſcopus ciuitatis Hypſelitarum, qui quondam ſub Melitio fuere.* Et paullo ante in epiſtola Pinnis presbyteri (ſect. LXVII Apologiæ) Παῦλος μόναχος ἀπὸ Ὑψηλῆς, *Paulus monachus Hypſeles.* Socrates lib. I cap. XXXII de eodem Arſenio: ὡς τῆς Ὑψηλοπολιτῶν ἐπίσκοπος καθυπέγραψε. *tamquam Hypſelopolitarum vrbis epiſcopus* [damnationi Athanaſii] *ſubſcripſit.* Sic ergo etiam *Hypſelopolis* dicta fuit, quod idem eſt ac ὑψηλὴ. *alta,* ſiue in editiore loco poſita. Stephanus autem vicum dixit, vt forſan ipſius ætate fuit; etiam alio caſu vocabulum format; Ὕψηλις κώμη Αἰγύπτου, *Hypſelis vicus Aegypti.* At vrbis dignitatem, quæ ante teſtimonia audiuimus, confirmant. Nummus Hadriani cum ouis imagine: ΥΨΗΛΙ. L. ΙΑ. *Hypſelitarum anno* XI.

4. Sequitur apud Ptolemæum *Aphroditopolites* nomos, cuius metropolis μεσόγειος Ἀφροδίτης πόλις, *Veneris vrbs, mediterranea*, ſeu a flumine reducta.

* Λύκων πόλις, Aelian. de Animal. X c. 28.

ducta. Plura huius nominis oppida ſunt, in Delta; & ad Heracleoticam inſulam, Heliopolim verſus; & hoc loco in Thebaide: vtraque etiam poſterior nomon habet, ſeu præfecturam denominat: ideoque, niſi ſitus indicetur, difficilius diſtinguuntur. Plinius lib. v cap. IX *Mox Veneris oppidum, & iterum Iouis, ac Tentyris: - - - - dein Ptolemais, ac Panopolis, & Veneris iterum.* Huic nomo Ptolemæus tribuit etiam *Crocodilorum vrbem*, itidem μεσόγειον, ſeu a flumine diſtantem: quo nomine ſupra ex Strabone diximus & Arſinoen, quæ apud Memphin eſt, olim fuiſſe adpellatam.

5. Excipit Ptolemæi ordine Θινίτης νομὸς, *Thinites nomos*, dictus ab vrbe Θὶς, *This*, quam Stephanus habet. Θὶς, inquit, πόλις Αἰγυπτία πλησίον Ἀβύδου. ὁ πολίτης Θινίτης, *This, vrbs Aegyptia prope Abydum. Oppidanus Thinites.* A Ptolemæi libris abeſt hoc oppidi nomen, qui ideo doctiſſimo Berckelio ſuſpecti æque ſunt ac codices Stephani, quaſi ibi elapſum eſſet, hic mutile ſcriptum Θὶς pro Θῖνις, *Thinis*, quod ex deriuato Θινίτης, colligit. Nunc vero apud Ptolemæum legitur

Θινίτης νομὸς,
καὶ μητρόπολις
Ἑρμίου Πτολεμαΐς.
Thinites nomos,
& metropolis
Hermii Ptolemais.

Videntur metropolis & Ptolemais non bene cohærere: nec ratio nominis Ἑρμίου, *Hermii* facile adparet, niſi a Mercurii cultu eſt. Quod ſi autem Ptolemæus ita ſcripſit, nihilque excidit, oportet veterem metropolim, quæ nomen præfecturæ dedit, Ptolemæi temporibus vaſtatam & euerſam fuiſſe, novamque adſumtam metropolim *Ptolemaidem.* De hac Strabo pag. 559 Πτολεμαϊκὴ πόλις μεγίστη τῶν ἐν τῇ Θηβαΐδι, καὶ οὐκ ἐλάττων Μέμφεως, ἔχουσα καὶ σύστημα πολιτικὸν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ τρόπῳ, *Ptolemaica ciuitas eſt omnium maxima, quæ in Thebaide ſunt: nec minor, quam Memphis, Græco more inſtitutam habens rempublicam.* Plinius lib. v cap. IX poſt Abydi explicationem: *Dein Ptolemais & Panopolis.* Zoſimus lib. I cap. LXXI ἡ κατὰ Θηβαΐδα Πτολεμαΐς, *Ptolemais Thebaidis.* Et Theodoritus lib. I cap. VII de Nicaeno concilio, ὁ Πτολεμαΐδος τῆς Αἰγυπτίας Σεκοῦνδος, *Secundus* [epiſcopus] *Ptolemaidis Aegyptiæ.* Notitiis prouinciarum & epiſcopatuum eſt prima vrbs ſeu metropolis Thebaidos ſecundæ.

β. Eidem Thinitæ nomo Ptolemæus etiam *Abydum* ſubdidit: εἶτα μεσόγειος ὁμοίως ἀπὸ δύσεως, Ἄβυδος, *deinde eſt mediterranea vrbs Abydus, itidem ab occaſu.* Memnonis fuit regia. Strabo dicto loco: ὑπὲρ δὲ ταύτης ἡ Ἄβυδος, ἐν ᾗ τὸ Μεμνόνειον βασίλειον θαυμαστῶς κατεσκευασμένον, *Supra hanc* [Ptolemaidem] *eſt Abydus, & in ea Memnonis regia mirifice ſtructa.* Addit, olim quidem μεγάλην, *magnam* fuiſſe, δευτέρουσαν μετὰ τὰς Θήβας, *ſecundam a Thebis:* νυνὶ δ᾽ ἐστὶ κατοικία μικρά, *nunc vero* (Strabonis ætate) *parua eſt habitatio.* Plinius de ſitu certiora tradit lib. v cap. IX *Veneris oppidum, & iterum Iouis, ac*

Ten-

Tentyris: *infra quod Abydus, Memnonis regia & Oſiris templo inclutum,* VII M. CCCCC *paſſuum in Libyam remotum.*

6. Poſt Thiniten Ptolemæo eſt Διοσπολίτης νομὸς ἄνω τόπων, καὶ μητρόπολις Διόσπολις μικρὰ, *Diospolites nomos ſuperioris Aegypti, & metropolis Diospolis Parua.* Per verba ἄνω τόπων, *ſuperioris regionis* diſtinguitur ab alia huius nominis in Delta ſita: per cognomen *Paruæ,* a Magna Dioſpoli, quæ Thebæ ſunt, de qua infra dicturi ſumus. Plinio eſt *Iouis oppidum* lib. v cap. IX. Strabo quoque p. 560 Μετὰ τὴν Ἄβυδον Διόσπολις ἡ μικρά· εἶτα Τέντυρα πόλις, *Poſt Abydum eſt Diospolis Parua: deinde vrbs Tentyra.*

7. Nomos ergo Τεντυρίτης, *Tentyrites* Diospolitæ proximus eſt, in auſtrum verſus ab illo recedens. Metropolis eius *Tentyra,* vt Strabo & Ptolemæus vocant. Dicitur etiam *Tentyris.* Plinius lib. v cap. IX *Mox Veneris oppidum & iterum Iouis; ac Tentyris.* Stephanus, Τεντυρὶς πόλις Αἰγύπτου καθαρτικὴ τῶν κροκοδείλων, *Tentyris vrbs Aegypti, fugatrix crocodilorum.* Strabo enim tradit, Tentyritas infeſtos crocodilis, eosque omnibus modis perveſtigare ac occidere. Quosdam etiam credere φυσικὴν ἀντιπάθειαν, *naturalem vim* Tentyritis contra crocodilos eſſe, vt Pſyllis ſuper Cyrenaicam aduerſus ſerpentes: & quum Romam adlati crocodili ad ſpectaculum fuiſſent, Tentyritas eo ſequutos, reti illos ex piſcina, in qua alebantur, in apricum locum, vt ſpectarentur, eduxiſſe & rurſus impune retraxiſſe in piſcinam. At Seneca lib. IV Quæſt. Nat. cap. II negat Tentyritis vim naturalem aduerſus hanc belluam ineſſe, quæ deſit hominibus aliis. *Nec illos,* inquit, [crocodilos] *Tentyritæ generis aut ſanguinis proprietate ſuperant, ſed contemtu & temeritate. Vltro enim inſequuntur, fugientesque iniecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minus præſens animus ad perſequendum fuit.* Quod vero multæ Aegypti ciuitates crocodilos religioſe coluerunt, quos adfligebant Tentyritæ; odium inter ipſos & bellum exortum eſt, de quo Iuuenalis ſatyra XV verſ. 33

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium & numquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. ſummus vtrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit vterque locus, quum ſolos credat habendos
Eſſe, quos ipſe colit.

Vides ſic plurale eſſe *Tentyra,* τὰ Τέντυρα, quia poeta dixit *inter Ombos & Tentyra.* Ombi autem vrbs in extrema Aegypto lateris Arabici, de qua infra dicturi ſumus. Alii vero, etiam in ſingulari enuntiant. Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos, *Equites ſagittarii indigenæ Tentyræ.* Et in Notitia prouinciarum, Τέντυρα, *Tentyra,* in Thebaide ſecunda, ambigue. Plinius lib. VIII cap. XXV Tentyritas in Nili inſula locat. *Quin & gens,* inquit, *hominum eſt huic belluæ aduerſa in ipſo Nilo, Tentyritæ, ab inſula, in qua habitat, adpellata.* Silent Strabo & Ptolemæus de inſula.

8. Huic nomo additur a Ptolemæo κώμη μεσόγειος Παμπανὶς, *vicus mediter-*

diterraneus Pampanis. In notitia ſub Duce Thebaidos eſt *Ala prima Iouia catafracta Ripampane:* quæ videtur hæc Pampanis eſſe.

γ. Poſtea Ptolemæus ſcripſit: εἶτα ὁ Μέμνων καὶ μεσόγειος κώμη Ταθυρίς. *Deinde Memnon eſt & mediterraneus vicus Tathyris.* In Græco codice ΜΕΜΝΩΝ maiuſculis litteris ſcriptum legitur, quod Ortelius de tractu ita nominato exponit, in quo Memnonis regia ſit & ſtatua, ac plures teſtes advocat, qui vero nihil dicunt, niſi regiam fuiſſe Abydi & Thebis: ſtatuam mirabilem Thebis. Eſto locum quemdam alium poſt Tentyram *Memnonem* vocatum fuiſſe propter ſtatuam forſan aut aliud eius ædificium; quemadmodum Diodorus lib. II cap. XXII multa βασίλεια παλαιὰ, *vetuſta palatia* in Aegypto & ad Aethiopiæ fines dicit fuiſſe, quæ nominata fuerint Μεμνόνεια, *Memnonia:* tamen non eo charactere id proferendum erat, quo nomi ſignantur, ſed, tamquam appendix Tentyritæ nomo cum pago Tathyride, relinquendum. Sed quid de loco dubitamus? Strabonis *Memnonium* eſt, quod in Thebarum parte Libyca trans fluuium fuit. Sic enim pag. 561 de Thebarum vrbe olim maxima: *nunc per vicos habitatur. Pars eſt in Arabia,* ἐν ἧπερ ἡ πόλις· μέρος δ' ἐςὶν καὶ ἐν περαίᾳ, ὅπȣ τὸ Μεμνόνιον, *in qua ipſa vrbs eſt: pars vero eſt etiam trans fluuium, vbi Memnonium eſt.* Addit ibidem coloſſos duos fuiſſe, quos terræ motus vel Cambyſes mutilauerit. Siue ergo per Ptolemæi Memnonem intelligas Memnonium, ſiue coloſſum, Memnonis imaginem imitatum; nihil tamen extra Thebas habes, quia in parte eius, trans fluuium ſita, collocata erant.

8. Sequitur *Hermonthites* nomos, cuius metropolis erat Ἑρμονθὶς, *Hermonthis.* Sic Ptolemæus ſcripſit: at Stephanus per Ω, Ἑρμωνθὶς πόλις Αἰγύπτȣ, *Hermonthis Aegypti oppidum eſt.* Et Plinius dicto loco *Hermonthiten* nomon cum ceteris numerat. Strabo autem XVII pag. 561 Ἑρμȣθὶς, *Hermuthis* ſcripſit, quamquam in Latina eius verſione etiam *Hermonthis* eſt. μετὰ δὲ Θήβας Ἑρμȣθὶς πόλις, *poſt Thebas eſt Hermonthis ciuitas:* in qua Apollo & Iuppiter colebantur, etiam bos ſacer alebatur. Ptolemæus huic nomo, quem vltimum in Libyca ripa habet, multa alia ſubdit vsque ad Elephantinen, Aegypti terminum, hoc ordine:

μητρόπολις Ἑρμονθὶς,
καὶ ἐφεξῆς πόλις Λάτων,
εἶτα πόλις μεγάλη Ἀπόλλωνος,
εἶτα κώμη μεσόγειος Φθωνθὶς,
καὶ νῆσος Ἐλεφαντίνη.

Hoc eſt: *Metropolis Hermonthis,*
& deinde ciuitas Latorum ſeu Latopolis,
poſtea vrbs magna Apollinis,
deinde vicus mediterraneus Phthonthis,
& inſula Elephantine.

Strabo pag. 561 ordinem alium habet: *Poſt Thebas,* inquit, Ἑρμȣθὶς, *Hermonthis ciuitas:* ἔπειτα Κροκοδείλων πόλις, τιμῶσα τὸ θηρίον. εἶτα Ἀφροδίτης πόλις, καὶ μετὰ ταῦτα Λατόπολις τιμῶσα Ἀθηνᾶν καὶ τὸν Λάτον. *deinde Crocodilorum vrbs,*

vrbs, belluam illam colens: hinc Veneris vrbs: & poſtea Latopolis, colens Venerem & Latum. Pergit: εἶτα Ειληθυίας πόλις καὶ ἱερόν. ἐν δὲ τῇ περαίᾳ ἱεράκων πόλις τὸν ἱέρακα τιμῶσα. εἶτ' Απόλλωνος πόλις, καὶ αὕτη πολεμοῦσα τοῖς κροκοδείλοις. ἡ δὲ Συήνη καὶ ἡ Ελεφαντίνη. *Poſtea Lucinæ vrbs & templum: trans fluuium vero Accipitrum vrbs, vbi accipiter colitur: deinde Apollinis vrbs, quæ & ipſa cum crocodilis pugnat. Syene autem & Elephantine,* cetera.

β. Multum hæc ab ordine Ptolemæi diſtant, vt, quem ſequamur, omnino dubitandum ſit. Quod vero interſunt ſupra iam ex Ptolemæi ordine expoſita, Veneris vrbs & Crocodilorum: reliqua quoque cum Ptolemæo perſequemur. Huic poſt Hermonthim eſt Λάτων πόλις, ſeu, vt compoſita forma Strabo efferebat, Λατόπολις, *Latopolis.* Dicta a *lato* piſce, quem colebat, deſcripto ab Athenæo lib. VII cap. XVII, qui eximiæ magnitudinis in Nilo dicit, præ ceteris locis, hunc piſcem eſſe. οἱ ἐν τῷ Νείλῳ ποταμῷ γινόμενοι λάτοι τὸ μέγεθος εὑρίσκονται καὶ ὑπὲρ διακοσίας λίτρας ἔχοντες, *qui in Nilo lati ſunt, ea inueniuntur magnitudine, vt plures quam ducentas libras pendant.* Poſtea truncatum vocabulum, vt plura in Aegypto, *Cyno, Lyco;* dictumque *Lato* pro eo quod eſt *Latopolis.* Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Equites ſagittarii indigenæ Lato.* Et Itinerario veteri, quod vulgo Antonini vocant, p. 34

Ptolemaide			
Abydum	M.	P.	XXII
Dioſpolim	M.	P.	XXVIII
Tentyram	M.	P.	XII
Papa	M.	P.	VIII
Hermunthim	M.	P.	XXX
Laton	M.	P.	XXIIII.

Sic ex Schotti bibliotheca editum, qui in pluribus caſum mutauit: Aldus autem & Simlerus *Lato* ediderunt, vt in Notitia erat Imperii. Plinii nomos *Latopolites* videtur *Letopolites*, Λητοῦς πόλεως, eſſe, *Latonæ ciuitatis,* quia cum nomis inferioris Aegypti coniungitur.

γ. Succedit apud Ptolemæum *Apollinis vrbs magna:* quæ & Απολλωνόπολις, *Apollonopolis* dicta, quia oppidani ſunt Stephano (qui vrbem diuiſe nominat Απόλλωνος πόλιν) & Aeliano Hiſt. Animal. lib. x cap. XXI Απολλωνοπολῖται, *Apollonopolitæ.* Hi etiam infenſi crocodilis erant, vt Strabo ſupra dixit, quod Aelianus Tentyritarum adfinitati tribuit. Απολλωνοπολῖται δὲ, Τεντυριτῶν μοῖραι, σαγηνεύουσι μὲν τοὺς κροκοδείλους, *Apollonopolitæ,* inquit, *qui pars Tentyritarum ſunt, retibus crocodilos capiunt,* & interficiunt. Itinerario eſt *Apollonos Superioris,* XXXII millibus paſſuum a Lato. Superioris, quia & inferior erat, quæ Parua cognominatur, in Arabico litore. Ideoque Ptolemæus & Stephanus duas Apollini dicatas vrbes in Agypto referunt, Magnam in ſuperiori parte; Paruam, quæ inferius prope Copton fuit.

δ. Prætergreſſi obſcurum vicum *Phthonthin* Ptolemæi, eodem duce venimus ad *Elephantinam* inſulam, non integro gradu poſt Apollinis ma-

iorem vrbem, hoc eſt, ſi recte ſcrupulos computamus, quinquaginta millibus paſſuum ab Apolline. Inſulam, νῆσον Ptolemæus vocat, etiam Strabo, & vterque nomen format Ἐλεφαντίνην, *Elephantinen*: Plinius autem lib. v cap. IX *Elephantis inſula intra nouiſſimum catarracten* IV M. *paſſuum, & ſupra Syenen* XVI M. *habitatur, nauigationis Aegyptiacæ finis.* Et Mela lib. I cap. IX *Elephantidem* dixit, ſed vrbem vocat, quia vrbs in inſula eiusdem nominis eſt. * *Nilus*, inquit, *vſque ad Elephantidem vrbem Aegyptiam atrox adhuc feruensque decurrit.* Quod vero finis dicitur nauigationis Aegyptiacæ, id propter catarracten, qui paullo ſupra Elephantinen eſt, ita ſe ſe habet. Strabo p. 562 μικρὸν ὑπὲρ τῆς Ἐλεφαντίνης ἐστὶν ὁ μικρὸς καταῤῥάκτης, *paullulum ſupra Elephantinen eſt paruus catarractes*, quem idem ſcribit πετρώδη τινὰ ὀφρῦν, *ſaxeum quoddam ſupercilium* in medio flumine eſſe, ſuperne planum, vt aqua transcurrat, & cum impetu magnoque ſonitu decidat in alueum depreſſiorem. Alii non ſaxum, ſed fluuium ruentem *catarracten* dicunt. Vide Etymologicum Voſſii. Sed metonymiæ quoque aliquid dari poteſt. Hic Paruus catarractes Plinio lib. v cap. IX *nouiſſimus* dicitur. De Nilo ait: *incluſus montibus, nec aliunde torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Aethiopum, qui Catadupi vocantur, nouiſſimo catarracte inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere.* Itaque Plinio *Catadupi* ſunt qui accolunt catarractas: Ciceroni Somn. Scip. cap. v *Catadupa* ipſi catarractæ. *Vbi Nilus*, inquit, *ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus ſenſu audiendi caret.* Paruus hic catarractes dicitur, quia ſupra hunc etiam maior eſt, quem in Aethiopia deſcribemus. Atque hic erat vltimum, ab occaſu Nili, Romanorum præſidium. Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Cohors prima Felix Theodoſiana apud Elefantinen.*

THEBAIS AB ORTIVA NILI RIPA.
XIV.

Peræa nunc Thebaidos ſequitur ſiue pars trans Nilum ſita. Ab Antinoupoli, quam cum ſeptem nomis expoſuimus, Ptolemæo primus in hoc latere eſt *Antæopolites* nomos, καὶ μητρόπολις Ἀνταίου μεσόγειος, *& metropolis Antæi mediterranei.* Et Plinio lib. v cap. IX eſt *Antæopolites* nomos. Stephanus, Ἀνταιούπολις, πόλις ἐν Αἰγύπτῳ, *Antæopolis, vrbs in Aegypto.* Nomen eſt ex fabulis Antæi, qui ab Hercule traditur ſuperatus, de quo Iuuenalis ſatyra III verſu 89

Herculis Antæum procul a tellure tenentis.

Plura de illo Diodorus lib. IV cap. XVII, Lucanus lib. IV verſ. 590 ſeqq. quem licet in Mauretania Pomponius Mela lib. III extremo regnaſſe dicat, alii in Libya; tamen in Aegyptum etiam ab Oſiride euocatum idem Diodorus lib. I cap. XVII refert. Vt cœpit Ptolemæus, ſcribunt ἐλλειπτικῶς.

* Dio Lib. LIV pag. 599 Αἰθίοπες προεχώρησαν μέχρι τῆς πόλεως τῆς Ἐλεφαντίνης.

κῶς ſæpe Ἀνταίȣ, *Antæi*, ſuppreſſa voce πόλεως: & poſteriores etiam ſine diphthongo, vocali ſecunda. Concilio Epheſino ſubſcripſit Μακάριος Ἀντέȣ, *Macarius Antei* epiſcopus. Itinerario *Anteu* ſcriptum, quod iter infra ſub finem huius lateris proferemus. Poſt Antæopolim Ptolemæus oppidum aliud in hoc nomo poſuit, cui nomen eſt Πασσάλων, *Paſſalon*.

2. Sequitur *Panopolites* nomos apud Ptolemæum, cuius metropolis ab ipſo etiam Πανόπολις, a Plinio *Panopolis* ſcribitur: a Strabone Πάνων πόλις, quam λινȣργῶν καὶ λιθȣργῶν κατοικίαν παλαιὰν, *linificii artificum & lapides cædentium habitationem veterem* dixit. Patria fuit Nonni poetæ, de quo Agathias lib. IV pag. 133 ed. Pariſ. Νόννος ὁ ἐκ τῆς Πανὸς τῆς Αἰγυπτίας γεγενημένος ἔν τινι τῶν οἰκείων ποιημάτων, ἅπερ αὐτῷ Διονυσιακὰ ἐπωνόμασαι, *Nonnus ex Pano Aegyptia oriundus, in quodam ſuorum carminum, quæ Dionyſiaca adpellat*, cetera. A Pane nomen eſt, paſtorum numine, quem ſocium Oſiris habuiſſe fertur, quum in Aethiopas expeditionem faceret. Diodorus Siculus lib. I cap. XVIII παραλαβεῖν ἐπὶ τὴν ςρατείαν καὶ τὸν Πᾶνα, διαφερόντως ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων τιμώμενον. *Adſumſit* [Oſiris] *etiam Pana expeditionis ſocium, qui præcipua in veneratione Aegyptiis eſt.* Non ſolum enim ἀγάλματα, *ſimulacra eius* poſuerunt κατὰ πᾶν ἱερὸν, *in omni fano*, verum etiam in honorem illius vrbem in Thebaide condiderunt ab indigenis Χέμμιν, *Chemmin* dictam, μεθερμηνευομένην δὲ Πανὸς πόλιν, *quod interpretantur Panis vrbem.* Dubites vero, an *Chemmis* ſit eadem quæ Panopolis. Herodotus enim lib. II cap. XCI magnam vrbem νομȣ τȣ Θηβαϊκȣ, ἐγγὺς Νέης πόλιος, *nomi Thebaici prope Neapolin* dixit: at inter Panopolin & Thebaicum nomon Coptites nomos interiacet: & quia Neapolis illa haud dubie Cæne Ptolemæi eſt, dubitatio non tollitur, ſed augetur. Deinde Perſeum in Chemmi cultum eſſe copioſe tradit, Pana ne verbo quidem memoravit. Stephanus etiam vtramque ſeparatim expoſuit: neutro loco alterius nominis rationem habuit. Nihilominus pro Diodori ſententia poteſt etiam Plutarchus adlegari ex libro de Iſide & Oſiride pag. 356. πρώτων δὲ, inquit, τῶν τὸν περὶ Χέννιν οἰκȣ́ντων τόπον Πανῶν καὶ Σατύρων τὸ πάθος αἰσθομένων, *quum autem primi hoc ſenſiſſent Panes & Satyri, qui loca circa Chennin* (quæ eadem ac Chemmin, ex pronuntiationis diuerſitate) *incolebant.* Sic Chemmin ſeu Chennin poteſt ipſa eſſe Panopolis, de quo dubitare mihi licuit: impugnare non auſim.

β. Sed ad Panopolim reuertamur, quam Strabo plurali Πανῶν πόλιν, *Panum vrbem* dixit, vt iam Plutarchus etiam pluraliter loquutus eſt, quo vel ad plura huius generis monſtra, vel ad adiunctos Pani Satyros videtur reſpexiſſe. Pro more etiam hoc vocabulum, præſertim poſteriori æuo, breuiatum fuit: in Epheſino concilio Σαβῖνος Πανὸς, *Sabinus Panos* ſeu *Panis* epiſcopus: & in veteri Itinerario *Pano*, editione Aldi & Simleri; *Panu*, Schotti. In Peutingeriana autem tabula ſcriptum integre *Panopoli.*

γ. Subdidit Ptolemæus Panopolitæ nomo & alia oppida. Primum eſt Λεπιδωτὸν πόλιν, *Lepidotum oppidum*, obſcurum, neque memoratum ab aliis.

aliis. Alterum eſt Χηνοβοσκία, *Chenoboſcia*, quam ita etiam Stephanus ſcripſit: Χηνοβοσκία πόλις Αἰγύπτου, *Chenoboſcia, oppidum Aegypti.* Ex Alexandro hiſtorico refert, ἀντικρὺ τοῦ Διοπολίτου Χηνοβόσκιον, *e regione Diopolitæ nomi Chenoboſcium ſitum eſſe*, nihil autem ad adpellationem adferre: nulla enim ibi anſerum eſſe paſcua, ſed eximiam circa crocodilos curam. χὴν autem *anſer* eſt. Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Ala Neptunia Chenoboſcio.* Et Itinerario Schottus edidit *Chenoboſcion:* Aldus autem & Simlerus *Cenoboſio* corrupte; in Peutingerorum tabula *Cenoboſcio.*

δ. Vltima in Panopolitano nomo ex Ptolemæi diſpoſitione eſt Καινὴ πόλις, quæ *Cæne* in Tabula ſcripta eſt, ſed *Noua vrbs* ſeu *Neapolis* verti commodius poteſt: præſertim quod Herodotus lib. II cap. XCI, vt paullo ante percepimus, dixit, circa Thebaicum nomon eſſe Νέαν πόλιν, *Neapolim* ſeu Nouam vrbem. Non dubitamus enim, Καινὴν πόλιν Ptolemæi & Νέαν πόλιν Herodoti eamdem eſſe, quod & voces idem ſonant, & vtraque in Thebaidos parte Arabica inter Thebas & Panopolim poſita. Alia autem Cæne eſt Itinerarii Libyco latere inter Memphim & Oxyrynchum.

3. Poſt Panopolitanum nomon eſt *Coptites*, eiusque metropolis Κοπτός, *Coptos*, celebre emporium, habitatum ab Aegyptiis & Arabibus, μεσόγειον, remotum paullo a Nilo, in quo tamen portum habet. Plinius lib. v cap. IX *Coptos Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium.* Nomen Plutarchus de Iſide & Oſiride libro pag. 356 priuationem Aegyptiace dicit ſonare, quia Iſis hic loci, quum de morte Oſiridis accepiſſet nuntium, vnum cincinnum ſibi deſecuerit luctus cauſſa, ὅπου τῇ πόλει μέχρι νῦν ὄνομα Κοπτώ, *vnde vrbi ad hæc vſque tempora nomen Copto eſt.* Aegyptiaca autem forma Κοπτώ, *Copto* eſt, vt Cyno, Lyco, Lato: quod Græci, & hos Latini ſequuti, Κοπτός, *Coptus* ſcripſerunt. Plinius lib. VI cap. XXIII *Duo millia paſſuum ab Alexandria abeſt oppidum Iuliopolis. Inde nauigant Nilo Coptum* CCCIII *millibus paſſuum, qui curſus eteſiis flantibus peragitur* XII *diebus. A Copto camelis itur, aquationum ratione manſionibus diſpoſitis.* * Manſiones fere ſingulas Hydrea, & Hydreumata vocat, & Berenicen vſque inæquali diſpoſitione, aquationis cauſſa, deducit, quod iter noctibus factum propter æſtus, duodecimo die conficiatur. Nec mirum, quia Berenice ſecundum Ptolemæi rationes prope Cancri tropicum ſita eſt. Strabo hoc loco turbatior eſt, Copti quidem mercaturam recte deſcribens, quæ vero de iſthmo & Berenice addit, non facile explicari, nec conciliari ceteris poſſunt. Ait poſt Copti deſcriptionem: ἐντεῦθεν ἐστὶν ὁ ἰσθμὸς εἰς τὴν Ἐρυθρὰν κατὰ πόλιν Βερενίκην, *Hinc eſt iſthmus in Rubrum mare* [porrectus] *iuxta vrbem Berenicen.* Sed falli videtur in Berenices ſitu, eamque cum Ptolemæi Albo portu, qui Copto parallelus eſt, permutare. Ait enim paullo poſt, οὐκ ἄπωθεν τῆς Βερενίκης ἐστὶ Μυὸς ὅρμος πόλις, *non longe a Berenice abeſt oppidum, quod Myos hormus,* ſeu Muris ſtatio, *vocatur.* At vero hic portus longiſſime a Berenice diſtat, quippe mille & octingentis ſtadiis, vt Arrianus principio Peripli interuallum emenſus eſt. Nummus Traiani

* *Coptus* quum defeciſſet, a Diocletiano capta & euerſa eſt. Zonar. in Dioclet. tom. II.

Traiani cum Oſiridis imagine ΚΟΠΤΗΤ. id eſt Κοπ]ητῶν, *Coptitarum*, a ſummis viris Seguino, Spanhemio, Vaillantio publicatus exſtat. Statius lib. I Thebaid. verſ. 264

- - - melius votis Mareotica fumat
Coptos, & æriſoni lugentia flumina Nili.

Mareotica, id eſt Aegyptia, συνεκδοχικῶς: ſicut *Pharius* poetis eſt Aegyptius, licet in ora & extremitate Pharus inſula ſit.

β. In eodem nomo Coptite cenſetur etiam a Ptolemæo Ἀπόλλωνος μικρὰ, *Apollinis Parua* ciuitas, in auſtrum a Copto declinans, de qua Strabo pag. 560 καὶ τῆς Κοπ]ȣ ȣ̓ πολὺ ἀφέςηκεν ἡ καλȣμένη Ἀπόλλωνος πόλις, *& a Copto non multum abeſt Apollinis ciuitas*, intellige *Parua*: nam Magna in Libyco latere ſupra fuit explicata. Notandus itaque eſt Stephanus Byzantius, quod ſcripſit: Ἀπόλλωνος πόλις ἐν Αἰγύπ]ῳ πρὸς τῷ μέρει τῆς Λιβύης ἡ μικρὰ, ἧς μέμνηται Ἀπίων· δευτέρα, ἡ μεγάλη ἐν Αἰγύπ]ῳ, *Apollinis vrbs, in Aegypto ad latus Libycum, Parua, cuius Apion meminit: altera, Magna, etiam in Aegypto.* Inuertendus ordo ſecundum Ptolemæi poſitionem, qua Parva eſt in Arabico latere; Magna in Libyco. Hanc Copto vicinam auctor Itinerarii Antoniniani vocat *Vicum Apollinis*, quod cum paruitatis cognomine bene conuenit. Eſt tamen quo Stephanum poſſimus excuſare, quia eodem Itinerario in latere Libyco hic ordo obſeruatur a ſeptemtrione in meridiem ſecundum ſiniſtram ſeu occidentalem Nili ripam progrediendo:

Oxyryncho			
Ibiu	M.	P.	XXX
Hermupolim	M.	P.	XXIIII
Chuſis	M.	P.	XXIIII
Lyco	M.	P.	XXXV
Apollonos Minoris	M.	P.	XVIII
Hiſoris	M.	P.	XXVIII
Ptolemaida	M.	P.	XXII
Abydum	M.	P.	XXII
Diospolim	M.	P.	XXVIII
Tentyram	M.	P.	XXVII
Contracopton	M.	P.	XII
Papa	M.	P.	VIII
Hermunthin	M.	P.	XXX
Lato	M.	P.	XXIIII
Apollonos Superioris	M.	P.	XXXII.

Quæ poſtrema eſt Ptolemæi *Apollinis Magna ciuitas*. Quod ſi ita eſt, tres Apollinis vrbes in Aegypto fuerunt, e quibus vnam tantum Strabo & Plinius memorarunt: Ptolemæus & Stephanus duas. Iam vero, ſi Stephanus illam Lycopoli proximam Apollinis vrbem intellexit, recte in Libyæ illam parte collocauit, alterius Minoris in parte Arabiæ nulla habita ratione. Sed eſt quoque, quod dubites de vero Itinerarii ordine, quia nobi-

les tres vrbes, quæ ſingulæ nomon ſuum denominant, inter Lycopolim & Ptolemaidem ſitas, Hypſelen, Aphroditopolim, & Thinin prætermiſit, in locum eorum obſcura Hiſori, & Apollinis Parua ſubſtitutis: niſi forſan Hypſele poſtmodum Apollinis adpellata fuit, vbi vero ouis potius, quod ex nummo adparet, quam Apollo, colebatur.

4. Sequuntur poſt illam in Arabico latere Apollonopolim *Thebæ*, vrbs antiquiſſima, Homero etiam laudata Iliadis Iota, verſu 381

Οὐδ᾽ ὅσ᾽ ἐς Ὀρχομενὸν ποτινίσσεται, ὐδ᾽ ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖςα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
Αἵ θ᾽ ἑκατόμπυλοί εἰσι.

Hoc eſt: *Nec quot Orchomenon aduehuntur, neque quot Thebas Aegyptias (vbi multæ in domibus opes reconditæ iacent) quæ centum portas habent.* Strabo lib. XVII pag. 561 μετὰ τὴν Ἀπόλλωνος πόλιν αἱ Θῆβαι· καλεῖται δὲ νῦν Διὸς πόλις. *Poſt Apollonis vrbem Thebæ ſunt: nunc Diospolis vocatur.* Plinius lib. V cap. IX *Celebratur Diospolis magna, eadem Thebe, portarum centum nobilis fama.* * Pomponius Mela lib. I cap. IX *Thebæ, vt Homero dictum eſt, centum portas, ſiue, vt alii aiunt, centum aulas habent, totidem olim principum domos: ſolitasque ſingulas, vbi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Etſi vero poſtea *Diospolis* vocata fuit, eaque *magna,* diſcriminis cauſſa, cognominata, quod Plinius adiecit; & Ptolemæus in Thebarum nomo, μητρόπολις Διὸς πόλις μεγάλη, αἱ Θῆβαι: tamen vetus nomen non penitus fuit abolitum, ſed in Itinerario quoque ſeruatum *Thebæ*, ſine mentione nominis alterius, quod ab Ioue deſumtum erat: Maior vrbis pars in ripa Arabiæ ſita erat, vbi etiam ab omnibus cenſetur: pars quædam etiam trans fluuium in Libya, vbi Memnonium erat. Strabo, νυνὶ κωμηδὸν συνοικεῖται· μέρος δ᾽ ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ἐν ᾗπερ ἡ πόλις· μέρος δ᾽ ἐςὶ καὶ ἐν τῇ περαίᾳ, ὅπȣ τὸ Μεμνόνιον. *Nunc vicatim habitatur: pars vero ſita eſt in Arabia, vbi ipſa vrbs eſt: pars etiam in peræa ſeu trans fluuium, vbi Memnonium eſt.* Mirum quod narrant ibi de Memnonis ſtatua ſeu coloſſo, truncato quidem, vt aiunt terræ motu, vel, vt alii, Cambyſis crudelitate; cuius reſidua pars radiis ſolis orientis tacta ſonum edat, ὡς ἂν πληγῆς ȣ̓ μεγάλης, veluti ictus haud magni. Strabo quum Aelio Gallo adeſſet, audiuit ſonum prima hora, ſcribit vero ſe neſcire vnde fuerit, vtrum a baſi, an a coloſſo, an ab aliquo circumſtantium hominum. Plinius etiam lib. XXXVI cap. VII de lapide baſalte: *Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, vt putant, Memnonis ſtatuæ dicatus: quem quotidiano ſolis ortu contactum radiis crepare dicunt.*

β. In eodem Thebarum nomo, poſt Thebas, Ptolemæus ponit *Tuphium*, de quo nihil memorabile ſuccurrit: deinde eſt Χνȣβὶς, *Chnubis*, vt Palatino codice legitur (vulgati enim *Chnumis* habent) quod vocabulum a numine quodam Aegyptio videtur eſſe. Strabo enim tradit, in vicina vrbe

* Vide etiam Diodorum Siculum lib. I pag. 14, vbi docet, vrbem primum cognominem fuiſſe matri Oſiridis conditoris, a poſteris autem *Diospolin* adpellari cœpiſſe, ab aliis *Thebas*. Duo ibi aurea Iouis templa fuiſſe &c.

vrbe Elephantine ἱερὸν Κνέφιδος, *templum Cnuphidis* eſſe. Β vero & Φ ſunt cognatæ litteræ, & facile permutabiles.

γ. Deinde in eodem nomo eſt Εἰληθυίας πόλις, *Lucinæ oppidum*, aut Græco nomine, *Elethyia*. Templum habuit Lucinæ dicatum. Strabo p.562 Εἰληθυίας πόλις καὶ ἱερὸν, *Lucinæ oppidum & templum*. nam plerumque Aegyptii ſua oppida ab iis, quos pro numinibus coluerunt, adpellauerunt, in quibus etiam Lucina erat, quod interpretari voluerunt, quaſi ab ipſis diis oppida condita eſſent. Euſebius Præpar. Euang. lib. III cap. III τῆς πάσης οἰκουμένης κατὰ μόνην τὴν Αἴγυπτον εἶναι πόλεις πολλὰς ὑπὸ τῶν ἀρχαίων θεῶν ἐκτισμένας· οἷον Διὸς, Ἡλίου, Ἑρμοῦ, Ἀπόλλωνος, Πανὸς, Εἰληθυίας, ἄλλων πλειόνων. *In terrarum orbe in ſola Aegypto ab antiquis diis dicuntur plurima oppida eſſe condita, vtpote ab Ioue, Sole, Mercurio, Apolline, Pane, Lucina, & multis aliis.* Stephanus quoque Elethyiæ meminit, ſed nihil dicit, niſi vrbem eſſe Aegyptiacam. Videtur a Plinio lib. v cap. IX *Leucotheæ oppidum* adpellari. *Aegyptus*, inquit, *ſuper ceteram antiquitatis gloriam* XX *millibus vrbium ſibi, Amaſe regnante, habitatu præfert: nunc quoque multis, etiamſi ignobilibus frequens: celebratur tamen Apollinis; mox Leucotheæ; Dioſpolis magna, eadem Thebe*, cetera. Lucina enim a luce, quaſi λευκὴ, candida & alba, nominatur. Ouidius Faſt. II verſ. 449

Gratia Lucinæ. dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, dea, lucis habes.

δ. Deinde Ptolemæo eſt Τοῦμ, μεσόγειος, vrbs *Toum*, a flumine amota: & poſt illam *Ombi:* male Ὄμβροι in Ptolemæi libris. Famoſa cultu & defenſione crocodilorum: pro quibus aduerſus Tentyritas & Apollonopolitas Ombitæ pugnabant, de quo bello ſupra in Tentyris ex Iuuenalis ſat. XV verſ. 35 diximus, quo *Ombos & Tentyra*, tamquam contrarias ciuitates, opponit: & in Apollinis vrbe magna ex Aeliani Hiſt. Animal. lib. X cap. XXI, quæ reuolui poſſunt. Ibidem Aelianus de crocodilis: τοῖς Ὀμβίταις καὶ συνήθεις εἰσὶ, καὶ μέν τοι καὶ ὑπακούουσι καλούντων αὐτῶν οἱ τρεφόμενοι ἐν ταῖς λίμναις ὑπ' αὐτῶν πεποιημέναις. *qui in paludibus Ombitarum manu factis* [crocodili] *nutriuntur, familiares illis ſunt, eosque audiunt, & obtemperant, ſi vocantur.* Plinius, vbi de Nomis agit, etiam *Ombiten nomon* recenſet: quamquam Ombos Ptolemæus Thebarum nomo contribuit. Clariſſimus Berckelius etiam Stephano *Ombos* reſtituit, vbi Ὄλβοι antea legebatur: quod vero additum πρὸς τῇ Λιβύῃ, *ad Libyam*, Ombi vero in parte ſunt Arabica, videtur aliud ſub verbis illis vulnus latere, quod nondum fuit ſanatum. *Contra-Ombos* Itinerarii, locus eſt Ombis oppoſitus in ripa Nili Libyca.

ε. Poſt Ombos apud Ptolemæum & in Itinerario *Syene*, Συήνη. Herodotus, Strabo, Stephanus tantum πόλιν, *vrbem* dicunt: Plinius etiam pæninſulam, ſeu vrbem in pæninſula. *Ditionis*, inquit, *Aegypti eſſe incipit a fine Aethiopiæ Syene: ita vocatur pæninſula mille paſſuum ambitu, in qua caſtra ſunt, latere Arabiæ.* Strabo addit pag. 562, in Syena puteum [Φρέαρ] eſſe, indicem ſolſtitii æſtiui, διότι τῷ τροπικῷ κύκλῳ ὑπόκεινται οἱ

τόποι ἄστοι, *quia Tropico circulo hæc loca ſubiacent*, vt ſole circa Cancri principium verſante, nulla in meridie vmbra habeatur: quo tempore gnomones horologici ſunt *ἄσκιοι*, *ſine vmbra*. Idem ex Strabone repetiit Euſtathius ad Dionyſii verſ. 223. Et Plinius lib. II cap. LXXIII *Tradunt, in Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, ſolſtitii die medio nullam vmbram iaci: puteumque eius experimenti gratia factum, totum illuminari.* Et Lucanus lib. II verſ. 587

- - - - *vmbras nusquam flectente Syene.*

Caſtra in pæninſula Plinius ponit, quia præſidium Romanum Syene habuit. Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Milites miliarenſes Syenæ.* Et quod Strabo notauit, iam ipſius æuo *ἐνταῦθα τρεῖς σπεῖραι Ῥωμαίων ἱδρυμέναι φρουρᾶς χάριν*, *ibi tres cohortes Romanorum collocatæ erant cuſtodiæ cauſſa.*

ζ. Syenem excipit apud Ptolemæum tractus, qui vocatur *Δωδεκάσχοινος*, *Dodecaſchœnus*, a duodecim ſchœnorum menſura dictus, cuius etiam Herodotus meminit lib. II cap. XXIX, dicitque circa hæc loca tortuoſum Nilum inſtar Mæandri eſſe. In hoc tractu primum eſt poſt Syenen *Catarractes minor*, de quo ſupra in ripa altera diximus: deinde eſt *ἱερὰ Συκάμινος*, *Sacra Sycaminus*, cuius diſtantiam Plinius indicat lib. VI cap. XXIX. *A Syene*, inquit, *Hieran Sycaminon* LIV *millia paſſuum.* Habetur etiam illius mentio in Itinerario veteri, vbi itidem *Hieraſycaminos* ſcribitur.

η. Hinc *Philæ*, *Φίλαι*, inſula cum oppido, ſequuntur, centum ſtadiis poſt Syenen, vti ex Strabonis lib. XVII p. 562 adparet. Quapropter corrigendum eſt Itinerarium, quo legitur

Philas - -

Syenen M. P. III.

Scribe M. P. XII, vt diſtantia conueniat cum Strabonis centum ſtadiis. Seneca lib. IV Quæſt. Nat. cap. II *Nilus magnas ſolitudines peruagatus, & in paludes diffuſus, gentibus ſparſus, circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera & vndique prærupta: duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen ferunt. Vrbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quam violentus, egreſſus Aethiopiam arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt eum catarractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus.* Catarractæ hi ſunt Ptolemæi minor Catarractes, inter Syenen & Philas poſitus: vnde Strabo terreſtri itinere a Syena Philas per centum ſtadia, vt catarractæ pericula vitaret, profectus eſt. Sed de Catarracte ſupra in altero latere ad Elephantinen diximus. Plinius lib. V cap. IX Philas *ex aduerſo* Syenes poſuit: ſed errat, quia in eadem Arabiæ ripa vtræque ſunt teſtantibus Strabone, Ptolemæo, & auctore veteris Itinerarii: nec tam propinquæ ſunt oppido Syenæ, vt ſolet quod ex aduerſo eſt; ſed centum ſtadiis ſupra Syenen ſunt, vt itidem Strabo, qui iter illud emenſus eſt, prodidit. Iure igitur Salmaſius ad Solinum pag. 311 caſtigat Plinium, quem ait, mnemonico errore lapſum, Elephantinen pro Philis accepiſſe, & Philas pro Elephantine. Nam Elephantine ex aduerſo Syenes, non Philæ: & tam Elephantine

quam

quam Syene ſunt infra catarracten; Philæ autem ſupra illum. Quamquam vero inſulæ ſunt Elephantinæ & Philæ, tamen non ita in medio ſunt fluminis, vt in neutram partem magis propendeant, ſed altera illarum, Elephantine, in Libyam vergit; altera, Philæ, in Arabiam. Et huic loco præſidium Romani impoſuerunt. Notitia ſub Thebaidos Duce: *Legio prima Maximiana Filis.* Sic enim ſcriptum eſt poſteriore æuo; etiam in Itinerario Aldinæ editionis & Simlerianæ.

θ. Vltimum Ptolemæi oppidum eſt *Metacompſo*, Μετακομψὼ, quod ita dicit ſitum eſſe, vt ἀντικρὺ, *e regione* in altera ripa Ψελκὶς, *Pſelcis*, Aethiopiæ oppidum, quod *Pſelchin* & *Pſelcham* Strabo dixit, obiaceat. nam inæqualia ſunt Aegypti per Nilum diuiſa latera, quum Libycum in Elephantine deſinat; Arabicum longius in meridiem procurrat. Nomen Metacompſo conuenit cum Herodoti Ταχομψὼ, *Tachompſo*, lib. II cap. XXIX, & Melæ *Tachempſo* lib. I cap. IX, quamquam hi inſulam dicunt: Plinius autem lib. VI cap. XXIX nihil de inſula dicit: tantummodo *oppidum*, quod vltra Syenen ſit, *Tacompſon* vocat, quod haud dubie Ptolemæi *Metacompſo* eſt, ſitum forſan in pæninſula Nili, cuius generis quæ ſunt, non numquam etiam inſulæ nuncupantur. Stephanus: Τακομψὸς κώμη ἐν τοῖς ὁρίοις Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων πρὸς τῇ Φίλῃ νήσῳ, *Tacompſos vicus eſt in confinio Aegypti & Aethiopiæ prope Philam inſulam.* Sic ex ſitu clarum eſt, Tacompſon eſſe Ptolemæi Metacompſo, in quo ipſe Aegyptum ex parte finit Arabica.

ι. Hæc de vtraque Nili ripa ſecundum Prolemæi diſpoſitionem: a qua Itineraria in non nullis locis diſcedunt. Peutingerianum ex vtraque ripa permiſcet, quod iter, credo nauibus peractum fuit a meridie in ſeptemtrionem hoc modo:

Heraſicamina VI *Spelci* XLII *Syene* XII *Ombos* XX *Tentira* XVI.

Sic praue ſcriptum pro *Hieraſicamina*, *Pſelci*, quod per ſe patet. Antoninianum autem diſtinguit quidem ripas, Hieraſicaminon autem in Libyca habet poſitum, nec plane ἀντικρὺ, e regione Pſelcidis, ſed VIII millibus ſupra hanc, ita a ſeptemtrione in auſtrum progrediente ordine, interiectis quibusdam obſcuris manſionibus, quas Ptolemæus præteriit:

Contra Ombos			
Contra Suenen	M.	P.	XXIII
Parembolem	M.	P.	XVI
Tzitzi	M.	P.	II
Taphis	M.	P.	XIIII
Talmis	M.	P.	VIII
Tutzis	M.	P.	XX
Pſelcim	M.	P.	XII
Corte	M.	P.	IIII
Hieraſycaminon	M.	P.	IIII

Ex his Contra Ombos, Contra Syenem, quæ trans flumen ex oppoſito ſita ſunt, per ſe intelliguntur: *Parembolem*, παρεμβολὴν, *Caſtra* ſunt, quæ in ipſa pæninſula Syene Plinius poſuerat, aut ex oppoſita in Libyco ſita. *Tzitzi*,

Tutzis, barbara & ignota ſunt: *Taphis*, mox *Tabis* ſcribitur, ideoque ex ſcriptura incertum. *Talmis* nobilius ex Olympiodori deſcriptione apud Photium cod. LXXX p. 212. Is enim dicit φυλάρχους καὶ προφήτας τῶν κατὰ τὴν Τάλμιν βαρβάρων, *principes & vates barbarorum, qui circa Talmin ſunt.* Quæ ſequitur *Corte*, eſt Agatharchidis *Cortia Prima*, pag. 22. ἔπειτα, inquit, Ἐλεφαντίνη· εἶτα Αἰθιόπων χώρα, Κορτία πρώτη. *Deinde Elephantine eſt: poſt, Aethiopum terra, Cortia Prima.* Olympiodorus dicto loco: μέχρι πόλεως τῆς λεγομένης Πρίμα. ἥτις τὸ παλαιὸν πρώτη πόλις τῆς Θηβαΐδος ἀπὸ τοῦ βαρβαρικοῦ διετύγχανε. διὸ παρὰ τῶν Ῥωμαίων Ῥωμαΐᾳ φωνῇ Πρίμα, ἤτοι πρώτη ὠνομάσθη, καὶ νῦν οὕτω καλεῖται. *Vsque ad vrbem, quæ Prima adpellatur. Hæc olim prima vrbs erat a barbarico: ideo ab Romanis Latina lingua Prima nominata eſt, & nunc ita vocatur.*

κ. Verſa vice in altera ripa, quæ Arabiæ eſt, progreſſus fit, quaſi ſecundo amne, ab auſtro in ſeptemtrionem hoc modo:

Contra Pſelcim	-	-	-
Contra Talmis	M.	P.	XXIIII
Contra Tabis	M.	P.	X
Philas	M.	P.	XXIIII
Syenem	M.	P.	XII [ſic emendo]
Ombos	M.	P.	XXX
Contra Apollonos	M.	P.	XL
Contra Laton	M.	P.	XL
Thebas	M.	P.	XL
Vicum Apollonos	M.	P.	XXII
Copton	M.	P.	XXII
Chenoboſcion	M.	P.	XL
Thomu	M.	P.	L
Panu	M.	P.	IIII
Selinon	M.	P.	XVI
Anteu	M.	P.	XVI
Mythu	M.	P.	VIII
Iſiu	M.	P.	XXIIII
Hieracon	M.	P.	XX
Pesla	M.	P.	XXVIII
Antinou	M.	P.	XXIIII,

vbi finis eſt Thebaidis, & noſtræ de ripa enarrationis. Hinc ad mare Arabicum deuertemur, quod ſolum ex Aegypto reſtat explicandum.

PARTIS II SECTIO III.

ORA SINVS ARABICI.

§. XV.

Sinus Arabicus non totus quidem iuxta Aegyptum, ſed magna illius pars Troglodytas adluit, & in Aethiopiam excurrit. Quod vero Aethiopes nauigationem negligebant, & Troglodytæ, maris accolæ, antiquitus in pote-

poteſtatem Aegyptiorum redacti fuerant; & in hac maritima ora vsque ad oſtium ſinus, Aegyptiorum regum reginarumque nomina & monimenta reperiuntur; non alienum erit, cum Aegypto illum totum tractum ad os vsque ſeu fretum explicare: præſertim quod difficulter diſcernuntur, quæ Aegyptiorum, quæ Troglodytarum aut Aethiopum in hoc litore portus, vrbes, & caſtella fuerint.

2. Ab intimo ſinu, vbi Heroopolim & Arſinoen expoſuimus, incipiendum eſt, ſeu a fine ſinus Heroopolitani. *Clyſma* ibi ponitur a Ptolemæo, quod φρέριον, *caſtellum* vocat, vti Hierocles in ſua Notitia habet Κλύσμα κάστρον. Philoſtorgius lib. III cap. VI ἡ μὲν Ἐρυθρὰ ἐπὶ πλεῖστον μηκυνομένη, εἰς δύο τινὰς ἀπομερίζεται κόλπους, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐπ᾽ Αἰγύπτου χωρεῖ· Κλύσμα καθ᾽ ὃ τελευτᾷ, τὸ ἐπώνυμον φέρον. *Rubrum mare, quod in maximam longitudinem extenſum eſt, in duos ſinus diuiditur, quorum alter in Aegyptum tendit: Clyſmatis nomen* [ab oppido] *iuxta quod deſinit, accipiens.* Dicit, Heroopolitanum ſinum vocari etiam *Clyſma*, ex nomine oppidi vel caſtelli, in quo terminatur. Vide Henr. Valeſii in Philoſtorgium Adnotationes p. 135, vbi ab aliorum interpretatione falſa hunc locum vindicauit. Samuel Bochartus Clyſma putat eamdem vrbem eſſe, quæ Arſinoe & Cleopatris vocata fuit, inductus in id opinionis auctoritate Arabis Nubienſis, qui, quæ alii Arſinoæ tribuunt, alueum ex Nilo ductum, & aquas calidas, ipſe apud Clyſma hoc conſtituat. Sed quis ignorat, a notiori loco res ſæpe denominari, licet interuallo non minimo diſtinguantur: præſertim ſi propiora loca vaſtationem, vt Arſinoæ videtur accidiſſe, ſunt experta. Ptolemæus ſane diſtinxit Clyſma ab Arſinoe, etiam auctor Tabulæ Peutingerianæ: & in Eccleſiaſtica Notitia, quamlibet ordine turbato, & Clyſma & Cleopatris (quæ ipſa eſt Arſinoe, vt ſupra demonſtrauimus) diſtincte & ſeparatim exhibentur, quod de his ad ſinum oppidis intelligere malim, quam alia horum nominum, ignota omnibus, in parte Aegypti neſcio qua, confingere. Lucianus etiam in Pſeudomanti Clyſmatis mentionem fecit, ἀναπλεύσας εἰς Αἴγυπτον, ἄχρι τοῦ Κλύσματος πλοίου ἀναγομένου, *in Aegyptum nauigauit, ad Clyſma vsque nauigio perducto.*

3. Poſt Clyſma apud Ptolemæum eſt *Drepanum* promontorium: deinde *Myoshormus*, Μυὸς ὅρμος, quaſi *Muris ſtatio*, vt quidam interpretes verterunt. Periplo Erythræi meunte: τῶν ἀποδεδειγμένων ὅρμων τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ τῶν περὶ αὐτὴν ἐμπορίων, πρῶτός ἐστι λιμὴν τῆς Αἰγύπτου Μυὸς ὅρμος, *inter inſignes maris Erythræi portus & emporia primus eſt Aegypti portus Myoshormus.* Hic locus *Veneris* poſtea adſumſit adpellationem. Agatharchides p. 54. Ἐφεξῆς λιμὴν μέγας ἐκδέχεται, ὃς πρότερον μὲν Μυὸς ἐκαλεῖτο ὅρμος, ἔπειτα δὲ Ἀφροδίτης ὠνομάσθη. *Hinc portus magnus excipit, qui prius Muris portus vocabatur: deinde Veneris portus adpellatus eſt.* Strabo etiam lib. XVI pag. 529 vtriusque nominis mentionem fecit: εἶτα Μυὸς ὅρμον καὶ Ἀφροδίτης ὅρμον καλεῖσθαι λιμένα μέγαν, *deinde portus magnus eſt, qui Muris ſtatio & Veneris adpellatur.* Male Latinus interpres: *alia Veneris.* eſt enim eadem, vt ex Agatharchide nunc dictum eſt.

4. De-

4. Deinde Ptolemæo eſt φιλωτέρας λιμὴν, *Philoteræ portus*, nomen ſortitus, vt Strabo docet, ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου, *a ſorore Ptolemæi II.* Meminit etiam Plinius lib. VI cap. XXIX *Mox oppidum paruum eſt Aennum, pro quo alii Philoteram ſcribunt.* Plinii libris *Aennum* diphthongo eſt: Melæ III cap. VIII promontorium *Aënnum* tribus ſyllabis. Ex quo videmus, non nudum portum fuiſſe, ſed oppidum etiam portui adiunctum. Strabo quoque πόλιν φιλωτέραν vocat; *vrbem Philoteram:* ſed turbauit ordinem. Ab Heroum vrbe ait nauigantibus occurrere *Philoteram:* εἶτα ἄλλην πόλιν Αρσινόην, *deinde aliam vrbem Arſinoen:* εἶτα, *deinde* θερμῶν ἐκβολὰς, *aquarum calidarum exitus* in mare: εἶτα Μυὸς ὅρμον, *poſtea Muris ſtationem*, quæ & Veneris dicta ſit. Plinius dicto loco Philoteram inter Arſinoen & & Myoshormon poſuit. *Eæ viæ,* inquit, *omnes Arſinoen ducunt, conditam ſororis nomine, in ſinu Charandra, a Ptolemæo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excuſſit, & amnem, qui Arſinoen præfluit, Ptolemæum adpellauit. Mox oppidum paruum eſt Aenum, pro quo alii Philoteram ſcribunt. Deinde ſunt Azarei, ex Troglodytarum connubiis, Arabes feri. Inſulæ, Sapirene, Scytala: mox deſerta ad Myoshormon.* Adeo incertæ rationes de ſitu huius oppidi ſunt: nec vero a Ptolemæo, niſi certiores adferantur, conſultum eſt recedere. Dicitur etiam φιλωτερὶς, *Philoteris*, apud Stephanum & Melam lib. III cap. VIII.

5. Succedit Αἴας ὄρος, *Aeas mons*, quem etiam Plinius dicto loco habet. Deinde Λευκὸς λιμὴν, *Albus portus:* & *Acabe* mons: & locus *Nechesia:* atque hinc poſt *Smaragdum* montem, & *Lepten* promontorium, ſequitur tandem *Berenice*, celeberrimum emporium, vnde ex Aegypto in Felicem Arabiam & Indiam fit nauigatio. Smaragdi montis etiam mentio apud Olympiodorum pag. 112 eſt, qui σμαράγδου μέταλλα, *ſmaragdi fodinas* vocat, vnde Aegypti regibus magnus prouentus ſit. *Berenice* autem a matre Philadelphi nomen habet. Plinius lib. VI cap. XXIX *Berenice, oppidum matris Philadelphi nomine, ad quod iter a Copto diximus.* Dixerat eodem lib. VI cap. XXIII, ex quo ſupra quædam in *Copto* excerpſimus, iam, breui poſt, plenum tradituri. Non enim poſſumus cum Strabone facere, qui lib. XVII pag. 560 dicit, οὐκ ἄπωθεν *non procul* a Berenice Myoshormon eſſe, inter quas vrbes Arrianus Periplo Erythræi ineunte mille octingenta ſtadia numerauit: & Plinius iter per plures manſiones expoſuit dicto lib. VI cap. XXIII. *A Copto,* inquit, *camelis itur, aquationum ratione manſionibus diſpoſitis. Prima adpellatur Hydreum* XXXII *millibus. Secunda in monte, diei itinere. Tertia in altero Hydreumate, a Copto* XCV *millibus. Deinde in monte. Mox ad Hydreum Apollinis, a Copto* CLXXXIV *M. paſſuum. Rurſus in monte. Mox ad nouum Hydreum a Copto* CCXXIII *M. paſſuum. Eſt & aliud Hydreum vetus: Troglodyticum nominatur, vbi præſidium excubat, diuerticulo duûm millium. Diſtat a nouo Hydreumate* IV *M. paſſuum. Inde Berenice oppidum, vbi portus Rubri maris, a Copto* CCLVIII *M. paſſuum.* Vides nunc diſtantiam, ex qua facile credas, recte Ptolemæi poſitionem ſe habere, qui prope Cancri tropicum Berenicen collocauit. Quod etiam Itinerario veteri confirmatur,

quo

quo iter a Copto Berenicen, per aliam credo viam, non longe vero a Pliniana diuerſam, ita eſt diſpoſitum:

Copto			
Phœniconem	M.	P.	XXVII
Didyme	M.	P.	XXIIII
Afrodito	M.	P.	XX
Compaſi	M.	P.	XXII
Iouis	M.	P.	XXXIII
Ariſtonis	M.	P.	XXV
Phalacro	M.	P.	XXV
Apollonos	M.	P.	XXIII
Cabalſi	M.	P.	XXVII
Cænon Ydreuma	M.	P.	XXVII
Beronicen	M.	P.	XVIII.

6. Ex hiſce etiam mediterranea ex parte cognoſcimus, quæ alias ignota ſunt, a nemine geographorum tradita. Primam manſionem *Phœniconem* diximus, quia Olympiodorus in hoc tractu meminit *πόλεως φοινικῶνος, vrbis Phœniconis,* pag. 112 apud Photium: & Notitia Imperii ſub Duce Thebaidos: *Ala octaua Palmyrenorum Phœnicone.* In libris Itinerarii corrupte *Pœnico niconon*, aut *Phœnico niconon.* Cetera ſunt minus cognita, licet vocabula pleraque non ignota ſint, vt deorum nomina *Aphrodito, Iouis, Apollonos*, vbi *πόλις*, *vrbs* in ſingulis ſubaudienda. Pænultimum Aldino libro eſt *Cænon Didreuma;* Simleri, *Cænon Idreum;* vnde nemo non videt, ex Plinio *Ydreuma* ſiue *Hydreuma* ſcribendum eſſe: quamquam *Hydreum* etiam ſit Plinii.

7. Hic fere ceſſat in Syenes parallelo, aut non longe ab illo, quæ ex hoc litore Aegypto propriæ attribui poſſunt, quæ ſequuntur vsque ad fretum, ſeu os ſinus, ſunt acceſſio, a Philadelpho & ſucceſſoribus Aegypto adiecta, in *Troglodytarum* regione, qui vero & ipſi a Philadelpho ſubacti erant, poſita. Quod vero horum eſt facta iam mentio, non alienum erit de illis hoc loco aliquid dicere, quamuis ſciamus, ab Aegypto a pluribus ſeparari, a quibusdam Aethiopiæ accenſeri.

PARTIS II SECTIO IV.

TROGLODYTICE. *

XVI.

Troglodytice, γῆ τρωγλοδυτικὴ, eſt Troglodytarum regio, qui a *τρώγλαις, cauernis* & ſpecubus, quas ad habitandum ſubibant, ita dicebantur: neque tales ad ſolam Aegyptum & ſinum Arabicum erant, ſed variis in regionibus, & in media Aethiopia, in Ammoniaca, in oriente atque in Scythia. Qui vero ad ſinum colebant Arabicum, notiores ſunt ceteris & præcipue

* E Troglodytis quidam Megabarenſes dicebantur. Diodor. III pag. 165.

cipue ita vocabantur. Non autem iisdem omnes finibus hanc Troglodyticen deſcribunt. Strabo lib. XVI p. 529 ab intimo ſinu eamdem incipit. ἀπὸ Ἡρώων πόλεως πλέȣσι κατὰ τὴν Τρωγλοδυτικὴν, *ab Heroûm vrbe nauigantibus iuxta Troglodyticam.* Et Ptolemæus lib. IV cap. VIII καλεῖται δὲ καθόλȣ ἡ μὲν παρὰ τὸν Ἀραβικὸν καὶ τὸν Αὐαλίτην κόλπον παράλιος χώρα Τρωγλοδυτικὴ, *Adpellatur autem vniuerſaliter totum litus iuxta Arabicum & Aualiten ſinum regio Troglodytica.* Nec aliter Plinius videtur ſenſiſſe, dum lib. VI cap. XXIX *Arſinoen* dicit *conditam ſororis nomine a Ptolemæo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excuſſit, & amnem qui Arſinoen præfluit, Ptolemæum adpellauit.* Non enim valeret hæc ratio, niſi Arſinoen, quæ ad ſummitatem ſinus eſt, in Troglodytica cenſuiſſet.

2. Contra alii Troglodytas vltra Cancri tropicum remouent, & ἀμφισκίȣς, id eſt, quibus vmbra in vtramque partem cadat, faciunt: quod de Eratoſthene Plinius tradit lib. II cap. LXXVI. *In tota,* inquit, *Troglodytice vmbras bis quadraginta quinque in anno Eratoſthenes in contrarium cadere prodidit.* Et vetus Tabula, ad Ptolemæi numeros compoſita, a Tropico in auſtrum ad Aualiten ſinum, ſeu præter eum, extenſam habet Troglodyticam.

3. Sic autem eſt, & ita conciliatur controuerſia, vt laxe omne litus Sinus Arabici occidentale Troglodytice nominetur: proprie vero, tantum ſuperiora eius a Berenice, quam Plinius lib. II cap. LXXIII *vrbem Troglodytarum* dixit, vel a Tropico ad fretum & ſinum Aualiten: de qua propria Troglodytice idem Plinius interpretandus eſt lib. VI cap. XXIX. *Troglodytice,* inquit, *quam priſci Michoen, alii Midoen dixere. Mons Pentedactylos: inſulæ Stenæ deiræ* (Στεναὶ δειραὶ) *aliquot: Halonneſi non pauciores: Cardamine, Topazos, quæ gemmæ nomen dedit.* * Mons enim *Pentedactylos* ſupra Berenicen Ptolemæo eſt; inſula *Cardamine* e regione Meroes. *Topazos* inſula poſt Berenices ſinum Straboni poſita, antea *Ophiodes* dicta ab ſerpentum multitudine, a quibus rex liberauerit inſulam, vt topazius lapis ſecurius inueniretur. Vide Strab. lib. XVI p. 529, & Diodorum Sicul. lib. III cap. XXXIX, qui eadem de ſerpentibus deletis, & topazio lapide, quæ Strabo, narrat: etiam inſulam ὀφιώδην, *Serpentariam* nominat, perinde vt ille. Modum inueniendi hunc lapidem Agatharchides tradit pag. 55 ed. Oxon. ** Atque ita etiam Agathemerus lib. II cap. V πᾶσα ὅση ἐστὶ ἀπὸ Βερενίκης μέχρι τῶν στενῶν τȣ̃ Ἀραβικȣ̃ κόλπȣ καλεῖται Τρωγλοδυτικὴ, *Omnis tractus, qui eſt a Berenice adusque ſinus Arabici fauces, Troglodytica vocatur.*

4. Poſt Berenicen vsque Ptolemaidem Troglodyticam pauca ſunt memorabilia, nec fere niſi montes, promontoria, portus. Sunt autem hoc ordine. Proximus a Berenice eſt *Pentedactylus* mons Plinii & Ptolemæi, de quo ſupra diximus. Deinde ex Ptolemæi diſpoſitione *Bazium* promontorium: Πριονωτὸν ὄρος, *Prionotus mons*: Μνημεῖον, *Mnemium* promontorium: Ἴσιον ὄρος, *Iſius* mons: Βαθὺς λιμὴν, *Bathys* (profundus) *portus*: Διοσκόρων λιμὴν, *Dioſcôrum* portus: Δημητρὸς Σκοπιὰς ἄκρα, *Cereris ſpecula*

* Hæc illuſtrabit Diodorus III pag. 172.

** Diodorus item III pag. 173.

cula, promontorium: niſi forte cum Strabone legendum Δημητρίυ, *Demetrii.* etenim eodem ille latere Troglodytico, quum de Spermophagis & Rhizophagis egiſſet (ſunt autem Rhizophagi Ptolemæo inter Meroen & ſinum Arabicum) ſubdit: μετὰ τὴν Ἔλεαν αἱ Δημητρίυ σκοπαὶ, *poſt Eleam ſunt Demetrii ſpeculæ.* Sequitur Ἀσπὶς, *Aſpis*, promontorium: *Diogenis* promontorium: *Satyrorum* mons: *Monodactylos* mons: *Gauros* mons: Θεῶν Σωτὴρ λιμὴν, *Deorum ſalutaris portus.* Pal. cod. Σωτήρων legit, *ſeruantium* deorum: at priorem lectionem Diodorus firmat dicto lib. III cap. XL, qui & ipſe Σωτῆρα λιμένα, *ſoſpitantem portum* adpellat. *Hæc loca*, inquit, *præteruauiganti multæ ſe Ichthyophagorum gentes per oram ſparſæ offerunt, multi etiam Troglodytæ paſtores, & cum his varii montes* μέχρι λιμένος τȣ̃ προσαγορευομένȣ Σωτῆρος, *vsque ad portum qui Soter* (Seruator) *adpellatur.* Tandem eſt Ευαγγέλων λιμὴν, *Euangelorum portus:* poſt quem *Ptolemais* eſt Elephantorum venationes.

5. Hæc *Ptolemais* vel a ſitu & gente cognominatur *Troglodytica*; vel ab inſtituto conditoris, quod ad elephantum venatus directum erat, *Ptolemais* Θηρῶν, *ferarum*, vel ἐπὶ θήρας, *ſuper venationes.* Strabo lib. II ſub finem: τοῖς κατὰ Μερόην καὶ Πτολεμαΐδα τὴν ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ ἡ μεγίςη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ἐςὶ τρισκαίδεκα, *iis qui circa Meroen habitant & Ptolemaidem Troglodyticam, longiſſimus dies eſt tredecim æquinoctialium horarum.* Sunt enim Meroe & Ptolemais ſub eodem parallelo circulo. Idem lib. XVI p. 530 ἡ Πτολεμαὶς πρὸς τῇ θήρα τῶν ἐλεφάντων, κτίσμα Ευμήδȣς τȣ̃ πεμφθέντος ἐπὶ τὴν θήραν ὑπὸ τȣ̃ Φιλαδέλφȣ, *Ptolemais apud elephantum venationem condita eſt ab Eumede, quum is a Philadelpho ad venationem mitteretur.* Plinius lib. VI cap. XXIX *Vltra ſiluæ, vbi Ptolemais a Philadelpho condita ad venatus elephantorum, ob id Epitheras cognominata, iuxta lacum Monoleum.* Diſtantiam a Berenice idem Plinius lib. II cap. LXXIII prodidit. *In Berenice, vrbe Troglodytarum, & inde ſtadiis quatuor millibus* DCCCXX *in eadem gente Ptolemaide oppido, quod in margine Rubri maris ad primos elephantorum venatus conditum eſt.* Et Agathemerus lib. I cap. III ἕως τῆς Πτολεμαΐδος τῆς ἐπὶ θήρας, *vsque ad Ptolemaidem ad venationes*, ſcilicet eo vsque ab Heroum vrbe, a qua ἄρχεται, *incipit* ſinus Arabicus, dicit eſſe nongenta ſtadia. Ptolemæo geographo, & Arriano Erythræi Periplo p. 2. dicta Πτολεμαὶς θηρῶν, *Ptolemais ferarum.*

6. Hinc vsque ad Adulin vrbem Ptolemæo ſunt in Pal. cod Βωμὸς ἔρωτος, *Ara Amoris* promontorium: deinde Σεβαςικὸν ςόμα, *Os Sebaſticum* ſeu Auguſtum, ſi genuina illa eſt lectio. Negat enim Salmaſius, & ex Strabonis lib. XVI p. 530 Σαβαϊτικὸν ςόμα, *Sabaiticum os* legendum cenſet. Eſt enim ibidem, eodem Strabone auctore, λιμὴν Σαβὰ καὶ κυνήγιον ἐλεφάντων, *portus Saba, & venatio elephantum:* καὶ Σαβαὶ πόλις ἐυμεγέθης, *& Sabæ vrbs maxima.* Poſt hoc ςόμα eſt Μέγας Αἰγιαλὸς, *Litus magnum:* & deinde Κολοβῶν ὄρος ἄκρον, *Colobon terminus, promontorium.* Colobi autem pars Troglodytarum. Tum ſequitur *Adulicus ſinus*, in quo prima Σαβὰτ πόλις, *vrbs Sabat*, quæ Salmaſio videtur Strabonis *Sabæ* eſſe: aut ſi hæ intus fuere, *Saba*

portus, iam ex Strabone quoque memoratus: deinde ὀρεινὴ χερσόνησος, *Montuoſa cherſoneſus:* Arriano inſula eſt νῆσος Ὀρεινὴ λεγομένη, *inſula Orine* (montuoſa) *dicta*, τοῦ μὲν ἐσωτάτου κόλπου, *in interiore ſinu*, per ducenta a litore ſtadia: & tandem Ἀδούλη, *Adule* vrbs, quæ ſinum denominat. Videtur autem aliquid intereſſe, quod prætermiſſum a Ptolemæo ſit.

7. Plinius enim lib. VI cap. XXIX addit *Berenicen* alteram, quæ *Panchryſos* cognominata eſt, ab auri copia, quod ibidem effoditur. Hæc vero haud dubie eſt Strabonis (p. 531) Βερενίκη κατὰ Σαβάς, *Berenice iuxta Sabas.* Quod ſi iam hæ Sabæ ſunt Σαβάτ, *Sabat* Ptolemæi, vt ſummo viro Cl. Salmaſio viſum eſt, non poteſt illa Berenice inter Ptolemaidem Epitheras & Adulen non fuiſſe; ideoque, antequam Adulen ſeu Adulin explicabimus, eius mentionem facimus. Vir clariſſimus Io. Harduinus, propter Sabæ Arabicæ famam, hanc Berenicen quoque in Felicem transtulit Arabiam, Zibit, quæ hodie vocatur, interpretatus. Verum & Strabo & Plinius de Troglodytice agunt, non de transmarina Arabia, quando Berenices huius mentionem faciunt. Quod pluribus in Solinum Salmaſius p. 349 perſequutus eſt. *Strabo,* inquit, *in dextro ac Troglodytico latere Arabici ſinus meminit* Σαβαϊτικοῦ στόματος, *quod a Sabæis deduci non poteſt. Poſt Ptolemaidem venationum ſtatim apud eum ſequitur* τὸ Σαβαϊτικὸν στόμα. *Ptolemæo dicitur* Σεβαστικὸν στόμα. *Lege* Σεβαϊτικόν. *Sed &* Σάβα λιμὴν *in eodem latere ibidem recenſetur: &* Σαβαὶ *vrbs ampliſſima, a qua Berenice altera cognomento* κατὰ Σαβάς. *Ptolemæo* Σαβὰτ *vocatur.* Κολοβῶν ὄρος ἄκρον, καὶ ἐν τῷ Ἀδουλικῷ Σαβὰτ πόλις. *Forte* Σαβαὶ πόλις. *Strabo:* ἑξῆς ἐστὶ λιμὴν καλούμενος Κολοβῶν ἄλσος, καὶ Βερενίκη πόλις κατὰ Σαβάς, καὶ Σαβαὶ πόλις εὐμεγέθης. Hæc Salmaſius.

8. *Adule* vrbs varie ſcribitur. Ptolemæus Ἀδούλη, Adule: Arrianus Periplo Erythræi Ἀδουλεὶ, *Aduli:* ſed Stephanus ex Herodiano probat verum nomen eſſe Ἄδουλις, *Adulis;* qua forma etiam Procopius vſus eſt. Arriano κώμη, *vicus* eſt: ſed Stephano & Procopio πόλις, *oppidum:* Plinio *oppidum Adulitôn*, qui & hoc de eo tradit lib. VI cap. XXIX *Aegyptiorum hoc ſerui a dominis profugi condiderunt.* Procopius lib. I Perſ. cap. XIX Ἄδουλις ἡ πόλις τοῦ μὲν λιμένος μέτρῳ εἴκοσι σταδίων διέχει, *vrbs Adulis a portu ſuo viginti abeſt ſtadiis:* quod etiam Arrianus tradit, quamuis non vrbem, ſed κώμην σύμμετρον, *vicum mediocrem* dixerit. Et *Monimentum Adulitanum* ſeu inſcriptio ſtatuæ Ptolemæi Euergetæ ſatis glorioſa ad hanc vrbem pertinet. Exſtat publicis litteris exſcriptum. * Sinus, cui adiacet, Ptolemæo eſt κόλπος Ἀδουλικὸς, *ſinus Adulicus*, pars ſinus Arabici ſeu maris Rubri.

9. Poſt Adulin vrbem in eodem ſinu Adulico ſunt Ptolemæo *Saturni* promontorium: & Ἀντιόχου Σωλὴν, *Antiochi Solen:* & vicus Μανδαὴθ, *Mandaeth:* & tandem *Arſinoe* prope fauces Arabici ſinus, quæ Aethiopiam verſus promontorio terminantur, quod *Dire* ſeu *Dira* adpellatur. Hæc vltima Arſinoe a Plinio etiam *Berenice*, & quidem tertia in hoc latere Troglodytico, vocari videtur, cum diſcriminis cognomento *Epidires:* vt Ptolemæus vel

* Editore Leone Allatio Romæ A. 1631. ex quo Sponius in Miſcellanea ſua pag. 358 Sect. X inſcript. 103 tranſtulit. Theuenotius etiam edidit. A. 1666.

vel memoria lapſus ſit in hoc vocabulo, vel duarum reginarum nomen hic locus acceperit, vti Arſinoe apud Heroum vrbem etiam Cleopatris poſtea fuit nuncupata. nam Plinium aberraſſe non eſſe veri ſimile, qui tres ita, Berenices vocabulo inſignitas, vrbes in hac ora apertis verbis & cognominibus lib. VI cap. XXIX diſtinguit. *Iuba,* inquit, *qui videtur diligentiſſime proſequutus hæc, omiſit in hoc tractu, (niſi exemplarium vitium eſt) Berenicen alteram, quæ Panchryſos cognominata eſt: & tertiam, quæ Epidires, inſignem loco. Eſt enim ſita in ceruice longe procurrente, vbi fauces Rubri maris* VII *millibus* D *paſſuum ab Arabia diſtant.* Dicit *alteram,* reſpectu prius deſcriptæ, quæ ſub circulo ſolſtitiali ſita erat, emporium Indicarum mercium. Hæc vero altera, *κατὰ Σαβὰς*, *iuxta Sabas,* a Strabone cognominatur. His additur tertia *Berenice* cum cognomento *Epidires*, poſita prope fauces ſeu oſtium ſinus Arabici. Mela autem Arſinoen & Berenicen [ſi modo tertiam Plinii intellexit] diſtinguit lib. III cap. VIII.

10. Promontorium ſeu oppidum, quod cognomen dat vrbi tertiæ, Ptolemæo dictum eſt Δήρη, *Dere:* ſed Strabo diphthongo Δειρὴ, *Dire;* & Agathemerus Δείρη, retracto accentu. τὰ κατὰ Δείρην ϛενὰ, inquit; *anguſtiæ* [maris] *quæ iuxta Diren ſunt.* Finitur hoc promontorio fretum Aethiopiam verſus, eodemque ab Aualite ſinu diſtinguitur. Ptolemæus: μετὰ τὰ ϛενὰ ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, Δήρη πόλις ἐν ἄκρᾳ, *poſt anguſtias in mari Rubro oppidum Dere in promontorio.* Et Strabo lib. XVI pag. 529 ποιεῖ δὲ ἄκρα τὰ ϛενὰ πρὸς τὴν Αἰθιοπίαν, Δειρὴ καλουμένη, καὶ πολίχνιον ὁμώνυμον αὐτῇ, *Anguſtias facit Aethiopiam verſus promontorium, quod Dire vocatur, & oppidum eiuſdem nominis habet.*

11. Atque hic finimus Aegypti acceſſionem Troglodyticam, quam ab Aegyptiis poſſeſſam fuiſſe, tot nomina regum reginarumque in maritimis oppidis inuenta argumento ſunt. Interiora Aethiopiæ relinquimus: maritima Aegypto, propter auctores oppidorum, vindicamus.

12. Inſulas in ſinu Arabico Aegyptii lateris plures Ptolemæus numerauit: Tres ſunt ad Aegyptum propriam, *Sappirene,* quam Plinius lib. VI cap. XXIX *Sapirene* ſimplici litera ſcripſit: *dein Veneris inſula, & Agathonis inſula.* Ad latus autem Troglodytarum, *Aſtrate, Ara Palladis; Gythites; Tomadæôn* duæ: *Myronis* inſula, *Catathræ* ſiue *Chelonitides* duæ: *Oriſſitides* duæ, *Magorum inſula, Daphnine, Acanthine, Macaria* ſeu *Fortunata, Orneon* [Auium] inſula: *Bacchi* & *Antibacchi; Panis* inſula, *Diodori* inſula, *Iſidis* inſula. Alii alias nominant, quas excutere omnes, aut cum Ptolemaicis conferre, vix iam noſtri eſt operis. Plinius, dicto loco, circa fauces ſinus Arabici inſulam habet *Cytin* nomine, quæ & ipſa topazium ferat: contra Troglodytas ab eorumque monte Pentadactylo, inſulas *Stenas Deiras aliquot,* [Græce Στεναὶ δειραὶ] *Halonneſos non pauciores: Topazon, quæ gemmæ nomen dedit:* de qua ſupra etiam actum eſt. Addit deinde: *Sinus inſulis refertus: ex iis, quæ Mareu vocantur, aquoſæ; quæ Eratonos, ſitientes. Regum ii præfecti fuerunt.* In mediterraneo Ptolemæus nullas

habet Aegypto oppoſitas, niſi *Dydimas* duas Plinthinæ Mareotidis obiectas. De *Pharo* autem ſupra diximus.

13. Populi Troglodyticæ a Bazio promontorio in auſtrum verſus ſunt apud Ptolemæum *Colobi*, quorum terminum & promontorium ſupra ex eodem vidimus: male in libris Ptolemæi legitur *Colbi*, in Tabula recte *Colobi;* vt ſupra ipſe ſcripſerat Κολοβῶν ὄρος, *Coloborum terminus.* Deinde *Tabieni;* & Σιρτιβεῖς, *Sirtibes:* poſt quos *Attiri:* poſtea Babylonii: deinde *Rhizophagi*, qui radicibus veſcuntur, quorum etiam Strabo meminit lib. XVI pag. 530: qui & *Spermophagos* addit, qui in MSS. ita vocantur Σπερμοφάγοι, in editis Σπερματοφάγοι, *Spermatophagi*, ex ſeminibus viuentes. *Ichthyophagi*, qui toſtis piſcibus pro pane vtuntur, Straboni poſt Ophiodem ſeu Topazon inſulam in auſtrum habitare dicuntur: copioſius poſt fretum ſeu fauces Arabici ſinus: Tabula etiam vetuſta ad Ptolemæi deſcriptionem comparata, Ichthyophagos Aegypto quoque ſuperiori adpoſitos habet ab Albo portu ad Berenicen, in maritima ora: cuius nominis etiam magnæ gentes in Aſia reperiuntur. *Ophiophagos*, ſerpentibus veſci adſuetos, Pomponius & Plinius memorant, quos alio nomine *Panchæos* dictos Voſſius in Melam III cap. VIII contendit, Plinius *Candeos.* Vide Harduin. lib. VI cap. XXIX, emendatione CVIII.

CAPVT II

DE

MARMARICA ET PENTAPOLI CYRENAICA.

I.

IN tractum nunc progredimur, qui inter Aegyptum & Syrtes eſt, non vno modo ab omnibus nominatum aut diſtributum. Ptolemæus lib. IV cap. V a Cyrenaica ab occaſu incipit *Marmaricam*, nec vero illam ad Aegyptum perducit, ſed regionem *Libyam*, ſeu Λιβύης νόμον, *Libyæ nomon* interponit. Agathemerus autem lib. II cap. V in enarrandis Africæ prouinciis ſub mediterraneo mari ab occaſu in ortum ita procedit: Πεντάπολις, ἡ Μαρμαρικὴ, εἶτα ἡ Αἴγυπτος, *Pentapolis, Marmarica, deinde Aegyptus.* Et hi duo regionem vocant Μαρμαρικὴν, *Marmaricam:* ceteri tantum populi Marmaridarum mentionem faciunt. Scylax Periplo Africæ: Ἀπὸ δὲ Ἄπιδος ἔθνος Λιβύων ἐςὶν οἱ Μαρμαρίδαι, μέχρις εἰς Ἑσπερίδας, *Ab Api eſt gens Libyca, Marmaridæ,* * *vſque ad Heſperides.* Apis autem oppidum prope

* Vid. etiam Diodorus Siculus III pag. 182, qui ita ſcribit: Τούτων δ' ἡμῖν διευκρινημένων, οἰκεῖον ἂν εἴη διελθεῖν περὶ Λιβύων τῶν πλησίον Αἰγύπτου κατοικούντων καὶ τῆς ὁμόρου χώρας. Τὰ γὰρ περὶ Κυρήνην καὶ τὰς Σύρτεις, ἔτι δὲ τὴν μεσόγειον τῆς κατὰ τοὺς τόπους τούτους χέρσου κατοικεῖ τέτταρα γένη Λιβύων, ὧν οἱ μὲν ὀνομαζόμενοι Νασαμῶνες νέμονται τὰ νεύοντα μέρη πρὸς νότον, οἱ δ' Αὐχῖσαι τὰ πρὸς τὴν δύσιν, οἱ δὲ Μαρμαρίδαι κατοικοῦσι τὴν μεταξὺ ταινίαν Αἰγύπτου καὶ Κυρήνης, μετέχοντες καὶ τῆς παραλίου. Οἱ δὲ Μάκαι πολυανθρωπίᾳ τῶν ὁμοεθνῶν προέχοντες νέμονται τοὺς τόπους τοὺς περὶ τὴν σύρτιν κ. τ. λ. *His rite diſcretis, conſequens fuerit, vt de Libybus Aegypto & contiguæ regioni finitimis diſſeramus. Etenim Cyrenen & Syrtes & me-*

prope Parætonium eſt ab occaſu: Heſperides autem, interprete Plinio, ſunt Berenice Pentapoleos, in Syrtis extimo cornu ſita. Ad eumdem modum, quo Scylax, ipſe Plinius, lib. v cap. v poſt Cyrenaicæ deſcriptionem: *Accolunt Marmaridæ, a Parætonii ferme regione ad Syrtin vſque maiorem porrecti:* Satis hæc turbate, vt non poſſis Marmaridas a Pentapolitanis diſcernere. Diſtinctius Strabo lib. XVII ſub finem: πρὸς ἕω δ' ἔτι μᾶλλον οἱ Μαρμαρίδαι, προχωροῦντες ἐπὶ πλέον τῇ Κυρηναίᾳ, καὶ παρατείνοντες μέχρι Ἄμμωνος. *Magis orientem verſus ſunt Marmaridæ ad Cyrenam propius accedentes & vſque ad Ammonem extenſi.* Et clarius idem lib. II etiam ſub finem pag. 90 Caſaub. ed. πρὸς Αἰγύπτῳ μὲν Μαρμαρίδαι μέχρι τῆς Κυρηναίας, *ad Aegyptum quidem Marmaridæ vſque ad Cyrenaicam.*

II.

Ex his abunde perſpicitur, alios miſcere Cyrenaicam cum Marmarica; quoſdam & rectius diſtinguere ita, vt Cyrenaica ad occaſum ſit, Marmarica ab ortu Aegyptum contingat, cum quibus nos etiam faciemus. Et ipſa res ita poſtulat, quia Cyrene caput eſt Pentapoleos, quæ ad ſinum pertinet maioris Syrtis. Quod vero vtrumque vocabulum nunc laxius acceptum fuit, nunc anguſtius; factum eſt, vt inter ſe permutarentur, quæ cauſſa eſt impropriæ & indiſtinctæ ſignificationis. Ptolemæi Libycus nomos, diſtinctus a Marmarico, quod ceteris ignotus eſt, non placet: ſed ab Aegypto Marmaricam incipimus, & vltra Cherſoneſum magnam ad Darnin vſque proferimus, quem Ptolemæus finem Cyrenaicæ conſtituit. Aegypti autem finem, quem etiam non eumdem omnes definiunt, cum Ptolemæo a Mareotide, id eſt, in Chimo vico & oppido Plinthine figimus, cuius rationes ſuperiori capite, quod de Aegypto agebat, expoſuimus. Sit igitur prima Marmarica, quam explicemus: deinde ſequatur Cyrenaica.

PARTIS I SECTIO I.

M A R M A R I C A.

I.

Marmaricæ ergo, ſi ab ortu in occaſum procedimus in maritima ora, eſt

diterranea loca his regionibus finitima accolunt quatuor genera Libyum, quorum qui Naſamones *vocantur, ii partes auſtrales colunt: qui* Auchiſæ, *occidentem ſpectant: qui* Marmaridæ, *tractum Aegypto & Cyrenæ interiectum, ad mare etiam porrecti.* Macæ *autem multitudine hominum præcellentes Syrti circumfuſi ſunt.* Diodorus ſatis diſſidet ab Herodoti lib. IV cap. 168, qui ita ſcribit: Οἰκέουσι δὲ κατὰ τάδε Λίβυες ἀπ' Αἰγύπτου ἀρξάμενοι. Πρῶτοι Ἀδυρμαχίδαι Λιβύων κατοίκηνται. παρήκουσι δὲ οὗτοι οἱ Ἀδυρμαχίδαι ἀπ' Αἰγύπτου μέχρι λιμένος, τοῦ ὄνομα Πλυνός ἐστι. Τούτων δὲ ἔχονται Γιγάμαι νεμόμενοι τὴν πρὸς ἑσπέρην χώρην μέχρι Ἀφροδισιάδος νήσου. - - Γιγαμέων δὲ ἔχονται τὸ πρὸς ἑσπέρης Ἀσβύσται. - Ἀσβυστέων δὲ ἔχονται τὰ πρὸς ἑσπέρης Αὐσχίσαι. Οὗτοι ὑπὲρ Βάρκης οἰκέουσι κ. τ. λ. *Incolunt autem hæc Libyes ab Aegypto proximi. Primi Libyum* Adyrmachidæ *habitant, pertinentque ab Aegypto vsque ad portum nomine Pleunum. Hos attingunt* Gigamæ, *occidentem verſus vsque ad inſulam Aphrodiſiadem porrecti. - - Gigamis adiuncti ſunt occidentem verſus* Asbyſtæ, *a quibus longius in occaſum* Auſchiſæ *receſſerunt.* Diuerſa igitur tempora mutationem ſedium attuliſſe videntur, aut obſcuriores quondam gentes inclareſcere & contra claræ obſcurari, aut nominum immutatio alias alia præoptari cœpit. Fortaſſis etiam error interuenit ſcriptorum, qui non ſatis ſemper ſibi cauent a fraude.

eſt primum ex Ptolemæi diſpoſitione *Glaucum promontorium* : deinde *Leucaſpis* portus: poſtea *Derris* promontorium, Strabonis Δέρις, *Deris* portus: tum eſt Ptolemæo Αντίφρα κώμη, *Antiphra vicus;* Straboni Αντίφραι, *Antiphræ* plurali numero, μικρὸν ἀπωτέρω τῆς θαλάττης, *exiguo ſpatio a mari diſtantes.* Dein eſt φοινικοῦς λιμήν, *Phœnicûs portus*, Ptolemæi & Strabonis: &, promontorio interiecto cui *Hermææ* nomen, Λευκὴ ἀκτή, *Album litus*, & hoc quoque vtriusque, Ptolemæi & Strabonis. Hinc, prætermiſſis obſcuris portuum & promontoriorum nominibus [ſunt autem *Gyzis* & Γραίας γόνυ, portus; *Callii* promontorium, & *Pythis*] ſequitur *Paraetonium*, vrbs & portus, quam Strabo dicit, ab non nullis *Ammoniam* vocatam eſſe, quod etiam a Stephano repetitum eſt. Memoratur ab omnibus geographis, nec inauditum nomen in hiſtoriis. Cæſar apud Hirtium Alex. B. cap. VIII *prohiberi ſe ſe non poſſe, quo minus quotidie aquam nauibus peterent, vel a ſiniſtra parte a Parætonio, vel a dextra ab inſula.* Et Florus lib. IV cap. XI de Antonii & Cleopatræ fuga: *Itaque nec præparata in Oceanum fuga; nec munita præſidiis vtraque Aegypti cornua, Parætonium atque Peluſium, profuere.* Munitus itaque locus fuit & Aegyptii regni propugnaculum: * cuius munimenta Iuſtinianus inſtaurauit, vt Procopius lib. VI de Aedific. cap. II refert. Melæ lib. I cap. IX eſt *portus Parætonius.*

II.

Poſt Parætonium eſt *Apis*, Ἆπις, oppidum vel vicus religioſus, a quo, vt ſupra diximus, Marmaridarum Scylax in Periplo ſuo initium fecit: ἀπὸ δὲ Ἄπιδος, inquit, ἔθνος Λιβύων ἐςὶν οἱ Μαρμαρίδαι μέχρις εἰς Εσπερίδας. Idem eo vſque Aegyptium regnum producit. Ait enim poſt Parætonium: ἔχεται Ἆπις πόλις. Μέχρις οὖν ἐνταῦθα Αἰγύπτιοι ἄρχουσιν. *Sequitur vrbs Apis. Hucusque Aegyptiorum patet regnum.* Plinius lib. V cap. VI diſtantiam æque, vt Ptolemæus, definit. *Menſura*, inquit, *a Catabathmo ad Parætonium* LXXXVI M. *paſſuum. In eo tractu vicus Apis intereſt, nobilis religione Aegypti locus.* Dixit *vicum*, ſicut Strabo, κώμη Ἆπις pag. 549: ac Scylax Ἆπις πόλις, & Ptolemæus in oppidis cenſuit. Meminit etiam Polybius Excerpt. CXV.

III.

Hinc villas tantum, vt interpres Latinus vertit, ſeu pagos, κώμας Ptolemæus vſque ad Catabathmon memorat, *Triſarchin*, *Zagylin*, *Chettæam*, *Zygrin*; e quibus *Zagylis* & *Zygris* in Notitia epiſcopatuum leguntur, tamquam ſedes epiſcoporum; & poſt Triſarchin eſt portus Σελινοῦς, *Selinûs:* ac poſt Zygrin Αἰνησίσφυρα, *Aeneſiſphyra*, Ptolemæo portus, Straboni

* Loca finitima vel vicina fuere nauigantibus periculoſa. Οικοδομήσας γὰρ τὸν ἐπὶ τῷ Φάρῳ πυργὸν, μέγιςον καὶ κάλλιςον ἔργων ἁπάντων, ὡς πυρσεύοιτο ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῖς ναυτιλλομένοις ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάττης, καὶ μὴ καταφέροιντο εἰς τὴν παραιτονίαν. παγχάλεπον, ὥς φασιν, οὖσαν καὶ ἄφευκτον, εἴ τις ἐμπέσοι εἰς τὰ ἕρματα κ. τ. λ. Cnidius architectus *quum exſtruxiſſet illam in Pharo turrim, maximum & pulcerrimum omnium operum, vt ex ea accenſæ faces magno maris ſpatio nauigantibus illucerent, ac ne in* Parætoniam, *locum, vt aiunt, omnino periculoſum & inextricabilem, ſi quis in ſcopulos inciderit, deferrentur.* Lucian. quomodo conſcrib. ſit hiſtoria pag. 638, 639.

boni promontorium, quod vtrumque poteſt eſſe: a quo proximus eſt Καταβαθμὸς μέγας, *Catabathmus magnus*, qui ſimpliciter ab aliis *Catabathmus* dicitur: Ptolemæus autem a paruo quodam, quem intus in mediterraneis ſub Phœnicunte portu poſuit, diſtinguit. Polybius etiam Excerpt. CXV παραγενόμενος εἰς τὸν Μέγαν καλȣ́μενον Καταβαθμὸν, *quum ad Magnum Catabathmum veniſſet.*

IV.

Catabathmus deſcenſum & decliuitatem ſonat, quia terra hic, quæ plana & æqua fuerat ac ſine montis accliuitate, repente in vallem deprimitur. Plinius lib. V cap. V *Finis Cyrenaicus Catabathmos adpellatur, oppidum & vallis repente conuexa.* Et Salluſtius Iugurth. cap. XVII *Africa fines habet ab occidente fretum noſtri maris & Oceani: ab ortu ſolis decliuem latitudinem* [Iſaac. Voſſius *altitudinem* legit] *quem locum Catabathmon incolæ adpellant.* Supra diximus, in hoc loco quosdam Africam terminare: reliqua cum Aegypto relinquere Aſiæ; immo ipſam hinc Aegyptum inchoare: quæ etiam Salluſtii ſententia fuit cap. XIX, *Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa diuidit.* Alii Cyrenaicæ terminum faciunt in Catabathmo, vt de Plinio iam cognouimus: cui Strabo quoque lib. XVII pag. 576 conſonat: μετὰ τὴν Ἀπολλωνίαν ἐςὶν ἡ λοιπὴ τῶν Κυρηναίων παραλία μέχρι Καταβαθμȣ̃ ςαδίων διχιλίων διακοσίων, *Poſt Apolloniam eſt reliqua Cyrenæorum ora vſque ad Catabathmum, ſtadiorum* MMCC. Scilicet nusquam ita variant auctores, quam in finibus circa Africam, vt ſupra in Aegypto vidimus, quam quidam in hoc Catabathmo; alii in Api aut Parætonio, alii cum Alexandria aut proximis locis terminant. Ita etiam fit in Cyrenaica, quam plures in Catabathmo finiunt, Ptolemæus in Darni, vt multo fiat anguſtior. Et hoc eſt quod Strabo λοιπὴν, *reliquam* oram poſt Pentapolin vocat: quia propria Cyrenæa eſt ipſa Pentapolis; adiecta, inde ad Catabathmon excurrit.

V.

Poſſemus hic finire Marmaricam, & reliqua ad ſinum Syrtis Cyrenaïcæ reſeruare, cui Strabo & Plinius attribuunt; quod vero mixti Marmaridæ Cyrenæis dicuntur, & περιοικȣ̃ντες, *circumcolentes* Cyrenæam, vt Strabo lib. XVII p. 549 tradit: etiam nos ſupra Ptolemæi ordinem ſequuti ſumus; nunc quoque eumdem perſequi non alienum nobis videtur.

VI.

A Catabathmo in occaſum eſt *Panormus*, in quo Ptolemæus ſuum Libyæ nomon finit: deinde eius nomos Marmaricæ propriæ ad Cherſoneſum magnam & vltra procurrit, in quo primus eſt Πέτρας μεγάλης λιμὴν, *Petræ magnæ portus*, praue ita dictus, ſi Scylacem ſequimur, cui Πέτρας rectus caſus eſt, obliquus Πέτραντος: vt ita μέγας, non μεγάλης legendum ſit, quemadmodum mox eſt Πέτρας ὁ μικρὸς λιμὴν apud eumdem Scylacem. Sequuntur promontoria duo Ptolemæi, *Ardanis* & *Catæonium*, ſupra quæ, intus paullo ad XV millia paſſuum eſt vrbs *Menelaus*, quæ ſi recte ita poſita eſt, portum tamen in mari habuit, quem Scylax & Strabo etiam *Mene-*

laum vocant, Nepos Cornelius *portum Menelai:* Herodotus lib. IV cap. CLXIX Μενελάϊον λιμένα. Sic vero Caryandenſis geographus: ἐκ Πέτραντος εἰς Μενέλαον πλοῦς ἡμέρας, *a Petrante ad Menelaum nauigatio diei.* Et Strabo lib. I I pag. 27 *Menelaus quoque in Africam locis quibusdam adplicuit:* ἀφ' οὗ καὶ ὁ κατὰ τὴν Ἀρδανίαν λιμὴν, τὴν ὑπὲρ Παραιτονίου, Μενέλαος καλεῖται, *a quo etiam portus iuxta Ardaniam, quæ ſupra Parætonium eſt, Menelaus vocatur.* Ardania autem eſt Ptolemæi Ardanis, & eiusdem Strabonis lib. XVII pag. 576 *Ardanaxes,* ſi recte ſcriptum eſt. Nepos autem extremo Ageſilao: *Quum ex Aegypto reuerteretur, veniſſetque in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas & Aegyptum; in morbum implicitus deceſſit.*

VII.

Dein eſt portus, Ptolemæo dictus Σκυθράνιος, *Scythranius;* Scylaci Κυρθάνειος, *Cyrthaneus.* Ἐκ Μενελάου, inquit, εἰς Κυρθάνειον πλοῦς ἡμέρας, *e Menelao* [portu] *in Cyrthaneum nauigatio diei.* Poſt hunc Ptolemæo eſt Ἀντίπυργος λιμὴν, *Antipyrgus portus,* quomodo & Procopius lib. VI κτίσμ. cap. II ſcripſit: Scylax autem Ἀντίπυγος λιμὴν, *Antipygus portus:* quod placet clariſ viris Salmaſio & Iac. Gronouio, quia Peutingerorum tabula *Antipego* legitur, corrupte quamuis, tamen ſine R; quod etiam Anonymus Rauennas ita lib. III cap. II repetiit. At etiam in eccleſiæ Notitiis *Antipyrgus:* & Epiphanii hæreſ. LXXIII cap. XXVI memoratur Σεραπίων ἐπίσκοπος Ἀντιπύργου τῆς Λιβύης, *Serapion epiſcopus Antipyrgi Libyæ.* vt dubium ſit, vtrum R Scylaci exciderit, an intruſum ſit a Ptolemæo.

VIII.

Sequitur apud hunc *Petræ paruæ portus;* ſed ſupra dictum, errore librarii Πέτρας gignendi caſu lectum, quum recto ſit apud Scylacem Πέτρας ὁ μικρὸς λιμὴν, *Petras paruus portus,* obliquo Πέτραντος, *Petrantis.* Ab hoc eſt Βάτρακος, *Batracus* portus, interpreti *Batrarchus;* & *Paliurus,* oppidum, ſeu, vt Strabo p. 576 vocat, κώμη Παλίουρος, *vicus Paliurus,* qui in veteri Itinerario, itinere a Ptolemaide Pentapoleos Alexandriam, *Paniuros* ſcribitur. Tum *Phthia* portus eſt, & poſt eum *Cherſoneſus magna:* quam etiam Scylax Caryandenſis in Creta reſpexit his verbis: πλοῦς δὲ εἰς Λιβύην ἐπὶ Χεῤῥονήσου τὰς ἁλιάδας τῶν Κυρηναίων, vt vir clariſſimus Iac. Gronouius, ſublata inciſione inepta, legendum eſſe docuit. Denique eſt *Axylis* κώμη ſeu vicus, vltimus locus Ptolemæi in Marmarica, a quo propriam incipit Cyrenaicam ſeu Pentapolim.

PARTIS I SECTIO II.

MARMARICA MEDITERRANEA.

IX.

Aegypto proximi olim ſub mari erant *Adyrmachidæ,* gens Libyca; poſt, Græcis occupantibus maritimam oram, in meridiem magis & ſuperiora repulſi. Herodotus lib. IV cap. CLXVIII Οἰκέουσι κατὰ τάδε Λίβυες ἀπ' Αἰγύπτου ἀρξάμενοι· πρῶτοι Ἀδυρμαχίδαι Λιβύων κατοίκηνται, οἳ νόμοισι μὲν τὰ πλέω Αἰγυπτίοισι χρέωνται· *Ab Aegypto Libyes colunt, & primi eorum*

ſunt

ſunt Adyrmachidæ, qui moribus vt plurimum vtuntur Aegyptiis. Et paucis interiectis: παρήκουσι δὲ οὗτοι οἱ Ἀδυρμαχίδαι ἀπ᾽ Αἰγύπτου μέχρι λιμένος, τῷ οὔνομα Πλυνός ἐστι. *Habitant autem hi Adyrmachidæ ab Aegypto vſque ad portum, cui nomen Plynos eſt.* * Hunc portum Scylax pluraliter Πλυνοὺς, *Plynos* vocat & dimidii diei nauigatione citra Petrantem magnum ponit: vt Ptolemæi Panormus eſſe videri poſſit. De Adyrmachidis autem idem Scylax: ἀπὸ τοῦ Κανωπικοῦ στόματος τοῦ Νείλου Ἀδυρμαχίδαι ἔθνος Λιβύων. *Poſt Canopicum Nili oſtium ſunt Adyrmachidæ, natio Libyca.* Quod ergo habitatio eorum per portus & oſtia deſcribitur, vtique maritimam oram coluiſſe neceſſe eſt. Ptolemæus autem ad interiora Adyrmachidas removit. In ſuo enim Libyæ nomo (quæ ipſa Adyrmachidarum ſedes eſt) in ſeptemtrionem verſus obſcura nomina ponit *Zigritas, Chartanos,* & *Zyges:* τὰ δὲ μεσημβρινὰ, *meridialia autem* dicit *Buzes* colere, & *Ogdæmos:* μεθ᾽ οὓς Ἀδυρμαχῖται, *poſt quos Adyrmachitæ.* Sic enim per τ ſcribit, ſed perperam; quum Herodotus & Scylax ac Plinius Δ habeant; & pænultima breuis ſit, quod Silius docet lib. III verſ. 278

- - - - *& falcatus ab arte*
Enſis Adyrmachidæ, ac læuo tegmine crure.

X.

Ptolemæi Adyrmachidis proximi ſunt *Ammonii:* quia illorum mentioni illico ſubiecit, εἶτα ἡ Ἀμμωνιακὴ χώρα, *deinde eſt Ammoniaca regio.* Sic regio vocatur, in qua Iouis Ammonis eſt oraculum. Athanaſius Apologia ad Conſtantium ſect. XXXII οἱ ἀπὸ τῆς Θηβαΐδος εἰς τὴν Ἀμμωνιακὴν τῆς Λιβύης ἀπεστάλησαν, *qui ex Thebaide erant, in Ammoniacam Libyæ relegati ſunt.* Qui incolunt regionem, dicuntur *Ammonii,* & ipſum hoc nomen ab Iouis eſt oraculo, quem Aegyptii *Ammûn* ſiue Ammonem vocant. Herodotus lib. II cap. XLII Ἀμμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία, *Ammûn Aegyptii Iouem vocant:* καὶ Ἀμμώνιοι ἀπὸ τοῦδε σφι τὴν ἐπωνυμίην ἐποιήσαντο. *& ab hoc* [Ammone Ioue] *Ammonii adpellationem ſibi fecerunt.* Idem lib. IV cap. CLXXXI πρῶτοι ἀπὸ Θηβέων διὰ δέκα ἡμερέων ὁδοῦ Ἀμμώνιοι, ἔχοντες τὸ ἱρὸν ἀπὸ τοῦ Θηβαιέως Διός. *Primi a Thebis* [Aegyptiis] *per decem dierum iter* [arenoſum] *ſunt Ammonii, habentes templum ad Thebani Iouis effigiem.* Vtrobique enim ſimulacrum Iouis dicit eſſe κριοπρόσωπον, *arietino vultu.*

XI.

In Ammoniaca regione Ptolemæo ſunt *Alexandri Caſtra,* & hinc in occaſum ὁ Ἄμμων πόλις, *vrbs Ammon.* Ceteri tantum templi & oraculi & fontis Solis mentionem habent, de quibus ſcriptores rerum Alexandri conſulantur. Arrianus lib. III cap. IV χῶρον, *locum,* non vrbem, vocat, in quo Ammonis templum ſit: iuxta quem κύκλῳ, *in circuitu* omnia vaſta & arenoſa ſint. Herodotus tamen de Ammoniis, quaſi de gente populoſa ſcribit, qui regem habuerint, ac bella cum aliis geſſerint: ex quo facile credas, nec oppida omnino, nec vicos illis defuiſſe: etſi certis ex plagis,

* Tzetzes ad Alexandr. Lycophr. verſ. 149 Τὸν ἐκ Πλυνοῦ) τὸν Μενέλεών τε, τὸν γεννηθέντα ἐκ τῆς ῥίζης τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων, οἵτινες ὑπῆρχον ἀπὸ Πλυνοῦ πόλεως Λιβύης, ὅθεν ἦν Ἄτλας.

vt Parætonio, vnde Alexander auſtrum verſus profectus eſt, forſan nihil niſi arenæ fuerint. Longitudinem loco Ptolemæus dat mediam inter Parætonii & Catabathmi magni: latitudinem XXVIII graduum. Plinius lib. V cap. IX a Memphi Ammonis oraculum duodecim dierum abeſſe itinere tradit: ibidemque etiam in Aegypti nomis *Hammoniacum* nomon recenſet, *tendentem ad Hammonis Iouis oraculum.* nam cum adſpiratione etiam illud Iouis cognomen ſcribitur. Hunc nomon credo adnumerarunt qui de Ammoniis, tamquam valida gente, prodiderunt. Sic autem ille ad Aegyptum pertinuit, vt Oaſitæ duo nomi, non proprie, ſed contributione, & quaſi pars regno Aegyptiorum adiecta. Propria autem Ammoniaca ſolitudines erant, in medio nemora amœniſſimis fontibus rigata. Diodorus Siculus lib. XVII cap. L rem planius enarrat; regionem, quæ fanum Ammonis contineat, includi vndique ſolitudinibus. Ipſam vero, quæ intra arenas ſit, fructiferis arboribus & dulcibus fontibus amœnam, κωμηδὸν, *vicatim* habitari: in medio eſſe ἀκρόπολιν τριπλοῖς ὠχυρωμένην τοῖς τείχεσι *arcem triplici muro firmatam.* Primam & intimam munitionem habere βασίλεια, *regiam:* alteri ineſſe γυναικωνῖτιν αὐλὴν, *gynæceum,* & liberorum agnatorumque domos; etiam τὸν τοῦ θεοῦ σηκὸν, καὶ τὴν ἱερὰν κρήνην, *dei fanum & ſacrum fontem,* vnde luſtrationem, quæ deo offeruntur, accipiant: extremam munitionem ſatellites & miniſtros continere. Hanc arcem & munimenta puto πόλιν, *vrbem,* Ptolemæi eſſe, quam *Ammonem,* communi cum deo nomine, adpellat.

2. Addit Diodorus; καθίδρυται δὲ τῆς ἀκροπόλεως ἐκτὸς οὐ μακρὰν ἕτερος ναὸς Ἄμμωνος, πολλοῖς καὶ μεγάλοις δένδροις σύσκιος. τούτου δὲ πλησίον ὑπάρχει κρήνη, διὰ τὸ συμβεβηκὸς ὀνομαζομένη ἡλίου κρήνη. ἄυτη δὲ τὸ ὕδωρ ἔχει συμμεταβαλλόμενον ἀεὶ ταῖς ἡμεριναῖς ὥραις παραδόξως. Hoc eſt: *Extra arcem haud longe inde poſitum eſt alterum Ammonis fanum, multis proceriſque arboribus inumbratum: & prope illud eſt fons, dictus ab eo, quod accidit, Fons Solis. aquam enim habet certis diei horis mirabiliter ſe variantem.* Dein mutationem ipſam per horarum interualla deſcribit perinde, ac Curtius lib. IV cap. VII, & Arrianus lib. III cap. IV, rigere circa meridiem: media nocte feruide exæſtuare: tepeſcere mane & ſub veſperam. Eadem Curtius refert de arce triplici muro circumdata: & de alio nemore cum Solis fonte, extra arcem: vt ita vel ex Diodoro ſua, vel vterque ex communi auctore hauſiſſe videatur.

3. Hæc de oraculi ſede & fonte ſolis ſufficiant. Vtrumque in Marmarica ſtatuimus loco antea monſtrato, nihil curantes qui diſſentiunt. Pomponius lib. I cap. VIII in Cyrenaica ponit, ſed laxe ſumta, quia ad Catabathmum illam improprie extendit. Plinius recte quidem oraculi ſedem conſtituit, vt vidimus ex lib. V cap. IX: in eo tamen deſerendus ille videtur, quod lib. II cap. CIII Solis fontem, per vicem aquas ſuas ita variantem, in Troglodytis ponit, niſi forſan alios Troglodytas, quam qui ad ſinum Arabicum ſunt, intelligat, quod minus explicate dictum eſſet, quum Arabici Troglo-

Troglodytæ notiſſimi ſint, & præcipue vocabulo hoc ſignificentur. Longius Lucanus abit, qui modo ad Syrtes Ammonem relegat, modo ad extremos mittit Garamantes. Lib. x enim verſu 38 ait:

Nec ſterilis Libye, nec Syrticus obſtitit Ammon.

at lib. ix verſ. 511 in alia & longe diuerſa plaga ponit:

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent: ſtat certior illic
Iuppiter, vt memorant, ſed non aut fulmina vibrans
Aut ſimilis noſtro; ſed tortis cornibus Ammon.

Iſ. Voſſius ad Melam legit ex MSS. *certior:* vulgo *corniger*, quod ſuperfluum, quia mox ſequitur *tortis cornibus Ammon.* eſt autem *certior* idem quod Melæ I cap. VIII *fidei inclitæ.*

4. Plura quæ circa Ammonem fuerint, non habemus referenda, quia Plinius nomon ſuum Hammoniacum nusquam expoſuit: Ptolemæus in Ammoniaca tantum duo loca ſignauit, Caſtra Alexandri, & oppidum Ammonem, de quibus ſupra diximus. Quæcumque fuerunt alia, obſcuriora fuiſſe neceſſe eſt. nam quum in cultioribus Ammonii *vicatim*, vt Curtius & Diodorus teſtantur, habitauerunt, quanto rarius peiusque in deſertis locis habitatum fuiſſe putabimus?

XII.

Reliqua Marmaricæ mediterranea ex ſola fide Ptolemæi pendent, cui in Libyæ, vt vocat, nomo, quæ Marmaricæ noſtræ pars orientalis eſt, inſunt ſupra Phœnicuntis portum *Pedonia*, dein *Pnigeus*, Straboni Πνιγεὺς κώμη, *Pnigeus vicus:* & hinc in auſtrum magis vergens *Climax*, & vlterius in *Ogdæmorum* gente Πέδνοπον, *Pednopum.* Ptolemæus etiam *Catabathmum paruum*, tamquam mediterraneum oppidum, inter Pedoniam & Pnigea occaſum verſus poſuit. Supra Parætonium & Apin, *Callii*, Καλλίυ, *Sophanis*, *Bibliaphorium*, *Scope.* Supra portum Selinuntem *Tiſarchi*, *Nemeſium*, *Philonis:* & hinc ad Catabathmum vsque gens *Zygritarum*, & oppida *Azicis* & *Tachorſa:* ac intus magis *Tuccitora:* vltra quos in meridiem Βουζεῖς, *Buzes* gens, in qua oppidum eſt *Thanuthis.*

XIII.

Inter Catabathmum & flumen, quod ex Paliuri palude delabitur, *Gaphara*, *Menelaus*, cuius portum ſupra deſcripſimus: & hinc in auſtrum, *Maſuchis*, *Tacaphuris:* & rurſus in occaſum *Leucæ camini*, & *Leucæ Napæ*, & hinc in hibernum occaſum *Abathuba:* propius flumen *Bocchyris* & *Maſadalis:* trans flumen in Pentapoleos confinio *Leucoa*, haud procul Dardani ſiue Darni.

XIV.

Inſulæ Marmaricæ, ab Aegypti limite ad Parætonium vsque, hæ memorantur a Ptolemæo; *Pedonia*, cuius nominis oppidum mediterraneum quoque ſupra adpoſuerat: Strabo autem tantum inſulæ meminit lib. XVII pag. 549 εἶτα, *deinde*, inquit, νῆσος Πηδονία λιμένα ἔχουσα· εἶτα Αντίφραι, *inſula*

 Pedo-

Pedonia: dein Antiphræ; hæ vero in litore continentis, quas ſitus inſulæ monſtrandi cauſſa adieci. Ptolemæus vocali longa ſcripſit Πηδωνία.

2. Poſt hanc ſunt occaſum verſus *Phocuſæ* duæ, quæ videntur Stephani *Phycuſſæ* eſſe. εἰσὶ καὶ Φυκοῦσσαι νῆσοι Λιβύης, *Sunt etiam*, inquit, *Phycuſſæ inſulæ in Libyco mari.*

3. Poſt has eſt *Aeneſippa*, quæ Straboni *Aeneſipaſta* dicitur: & contra Menelai portum *Tyndarii ſcopuli* tres, τρεῖς, ſecundum Ptolemæum: Strabo autem, Τυνδάρειοι σκόπελοι νησίδια τέτ]αρα ἔχοντα λιμένα, *Tyndarei ſcopuli, paruæ inſulæ quatuor, quæ portum habent.* Scylax ſine diphthongo ἐπὶ Τυνδαρέας σκοπέλους, *ad Tyndareos ſcopulos*, & ἀπὸ Τυνδαρέων σκοπέλων, *a ſcopulis Tyndareis.* Ptolemæus per iota ſcripſit Τυνδάριοι σκόπελοι, *Tyndarii ſcopuli.*

4. Contra Paliurum eſt Ἀηδωνίς, *Aëdonis* inſula, quæ Scylaci eſt Ἀηδωνία, *Aëdonia.* ſic enim legendum pro edito Αἰδωνία.

5. Adiungit Scylax inſulam Πλατεῖαν, *Platêam*, quam Herodotus lib. IV cap. CLI & CLVI ſcripſit Πλάταια, *Platæa.* Stephanus diſtinguit quidem, tamquam diuerſas Libyæ inſulas, ſi cum αι aut ει ſcribatur, iudice autem Holſtenio eſt eadem, quoquo modo ſcribatur, quia non alienum a Stephano, bis vnum locum ponere ac ſeparare, ſi diuerſo illum modo ſcriptum forte inuenerit. Situs autem huius inſulæ accuratius definiri non poteſt, quia Ptolemæus poſthabuit: vt vero ex Herodoto non obſcure adparet, * videtur potius Cyrenaicæ fuiſſe obiecta, quam regioni Marmaridarum.

PARTIS II SECTIO I.

CYRENAICA **

ET

PENTAPOLIS.

XV.

De Cyrenaicæ non vna notione, ſed abuſiua altera & impropria, ſupra initio huius Capitis II dictum eſt. Mittimus illos, qui ad Aegyptum vsque extendunt, & omnem includunt Marmaricam, quæ verius inde ſeparanda eſt, vt nos quoque ſeparatim expoſuimus. Patet autem a Cherſoneſo magna, aut proximo vico Axyli, vsque ad ſinum Syrtis magnæ, ſiue ad Philænorum aras. Sic Ptolemæus de propria Cyrenaica, quem explicatione ſequuturi ſumus. Plinius lib. V cap. V extremo, longius excedit, ortum verſus ad Catabathmum; ab occaſu ad Syrtem usque minorem. *Finis*, inquit, *Cyrenaicus Catabathmos adpellatur, oppidum & vallis repente conuexa. Ad eum terminum Cyrenaica Africæ a Syrti minore decies centena* LX *millia paſſuum in longitudine patet*; *in latitudine, qua cognitum eſt*, DCCC. In ortiuo termino plures conſentientes habet, ac ipſum Strabonem; in occiduo autem ſolitarius eſt, nec ſectatores facile, quod ſciamus, inuenit. Ita tamen libri habent, nec definita longitudo permittit *maiorem* legere.

XVI.

* In primis lib. IV c. 169, vbi Πλατέαν habet editio Camerarii.
** De Cyrenaicæ regionis natura Herodotus lib. IV cap. 199.

XVI.

Ptolemæo primum a Marmaricæ fine ſupra mare eſt oppidum, quod lib. IV cap. IV non eodem modo ſcriptum eſt. Pag. 113 *μέχρι Δαρνίδος πόλεως, vsque ad oppidum Darnidem,* quod recto caſu eſt Δαρνὶς, *Darnis :* at p. 114 in oppidorum relatione ſcriptum Δάρδανις, *Dardanis,* quod haud dubie corruptum, quia Ammianus lib. XXII cap. XL etiam *Darnis* ſcripſit, quum Libyæ Pentapoleos oppida enarrat. Inde vſque Nauſtathmum nihil memorabile Ptolemæo eſt, *Zephyrium* promontorium, ἄκρον; & *Cherſis*, κώμη, vicus: dein *Erythrum*, τόπος, locus: poſtea *Nauſtathmus*, portus. *Zephyrium* tamen non nudum promontorium eſt, ſed, vt Strabo lib. XVII pag. 576 tradit, πρόσορμον ἔχον, *ſtationem nauium habens.*

XVII.

Nauſtathmus autem nobilior, nec tantum λιμὴν, *portus,* vt Scylax & Ptolemæus vocant; ſed Strabo in ὀνομαζομένοις, *nobilioribus* locis Cyrenæorum recenſet. Mela autem in promontoriis cenſet lib. I cap. VIII. *In litore promontoria ſunt Zephyrion & Nauſtathmos, portus Parætonius. Vrbes Heſperis, Apollonia, Ptolemais, Arſinoe, atque, vnde terris nomen eſt, Cyrene.*

XVIII.

Deinde Scylaci eſt *Portus Cyrenes.* Ἀπὸ δὲ Ναυστάθμου εἰς λιμένα τὸν τῆς Κυρήνης, στάδια ρ'. *A Nauſtathmo ad portum Cyrenes, ſtadia centum.* Ptolemæus poſt Nauſtathmum proxime *Apolloniam* ponit, quam Strabo *Apolloniadem* dixit, & nauale Cyrenenſium. *Non longe,* inquit, *a Phycunte abeſt* τὸ τῶν Κυρηναίων ἐπίνειον ἡ Ἀπολλωνιὰς, ὅσον ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα σταδίοις, *Cyrenenſium nauale Apollonias, fere ad centum ſeptuaginta ſtadia.* Videtur ipſe portus eſſe Scylacis, quem octoginta ſtadiis a Cyrenis dicit abeſſe. Plinius autem, qui etiam *Apolloniam*, vt Ptolemæus, vocat, in quinque vrbibus inſignioribus, quæ Pentapolim Libyam conſtituunt, numerat, vt emporium potius cum ampliſſimo portu, quam nudum nauale fuiſſe veriſimile ſit. Ptolemæus eodem modo, vt Strabo; inter Phycuntem & Nauſtathmum: Κυρηναίων ἐπίνειον Ἀπολλωνία, *Cyrenæorum nauale Apollonia.* Diſtat a Phycunte XXIV millia paſſuum, auctore Plinio.

XIX.

Phycûs vero, Φυκοῦς, promontorium & oppidum in extremo regionis angulo, qui in Creticum mare recedit. Ptolemæus: Φυκοῦς ἄκρον καὶ χωρίον, *Phycûs, promontorium & oppidum.* Sic interpretor χωρίον, quod laxe ſignificat, quia Strabo de Phycunte: ἔστι καὶ πολίχνιον ὁμώνυμον τῇ ἄκρᾳ, *eſt etiam oppidulum eodem, quo promontorium nomine.* Promontorium ipſum dicit humile quidem eſſe, ſed maxime in ſeptemtrionem, præ ceteris illius oræ, procurrere. Plinius lib. V cap. V *Promontorium Phycûs per Creticum mare excurrit, diſtans* CCCL *M. paſſuum a Tænaro Laconicæ promontorio: a Creta vero ipſa* CXXV *millia. Poſt id Cyrene, a mari vndecim M. paſſuum. A Phycunte Apolloniam* XXIV *millia paſſuum.*

XX.

Poſt Phycuntem eſt Ptolemæo *Aptuchi fanum,* Ἀπτούχου ἱερόν. Scribi-

tur etiam *Aptungis*, & Auguſtino ſæpe memoratus *Felix* epiſcopus *Aptungenſis*, lib. II Retractat. cap. XXVII & XXXIV, & epiſt. CLII. In MSS. eſt *Aptugnenſis*, vt PP. Benedictini tradunt: nec vero dubium, quin Aptuchi fanum ſit. Hoc inter & Ptolemaida Ptolemæus oppidum *Auſigda* poſuit.

XXI.

Sequitur ergo *Ptolemais*, ante *Barce* dicta. Strabo lib. XVII pag. 575 εἶθ' ἡ Βάρκη πρότερον, νῦν δὲ Πτολεμαΐς, *Deinde eſt Barce, quæ poſtmodum Ptolemais dicta eſt.* Et Plinius lib. V cap. V *Deinde Ptolemais, antiquo nomine Barce.* Et Stephanus: Βάρκη πόλις Λιβύης, ἥτις καὶ Πτολεμαΐς, *Barce eſt vrbs Libyæ, quæ etiam Ptolemais vocatur.* Ptolemæus autem diſtinguit Barcen a Ptolemaide, illam in mediterraneis, hanc ad mare conſtituens. Quid ergo? Scylax pag. 109 oſtendit conciliationis modum. ἐκ δὲ λιμένος τῆς Κυρήνης μέχρι λιμένος τοῦ κατὰ Βάρκην, ςάδια φ', ἡ δὲ πόλις ἡ Βαρκέων ἀπὸ θαλάσσης ἀπέχει ςάδια ρ'. *A portu Cyrenes ad Barces portum ſtadia* IƆ: *Barcenſium autem vrbs abeſt a mari ſtadia centum.* Ptolemais ergo condita non eo loco, quo Barce fuit, ſed quo Barcæorum portus.

XXII.

Ptolemæo hinc proxima eſt *Arſinoe*, quæ & *Teuchira* dicitur. Ἀρσινόη, ἡ καὶ Τεύχειρα, *Arſinoe*, inquit, *quæ etiam Teuchira.* Et Strabo dicto loco: μετὰ δὲ Βερενίκην πόλις ἐςὶ Τεύχειρα, ἣν καὶ Ἀρσινόην καλοῦσιν, *Poſt Berenicen* (ſeptemtrionem verſus) *eſt vrbs Teuchira, quam & Arſinoen vocant.* Etiam Plinius dicto loco: *Arſinoe, Teuchira vocitata.* Teuchira vetus nomen: ſuperinductum in reginæ gratiam alterum. Poſteriores vetus reduxerunt, quod eſt in Peutingeriana & in Itinerario vetere. In Tabula eſt *Tauchira col.* id eſt colonia: in Itinerario veteri, *Teuchiram, Ptolemaidem.* Ceterum vox vetus ſcribitur *Teuchira* & *Tauchira*, Ταύχειρα: priori modo Strabo, Ptolemæus & Plinius vſi ſunt, vt vidimus: poſteriori Scylax, Stephanus, auctor Tabulæ Auguſtanæ.

XXIII.

Eodem Itinerario *Adriane* poſita inter Teuchiram & Berenicen: in Tabula dicta, *Hadrianopolis.* Mirum, a Ptolemæo prætermiſſam, qui tamen poſt Hadrianum ſcripſiſſe videtur, & ſi Suidæ credimus, ſub Marco Aurelio. Interim Ptolemæus *Lathonis* fluuii oſtia, Λάθωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, inter Berenicen & Arſinoen poſuit. Recentes autem tabulæ ſupra Berenicen, quæ nomen corrupte retinet, in auſtrum verſus hæc oſtia habent, quas etiam in noſtra imitati ſumus. Plinius etiam, cui *Lethon* hic amnis dicitur, ad ſuperiora referre videtur. *Nec procul*, inquit, *ante oppidum fluuius Lethon, lucus ſacer, vbi Heſperidum horti memorantur.* Oppidum intelligit Berenicen. Straboni fluuius eſt Λάδων, *Ladon* in editis: Λάθων autem legendum eſſe cum Caſaubono cenſemus, quod etiam vetus interpres *Lathon* expreſſit. Eſt & de exitu fluminis dubitatio, in quod ſe infundat, in mare an in lacum. Straboni eſt λιμὴν Ἑσπερίδων, *portus Heſperidum*, in quem Lathon effluit: vetus autem interpres iterum diſſentit, & quaſi λίμνη legerit, *lacus* vertit *Heſperidum.* Forſan lacus mari coniunctus eſt, vt per eum flumen exeat. Videant

ant quibus vel regionem cognoſcendi, vel inſpiciendi antiquos codices, facultas eſt.

XXIV.

Ipſa vrbs *Berenice* in promontorio ſita, quod Straboni dicitur Ψευδοπενιὰς, *Pſeudopenias.* Antiquum nomen, priusquam regium ex Aegypto adderetur, fuit *Heſperis* & *Heſperides.* Ptolemæus, Βερενίκη, ἡ καὶ Εσπερίδες, *Berenice, quæ & Heſperides.* Plinius lib. v cap. v *Berenice in Syrtis extimo cornu eſt, quondam vocata Heſperidum ſupradictarum, vagantibus Græciæ fabulis.* Scylax, qui ante noui nominis impoſitionem ſcripſit: Ταύχειρα. Καυκαλȣ κώμη, Εσπερίδες πόλις καὶ λιμὴν, καὶ ποταμὸς ἐπὶ τῇ πόλει Εκκειὸς, *Tauchira, Caucali vicus, Heſperides vrbs & portus, & fluuius circa vrbem Ecceus.* Lathonem adfluere vrbem, modo vidimus, qui an idem ſit qui Ecceus, equidem ignoro. Singulari numero vrbem Pomponius adpellauit lib. I cap. VIII *vrbes, Heſperis, Apollonia, Ptolemais, Arſinoe, atque (vnde terris nomen eſt) ipſa Cyrene.* Et Stephanus, Εσπερὶς, πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερονίκη, *Heſperis, vrbs Libyæ, quæ nunc Beronice dicitur.*

XXV.

Famoſi *horti Heſperidum* prope hanc vrbem & Lathonem fluuium a Plinio ponuntur lib. v cap. v. *Nec procul,* inquit, *ante oppidum fluuius Lethon, lucus ſacer, vbi Heſperidum horti memorantur.* Et Scylax in Cyrenaica: ἐνταῦθα ἐςὶν ὁ κῆπος (ſic cum Salmaſio legendum) τῶν Εσπερίδων, *ibi eſt hortus Heſperidum:* quem ita deſcribit, *eſſe locum profundum orgyis* XVIII, *præruptum vndique, qui nusquam deſcenſum habeat; duobus ſtadiis longum, totidem latum. Hortum eſſe opacum arboribus omnis generis. Loca circa hortum eſſe Ampelum, Apin, Zenertin, Tauchira, Heſperides vrbem.* Sed vagari fabulas Græcorum Plinius dixit, & alii hos hortos in Mauretania aut prope Atlantem poſuerunt, in quibus & Virgilius eſt lib. IV Aeneid. 480 ſeqq.

XXVI.

Hic finit Ptolemæus *Pentapolim:* reliqua hinc in auſtrum & occaſum vsque ad Philænorum aras ſita extra Pentapolim cenſet, non autem extra Cyrenaicam. Pentapolis autem, hactenus expoſita, a quinque vrbibus nomen habet, quas Plinius lib. v cap v nominatim recenſet. *Cyrenaica,* inquit, *eadem Pentapolitana regio, illuſtratur vrbibus maxime quinque Berenice, Arſinoe, Ptolemaide, Apollonia, ipſa Cyrene.* Ptolemæo autem Cyrenaica eſt amplior quam Pentapolis, quod nec Plinius negat, ſi de propria Pentapoli, & ſtrictim accepta, ſit quæſtio. Diſcriminis cauſſa ab Ioſepho de Bello lib. VI cap. XXXVIII p. 996 vocatur Πεντάπολις Λιβύη, *Pentapolis Libya:* quia etiam alibi regiones ex quinque præcipuis conſtantes vrbibus, Pentapoleos nomen habuerunt, vt in Palæſtina de Pentapoli ad Iordanem diximus. Concilio Epheſino pag. 100 memoratur Euoptius Πτολεμαΐδος τῆς Πενταπόλεως, *Ptolemaidis Pentapolitanæ* epiſcopus.

XXVII.

Poſt Berenicen Ptolemæo eſt Βρύων αἰγιαλὸς, *Bryorum litus; deinde* Βόρειον ἄκρον, τέλος τῆς Σύρτεως, *Boreum promontorium, Syrtis terminus.* Vetus

Itinerarium ſub Antonini nomine, *Boreum* habet, ſed a Berenice per CXXVI millia paſſuum in occidentem remotum, quod oportet aliud eſſe a Ptolemæi Boreo, niſi alterutrum auctorem enormiter a vero, quod vix credibile eſt, dicamus aberraſſe. Auctor tabularum Ptolemæi notione nominis, quod ſeptemtrionem ſonat, inductus, ad id figuram maris accommodauit, vt tam Berenicen quam Boreum promontorium in ſeptemtrione collocaret: at recentes omnes id mare aliter delineant, ſecundum quos Boreum in medio, non in ſummo litore, in ſeptemtrionem excurrente, propter vrbem Berenicen, cuius manet nomen, locandum eſt. Nomen, ſi genuinum eſt, aliam ob cauſſam impoſitum videtur, &, ſi quid iudico, propter Syrtem, cuius cornu, vt Plinius vocat, eo vsque ſeptemtrionem verſus procurrit: vnde etiam a Ptolemæo τέλος τῆς Σύρτεως, *finis Syrtis* maioris vocatum eſt. At Voſſius ad Melam Βρύων legit, quia ἐν Βρύων αἰγιαλῷ, *in Bryorum litore*: quo admiſſo, cadit omnis hæc diſputatio.

XXVIII.

Sequitur apud eundem Ptolemæum Διάχερσις Φρούριον, *Diacherſis caſtellum*: & deinde *Herculis turris*, πύργος: ac poſtea *Diarrhœa* portus: & *Maritimæ ſtationes*, ὕφαλοι ὅρμοι: *Drepanum* promontorium: poſt quod eſt Αὐτομάλαξ Φρούριον, *Automalax præſidium*, id eſt munitum oppidum aut caſtellum. Sic Ptolemæus ſcripſit: Stephano eſt Αὐτομάλακα, *Automalaca*, quaſi ex obliquo Ptolemæi formatum nomen: Straboni autem eſt Αὐτόμαλα, *Automala*, etiam Apollodoro apud Stephanum. De ſitu & munitione ita Strabo: εἶθ' οἱ Φιλαίνων βωμοί· καὶ μετὰ τούτους Αὐτόμαλα Φρούριον, φυλακὴν ἔχον, ἱδρυμένον κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ κόλπου παντός. *Deinde ſunt Philænorum aræ: & poſt has Automala munimentum, præſidium habens, ſitum in intimo receſſu totius ſinus.* In hoc finit Ptolemæus Cyrenaicam maritimam: aras Philænorum Africæ propriæ accenſet.

PARTIS II SECTIO II.

MEDITERRANEA CYRENAICAE.

XXIX.

Cyrenaicæ caput eſt vrbs mediterranea Κυρήνη, *Cyrene*, * a mari diſtans vndecim millibus paſſuum, vt Plinius refert lib. V cap. V. Straboni abeſt ab Apollonia nauali Cyrenæorum octoginta ſtadiis, qui πόλιν μεγάλην ἐν τραπεζοειδεῖ πεδίῳ κειμένην dicit, id eſt *vrbem magnam, in campo ſitam, qui menſæ figuram habeat.* De origine eius Herodotus multa lib. IV cap. CLV, ſed fabuloſe, nec perſpicue; & Iuſtinus lib. XIII cap. VII: clarior breuiorque Strabo lib. XVII p. 575 ἐστι Θηραίων κτίσμα Λακωνικῆς νήσου, *Eſt* [Cyrene] *a Theræis condita, qui Laconicæ inſulam Theram habitant.* Conditor *Battus* Theræus, vt idem Strabo tradidit: de quo multa Herodotus. Ab hoc Cyrenæi dicti *Battiadæ.* Silius lib. II verſ. 60

ini-

* De *Cyrene* diſſertationem conſcripſit V. C. Hardion dans les Memoires de litterature de l' Acad. Roïale, tom. IV p. 545. ſeqq.

- - - - - *iniquo ſole calentes*
Battiadas late imperio ſceptriſque regebat.

Quod autem Thera inſula Spartanorum erat, & Spartanos habebat colonos; ipſi Cyrenæi quoque dicuntur a Spartanis orti. Ioſephus lib. II de Bello Iud. cap. XXVIII Gr. Κυρηναῖοι τὸ Λακώνων γένος, *Cyrenæi genere Lacedæmonii.* Studiis autem a Spartanis differebant Cyrenæi, philoſophiæ dediti, vnde ſecta orta Cyrenaica, auctore Ariſtippo, cuius Cicero multam mentionem habet Acad. Quæſt. lib. IV cap. XXIV & XLII, Offic. lib. III cap. XXXIII & alibi; Strabo dicto loco p. 576.

XXX.

Altera inſignis ciuitas fuit *Barce,* * a Cyrene in occaſum ſita, portum habens ad mare Syrticum, vbi poſtea Ptolemais fuit condita. Supra diximus in maritimis, Strabonem, Plinium, Stephanum aberrare, qui Barcen putant ipſam eſſe Ptolemaidem: quæ Scylax & Ptolemæus diſtinguunt & ſeparant. Hinc *Barcæi* in Africa Virgilio laudati Aeneid. IV verſ. 41

- - - - - - *inhoſpita Syrtis,*
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcæi. **

Ptolemæo dicti *Barcitæ*, ab ortu Heſperidum hortorum habitantes.

XXXI.

Inter Ptolemaidem & Arſinoen intus ſita fuit *Neapolis*, Ptolemæo memorata, diſtinguenda ab eiusdem *Cænopoli*, quæ in eadem prouincia ad ortiuum limitem eſt poſita: licet idem vocabula ſignificent.

XXXII.

Cetera Ptolemæi minus ſunt cognita, ab ortu inter Darnidem & Cænopolim iam dictam *Hydrax:* in ſeptemtrione *Archile*, & *Xymethus:* hinc in auſtrum *Celida, Cænopolis* ſupra *Paliuri* paludem, vnde amnis eiusdem nominis effunditur: & hinc in occaſum *Thintis, Alibaca:* ſupra Thintin *Phalacra:* vlterius in auſtrum *Acabis, Auritina, Arimantos vicus, Philonis vicus:* inde in occaſum *Echinus* vicus; *Herculis arenoſi cumuli*, vnde *Lathon* fluuius oritur: & *Velpi* montes: propius mare & Syrtem *Maranthis* vicus.

XXXIII.

Heſperidum famoſi *horti* etiam in mediterraneis fuerunt, & a Ptolemæo in ortum vsque ad Barcitas extenduntur. Βαρκῖται ἀπὸ ἀνατολῶν τοῦ κήπου τῶν Ἑσπερίδων, *Barcitæ*, inquit, *ſunt ab oriente horti Heſperidum.* Sed de hoc ſupra diximus ad Berenicen, quæ etiam *Heſperis* dicta fuit.

XXXIV.

Populi Cyrenaicæ ſunt apud Ptolemæum *** obſcuri, ab ortu regio-

 nis

* Vid. Herodot. IV c. 160, qui docet, Barcen a fratribus eſſe conditam Arceſilai, qui filius erat Batti, Cyrenes conditoris.

** Barcæis ab Amaſi oppugnatis faber callide oſtendit, qua cuniculi agerentur. Aeneas Poliorcet. c. 37 pag. 1711. Βαρκαίους aliquoties nominat Polyænus Strateg. VII, 28, 1.

*** Ita ſcripſerat ſine dubio doctisſimus autor, non *Homerum*. Etiam paullo poſt *Ararauceles* & *Asbetæ* in meo Ptolemæi libro nominantur. Adde infra IV c. 3 §. 21.

nis *Arauracides*, & *Asbytæ:* * ab occaſu, *Macatutæ:* in medio *Barcitæ*, de quibus modo dictum eſt: in meridiana plaga *Pſylli*, medicandis ſerpentum morſibus celebres: quos Strabo lib. XVII p. 560 dicit τὺς Ψύλλυς τὺς πρὸς τῇ Κυρηναίᾳ, *Pſyllos, qui ad Cyrenæam habitant*, quaſi extra fines fuerint. Sed fuerint intra fines, vt Ptolemæus tradit, de illis, quæ Plinius refert lib. VII cap. II, repetimus, quæ partim confirmant Ptolemæum, partim mirabilia quædam de hoc populo narrant. *In Africa*, inquit, *gens Pſyllorum fuit, vt Agathargides ſcribit, a Pſyllo rege dicta, cuius ſepulcrum in parte Syrtium maiorum eſt. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, & cuius odore ſopirent eas.* ** - - - *Hæc gens ipſa quidem prope internecione ſublata eſt a Naſamonibus,* *** *qui nunc eas tenent ſedes: genus tamen hominum ex iis, qui profugerant, aut quum pugnatum abfuerant, hodieque remanent in paucis.* Quod de vi ingenita ſerpentibus inimica tradit, negat Cornelius Celſus lib. V cap. XXVIII ſect. 3, quem conſulas. Ex reliquiis gentis fuerunt etiam, quos Auguſtus Cleopatræ admouit, vt venenum exſugerent, ſi forſan ſerpentis morſu periiſſet.

XXXV.

Naſamones ſedem Pſyllorum occupaſſe non eſt improbabile, † quia prope Syrtes fuerunt, quarum prædatores erant famoſiſſimi. Silius Italicus lib. I verſ. 408

Et vaſtæ Naſamon populator Syrtis.

Et Lucanus lib. IX verſ. 439 - - - *herbas,*

Quas Naſamon, gens dura, legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. nam litoreis populator arenis
Imminet, & nulla portus tangente carina,
Nouit opes. Sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Naſamones habent.

Ptolemæus *Naſamones* in Marmarica lib. IV cap. V cenſet, cui nolim ſubſcribere, propter dictas Syrtium prædationes: nec licet inter ſedem illorum veterem & nouam Pſyllis ademtam diſtinguere, de quo bello ſupra ex Plinio relatum fuit; quia Ptolemæus non priſcam, ſed ſui temporis geographiam perſequitur. Contra Strabo lib. XVII p. 576 tam Pſyllos quam Naſamones videtur a Cyrenaica in occaſum reduxiſſe, & ſub Syrtium collocaſſe regione. Τὴν δ' ὑπερκειμένην, inquit, ἐν βάθει χώραν τῆς Σύρτεως καὶ τῆς Κυρηναίας κατέχυσιν οἱ Λίβυες, παράλυπρον καὶ αὐχμηράν· πρῶτον μὲν οἱ Νασαμῶνες, ἔπειτα Ψύλλοι καί τινες Γαιτῦλοι, ἔπειτα Γαράμαντες, *Syrtis & Cyrenaicæ ſuperne incumbentem regionem Libyes obtinent, ſterilem ſane & aridam, primi Naſamones, poſtea Pſylli & Gætulorum pars, & Garamantes.*

XXXVI.

* Hi ſunt quos *Asbyſtas* adpellat Herodotus libr. IV c. 169 & 170. Adde quæ ſupra ad libr. IV c. 2 §. 1 diximus. *Asbyſtas* etiam Dionyſius Perieg. v. 211 memorat.

** Adde, ſis, Varronem apud Priſcianum libr. X pag. 400.

*** Vento noto. Herodot. IV c. 173. *Notus* ventus eos obruit arena. In eorum locum deinde ſucceſſere Naſamones.

† Præſertim Herodoto diſerte adfirmante libr. IV c. 173.

XXXVI.

Antequam decedamus ex Cyrenaica, de Romanorum ibi prouincia disquirendum eſt. Libera primum fuit Cyrene, quum de limite cum Carthaginienſibus certauit, de quo bello Salluſtius Iugurth. cap. LXXIX agit. A Ptolemæo primo victi Cyrenenſes, Aegyptiaco regno acceſſionem amplam dederunt, de quo Diodorus Siculus lib. XVIII cap. XXI & Iuſtinus lib. XIII cap. VI. Inde per regum fratres aut agnatos adminiſtrata, e quibus Ptolemæus Apion fuit, qui inuidens Aegyptiis Romanos heredes ſcripſit. Hoc quo anno factum, Iulius Obſequens cap. CIX prodidit. Nec vero Romani tum prouinciam fecerunt, ſed libertatem ciuitatibus dederunt, vt Liuius epit. LXX refert; qua a tyrannis oppreſſa, Romani ſibi vindicarunt & in formam redegerunt prouinciæ, quod belli Cretici tempore factum, ex Eutropii lib. VI cap. IX manifeſtum eſt. Coniuncta hæc prouincia cum inſula Creta fuit. Strabo pag. 576 *νῦν ἐςὶν ἐπαρχία τῇ Κρήτῃ συνεζευγμένη*, *nunc eſt* [Cyrenaica] *prouincia Cretæ coniuncta.* Et quum, breui poſt, extremo opere, prætorias prouincias enumerat, octauam facit *τὴν Κρήτην μετὰ τῆς Κυρηναίας*, *Cretam cum Cyrenaica.*

XXXVII.

Hæc ſimplex enarratio de Cyrenaica. Sunt qui duas ibi prouincias faciant diuerſo tempore adquiſitas, Cyrenaicam teſtamento Ptolemæi: Libyam, Apionis. Sextus Rufus cap. XIII *Cyrenas cum ceteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate ſuſcepimus: Libyam, ſupremo Apionis regis arbitrio ſumus adſequuti.* Huius veſtigia preſſit Ammianus lib. XXII extremo, qui Libyam illam Apionis *Libyam aridam* vocat; & Hieronymus in Chronico. At vero Eutropius, quem Rufus ſequutus eſt, lib. VI cap. IX tantum vnum Ptolemæum, cognomento Apionem, quod Liuii epitoma eſt additum, & vnam hereditatem memorauit: Rufus autem, cum ſequacibus, deceptus fuit tempore, quod alio Ptolemæus Apion eſt mortuus, alio poſt Cyrenaica facta eſt prouincia, non animaduertens ex Liuii epitoma, *αὐτονομίαν* ſeu ciuitatum libertatem interueniſſe. Vbi autem illa *Libya arida* ſit, ab ortu an meridie Cyrenaicæ, non liquidum eſt vt definiatur; * hoc autem certum, fuiſſe in ipſa prouincia Cyrenaica, quam longe in auſtrum Ptolemæus extendit. Vnus autem Ptolemæus cognomento Apion fuit, qui Cyrenaicam & quod ei coniunctum fuit, Romanis teſtamento legauit. Vide quæ Henricus Valeſius ad Ammianum Marcellinum lib. XXII extrem. & nos ad Sexti Rufi cap. XIII de hac re notauimus.

XXXVIII.

Inſulæ ad Cyrenaicam Ptolemæo duæ ſunt, *Myrmex* e regione Ptolemaidis, & *Læa,* quæ & *Veneris inſula* dicitur, obiecta Apolloniæ. Hæc Scylacis eſt *Ἀφροδιτιὰς* ** *νῆσος ὕφορμος*, *Aphrodiſias inſula, habens nauium ſtationem.*

* Vid. tamen Marcellin. XXII pag. 153, 155.

** Herodot. IV pag. 169 etiam meminit Aphrodiſiadis.

nem. Nam & Ptolemæus dixit Λεαὰ ἡ Ἀφροδίτης νῆσος, *Læa, quæ & Veneris inſula.*

CAPVT III
DE
REGIONE SYRTICA.

I.

PLinius lib. v cap. iv memorat *regionem, quæ duas Syrtes interiacet*: addo, quæ non modo inter Syrtes, verum etiam ſuper ipſas ſita eſt. Separatum caput ex illa facio, quamuis Pomponius lib. i cap. vii, & Ptolemæus lib. v cap. iii Africæ Propriæ attribuant, quam inde a Cyrenaica in Mauretaniam ferme extendunt. Nos diſtinctius agemus, & in partes diuidemus, vt confuſio euitetur. Poſteriori æuo etiam ſeparata a ceteris fuit, & per ſe prouinciam conſtituit præſidalem, quæ *Tripolitana*, a tribus maioribus, quas continebat, vrbibus fuit adpellata.

II.

Quod vero a *Syrtibus* hæc regio nominatur, de iis ante omnia nobis dicendum eſt. Plinius lib. v cap. iv *Tertius ſinus diuiditur in geminos duarum Syrtium, vadoſo ac reciproco mari diros.* Non enim tantum vada ſunt & breuia, ſed reciprocos etiam æſtus habent, quibus in vada naues attrahantur. Vnde etiam nomen ipſis a σύρειν, *trahendo*, eſt. Duæ ſunt autem Syrtes, Maior ad Cyrenaicam; Minor, ad Byzacenam. Pomponius Mela lib. i cap. vii, ab occaſu in ortum procedens, de vtraque præclare: *Syrti ſinus eſt centum fere millia paſſuum, qua mare accipit, patens: trecenta, qua cingit. Verum importuoſus atque atrox, & ob vadorum frequentium breuia, magisque etiam ob alternos motus pelagi adfluentis & refluentis infeſtus.* Hæc de minore Syrti & occidentali. Poſt, explicatis quæ interiacent, de maiore ita: *Tum Leptis altera* [magna,] *& Syrtis, nomine atque ingenio par priori: ceterum altero fere ſpatio qua dehiſcit, quaque flexum agit, amplior.* Strabo quoque lib. ii pag. 84 Syrtin minorem a maiore diſtinguit, illam ad Meningem & Cercinam inſulas ſtatuens; maiorem ad Heſperides & Automala. Frequens earum apud poetas vtroque numero eſt mentio. Virgilius Aeneid. i verſ. 110

- - - - Tres Eurus ab alto
In breuia & Syrtes vrget, miſerabile viſu,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Et lib. iv verſ. 41 *inhoſpita Syrtis.* Et Lucanus lib. i verſ. 367 ſecundo caſu

- - - - per inhoſpita Syrtis
Litora, per calidas Libyæ ſitientis arenas.

Idem lib. viii verſ. 184

- - - in medio tanget ratis æquore Syrtim.

Nec terram tantum Syrtes denominant, ſed ipſum quoque mare, in quo ſunt; & populos accolentes. Seneca de Beata Vita cap. xiv *Deprehenſi*

mari

mari Syrtico, modo in ſicco relinquuntur, modo torrente vnda fluctuantur. Et epiſtola XC idem: *Quid ergo? non in defoſſo latent Syrticæ gentes? quibus propter nimios ſolis ardores nullum tegmentum ſatis repellendis ſolidum eſt, niſi ipſa arens humus.*

III.

Quod vero ex Aſia in Africam progreſſi ab oriente in occidentem iter facimus, a Cyrenaicæ limite, in quo deſiit ſuperius caput, per litus procedimus, quod ſupra Syrtim maiorem eſt, vſque ad Cinyphum fluvium. Primo occurrunt apud Strabonem p. 575 *Philænorum aræ.* Poſt Characis enim deſcriptionem [nam ab occaſu it ortum verſus] tradit: εἶθ' οἱ Φιλαίνων βωμοί· καὶ μετὰ τούτους Αὐτόμαλα φρούριον, *Deinde ſunt Philænorum aræ: & poſt hos caſtellum Automala.* Et Ptolemæus quoque ſuæ propriæ Africæ, quam cum Cyrenaica connectit, eumdem finem poſuit: Φιλαίνου κώμη, ὑφ' ἣν οἱ ὁμώνυμοι βωμοὶ, ὅριον Ἀφρικῆς, *Philæni villa, ſub qua Aræ eiuſdem nominis, terminus Africæ.* Villam dicit, quia nomen loco hæſit, quamuis aras tempus deleuerat. Strabo lib. III pag. 118 teſtis eſt: οὐ νῦν οἱ Φιλαίνων μένουσι βωμοὶ, ἀλλ' ὁ τόπος μετείληφε τὴν προσηγορίαν, *neque hodie Philænorum aræ exſtant, ſed locus id nominis retinet.* Plinius & Pomponius Mela etiam ſupra Syrtim maiorem has aras poſuere: at in Peutingeriana tabula vetuſta reductæ hæ aræ ſunt fere ad minorem Syrtim, vt dubitare poſſis de ſitu & poſitione ex tot auctoribus iam deſcripta: quæ ſi vera eſt, nimis manifeſtus dolus Philænorum fuit, qui, ſi pactis de die ſtetiſſent, quo exirent, tantum ſpatii nequaquam conficere potuiſſent. Quod etiam Valerius Maximus lib. V cap. VI agnouit, *hoc pactum,* dicens, *Carthaginienſium duos fratres, nomine Philænos, perfidia præcurriſſe, citra conſtitutam horam maturato greſſu in longius promotis terminis.* Quod ſi fuit, conſenſui Græcorum Latinorumque concedimus, ad illas Aras vſque Carthaginienſium fines hoc pacto fuiſſe propagatos. Aras vero memoriæ horum fratrum Carthaginienſes conſecrauere, quia, ne de limite cederent patriæ, viuos ſe ibi obrui ex nouo pacto pertulerunt. Vide Salluſt. Iug. cap. LXXIX, Melam lib. I cap. VII, & Valer. Max. loco iam citato. Ceterum quæ hi auctores de prolatis Carthaginienſium finibus ad hunc terminum tradiderunt, non ita conſtanter ſeruata ſunt, ſed Ptolemæus Aegyptius Cyrenaicæ fines ad Turrim Euphrantam protulit. Strabo lib. XVII pag. 575 συνεχὴς ὁ Εὐφράντας πύργος ἐστὶν, ὅριον τῆς πρότερον Καρχηδονίας γῆς καὶ τῆς Κυρηναίας τῆς ὑπὸ Πτολεμαίῳ. *Proxima eſt* [loco Aſpidi] *Turris Euphrantas, Carthaginienſis quondam regionis & Cyrenaicæ ſub Ptolemæo finis.* Interiacet apud Strabonem *Charax* emporium: plura apud Ptolemæum.

IV.

Hic enim poſt Philænorum aras occaſum verſus habet *Hippu* promontorium, id eſt Equi: dein *Oeſporin* vicum: tum ſequitur Φάραξ κώμη, *Pharax* vicus, qui haud dubie eſt Strabonis τόπος καλούμενος Χάραξ, *locus qui Charax vocatur,* quo Carthaginienſes pro emporio vtebantur, vinum eo ferentes; referentes ſilphium & alias merces Cyrenenſium. Ab hoc

eſt

eſt *Turris Euphranta* proxima, tam Ptolemæo, quam Straboni. Illi eſt πύργος Εὐφράντα, huic in MSS. ὁ Εὐφράντας πύργος; in vulgatis ὁ Εὐφράτης, praue. Dictum ſupra, terminum fuiſſe Cyrenenſis prouinciæ ſub Ptolemæo. Sequitur apud Strabonem τόπος Ἀσπὶς καὶ λιμὴν κάλλιςος τῶν ἐν τῇ Σύρτει, *locus Aſpis, qui optimum portum ex iis habet, qui ad Syrtim ſunt.* Meminit & Ptolemæus, ſed vicum *Sacamazam* interiicit: & vltra Aſpidem alium vicum ponit, qui in Palatino codice *Macuma* vocatur, in quo finit Syrtim maiorem: Strabo autem in promontorio cui *Cephalarum* nomen eſt: de quo mox dicemus. Idem lacum habet ad Aſpidem cum inſulis, ex quo in Syrtim ipſam nauigetur. Hominum enim ait audaciam non vereri etiam Syrtim nauigando tentare.

V.

Extra Syrtim Ptolemæo; intra illam, ſed extremam Straboni eſt promontorium Κεφαλαὶ, id eſt *Capita*, quod interpretes *Cephalas*, retento Græco nomine, dixerunt, tam Strabonis quam Ptolemæi. Hujus dein eſt Τριήρων ἄκρον, *Trierorum promontorium:* poſtea *Ciſternæ* ſiue *Cinſternæ* oppidum, & aliud *Barathia:* tum ſunt *Cinyphi* fluuii oſtia: Strabo autem ante oſtia τείχισμα, *munimentum* habet, quod Carthaginienſes condiderunt, cum pontibus, quibus βάραθρα, *voragines* eius loci transmittantur. Ipſum flumen Κίνυφος, *Cinyphus* recto caſu Ptolemæo & Straboni dicitur: Herodoto lib. IV cap. CLXXV Κίνυψ, qui ex *Charitum* monte ait oriri, & per *Macas* * populos delabi in mare: Plinio lib. V cap. IV etiam *Cinyps*, qui & regionem deinde denominat. *Cinyps*, inquit, *fluuius & regio.* **

VI.

Hæc ex Strabone & Ptolemæo in litore vſque ad Cinyphum fluuium: a quibus diuerſa plane videntur quæ in veteri Itinerario & Auguſtana Tabula leguntur, vt difficilis admodum ſit conciliatio. Quia poſt Cinyphum Ptolemæo eſt proxima Leptis magna, quæ inter hanc & Berenicen Cyrenaicæ in Itinerario ſunt, excerpemus, vt adpareat, quam alia & diuerſa ab iis ſint nomina, quæ ex Ptolemæo & Strabone adhuc tradidimus.

Lepti magna colonia			
Seggera	M.	P.	XX
Berge	M.	P.	XXIIII
Baſe	M.	P.	XXV
Thebunte	M.	P.	XXX
Auxiqua	M.	P.	XXX
Anneſel	M.	P.	XXX
Auziu	M.	P.	XVIII
Stixgi	M.	P.	XXV
Macomades Syrtis	M.	P.	XXX

Scina

* Vide Diodor. Siculum III pag. 182.

** Nonnus Dionyſ. XIII verſ. 374 p. 372

Οἵτε ῥόον χρεμέτασο καὶ οἱ παρὰ Κίνυφας ὕδωρ
Ὤκεον ἀξαλέης ψαμαθώδεα πέζαν ἀρούρης
Αὐχῆται Βάκαλές τε συνήλυθες.

Scina	M.	P.	XXX
Tramaricium	M.	P.	XXXI
Aubereum	M.	P.	XXV
Digdica	M.	P.	XXIIII
Tugulus	M.	P.	XXIIII
Banadedari	M.	P.	XXV
Anabucis	M.	P.	XXV
Tiniodiri	M.	P.	XXV
Boreum	M.	P.	XII
Tincauſari	M.	P.	XXIIII
Attici	M.	P.	XXV
Chorotum	M.	P.	XXV
Caminos	M.	P.	XXII
Beronicem	M.	P.	XXX.

Vides inter Leptim & Berenicen ignota veteribus nomina, quum tamen ex ſequentibus conſtet, etiam ex Peutingerorum Tabula, in litore hoc iter factum fuiſſe. Nec cum Tabula illa, quæ eiusdem forte ætatis eſt, niſi in paucis, conuenit, quæ litteris quidem non nullis diſcrepant, vt tamen loca eadem eſſe non dubitetur.

Itinerarii	*Tabulæ*
Macomades Syrtis	Macomada
Digdica	Digida
Tugulus	Tagulis
Anabucis	Anabucis.

Inter vltima, *Tagulis* & *Anabucis* in Tabula interpoſitæ ſunt *Aræ Philænorum*, quo medio loco in Itinerario eſt *Banadedari*, manſio, vt puto, ſeu diuerſorium. Supra in Philænorum aris de Tabulæ, quam habet, poſitione dubitaui, quod recte attendenti non de ipſo ſitu locorum, quam de adpicta maris figura intelligendum eſt, quæ locis per milliaria diuiſis non reſpondet, & Syrtis minor plane alieno loco eſt adſcripta. In noſtra Africæ propriæ tabella etiam ex Itinerario quædam complendi ſpatii cauſſa adpoſuimus, verbi gratia *Macomedem Syrtis* ad flumen Cinyphum paullo ſupra mare, quia in Peutingeriana ſic poſitam ad flumen inuenimus: vnde reliquorum proportio nobis deſumta fuit. Atque hæc de maritima ora inter Cyrenaicam & Cinyphum fluuium: ſequitur nunc oræ expoſitio, quæ inter Cinyphum eſt & Tritonem amnem.

VII.

In hoc tractu autem poſt Cinyphum fluuium prima Ptolemæo eſt Νεάπολις, *Neapolis*, de qua in editis exſtat, ἡ καὶ Τρίπολις, *quæ etiam Tripolis vocatur:* in Palatino autem codice nihil de Tripoli legitur, ſed ἡ καὶ Λέπτις μεγάλη, *quæ* [Neapolis] *etiam Leptis magna dicitur.* Recte. nam etiam Strabo lib. XVII pag. 574 Νεάπολις, ἣν καὶ Λέπτιν καλοῦσι, *Neapolis, quam etiam Leptim vocant.* Poſuit inter Abrotonum vrbem & Cinyphum fluvium. Nec Tripolis quæ hodie eſt, aut etiam quæ Tripoli Vecchio di-

citur, nunc diruta, tam propinqua Cinypho eſt, quam Leptis eſt magna, ſed vtraque in occaſum longius reducta. Et ſi vulgata lectio Ptolemæi vera eſſet, quis credet, Leptis magnæ, præclaræ vrbis, cuius etiam poſteriores in Itinerario & Auguſtana tabula mentionem faciunt, nullam habuiſſe rationem? Expedita ſic res eſſet, niſi Plinius turbaret, lib. v cap. IV Neapolim diſtinguens a Lepti magna. *Litore*, inquit, *inter duas Syrtes* CCL *millia paſſuum. Ibi ciuitas Oeenſis, Cinyps fluuius ac regio. Oppida, Neapolis, Gaphara, Abrotonum, Leptis altera, quæ cognominatur magna.* Io. Harduinus Plinium & Straboni & Ptolemæo præferendum cenſet, quem putat ex Pomponio Mela illud hauſiſſe. Hauſit, credo, ſed ex fonte turbatiore hac in parte, quia omnia commiſcet, *Hadrumetum, Leptim, Clupeam, Abrotonum, Taphruren, Neapolim.* Quis ex hoc ordine aliquid ſani & certi poſſit colligere, vbi Clupea & Abrotonum, disiunctiſſima ſane, coniunguntur? quis non potius & Neapolim & Leptim, quæ circa Clupeam & Hadrumetum ſunt, intelliget? Itaque firmiora ſint, quam hæc Melæ aut Plinii, quæ conſentientes geographos de ſententia ſua deturbent. Vndeunde eſt nomen Neapoleos, non tamen Lepti magnæ hæſit, ſed alterum nomen in Itinerariis medii æui, in Eccleſiæ Notitiis & geographia Rauennatis reductum legitur, neque ſeparatum a Lepti vſquam in hoc tractu conſpicitur. Nec in nummis aliter quam Leptis vocatur. Tiberii nummus apud Harduinum, Græce ΛΕΠΤΙΣ, Alius apud eumdem, COL. VIC. IVL. LEP. id eſt, *Colonia victrix Iulia Leptis.* Coloniam fuiſſe etiam Itinerario Antonini & Peutingeriana tabula confirmatur. Condita Leptis a Phœnicibus, vt Salluſt. Iug. cap. XIX, hisque vel Sidoniis, ibidem cap. LXXVIII, vel Tyriis, vt Plinius tradit lib. v cap. XIX. Incolæ *Leptitani,* Sall. cap. LXXVII, amici Romanorum in Iugurthino bello. Adde Cæſaris lib. II Civ. cap. XXXVIII.

VIII.

De *Neapoli* aliquid addendum eſt. Non nouum illud nomen fuit, ſed a Scylace etiam memoratum in Naſamonibus & Lotophagis, vbi vocat Νεάπολιν τὴν Καρχηδονίων, *Neapolim Carthaginienſium.* Ephoro auctore Stephanus Abrotonum, quod mox ſequetur, Neapolim dictam refert: ſed diſtinguunt ab Abrotono Scylax, Strabo, Plinius. Ipſe Scylax ſuam Neapolim eo locauit ordine, vt alia non poſſit eſſe quam Leptis magna. A Cinyphe enim fluuio proximam habet Neapolim: deinde Garapham: tandem Abrotonum: Leptim non memorat.

IX.

Quæ in noſtra tabula inter Leptim & Cinyphum poſuimus, ex Itinerario Antonini ſunt, *Berge, Auxiqua, Auziu;* quorum poſtremum videri poteſt Ptolemæi *Azuis* eſſe, ſed is citra flumen poſuit, etiam intus in mediterraneis inter Barathiam & Ciſternas: Itinerarii autem via eſt maritima.

X.

Poſt Leptim Ptolemæo eſt portus *Garapha,* Γαράφα λιμὴν, quod clariſſimi

ſiſſimi viri Io. Harduinus ad Plinium, & Io. Hudſon ad Scylacem *Gaphara*, Γαφάρα legendum cenſent: quia Scylacis eſt hoc loco Γράφαρα πόλις, *oppidum Graphara*, quo cum Ptolemæi Garapha collato, putant in altero litteram eſſe ſuperfluam, in altero litterarum transpoſitionem. In Plinii libris inter huius oræ oppida *Taphra* eſt, quale nullum aliis viſum in Africa: ideoque Harduinus *Gaphara*, ex Scylace & Ptolemæo inter ſe collatis & emendatis, ſubſtituit.

XI.

Strabo, qui Gapharam prætermiſit, poſt Leptim habet Ἀβρότονον πόλιν, oppidum *Abrotonum*, quod etiam Plinii eſt & Stephani. Scylax etiam ſitum definit: ἀπὸ Νεαπόλεως τῆς Καρχηδονίων χώρας Γράφαρα πόλις. ταύτῃ παράπλους ἡμέρας μιᾶς ἀπὸ Νέας πόλεως. ἀπὸ δὲ Γραφάρων Ἀβρότονον πόλις καὶ λιμήν. ταύτης ὁ παράπλους ἡμέρας μιᾶς. *Poſt Neapolim in Carthaginienſium tractu eſt Graphara* [Gaphara] *vrbs. Eo nauigatur a Neapoli ſpatio diei. A Grapharis eſt Abrotonum ciuitas cum portus: huius præteruectio diei vnius.*

XII.

Apud Ptolemæum, qui Abrotonum poſthabuit, a Garaphis ſeu Gapharis eſt proxima Ἑώα, *Eoa*, vitioſe pro *Oea*, vt Mela ſcripſit & Aethicus Coſmographus; ſeu *Oeenſis ciuitas*, vt Plinius lib. v cap. iv. Itinerario eſt *Oeea colonia:* Peutingeri Tabulæ *Oſa col.* corrupte. Hæc vna ex tribus, quæ Tripolim Africanam conſtituebant. Solinus cap. xxvii *Achæi Tripolin lingua ſua ſignant de trium vrbium numero, Oeæ, Sabratæ, Leptis magnæ.* Multa huius vrbis mentio in Apuleii Apologia habetur. Harduinus, ſagax nummorum interpres, ad eam refert Antonini Pii nummum his notulis ſignatum, C. A. O. A. F. quod legit, *Colonia Aelia Oea Auguſta Felix.*

XIII.

Hinc Itinerarii eſt *Sabrata colonia*, quam modo etiam Solinus nominauerat. Ptolemæus huius nominis vrbem intus poſuit: in ora *Sabathra*, quod idem credas eſſe oppidum. Plinius lib. v cap. iv *Sabrata contingens Syrtim minorem:* puta ab oriente; aut prope illam eſt. In Tripolitanæ epiſcopis apud Sirmondum eſt *Leo Sabratenſis.* Procopius lib. vi περὶ κτισμάτων cap. iv ſcripſit *Sabaratha.* Σαβαραθὰν ἐτειχίσατο πόλιν, *Sabaratham vrbem* [Iuſtinianus] *muniuit.* Salmaſius etiam vindicat *Sabratæ* nomen Apuleio Apologia, vbi *fabram technam* alii legunt.

XIV.

Itinerarium deinde habet occaſum verſus *Caſas villam Aniciorum, Fiſida* vicum, qui videtur Ptolemæi *Piſidon* portus, licet hic inter Sabathram & Oeam ſeu, vt ipſe ſcripſit, Eoam poſuerit. Poſtea eodem Itinerario eſt *Villa magna.* Sed antequam in hoc itinere progrediamur, Strabonis Ζοῦχις, *Zuchis*, lacus eſt vrbs, non eſt prætereunda, quam dicit μετὰ τὴν Σύρτιν, *poſt Syrtim* minorem ad ortum verſus ſitam eſſe. Habet oppidum πορφυροβαφεῖα καὶ ταριχείας παντοδαπάς, *purpuræ infecturas & omnis generis ſalſamenta.*

XV.

Itinerarii autem Antoniniani poſt Villam magnam ſunt *Pontezinta* municipium, ſiue, vt Aldus & Simlerus ediderunt, *Pontezita*, quod forte Ptolemæi ζῆθα, *Zetha*, promontorium eſt: deinde *Giti* ſiue *Gitti*, municipium aliud, quod videtur Ptolemæi Γιχθὶς, *Gichthis*, aut Procopii Γιργις, *Girgis* eſſe: de qua hic lib. VI de Aedific. cap. IV πόλεις δύο εἰσὶ ταύτης ἐν ἐχάτῳ τῆς χώρας, Τακαπά τε καὶ Γίργις· ὧν δὴ κατὰ μέσον Σύρτεις τὰς μικρὰς ξυμβαίνει εἶναι· *Duæ vrbes in extremo huius regionis ſunt, Tacapa & Girgis: quæ inter Syrtes minores iacent.* Situs conuenit cum Gitti & Gichthi: an eadem Girgis ſit, non definio: nec vero ignota variatio litterarum in hiſce monumentis. Ptolemæus inter Sabathram ſuam & Gichthin *Hedaphtha* interpoſuit, quam πόλιν κατὰ τὸ πέρας, *vrbem iuxta terminum* dixit.

XVI.

Tandem *Tacape* ſuccedit, vltima huius oræ ante Tritonem fluuium. Plinius lib. V cap. IV poſt Byzacii vrbes recenſitas: *inde Thenæ, Macomades, Tacape.* Ptolemæus Τακάπη, *Tacape*; Procopius iam dicto loco Τάκαπα, *Tacapa*, pluraliter, vt lex XXXIII Cod. Theod. de Appellationibus accepta dicitur *Tacapis.* Vnde Iacobus Gothofredus metropolin Tripolitanæ & præſidis ſedem fuiſſe exiſtimat, præſertim quod etiam itinera in Antonini Itinerario eo diriguntur, a *Tapacis* Leptim magnam, & a Telepte *Tacapas:* quod & aliam formam arguit, *Tacapæ* in recto. An vero ſemper metropolis fuerit, dubitatur, quia Notitia Tripolitanæ Sirmondi Leptimagnenſem epiſcopum Calipedem primo loco habet; vltimo Seruilium Tacapitanum: & Procopius lib. II Vandal. cap. XXI præſidem ſub Iuſtiniano Λεπτιμάγναν, *Leptimagnam tradit incoluiſſe.*

XVII.

Triton fluuius finit Tripolitanam, de quo Mela lib. I cap. VII *Super hunc* [ſinum Syrtis minoris] *ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: vnde & Mineruæ nomen inditum eſt, vt incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant.* Et Plinius lib. V cap. IV *Ab his non procul a continente palus vaſta amnem Tritonem nomenque ab eo accipit, Pallantias adpellata Callimacho, & citra minorem Syrtim eſſe dicta: a multis vero inter duas Syrtes.* Herodotus quoque lib. IV cap. CLXXVIII *Lotophagis ſecundum mare vicini ſunt Machlyes, loto & ipſi veſcentes.* κατήκουσι δὲ ἐπὶ ποταμὸν μέγαν, τῷ οὔνομα Τρίτων ἐστί· ἐκδιδοῖ δὲ οὗτος ἐς λίμνην μεγάλην Τριτωνίδα· ἐν δὲ αὐτῇ νῆσος ἔνι τῇ οὔνομα Φλά. *Pertingunt vſque ad ingentem amnem nomine Tritonem, qui in grandem paludem Tritonidem influit, in qua eſt inſula, quæ dicitur Phla.* Habet etiam Mineruæ fabulam in ſequentibus. Et Feſtus Pompeius: *Tritonia Minerua a ripa Tritonis fluminis dicta, quod ibi primitus ſit viſa.* Et Solinus cap. XXVII *A Philænorum aris non procul palus eſt, quam Triton amnis influit, vbi ſpeculatam ſe artium deam crediderunt.* De ſitu, ſequutus eſt Solinus dubitantem Plinium, qui & ipſe mavult Philænorum aris vicinum flumen hoc & lacum facere. Ptolemæus

autem

autem certior, qui non hunc modo, verum etiam alios lacus, quos perfluit Triton amnis, lib. iv cap. iii deſcripſit hoc ordine; ἀφ' οὗ [Οὐασαλέτου ὄρους] ῥεῖ ὁ Τρίτων ποταμὸς, καὶ ἐν αὐτῷ λίμναι, ἥτε Τριτωνῖτις, καὶ ἡ Παλλὰς λίμνη, καὶ ἡ καλουμένη Λιβύη λίμνη. *A quo* [Vaſaleto monte] *fluit Triton amnis, in quo paludes ſunt, Tritonitis* [ſiue Tritonis] *& palus Pallas, & quæ vocatur palus Libya.*

XVIII.

Hæc in ora, præter paludes, de quibus propter oſtia fluminis, quæ in ora deſcribenda ſunt, ſimul diximus. Antequam vero in mediterranea progrediamur, diſpiciendum, an forſan etiam vrbs Tripolis antiquis temporibus in eadem ora cognita fuerit. Ptolemæi vulgatis libris, quibus Leptis magna etiam Tripolis dicitur, inducti multi, vt antiquum id nomen cenſerent, & ſi non eius, quæ famoſa Tripolis eſt, ſedem occupet, tamen illius forte locum teneat, quæ in nouis tabulis nunc Tripoli Vecchia, ſeu Vetus Tripolis adpellatur. Verum ſupra Ptolemæum ex Palatino codice correximus: etiam demonſtratum fuit, Leptitanum lacum ab vtraque Tripoli longius in ortum diſtare: quod etiam relictum nomen *Lebide*, vt nunc barbaro ore Leptis vocatur, poteſt conuincere. Nec qui ante Solinum, non antiquiſſimum ſcriptorem, mentionem vocis *Tripolis* in Africa fecerit, ſuccurrit nobis: qui vero non vrbem, ſed trium oppidorum regionem intellexit. *Achæi*, inquit, *Tripolin lingua ſua ſignant de trium vrbium numero Oeæ, Sabratæ, Leptis magnæ.* Quod Iſidorus Hiſpalenſis repetiit, at pro Tripoli ſubſtituit, quod illa ſonat, *Tripolitanam regionem.* Etiam Sextus Rufus, Aethicus coſmographus, & Iulius Honorius *Tripolin* in prouinciis cenſuere, non in vrbibus; & Procopius lib. i Vandal. cap. x *Τρίπολιν τὴν ἐν Λιβύῃ, Tripolin, quæ in Africa eſt,* dicit *χώραν, regionem:* cuius præſidem nominat lib. ii cap. xxi, & *ὅρια, limites* definit, lib. vi de Aedif. cap. iii. Nec aliter Aurelius Victor in Conſtantino interpretandus eſt, quum præbitionum meminit, *quibus Tripolis & Nicæa acerbius angebantur.* Tota enim regio illas Severo obtulerat. Hic vero, vt Eutropius lib. viii cap. x refert, *oriundus ex Africa, prouincia Tripolitana, oppido Lepti.* Vt vero Pentapolis paſſim eſt Pentapolitana regio, ſicuti Plinius vocat; ita eadem eſt Tripolis & Tripolitana prouincia. Quando autem illa regio a tribus vrbibus adpellari cœperit, non poſſumus definire. Vero ſimile eſt poſt Ptolemæum id factum eſſe, quia, qui id nominis memorant, poſteriores omnes ſunt. Poſtea regionis nomen præcipuæ cuidam vrbi, forſan Sabratæ, vel Oeæ, fuit inditum, quarum altera in vicum eſt redacta, Tripoli Vecchia: altera, ex ruinis illius potentior facta, Chriſtianis piratica ſua eſt infeſta. Sic certo non conſtat, quando *Tripolis*, aut *Tripolitana*, hæc ora maritima vocata fuerit: incertius, poſteriusque, quando id nomen vrbi ejus regionis ceſſerit, quod antea prouinciæ.

REGIONIS SYRTICAE MEDITERRANEA.

XIX.

Quod in mediterraneis eſt, fide fere ſola nititur Ptolemæi. Hic ſupra Philænorum aras & ipſam maiorem Syrtim nihil habet: vtrum pars illa ſolitudo ſit, an ignota Ptolemæo oppida aut vici fuerint, incertum eſt.

XX.

Inter ſinum maioris Syrtis & Cinyphum fluuium eſt *Azuis*, de qua ſupra dixi, videri Itinerarii Auziu eſſe, quod in litore expoſuimus. neque enim ipſa Azuis longe a mari remota eſt. Hinc auſtrum verſus ſequuntur *Geriſa, Iſcina, Amuncla, Sicapha*; & longius in eamdem plagam recedunt *Muſta, Butta, Vditta, Galybe, Thagulis*, Θαγȣλὶς, a qua diuerſa multum Peutingerianæ Tagulis, & Tugulus Itinerarii, de quibus ſupra diximus: poſtea *Tege* & extrema *Durga*, & *Acube* fons ſeu lacus, vnde flumen oritur quod Cinypho ab ortu ſe adfundit. Addenda his ex Scylace vrbs *Cinyps* ad flumen cognomine, in regione Cinyphe Plinii. *

XXI.

Populi plerique obſcuro nomine in Africa, tam Plinii quam Ptolemæi. Quid enim refert noſſe *Samamycios, Damenſios, Nigbenos, Nycpios, Erebidas, Ararauceles* inter Syrtim & Cinyphum? aut inter hunc amnem & Tritonem *Nigintimos, Aſtacures, Eropæos, Achæmenes, Muchthuſios?* Clariora nomina ſint quæ exponamus. *Naſamones, Pſyllos, Asbytas*, de quibus in Cyrenaica diximus, qui a non nullis etiam ad Cinyphum vsque protrahuntur: de quorum poſtremis addo eſſe Plinii *Asbyſtas* lib. v cap. v, de quibus Herodotus lib. IV cap. CLXX Ἀσϐύςαι ὑπὲρ Κυρήνης οἰκέουσι, *Asbyſtæ ſuper Cyrenas habitant:* vnde Nonnus lib. XIII Dionyſ. pag. 372 Διὸς Ἀσϐύςαο, *Iouis, Asbyſtæ* cognomine, meminit. Celebriores *Macæ* ſunt παρὰ τὴν Σύρτιν, *ad Syrtim maiorem*, qui hieme greges ad mare agunt, æſtate in mediterranea, aquarum cauſſa, vt Scylax refert. Plinius dicto loco: *Poſt Naſamones, Asbyſtæ, & Macæ viuunt.* Hi ſunt Ptolemæi Μάκαιοι Συρτῖται, *Macæi Syrtitæ.*

XXII.

Maioris famæ ſunt *Lotophagi*, qui loto veſcebantur, inter Syrtes circa Cinyphum & vsque Tritonem late colentes. Scylax p. 113 τὰ ἔξω τῆς Σύρτιδος παροικȣ̃σι Λίϐυες Λωτοφάγοι ἔθνος μέχρι τȣ̃ ςόματος τῆς ἑτέρας Σύρτιδος. ȣ̃τοι λωτῷ χρῶνται σίτῳ καὶ ποτῷ. *Quæ ſunt extra Syrtim, incolit Libyum Lotophagorum gens vsque ad os alterius Syrtidis. Hi loto vtuntur pro cibo & potu.* Ptolemæus: περὶ αὐτὸν τὸν ποταμὸν [Κίνυφον] Λωτοφάγοι, *circa ipſum amnem* [Cinyphum] *Lotophagi.* Et Plinius lib. v cap. IV *In intimo ſinu fuit ora Lotophagôn, quos quidam Alachroas dixere, ad Philænorum aras.* Idem lib. XIII cap. XVII *Loton* ſic deſcripſit: *Africa, qua vergit ad nos, inſignem arborem loton gignit, quam vocant celtin, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Præcipua eſt circa Syrtes atque Naſamonas. - - - Differentiæ plures, eæque*

* De *Cinyphe* regione Herodot. IV c. 198, quam fertiliſſimam eſſe ait ob aquæ copiam.

que maxime fructibus ſiunt. Magnitudo huic fabæ, color croci, ſed ante maturitatem alius atque alius, ſicut in vuis. Naſcitur denſius in ramis myrti modo, non vt in Italia, ceraſi: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit nimis hoſpitali aduenarum obliuione patriæ. - - - Melior ſine interiore nucleo, qui in altero genere oſſeus videtur. Vinum quoque exprimitur illi, ſimile mulſo, quod vltra denos dies negat durare Nepos: baccasque conciſas cum alica ad cibos doliis condi. Poetis quoque laudata arbor & fructus. Silius Italicus lib. III verſu 310

Spectati caſtris, quos ſucco nobilis arbor
Et dulci paſcit lotos nimis hoſpita bacca.

De Homero, qui primus γαίης Λωτοφάγων, *terræ Lotophagorum* mentionem fecit, dicemus infra in inſulis.

XXIII.

Supra minorem Syrtim *Cinethii* ſiue *Cinithii.* Ptolemæus lib. IV cap. III μέχρι τῆς μικρᾶς Σύρτεως Μαχυνοί· καὶ ὑπ᾽ αὐτὰς Κινήθιοι. *Vsque paruam Syrtim Machyni: & ſub ipſos Cinethii.* Et Tacitus lib. II Annal. cap. LII *compulerant* [Tacfarinas & Mazippa, rebelles] *Cinithios, haud ſpernendam nationem in eadem* [Africa.] Quod ex Ptolemæo adparet, eiusque Tabula, ad vtramque ripam Tritonis fuerunt.

XXIV.

Hæc de populis ſupra Syrtes quos noluimus ſeparare aut fluuio diuidere, ſicut oppida. Reſtant ergo quæ inter Cinyphum & Tritonem mediterranea oppida fuerunt, quæ pauca ſunt numero. Supra Leptim *Sydidenis, Piſinda, Sabrata*, niſi hæc in ora fuit, vt ſupra ſuſpicati ſumus, eamdem eſſe quam Sabathram Ptolemæus dixit: *Sumucis* medio inter vtrumque amnem loco: Ἄμμωνος, *Ammonus*, (interpres *Ammonis*, quaſi patrius caſus eſſet) ad Cinyphum flumen: *Chuzis* ad Tritonem. Montes in hoc tractu *Gigius*, (interpres Gillius:) & auſtralior ac Cinyphum verſus, *Thizibi.*

INSVLAE MARIS SYRTICI.

XXV.

In ſinu Syrtis maioris Ptolemæus obſcuras quasdam inſulas nominavit *Gaiam, Pontiam, Miſynum*: longius hinc Myrmex diſtat, ad Cyrenaicam pertinens; vbi etiam recenſuimus. Clariores ſunt ad Syrtim minorem, *Cercina & Meninx.* De illa Strabo lib. XVII pag. 574 παράκειται τῇ ἀρχῇ τῆς Σύρτεως νῆσος παραμήκης, ἡ Κέρκιννα, εὐμεγέθης, ἔχουσα ὁμώνυμον πόλιν, *Principio Syrtis* [minoris] *adiacet inſula oblonga, nomine Cercinna, iuſtæ magnitudinis, habens eiusdem nominis oppidum.* Sic ſcripſit nomen duplici littera; * etiam Dionyſius Characenus verſu 480: ceteri fere omnes N ſimplici. Diodorus Siculus lib. V cap. XII poſt Meliten & Gaulon: ἑξῆς δ᾽ ἐστὶ Κέρκινα, *Deinde*

* Sed idem lib. II pag. 185 Πρόκεινται δ᾽ ἐφ᾽ ἑκατέρα τοῦ στόματος νῆσοι Μῆνιγξ τε καὶ Κέρκινα. *Ante fauces vtrimque ſunt inſulæ* Menix & Cercina. Sic legi vult Caſaubonus, non *Meninx*. Verum a Polybio quoque *Meninx* dicitur. Vide ad §. 27.

Deinde eſt Cercina, in auſtrum vergens, oppidum mediocre habens & λιμένας εὐχρηςοτάτȣς, portus commodiſſimos. Ptolemæus extremo cap. III libri IV Κέρκινα νῆσος καὶ πόλις, *Cercina inſula & oppidum.* Liuius lib. XXXIII cap. XLVIII de Hannibale fugiente: *eo die in Cercinam inſulam traiecit.* Et Tacitus Annal. I cap. LIII de Graccho Iuliæ adultero: *amotus Cercinam, Africi maris inſulam.* Plinius quoque lib. V cap. VII oppido libertatem tribuit. *Cercina*, inquit, *cum vrbe eiusdem nominis libera, longa* XXV *millia paſſuum, lata dimidium eius, vbi plurimum: at in extremo, non plus quinque millia paſſuum.*

XXVI.

Adiacet parua inſula Carthaginem verſus, nomine *Cercinitis.* Plinius ibidem: *Huic* [Cercinæ] *perparua, Carthaginem verſus, Cercinitis ponte iungitur.* Strabo quoque, ἄλλη ἐλάττων, Κερκιννῖτις, *altera* [inſula] *minor, Cercinnitis.*

XXVII.

His in auſtrum ſubiacet *Meninx*, Μῆνιγξ, ſiue, Μῆνιξ, de qua Strabo, τὴν Μήνιγγα νομίζȣσιν εἶναι τὴν τῶν Λωτοφάγων γῆν τὴν ὑφ' Ὁμήρȣ λεγομένην, *Meningem Lotophagorum terram putant, cuius Homerus meminerit.* Homerum vide Iliados Iota a verſu 84. * Habet enim inſula copioſam loton: & incolæ aram oſtendebant, quam Vlyſſis dixere, quaſi ab illo erectam. Hinc ipſa inſula a Ptolemæo Λωτοφαγῖτις, *Lotophagitis* vocatur, cui duo oppida tribuit, quorum nomina ſunt *Meninx*, alias commune cum inſula; & *Gerra*, quod ab illo in occaſum hibernum vergit. Et Plinius lib. V cap. VII *Clariſſima eſt Meninx, longitudine* XXV M. P. *latitudine* XXII, *ab Eratoſthene Lotophagitis adpellata. Oppida habet duo, Meningem ab Africæ latere: & altero, Thoar: ipſa a dextro Syrtis minoris promontorio paſſibus* CC *ſita.* Diſſentit ergo a Ptolemæo & in ſitu Meningis oppidi, & in alterius nomine. Hæc inſula patria fuit Vibii Galli imperatoris & Voluſiani, ſecundum epitomen, vt vocatur, Aurelii Victoris iunioris. *Creati*, inquit de illis, *in inſula Meninge, quæ nunc Girba dicitur.* In Notitia Africæ eſt in prouincia Tripolitana *Fauſtinus Girbitanus* epiſcopus. nam *Girba* medio æuo Meninx dicta, ſicut hodieque illa inſula Gerbi & Zarbi vocatur.

CAPVT IV.

DE AFRICA PROPRIA * SEV CARTHAGINIENSI.

VAria diuiſio Africæ, etiam illius quæ proprie videtur *Africa* adpellari. *** Ptolemæus lib. IV cap. III Africam ab Ampſaga fluuio, ad Cyrenaicam produ-

* Adde Polybium hiſtor. I c. 39, vbi Λωτοφάγων νῆσον adpellat.

** Hæc Africa adpellabatur etiam *vetus*: contra Numidia *noua.* Dio l. XLIII p. 246.

*** Seſſores huius Africæ etiam a Græcis ſcriptoribus Ἄφροι dicuntur. Vid. Dio lib. XXXVIII p. 92, Pæan. II cap. 10 ſ. 2 & 6, & regio ipſa Ἀφρικὴ a Dione lib. XXXVIII pag. 94.


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
AFRICA
PROPRIA.
MARIS MEDITERRANEI PARS
SICILIAE PARS
Aegates Ins.
Lilybæum
Pachynum Promont.
Dracontia
Aegimori Aræ seu Aegimurus
Mercurii Prom.
Hippi prom.
Candidum pro
Apollinis prom.
Clupea Aspis
Neapolis
Curubis
Carpis
Carthago
Tunes s. Tuneta
Utica
Hippon Diarrhytus
Tabraca
Hippon Regius
Simittu
Tagaste
Sicca Veneria
Massyli
Madaura Madurus
NUMIDIAE PARS
Ammedera
Gætuli à Mario locati
Theveste
Cilio
ZEUGITANA
Assuræ
Valli
Aphrodisium
Adrumetum
Leptis parua
Ruspina
BYZACIUM siue Vzecia
Thapsus
Turris Annibalis
Acholla
Sufetula
Vthina
BYZACENA
Thænæ
Audira
Medicara
Leæ
Tucma
Macomades s. Macodama
Byzacia Byzacina
Cellæ
Zugar
Tacape
Cerbica
Bullaminsa
Tuburbo maius
Ilica
Tucca
Cirna Mons
Isinue
Gazacupada
Veibi
Nuroli
Bendena
Dabia
Vazua
Ozuti
Sasura Ptolemæi
Telepte
Capsa
Cinithii
Chuzis
Tritonitis Lacus
Giplon sii, Sigiplosii
Cilma
Ticelia
Thabba
Putea
Nensa
Themisia
Tichasa
Mimaces
Thuscubis
Negeta
Timica
Zigira
Musse
Bunthum
Bagrada Flu.
Mampsari
Mampsarus Mons
Muturgures
Vzaræ
Usaletus Mons
Muchthusii
Aqua Calida
Cossyra
Lopadusa
Aethusa
Gaulos
Melite Insula
Junonis Templum
Cercina I.
Meninx s. Lotophagites Insula
Syrtis Minor
Gichthis s. Gitti
Pontezinta
Villa Magna
Casæ siue Villa Aniciorum
Sabrata
Oeea
Abrotonum
Garapha portus
Leptis Magna
Auxiqua
Auzin
TRIPOLIS SEU TRIPOLITANA REGIO
Lotophagi occidentales
Pallas Palus
Triton Flu.
Deserta Regio
Astacures
Pisinda
Sumucis
Macomades Syrtis
Lotophagi
Ammonis
Gigius s. Gillius Mons
Achæmenes
Eropæi
Libya palus
Dolopes
LIBYAE INTERIORIS
DESERTA
Thizibi Montes
Cinyps siue Cinyphus Flu.
Cinyps
CINYPS REGIO
Muste vicus
Butta
Galybe
Tege
Acabe palus
SINUS SYRTICUS
Syrtis Maior
Barathia
Azuis
Aspis portus
Turris Euphranta
Boreum Opp. et prom.
Charax
Automala
Philænorum Aræ
Gerisa
Iscina
Sicapha
Vddita
Macæ Cinyphii siue Macæi Syrtitæ
Nasamones
Psylli
Velpi Montes
Phycus prom.
Aptuchi fanum
Myrmex Insula
Ptolemais
Neapolis
Teuchira
Boreum
Lathon Flu.
Turris Herculis
35
30
26

producit, qua ratione Numidia, Carthaginienſis regio, & Tripolitana continentur: cuius ſententiæ etiam Pomponius Mela eſt lib. I cap. VII. *Regio quæ ſequitur a promontorio Metagonio ad aras Philænorum, proprie nomen Africæ vſurpat.* Promontorium illud circa Ampſagam puto eſſe, non quod Ptolemæus in media poſuit Mauretania. nam oppida extremæ partis quæ recenſet, Hipponem Regium, Ruſicaden & Tabracam, omnia citra Ampſagam ſunt. Illuſtrat Plinius lib. V cap. III ineunte: *Ab Ampſaga Numidia eſt, Maſiniſſæ clara nomine, Metagonitis terra a Græcis adpellata.* Metagonitis vnde dicta, niſi a Metagonio Melæ promontorio? quod ſic circa Ampſagam oportet eſſe.

II.

Ipſe quoque Plinius lib. V cap. IV videtur ad Melæ ſententiam accedere. *Promontorium,* inquit, *quod maiorem* [Syrtim] *includit, Borion adpellatur. Vltra Cyrenaica prouincia. Ad hunc finem Africa a fluuio Ampſaga populos* XXVI *habet, qui Romano parent imperio.* Antea vero ipſe alios fines, quum proprie loquitur, conſtituit. *Tuſca,* inquit, *fluuius Numidiæ finis. A Tuſca Zeugitana regio, & , quæ proprie vocetur, Africa eſt.* Et paucis interiectis: *Mox Africæ ipſius alia diſtinctio. Libyphœnices vocantur, qui Byzacium incolunt. Ita adpellatur regio* CCL *M. paſſuum per circuitum, fertilitatis eximiæ, cum centeſima fruge agricolis fœnus reddente terra.* Itaque a Tuſca fluvio, Numidiæ termino, Africa proprie dicta ad ſinum vſque minoris Syrtis aut Tritonem fluuium fuit extenſa, & duabus partibus, Zeugitana & Byzacio, contenta. Et hæc proprie Carthaginienſium fuit regio: cetera, vt inter Syrtes regio, non quiete, nec conſtanter ab iis fuit poſſeſſa. Nos etiam iiſdem terminis nunc Africam propriam deſcribemus.

III.

Quod autem ex Aegypto incepimus Africam, poſt Aſiam, perluſtrare, & proxime deſiimus in Syrti minore ad oſtia Tritonis fluminis; *Byzacium,* qui tractus Syrtim attingit, primum nobis exponendum eſt. Ex Plinio modo percepimus, CCL millia paſſuum circuitu continere, fertilitatis tantæ, vt centuplum fructum terra colentibus reddat. Quod & Silius teſtatus eſt lib. IX verſ. 204

- - - *ſeu ſunt Byzacia cordi*
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.

Vox ergo adiecta *Byzacium,* & *ſolum* ſubaudiendum: ac populus quoque *Byzacii* dicti. Strabo lib. II pag. 90 *Marmarides vſque Cyrenen: ſupra hos & Syrtes, Pſyllos, Naſamonas, & quoſdam Gætulos: tum Sintas,* καὶ Βυζακίους, μέχρι τῆς Καρχηδονίας, *& Byzacios, vſque ad regionem Carthaginienſem.* Ex quo vna intelligimus, habitaſſe citra Carthaginem ad Syrtes verſus. Hinc *Byzacenus,* gentile & poſſeſſiuum formatur. Leges LIX & LX Cod. Th. de Decurionibus *ad Byzacenos* datæ ſunt: & lege XXIX eiuſdem Cod. *Byzaceni Tripolitanique cognoſcant:* & lege I eiuſdem C. & III de inoffic. teſtam. *concilium Byzacenorum.* Medio æuo ſeparata erat prouincia *Byzacena.* Eodem cod. lege XII de diuerſ. offic. *Byzacenam & Tripolitanam prouincias:* &

legis 1 de collat. donatar. *conſulari Byzacenæ*, inſcriptio habet. Nec vetus nomen *Byzacium*, quo Plinius vſus fuit, vt ſupra viſum, ceſſauit æuo poſteriori. Cod. Iuſtin. lege 1 ſect. 2 de offic. Præf. Pr. *Tingi, & quæ proconſularis antea vocabatur, Carthago, & Byzacium, & Tripolis rectores habeant conſulares.* Et Procopius lib. II Vandal. cap. XXIII χωρίον ἐν Βυζακίῳ, *locus in Byzacio.* Hæc de nomine Byzacii & Byzacenæ.

2. An alio etiam nomine inſignita hæc regio fuerit, ſcilicet *Emporia* dicta antiquitus, non plane dubitare licet, ſed ſimilior vero eſt ſententia quæ ait. Polybius lib. I cap. LXXXII τὰς παρακομιζομένας ἀγορὰς ἐκ τῶν παρ᾽ αὐτοῖς καλυμένων Ἐμπορείων, *commeatus, qui ex Emporiis, ita nominata regione, adferebantur.* Et lib. III cap. XXIII τὺς κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπυς, ἃ δὴ καλῦσιν Ἐμπόρια διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας, *loca circa paruam Syrtim: quæ propter ſoli vbertatem Emporia vocant.* Idem Excerpt. Legat. CXVIII de Maſiniſſa: θεωρῶν τὸ πλῆθος τῶν περὶ τὴν μικρὰν Σύρτιν ἐκτισμένων, καὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας, ἣν καλῦσιν Ἐμπόρια, *videns, quam multæ vrbes circa Syrtim minorem eſſent conditæ, & quæ illius regionis bonitas, quam Emporia adpellitant.* Liuius hoc perſequitur argumentum ita, vt dubitationem ſimul augeat, lib. XXXIV cap. LXII. *Maſiniſſa,* inquit, *agrum eorum* [Carthaginienſium] *ſibi coegit ſtipendium pendere. Emporia vocant eam regionem. Ora eſt minoris Syrtis, & agri vberis. Vna ciuitas eius Leptis, ea ſingula in dies talenta vectigal Carthaginienſibus dedit. Hanc tum regionem & totam infeſtam Maſiniſſa, & ex quadam parte dubiæ poſſeſſionis, ſui regni a Carthaginienſium eſſet, effecerat.*

3. Bene cum Byzacio conueniunt & ſitus ad Syrtim minorem, & fertilitas miranda. Quod vero de Leptis ingenti vectigali Liuius dixit, hoc eſt quod dubium poſſit hunc locum facere, quum potius ad Leptim magnam, quam ad Byzacii paruam pertinere videatur. At Magna nimium remota a Syrti minori: neque Minor Leptis, licet reſpectu maioris ita cognominetur, tam exigua fuit & inualida, vt ferre hæc non potuerit: cui & Cæſar grandem multam in ſingulos annos apud Hirtium cap. XCVII impoſuit: neque τὸ πλῆθος ciuitatum, quod Polybius laudat, poſt Syrtim minorem eſt, ſicut in Byzacio. Accedit, ſi ſeruatum fuit quod Maſiniſſa rapuerat, Iubæ bellum inde cum Leptitanis minoribus, libera & immuni ciuitate, oriri potuiſſe, de quo Cæſar II Civ. cap. XXXVIII *Curio ex perfugis quibusdam oppidanis audit, Iubam, reuocatum finitimo bello & controuerſiis Leptitanorum, reſtitiſſe in regno.* Quid? quod ipſe Liuius, qui nos dubios fecerat, ex lib. XXIX cap. XXV æſtum explicare poteſt. Scipio ibi ex portu Lilybætano in Africam nauigans, gubernatoribus edixit, *Emporia vt peterent.* Addit rationem hiſtoricus: *Fertiliſſimus ager, eoque abundans omnium copia rerum eſt regio, & imbelles, quod plerumque in vbere agro euenit, barbari ſunt, priusque quam Carthagine ſubueniretur, opprimi videbantur poſſe.* Quis vero credet, Scipionem, aduerſus Carthaginem profectum in regionem, quæ inter Syrtes eſt, curſum direxiſſe? Emporia ergo vel ipſum Byzacium, vel pars eius ad mare fuerunt. Sed ſatis de nominibus: nunc ipſam regionem perluſtrabimus.

SECTIO

SECTIO I.

BYZACIVM.

IV.

Africa illa Propria, quæ Carthaginienſium ditionis fuerat, poſt provincia Romana, ſecundum Plinium, vt vidimus, in *Zeugitanam* diuiditur & *Byzacium.* Difficile eſt vtriusque partis limites definire. Plinius in Zeugitana cenſet Carthaginem, Vticam, Hipponem Diarrhytum, Maxullam, Miſuam, Clupeam, Neapolim. Ex quibus adparet, ab occaſu, ſeu Tuſca fluuio, in ortum verſus, ad ſupremum illum angulum, in quo Clupea ſub Mercurii promontorio eſt, & Neapolis, patere. Interiora autem quousque prorogentur, non definiuit. In Byzacio nominat Adrumetum, Leptim minorem, Ruſpinam, Thenas, Macomades. Ex quibus de ſitu vtriusque partis iudicandum eſt: cetera, quantum noſci poſſunt, ex Notitia Africæ ſupplenda, in qua Byzacena prouincia a proconſulari, quæ pars Zeugitanæ eſt, diſtinguitur. Sed ex maximo oppidorum numero, quæ Notitia vtriusque prouinciæ memorantur, pauca ita nota aliunde ſunt, vt ſedes & poſitio definiri poſſint, ſola videlicet, quæ Ptolemæus etiam habet, aut Itineraria.

V.

Fueritne vna prouincia pars vtraque, an Zeugitana ſola poſt euerſionem Carthaginis, poſt addita alia; dubitari poteſt Plinio auctore lib. V cap. IV. *Ea pars,* inquit, *quam Africam adpellauimus, diuiditur in duas prouincias, veterem & nouam, diſcretas foſſa, inter Africanum ſequentem & reges Thenas vsque perducta, quod oppidum a Carthagine abeſt* CCXVI *millia paſſuum.* Difficilis interpretatio, quia *pars, quam Africam adpellauit,* eſt ſola Zeugitana, vt ſupra vidimus: quæ quomodo in duas prouincias diuidatur, & vnde, ac quando Noua adiecta fuerit, obſcurum eſt, præſertim quod inter Scipionem minorem & Numidiæ reges ita diuiſum dicitur, foſſa ad Thenas vsque perducta, quæ diſcerneret. Sed ita intelligo: Maſiniſſæ regnum ab auſtro longe in orientem vsque ad Syrtim fere minorem extenſum fuit, cui ipſe, Livio teſte lib. XXXIV cap. LXII, Emporiorum partem adiecit, quod a Scipione auctum poſterisque confirmatum fuit, vt ex Strabonis lib. XVII p. 573 conſtat: etiam ab Iuba ita poſſeſſum, quod ex Hirtii bello Afric. cap. XLIII colligimus. Iuba autem mortuo, pars illa prouinciæ Romanæ adiecta, & dicta *prouincia noua:* non quod nouum etiam & ſingularem præſidem acceperit; nam vna manſit Africa prouincia: ſed ab eodem & vetus & noua adminiſtrata, & hæc illius tantum fuit acceſſio. Medio æuo demum Byzacena prouincia fuit peculiaris, ſeparata a proconſulari, quæ Zeugitana eſt; & vtraque ſuum præſidem habuit, illa proconſulem, hæc conſularem. Vide Sext. Ruf. cap. IV.

VI.

Metropolis Byzacenæ prouinciæ *Adrumetum* eſt, ſiue *Hadrumetum,* vt in nummis & lapidibus cum adſpiratione; in plerisque libris ſine illa. Plinius quoque in Byzacii liberis vrbibus cenſet. *Hic,* inquit, *oppida libera,*

Leptis, *Adrumetum*, *Ruſpina*, *Thapſus.* Scribitur varie, Straboni & Stephano Ἀδρύμη, *Adryme* ſeu *Adrume:* Byzantius vero addit aliam formam Ἀδρύμητος, *Adrymetus:* Plutarcho, Catone minore p. 788, Ἀδρούμητος, *Adrumetus*, Ptolemæo, Ἀδρούμηττος, *Adrumettus:* Appiano Ἀδρυμηττός, *Adrymettus:* Cæſari, Hirtio, Plinio *Adrumetum:* Melæ Gronouii *Hadrumetum*, Voſſii *Hadrumentum:* Peutingeri Tabula *Hadrito* breuiata, credo, ſcriptura, tamen cum adſpiratione. Vetus inſcriptio apud Gruter. pag. 362 COLONI COLONIAE CONCORDIAE VLPIAE TRAIANAE AVGVSTAE FRVGIFERAE HADRVMETINAE. Ex qua inſcriptione doctiſſimus Harduinus nummos notis ſcriptos C. C. I. H. P. interpretatur *Colonia Concordia Iulia Hadrumetina Pia.* Ptolemæus etiam coloniam vocat, & auctor veteris Itinerarii. Adiacet vrbi *Cothon*, qui vel portus eſt, vel parua inſula, ad imitationem Carthaginienſis Cothonis ita dictus, quem cum illa vrbe deſcribemus. Hirtius Afric. cap. LXII *Varus occaſionem nactus, vigilia ſecunda Adrumeto ex Cothone egreſſus, primo mane Leptim vniuerſa claſſe vectus.* Diſtat autem a Lepti minore, vt in Itinerario eſt, XVIII millibus paſſuum: in Tabula autem Peutingeriana eſt maior diſtantia. Incolæ *Adrumetani* dicti apud Hirtium cap. XCVII.

VII.

Inter Leptim autem & Hadrumetum apud Ptolemæum & in Auguſtana Tabula eſt *Ruſpina* interpoſita: idque Cæſaris expeditione apud Hirtium cap. VI ſeq. confirmatur. Ab Adrumeto enim, quod oppidum Conſidius præſidio tenebat, reiectus, caſtra, itinere facto, poſuit *ad oppidum Ruſpinam: inde mouit & peruenit ad oppidum Leptin.* Idem cap. X *ex oppido Ruſpina egreſſus, proficiſcitur ad portum, qui abeſt ab oppido millia paſſuum* II. Inde eſt quod Silius dixit lib. III verſ. 260

Quæque procul cernit non æquos Ruſpina fluctus.

Procul, id eſt ex diſtantia illa, quæ inter oppidum & portum ſeu mare eſt. Corripuit ſic Italicus: porrigitur in Strabonis libris, qui Scipionem a Cæſare primum πρὸς Ῥουσπῖνον, *ad Ruſpinum* dicit victum eſſe. Ptolemæo eſt Ῥουσπῖνα. Plinius in liberis oppidis Byzacii poſuit.

VIII.

Sequitur *Leptis*, quam diſcriminis cauſſa Ptolemæus cognominat μικρὰν, *minorem:* Itinerario eſt *Lepti minus ciuitate*, vt Aldus & Simlerus ediderunt; vt Schottus, *Leptim minorem ciuitatem:* auctori Peutingerianæ *Lepteminus.* nam etiam Leptis magna eſt in Pentapolitana, quam ſupra expoſuimus. Nec vero, quod minor dicitur, propterea eſt paruum oppidulum, ſed ſplendida ciuitas, quam Plinius *liberum oppidum* dixit, Hirtius cap. VII *liberam ciuitatem & immunem:* & in Tabula Auguſtana inſigni maiorum vrbium ſignata eſt, cui Cæſar ſex cohortes præſidio impoſuit, vt Hirtius cap. IX refert. Sæpe abſolute *Leptis* dicitur, & ex confinio & vicinitate diſtinguenda eſt. Plinius in Byzacio: *oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruſpina.* In Notitia Africæ *Fortunatianus Leptiminenſis* in epiſcopis numeratur. Hirtius autem cap. XCVII ciues huius oppidi

pidi *Leptitanos* adpellat. *Leptitanos,* inquit, *quorum ſuperioribus annis Iubæ bona diripuerat, & ad ſenatum queſſi per legatos, atque arbitris a ſenatu datis ſua receperant, tricies centenis millibus pondo olei in annos ſingulos multat.* E quibus ſimul adparet, hanc minorem Leptim eſſe, cum qua Iubæ controuerſiæ & finitimum bellum fuerat, de quo Cæſar II Ciuil. cap. XXXVIII.

IX.

Proxima hinc Thapſus, Θάψος, Ptolemæo ad mare poſita, * recedens a Lepti in auſtrum. In Tabula, quam ſæpe laudauimus, VIII millibus abeſt *Tapſum,* [ſic ibi ſcriptum] a Lepti minore. Duplex forma nominis in Strabonis libris. Cæſarem viciſſe ait πρὸς Θαψῷ, *ad Thapſo:* & poſtea, quum de Adryme [quæ Adrumetus eſt] egiſſet, εἶτα Θάψος πόλις, *deinde eſt vrbs Thapſus.* Oppidum munitum valide, Cæſaris bellum & victoria magis illuſtrauit. Hirtius cap. XXVIII *C. Vergilius prætorius Thapſo oppido maritimo præerat.* Et cap. LXXIX Cæſar *ad Thapſum, vbi Vergilius cum grandi præſidio præerat, caſtra ponit.* Et breui poſt: *Scipio ad neceſſitatem adductus dimicandi, ne per ſummum dedecus fidiſſimos ſuis rebus Thapſitanos & Vergilium amitteret, confeſtim Cæſarem per ſuperiora loca conſequutus, millia paſſuum octo a Thapſo binis caſtris conſedit.* Sic enim, *Thapſitanus,* gentile formatur, etiam cap. XCVII *Thapſitanis,* [Cæſar] H-S XX *millia: conuentui eorum* H-S XXX *millia multæ nomine imponit.* In Notitia Byzacenæ *Vigilius Thapſitanus* memoratur.

X.

Ptolemæus poſt Thapſum habet *Acholam* ſiue *Achollam:* Liuius lib. XXXIII cap. XLVIII *Hannibalis turrim* interponit. Sic enim de Hannibale a Carthagine, Romanorum metu, in Syriam profugiente: *Quum equi, quo in loco iuſſi erant, præſto fuiſſent, nocte via cita regionem quandam agri Vocani transgreſſus, poſtero die mane inter Achollam & Thapſum ad ſuam turrim peruenit. Ibi eum parata inſtructaque remigio excepit nauis.* Iuſtinus lib. XXXI cap. II *rus ſuburbanum* vocat, quaſi propinquum Carthagini. *Quum tota die,* inquit, *in foro Carthaginienſium obuerſatus in ſupremum fuiſſet, appropinquante veſpere, equum conſcendit, & rus ſuburbanum, quod propter litus maris habebat, ignaris ſeruis, iuſſisque ad portam reuertentem opperiri, contendit.* Sed quod Liuius ita diſtincte loca, inter quæ ſita villa fuerit, denominat, eum potius, quam Iuſtinum aut Trogum ſequendum putamus. Longa quidem via a Carthagine Thapſum eſt; quod vero mutatis equis vſus eſt, veſpere, nocte, mane multum itineris confici potuit.

* Vid. Dio XLIII p. 245 Ἡ δὲ δὴ Θάψος κεῖται μὲν ἐν χερρονήσῳ τρόπον τινά, ἔνθεν μὲν τῆς θαλάσσης, ἔνθεν δὲ λίμνης παρηκούσης· στενὸν δὲ δὴ τὸν ἰσθμὸν καὶ ἑλώδη διὰ μέσου οὕτως ἔχει, ὥστε διχῇ μέν, δι' ἐλαχίστου δὲ ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ἕλους παρ' αὐτὴν τὴν ῥαχίαν ἀμφοτέρωθεν παριέναι. *Thapſus ſitus eſt in eo loco, qui ab altera parte mari, ab altera palude adluitur, peninſulæque ſimilis eſt. Iterum inter mare ac paludem arctus admodum iſthmus ad vrbem pertinet, in eoque lacus eſt, ita vt ex vtraque eius lacus parte propter ipſum litus anguſtus omnino tranſitus pateat.*

XI.

Ipſa *Acholla*, quæ ſequitur, non vno modo ſcripta reperitur. Strabo & Stephanus Ἀχύλλα ſiue Ἄχολλα, *Acholla*, quæ optima forma eruditis videtur, ideoque a Sigonio & Gronouio in Liuium recepta loco iam adlegato, vbi Gruterus legit *Acyllam*, priores prauius: Ptolemæus Ἄχολα, *Achola:* ſed præſtat duplicare litteram cum Strabone & Stephano. Hirtius B. Afr. cap. XXXIII *Acillam* vocat. *Dum hæc*, inquit, *ad Ruſpinam fiunt, legati ex Acilla, ciuitate libera, ad Cæſarem veniunt.* An hæc eadem ſit quæ Acholla, ſubdubitat Ortelius: quem ita Holſtenius notauit, *Non dubitandum.* Conuenit locus & ſitus: conuenit etiam quod Strabo Achollam ἐλευθέραν πόλιν dixit, vti Hirtius *ciuitatem liberam* Acillam. Appianus Pun. p. 95, amiſſa littera, Χόλλα, *Cholla* ſcripſit, niſi lapſus eſt librariorum: Peuting. Tab. corrupte *Anolla.* Plinio eſt *Acolitanum oppidum:* in Notitia *Reſtitutus Acolitanus.*

XII.

Ruſpæ hinc in litore ſequuntur apud Ptolemæum, diuerſæ a Ruſpina, ſupra demonſtrata: nec modo Ptolemæo diſtincta oppida ſunt, ſed Tabulæ etiam Peutingerianæ, cuius hic ordo eſt:

Hadrito	(id eſt Hadrumito)
Ruſpina	. . . .
Lepteminus	VIII
Thapſum	XV
Sullecti	XII
Anolla	. . . .
Ruſpe	VI
Vſilla mun.	. . .
Taparura	XX.

In Notitia Africæ *Stephanus Ruſpenſis* laudatur: etiam Fulgentius, multis clarus ingenii monumentis, epiſcopus Ruſpenſis fuit.

XIII.

Proxima Ptolemæo & Tabulæ iam laudatæ eſt *Vſilla*, Ουσίλλα, quæ in Itinerario eſt *Vſula ciuitas;* in Tabula *Vſilla municipium.* Sed & alii *Vſula* ſcripſerunt. Notitia Africæ in Byzacena, *Victorinus Vſulenſis:* & Auguſtinus lib. VII contra Donatiſtas cap. XVIII *Irenæus ab Vſulis.*

XIV.

Taphrura, nunc Ptolemæi excipit, Tabulæ *Taparura*, quæ ſignum celebrium vrbium adpoſitum habet. Anonymus Rauennas lib. III cap. V etiam *Taparura* ſcripſit. Iſaacus Voſſius Melæ quoque lib. I cap. VII pro vulgato *Taphra* reſtituit *Taphrure*, quod & Iacobus Gronouius expreſſit, vterque Melæ emendator clariſſimus. Plinius autem lib. V cap. IV in pleriſque libris *Taphra* habet, haud dubie ex Pomponio, vt cetera nomina, quibus coniungitur, oſtendunt; vbi doctiſſimus vir Io. Harduinus non *Taphrura*, ſed ex ordine adpoſitorum *Gaphara*, ſuppoſuit. Adeo in incerto

certo

certo emendatio huius loci, quod ex Melæ ordine hac in parte turbato proficiſcitur.

XV.

Poſt in eodem litore erant *Thenæ* ſiue *Thænæ*, nam varie ſcribitur, a Plinio & in Itinerario *Thenæ;* a Ptolemæo Θέαιναι, *Theænæ:* Strabo, vt editum eſt, inconſtanter, pag. 572 εἷλε Καῖσαρ Θέαν πολίχνην ἐπιθαλαττιδίαν, *cepit Cæſar Thenam, maritimum oppidum:* at pag. 574 Θαίνα πόλις περὶ τὴν ἀρχὴν κειμένη τῆς μικρᾶς Σύρτεως, *vrbs Thæna ſita ad initium Syrtis minoris.* Diphthongus inſcriptione ex Conſtantinorum ſæculo firmatur apud Grut. pag 363 DECVRIONES ET COLONI COLONIAE AELIAE AVGVSTAE MERCVRIALIS THAENIT. Colonia etiam Itinerario dicta, *Thenis colonia,* Aldina editione. A quo deducta fuerit, nomen *Aeliæ* non obſcure indicat. Huic a ſeptemtrione adiacet *Ammonis promontorium:* Græce ἄκρα Ἄμμωνος Βαλίθωνος, quod pro thynnis capiendis ſpeculam habebat. Vide Strabonem.

XVI.

Inter Thænas & Tritonis oſtia apud Ptolemæum eſt Μακόδαμα, *Macodama,* quod poſteriores transpoſitis litteris *Macomades* ſcripſerunt: Ravennas, *Macumades* in oppidorum nominibus: auctor Peutingerorum Tabulæ *Macomades Minores:* auctor Itinerarii veteris MACOMADIBVS maioribus litteris, quaſi gentis nomen, aut vrbis ex qua itinera diriguntur: quia ſequitur

Municipium M. P. XXVIII.

Andreas autem Schottus vna linea, ſed diuerſo charactere edidit

Macomades Munic. M. P. XXVIII,

pro vno habens loco Macomades & Municipium. Quod vero in Tabula additur *Minores*, diſcriminis cauſſa puto factum eſſe, quia eodem itinere ſunt etiam *Macomades Syrtis* inter duas Syrtes, propius tamen maiorem. Auguſtinus lib. VI contra Donatiſtas cap. XXIX memorauit *Caſſium Macomadibus.*

XVII.

Itinerario inter Macomades & Tacapas *Cellæ* interponuntur, *vicus,* vt additur, non oppidum: cis an vltra flumen Tritonem fuerint, item quam antiquæ, ignoramus. Videntur tamen citra fuiſſe, quia Byzacenæ, non Tripolitanæ prouinciæ, cuius Tacapa eſt, tribuuntur. Fortunius epiſcopus *Cellenſis* ſubſcripſit epiſtolæ ſynodali prouinciæ Byzacenæ ad Conſtantinum. Itinere a Tuburbo Tacapas *Cellæ Picentinæ* vocantur.

XVIII.

Hæc de Byzacio ad mare ſito ab Hadrumeto ad Tritonis oſtia. Superſunt *Horrea Cælia* Itinerarii; & alio itinere abſolute *Horrea,* ſupra Hadrumetum ſita, terminus Byzacii ſeptemtrionalis. In Tabula Peutingeri *Ad Horrea.* Auguſtinus lib. VII contra Donat. cap. XXXI *Tenax ab Horreis Celiæ.* In Notitia inter vacantes ſedes Byzacenæ *Horrea Cælia.* Concilio VII Carthaginienſi ſubſcripſit *Hilarinus Orreocelenſis, legatus prouinciæ*

ciæ Byzacenæ. Hæc in litore. Nunc interiora peragranda ſunt, quorum difficulter terminos inueniemus, niſi quod ex Notitia cognoſcimus, amplam fuiſſe prouinciam, pluribus epiſcopalibus exultam oppidis. Illis autem ſolis ſuum ſitum deſignare poſſumus, quæ a Ptolemæo memorata, in Itinerariis expoſita ſunt.

MEDITERRANEA BYZACII.

XIX.

Ptolemæus ſub Hadrumeto poſuit *Vzitam*, Græce οὔζιτα, * prope Tisdrum & Leptim minorem. Meminit & Hirtius Afric. cap. XLI. *Iamque*, inquit, *minus M. paſſuum ab oppido Vzita, quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianæ*. Sic poſita eſt a Ptolemæo, vt non poſſit in Byzacenam non incidere: in Notitia autem Africæ *Gaius Vzitenſis* in Proconſulari prouincia, quæ diſtinguitur a Byzacena, cenſetur: vt ſic neque de huius ſitu ſimus certiſſimi.

XX.

Sequitur *Tisdrus* ſeu *Tisdra*, quæ & *Tusdrus* ſcribitur, e regione Achollæ: Ptolemæus *Thysdrus* ſcripſit, θύσδρος: Hirtius Africano bello plerumque *Tisdra*: cap. LXXVI *poſtero die ad oppidum Tisdram peruenit, in quo Conſidius per id tempus fuerat cum grandi præſidio, cohorteque ſua gladiatorum. Cæſar oppidi natura perſpecta, atque inopia ab oppugnatione eius deterritus*, cetera. Et cap. LXXXVI *Cn. Domitio cum duabus legionibus Tisdræ, vbi Conſidius præerat, ad obſidendum relictis*. Semel in libris Hirtii cap. XXXVI ſcriptum legitur *ex oppido Tisdro*. Græca littera Capitolinus in Maximinis cap. XIV, & Gordianis cap. VII, *apud Tysdrum, iuxta Tysdrum*. Ibi Gordianus imperator factus. Itinerario eſt *Tusdrus* ſeu *Tusdrum*: vti Plinio lib. V cap. IV *oppidum Tusdritanum*; & lib. VII cap. IV *ciuis Tysdritanus*, ex Ptolemæi forma: Hirtius autem cap. XCVII *Tisdritanos, propter humilitatem ciuitatis, certo numero frumenti multat*. Harduinus ad priorem Plinii locum cenſet, *Florentium Tuziritanum* apud Victorem Vitenſem; & *Aptum Tuzuritenſem* in Collat. Carthag. eſſe *Tusdritanum* & *Tusdritenſem* legendos.

XXI.

Deinde eſt Ptolemæi οὐζηκία, *Vzecia*, quæ videtur Hirtii *Vſceta* eſſe, de qua ille cap. LXXXIX, Cæſar interim, a Thapſo progreſſus, *Vſcetam peruenit: vbi Scipio magnum frumenti numerum, armorum, telorum, ceterarumque rerum cum paruo præſidio habuerat*. Niſi enim hæc Vſcera Ptolemæi Vzecia eſt, neſcimus ſane, vbi illa conſtituenda ſit. Hoc tamen certum eſt, diuerſum oppidum ab Vzita ſupra explicata eſſe, quia Ptolemæus illam ab Vzecia; Hirtius ab Vſceta diſtinguit.

XXII.

Byzacina etiam Ptolemæi, ſiue *Byzacia*, in hoc tractu eſt meridiem verſus, a qua regioni nomen eſt: & in Collat. Carthag. mentio eſt *Saturi* epiſcopi *Byzacienſis* in prouincia Byzacena. XXIII.

* Dio libr. XLIII pag. p. 243 edit. Plantin. Πρὸς πόλιν Οὔζιτ'α, *ad vrbem Vzita*.

XXIII.

Prope illam, ortum verſus eſt Μȣρȣὶς, *Muruis*, Ptolemæi: & ſupra id longius in auſtrum recedunt *Zugar, Capſa, Putea,* & *Tiſurus*, omnia Ptolemæi. De *Zugar* nihil habemus, quod addatur. *Capſa* Ptolemæi eſt illa, cuius epiſcopus in Notitia Byzacenæ memoratur *Vindemialis Capſenſis:* & apud Auguſtinum lib. VII contra Donatiſtas cap. XXXIII *Donatulus a Capſe.* An eadem ſit Salluſtii *Capſa*, quam Marius cepit, cap. XCI, dubitatur. Negat plane Bochartus lib. I Geogr. S. cap. XXIV ex Arabe Geographo, qui Byzacenæ Capſam dicat flumine adlui: quo caruit Capſa Salluſtii, ad cuius oppugnationem aqua vtribus per tridui iter fuit adportanda. Hanc ergo in interiore Numidia, quam in Byzacena, putat poſitam fuiſſe: de qua infra in Numidia agemus. Interim negari nequit, Numidiæ regni interiora Maſiniſſam longe in ortum protuliſſe, ac Iubam etiam ita poſſediſſe. Vir ſummus, præſul Oxonienſis, ad Cypriani Concilium Carthaginienſe, in Telepte & Segermis, has vrbes dicit eſſe *Numidiæ Byzacenæ*, id eſt in Byzacio quidam ſitas, ditionis autem Numidicæ. Iacobus Sponius Miſcell. Erud. Antiq. pag. 162 inſcriptionem ſepulcralem refert M. ANTONIO M. F. SERGIA PATERNIANO NAT. CAPSA, quod ipſe legit *natione Capſa*, & de Capſa Iugurthæ interpretatur. Si diuerſæ ſunt Capſæ Salluſtii & Ptolemæi, malim de Byzacii oppido, quam Numidiæ, intelligere, quia hæc, a Mario deleta, an inſtaurata fuerit, non liquet.

XXIV.

De *Putea* Ptolemæi nihil habeo, niſi quod Victor Vitenſis in Notitia Africæ in Byzacena meminit epiſcopi *Seruandi Putienſis.* Nec Ptolemæi *Tiſurus*, Τίσȣρος, memorabilior, niſi epiſcopus *Florentius Tuziritanus*, vt quibusdam videtur, huc pertinet, qui in Notitia Africæ & apud Victorem Vitenſem memoratur. Confirmat opinionem Lucas Holſtenius Adnot. ad de S. Paulo Geogr. eccleſ. pag. 79 idem oppidum cenſens, ſiue *Tuzirus* ſiue *Tuſurus* aut *Tiſurus* nominetur.

XXV.

Telepte quoque in hoc tractu fuit, de cuius ſitu & dignitate diſquirendum. In Byzacio eſſe, Notitia teſtatur, *Frumentium Teleptenſem* commemorans: & Procopius lib. VI cap. VI de Aedificiis, qui & limitaneam vrbem dicit, ἐν ἐσχατιᾷ τῆς χώρας, *in extremitate prouinciæ* ſitam: quod cum veteri Itinerario conuenit, quo iter a Telepte Tacapas hoc modo deſignatum eſt:

Telepte			
Gemellas	M.	P.	XXII
Gremellas	M.	P.	XXV
Capſe	M.	P.	XXIIII
Thaſarte	M.	P.	XXXV
Aquas Tacapinas	M.	P.	XVIII
Tacapas	M.	P.	XVII.

Ex mediis ſola Capſe nota eſt ex Ptolemæo, per quam ſi a Tacapis ducas

lineam, & ſimul milliaria attendas, quæ inter Capſen ſunt & Telepten, in plagam & locum vbi Telepte fuit, linea perducet. Cypriani concilio Carthaginienſi, & Auguſtini contra Donatiſt. lib. VII cap. XXI *Iulianus a Telepte* laudatur: ſicut in Notitia & a Victore Vitenſi *Frumentius Teleptenſis*, de quo ſupra iam diximus. Sunt qui metropolim Byzacenæ dicant, quia in Mileuitano concilio *Donatianus Teleptenſis primæ ſedis* ſubſcripſerit. Sed variant libri, *Telepienſis*, *Tibulenſis*, *Tebeſtenſis* præferentes: Holſtenius *Telenſis*, quem vide in Caroli a S. Paulo Geogr. Sacram, vt nihil inde certi elici poſſit: aut, quia Donatianus ille dicitur fuiſſe & *ſanctus ſenex*, & *primas*; ratione ætatis potius, quam vrbis, primum ibi locum videtur tenuiſſe. Metropolis autem Byzacenæ fuit Hadrumetus. Procopius lib. VI cap. VI de hac ἐν Βυζακίῳ vrbe: τῆς μητροπόλεως ὄνομα καὶ ἀξίωμα κληρωσαμένη, *metropoleos nomen & dignitatem adepta* illius prouinciæ. Aethicus Cosmograph. *Byzacium eſt, vbi eius metropolis ciuitas Hadrumetus ſita eſt.*

XXVI.

Cetera Ptolemæi obſcura ſunt, *Caraga*, *Setienſis*, *Zurmentum*, *Zalapa*, *Giſira*, *Cararus*, *Targarum*, alia: obſcuriora plurima, quæ magno numero apud Victorem & in Notitia Byzacenæ leguntur, e quibus ſi quid erui poteſt, trademus in Geographia medii æui.

XXVII.

Clariora, ſed non certiſſimæ poſitionis, quæ ab Hirtio B. Afric. memorantur, *Agar*, cap. LXVIII & LXXIX, vnde *Filtioſus Aggaritanus*, in Notitia & apud Victorem Vitenſem in Byzacena. XVI millibus a Thapſo aberat. Eſt & in eadem prouincia Notitiæ *Donatus Aggaritanus*, quaſi duo oppida vnius nominis in Byzacena fuerint.

XXVIII.

Deinde eſt *Zetta* eiusdem Hirtii cap. LXVIII, quod quidam putant Strabonis *Zella* eſſe: ſed præter coniecturam ſuam nihil adferunt. Sola vicinitas opinionem iuuare poſſit. Strabo p. 572, vbi de Ruſpina & Thapſo, Cæſaris victoria nobilitatis locis, egerat, πλησίον δὲ καὶ Ζέλλα καὶ Αχόλλα, ἐλεύθεραι πόλεις, *prope erant etiam Zella & Acholla, liberæ ciuitates.*

XXIX.

Proxima *Vacca*, de qua Hirtius cap. LXXIV *Legati interim ex oppido Vacca, quod finitimum fuit Zettæ, veniunt.* Diuerſa eſt Vacca Numidiæ, forum rerum venalium totius regni, apud Salluſt. cap. XLVII. Nec longe hinc aberat *Sarſura* oppidum. Hirtius cap. LXXV *Poſtero die caſtra mouet, atque iter ad oppidum Sarſuram, vbi Scipio Numidarum habuerat præſidium, frumentumque comportauerat, ire contendit.* Ptolemæi *Saſura* non poteſt eſſe, quæ longius in auſtrum ab itineribus Cæſaris recedit.

XXX.

Huius tractus etiam fuit *Tegea*. Hirtius cap. LXXVIII *Erat oppidum infra caſtra Scipionis, nomine Tegea, vbi præſidium equeſtre circiter* CD *habere conſueuerat.* Longiſſime hinc abeſt Tege Ptolemæi, in ortum hibernum

num recedens & vltra Cinyphum, vt ad Cæſaris itinera reduci nequaquam poſſit. Hæc igitur, quæ Hirtius ſolus commendat, ex coniectura potius, quam certis rationibus, in Tabula noſtra locamus.

XXXI.

Late patet Byzacium, fere ad Ampſagam vſque fluuium. Ad illum enim accedunt *Suſibus* & *Sufetula*, quæ in Notitia & a Victore in Byzacena ſcribuntur. Tam de his, quam de aliis multis, quæ nondum expoſuimus, Antonini Itinerarium docere poteſt. Ibi enim Sufetula ab Hadrumeto CIV millibus paſſuum; a Tusdro CXX remota eſt. Primi itineris hæc eſt ratio:

Hadrumeto			
Vicum Auguſti	M.	P.	XXV
Aquas regias	M.	P.	XXV
Maſclianas	M.	P.	XVIII
Sufetulam	M.	P.	XXXVI.

Alterius, a Tusdro, itineris ordo eſt idem, & eadem nomina, ſed in numeris eſt quædam ex errore librariorum, vt ſæpe in Itinerario, diuerſitas.

Tusdro			
Vicum Auguſti	M.	P.	XXXI
Aquas regias	M.	P.	XXXV
Maſclianas	M.	P.	XVIII
Sufetulam	M.	P.	XXXVI.

Si certior diſtantia inter Vicum Auguſti & Aquas regias eſſet, quæ ſemel XXV; iterum XXXV millium ponitur, tamquam per triangulum poſſemus ex Hadrumeto & Tuſdro locum Sufetulæ determinare. Sed verior eſt numerus maior, XXXV, quia ſequenti itinere a Theueſte Tuſdrum, Aquæ regiæ a Tuſdro alia via, per Germanicianam & Elices, LVIII millibus disiunguntur.

2. Satis longe itaque *Sufetula* in occidentem a Tuſdro & Hadrumeto diſtat, vnde de ceteris quæ adiacent, ex eodem Itinerario iudicari poteſt: e quibus præcipua ſunt *Maſcliana* & *Suſibus* oppida, illud XXXVI millibus a Sufetula; hoc XXV ab eadem in ſeptemtrionem. De ſingulis ex Itinerario ſuperadditis nunc breuiter.

3. *Sufetula* non in obſcuris aut exiguis fuit oppidis, quia duo ad eam Carthagine itinera diriguntur, & aliud a Sufetula Clypeam. In Notitia *Præſidius Sufetulenſis* epiſcopus habetur: apud Auguſtinum lib. VI adv. Donat. cap. XXVI *Priuatianus a Sufetula.*

XXXII.

Suſibus in Itinerario eſt quaſi ἄκλιτον, & Andreas Schottus etiam quarto caſu *Suſibus* ſcripſit. Alii *Suſi* dicunt, vnde Notitiæ & Victori Vitenſi eſt *Euſtratius Sufetanus*, diſtinctus a Sufetulenſi. Auguſtino dicto libro cap. XXVI eſt *Priuatus a Suſibus.* Idem etiam in Cypriani concilio ita nominatur. A Suſibus iter Hadrumetum in Itinerario dirigitur.

XXXIII.

Maſclianæ inter Sufetulam ſunt & Hadrumetum, XXXVI millibus a Sufetula. In multis itineribus hoc oppidum occurrit. Notitia Africæ in Byzacena habet *Bonifacium Maſclianenſem.*

XXXIV.

Aquæ Regiæ iiſdem itineribus laudantur, prope medio loco ſitæ inter Sufetulam & Hadrumetum. Victor Vitenſis & Notitia Byzacenæ habent *Liberatum Aquarum Regiarum* epiſcopum.

XXXV.

Inter has & Hadrumetum *Vicus Auguſti* fuit, XXV millibus ab Hadrumeto. Auguſtini *Vicus Cæſaris* lib. VI cap. XXX adv. Donatiſtas, vbi & apud Cyprianum in Carthag. concilio *Ianuarius a vico Cæſaris* nominatur: quem neſcio cur quidam in Numidiam, alii in Mauretaniam reiiciant. Vide Notas in Cyprianum.

XXXVI.

Septimunicia Itinerarii etiam in Byzacenam cadit. Ex itinere a Tubvrbo per Vallos Tacapas:

Sufibus			
Sufetulam	M.	P.	XXV
Nara	M.	P.	XV
Madarſuma	M.	P.	XXXII
Septimunicia	M.	P.	XXV
Tabalta	M.	P.	XX
Cellas Picentinas	M.	P.	XXX
Tacapas	M.	P.	XXX.

In Notitia & apud Victorem *Paſcaſius Septimunicienſis* epiſcopus eſt.

XXXVII.

Quæ ſequitur *Tabalta* in itinere, videtur præſuli Oxonienſi in Cyprianum, eſſe *Thasbalte* conciliorum. In Notitia eſt *Marcellinus Tasbaltenſis:* & Cypriani Carthaginienſi concilio interfuit *Adelphius a Thasbalte.* Vide & Auguſtin. lib. VI adv. Donat. cap. XLII.

XXXVIII.

Germaniciana etiam in hoc tractu fuit, vt patet ex itinere a Theueſte Tusdrum: ex quo hæc damus:

Sufetula			
Maſclianas	M.	P.	XXXVI
Aquas regias	M.	P.	XVII
Germanicianam	M.	P.	XXIIII
Elices	M.	P.	XVI
Tusdrum	M.	P.	XVIII.

In iam dicto Carthaginienſi concilio, cui Cyprianus præfuit, repetito ab Auguſtino contra Donatiſtas lib. VI & VII, *Iambus a Germaniciana* ſententiam dixit. Vide Auguſtini lib. VII cap. VI.

XXXIX.

Ab hac diuerſa in eodem concilio eſt *Abbir-Germaniciana*, quam in Zeugitanam referunt. Auguſtinus lib. VI cap. XXIII *Succeſſus ab Abbir-Germaniciana.*

XL.

Fuit & *Marazania* in Byzacio. Sic ſcripſit Schottus: Aldus *Marazanis*, quaſi *Marazana*, plurale, recto caſu ſit. In Notitia legitur *Vindicianus Marazianenſis* epiſcopus: nec Victor Vitenſis aliter. Sed quæcunque vera ſcriptura eſt, in prioribus tamen ſyllabis conuenitur, ipſumque oppidum, vt ex itinere ſingulari ab Aquis regiis ad Sufibus adparet, in Byzacio ſitum fuit. Itineris hæc eſt ratio:

Aquis regiis			
Marazania	M.	P.	XV
Sufibus	M.	P.	XXVIII.

Cetera Notitiæ Byzacenæ nomina, quorum plurima ſuperſunt, quia de illis nihil aut parum conſtat, ſaltem locus & poſitio ignorantur, præterire malo, quam aliquid temere ad fi mare. Si per otium plura ex illis inuenero, in medii æui Geographia tradam, ad quam tota illa Notitia pertinet.

SECTIO II.

ZEVGITANA.

XLI.

Zeugitana eſt pars altera Africæ propriæ ſeu regionis Carthaginienſis. Plinius lib. V cap. IV *A Tuſca, Zeugitana regio & quæ proprie vocetur Africa.* Videtur hanc ſolam proprie Africam vocare, ſed Byzacium excludi non poteſt, quia vtraque in ditione erat Carthaginienſium, & poſt in prouincia Romana antiquis temporibus. Poſterioris enim æui diuiſio & multiplicatio eſt prouinciarum. Aethico, fine Coſmographiæ, dicta eſt *Zeuges* vel *Zeugis*. Sic enim in Africæ expoſitione: *Zeuges prius non vnius loci cognomentum, ſed totius prouinciæ fuit, velut in hodiernum ita a prudentibus accipitur. Byzantium* [Byzacium ſic dicit,] *eſt vbi eius metropolis ciuitas Hadrumetus ſita eſt: Zeugis eſt, vbi Carthago ciuitas conſtituta eſt.* Iulius Solinus cap. XXVII ineunte: *Omnis Africa a Zeugitano pede incipit.* A PEDE, hoc eſt *a limite*, Salmaſio interpretante, qui vero Plinium dicentem, ET *quæ propie*, diuiſo ſenſu explicat, quaſi alia Zeugitana ſit, alia Africa proprie dicta: & huic etiam Solini *pedem* accommodat, vt vbi deſinit Zeugitana, incipiat Africa propria. Verum malo Plinii verba, vnde ceteri omnes hauſerunt, *Zeugitana regio* ET *quæ proprie vocetur Africa*, cum Harduino interpretari *eademque proprie Africa vocitata*, vt Aethicus intellexit, cuius iam verba protulimus: & Iſidorus Hiſpalenſis lib. XIV Origin. cap. V *Zeugis, vbi Carthago magna. ipſa eſt & vera Africa inter Byzacium & Numidiam ſita.* Et Marcianus Capella lib. VI de Africæ prouinciis: *Interius Zeugitano regio, quæ proprie vocatur Africa, habet hæc tria promontoria*, cetera. Et Victor

Vitenſis lib. 1 de Perſecutione Africana, *exercitui* [Geiſericus] *Zeugitanam vel proconſularem funiculo hereditatis diuiſit.*

XLII.

Huic Zeugitanæ Plinius tribuit tria promontoria, *Candidum, Apollinis, Mercurii:* & præcipuas vrbes adſignat, vt de ſitu & longitudine Zeugitanæ partis inde iudicari posſit. *A Tuſca,* inquit, *Zeugitana regio & quæ proprie vocetur, Africa eſt. Tria promontoria: Candidum: mox Apollinis, aduerſum Sardiniæ: Mercurii, aduerſum Siciliæ;* * *in altum procurrentia duos efficiunt ſinus, Hipponenſem, proximum ab oppido, quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhytum a Græcis dictum propter aquarum irrigua. Cui finitimum Theudalis immune oppidum, longius a litore. Dein promontorium Apollinis, & in altero ſinu Vtica ciuium Romanorum, Catonis morte nobilis: flumen Bagrada. Locus, Caſtra Cornelia: colonia Carthago, magnæ in veſtigiis Carthaginis: colonia Maxulla. Oppida, Carpi, Miſua, & liberum Clupea in promontorio Mercurii. Item libera Curubis, Neapolis.* Hæc Plinii deſcriptio Zeugitanæ.

XLIII.

Ex hiſce conſtat, a Tuſca fluuio, qui Numidiam finit, ad vsque Hadrumetum Zeugitanam patuiſſe. Hadrumetum enim Plinius primam vrbem Byzacii ſtatuit: Neapolim Zeugitanæ vltimam. Quod vero inter Neapolim & Hadrumetum eſt ſpatium, dubites ad vtram partem referendum ſit. Zeugitanæ tamen attribuemus, quia reliqua eiusdem latitudinis omnia in Zeugitana ſunt; & ſupra Hadrumetum nihil, quod Byzacii ſit, memoratur niſi *Horrea Cælia* in Itinerario: quæ ſimpliciter *ad Horrea* in Peutingeriana Tabula dicuntur: Victor autem Vitenſis in Byzacena cenſuit.

XLIV.

Hinc in litore ad Mercurii promontorium progredientibus occurrit apud Ptolemæum *Aphrodiſium,* Veneris fanum. Deinde eſt *Siagul,* quod in dicta Tabula Peutingerorum *Siagu* ſcriptum eſt. Tum ſequitur *Neapolis colonia:* quam Plinius *liberam* dixit, coloniæ nullam fecit mentionem. Strabo pag. 573 ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα· εἶτα Νεάπολις, *Hermæum promontorium aſperum: dein Neapolis.* Meminit & Hirtius B. Afr. cap. 11 *Clupeam claſſe præteruehitur, deinde Neapolim: complura præterea caſtella & oppida non longe a mari reliquit.* Non noua tum vrbs fuit, ſed Scylaci etiam, antiquisſimo geographo memorata p. 117. Μετὰ τὴν Σύρτιν ταύτην Νεάπολις ἐςί. παράπλȢς δὲ ἀπὸ Ἀδρύμητος ἐπὶ Νέαν πόλιν ἡμερῶν γ′. Μετὰ δὲ Νέαν πόλιν Ἑρμαία ἄκρα καὶ πόλις. παράπλȢς ἀπὸ Νέας πόλεως εἰς Ἑρμαίαν ἡμέρας καὶ ἡμίσεως. *Poſt hanc Syrtin* [minorem] *ſequitur Neapolis. Præteruectio vero ab Hadrumeto ad Neapolim eſt dierum* III, (ex Vosſii coniectura numerus) *Poſt Neapolin eſt Hermæum promontorium & oppidum. Præteruectio a Neapoli ad Hermæum eſt diei vnius & dimidiati.* In Notitia proconſularis prouinciæ eſt *Clementinus Neapolitanus,* puta, epiſcopus. **

XLV.

* Polyb. Hiſtor. I. c. 29 Προσχόντες δὲ τοῖς πρώτοις πλεύσαις ναυσὶν ὑπὸ τὴν ἄκραν τὴν Ἑρμαίαν ἐπονομαζομένην, ἡ πρὸ παντὸς τȢ περὶ τὴν Καρχηδόνα κόλπȢ κειμένη προτείνει πελάγιος ὡς πρὸς τὴν Σικελίαν κ.τ.λ. *Quumque primis nauibus ad promontorium adpuliſſent* Hermæam *dictum, quod e ſinu toto Carthaginienſi prominens in altum longe Siciliam verſus excurrit &c.*

** Plura de hac Neapoli infra ad *Carthaginem* adſcripſit autor §. 53, 1.

Inter Neapolim & Hermæam eſt *Curubis*, vt Plinius ſcripſit & auctor Itinerarii: Ptolemæus Κȣροϐὶς, *Curobis*, Palat. *Curabis*. Plinius etiam *liberam* dixit perinde vt Neapolim. Itinerario inuerſus ordo eſt:

Hadrumeto			
Horrea	M.	P.	XVII
Putput	M.	P.	XXX
Curubim	M.	P.	XXVI
Neapolim	M.	P.	XII
Clypeam	M.	P.	XX.

Quod etiam ſequente itinere confirmatur, quo a Curubi Clypeam dicuntur eſſe XXX millia paſſuum, quod parum differt a priore, quo XXXII numerabantur. Plinius autem Curubim interponit inter Neapolim & Clypeam, qui ordinem curate ita obſeruat: *Oppida, Carpi, Miſua, & liberum Clupea in promontorio Mercurii. Item libera Curubis, Neapolis. Mox Africæ ipſius alia diſtinctio. Libyphœnices vocantur qui Byzacium incolunt.* Et Ptolemæus, Ἑρμαία ἄκρα, Ἀσπὶς, Κȣροϐὶς, Νεάπολις κολώνια, *Mercurii promontorium, Aſpis ſiue Clupea, Curobis, Neapolis colonia.* Accedit Scylacis auctoritas, qui inter Neapolim & Hermæam, ſub qua Clupea eſt, nauigationem vnius & dimidiati diei poſuit: Itinerario autem interſunt tantum XX millia, quod minus ſpatii eſt pro vnius & dimidii diei nauigatione. Ex quo conicitur, mutatos verſus in Itinerario eſſe, & Curubim poſt Neapolim ſcribendam.

XLVI.

Putput autem Itinerarii, in Tabula Auguſtana *Padput*, videtur & *Pupput* adpellari: quo ex Notitia proconſularis prouinciæ *Paſtinatum Puppitanum* epiſcopum referunt.

XLVII.

Dum propius ad Hermæam ſeu Mercurii promontorium accedimus, grandis occurrit Ptolemæi error, qui Clypeam & Aſpidem ſeparat & diuerſa oppida facit, alterum ſupra promontorium, alterum infra locans, vt promontorium in medio ſit, hoc ordine:

Κλυπέα	*Clypea*
Ἑρμαία ἄκρα	*Hermæa promontorium*
Ἀσπὶς	*Aſpis*
Κȣροϐὶς, Pal. Κȣ́ραϐις	*Curobis*, Pal. *Curabis*
Νεάπολις κολώνια	*Neapolis colonia.*

At vna vrbs eſt Græcis *Aſpis*, Latinis *Clypea*, a figura collis, in quo ſita eſt, dicta. Strabo lib. VI p. 191 πρὸ τῆς Ἀσπίδος Καρχηδονιακῆς πόλεως, ἣν Κλυπέαν καλȣ̃σι, *ante Aſpidem, Carthaginienſium vrbem, quam Clypeam dicunt.* Et Solinus cap. XXVII *Clypeam ciuitatem Siculi exſtruunt, & Aſpida primum nominant.* Sic eadem vrbs Ἀσπὶς, *Aſpis*, Polybii, * Appiani, Agathemeri; & Liuii, Melæ, ac Plinii *Clupea*, Solini & Itinerarii *Clypea.* Originem Siculam quam Solinus memorabat, ante hunc Strabo quoque lib. XVII tradidit, ab Agathocle, Siciliæ tyranno, quum bellum cum Carthaginienſibus gereret,

* Hiſt. I c. 29.

ret, eſſe conditam. Nominis vtraque lingua rationem idem docet, collem, in quo condita, fuiſſe Ἀσπίδα, id eſt *clypeum*, ἀπὸ τῆς ὁμοιότητος, *a ſimilitudine* dictum. Eamdem formam vrbis, colli accommodatam, Silius dat lib. III, 243

Tunc quæ Sicanio præcinxit litora muro
In clypei ſpeciem curuatis turribus Aſpis.

2. De ſitu non conueniunt auctores. Plinius, *Clupea in promontorio Mercurii:* at remouet ab illo Polybius lib. I cap. XXIX de Romanorum prima in Africam eunte claſſe: *Quum primis nauibus ad promontorium adpuliſſent Hermæam dictum; quod e ſinu toto Carthaginienſi prominens in altum longe Siciliam verſus excurrit, exſpectatis eo loci nauibus, quæ ſequebantur, cunctaque in vnum coacta claſſe*, ἔπλεον παρὰ τὴν χώραν, ἕως ἐπὶ τὴν Ἀσπίδα καλουμένην πόλιν ἀφίκοντο, *nauigarunt præter oram regionis, donec ad vrbem, quæ Aſpis vocatur, peruenerunt.* Vt ergo ab Hermæa ſeu Mercurii promontorio ad Clupeam venirent, litus legendum & regio præternauiganda erat. Strabo rem magis dubiam & turbatiorem reddit, lib. XVII p. 573, ne in Mercurii quidem promontorio aut prope illud Clupeam ſtatuens, ſed in alterius λόφῳ ſeu colle, quod Ταφῖτιν ἄκραν, *promontorium Taphitin* vocat, vrbe Neapoli inter duo hæc promontoria interiecta. Verba illius ſunt: εἶθ' ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα· εἶτα Νεάπολις· εἶθ' ἄκρα Ταφῖτις καὶ ἐπ' αὐτῇ λόφος Ἀσπὶς καλούμενος ἀπὸ τῆς ὁμοιότητος, ὅνπερ συνῴκισεν ὁ τῆς Σικελίας τύραννος Ἀγαθοκλῆς, καθ' ὃν καιρὸν ἐπέπλευσε τοῖς Καρχηδονίοις. *Deinde* [poſt Carthaginienſe illius pæninſulæ latus] *Hermæa promontorium aſperum; poſt quod Neapolis: dein Taphitis promontorium & in eo collis Aſpis nomine, a ſimilitudine clypei adpellatus, quem Agathocles Siciliæ tyrannus condidit, quo tempore aduerſus Carthaginienſes claſſem duxit.* Atque hæc eſt illa Aſpis vrbs ſiue Clupea, quam contra Plinium, Ptolemæum & auctorem Itinerarii, auſtraliorem facit quam Neapolim: quod etiam contra Cæſaris curſum eſt. Hic enim vt Hirtius Afr. cap. II refert, ex Sicilia *vento certo* vectus *Clupeam claſſe præteruehitur, deinde Neapolim.* Hi ſcriptores Cæſar lib. II Ciuil. cap. XXIII, & Hirtius dicto loco, variant in genere & numero vocabuli, dum vterque ſcripſit *a Clupeis;* vterque etiam *Clupeam* caſu quarto: Liuius autem vna forma lib. XXVII cap. XXIX *ad Clupeam*, & mox, *haud procul Clupea.*

3. Quapropter ſic cenſeo in his diſſonis auctorum ſententiis: primum res certa de Hermæa ſiue Mercurii promontorio, vbi ſitum ſit: Clupea autem non in illo promontorio, vt Plinius dixit, poſita, ſed in colle vicini promontorii, quod Strabo docet, quæ Plinius fortaſſe pro vno habuit & connexis iugis. non enim Clupea in angulo extremo illius pæninſulæ fuit, ſed vt Polybius narrat, a vertice illo ſpatium aliquod ante nauigandum erat, quam veniretur Clupeam: nec vero Neapolis propior Hermææ, quam Clupea fuit, vt in Strabonis libris eſt; ſed ordo aliorum omnium tenendus, vt poſt promontorium, vbi patentior fit pæninſula, *Clupea* fuerit poſita, quia Liuius lib. XXIX cap. XXXII dixit, *patentibus prope Clupeam vrbem campis:* poſt Clupeam, *Curubis*, vt ſupra demonſtratum eſt: tum vero *Neapolis.*

XLVIII.

XLVIII.

Antequam vero hoc latus egrediamur, de Cæſaris *Aquilaria*, quæ procul dubio in hunc tractum incidit, aliquid adiiciendum eſt. Lib. II Civ. B. cap. XXIII ita deſcripſit: *Iisdem temporibus C. Curio, in Africam profectus ex Sicilia, - - - biduoque & noctibus tribus nauigatione conſumtis, adpulit ad eum locum, qui adpellatur Aquilaria. Hic locus abeſt a Clupeis paſſuum* XXII *millia, habetque non incommodam æſtate ſtationem, & duobus eminentibus promontoriis continetur.* Vellem, addidiſſet Cæſar nomina promontoriorum, aut in quam plagam a Clupea, boream an auſtrinam ſita eſſet. Si enim inter Hermæam & Taphitin promontoria fuit, & Clupea ab auſtro oppoſita, vbi L. Cæſar filius cum X longis nauibus præſtolatus eſt; ſequitur, vt vulgares rationes geographorum mutandæ ſint omnes in hoc litore. Quod vero incertum omnino eſt, quæ Cæſar notauerit promontoria, & in quam inde plagam ſita Clupea fuerit; receptum ordinem ſequimur, certiora otioſis cogitanda & eruenda relinquimus, quemadmodum ipſe in poſitis nondum adquieſco, ſed inueſtigo meliora tutioraque, ſi quando bona quadam fortuna inueniri poſſint.

XLIX.

Iungit latera pæninſulæ *Mercurii promontorium*, vt Plinius vocat; ſiue *Hermæa*, vt Græci, Strabo & Ptolemæus. Latus dextrum, quod Syrtes ſpectat, expoſuimus: ſiniſtrum, quod in ſinu Carthaginienſi eſt, nunc exponemus. In hoc Ptolemæus habet *Niſuam* & *Carpin*: de illa non eſt dubium, quin *Miſua* ſit Plinii lib. V cap. IV, ex quo Ptolemæus emendandus eſt. nam in Notitia huius Africæ, ſeu Victoris Vitenſis epiſcoporum catalogo, eſt *Hirundinus Miſſuenſis*, quod Plinii ſcripturam confirmat.

L.

Altera vrbs eſt Καρπὶς, *Carpis* Ptolemæo; Plinio *Carpi*, plurali numero. In Concilio Cypriani fuit *Secundinus a Carpis*: quem ita etiam Auguſtinus lib. VI contra Donatiſt. cap. XXXI nominat. In Notitia proconſularis prouinciæ *Felix Carpitanus* memoratur.

LI.

Tertia vrbs, ad iſthmum, cuius etiam apud Scylacem mentio eſt, ſita, Ptolemæo Μαζοῦλα, dicta, interpreti *Maxula*; vnde in Notitia proconſularis prouinciæ *Carcadius Maxulitanus* epiſcopus laudatur. In Antonini Itinerario *Maxula Prates*, diſcriminis cauſſa, quia Ptolemæo intus alia huius nominis, cognominatur: & ſequente itinere *Maxula ciuitas*: Plinio *Maxulla*, geminato elemento, dicta, qui & coloniam vocat. *Colonia*, inquit, *Carthago, magnæ in veſtigiis Carthaginis: colonia Maxulla. Oppida, Carpi, Miſua, & liberum Clupea in promontorio Mercurii.*

LII.

Poſt Maxulam Ptolemæo ſunt *Catadæ* fluuii oſtia, qui in maris illum excurſum, ad quem Tunis ſita eſt, infunditur. Oppidum illud, quod nunc in potentiſſimam vrbem excreuit, Græcis Τύνης, &, niſi mendum ſubeſt, Τύνις; Latinis *Tunes* dictum. Polybius lib. I cap. XXX γενόμενοι δὲ τῆς προσαγο-

ρευομένης πόλεως Τύνητος ἐγκρατεῖς, εὐφυοῦς ὑπαρχούσης πρὸς τὰς προκειμένας ἐπιϐολὰς, ἔτι δὲ κειμένης εὐκαίρως κατά τε τῆς πόλεως καὶ τῆς σύνεγγυς ταύτῃ χώρας, *deinde potiti* [Romani] *ſunt oppido, cui Tuneti nomen eſt, opportune ſito ad ea, quæ moliebantur, & eo amplius, quia vrbi* [Carthagini] *& vicinæ regioni erat proximum.* * Secundus caſus Τύνητος: rectus Τύνης, *Tunes.* Ibidem cap. LXXIII *Vtica modico ab vrbe* [Carthagine] *interuallo:* ἐπὶ δὲ θατέρου παρὰ τὴν λίμνην ὁ Τύνης, *in altero latere iuxta lacum eſt Tunes.* Strabo lib. XVII pag. 573 ἐν αὐτῷ τῷ κόλπῳ, ἐν ᾧπερ καὶ ἡ Καρχηδὼν, Τύνις ἐςὶ πόλις, καὶ θερμὰ, καὶ λατομίαι τινὲς, καὶ ἐπ' αὐτῶν πόλις ὁμώνυμος· εἶθ' ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα. *In eodem ſinu, in quo Carthago eſt, oppidum quoque Tunis eſt, & aquæ calidæ, & lapicidinæ quædam, & ſupra illas oppidum eiusdem nominis: deinde eſt Hermæa promontorium aſperum.* Et Liuius lib. XXX cap. IX *Scipio iam in Carthaginem intentus, occupat relictum fuga cuſtodum Tuneta: abeſt ab Carthagine* XV *millia ferme paſſuum, locus cum operibus, tum ſuapte natura tutus, qui & ab Carthagine conſpici, & præbere ipſe proſpectum cum ad vrbem, tum ad circumfuſum mare vrbi poſſet.* Et cap. XVI eiusdem libri: *Scipio ad Tuneta rurſum caſtra refert.* Putares plurale vocabulum eſſe: ſed quia ſuperiore loco *relictum Tuneta* dixit; caſus Græcus a *Tunes* eſt exiſtimandus. Diodorus Siculus lib. XIV cap. LXXVIII καταλαϐόμενοι δὲ Τύνητα πόλιν οὐ μακρὰν τῆς Καρχηδόνος κειμένην, *quum Tuneta occupaſſent, vrbem haud procul a Carthagine poſitam.* Et lib. XX cap. LXII ἐπανῆλθεν εἰς Τύνητα, *reuertit Tunetem.* Meminit & alibi eodem libro: cap. XXXIII τὰ τείχη τοῦ Τύνητος, *muros Tunetis:* & cap. LXI ἐπὶ τοῦ Τύνητος. E quibus intelligitur, Strabonis ſcripturam Τύνις, *Tunis* mendoſam eſſe, quia Polybius, Diodorus, & Liuius conſentiunt.

LIII.

Nunc ipſa ſequitur *Carthago*, caput huius Africæ, a Tyriis condita, Romanorum æmula, ** eorumque poſt exciſionem colonia noua. Græcis dicta Καρχηδὼν, Latinis *Carthago*, quod plus habet de origine vocis, quam Solinus cap. XXVII monſtrauit. *Eliſſa,* inquit, *mulier exſtruxit domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit ciuitatem nouam.* Carthada Syriacum eſt קרתא חדתא *vrbs noua* ſeu Neapolis, idque nomen metropoli a Græcis Latinisque ſeruatum fuit: in aliis, ab eadem gente conditis, ceſſit Græcitati, dictæque ſunt *Neapoles* tam in Zeugitana quam in Syrtica ſeu Tripolitana. De vtraque diximus ſupra: Minoris, ſeu quæ in Zeugitana prope Clupeam eſt, antiquitatem ex Scylace probauimus: addimus Thucydidem, qui lib. VII pag. 521 παραπλεύσαντες ἐς Νέαν πόλιν, Καρχηδονιακὸν ἐμπόριον, ὅθεν πρὸς Σικελίαν ἐλάχιςον δυοῖν ἡμερῶν καὶ νυκτὸς πλοῦς ἀπέχει, *in Neapolim nauigantes, quod eſt Carthaginienſe emporium, vnde in Siciliam breuiſſimus eſt traiectus, duorum omnino dierum & vnius noctis nauigatione.* Sed hoc obiter, quia ſupra in Neapoli memoriam effugerat. Atque tantum de nomine.

2. De

* CXX ſtadiis aberat. Polyb. I c. 67 extr.

** Potentiæ ſcilicet & imperii gloriæ, non inſtitutorum. Nam Carthagine reges erant: Polyb. III c. 33. Romani conſules habebant. Carthagine mercatura: Romæ militia magis colebatur. Carthagine ciuilia inſtituta minus prudentia fuerunt, quam Romæ cet. Vid. Iuliani Orat. I pag. 15, adde notas illuſtr. Spanhemii p. 129 ſeqq. & ſcriptores reipubl. Carthaginienſis.

2. De ſitu vrbis ita Polybius lib. I cap. LXXIII ἡ Καρχηδὼν, ἅυτη μὲν ἐν κόλπῳ κεῖται προτείνουσα καὶ χεῤῥοννησίζουσα τῇ θέσει, τὸ μὲν τῇ θαλάττῃ, τὸ δέ τι καὶ λίμνῃ περιεχομένη κατὰ τὸ πλεῖστον· ὁ δὲ συνάπτων ἰσθμὸς αὐτὴν τῇ Λιβύῃ, τὸ πλάτος ὡς εἴκοσι καὶ πέντε σταδίων ἐστί. *Vrbs Carthago in ſinum quemdam prona, pæninſulæque ad figuram accedens, hinc mari, inde lacu maxima ſui parte cingitur. Iſthmus, quo Africæ iungitur, patet in latitudinem ſtadia* XXV. * Strabo lib. XVIII pag. 572 copioſius: *Carthago in pæninſula quadam iacet, quæ ambitum habet ſtadiorum* CCCLX, *muro cinctum, cuius ſexaginta ſtadiorum longitudo* ὁ αὐχὴν, *collum occupat, vbi elephantorum ſtabula erant.* κατὰ μέσην δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, ὀφρὺς ἱκανῶς ὀρθία, κύκλῳ περιοικουμένη. *In media vrbe arx fuit, quam Byrſam vocarunt, ſupercilium ſatis erectum, circumcirca habitatum: in cuius vertice* Ἀσκλήπιον, *Aeſculapii templum fuit, quod Asdrubalis vxor, capta vrbe, ſecum concremauit.* ὑπόκεινται τῇ ἀκροπόλει οἵ τε λιμένες καὶ ὁ Κώθων, νησίον περιφερὲς εὐρίπῳ περιεχόμενον, ἔχοντι νεωσοίκους ἑκατέρωθεν κύκλῳ: κτίσμα δ' ἐστὶ Διδοῦς ἀγαγούσης ἐκ Τύρου λαόν. *Arci portus ſubiacent, & Cothon parua inſula ac rotunda, euripo circumdata, ad cuius in vtramque partem ſunt in orbem naualia. Eam vrbem Dido condidit, colonis Tyro adductis.* Plura de Cothone ** & Byrſa *** Appianus Pun. pag. 129, ſeq. qui illum portum vocat, τῶν λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι, *portuum ei, qui Cothon vocatur*, puta, Scipio acceſſit: hanc, Byrſam, dicit τὸ ὀχυρώτατον τῆς πόλεως, *vrbis partem munitiſſimam.*

3. Magnitudinem & potentiam Carthaginis bella Punica demonſtrant: tandem victa, capta, ſolo æquata. Inſtaurationem C. Gracchus ſuaſit, Tiberii frater, ſed omine res fuit impedita. Et Cæſar Iulius idem in animo habebat, ſed occiſus ante, quam perficeret. Opus ergo Auguſto Cæſari relictum fuit, qui ſplendide reſtituit, non quidem in eodem prorſus loco, quo vrbs vetus fuerat; proximo tamen maxime, φυλαξάμενος τῆς πάλαι τὸ ἐπάρατον, *deuotiones diras vrbis veteris cauens religioſe.* Vide Appianum in Punicis extremis, & Liuii epitomam LX, etiam, ſi placet, quæ nos ad Eutropii lib. IV cap. IX notauimus. Ex quo colonia Romana facta, iterumque caput eius regionis & præcipua vrbium Africanarum. Plinius coloniam expreſſe vocat. *Colonia*, inquit, *Carthago, magnæ in veſtigiis Carthaginis.* Et nummos Seueri, Caracallæ & Decii Traiani, inſcriptos COL. AVR. KAR. KOMM. P.F. quos quidam ad Carras referunt, erudite Harduinus ita interpretatur: *Colonia Aurelia Carthago Commodiana Pia Felix.* idque ex Lam-

* Add. Oroſius IV hiſt. c. 22 p. 277.

** Vide etiam Diodorum Siculum III pag. 178.

*** Καθάπερ δήποτε λέγεται, Καρχηδονίους χωρίον ἰσομέτρητον Βύρσῃ παρὰ Λιβύων αἰτησαμένους, εἰς λεπτὸν ἱμάντα κατατεμόντας τὴν Βύρσαν πολυπλασιάσαι τὴν δωρεάν· καὶ νῦν ἔτι Καρχηδόνιοι Βύρσαν τὸν τόπον ἐπονομάζουσιν, εἰρωνευόμενοι τῇ σμικρότητι τοῦ ὀνόματος πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ χωρίου. *Quemadmodum olim ferunt Carthaginienſes, quum tantumdem ſpatii quantum bubalo corio occupari poſſet, ab Afris impetraſſent, præfecto in exiguum lorum corio multiplicatam donationem vſurpaſſe. Et hodieque Carthaginienſes Byrſam, id eſt, corium locum illum adpellant, ex exiguitate nominis ad loci magnitudinem adludentes.* Themiſtius Orat. XXI pag. 260, 261. Lepida fabula, vel a Romanis ægris & inuidis vel a Græcis linguæ ſuæ abuſu lætatis excogitata & ridicule conficta! Nam Carthaginienſium lingua *arx* ſignatur, non *corium* per nomen בוצרה. Plura vide apud Bochartum Chanaan I c. 24 pag. 513 & II c. 10 pag. 816.

pridii Commodo cap. XVII illuſtrat. De dignitate illi reddita Prudentius hymno XVIII Martyrum v. 61

Vix parens orbis populoſa Pœni,

id eſt metropolis Africæ. Et Strabo de eadem p. 573 καὶ νῦν, εἴ τις ἄλλη, καλῶς οἰκεῖται τῶν ἐν τῇ Λιβύῃ πόλεων, *hodie ita frequenter habitatur, vt nulla Africæ ciuitas melius.* Summatim hæc Pomponius Mela lib. I cap. VII perſtrinxit: *Vrbes Vtica & Carthago: ambæ inclitæ, ambæ a Phœnicibus conditæ. Illa fato Catonis inſignis; hæc ſuo: nunc populi Romani colonia, olim imperii eius pertinax æmula: iam quidem iterum opulenta, etiam nunc tamen priorum excidio rerum, quam ope præſentium, clarior.*

LIV.

Poſt Carthaginem Ptolemæo ſunt *Bagradæ* fluuii oſtia: Plinius lib. V cap. IV inuerſo ordine *Corneliæ caſtra* interponit. *Vtica,* inquit, *ciuium Romanorum, Catonis morte nobilis: flumen Bagrada: locus, Caſtra Cornelia: colonia Carthago.* Sed præſtat Ptolemæum ſequi quam Plinium, quia Cæſar II Ciuil. cap. XXIV Curionem ait ad flumen Bagradam perueniſſe, ibique relictis legionibus, *cum equitatu antecesſiſſe ad caſtra exploranda Corneliana,* tamque prope [ad Vticam] accesſiſſe, vt Vari caſtra muro oppidoque coniuncta conſpexerit. Sed de his poſtea, quum ipſa Caſtra Cornelia ſpeculabimur: iam *Bagradam* perſequemur. Flumen hoc longe per Africam decurrens, inter Vticam & Carthaginem in mare effunditur, propius tamen Vticæ, quam Carthagini. Strabo lib. XVII p. 572 ῥεῖ τῆς Ἰτύκης πλησίον ὁ Βαγάδρας ποταμὸς, *prope Vticam Bagadras amnis labitur.* Sic editum transpoſitis litteris: alii fere omnes *Bagradas* ſeu *Bagrada* ſcripſerunt. Cæſar lib. II Civ. cap. XXIV *Curio ad flumen Bagradam peruenit:* & cap. XXVI *Curio ſe in caſtra ad Bagradam recepit.* Et Liuius lib. XXX cap. XXV *quum ad Bagradam flumen perueniſſent, vnde caſtra Romana conſpiciebantur.* Gellius lib. VI cap. III ex Tuberone refert, *Attilium Regulum, caſtris apud Bagradam flumen poſitis, prœlium grande atque acre feciſſe aduerſus vnum ſerpentem, illic ſtabulantem, inuſitatæ immanitatis; eumque balliſtis atque catapultis diu oppugnatum tandem confeciſſe, & corium longum pedes* CXX *miſiſſe Romam.* Lucanus lib. IV verſ. 587 itidem de Curione:

Primaque caſtra locat cano procul æquore, qua ſe
Bagrada lentus agit ſiccæ ſulcator arenæ.

Ptolemæus Βαγράδα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Bagradæ fluuii oſtia.* Ex quibus ſat clare adparet, Strabonis metatheſin contra conſenſionem tantam non valere: minus alteram Appiani, qui lib. II Ciuilium p. 748 ſcripſit ἀμφὶ τὸν Βραγάδαν ποταμὸν, *circa flumen Bragadam.*

LV.

Sequitur apud Ptolemæum Κορνηλίου παρεμβολὴ, *Cornelii caſtra,* id eſt Scipionis maioris, qui prima caſtra ibi metatus fuit, quum ad Africam Punico ſecundo bello adpuliſſet. Oroſius lib. IV cap. XXII de tertio bello: *Profecti in Africam conſules, & Scipio tunc tribunus militum: prope Vticam maioris Africani caſtra tenuerunt.* Plinius, vt vidimus, *Caſtra Cornelia,* dixit:

Cæſar

Cæſar lib. II Civ. cap. XXIV ſeq. *Caſtra Corneliana:* Appianus II Ciuil. p. 747 τὸν χάρακα τὸν Σκιπίωνος, *Scipionis vallum:* quemadmodum de iisdem caſtris Lucanus lib. IV verſ. 699

- - - *en veteris cernis veſtigia valli.*

Poſitionem optime Cæſar deſcripſit dicto loco: *Curio ad flumen Bagradam peruenit: ibi C. Caninium Rebilum legatum cum legionibus relinquit: ipſe cum equitatu antecedit ad caſtra exploranda Corneliana, quod is locus peridoneus caſtris habebatur. Id autem eſt iugum directum, eminens in mare, vtraque ex parte præruptum atque aſperum, ſed paullo tamen leniore faſtigio ab ea parte quæ ad Vticam vergit; abeſt directo itinere ab Vtica paullo amplius paſſus M. Sed hoc itinere eſt fons, quod mare ſuccedit. longe lateque is locus reſtagnat: quem ſi quis vitare voluerit, VI millium circuitu in oppidum perueniet.*

LVI.

Non puto aberrare, qui hoc loco *Pulchrum promontorium* quæſierit, cuius ſollemnis eſt mentio in fœdere Romanorum cum Carthaginienſibus, quo cautum eſt apud Polybium lib. III cap. XXII, ΜΗ ΠΛΕΙΝ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΜΗΤΕ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΣΥΜΜΑΧΟΥΣ ΕΠΕΚΕΙΝΑ ΤΟΥ ΚΑΛΟΥ ΑΚΡΩΤΗΡΙΟΥ, NE NAVIGANTO ROMANI ROMANORVMVE SOCII VLTRA PVLCHRVM PROMONTORIVM. Liuius lib. XXIX cap. XXVII dicit, *infra* Mercurii promontorium ſitum eſſe. *Gubernator,* inquit, *Scipioni ait, non plus quinque millia paſſuum Africam abeſſe, Mercurii promontorium ſe cernere. Si iubeat eo dirigi, iam in portu fore omnem claſſem. Scipio - - - dare vela, & alium infra nauibus acceſſum petere iubet. - - - - Vbi illuxit, ventus idem coortus, nebula disiecta, aperuit omnia Africæ litora. Scipio, quod eſſet proximum promontorium, percontatus, quum Pulchri promontorium id vocari audiſſet; Placet omen, inquit, huc dirigite naues. Eo claſſis decurrit, copiæ omnes in terram expoſitæ ſunt.* At quum maior Scipio in Africam nauigaret, apud Vticam exſcenſionem fecit & caſtra poſuit. Appianus Punicis pag. 13 *Asdrubal & Syphax caſtra habebant* περὶ Ἰτύκην πόλιν· ἐς ἣν ὁ Σκιπίων καταχθεὶς ὑπ᾽ ἀνέμων, καὶ αὐτὸς ἐστρατοπέδευσε περὶ αὐτήν. *circa Vticam vrbem: ad quam Scipio ventis delatus, ipſe quoque circa illam caſtra poſuit.* Sed Polybius reclamat lib. III cap. XXIII. Τὸ οὖν Καλὸν, inquit, ἀκρωτήριόν ἐστι, τὸ προκείμενον αὐτῆς τῆς Καρχηδόνος πρὸς τὰς ἄρκτους. *Pulchrum promontorium vocatur, quod Carthagini præiacet in ſeptemtriones.* Putares proxime Carthagini imminere, & quidem a ſeptemtrione, vltra quod Romanis, vi fœderis, ὡς πρὸς μεσημβρίαν, *meridiem verſus,* nauibus longis non liceat nauigare. Fateor non leuiter me turbari hac deſcriptione: * quamuis nec ignorem, ſæpe veteres laxe

* Aeſtus explicari ſic poterit. Polybii auctoritas eſt ſacroſancta, quippe in Africa verſati, & rationibus inſtructi. Ait enim, Carthaginienſes interdixiſſe Romanis tranſitum promontorii pulcri, *ne Byſacium & loca Syrti paruæ vicina noſcitarent, quæ propter regionis præſtantiam Emporia vocent.* Vid. III Polyb. c. 23. Ergo *promontorium pulcrum* illud ipſum eſt, quod Carthagini a ſeptemtrionibus obiacet. Nam illud ſpectat Syrtim minorem. Polybio ſuffragatur Plinius, qui *Mercurii promontorium* Siciliæ obiectum ait, vt promonto-

plagas locorum definire, quod ex rudibus eorum tabulis, quibus terrarum orbis, aut partes illius repræſentabantur, originem habere videtur. Sed alii iudicent, inueniantque certiora. Satis nobis eſt, in vtramque partem, quod auctores ſentiant, propoſuiſſe: nec ceteris Polybius facile conciliatur. Vtrum vero Apollinis promontorium, quod Plinius, Strabo, & Ptolemæus vocant, & ſupra Vticam eſt, etiam Pulchrum adpellatum fuerit, an hoc ab illo diſtinctum, ſit Cæſaris *iugum directum, eminens in mare,* quod Caſtra Corneliana continebat, non poſſum explicare.

LVII.

Nunc ipſa vrbs *Vtica* ſequitur, Græcis Ἰτύκη, *Ityca* dicta, Dioni autem Caſſio lib. XLI & ſeq. etiam Οὐτική, Latino more; &, quod Mela, Velleius, Iuſtinus, Stephanus aiunt, itidem Tyriorum colonia, & exciſa Carthagine caput regionis Strabo lib. XVII p. 572 ἡ Ἰτύκη δευτέρα μετὰ Καρχηδόνα τῷ μεγέθει καὶ τῷ ἀξιώματι· καταλυθείσης δὲ τῆς Καρχηδόνος, ἐκείνη ἦν ὡς ἂν μητρόπολις τοῖς Ῥωμαίοις καὶ ὁρμητήριον πρὸς τὰς ἐν Λιβύῃ πράξεις. *Vtica & magnitudine & dignitate ſecunda eſt poſt Carthaginem; atque, hac exciſa, caput regionis fuit, vnde res ſuas Romani in Africa geſſerunt.* Addit in eodem ſinu ſitam, in quo Carthago, πρὸς θατέρῳ τῶν ἀκρωτηρίων τῶν ποιούντων τὸν κόλπον· ὧν τὸ μὲν πρὸς τῇ Ἰτύκῃ καλοῦσιν Ἀπολλώνιον, θάτερον δ' Ἑρμαίαν, καὶ εἰσὶν ἐν ἐπόψει ἀλλήλαις αἱ πόλεις, *ad alterum poſita ex promontoriis, quæ ſinum faciunt: quorum id, quod iuxta Vticam eſt, Apollonium vocatur, alterum vero Hermæa.* Multa mentio in Cæſaris Ciuili bello: nec paruum nobilitatis pondus mors Catonis addidit. qui inde *Vticenſis Cato* adpellatur apud Plinium lib. VII cap. XIV & XXX: & ipſa Vtica *Catonis morte nobilis,* lib. V cap. IV.

2. Ciues ſunt Ἰτυκαῖοι, Polybio lib. I cap. LXXIII; Dioni autem, vt iam oſtendemus, Οὐτικήσιοι: *Vticenſes* Cæſari II Civ. cap. XXXVI, Hirtio B. Afr. cap. LXXXVI. Hos ciuitate Romana Auguſtus donauit. Dio Caſſius lib. XLIX p. 401 τοὺς Οὐτικησίους πολίτας ἐποιήσατο, *Vticenſes ciues Romanos fecit.* Hinc eſt quod Plinius dicit lib. V cap. IV *Vtica ciuium Romanorum.* Nummi etiam Vticenſis ciuitatis ſuperſunt, Tiberii, MVN. IVLII VTICEN. D. D. P. hoc eſt *Municipii Iulii Vticenſis Decuriones poſuere,* vt Io. Harduinus

rium Apollinis Sardiniæ. Atqui nullum in Zeugitana promontorium eſt, quod Siciliam verſus excurrit, niſi id ipſum quod Carthagini a ſeptemtrionibus obuerſum eſt. Ergo Plinii *promontorium Mercurii* & Polybii *Promontorium Pulcrum* ſolo nomine diſcrepant, re conueniunt. Immo nomina quoque ipſa conſpirant. Nam *Mercurii promontorium* eſt idem quod ἄκρα Ἑρμαία. Ἑρμαία eſt Carthaginienſe nomen חרמירן, quod quum Græci ex ſuæ linguæ rationibus intelligerent, Latini ſcriptores decepti *promontorium Mercurii* nobis conflarunt. Polybius vero, gentis ſuæ errore cognito, per εὐφημισμὸν ἀκρωτήριον καλὸν adpellauit, hoc eſt, *nequaquam exſecrandum, nequaquam diis hominibusque inuiſum, nequaquam inhoneſtum & ferale.* Liuius vero non repugnat Polybio. Nam quum paullo infra Mercurii promontorium deuectus eſſet, exſcendendi cupidus Scipio, quærit: *quod eſſet proximum promontorium?* Gubernator ſuperſtitionis Romanæ guarus, *pulcrum* reſpondit. Tum ergo Scipio exſcendit ominis bonitate inuitatus. Naues autem Vticam, occidentem verſus, miſit: *ipſe haud ita multum progreſſus a mari tumulos Carthagini proximos cepit.* Liuius XXIX cap. 29. Non ergo Scipio Vticæ exſcendit e nauibus: nec Vticæ fuit *promontorium pulcrum.*

nus interpretatur: & alius eiuſdem Tiberii: IMMVNIS VTICEN. D. D. *Immunis Vticenſis* [ciuitas] *Decurionum decreto*, eodem interprete. Tabula Peutingeriana, *Vtica colonia.*

LVIII.

Supra Vticam eſt illud *Apollinis promontorium*, de quo ante diximus, ita Plinio & Ptolemæo vocitatum, Straboni Ἀπολλώνιον, *Apollonium*, qui πρὸς τῇ Ἰτύκῃ, *iuxta Vticam* dixit eminere; Plinius *aduerſum Sardiniæ* eſſe.

LIX.

Poſt quod Ptolemæo eſt *Thiniſſa;* in Itinerario *Tuniza:* in Peutingeriana Tabula eodem loco inter Vticam & Hipponem Diarrhytum eſt *Tumſa*, vt adparet, pro *Tuniſa* vel *Thiniſa.*

LX.

Tum ſequitur apud Ptolemæum *Hippo Diarrhytus*, ad diſcrimen Hipponis Regii, qui in Numidia eſt, ita cognominatus. Hunc ordinem etiam Plinius lib. V cap. IV ſeruauit. *A Tuſca*, inquit, *Zeugitana regio & quæ proprie vocetur Africa. Tria promontoria: Candidum: mox Apollinis, adverſum Sardiniæ: Mercurii, aduerſum Siciliæ, in altum procurrentia duos efficiunt ſinus, Hipponenſem, proximum ab oppido, quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhytum a Græcis dictum, propter aquarum irrigua.* Pro librorum *dirutum* vtique, vt Harduinus cenſet, *Zarytum* legendum, vt *diarytum* intelligatur, eo modo, quo *Zabulus* pro *Diabolus; Zeta* ſeu *Zæta* pro *diæta* ad vulgarem pronuntiandi conſuetudinem ſcribebatur. nam Plinii temporibus hic Hippon nequaquam erat dirutus, ſed illuſtris colonia, vt ex minoris Plinii lib. IX epiſt. XXXIII poſt paullo demonſtrabimus. Eumdem ordinem & conſequentiam videmus etiam in Auguſtana Tabula teneri, corruptis quamquam vocabulis, ita:

Ipponte diarito XX *Tumſa* X *Membione* VI *Vtica colonia.*

Igitur Appianus in Pun. pag. III caſtigandus eſt, qui Hipponem inter Vticam & Carthaginem locauit, ſi modo pro Ἱππάγρετα *Hippo Zarytus* cum interprete legamus, cui tamen illuſtris deſcriptio præſidio eſt, μεγάλη, καὶ τείχεσι, καὶ ἀκροπόλει καὶ λιμέσι καὶ νεωρίοις κατεσκεύαστο, *vrbs magna, mœnibus, arce, portubus, naualibus inſtructa* ab Agathocle Siciliæ tyranno. De hac, quoquo fuit nomine, μέση δ᾽ ἐστὶ Καρχηδόνος καὶ Ἰτύκης, *media eſt*, inquit, *inter Carthaginem & Vticam:* quod de Hippone falſum eſt, vti ex Ptolemæo, Plinio & vetuſta Tabula oſtendimus. Conſentiunt cum his etiam Aethicus Coſmographus, & auctor veteris Itinerarii. Ille hac ſerie in Oceani meridiani, vt vocat, oppidis:

Hadrumetum,
Neapolim,
Clypeis,
Carthaginem,
Vticam,
Hippone Zarito,
Thabracam,

Ippone

Ippone regio
Ruſiccade.

In Antonini autem Itinerario, itinere a Tingi litoribus, hic obſeruatur ordo per Numidiam & Zeugitanam:

Hippone Regio col.			
Ad Dianam	M.	P.	XXXII
* *Nalpoltes*	M.	P.	XL
Thabracam	M.	P.	XXXIV
Hipponem Zarrhytum	M.	P.	LX
Tunizam	M.	P.	XX
Memlonem	M.	P.	X
Vticam	M.	P.	VI
Ad Gallumgallinaceum	M.	P.	XII
Carthaginem	M.	P.	XV.

Vides ſic Hipponem Diarrhytum eſſe in Zeugitana extrema: nam Tabracam Plinius in Numidia cenſuit; qui ergo potuit inter Vticam eſſe & Carthaginem? Ceterum de Hippone noſtro Plinius lib. IX epiſt. XXXIII *Eſt in Africa Hipponenſis colonia, mari proxima: adiacet ei nauigabile ſtagnum, ex quo, in modum fluminis, æſtuarium emergit, quod vice alterna, prout æſtus aut repreſſit aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur ſtagno.* Eſſe enim hunc Hipponem Diarrhytum, non Regium, præter *Africæ*, hoc eſt propriæ nomen (Regius enim in Numidia eſt) ex argumento patet epiſtolæ, quæ lepidam hiſtoriam de delphino, puero inſilienti ſe præbente eumque vehente, in altum & reuehente, enarrat. Idem delphini ſpectaculum maior Plinius lib. IX cap. VIII expreſſo nomine *Hippone Diarrhyto* dicit factum eſſe. In Notitia prouinciarum Africæ, & apud Victorem Vitenſem eſt *Marianus Hippzaritenſis* in Proconſularis prouinciæ epiſcopis.

LXI.

Inter Diarrhytum Hipponem & Numidiæ coloniam Tabracam Ptolemæus habet *Neptuni aras*, & *Apollinis templum*, loca nomine quam fama clariora: Plinius autem intra Tuſcam, Numidiæ terminum, promontorium *Candidum* locauit. Sequutus eſt Melam, lib. I cap. VII ex Numidia incipientem: *Oppida, Hippo regius, & Ruſicade, & Tabraca. Deinde tria promontoria, Candidum, Apollinis, Mercurii, vaſte proiecta in altum, duos grandes efficiunt ſinus: Hipponenſem vocant proximum ab Hippone Diarrhyto, qui litori eius adpoſitus eſt: in altero ſunt caſtra Dellia, caſtra Cornelia, flumen Bagrada, vrbes Vtica, & Carthago.* Ex Plinio Solinus hauſit ineunte cap. XXVII. *Omnis*, inquit, *Africa a Zeugitano pede incipit, promontorio Apollinis Sardiniæ contrauerſa: promontorio Mercurii procedens in frontem Sicanam. Proinde extenta in duas prominentias, quarum altera promontorium Candidum dicitur: alteram, quæ eſt in Cyrenaica regione, Phucuntem vocant.* Plura non habemus de Candido promontorio: Ptolemæus prætermiſit. Ex dictis autem conſtat, in extrema, occaſum verſus, Zeugitana eſſe, longeque procurrere in ſeptemtrionem, vt Mercurii, & Phycûs.

LXII.

LXII.

Tandem eſt *Tuſca* amnis, diſterminator Numidiæ & Zeugitanæ, ſecundum Plinium lib. v cap. III & IV. *At in ora*, inquit, [Numidiæ] *Tacatua, Hippo regius, flumen Armua: oppidum Tabraca ciuium Romanorum: Tuſca fluuius, Numidiæ finis. - - - A Tuſca Zeugitana regio.* Igitur inter Tabracam & Hipponem Diarrhytum effluit. Nulla eius apud Ptolemæum mentio, neque ſub alio nomine; qui eo loco nulla memorauit oſtia. Sed plura de hoc paullo ad Siſaram & Hipponitin paludes.

ZEVGITANA MEDITERRANEA.

LXIII.

In mediterraneis ignotior Africa, quum in litore, & quibus ſedem tribuere in tanta obſcuritate poſſumus, ex fide Ptolemæi & veteris Itinerarii pendent. Sub Mercurii promontorio apud Ptolemæum ſunt *Almœna, Vticna, Chrabaſa, Turzo*, obſcura nomina: quibus forſan *Pagus Mercurialis* ex lapide Tunetani agri apud Sponium Miſcell. erud. Antiquit. pag. 191 addendus, quem ille doctiſſimus vir a Mercurii promontorio putat nomen habere. Inſcriptio Iuliæ Domnæ auguſtæ dicata EX DECRETO PAGANOR. PAGI MERCVRIALIS VETERANORVM MEDILITANORVM. Quinam vero illi Medilitani ſint, ignorare ſe fatetur Sponius. Notitia Numidiæ habet *Florentianum Midilenſem.* At ſic incertius erit, hunc pagum prope Mercurii promontorium fuiſſe.

LXIV.

In meridiem hoc tractu vergunt *Vlizibirra, Mediccara, Tucma, Cerbica, Saſura, Cilma, Vepillium*, & alia æque ignobilia, vſque ad Libyæ deſerta, quæ ſola Ptolemæi fide nituntur.

LXV.

Sub Carthagine intus in meridiem recedunt *Maxula vetus*, Κεῖνα, *Quina* colonia ad Ampſagam fluuium: iuxta quem etiam ponuntur *Vthina*, cuius epiſcopus *Felix ab Vthina* Cypriani concilio interfuit apud Auguſtinum lib. VI contra Donatiſt. cap. XXXIII: *Audira; Tuburbo* maius, quod diſcriminis nomen Peutingeriana tabula additum; Ptolemæus tantum *Tuburbo: Bullaminſa, Nuroli, Ticelia, Thabba, Tichaſa, Negeta, Tuſcubis, Timica*, vſque ad *Mampſarum* montem.

LXVI.

Sub Vtica & Hippone, *Vzan, Thiſica, Cipipa, Meldita, Siſara* palus, infra quem prope Hipponem Diarrhytum alia eſt *Hipponitis* dicta, quæ in Agathodæmonis Ptolemaica tabula flumine iunguntur, quod multis videtur Plinii Tuſcam amnem repræſentare, cetera prætermiſſum a Ptolemæo. Supra Siſaram paludem eſt *Theudale* Ptolemæi, de qua Plinius lib. v cap. IV *Cui* [Hipponi Diarrhyto] *finitimum Theudalis immune oppidum, longius a litore.* Si vero finitimum, nimis longe in auſtrum deduxit Ptolemæus. Hinc *Tobros, Auitta*, quam & Tabula Peutingeri habet; *Ilica, Tucca*, &

Dabia ſub *Cirna* monte: & in auſtrum magis *Vazua, Bendena, Nenſa, Themiſſua, Aquæ calidæ, Zamamizon,* [Ζαμαμιζών] & *Zigira, Thaſia,* ac ad Mampſarum montem *Thunuba, Muſſe.*

LXVII.

Hæc ex Ptolemæo. Addenda Hirtii *Parada* in via a Thapſo ferente Vticam. Sic enim cap. LXXXVII Belli Africani: *Equites interim Scipionis, qui ex prœlio fugerant, quum Vticam verſus iter facerent, perueniunt ad oppidum Paradam.* Quidam putant eſſe Strabonis *Pharam,* quam dicit Scipionis equites incendiſſe: quod Hirtius etiam de Parada narrat. Sed res non eſt certiſſima, quia Strabo Pharam cum Thena, Acholla, Zella coniungit, quæ ad ſinum Syrticum oppida ſunt, extra viam, inde Vticam ferente. Nemo præterea mentionem habet *Paradæ,* vt de ſitu eius quanto interuallo vel a loco prœlii, vel ab Vtica afuerit, nihil certi poſſimus ſtatuere.

LXVIII.

Plura addenda ſunt ex Itinerario Antonini: *Vnuca, Vina, Valli, Cigiſa, Tuburbo minus, Coreua, Muſti, Membreſſa, Sicilibba, Aſſuræ, Tucca Terebinthina, Cilio.* Situm horum itinera illuſtrant. Ab Hippone Regio duo itinera ſunt Carthaginem: Ex primo hæc ſunt:

Cluacaria			
Tuburbo minus	M.	P.	XV
Cigiſam	M.	P.	XXVIII
Carthaginem	M.	P.	XVIII.

Alterum iter ab Hippone Regio Carthaginem ſic habet:

Hippone Regio			
Tagaſte	M.	P.	LIII
Naraggara	M.	P.	XXV
Siccam Veneriam	M.	P.	XXXII
Muſti	M.	P.	XXXIIII
Membreſſam	M.	P.	XXXV
Sicilibram	M.	P.	XIII
Vnucam	M.	P.	XIII
Pertuſam	M.	P.	VII
Carthaginem	M.	P.	XIIII.

Ex quibus in Auguſtana tabula Cluacaria ſcribitur *Clucar:* Tuburbo minus, vna contracta voce *Tuburbiminus:* Cigiſa, *Ciciſa:* cuius diſtantia a Tuburbo in Itinerario XXVIII M. P. eſt: in Tabula autem tantum XVIII. Ex altero Itinere *Muſti* dubiæ poſitionis eſt, in Notitia ad Numidiam translata, vbi *Antonianus Muſtitanus* in Numidiæ epiſcopis inuenitur: contra Vibius Sequeſter de Fluminibus, in *Bagrada,* ad ipſum hoc flumen, quod mediam Zeugitanam perlabitur, oppidum *Muſti* collocauit. *Bagrada,* inquit, *Africæ iuxta oppidum Muſti, vbi Regulus ſerpentem longum* P. CXX, *exercitu adhibito, interfecit.* Et ſane non longe a Bagrada fuiſſe, itinera cetera,

tera, a Tuburbo per Vallos, & a Carthagine Sufetulam oſtendunt. Ordo par vtriusque eſt:

Carthagine			
Vnucam	M.	P.	XX
Vallos	M.	P.	XXII
Coreuam	M.	P.	XX
Muſti	M.	P.	XXVI
Aſſuras	M.	P.	XX
Tuccam Terebinthinam	M.	P.	XII
Suſibus	M.	P.	XXV
Sufetulam	M.	P.	XXV.

Quapropter ex Numidia oppidum *Muſti* reduco, nec admiſerim facile, vt aliud huius nominis oppidum in Numidia fuerit, aliud in prouincia Zeugitana. Ortelius male huc Ptolemæi *Muſſe* refert, quod *Muſte* in Agathodæmonis tabula ſcribitur; quia hoc in extremo auſtro ad *Mampſarum* montem eſt, itinera autem Antonini non longe a maritima ore recedunt.

LXIX.

Membreſa ſiue *Membreſſa*, & in Peutingeriana *Membriſſa*, in conciliis memoratur. In Cypriani Carthaginienſi & apud Auguſtinum lib. VII adv. Donatiſt. cap. XXVI epiſcopus *Lucius a Membreſa* eſt: in Notitia Africæ, & apud Victorem Vitenſem *Bonifacius Membroſitanus* laudatur; lege *Membreſitanus.* nam Procopius etiam lib. II Vandal. cap. XV littera E longa ſcripſit: καὶ αὐτοὺς ἐς Μέμβρησαν πόλιν καταλαμβάνει, πεντήκοντα καὶ τριακοσίοις σταδίοις Καρχηδόνος διέχουσαν. *&* [fugientes] *ad Membreſam adſequutus eſt, quæ vrbs* CCCL *ſtadiis a Carthagine abeſt.* Itinerario eſt duplici littera *Membreſſa,* tam Aldi quam aliorum editionibus, ad E longum exprimendum.

LXX.

Sicilibra, Itinerarii, in Auguſtana tabula *Sicilibba* ſcripta eſt, quæ verior ſcriptura, quia & Auguſtinus lib. VII contra Donat. cap. III *Satium a Sicilibba* epiſcopum habet, & vt P. P. Benedictini adnotant, in duobus codicibus *Sicilippa.* Cypriani quoque concilio ed. Oxon. *Sicilibba.*

LXXI.

Vnuca Itinerarii in Auguſtana tabula eſt *Inuca*, a Sicilibba etiam XIII diſtans millibus, vt in Itinerario. Hinc *Pertuſa* VII abeſt millibus: at in Tabula *Adpertuſa* millibus II, vt alterum ex altero emendandum ſit.

LXXII.

Quod tertium circa Bagradam amnem, ad vtramque ripam eius, dexteram maxime, iter modo deſcripſimus, ex illo explicanda hæc reſtant oppida: *Valli, Coreua, Aſſuræ, Tucca Terebinthina.* Primum, *Valli,* etiam in Cod. Theodoſiano occurrit, quia lex VII de Iure fiſci, ibi data eſt Conſtantio IX & Iuliano Cæſare conſulibus. In Peutingeriana Tabula *Vallis* legitur inter Choreuam & Sicilibbam, inde XX, hinc XI millibus. *Quod-*

vultdeus Vallitenſis in collatione fuit Carthaginienſi, ſi vera ibi ſcriptura eſt. *Coreua,* in Tabula *Choreua,* xx millibus a Vallis.

LXXIII.

Aſſuræ, plurali, quia quarto caſu *Aſſuras* Aldus, Simlerus, Schottus legunt: & ſexto Aethicus, *Aſſuris;* & Auguſtinus lib. VII cap. XXXII *Victor ab Aſſuris.* Ptolemæo eſt Ἄσσουρος, *Aſſurus,* in Numidia noua, vt ait, apud Siccam Veneriam; longo interuallo a loco, quem auctor Itinerarii deſignat. An eadem, per errorem in Numidiam transducta ſit, non habeo dicere. Inuitus multiplico loca eiusdem nominis; neque vero conciliari hæc, rationibus vtriusque ſaluis, poſſunt. In Notitia prouinciæ conſularis eſt *Peregrinus Aſſuritanus* epiſcopus.

LXXIV.

Tucca Terebentina, ſic diſcriminis cauſſa dicta in Antonini itineribus ſupra adlegatis, quod iam adfuit alia Tucca in hac prouincia, alia Ptolemæo in Numidia eſt, iterum alia in Mauretania. Noſtram videtur nummus Alexandri Seueri illuſtrare, inſcriptus in auerſa circa Fortunæ ſimulacrum, ΑΓ. ȣΧΗ ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΕΔΩΝ. Sic Triſtanus exhibuit Tom. II pag. 401, & Patinus in Alexandro p. 353, quod legunt Ἀγαθῂ Τούχῃ Τερεβεντίνων Καρχεδωνίων, id eſt, *Bona Fortuna ſiue Tucca Terebentinorum Carthaginienſium.* nam gemino modo Triſtanus vertit, quaſi τύχης vocabulo ad *Tuccæ* nomen adludatur: quæ etiam Patini eſt ſententia. Hi, & Holſtenius quoque ad Ortelium, de Tucca Terebentina Itinerarii hunc nummum explicant, quibus ſe Harduinus de Nummis pop. & vrb. p. 236 opponit, legitque τύχῃ & Καλχαδονίων, quem conſulas. Græca quoque inſcriptio Africanis nummis ſi non aliena, tamen rarior infrequentiorque eſt. Ceterum ſcripſi ſupra in itineribus ex Andr. Schotti editione *Terebinthina:* Aldus autem & Simlerus *Terebentina,* quod nummo conſonat, ſi is certus eſt & in Africa percuſſus. Suritæ quoque emendationes habent *Terebentina.* Sunt qui hanc Tuccam eamdem putant, quam Cyprianus concilio *Tuccabori,* Auguſtinus lib. VI adv. Donatiſt. cap. XXIV *Thuccabori,* ſcripſerunt. Sic Simlerus ſenſit ad Itinerarium; ſic & doctiſſimus præſul Oxonienſis ad Cyprianum.

LXXV.

Cilio, quod duobus itineribus, a Tusdro Theueſten, & a Theueſte Tusdrum, via alia, occurrit, de quo nihil habemus quod aliunde adnotetur. Prioris itineris hæc eſt ratio:

Tusdro			
Vicum Auguſti	M.	P.	XXXI
Aquas regias	M.	P.	XXXV
Maſclianas	M.	P.	XVIII
Sufetulam	M.	P.	XXXVI
Cilio	M.	P.	XXV
Meneggere	M.	P.	XXV
Theueſte	M.	P.	XXV.

Ortelio caſus rectus eſt *Cilium:* Itinerarii autem editione cum Suritæ commentariis, ab Andr. Schotto adornata, etiam quarto caſu eſt *Cilio.*

LXXVI.

Ad ſuperiora reuertamur, vt *Vina* quoque oppidum inquiramus. *Vina* in Itinerario ſcriptum melioribus editionibus, quod Hieronymus Surita e MSS. confirmat. Quidam *Viua* legunt. Carolus a S. Paulo Geogr. S. pag. 93 *Viua Antonino in Zeugitana. Victor Viuenſis eſt in Collatione Carthaginienſi.* At nomina in conciliorum libris non vbique ea, qua debent, ſunt cura ſcripta, & facilis lapſus in littera, ex qua hæc adpellandi eſt diuerſitas. Situs huius loci ex itineribus cognoſcitur Carthagine inſtitutis:

Carthagine			
Vina	M.	P.	XXXIII
Putput	M.	P.	X
Horrea Cœlia	M.	P.	XXXII
Hadrumetum	M.	P.	X.

Et alio Carthagine Thenas, & vltra:

Carthagine			
Maxulam ciuitatem	M.	P.	XVIII
Vina ciuitatem	M.	P.	XXVIII
Putput vicum	M.	P.	XII
Horrea Cœlia vicum	M.	P.	XXX
Hadrumetum coloniam	M.	P.	XVIII.

LXXVII.

Hæc ex Ptolemæo & Itineribus principum definiri pro Zeugitana; & ex Notitia prouinciarum & conciliis illuſtrari potuerunt. Superſunt plura ex eadem Notitia prouinciæ proconſularis, in qua epiſcopi ab ſuis ſedibus nominantur *Sinuarenſis, Pienſis, Gunelenſis, Vzalenſis, Puppitanus, Puppianenſis, Thelenſis, Lapdenſis, Migirpenſis, Verenſis, Culſitanus, Bullenſis, Timidenſis, Tagaratenſis, Vzipparitanus, Muzuenſis, Eudalenſis,* ceteri: quorum oppida quod ignoramus quo ſita loco fuerint, malumus de iis tacere quam incerta proponere, plura forſan de iis in medii æui Geographia, ad quam omnes Notitiæ pertinent, ſi Deus bene adiuuerit, dicturi.

LXXVIII.

His addenda tandem Νέφερις, *Nepheris,* munitum oppidum non longe admodum a Carthagine ſitum, cuius dum certiorem ſedem inquiſiui, factum eſt, vt ad poſtrema hæc, non inuento quod tutum eſſet, præter opinionem reiiceretur. Strabo lib. XVII pag. 573 Διάπλους δ᾽ ἐστὶν ἐκ Καρχηδόνος ἑξήκοντα σταδίων εἰς τὴν προσεχῆ περαίαν· ὅθεν εἰς Νέφεριν ἀνάβασις σταδίων ἑκατὸν εἴκοσι, πόλιν δ᾽ ἐρυμνὴν ἐπὶ πέτρας ᾠκισμένην. *Traiectus eſt ſexaginta ſtadiorum a Carthagine in continentem peræam ſeu oppoſitam terram; vnde adſcenſio eſt centum viginti ſtadiorum in Nepherin, vrbem natura munitam, ſupra petram ædificatam.* Expeditas rationes haberemus, ſi plagam Strabo addidiſſet, quam verſus transnauigandum ſit, & inde adſcendendum ad Nepherin. Appianus de tertio bello Punico pag. 78 Scipionem ait ab Carthaginis oppugna-

tione Nepherim profectum eſſe *διὰ τῆς λίμνης*, *per lacum*, qui, ni fallor, ab ortu Carthaginem claudebat, aut ipſe paruus ſinus eſt, ad cuius os Maxulla ſita, *ἐν μυχῷ*, ſeu intimo receſſu, vrbs Tunes: Nepherin autem per viginti duos dies oppugnatam tandem cepiſſe; *τὸ δὲ ἔργον τόδε μάλιστα συνήνεγκεν ἐς τὴν τῆς Καρχηδόνος ἅλωσιν*. *quæ victoria plurimum ad expugnationem Carthaginis attulerit*. Sic videtur in ortum verſus a Carthagine ſitum oppidum fuiſſe, ideoque in recentioribus quibusdam tabulis ſupra Almænam Ptolemæi poſitum, quod non male cum numero ſtadiorum Strabonis conuenit. Mentio oppidi eſt quoque in Liuii epitoma LI. *Aſdrubalis*, inquit epitomator, *ducis eorum, caſtra ad Nepherim oppidum, loco difficillimo ſita, cum exercitu deleta ſunt a Scipione.*

SECTIO III

INSVLAE AD AFRICAM PROPRIAM.

LXXIX.

INSVLAE ad Africam propriam præter illas, quæ iuxta Syrtim minorem ſunt, ſupra explicatas, paucæ ſunt. *Lopaduſa*, e regione Thapſi oppidi. Strabo lib. XVII p. 574 *εἶτα Θάψος πόλις· καὶ μετὰ ταύτην νῆσος πελαγία Λοπάδουσα*, *deinde vrbs Thapſus: poſt quam inſula in mari eſt Lopaduſa.* Plinius lib. V cap. VII *Ab his* [Cercina & parua Cercinite] *quinquaginta millia fere paſſuum Lopaduſa, longa* VI *millia paſſuum.*

LXXX.

Dein exponit inſulas, quas lib. III cap. VIII dicit *in Africam verſas*, Gaulon, Meliten, Coſyram, quæ quod propiores ſunt Siciliæ, cum illa lib. II ſunt deſcriptæ.

LXXXI.

Supra Lopaduſam eſt *Aethuſa*. Plinius dicto lib. III cap. VIII *Galata, Lopaduſa, Aethuſa, quam alii Aeguſam ſcripſerunt.* Ptolemæus lib. IV cap. III extremo: *Λοπαδοῦσα, Αἴθουσα, Κέρκινα*, *Lopaduſa, Aethuſa, Cercina.*

LXXXII.

Supra Ruſpina *Laruneſiæ* duæ paruæ. Ptolemæus codice Palatino: *Λαρουνησίαι νῆσοι δύο*, *Laruneſiæ inſulæ duæ:* numerale abeſt a vulgatis, & ſingulariter tantummodo ſcriptum *Λαρουνησία*, *Laruneſia.*

LXXXIII.

Supra Hipponem Diarrhytum apud Ptolemæum eſt *Δρακόντιος νῆσος*, *inſula Dracontia.* Supra Tabracam *Galata*, de qua Maritimo Itinerario: *Inſula Galata a Tabraca ex Africa ſtadia* CCC. Sed hæc forſan ad Numidiam pertinet.

LXXXIV.

In Carthaginienſi ſinu eſt *Αἰγίμουρος*, *Aegimurus*, de qua Strabo p. 573 *Non longe a Coſura abſunt & Sicilia ἄλλαι τε νῆσοι καὶ Αἰγίμουρος*, *cum aliæ inſulæ, tum Aegimurus.* Putares medio mari poſitam eſſe inter Siciliam & Africam:

cam: ſed aliter Liuius lib. XXX cap. XXIV. *In conſpectum*, inquit, *ferme Africæ proſpero curſu vectum, primo deſtituit ventus, deinde verſus in Africum, turbauit, ac paſſim naues disiecit. Ipſe* [Octauius] *cum roſtratis, per aduerſos fluctus ingenti remigum labore enixus, Apollinis promontorium tenuit: onerariæ pars maxima ad Aegimurum (inſula ea ſinum ab alto claudit, in quo ſita Carthago eſt, triginta ferme millia ab vrbe) aliæ aduerſus vrbem ipſam ad Calidas aquas delatæ ſunt. Omnia in conſpectu Carthaginis erant.* Vides diſtantiam ab vrbe non longam, XXX ferme millia paſſuum, aut, vt in Maritimo itinerario eſt, ſtadia CCXXX: quamquam in eo aliquid difficultatis eſt, quod hac inſula Carthaginienſem ſinum ab alto dicit claudi, quem alii, Strabo maxime, duobus promontoriis, Apollinis & Mercurii, includi dicunt, quæ ſupra illud ſpatium, quod Liuius Aegimuri diſtantiæ ab vrbe definiit, longe in altum ſeu mare procurrunt. Sed longitudinem ſinus videtur Strabo per promontoria notaſſe, latitudinem Liuius, quam non tam natura, quam voluntas hominum in fœdere & pacificatione cum Romanis deſcribebat: vt ſupra de Pulchro viſum promontorio, a quo hoc loco Liuius, *Apollinis promontorium* diſtinxit, quamuis non longe ab illo remotum fuiſſe videatur. *Calidæ aquæ*, quas memorat, ſunt θερμὰ Strabonis, qui dicto loco: ἐν αὐτῷ τῷ κόλπῳ, ἐν ᾧπερ καὶ ἡ Καρχηδὼν. Τύνης ἐστὶ πόλις, καὶ θερμὰ καὶ λατομίαι τινὲς, καὶ ἐπ' αὐτῶν πόλις ὁμώνυμος, εἶθ' ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα. *In eodem ſinu, quo Carthago ineſt, oppidum etiam Tunes eſt, & Aquæ calidæ, & lapicidinæ quædam, & ſuper eas oppidum eiusdem nominis: deinde Hermæa aſperum promontorium.* Sed hæc obiter: ad inſulam noſtram reuertimur. *Aegimorus* hæc Stephano dicta & Plinio. Ille, Αἰγίμορος νῆσος Λιβύης. *Aegimorus inſula Africæ:* hic lib. V cap. VII *Contra Carthaginis ſinum duæ Aegimori Aræ, ſcopuli verius quam inſulæ, inter Siciliam maxime & Sardiniam. Auctores ſunt, & has quondam habitatas ſubſediſſe.* Non ſunt in Sardiniæ & Siciliæ parallelo, ſed longe infra illas in ſinu Carthaginienſi, e regione tamen media vtriusque inſulæ. Hæ ſunt illæ *Aræ*, quarum Virgilius meminit Aeneid. I verſ. 108

Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras.

Aiunt, ex inſula, quæ ſubſediſſe fertur, duos iſtos ſcopulos ſupereſſe: qui aræ vocentur, quia ad eos Afri & Romani fœdus percuſſerint, & fines imperii ſui ibi eſſe voluerint. Vide Seruium in hunc locum.

De vtroque *Cothone*, Carthaginienſi & Hadrumetino, (nam etiam inter inſulas referuntur) ſupra in vtraque vrbe actum fuit.

CAPVT V

DE

NVMIDIA.*

NVmidia non ſemper eodem modo, etiam antiquis temporibus, diuiſa fuit; ſed aliter circa tempora Punicorum, quæ Romani cum Carthagini-

* Græce Νομαδία Polyb. Virtut. pag. 1472. Ante Maſaniſſam infructuoſa putabatur. Sed rex hic effecit, vt eam omnia fructuum genera gignere & proferre, adpareret.

ginienſibus geſſerunt, bellorum; aliter ſub primis Cæſaribus. Duas etiam maiores gentes in ſe continuit, *Maſſæſyliorum* ab occaſu; & *Maſſylorum* ab ortu. Liuius lib. XXVIII cap. XVII *Maſæſyli, gens adfinis Mauris, in regionem Hiſpaniæ, maxime qua ſita noua Carthago eſt, ſpectant.* Et lib. XXIV cap. XLVIII *Carthaginienſes extemplo ad Galam in parte altera Numidiæ (Maſſyla ea gens vocatur) regnantem, legatos mittunt.* Gala autem pater Maſiniſſæ. Strabo etiam ita diſtinxit lib. XVII pag. 570 Μετὰ τὴν τῶν Μαυρουσίων γῆν ἡ τῶν Μασσαισυλίων ἐστὶν, ἀπὸ τοῦ Μολοχὰθ ποταμοῦ τὴν ἀρχὴν λαμβάνουσα, τελευτῶσα δὲ ἐπὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται ὅριον τῆς τε Μασσαισυλίων καὶ τῆς Μασσυλιαίων γῆς. *Poſt Mauretaniam eſt Maſſæſyliorum regio, incipiens a Molochath flumine, finiens in promontorium, quod Maſſæſyliorum & Maſſylorum confinium dicitur.* Poſterius nomen excuſum eſt Μασυλίβων vel Μασυλιβύων, & interpres quoque *Maſſælibyum*; Caſaubonus autem ex MSS. emendauit. Polybius quoque has gentes lib. III cap. XXXIII diſcreuit, Νομάδων dicens Μασσυλίων καὶ Μασσαυλίων, lege Μασσαισυλίων, *Numidarum tam Maſſylorum quam Maſſæſyliorum.* Et Dionyſius Periegeta ſimiliter has gentes diuerſas fecit verſ. 187

> Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
> Βόσκονται,

hoc eſt, *Vbi Maſæſylii & in agris degentes Maſyli paſcuntur.* Silius Italicus hæc nomina videtur permiſcuiſſe, quum lib. XVI verſu 170 dicit,

> *Maſſylis regnator erat ditiſſimus oris,*
> *Nec nudus virtute, Syphax.*

Et mox verſu 183

> \- - - *ad Tyrios Maſſylia ſigna trahebat.*

Syphax autem rex Maſſæſyliorum fuit, Maſiniſſa Maſſylorum. At poetam forte hiſtoria excuſare poteſt, quod Syphax quidem iure ſolis Maſſæſyliis imperauerit, per vim autem ipſos etiam Maſſylos, pulſo Maſiniſſa, & Cirta regia occupata, ſibi ſubiecerit: quo victo reſtitutus Maſiniſſa in paternum regnum fuit. Vide Liuium lib. XXX cap. XI & XII.

II.

Numidæ a Græcis Νομάδες dicti, *Nomades*, quaſi Græcæ originis ſit vocabulum. Plinius lib. V cap. III *Ab Ampſaga Numidia eſt, Maſiniſſæ clara nomine, Metagonitis terra a Græcis adpellata: Numidæ vero Nomades a permutandis pabulis, mapalia ſua, hoc eſt domus, plauſtris circumferentes.* Neutrum Iſaaco Voſſio ad Melam placet. De Metagonitidis nomine poſt dicemus: de Nomadum vocabulo in lib. I cap. VII Voſſius: *Multos e veteribus in eo erraſſe deprehendi, quod Nomadas pro Numidis, & Nomadicum pro Numidico acceperint.* At vero Polybius dicto loco Νομάδων Μασσυλίων καὶ Μασσαισυλίων, *Nomadum Maſſylorum & Maſſæſyliorum*: & Dionyſius verſu 186 Maſſæſylios & Maſſylos Νομάδων φῦλα, *Nomadum gentes* adpellat: & Dio Caſſius lib. XLI pag. 172 Iubam, Hiempſalis filium dicit Νομάδων βασιλεύοντα, *Nomadibus*, id eſt Numidis, *imperantem.* Non negamus in Africa & ipſa Numidia fuiſſe Nomades, id eſt populos paſcendi pecoris cauſſa vagantes:

an



Septentrio
Lib. IV pag. 898
HISPANIAE PARS
MARIS MEDITERRANEI
Siue INTERNI PARS
SINVS
GADITANVS
OCEANVS
ATLANTICVS
Purpurariæ insulæ
Fortunatæ insl.
Gades
Calpe
Fretum Herculeum
Tingis
Lixus
Regnum Bogudis
TINGITANA
Banasa
Gilda
Sala
Tocolosida
Gontiana
Molochath
Galapha
Herpis
Rusadir
Metagonium pr.
Siga
Bocchi Regnum
CAESARIENSIS
MAVRETANIA
Massæsyli
Oppidum Nouum
Zalacus M.
Victoria
Cartenna
Icosium
Saldæ
Igilgili
Sitifi
Numidæ
Auzia
Tubuna
Nacmusii
Burca
Tarrun
Cirta
Calama
MASSYLI
NVMIDIA PROPRIA
Aurasius Mons
Zama
Musunt
Audus M.
Misulani
Thambes M.
Nasabutes
Sabubures
Nisibes
Buzara Mons
Hippon Regius
Tagaste
Sicca Veneria
Madaura
Theueste
Carthago
Tunes, Tuneta
Hippon Diarrhytus
AFRICAE PROPRIAE PARS
Assura
Sufetula
BYZACII PARS
Bagrada Flu.
Campus Sitaphius
Garamantes
GAETVLIA
Atlas minor Mons
Rusubis Portus
Solis Mons
Dorath
Mysocaras portus
Herculis promont.
Tamusiga
Vsadium prom.
Suriga
Bocanum hemerum
Vala
Vna Flu.
Agna Flu.
Baniubæ
Sala Flu.
Vacuatæ
LIBYA INTERIOR
Deserta pleraque
ATLAS MAIOR MONS
Tropicus Cancri
MAVRETANIA ET NVMIDIA
Occidens
Oriens
Meridies
35
30
25

an vero Numidiæ nomen ex Græca origine ſit, vt forſan Græci ſcriptores crediderunt, hoc eſt quod in dubium vocari poſſit. Barbaræ regioni barbarum nomen fuit haud dubie.

III.

De *Metagonitidis* nomine Iſ. Voſſius ad Melæ lib. I cap. VI *Plinius ait Numidiam a Græcis Metagonitin vocatam.* * *Perperam tamen, quum nemo Græcorum ita Numidiam vocarit; Sed quia Pomponius Metagonium promontorium infra recenſet in illa Africæ parte, vbi Numidia noua ſita eſt, & quod Metagonitas gentem Numidicam eſſe legiſſet, Metagonitin vero eorum regionem; ideo, vt exiſtimo, putauit Metagonitin eſſe Numidiam.*

IV.

Excuſſis nominibus, diuiſiones inſpiciendæ ſunt, quæ a variis auctoribus traduntur. Plinius qui Melam ſequi conſueuit, plane alius hoc loco a Mela eſt, quia Maſſylorum tantum Numidiam deſcripſit, quam Nouam Ptolemæus vocat: alteram in Mauretania Cæſarienſi, cui ceſſerat, exponit, quod etiam Ptolemæus fecit. Mela autem Maſſæſyliam Numidiam vocat, paucis additis ex parte altera: reliqua illius, Africæ propriæ contribuit. Plinius ſuam Numidiam ab Ampſaga ad Tuſcam ducit, & hæc Maſſylorum fuit ſiue Maſſylorum, Maſiniſſæ & poſterorum regnum: Melæ Numidia a Mulucha fluuio incipit, qui a Mauretania ſeparat, & circa Ampſagam deſinit. nam & Cirtam in Numidia ſua ponit, quæ trans Ampſagam in Maſſylorum regione eſt, & Maſiniſſæ fuit, a Syphace autem erepta, eoque victo reſtituta Maſiniſſæ. Plinius autem & Ptolemæus Numidiam alteram, Syphacis regnum, Mauretaniam Cæſarienſem vocant, a Mulucha ad Ampſagam. Cæſaria vero ſub Auguſto dedicata, prouinciæ nomen demum ſub Claudio dedit. Quare ordinis & diſtinctionis cauſſa primum agemus de Numidia Maſiniſſæ ſiue Maſſylorum, quam propriam Numidiam adpellamus, quia ſolam hanc Plinius Numidiam vocat, & Ptolemæus Numidiam Nouam: deinde de altera dicturi ſumus, quæ inter Mulucham & Ampſagam eſt.

SECTIO I.

NVMIDIA PROPRIA

SEV

MASSYLORVM.

V.

Hæc igitur regio, ſi ductum inſtituti noſtri in Africa perſequimur, hoc eſt

* Plinium ego ita intelligo, quaſi dixerit, *Numidiam a Græcis Metagonitin vocatam*, more Carthaginienſium. *Metagonitis* videtur mihi dicta fuiſſe, quaſi diceres *regionem freno coercitam*, quia Carthaginienſibus vt prouincia pareret. Belle ſic intelligentur verba Polybii III c. 33 Τῶν δὲ προειρημένων τοὺς μὲν πλείους εἰς τὰ Μεταγώνια τῆς Λιβύης, τινὰς δ' εἰς αὐτὴν Καρχηδόνα κατέταξεν. Ἀπὸ δὲ τῶν πόλεων τῶν Μεταγωνιτῶν καλουμένων, ἀπέστειλεν ἄλλους εἰς Καρχηδόνα πεζοὺς τετρακισχιλίους, ὁμήρους ἔχοντας καὶ βοηθείας ἅμα τάξιν. Annibal *ex prædictis plurimos in Africæ Metagonia,* (prouincias Carthaginienſium,) *aliquos vero in Carthaginem ipſam*

eſt ab ortu ſeu Aſia progrediemur, Scylacis exemplo, in occaſum, a Tuſca fluuio ſecundum Plinium incipit, deſinit in Ampſaga. Et hæc ſola Plinio eſt Numidia, *Maſiniſſæ clara nomine;* etiam Ptolemæo ſola, ſed cum cognomine Νȣμιδία Νέα, *Numidia Noua,* a qua vero *Cirteſiorum* regiunculam, Ampſagæ propiorem, ſeparat. Cur vero hæc *Noua* vocetur Numidia, an propter *Veterem* alteram, quæ Syphacis fuit, non conſtat liquide. Credo *Nouam* dici, quia Romanis prouincia noua fuit. Appianus lib. IV Civ. p. 995 Λιβύης Ρωμαῖοι τὴν μὲν ἔτι καλȣ͂σι παλαιὰν, ὅσην Καρχηδονίȣς ἀφείλοντο, ἣν δὲ Ἰόβας εἶχεν, ὕϛερον ἔλαβον ἐπὶ Γαΐȣ Καίσαρος, καὶ διὰ τȣ͂το νέαν προσαγορεύȣσι Λιβύην, εἴη δ᾽ ἂν τῆς Νομαδικῆς. *Africæ Romani alteram prouinciam vocant Veterem, ademtam Carthaginienſibus: alteram, quæ Iubæ regnum fuerat, ſub Iulio Cæſare acceperunt, & propterea Nouam adpellant.*

VI.

In maritima ora Numidiæ apud Plinium a Tuſca fluuio prima eſt *Tabraca.* Libro V enim cap. III inuerſo ordine ab occaſu in ortum: *In ora Tacatua, Hippo regius, flumen Armua, oppidum Tabraca ciuium Romanorum, Tuſca fluuius Numidiæ finis.* Pomponius etiam lib. I cap. VII inter tractus huius nobiliores vrbes habet. *In ea,* inquit, *ſunt oppida, Hippo regius, Ruſicade, & Tabraca.* Sic ſcribitur etiam maritimo Antonini Itinerario: *Inſula Galata a Tabraca ex Africa ſtadia* CCC. At Ptolemæus adſpirata littera Θάβρακα κολώνια, *Thabraca colonia:* pro quo Plinius *ciuium Romanorum oppidum* dixit. Et Auguſtinus lib. VI contra Donatiſt. cap. XXXII *Victoricum a Thabraca* nominauit, qui Cypriani concilio interfuit.

VII.

Deinde Ptolemæo eſt *Rubricatus* fluuius, antequam Hipponem Regium veniatur. Videtur Plinii *Armua* eſſe, qui eodem ordine ponitur, *Hippo regius, flumen Armua, oppidum Tabraca.* Sic Ortelio viſum & Harduino, eumdem eſſe Rubricatum & Armuam.

VIII.

Ipſe tum ſequitur *Hippo Regius,* pluribus memoratus. De Plinio & Mela iam diximus. Strabo lib. XVII pag. 572 οἱ δύο Ἱππῶνες, ὁ μὲν πλησίον Ἰτύκης, ὁ δὲ ἀποτέρω πρὸς τῇ Τριτῷ μᾶλλον, ἄμφω βασίλεια. *Duo Hippones, alter prope Vticam, alter remotior, prope Tritum promontorium.* Et Livius lib. XXIX cap. III *Hiſpaniæ tumultu compreſſo, in Africam omnis terror verſus. C. Lælius nocte ad Hipponem regium quum acceſſiſſet, luce prima ad populandum agrum ſub ſignis milites ſociosque nauales duxit.* Cognominatur *Regius,* Ptolemæo Ἱππὼν βασιλικὸς, quia in ditione Numidiæ regum fuit, quum alter, Diarrhytus cognomine, prius Carthaginienſium, poſt Romanorum eſſet. Ideo Silius Italicus lib. III verſ. 259 de iſto:

Tum

miſit. Ex vrbibus autem Metagonitarum (prouincialibus) *dictis pedites alios Carthaginem miſit IV M. qui & pro obſidibus & pro præſidiis eſſent.* Verebatur videlicet Annibal, ne prouinciæ Carthaginienſium priori bello Romano acerbius habitæ & poſt illud ad ſeditiones & bellum contra Pœnos excitatæ, teſte Polybio I c. 70, 71, 72, & ægre pacatæ, ad noui belli flammam r rſus calida caperent conſilia. Prouinciæ autem Carthaginienſium in Africa quam late patuerint, colligitur ex Polybii X c. 37.

Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo.

Quod vero Strabo ἄμφω βασίλεια, *ambas regias* dixit, hoc eſt quod dubitemus: de Regio concedimus; non autem de Diarrhyto, qui numquam ſub regibus fuit.

2. De Regio præterea Procopius lib. II B. Vandal. cap. IV ἐς πόλιν Νουμιδῶν ὀχυρὰν, ἐπὶ θαλάσσῃ κειμένην, ἀφικόμενος, δέκα ἡμερῶν ὁδῷ Καρχηδόνος διέχουσαν, ἣν δὴ Ἱππῶνα ῥέγιον καλοῦσι, *in vrbem Numidarum munitam* [Beliſarius] *venit, mari adpoſitam, decem dierum itinere a Carthagine diſtantem, quam Hipponem regium adpellant.* Antonini Itinerario ab Hippone regio Carthaginem numerantur CCXXVIII paſſuum millia: alio & breuiori itinere, vt Surita ex cod. Regio emendauit, CCXVIII millia. Additum vrbi inſigne decus epiſcopatu Auguſtini.

3. An colonia fuerit, inquiritur. Ita vocatur itinere a Tingi Carthaginem,

Tacatua		
Sullucu	M. P.	XVIII
Hipponem regium coloniam	M. P.	XXXII.

Quo clariſſimus vir, Io. Vaillant de Nummis coloniarum, Marci Antonini nummum refert his inſcriptum notulis: C. G. I. H. P. A. quas ſic interpretatur: *Colonia Gemella Iulia Hipponenſis Pia Auguſta.* Cereris imaginem cum facibus accenſis nummus in auerſa habet: Cererem ab Africanis mulieribus cultam docet Tertullianus, & inde *Cererem Africanam* cognominat. Lib. I ad Vxorem cap. VI *Viduas Africanæ Cereri adſiſtere ſcimus.* Et de Exhortat. caſtitatis cap. vlt. *Nouimus feminas Cereris Africanæ, cui etiam ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt.*

IX.

Succedit apud Ptolemæum *Aphrodiſium colonia*, de qua nihil aliunde notum eſt: nec vllum eius in Peutingeriana veſtigium. Fana alibi huius nominis ſunt, aut promontoria, vt putare poſſis mendum in Ptolemæo eſſe, & vocem κολωνία, *colonia* ex proximo de Hippone Regio verſu in hunc, qui Aphrodiſium habet, irrepſiſſe. Sequuntur alia promontoria, *Stoborrum*, & Ἵππου ἄκρα, *Equi promontorium*, cuius etiam Scylax meminit in Africa pag. 119, ἀπὸ Ἰτύκης εἰς Ἵππου ἄκραν, *ab Vtica ad Hippi*, ſeu *Equi promontorium:* (deeſt numerus dierum nauigationis, aut ſtadiorum) & addit, Ἵππου πόλις καὶ λίμνη ἐπ᾽ αὐτῇ ἐστὶ, *ſupra illud Equi vrbem & lacum eſſe.* Poſt Ptolemæo eſt *Siur portus;* & tum demum *Collops paruus.* Nihil horum Itineraria habent, ſed Antonini, vt vidimus, inter Tacatuam & Hipponem Regium *Sullucu;* Peutingeri, *Sublucu*, eodem vtrobique interuallo.

X.

Collops paruus ſolius Ptolemæi eſt, quem Ortelius Itinerarii *Culucitanas* eſſe exiſtimat. Sed ordo ſic alterutrius inuertendus eſſet. Tacatua enim Collopem minorem ab ortu habet: Culucitanas ab occaſu, etiam in Tabula Auguſtana. Dicitur μικρὸς, *paruus*, quia breui poſt ſequetur, qui dicitur Collops magnus.

XI.

Collopem paruum apud Ptolemæum ſequitur Τακατύη, ſeu vt Plinius Latine ſcripſit, *Tacatua*, quæ etiam in veteri Tabula ita legitur ſcripta, & in manu ſcripto codice Itinerarii, vbi praue editi quidam *Tacatta.* Plinii verba ſunt: *in ora Tacatua, Hippo regius, flumen Armua.* Vlteriora Ptolemæi ſunt *Olcachites ſinus*, & *Thuzicath*, obſcura nomina.

XII.

Tum eſt nobilius oppidum *Ruſicade*, Ρȣσίκαδα Ptolemæi. Mela lib. I cap. VII *In ea ſunt oppida, Hippo regius, & Ruſicade, & Tabraca.* Et Plinius lib. V cap. III *Oppida, Cullu, Ruſicade.* In Tabula Peutingeriana, *Ruſicade colonia*, cum inſigni maiorum & celebrium vrbium. In Itinerario *Ruſiccade.* Auguſtinus lib. VII contra Donat. cap. XXXIV *Verulus a Ruſiccade.* Ante Ruſicaden, ſiue ortum verſus XXV millium, in Tabula & Itinerario ſunt *Paratianæ.*

XIII.

Poſt Ruſicaden Ptolemæo eſt Τρητὸν ἄκρον, *Tretum promontorium:* quod Strabo Τριτὸν, *Tritum* ſcripſit pag. 570 & ſeq. Tum eſt Κόλλοψ μέγας ἢ Κȣ́λλȣ, *Collops magnus aut Cullu.* Plinii iam dicto loco: *Oppida, Cullu, Ruſicade.* In Tabula ſæpe laudata *Chullu*, L millia diſtans a Ruſicade. In Itinerario Antonini *Chulli municipium.* Collatione Carthaginienſi mentio eſt *Victoris Cullenſis* epiſcopi.

XIV.

Nihil præterea in hac ora memorauit niſi Νȣμιδικȣ̃ κόλπȣ μυχὸν, *intimum receſſum ſinus Numidici:* poſt quem ſunt *Ampſagæ* fluminis oſtia. De eo Mela lib. I cap. VI *Numidia ad ripas expoſita fluminis Ampſagæ.* Plinius lib. V cap. III *Ab Ampſaga Numidia eſt.* Atque hic cum Plinio finimus Numidiæ partem orientalem, ſiue Maſiniſſæ regnum, quod Pomponius & Ptolemæus cum Africa proprie dicta coniungunt.

NVMIDIAE PROPRIAE
MEDITERRANEA.

XV.

Vt, vbi deſiimus, incipiamus, ab Ampſaga reuertemur, via verſa, ad Tuſcam fluuium. *Cirta*, metropolis & regia mediocri interuallo ab Ampſaga fluuio abeſt. Strabo lib. XVII pag. 572, Κίρτα ἐςὶν ἐν μεσογαίᾳ, τὸ Μασσανίσσȣ καὶ τῶν ἑξῆς διαδοχῶν βασίλειον, πόλις εὐερκεςάτη, κατεσκευασμένη καλῶς τοῖς πᾶσι, καὶ μάλιςα ὑπὸ Μικίψα, ὅς τις καὶ Ἕλληνας συνῴκισεν ἐκεῖ. *Cirta in mediterraneis poſita, Maſſaniſſæ & ſucceſſorum regia, vrbs munitiſſima, omnibus rebus inſtructa, maxime a Micipſa, qui & Græcos in eam habitatum deduxit.* Et Plinius dicto loco: *Oppida, Cullu, Ruſicade, & ab ea quadraginta octo M. paſſuum in mediterraneo Colonia Cirta, Sittianorum cognomine.* Cognomen hoc etiam Pomponius dedit: *Vrbium, quas habet* [Numidia] *maximæ ſunt, Cirta, procul a mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum*

domus:

domus: ſed, quum Syphacis foret, opulentiſſima. Iol ad mare. Supra demonſtratum eſt, Melæ Numidiam a Tingitana vltra Ampſagam proferri, vt Cirta etiam comprehendatur. Hinc vrbem Iol, quæ Cæſarea poſtea dicta fuit, caput Mauretaneæ Cæſarienſis, cum illa comparat & componit: quia tractus ille quondam etiam Numidiæ nomen habuit. *Sittiani* ſunt qui ſub P. Sittio militauerant, Cirtam deducti in coloniam. De Sittio autem Dio Caſſius lib. XLIII ſub initium refert, Roma pulſum, vel fugientem, exſulum manum collegiſſe, eaque, aliunde aucta, Cæſari ſaluti in Africano bello fuiſſe, ſine quo hic vincere haud potuiſſet. αὐτῷ [Cæſari] πόβλιός τις Σίττιος τήν τε σωτηρίαν ἅμα καὶ τὴν ἐπικράτησιν ἔδωκεν, *Ei* [Cæſari] *P. quidam Sittius & ſalutem & victoriam attulit.* Cui Cæſar, pro meritis, Manaſſæ, qui Iubæ amicus fuerat, partem optimam regionis dedit: quod Appianus lib. IV Ciuil. p. 996 copioſius exponit. Fuit aliquando etiam Syphacis regia, ſed eo tempore, quo pulſus fuerat Maſiniſſa. Liuius lib. XXX cap. XII *Cirta caput regni Syphacis erat.* adde reliqua. Quod vero Iulii Cæſaris auſpiciis per Sittianos facta eſt colonia, cognomen *Iuliæ* inde accepit, & Ptolemæus lib. IV cap. III Κίρτα Ἰουλία, *Cirta Iulia.* Multa quoque huius vrbis mentio in Iugurthino Salluſtii bello; præſertim cap. XXI, vbi qui *prope Cirtam* conſedit exercitus, *haud longe a mari* dicitur caſtra habuiſſe.

XVI.

Ptolemæus regionem, quæ circa Cirtam eſt, ſeparauit ab Numidia ſua Noua, & *Cirteſiorum regionem* dixit, cui præter Cirtam metropolim attribuit *Vagam, Miræum, Lares, Aetaram,* & *Azamam,* mediterranea omnia. *Vaga* a Cirta in ortum æſtiuum diſtat, de qua Silius lib. III verſ. 259

Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo.

Plinio eſt *Vagenſe oppidum,* lib. V cap. IV. Et Auguſtino lib. III contra Donatiſtas cap. VI *Liboſus Vagenſis* epiſcopus eſt. Idem epiſtola CCLV ad Macrobium pag. 318 *Vagienſe concilium* memorauit. Ptolemæus ſcripſit Οὐάγα, *Vaga:* Plutarchus Mario p. 409 Βάγα, *Baga:* φρουρῶν Βάγαν πόλιν μεγάλην, *præfectus præſidio magnæ vrbis Bagæ.* Ex cuius hiſtoria adparet, eſſe Salluſtii *Vaccam,* quam etiam *ciuitatem magnam & opulentem* dixit Iugurthino cap. LXIX; & *forum rerum venalium totius regni maxume celebratum,* cap. XLVII. Apud vtrumque etiam idem eſt præſidio præfectus Turpilius.

XVII.

Cetera oppida ad Cirta in meridiem recedunt: *Lares:* Λάρης, diuerſum oppidum, vt ex poſitione Ptolemæi claret, ab Itinerarii *Laribus colonia,* vt Aldus & Simlerus ediderunt, &, Surita teſte, omnes codices habent; ſeu, vt Schotti editione eſt, a *Laribum colonia.* Ptolemæo *Lares* eſt a Cirta in auſtrum ita, vt paulliſper in orientem inclinet: Itinerario autem hic ordo eſt:

Carthagine		
Vrucam	M. P.	XXII

Sicilibbam	M.	P.	VII
Vallos	M.	P.	XV
Coreua	M.	P.	XX
Muſti	M.	P.	XXVII
Laribus coloniam	M.	P.	XXX
Altieuros	M.	P.	XVI
Admedera coloniam	M.	P.	XXXII
Theueſte coloniam	M.	P.	XXV.

Sic *Laribus*, ſi omnino in Numidia eſt, ad limitem eius orientalem eſt: *Lares* autem Ptolemæi hinc longe remotum eſt in occaſum. Auguſtini lib. VI cap. XXVIII contra Donatiſtas eſt *Hortenſianus a Laribus*, qui vero ob poſitionem demonſtratam ad Ptolemæi Lares non pertinet. Huius autem teſtem alium aduocamus, Salluſtium Iugurth. cap. XC. *Conſul*, inquit, *A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, vbi ſtipendium & commeatum locauerat, ire iubet: dicitque ſe prædabundum poſt paucos dies eodem venturum. Sic incepto ſuo occultato, pergit ad flumen Tanam.* Oppidum *Laris* volunt patrium caſum eſſe interpretes, vt apud Maronem, *vrbem Pataui:* & rectum *Lares*, ſicut apud Ptolemæum.

XVIII.

Myræum ignotum eſt: etiam Αἰτάρη, *Aetara*, quæ in Tabula Agathodæmonis *Apari* ſcripta eſt.

XIX.

Azama autem Ptolemæi, Αζάμα, pleriſque videtur vrbs *Zama*, altera Numidarum regia & munimentum eſſe, bellis Hannibalis, Iugurthæ, & Iubæ celebrata. Id ſi eſt, nimis videtur in auſtrum a Ptolemæo remota, quamuis a Zama Hadrumetum apud Nepotem Hannibale cap. VI *millia paſſuum circiter trecenta* numerentur. Polybius & Liuius dubitationem iniiciunt. Ille lib. XV cap. V Ζάμα ἐςὶ πόλις ἀπέχȣσα Καρχηδόνος ὡς πρὸς τὰς δύσεις ὁδὸν ἡμερῶν πέντε. quod Liuius, preſſe ſequutus Græcum, lib. XXX cap. XXIX vertit, *Zama quinque dierum iter a Carthagine abeſt.* Ptolemæi autem Azama, vti in Tabula ad numeros eius confecta videmus, per octo gradus abeſt a Carthagine, quod ſpatium vix quindecim diebus expeditus etiam viator poſſit emetiri. In Numidia fuit Zama, longoque interuallo ab Hadrumeto vel CCC millium, vt Nepos tradidit, vel, quod maius eſt, ςαδίων τριχιλίων, III M. *ſtadiorum*, vt Appianus Pun. p. 40 refert: vnde de Carthagine, cuius paullo minor eſt diſtantia, tamen iudicare licet. Quare aut reducenda erit Ptolemæi Azama, aut illa non eſt celebrata Numidarum vrbs Zama. In Peutingeri Tabulæ ſegmento III *Zama regia* longe citerior eſt, apud Aſſures, X millibus ab iis diſtans in ortum: quæ cum Polybio magis congruit quam longinqua altera; etiam Hannibalis expeditioni, quam idem & Liuius deſcribunt, eſt conuenientior. Sed nihil definio: & aliis iudicandum relinquo.

2. Cetera quæ de *Zama* a variis traduntur, hæc ſunt: Salluſtius Iugurth. cap. LVII *Marius ad Zamam peruenit. id oppidum in campo ſitum,*

magis

magis opere, quam natura munitum erat, nullius idoneæ rei egens, armis viriſque opulentum. Et Hirtius Afr. B. cap. XCI *Rex Iuba, vt ex prœlio fugerat, vna cum Petreio, interdiu in villis latitando, nocturnis itineribus confectis, in regnum peruenit: atque ad oppidum Zamam, vbi ipſe domicilium, coniuges, liberoſque habebat, quo ex cuncto regno omnem pecuniam, cariſſimaſque res comportauerat, quodque inito bello operibus maximis munierat, accedit.* Sed excluſus ab oppidanis fuit. Plinius vocat lib. V cap. IV *Zamenſe oppidum.* Eſt poſtmodum colonia facta, ſplendidisque ornata titulis. Inſcriptio vetus apud Gruter. p. 364 COLONI COLONIAE AELIAE HADRIANAE AVG. ZAMAE REGIAE. Auguſtinus lib. VII cap. XVII *Marcelli a Zama* meminit, qui in concilio, cui Cyprianus præſedit, ſententiam dixerit.

XX.

Hæc ſunt Cirteſiæ oppida, omnia in occidentali parte huius Numidiæ poſita, id eſt Ampſagam fluuium verſus: quorum caput *Cirta* fuit, & ipſa non procul ab Ampſaga, quem proinde Victor Vitenſis lib. II Perſecut. Afric. p. 680 *Amſagam fluuium Cirtenſem* dixit. Quum eadem etiam haud longe a mari fuerit, vt ex Salluſtii Iugurtha cap. XXI ſupra demonſtrauimus; non difficile eſt, verum Cirtæ locum inuenire, quum longitudinem vicinitas Ampſagæ indicet, latitudinem propinquitas maris.

XXI.

Inter hunc limitem & Rubricatum fluuium Ptolemæo eſt *Culcua colonia,* Cirtæ ferme parallela; etiam *Simiſthu* & *Tucca* Numidica: & ſupra Hipponem regium *Thuburnica colonia,* quod *Tuburnicenſe* Plinii oppidum eſt, de quo veretur Harduinus ne eadem *Thuburſica* eiusdem Ptolemæi ſit, longe ab illa in meridiem verſus ſita: propter quam diſtantiam mihi ſecus videtur, præſertim quod multa Africæ oppida in nomine pæne conveniunt, & tamen ſeparata manent, vt etiam Tuburbo eſt, idque geminum, maius & minus. Eſt etiam in Notitia prouinciæ Numidiæ *Frumentius Tuburſicenſis* epiſcopus, quæ Tuburſica ſeu Θουβουρσίκκα Ptolemæi eſt: Thuburnicam autem Tuburnicenſe Plinii oppidum confirmat, & ab altera ſeparat.

XXII.

A Tuburſica in ſeptemtrionem proxima *Thigiba* colonia; & *Gauſaphna,* quæ *Gazaufula* Itinerarii & conciliorum ſummo viro ad Cypriani concilium, videtur: & in occaſum Θουνούδρομον, interpreti *Thunudronum,* colonia. Hinc in auſtrum magis *Lambæſa, Legio Auguſta tertia,* vt Ptolemæus adſcripſit, quæ ibi caſtra ſtatiua habuit, aut fuit præſidio. Auguſtinus lib. VI cap. XIII adv. Donatiſtas, *Ianuarium a Lambæſe* epiſcopum memorat. In Auguſtana Tabula ſine diphthongo *Lambeſe:* atque ita etiam in Itinerario, cuius aliquot itinera a Lambeſe & per illam diriguntur. Primum a Lambeſe Sitifi: alterum a Theueſte per Lambeſem Sitifi: tertium a Lambeſe Cirtam, quod ita habet:

Lambe-

Lambeſe			
Tamugadi	M.	P.	XIIII
Ad Rotam	M.	P.	XXX
Ad Lacum regium	M.	P.	XX
Cirtam coloniam	M.	P.	XX.

XXIII.

Ex quo itinere etiam ſitus oppidi *Tamugadi* diſcitur, cuius & alibi fit in itineribus mentio: etiam in Peutingeriana *Thamagadi.* Auguſtinus autem lib. II Retract. cap. LIX, & epiſtola CLXIV ad Emeritum, *Tamugadenſis Donatiſtarum epiſcopi* meminit.

XXIV.

Hinc propius ad Rubricatum fluuium eſt *Thunuſda* inter Hipponem regium & Tabracam paullo intus ſita: Plinio *Thunuſidenſe oppidum:* ſupra id *Bullaria* Ptolemæi, quod nomen corruptum videtur ex *Bulla regia* Plinii lib. V cap. III, qui *liberum oppidum* dixit: & Antonini, cuius hæc eſt itinere, Hippone regio Carthaginem, diſtantiarum diſpenſatio:

Hippone regio			
Onellaba	M.	P.	L
Simittu coloniam	M.	P.	V
Bullam regiam	M.	P.	VII
Nouas Aquilianas	M.	P.	XXIIII
Vicum Auguſti	M.	P.	XVI
Cluacaria	M.	P.	XXX
Tuburbo minus	M.	P.	XV
Cigiſam	M.	P.	XXVIII
Carthaginem	M.	P.	XVIII.

Etiam *Bulla regia* ſcriptum eſt in Tabula Peutingerorum Auguſtana. Dicitur etiam ſimpliciter *Bulla*, vt Auguſtinus lib. VII cap. XXV *Therapium a Bulla* in Carthaginienſi ſynodo epiſcopum commemorauit. Eſt tamen etiam quod dubites eamdem Bullariam Ptolemæi & Bullam regiam eſſe, quia illa fuit in Numidia ipſo Ptolemæo auctore: hæc ſecundum Notitiam Africæ in prouincia proconſulari, cuius eſt *Ioannes Bullenſium regio:* quamquam in confinio Numidiæ & Zeugitanæ fuit: Bullaria intus paullo.

XXV.

Supra hanc Bullam, hoc eſt inde auſtrum verſus, erat, eodem teſte Ptolemæo, *Sicca Veneria*, Σίκκα Οὐενερία, quam etiam ſimpliciter *Siccam* vocant. Salluſtius Iugurth. cap. LVI *Paullo poſt* [Iugurtha] *cognoſcit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam miſſum, quod oppidum primum omnium poſt malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, &, iam egredientibus Romanis, in porta pugnam facit, ſimul magna voce Siccenſes hortatur, vti cohortes ab tergo circumueniant.* Et Plinius lib. V cap. III *In mediterraneo colonia Cirta, Sittianorum cognomine;*

& alia

& alia intus Sicca. * ALIA, hoc eſt colonia alia, interius, quam Cirta, ſita. Coloni *Siccenſes* dicti apud Trebell. Pollionem in Celſo. Cognomen *Veneriæ* Ptolemæus addit, & Itinerarii auctor itinere alio ab Hippone regio Carthaginem:

Hippone regio			
Tagaſte	M.	P.	LIII
Naraggara	M.	P.	XXV
Siccam Veneriam	M.	P.	XXXII.

Etiam auctor Tabulæ Peutingerianæ cognomen *Veneriæ* addidit. Eſt tamen vbi eodem Itinerario ſimpliciter *Sicca* adpellatur, itinere a Muſti Cirtam:

Muſti			
Siccam	M.	P.	XXXII
Naraggara	M.	P.	XXX
cetera.			

Summi viri, Io. Seldenus de Diis Syris Syntagm. II cap. VII, & Ger. Io. Voſſius Theol. Gentil. lib. II cap. XXII, nomen *Siccæ Veneriæ* erudite deducunt ex Aſſyriorum numine vel religione *Succot Benot*, cuius 2 Reg. XVII fit mentio, quaſi *tabernacula filiarum* ſiue *mulierum* dicantur, ſeu cultus Veneris Aſſyriæ, quem Herodotus lib. I cap. CXCIX, & Strabo lib. XVI deſcribunt. Vt vero ſæpe oppidum *Sicca* ſine cognomine adpellatur, quæritur an etiam *Veneria* ſimpliciter dicatur. Ita videtur a Solino cap. XXVII fieri. *Clypeam*, inquit, *ciuitatem Siculi exſtruunt, & Aſpida primum nominant. Veneriam etiam, in quam Veneris Erycinæ religiones transtulerunt.* Verum dubitari poteſt, an Siccam Veneriam intellexerit, nec potius, quia cum Clypea coniungit, *Aphrodiſium* illud fanum, quod inter Clypeam ſeu Clupeam & Hadrumetum eſt. Salmaſius ſane ad *Veneriam* Solini nihil adnotauit, niſi Græcam vocem Ἀφροδίσιον.

XXVI.

In his Itineribus *Tagaſte* eſt & *Naraggara:* prior etiam *Thagaſte* ſcribitur, patria S. Auguſtini. Sic enim ipſe de ſe lib. II Confeſſion. cap. III, *Anno illo intermiſſa erant ſtudia mea, dum mihi reducto a Madauris, in qua vicina vrbe iam ceperam litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis ſumtus præparabantur animoſitate magis quam opibus patris municipis Thagaſtenſis admodum tenuis.* Municipio itaque Tagaſte ortus Auguſtinus fuit. Plinio lib. V cap. IV eſt *oppidum Thageſtenſe liberum.* In conciliis *Alypius* epiſcopus *Tagaſtenſis* laudatur.

XXVII.

Alterum oppidum *Naraggara* Ptolemæi eſt, & Itinerarii, vt vidimus, & Tabulæ Auguſtanæ. Antiquum oppidum, etiam ex Punico bello notum. Liuius lib. XXX cap. XXIX *Scipio haud procul Navaggara vrbe, tum ad*

* Sic e Græcis Polybius hiſtor. I cap. 66 & 67 ſimpliciter. Item Hieronymus Catalog. ſcriptor. eccleſ. cap. 79.

ad cetera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli coniectum erat, conſedit. Gronouius ex MSS. ita: Vulgati Nadagara: mendoſius Polybius Μάργαρον, *Margarum*, lib. XV cap. V.

XXVIII.

Inter Siccam & Naraggaram Ptolemæo eſt Ἄσσυρος, *Aſſurus*, alia ab Aſſuris Zeugitanæ, quæ in recto *Aſſuræ* erant.

XXIX.

Supra Naraggaram in auſtrum recedens eſt *Vcibi*, de quo nihil eſt quod adnotemus: & hinc in ortum *Theueſte*, Θευέστη, quæ ſic etiam in Itinerario ſcribitur & Peutingeriana: in Codice autem Theod. lege V de Appellation. *Thebeſte*, quæ ibi data eſt Sabino & Rufino conſulibus. Et Auguſtinus lib. VI contra Donatiſtas cap. XXXVIII *Lucius a Thebeſte* ſcripſit. Situs tam ex Ptolemæo quam Itinerario definiri poteſt, & huius hæ ſunt rationes itinere a Theueſte per Lambeſem Sitifi:

Theueſte			
Timphadi	M.	P.	XXII
Megeſela	M.	P.	XX
Maſcula	M.	P.	XVIII
Glaudi	M.	P.	XXII
Tamugadi	M.	P.	XXII
Lambeſem	M.	P.	XIIII
Diana	M.	P.	XXXII
Nouam petram	M.	P.	XIIII
Gemellas	M.	P.	XXII
Sitifi	M.	P.	XXV.

Colonia fuit Theueſte, vt ex alio itinere, mox explanando, oſtendemus: quod veteri inſcriptione apud Gruterum p. 600 num. 10 confirmatur:

ORIVNDI EX AFRICA
COL. TEVESTE.

XXX.

Cetera huius itineris obſcuriora prætermitto. *Maſcula* ex eo nota, quod *Donatus Maſculitanus* ab Optato Mileuitano lib. I pag. 39 memoratur. *Diana* in Peutingerianæ ſegmento II eſt *Ad Dianam*. Eſt & alius locus Itinerario *Ad Dianam*, inter Hipponem regium & Tabracam: alius inter Tamugadi & Lamasbam *Diana veteranorum*, vbi Surita & Schottus legunt *Duana*, vt mox itinere demonſtrabimus. *Sitifi* in altera Numidia explicabitur.

XXXI.

Gemellæ in Tabula Auguſtana viſuntur, a Theueſte longe in occaſum: & in ortum verſus ab illa vrbe, in eadem Tabula, *Vico Gemellas*. Prior locus, vti ex ordine adparet, hic intelligendus eſt.

XXXII.

Hinc in ortum æſtiuum eſt *Ammædara* Ptolemæi, Αμμαίδαρα, Itinerarii *Admedera*, vt Aldus edidit; vt Schottus, *Am medera:* in Auguſtana Tabula

Tabula *Ad medera*, diuiſe, cum ſigno maiorum vrbium ſeu coloniarum. nam clare in Itinerario colonia dicta eſt, ex quo hæc damus:

Carthagine			
Vnucam	M.	P.	XXII
Sicilibbam	M.	P.	VII
Vallos	M.	F.	XV
Coreua	M.	P.	XX
Muſti	M.	P.	XXVIII
Laribus coloniam	M.	P.	XXX
Altieuros	M.	P.	XVI
Admederam coloniam	M.	P.	XXXII
Theueſte coloniam	M.	P.	XXV
Altabam	M.	P.	XVIII
Iuſti	M.	P.	XVIII
Mercimeri	M.	P.	XXIIII
Macomades	M.	P.	XXIIII
Sugus	M.	P.	XXVIII
Cirtam coloniam	M.	P.	XXV.

XXXIII.

Ex ceteris huius itineris, quæ in Numidiam cadunt, notiora ſunt *Altaba*, cuius epiſcopus in collatione Carthaginienſi memoratur. *Macomades*, diuerſi ab iis, quos ad Syrtes expoſuimus: in Notitia Numidiæ *Pardalius Macomadienſis* epiſcopus eſt. *Sigus*, vt in Peutingeriana Tabula & Aldi Itinerario ſcribitur; ſiue *Sugus*, vt Schottus edidit cum Surita ex antiquiſſimo codice. In Notitia huius prouinciæ eſt *Victor Suggitanus*.

XXXIV.

Lamasbæ ſitus ex hoc itinere cognoſcitur, quod eo a Tamugadi inſtitutum eſt:

Tamugadi			
Taduti	M.	P.	XXVIII
Duana Veteranorum	M.	P.	XVI
Lamasbam	M.	P.	XVIII.

Et alio itinere quod inde Sitifi directum eſt:

Lamasba			
Zarat	M.	P.	XXV
Perdices	M.	P.	XII
Sitifi	M.	P.	XXV.

In Tabula Auguſtana *Lamasbua* ſcriptum: in Notitia autem Numidiæ *Secundinus Tamaſuenſis*, B in V conuerſo, legitur.

XXXV.

Quæ ſequuntur priore itinere, *Taduti* in laudata tabula *Thadute*; ſcribitur: *Duana* ſic in cod. reg. vetuſto legitur; ceteris omnibus *Diana* eſt, de qua ſupra diximus. Alterius itineris reliqua in alteram cadunt Numidiam poſt paullo explicandam.

XXXVI.

Et alia ex itineribus definienda ſunt. *Mileum* ſiue *Mileuum* aut *Mileui*, epiſcopalis vrbs in Numidia. Carolus quidem a S. Paulo in Geogr. S. diuerſas facit, ſed neſcio qua ratione. Colonia fuit *Mileum*, & in Peutingeri Tabula *Mileu colonia:* & Aethicus *Mileu* ſcripſit. Epiſcopum habuit, qui Carthaginienſi concilio, cui Cyprianus præſedit, *Polianus a Mileo* adpellatur: quod ſic etiam ab Auguſtino lib. VI contra Donatiſt. c. XX repetitum eſt. Et *Mileuum* fuit epiſcopale, ac Notitia Numidiæ *Benenatus Mileuitanus* recenſetur epiſcopus, notiſſimusque eſt epiſcopatus Optati Mileuitani: & Auguſtinus epiſt. XXXIV ſub finem: *beatiſſimus frater Seuerus de condiſciplinatu noſtro Mileuitanæ antiſtes eccleſiæ.* Qui vero *Mileum* ſcripſerunt, non habent *Mileuum:* contra qui *Mileuum* & *Mileuitanus* legunt, nullum apud eosdem eſt *Mileum.* Vnde ſummus vir Notis ad Cypriani concilium quaſi mirabundus: *Carolus a S. Paulo Mileum a Mileui diſtinguit.* nam *Mileui* etiam vulgo id oppidum dicitur. Situs ac poſitio ex hoc itinere adparet:

Cirta colonia			
Mileum	M.	P.	XXV
Idicram	M.	P.	XXV
Cuiculi	M.	P.	XXV
Sitifi	M.	P.	XXV,

quod etiam cum Peutingeriana conuenit. Sita ergo vrbs Mileui in fine huius Numidiæ, a Cirta in occaſum.

XXXVII.

Idicra fuit etiam epiſcopalis, & in Notitia Numidiæ *Palladius Idicrenſis* memoratur.

XXXVIII.

Cuiculi quoque epiſcopum habuit, qui in Cypriani concilio fuit *Pudentianus a Cuiculi*, apud Auguſtinum lib. VII adv. Donatiſt. cap. XXXV. Et in Notitia Numidiæ *Victor Cuiculitanus.*

XXXIX.

Hæc ab occaſu Cirtæ: in ortum ſimulque in aquilonem recedunt *Aquæ Tibilitanæ*, inter Cirtam & Hipponem ſupra viam mediam. Tabula Peutingeri, *Aquis Thibilitanis:* in qua oppidum *Thibili* ab aquis in ortum reductum eſt. Alii ſine adſpiratione ſcribunt. Auguſtinus epiſtola CXXVIII ineunte: *quum Tibilim veniſſes.* Idem lib. XXII de Ciuit. Dei cap. VIII *Ad Aquas Tibilitanas epiſcopo adferente Proiecto reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus.* In Notitia eſt *Simplicius Tibilitanus:* & apud Optatum lib. I p. 39 *Marinus ab Aquis Tibilitanis.* Situm ex hoc itinere cognoſcimus:

Cirta			
Aquas Tibilitanas	M.	P.	LIIII
Villam Seruilianam	M.	P.	XV
Hipponem regium	M.	P.	XXV.

XL.

Vlterior eſt colonia *Simittu*, quæ ad fines Zeugitanæ propius accedit. Carolus a S. Paulo in proconſulari prouincia cenſet: ſed malo ponere in Numidia. Tabraca enim Numidiæ eſt, Plinio teſtante: Simittu autem citra Tabracam XVI millibus ſita eſt, LXXX millibus paſſuum ab Hippone regio: Tabraca autem ab eodem diſtat millibus XCVI, quod alio itinere colligitur. Prioris ſunt hæ rationes ab Hippone regio Carthaginem:

Hippone regio			
Onellaba	M.	P.	L
Ad Aquas	M.	P.	XXXV
Simittu coloniam	M.	P.	V,

atque ſic per Bullam regiam, Tuburbo minus, ac Cigiſam ducitur Carthaginem.

XLI.

Tipaſa quoque & *Tagora* ex itinere a Muſti Cirtam ſunt conſtituenda.

Muſti			
Siccam	M.	P.	XXXII
Naraggara	M.	P.	XXX
Tagora	M.	P.	XX
Tipaſam	M.	P.	XXXIIII
Gazaufulam	M.	P.	XXXV
Sugus	M.	P.	XXIII
Cirtam	M.	P.	XXV.

Tagora in Notitia Numidiæ occurrit, cuius eſt *Timotheus Tagurenſis.*

XLII.

Duplex eſt *Tipaſa* Ptolemæi, in Cæſarienſi Mauretania: altera huius prouinciæ ex Itinerario. In Notitia etiam diſtinguuntur, *Ruſticus Tipaſenſis* Numidiæ; & *Reparatus Tipaſitanus* in Mauretania Cæſarienſi.

XLIII.

De *Gazaufula* ſupra diximus, videri doctis viris Ptolemæi *Gauſaphnam* eſſe, quamuis remotior a Cirta ſit in Ptolemæi tabula, quam pro milliariis Itinerarii. Notitiæ in Numidia eſt *Augentius Gazaufulenſis*: & Auguſtino lib. VII contra Donatiſtas cap. XL *Saluianus a Gazaufala.* Sic ſcriptum eſt vocali prima in pænultima, etiam accuratisſima Benedictinorum editione: in Notitia autem, & Itinerarii cod. Regio (in olim editis omiſſum hoc nomen, quod ſumma milliariorum requirit) & apud Victorem Vitenſem eſt v in pænultima, *Gazaufula, Gazaufulenſis.* Tabula Peutingeri *Gaſaupala* ſegm. II.

XLIV.

Hæc ex Itinerario Antonini, vt vocatur, indagare licuit: alia ſuperſunt vel ex coniectura ſtatuenda, vel vt dubia, ſine certi loci definitione, relinquenda. Tamen ſi *Madurus* Ptolemæi eſt *Madaura*, Apuleii patria, certiores eius rationes ſunt: quod multis vero ſimillimum videtur. In Numidia fuit *Madaura*, vti etiam *Madurus* Ptolemæi: ideoque Victor Vitenſis in Nu-

midiæ Notitia *Pudentium Madaurenſem* in epiſcopis Numidiæ nominauit. Et Apuleius ſe *Madaurenſem* genere dixit Metamorph. XI libro, & de Platonis philoſophia lib. III. Idem vero Apologia fatetur ſe *ſeminumidam & ſemigætulum* eſſe, quia *patria ſita Numidiæ & Gætuliæ in ipſo confinio.* At Gætulia longe abeſt a Maduri loco, quem Ptolemæus deſignauit: niſi illos Gætulos intelligamus, quorum maiores ſub Iubæ, Numidiæ regis, imperio fuerunt, a C. Mario beneficio adfecti, ab Iuba ad Cæſarem defecerunt. Vide Hirtii Afr. B. cap. XXV & XXXII. Nec licet Madauram in vlteriora & ad propriam Gætuliam, de qua infra acturi ſumus, deducere: vicina enim Tagaſtæ, Auguſtini patriæ fuit. Sic enim ipſe lib. II Confeſſionum cap. III *dum mihi reducto a Madauris, in qua vicina vrbe iam ceperam litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis ſumtus præparabantur;* cetera ſupra in Tagaſte ſunt recitata. Hic pluraliter ſcripſit *a Madauris:* vt Aethicus coſmographus in Africæ vrbibus *Madauros* quarto caſu: vulgo femininum & ſingulare eſt. Etiam *Medaura* dicta, vt ex inſcriptione veteri adparet apud Gruterum pag. 600. num. 10. SERVIL. MEDAVRIANVS, quod gentile, aut qualecumque cognomen, ad vrbem noſtram haud dubie referendum, quamuis ibidem dicatur colonia Teueſte oriundus: quod ex alia inſcriptione pag. 860 num. 12 adparet clarius:

MEMORIAE
AVRELIAE
GRAPHICIANAE
NVMIDA ET
CATVLLVS
MEDAVRIANI.

Olim Syphacis fuit, vt ipſe Apuleius Apolog. tradit: poſt Maſiniſſæ regis Romanorum beneficio: *deinceps,* inquit, *veteranorum militum nouo conditu ſplendidisſima colonia ſumus.* Et Plinium eius mentionem lib. V cap. IV feciſſe, a multis adhuc fuit creditum, quia Hermolaus & Frobenius legerunt *Madaurenſe oppidum:* ſed priores, & MSS. omnes codices, *Materenſe.* Harduinum conſule qui codices inſpexit.

XLV.

Et *Calama* epiſcopale oppidum, vnde *Donatus Calamenſis* eſt apud Optatum lib. I pag. 39. Auguſtinus coloniam dixit lib. XXII de Civ. Dei cap. VIII, vbi *Eucharii Calamæ habitantis* mentionem fecit: & breui poſt: *miracula, quæ per hunc martyrem, id eſt glorioſiſſimum Stephanum facta ſunt in colonia Calamenſi.* Notitia Africæ in Numidia: *Quoduultdeus Calamenſis.* Situm certum demonſtrare non poſſumus.

XLVI.

Auguſtinus ibidem *Synicenſis caſtelli* meminit. *Memorati,* inquit, *memoria martyris, quæ poſita eſt in caſtello Synicenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt.* Hipponem intelligo regium, cui propior Auguſtinus erat, immo in ipſo epiſcopus.

XLVII.

XLVII.

Capſa Salluſtii an eadem quæ Ptolemæi, ſupra in Byzacio mediterraneo diſputatum fuit. Non videtur eadem. In Tabulæ Auguſtanæ ſegmento III eſt in pænultima linea, quæ in auſtrum vergit, *Capſa colonia*, quam puto illam Salluſtii eſſe, de qua ipſe cap. LXXXIX *Erat inter ingentes ſolitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capſa: cuius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius ciues apud Iugurtham immunes, leui imperio, & ob ea fideliſſumi habebantur: muniti aduorſum hoſtes non mœnibus modo, & armis, atque viris; verum etiam multo magis locorum aſperitate. nam præter oppido propinqua, alia omnia vaſta, inculta, egentia aquæ, infeſta ſerpentibus.* Strabo lib. XVII pag. 572 Κάψα τὸ γαζοφυλάκιον τȣ̃ Ιȣγȣ́ρθα, *Capſa, gazophylacium Iugurthæ.* Incolæ *Capſenſes* Salluſtio.

XLVIII.

Thala a pluribus quidem memorata: a nemine eius poſitio definita. Salluſtius cap. LXXV *Iugurtha* [fugiens] *in ſolitudines, dein Thalam peruenit, in oppidum magnum & opulentum, vbi plerique theſauri, filiorumque eius multus pueritiæ cultus erat. Quæ poſtquam Metello comperta ſunt, quamquam inter Thalam flumenque proximum, in ſpatio millium quinquaginta, loca arida atque vaſta eſſe cognouerat; tamen ſpe patrandi belli, ſi eius oppidi potitus foret, omnes aſperitates ſuperuadere ac naturam etiam vincere adgreditur.* Et Strabo iam dicto loco de Iubæ bello: συνηφανίσθησαν δὲ τοῖς ἡγεμόσι καὶ αἱ πόλεις, Τισιαὺς τε, καὶ Οὐάτα, καὶ Θάλα, ἔτι δὲ καὶ Κάψα, *deletæ ſunt cum ducibus vrbes, Tiſiaus & Vata, & Thala, adhæc Capſa.* Priora oppida ignota ſunt, niſi alterum *Vada* ſcribatur, quia in Notitia Numidiæ ſunt *Rufinianus Vadenſis*, & *Proficius Vadenſis.* De Thala etiam Tacitus annali III cap. XXI. *Tantum*, inquit, *ſeueritate profectum, vt vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, eaſdem Tacfarinatis copias, præſidium, cui Thala nomen, adgreſſas, fuderint.* Et Florus lib. III cap. I de Metello conſule: *Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipſa capita impetum fecit, & Zamam quidem fruſtra diu voluit: ceterum Thalam, grauem armis theſauroque regis, diripuit.* Multa ſic de oppido referuntur: de loco ac poſitione nihil.

XLIX.

Nec certior fluuius *Tanas*, ad quem Marius venit, quum Capſam occupatum iret, quod Salluſtius cap. XC ſeq. deſcripſit. Videtur inter Lares & Capſam delabi. Quo exeat, in Ampſagam, an ſuo oſtio in mare, etiam eſt incertum.

L.

Nec meliores rationes ſunt fluminum & oppidorum reliquorum, quorum Salluſtius Iugurthino meminit. *Thirmida* oppidum, vbi Hiempſal eſt interfectus, cap. XII Iugurthini: *Suthul* oppidum, vbi regis theſauri erant, cap. XXXVII: *Muthul* fluuius in ea parte Numidiæ, quam Atherbal in diuiſione poſſederat: vt idem Salluſtius dicit cap. XLVIII. Atqui Iugurthæ pars Mauretaniam attigit, cap. XVI: ergo Atherbalis portio fuit orientalior, ſiue illa Numidia, quam adhuc expoſuimus.

LI.

LI.

Tigiſis quoque Numidiæ fuit oppidum, licet aliud huius nominis in Mauretania Cæſarienſi commemoretur. nam epiſcopi Notitia Africæ in vtraque prouincia memorantur, in Numidia *Domnicoſius Tigiſitanus:* in Mauretania *Paſſitanus Tigiſitanus.* Hæc certa eſt, quia Ptolemæus *Tigis* in Mauretania habet: illa, quæ Numidiæ eſt, dubio ſitu, nec, niſi ex coniectura, ſtatuendo. Et huius erat *Secundus Tigiſitanus primas,* cuius Auguſtinus epiſtola LXVIII meminit; quod clarius ex epiſtola CLXII adparet, qua ſcripſit: *Secundus Tigiſitanus, qui tunc agebat in Numidia primatum.* In auſtrali parte fuiſſe & circa Auraſium montem, ex Procopii lib. II Vandal. cap. XIII non obſcure colligitur. Conſule etiam Lucam Holſtenium ad Ortelium pag. 35. Huc referunt Plinii *Tigenſe oppidum* ex lib. v. cap. IV, quaſi *Tigiſenſe,* vere, an lapſu ſcribentis, equidem ignoro. Certius huc pertinet inſcriptio vetus apud Reineſium p. 458 PATRONO ZAMAE REGIAE ET PATRONO TIGISENS.

LII.

Auſtraſius autem mons, in Numidia auſtrali ſitus, habitabatur poſteriori æuo a Mauris αὐτονόμοις, XIII dierum itinere a Carthagine, vt Procopius narrat lib. I Vandal. cap. VIII, cum quibus Iuſtinianus bella geſſit, lib. II cap. XIII. Pluribus deſcripſit hunc montem lib. VI περὶ κτισμάτων cap. VII, eſſe ei haud parem in terrarum orbe, quia abruptus vndique altiſſime ſurgat, nec adſcenſum niſi in prærupto offerat: in vertice autem planos campos eſſe, prata, hortos, fontes, aquas placidas, fruges, etiam aromata, omnis generis. Et hunc montem dicit in Numidia eſſe: ὄρος ἐςὶν ἐν Νουμιδίᾳ, ὅπερ Ἀυράσιον ἐπικέκληται. Et lib. I Vandal. cap. VIII ait, eſſe τετραμμένον πρὸς μεσημβρίαν, *in meridiem vergere.* Videtur Ptolemæi mons *Audus* eſſe.

LIII.

Et *Caſæ Nigræ* in Numidia erant, quarum epiſcopus ille *Donatus* fuit, a quo *Donatiſtæ* adpellantur. Auguſtinus lib. I Retractat. cap. XXI *Ille* [Donatus] *non erat Carthaginienſis Donatiſtarum epiſcopus, ſed a Caſis Nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipſum nefarium ſchiſma commiſit.* Vnde in Notitia Numidiæ *Felix Caſennigrenſis* epiſcopus vocatur. Vbi ſitum hoc oppidum fuerit, non eſt proditum memoriæ.

LIV.

Vltra Auraſium montem ſunt obſcuriora, *Buzara* mons, & hinc in ortum procedens *Thambes* mons: oppida *Thubutis, Gedne, Gazacupada,* ſingula Ptolemæi: quibus ex Vitruuii lib. VIII cap. IV oppidum *Iſmuc* addo, a Zama millia paſſuum viginti remotum, in quam plagam, non liquet. In eius agro ait nullam ſerpentem eſſe, & aliunde adlatam ſtatim exſtingui.

LV.

Sunt præterea apud Plinium lib. v cap. IV oppida, quæ Ptolemaicis conciliari poſſunt, vt *Tynidrumenſe* & Θουνούδρομον, *Thunudromum: Tibigenſe* & Ptolemæi Θίγιβα, *Thigiba,* & alia, de quibus Harduinus conſulatur.

LVI.

LVI.

Et ciuitates, quæ iure nationes dici poſſint, ibidem Plinio laudatæ, *Natabudes*, Ptolemæi *Naſabutes*: & *Capſitani*, de quibus ſupra: *Miſulani* Ptolemæi *Miſulami*, quos ſub *Audo* monte ponit, Taciti *Muſulani*, qui *accolas Mauros* habent, ideoque in occaſum magis, quam Ptolemæus locauit, ducendi cum Natabudibus videntur; annali II cap. LII, & lib. IV cap. XXIV. Et his auſtraliores *Niſibes* Ptolemæi, ſunt *Niſiues* Plinii: *Muſſini* huius, Ptolemæi *Muſuni* ſub *Thambe* monte: *Sabarbares* Plinii, *Sabubures* Ptolemæi: & ſupra hos *Sitaphius campus*, montem verſus Mampſarum.

LVII.

Notitia tandem Numidiæ multos epiſcopos ab vrbibus nominauit, quarum ſedes nobis ignotæ ſunt, verbi gratia *Leontium Burcenſem*, *Martialem Girenſem*, *Donatum Auſuccurenſem*, *Benenatum Lambiritanum*, *Felicem Lamſortenſem*, *Abundium Tididitanum*, *Adeodatum Nobabarbarenſem*, *Florentium Nobagermanienſem*, *Victorinum de Nobacæſaris*, *Fructuoſum de Giru Marcelli*, *Anaſtaſium Aquenobenſem*, *Reparatum Tubunienſem*, *Rufinianum Vadenſem*, *Proficium Vadenſem*, quaſi duo huius nominis oppida fuerint: *Honoratum Fatenſem*, *Fluminium Tabudenſem*, & alios plures, de quibus ſi quid inueniri poterit, in Medii æui Geographia adferemus.

LVIII.

Inſulæ ad hanc Numidiæ partem a Ptolemæo paucæ, & incognitæ numerantur: *Calathe* ſupra Tabracam: & *Hydras* contra Tretum promontorium.

SECTIO II.

NVMIDIA MASSAESYLORVM.

LIX.

Venimus nunc ad eam partem Numidiæ, cuius nomina ſemel iterumque variarunt. Olim *Maſſæſyli* ea gens adpellabatur, eisque Syphax, ab Romanis Punico poſtea bello victus, deinde etiam Iugurtha imperauit. Strabo lib. XVII pag. 570 Μετὰ τὴν τῶν Μαυρȣσίων γῆν ἡ τῶν Μάσσαισυλίων ἐςὶ, ἀπὸ τȣ̃ Μολοχὰθ ποταμȣ̃ τὴν ἀρχὴν λαμβάνȣσα, τελευτῶσα δ᾽ ἐπὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται ὅριον τῆς δὲ Μασσαισύλων καὶ τῆς Μασυλίβων γῆς. *Poſt Mauretaniam eſt Maſſæſylorum regio, incipiens a Molochath flumine, finiens in promontorio quod terminus Maſſæſylorum & Maſylibum* (ſeu Maſilibyum) *vocatur*. Promontorium autem illud terminans haud dubie Tretum ſiue Tritum eſt: quod nomen Caſaubonus putat excidiſſe, cui legendum videtur, ἣ καλεῖται Τρίτον, ὅριον τῆς τε, cetera. *Molochath* autem Strabonis non eſt Ptolemæi fluuius Molochath, ſed aliorum *Mulucha*, quem Ptolemæus tranſpoſitis litteris Χυλημὰθ, *Chylemath* adpellat. Salluſtius cap. XCII *haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthæ Bocchique regnum diſiungebat*. Et Plinius lib. V cap. II *Amnis Mulucha Bocchi Maſſæſylorumque finis*. Et Pomponius lib. I cap. V *Mulucha ille, quem diximus, amnis eſt, nunc gentium, olim regnorum quoque terminus, Bocchi Iugurthæque*.

LX.

Sic fuit Punici belli temporibus vſque ad Cæſaris victoriam in Africa. Strabo lib. XVII pag. 570 τὴν δὲ χώραν μετὰ Σύφακα κατεῖχε Μασσανίσσης, εἶτα Μικίψας· εἶτα καὶ οἱ ἐκείνου διαδεξάμενοι· καθ' ἡμᾶς δὲ Ἰούβας ὁ πατὴρ τοῦ νεωστὶ τελευτήσαντος Ἰούβα. *Poſt Syphacem Maſſaniſſa obtinuit regionem: poſtea Micipſa, deinde eius ſucceſſores: noſtra tempeſtate Iuba, Iubæ pater recens mortui.* Cæſar, Iuba victo, prouinciam fecit Numidiam, quod ſupra ex Appiani lib. IV Ciuil. p. 995 demonſtrauimus, cui Dionem addo lib. XLIII p. 217: nec Iubæ filio, Romæ educato, Auguſtus Numidiam reddidit, ſed, quod Dio Caſſius lib. LIII pag. 514 prodit, τῷ μὲν Ἰούβᾳ τῆς τε Γαιτουλίας τινὰ, ἀντὶ τῆς πατρῴας ἀρχῆς, ἐπείπερ ἐς τὸν τῶν Ῥωμαίων κόσμον οἱ πλείους αὐτῶν ἐσεγεγράφατο, καὶ τὰ τοῦ Βόκχου τοῦ τε Βογούου ἔδωκε, *Iubæ pro paterno regno Gætuliæ quasdam partes, quoniam pleræque ad morem Romanum compoſitæ erant: & quæ Bocchi Bogudisque fuerant, tradidit.* Si ἀντὶ, *pro* paterno regno tradidit, quod vero, vt ex Strabone iam percepimus, Syphacis regnum continebat; ſequitur, vt initio vltra Mulucham nihil acceperit, poſt autem eiusdem Auguſti liberalitate, ſi non totum, quod dubitamus, tamen partem paternarum poſſeſſionum vsque ad Ampſagam fluuium obtineret: ex qua parte vrbem *Iol*, amplificatam & ornatam Auguſto Cæſari dedicauit, in honorem eius adpellando *Cæſaream.* Eutropius lib. VII cap. V in Auguſti vita: *Tanto amore etiam apud barbaros fuit, vt reges, populi Romani amici, in honorem eius conderent ciuitates, quas Cæſareas nominarent: ſicut in Mauretania a rege Iuba; & in Palæſtina, quæ nunc vrbs eſt clariſſima.*

LXI.

Plinius lib. V cap. II nos turbat, aliam diuiſionem inſtituens. *Siga*, inquit, *oppidum ex aduerſo Malachæ in Hiſpania ſitæ, Syphacis regia, alterius iam Mauretaniæ. Namque diu regum nomina obtinuere, vt Bogudiana adpellaretur extima: itemque Bocchi, quæ nunc Cæſarienſis.* Si Bocchi, qui cum Bogude diuiſam Mauretaniam habuit, fuit illa, quæ poſtmodum Cæſarienſis fuit adpellata; quomodo Mulucha prioris Bocchi, cuius heredes Bogud & minor Bocchus fuerunt, fuit terminus Iugurthæ & coæui Bocchi, vt Salluſtius & Mela ſcripſerunt? quomodo Iuba, qui cum Cæſare bellum geſſit, in Syphacis regno, cuius regia Siga erat, ſucceſſor fuit, vt Strabo referebat? vtriusque verba paullo ante protulimus, quæ repetantur. Num vero fortaſſis Cæſar, victo Iuba, eam partem Boccho donauit? at is Pompeianarum fuit partium, etiam Hiſpanienſi bello, Dione teſte lib. XLIII pag. 231. An ergo ab Auguſto id præmium accepit: ad hunc acceſſit quidem, qui etiam in Bogudiano regno, quod occupauerat, illum confirmauit: eodem teſte lib. XLVIII p. 384; de alio & maiore dono nihil tradunt hiſtoriæ. Bogudis autem regnum, quod Boccho Octauianus confirmauit, erat Mauretaniæ pars extima, vt Plinius dixit, ſiue Oceanum attingens.

LXII.

Hæc, inquam, faciunt, vt de Plinii fide in hoc argumento dubitemus: neque nobis probabile videtur, ante minoris Iubæ ſiue hiſtorici dominatum

in his regionibus, nomen Mauretaniæ trans Mulucham prolatum fuiſſe: qui quod primum, vt Dio refert, ſolas Bocchi & Bogudis poſſeſsiones ab Auguſto Cæſare acceperit, quæ propria Mauretania erat; poſtea auctius regnum impetrauerit eiusdem liberalitate, adiecta paterni regni occidentali parte; factum inde, vt Maurorum nomen, quos prius rexerat, per omne eius regnum proferretur: præſertim quod natio illa magis magisque inualuit, Maſſæſylorum gens ad paucos redacta, ſenſim exſtingueretur. Plinius quidem de Mauris idem ſtatuit lib. v cap. II, ſed de familiis intelligendum eſt, non de nomine, quod mire propagatum fuit, vt Claudii temporibus ad Ampſagam vsque amnem proueheretur. *Tingitaniæ prouinciæ,* inquit Plinius, *longitudo* CLXX *mill. paſſuum eſt. Gentes in ea quondam præcipua Maurorum, vnde nomen, quos plerique Mauruſios dixerunt. Attenuata bellis ad paucas recidit familias. Proxima illi Maſſæſylorum fuerat, ſed ſimili modo exſtincta eſt. Gætulæ nunc tenent gentes.* Et paullo ante cap. I Plinius *Romana arma primum, Claudio principe, in Mauretania bellauere:* at in illa, quæ poſtmodum Cæſarienſis dicta fuit, varie Iugurthæ temporibus bellatum fuit: ſed tum Numidia erat, nondum inducta noua Mauretaniæ in partes illas adpellatione.

LXIII.

Non vna igitur diuiſio Africæ poſt Ampſagam fuit, nec vna conſtans adpellationis ratio. Olim Syphacis regnum erat ab Ampſaga vsque ad Mulucham, idque *vetus* illius *regnum* Liuius lib. XXX cap. XI vocat: diſtinctum a nouo, quod Maſiniſſæ eripuerat, ſed rurſus amiſit. Succeſsit, Syphace victo, in vetus etiam illius regnum Maſiniſſa & poſteri eius, e quibus Iuba fuit, filius Hiempſalis: quo pariter victo, Cæſar prouinciam fecit, vt ex Dione & Appiano demonſtrauimus. Sed tum Numidia dicta fuit, nondum Mauretania, ſicut Syphax Liuio lib. XXIV cap. XLIV eſt *rex Numidarum:* & lib. XXVIII cap. XVII *rex Maſſæſylorum.* Mauretaniæ nomen Iuba minor invexit, quia ante Maurorum rex ab Auguſto factus fuerat: Claudius, quum nouam prouinciam feciſſet, *Mauretaniæ Cæſarienſis* nomen addidit. Medio æuo alia diuiſio facta in Cæſarienſem & Sitifenſem Mauretaniam, Tingitana Hiſpaniæ adſcripta: ſed de his in illius temporis Geographia pluribus acturi ſumus.

LXIV.

His igitur varie inter ſe mutatis, hæremus, quam viam nunc ſequamur, quia regionis, quam nunc expoſituri ſumus, denominatio vtraque, Numidiæ & Mauretaniæ, antiquæ Geographiæ, quam tractamus, temporibus reſpondet, Numidiæ, ante Cæſares; Mauretaniæ, ſub ipſis. Quod vero iam tum Plinius hanc nouam diuiſionem adpellationemque habet, & plenius illam Ptolemæus expoſuit; eosque ſequuntur poſteriores omnes; vtique cum his faciendum nobis videtur, vt tamen, vbi opus fuerit, priorum temporum & veteris denominationis etiam rationem habeamus. Ipſe Plinius lib. V cap. II pro temporibus diuerſis inter veterem & nouam earum regionum adpellationem ac ſtatum diſtinguit. *Siga,* inquit, *Syphacis regia, alterius iam Mauretaniæ.* Dum IAM dicit, antea non Mauretaniæ, ſed Numi-

diæ fuiſſe fatetur, ſic aliter aliterque cenſam. Nimis quidem Numidia protrahitur in occidentem: nec vero poſſumus aliter per Plinii, Ptolemæi & Itinerarii rationes interpretari: licet multa in Mauretania turbata & confuſa videantur, quod infra ad loca ſingula demonſtrabimus. Nunc vulgarem ordinem ſectamur.

CAPVT VI

DE MAVRETANIA CAESARIENSI.

I.

MAuretania Cæſarienſis nomen ex æuo Claudii Cæſaris habuit. Claudius enim Mauros, ob cædem regis ſui Ptolemæi, qui filius Iubæ minoris erat, tumultuantes (Caius Caligula interfecerat) armis domuit, & duas in gente illa prouincias fecit, *Tingitanam* in antiqua & propria Mauretania; & *Cæſarienſem* in parte regni ad orientem vergente, quæ olim Numidia fuerat. Plinium lege lib. v cap. I, & II [& clarius Dio Caſſius lib. LX pag. 671 ὁ Κλαύδιος διχῇ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμεν, ἔς τε τὰ περὶ Τέγγιν, καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ᾽ ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται· καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξε. *Claudius Mauros, ſibi ſubiectos in duas partes diuiſit, in eos, qui circa Tingin ſunt, & in hos, qui ſunt circa Cæſaream, duobus iis equitibus præfectis.*

II.

Ab Ampſaga fluuio, vbi deſiimus, incipiemus, quem & Plinius & Ptolemæus terminum prouinciæ ab ortu eſſe tradiderunt.

III.

Ampſagam amnem Plinius in Cæſarienſi Mauretania cenſet vltimum lib. v cap. II extremo: & initio cap. III *Ab Ampſaga Numidia eſt, Maſſiniſſæ clara nomine.*

IV.

Primum oppidum Plinius cap. II nominauit, prætermiſſum a Ptolemæo & aliis. *Oppidum,* inquit, *Tucca, impoſitum mari & flumini Ampſagæ.* De ſitu ſic non poteſt dubitari, quamuis plura huius nominis in Africa ſint oppida, quæ vero a noſtro mare & fluuius diſcernunt. *Vzulus Thuccenſis* in Notitia Sitifenſis prouinciæ forte huius loci eſt.

V.

Deinde Ptolemæo in ora ſeu ad mare eſt *Aſſarath* ſiue *Aſiſarath*, obſcurus locus: poſt quem Γοῦλου, *Guli* ſeu *Gulæ* fluuii oſtia.

VI.

Tum ſequitur *Igilgili*, colonia Auguſti Cæſaris. Plinius cap. II *Ruſazus colonia Auguſti. Salde colonia eiusdem. Item Igilgili.* Et primo Antonini Itinere a Tingi per litora, *Igilgili colonia.* In dicta Notitia Victoris, *Domitianus Igilgitanus,* (ſic in libris eſt) pro *Igilgilitanus.*

VII. Se-

VII.

Sequuntur *Audi* fluuii oſtia & *Audum* promontorium, quod finit ſinum Numidicum.

VIII.

Præteritis quæ ignobiliora ſunt, *Iarſath* oppido, *Siſari* fluuio; *Chobat* oppidum Ptolemæi eſt Itinerarii *Coba municipium*: vnde in Notitia eſt *Maximus Couienſis*. Sequuntur *Naſauæ*, ignoti amnis, oſtia.

IX.

Salde autem illuſtris erat colonia, quæ & *Saldæ*, & *Saldis* ſcribitur. Plinius iam dicto loco: *Salde colonia eiusdem*, puta Auguſti. Ptolemæus, *Σάλδαι κολώνια*, *Saldæ colonia*. Antonini dicto itinere, *Saldis colonia*. In Notitia, *Paſcaſius Salditanus*.

X.

Ignobili oppido *Vabar*, quod Ptolemæus habet, prætermiſſo, venitur ad *Ruſazum* aut *Ruſazuntem*, itidem coloniam. Plinius: *Ruſazus colonia Auguſti*. Ptolemæus, Ρουσαζοῦς, *Ruſazûs*, circumflexa vltima. Itinerarium, *Ruſazis*. Variant enim caſu vocabula barbara, ſi Græce aut Latine inflectuntur. Municipium Itinerario dicitur: a Plinio colonia. nam coloniæ non numquam in municipia, & verſa vice municipia in colonias ſunt mutata, aut vtroque nomine quædam oppida vſa: quod Gellius diſputat lib. XVI cap. XIII. Quæ ſuccedunt *Ruſubeſer* & *Iomnium*, Ptolemæi ſunt: tamen etiam in Itinerario *Iomnium municipium*, a Ruſazi XXXVIII millibus.

XI.

Ruſucurium autem, ſiue *Ruſuccurum* nobilius fuit. Plinius dicto loco: *Ruſucurium ciuitate honoratum a Claudio*. Itinerarium: *Ruſuccurum colonia*. Ptolemæus, Ρουσουκκόραι, *Ruſuccoræ*. In Victoris Vitenſis Notitia, in Cæſarienſi Mauretania, *Metcur Ruſuccuritanus*.

XII.

Duodecim abhinc millibus eſt *Ciſi municipium* Itinerarii, Κισσὴ, *Ciſſe*, Ptolemæi: Tabulæ Peutingerorum *Ciſſi municipio*. Vnde *Flauoſus Ciſſenſis* adfuit collationi Carthaginienſi.

XIII.

Poſt *Serbetis* fluuii oſtia, miſſis quæ ſequuntur obſcurioribus, *Modunga* & *Ruſicibar*, ſequitur Ρουσκόνιον, *Ruſconium*, [ſic in Ptolemæo legendum, non Ρουστόνιον] quæ apud Plinium eſt *colonia Auguſti Ruſconiæ*, lib. IV cap. II. Itinerario Antonini eſt *Ruſguniæ colonia*. In Notitia *Bonifacius Ruſgunienſis* memoratur.

XIV.

Inde ſunt *Saui* fluuii oſtia, & poſt illa *Icoſium*, Ικόσιον. Plinius: *eiusdem* [Claudii] *iuſſu deductis veteranis Oppidum nouum: & Latio dato, Tipaſa: itemque a Veſpaſiano imperatore eodem munere donatum Icoſion.*

XV.

Abhinc ſunt *Caſæ Caluenti* Itinerario: dein *Tipaſa*, quam iam Plinius

Latio dato commendauit. Auctor Itinerarii vocat coloniam. Victor Vitenſis *Reparatum Tipaſitanum* epiſcopum habet in Mauretania Cæſarienſi. De alia Tipaſa ſupra in Numidia.

XVI.

Proxima hinc tam apud Ptolemæum, quam in Itinerario eſt *Cæſarea*, antea *Iol* dicta, ab Iuba minore ornamentis & auguſto nomine in Cæſaris Auguſti honorem ſplendidior facta, in quam Claudius coloniam deduxit: caput regionis, & ſedes illius Iubæ. Strabo lib. XVII pag. 571 ἦν δ' ἐν τῇ παραλίᾳ ταύτῃ πόλις Ἰὼλ ὄνομα, ἣν ἐπικτίσας Ἰόβας, ὁ τοῦ Πτολεμαίου πατὴρ, μετωνόμασε Καισάρειαν, ἔχουσαν καὶ λιμένα, καὶ πρὸ τοῦ λιμένος νησίον. *In hac ora fuit vrbs quædam nomine Iol, quam Iuba, pater Ptolemæi, a ſe inſtauratam mutato nomine Cæſaream vocauit. Ea portum habet & inſulam ante portum.* Supra ex Eutropii Auguſto referebamus, *reges, populi Romani amicos, in honorem Auguſti condidiſſe ciuitates, quas Cæſareas nominarent; ſicut in Mauretania a rege Iuba: & in Palæſtina.* Plinius lib. V cap. II *Promontorium Apollinis: oppidumque ibi celeberrimum Cæſarea, antea vocitatum Iol, Iubæ regia, a diuo Claudio coloniæ iure donata.* Veteri itinerario: *Cæſaria colonia.* Nummos huius ciuitatis Harduinus oſtentat, primum ex theſauro Golzii, qui an verus ſit certusque, aliis iudicandum relinquo: alterum ex Regio cimelio, ſignatum REX IVBA. in auerſa parte CAESAREA R. XXXII, qui regni annus eſt. Addit alios, quibus annus XXXX, & XXXXII expreſſus eſt. Plures in eo conſentiunt, eſſe Cæſaream, quam hodie *Alger* vocant, armis & piratica famoſam: quod barbaricum eius nomen non mediocriter confirmat.

XVII.

Apollinis promontorium, vt vidimus, cum Cæſarea Plinius componebat; ſed laxe *ibi*, & cum diſtantia eſt intelligendum. Ptolemæus enim interpoſuit amnem *Chinaphal*, vel *Chinalaph*, vt in Palatino eſt: & oppidum, cui nomen Κανουκκίς, *Canuccis*, mendoſe pro *Gunugi*, vel *Gunugus*. Aldina Itinerarii *Gunucus*. Plinius dicto loco: *colonia eiusdem* [Auguſti] *deducta cohorte prætoria, Gunugi.* Diſtat XII millibus a Cæſarea in occaſum. Vide ſæpe laudatum Itinerarium, in quo Surita ex vetuſto codice *Gunugus* reſtituit: quod ita etiam Andr. Schottus expreſſit. Poſt ſunt *Caſtra Germanorum* apud Ptolemæum: tum demum *Apollinis* eſt *promontorium*, Ἀπόλλωνος ἄκρον.

XVIII.

Hoc inter promontorium & coloniam *Cartennam* Ptolemæus ponit *Lagnutum*, *Carcomam*, *Carepulam*, obſcura nomina. Eo nobilior eſt *Cartenna*. Plinius de Africa cap. II *Cartenna colonia Auguſti, Legio ſecunda*, id eſt colonia ſecundanorum, ſiue militum ſecundæ legionis. Ptolemæus plurali numero Καρτένναι, *Cartennæ*. Vetuſtiſſimus codex Itinerarii *Cartenas*, ſimplici N, & pluraliter: reliqua exemplaria *Cartenna colonia.* * In Notitia

* Valuit ſcriptio *Cartennæ* ſingulari numero poſterioribus etiam temporibus. Gennadius c. 77 *Victor Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis epiſcopus.*

Notitia huius prouinciæ eſt *Lucidus Cartennitanus.* Addit Ptolemæus Καρτένȣ ποταμȣ̃ ἐκϐολάς, *Cartenni fluminis oſtia*, a quo nomen datum fuit oppido.

XIX.

Sequitur *Arſenaria colonia* apud Ptolemæum & Antoninum: & vterque dixit coloniam. Plinius: *Arſennaria Latinorum, tribus millibus pasſuum a mari.* Nihilominus in maritimis a Ptolemæo cenſetur: qui proxime habet Θεῶν λιμένα, *Deorum portum*, qui poſitione diuerſus eſt ab Itinerarii *Portibus diuinis*, quamuis nomine conueniat. Tum Κȣ̃ιζα κολώνια, *Quiza colonia* Ptolemæo: Itinerario *Quiza municipium:* Plinio, *Quiza Xenitana, peregrinorum oppidum.* Interlabitur fluuius *Mulucha*, vt Salluſtius, Mela & Plinius cenſent, Bocchi Iugurthæque terminus, id eſt veteris Mauretaniæ Numidiæque; quarum fines poſtea mutati ſunt. Hic amnis a Ptolemæo Χυλημάθ, *Chylemath* corrupte pro Μυλυχάθ, *Mylychath*, vt Voſſius ad Melam p. 21 emendat: vt ſic Pomponii & Plinii *Mulucha* & Ptolemæi *Chylemath* ſeu *Mylychath* vnus & idem fluuius ſit, quod etiam Harduino ita viſum eſt. An vero idem etiam Μολοχάθ, *Molochath* Strabonis? Negat Iſaacus Voſſius, quod nobis vero aliter videtur. Strabo enim: μετὰ τὴν τῶν Μαυρȣσίων γῆν ἡ τῶν Μασσαισυλίων ἐςὶν, ἀπὸ τȣ̃ Μολοχὰθ ποταμȣ̃ τὴν ἀρχὴν λαμϐάνȣσα, *Poſt Mauretaniam eſt Maſſæſylorum regio, incipiens a Molochath flumine.* Iam vero Plinius: *Amnis Mulucha, Bocchi* [Mauretaniæ regis] *Maſſæſylorumque finis.* Idem ergo terminator fluuius Mulucha & Molochath Strabonis, qui vtroque nomine ſignificatus Maſſæſylos a Mauris ſeparat. Plinius hauſit ex Mela, cuius eſt: *Mulucha amnis, olim regnorum terminus Bocchi Iugurthæque.* Iugurtha autem rex Maſſæſylorum Numidarum fuit. Alius autem eſt Molochath Ptolemæi.

XX.

Poſſem hic finire hanc regionem ex veterum conſtitutione: quod vero Ptolemæus & auctor itinerarii ad Maluam vſque flumen Cæſarienſem prouinciam extendunt; hi quoque nobis ſequendi ſunt. Succedit ergo poſt amnem Mulucham & Ptolemæi *Deorum portum*, de quo paullo poſt plura dicturi ſumus; *Portus magnus*, de quo Pomponius: *Portus, cui Magno eſt cognomen ob ſpatium.* Plinius: *portus Magnus a ſpatio adpellatus, ciuium Romanorum oppidum.* Ptolemæus, vt proprium nomen eſſe oſtendat, Latinis verbis Πόρτος Μάγνος. Oppidum ergo fuit cum portu capaci, non nudus portus.

XXI.

Poſt hunc Ptolemæo eſt *Aſſara* fluuius; deinde *Sigæ* fluuii oſtia: tandem *Siga* vrbs & colonia. Quod vero in Itinerario plura interponuntur, totam illius ſeriem adſcribemus:

Siga municipio			
Portum Sigenſem	M.	P.	III
Camaratam	M.	P.	XII
Ad Salſum flumen	M.	P.	XII

Ad

Ad Criſpas	M.	P.	XXV
Giluam coloniam	M.	P.	V
Caſtra puerorum	M.	P.	XXIII
Portus diuinos	M.	P.	XVIII
Portum Magnum	M.	P.	XXXVI
Quizam municipium	M.	P.	XL
Arſenariam	M.	P.	XL
Cartennas coloniam	M.	P.	XVIII.

XXII.

Exigua ſunt, quæ interiecta videmus, præter forſan *Giluam* coloniam, quæ vero nec ipſa clara aut nota eſt. *Gilba* quidem Numidiæ eſt: vnde in Notitia *Felix Gilbenſis* memoratur: ſed *Gilua* longe ab illa ad fines Tingitanæ accedit.

XXIII.

Quod ad *Diuinos portus* attinet, valde vereor, ne ſint, quem Ptolemæus *Deorum portum* adpellat. nam & Strabo Θεῶν λιμένος, *Portus Deorum* meminit, *ſexcentis ſtadiis* a Siga diſtantis, qui ſitus magis cum *Diuinis* Itinerarii *portibus* conuenit, quam cum Deorum portu Ptolemæi. Vnde iudicare poſſis, nomina hæc eumdem portum ſignificaſſe, ab alterutro autem auctore fuiſſe transpoſita, vt alter citra Portum Magnum, alter vltra illum locauerit.

XXIV.

Siga autem, Σίγα, nobilior vrbs, olim Syphacis regia, vt Strabo tradit, βασίλειον Σύφακος. Et Plinius lib. v cap. 11 *Siga oppidum ex aduerſo Malachæ in Hiſpania ſitæ, Syphacis regia, alterius iam Mauretaniæ.* Strabonis ætate diruta fuit: κατέσπασται δὲ νῦν. Poſtea inſtaurata & colonia facta. Ptolemæus, Σίγα πόλις, κολώνια, *Siga vrbs, colonia.* Antoninus Itinerario: *Siga municipium*: ea lege, qua ſæpe ius coloniarum cum municipali permutatum fuit, vt ſupra ex Gellio oſtendimus. Sæpe me torſit, qui Syphacis, Numidarum regis, ſeu Maſſæſylorum, Siga potuerit regia eſſe, tam longe a Mulucha, Numidarum termino, ſeiuncta in occidentem. Sed notum eſt Syphacis ingenium, in iniurias maxime intentum: qui ſicut ab ortu Maſiniſſæ magnam regni partem eripuit, ita haud ſibi temperaſſe videtur, quin in Maurorum etiam regionem inuaderet, ſuumque regnum ad Malvam vſque fluuium proferret. An Maſiniſſa & poſteri, ad quos regnum eius delatum fuit, etiam tam amplum tenuerint, dubitatur. Mulucha enim apud Melam eſt regni Iugurthæ finis, vt ſupra vidimus.

XXV.

Sigam vrbem ab ortu *Portus Sigenſis* excipit, Itinerario monſtratus: in quem fluuius *Siga*, a Ptolemæo notatus, haud dubie exit. nam etiam oppidum ab ortu, vbi portus eſt, adluit.

XXVI.

Poſt Sigam eſt *Gypſara* ſiue *Gypſaria*, vti in Palatino eſt, portus Ptolemæo, forſan etiam cum oppidulo, vt ſolet in portubus.

XXVII.

XXVII.

Deinde eſt Μέγα ἀκρωτήριον, *Magnum promontorium:* & tandem *Maluæ* fluuii oſtia, quem *Maluanam fluuium nauigabilem* Plinius dixit. Hic prouincias diſtinxit & ſeparauit, Tingitanam & Cæſarienſem Mauretaniam. Itinerarii primo itinere a Tingi per litora: *Flumen Malua dirimit Mauretanias duas. Incipit Cæſarienſis.*

MAVRETANIAE CAESARIENSIS MEDITERRANEA.

XXVIII.

Ab Ampſaga fluuio incipimus, & per flumina mediterraneas partes diuidemus. Inter Ampſagam & Audum fluuium Ptolemæus medium habet *Gulum* nomine, qui perinde, ac Ampſaga & Audus, a meridie fluit in ſeptemtrionem.

XXIX.

Inter hunc Gulum & Ampſagam intus a mari in auſtrum progredienti ſunt *Augala, Suptu*, de quibus nihil memorabile occurrit: *Hippa*, cuius epiſcopus Florentius collationi Carthaginienſi adfuit; *Vamicæda*, obſcura.

XXX.

At inſignis & clara *Sitifi,* vt in Itinerario ſcribitur: etiam in Peutingerorum Tabula, ſaltem in caſu ſeu exitu *fi.* nam priores ſyllabæ corruptæ ſunt, *Stcifi,* quod num ſcalptoris vitium ſit, an ita ſcriptum in ipſa tabula, videant quibus copia inſpiciundi eſt. Ammianus Marcellinus quarto caſu formauit *Sitifim*, quod a primo *Sitifis* eſt. Libro XXVIII ſub finem: *Ruricius apud Sitifim cæſus: reliqui apud Vticam ſententia vicarii Creſcentis addicti.* Et lib. XXIX cap. XXIII *Sitifim properans:* & breui poſt, *reuerſus Sitifim.* Ptolemæus, Σίτιφα κολώνια, *Sitipha colonia*, quæ medio æuo illuſtrior, & prouinciæ, quam denominat, Mauretaniæ Sitifenſis, metropolis facta fuit. Multa in eam itinera diriguntur, a Carthagine, a Lambæſa, Lamasba & Theueſte, vt ſolet in vrbes principes. Ex vltimo excerpimus quædam pro ſitu cognoſcendo:

Theueſte			
- - - -			
- - - -			
Tamugadi			
Lambeſem	M.	P.	XIIII
Diana	M.	P.	XXXII
Nouam Petram	M.	P.	XIIII
Gemellas	M.	P.	XXII
Sitifi	M.	P.	XXV.

Auguſtinus epiſtola CXXII *Seueri Sitifenſis* epiſcopi meminit.

XXXI.

Non longe a Sitifi erat oppidum *Sataſi*, cuius epiſcopus *Feſtus Sataſenſis* in Notitia prouinciæ Sitifenſis Mauretaniæ habetur. Diſtat a Sitifi XVI millibus in ſeptemtrionem, vti ex itinere per ambages a Saldis Igilgili adparet:

Saldæ			
Ad Oliuam	M.	P.	XXX
Ad Saua municipium	M.	P.	XXV
Sitifi coloniam	M.	P.	XXIIII
Sataſi	M.	P.	XVI
Ad Baſilicam	M.	P.	XVI
Ad Ficum	M.	P.	XV
Igilgili	M.	P.	XXXIII.

Notitia etiam in Cæſarienſi Mauretania huius nominis oppidum aliud prodit, cuius *Creſces Sataſenſis* epiſcopus dicitur. Sunt enim vnius nominis in Africa plura quædam oppida, vt Tucca, Tigiſis, Tipaſa.

XXXII.

Quæ præterea in iam deſcripto itinere referuntur *Ad Oliuam, Ad Saua municipium*, illa etiam ſic leguntur in Tabula Peutingeriana: & municipium *Saua* videri poterat ad fluuium Sauum fuiſſe; non autem fuit, quia is, interlabentibus aliis fluminibus, ab hoc municipio longe eſt remotus.

XXXIII.

Supra Sitifi in auſtrum recedunt apud Ptolemæum *Tumarra, Germiana, Pæpia, Veſcether*, [Ὀυεσκεθὴρ] *Aegæa, Taruda*, de quibus nihil eſt quod adnotemus.

XXXIV.

Inter Gulum & Audum flumina, ſupra Igilgili, ſunt *Robonda* & *Auſum* obſcura: *Zarattha* autem videtur Apuleii *Zarath* eſſe, de quo in Apologia εἰρωνικῶς: *Cur ergo illa* [de patria & genere] *protuli? vt mihi tu, Aemiliane, minus poſthac ſuccenſeas: potiusque vt veniam impertias, ſi per negligentiam forte non elegi illud tuum Atticum Zarath, vt in eo naſcerer.* Sic Iulianus Floridus de noſtra & Ptolemæi Zarattha interpretatur, quaſi Aemilianus, Apuleii accuſator, fuiſſet Zarathenſis. Certiores rationes ſunt in Antonini itinere a Lamasba Sitifi, quo *Zarai* quidem in libris eſt; Hieronymus autem Surita Apuleii auctoritate ſcripſit *Zarat*. Ordo hic eſt:

Lamasba			
Zarat	M.	P.	XXV
Perdices	M.	P.	XII
Sitifi	M.	P.	XXV.

XXXV.

Perdices locus Sitifenſis eſt prouinciæ, quæ veteri Cæſarienſi medio æuo detracta fuit: cuius epiſcopus in Notitia Mauretaniæ Sitifenſis eſt *Victorinus Perdicenſis*. Situs ex itineribus cognoſcitur. Iam explicato iter

iter aliud addo, ſeu excerpo potius, a Carthagine Cæſaream, quo, quia Cirta peregrinator venit Sitifim, poſt eam, Cæſaream verſus, itidem XXV millium interuallo ponitur ita:

Cirta colonia			
Mileum	M.	P.	XXV
Idricam	M.	P.	XXV
Cuiculi	M.	P.	XXV
Sitifi	M.	P.	XXV
Perdices	M.	P.	XXV.

Suſpectus quidem eſt numerus idem toties repetitus: tamen, licet error numerorum lateat, ordo & ſeries locorum inde cognoſci poteſt.

XXXVI.

Sequuntur apud Ptolemæum *Nababurum & Vitaca*, ignobilia: tum *Thubuna*, quæ eruditis *Tubunæ* Auguſtini eſſe videntur. Epiſt. LXX *apud Tubunas:* & lib. VI contra Donatiſtas cap. XII *Nemeſianus a Tubunis.* In Cypriani codice ſcriptum eſt eodem concilio, *a Thubunis.* Ptolemæus Θȣ̃βȣνα. Excipit *Garas* mons: vltra quem *Thamarita* oppidum, & tandem *Malchubii*, populus.

XXXVII.

Trans Audum flumen *Tubuſuptus* eſt, oppidum pluribus memoratum. Plinius lib. V cap. II *Intus colonia Auguſta, quæ item Succubar: item Tubuſuptus.* Ptolemæus Τȣβȣσȣ́πτος, *Tubuſuptus.* Ammianus lib. XXIX cap. XXIV [Valeſ. V] *ad Tubuſuptum progreſſus, oppidum Ferrato contiguum monti.* Ille autem *Ferratus mons* in Peutingerorum Tabula conſpicitur fere a Ruſuccuro colonia ad Saldas vſque longo tractu procurrens. In Notitia imperii ſub diſpoſitione Comitis limitanei eſt *Præfectus limitis Tubuſubditani.* In Notitia epiſcoporum Sitifenſis prouinciæ eſt *Maximus Thuguſubditanus*, lapſu forſan librarii pro *Thubuſubditanus.* Situs tam ex Ptolemæo quam Antonini Itinerario cognoſci poteſt, cuius hic ordo eſt itinere a Sitifi Saldas:

Sitifi			
Horrea	M.	P.	XVIII
Lesbi	M.	P.	XVIII
Tubuſuptum	M.	P.	XXV
Saldas	M.	P.	XVIII.

Ita ex vetuſto codice Surita emendauit: vulgati *Tubuſuttus.* Videtur Taciti *Thubuſcum* eſſe lib. IV annal. cap. XXIV *Tacfarinas poſitis caſtris Thubuſcum oppidum circumſidet.* Ita Lipſius cenſuit: ſilent alii, Valeſius, Harduinus, qui de oppido Tubuſupto copioſius ſcripſerunt.

XXXVIII.

Prætermiſſis *Vſſara* & *Vazagad*, de quibus nihil aliunde habemus, venitur ad *Auziam* Ptolemæi, vt in Palat. cod. legitur, quæ eſt *Auzea* Taciti, *Auza* Itinerarii. Sic enim ille annali IV cap. XXV *Nec multo poſt adfertur, Numidas apud caſtellum ſemirutum, ab ipſis quondam incenſum, cui no-*

men Auzea, poſitis mapalibus conſediſſe. Antonini itinere a Carthagine Cæſaream, inter hanc & Sitifi fere medio loco *Auza* occurrit. Nec enim itinera ex maritima vrbe in maritimam ſemper per litora fiunt, ſed alias ob cauſſas agendas in mediterranea non numquam deflectunt, & per ambages ad oram feruntur maritimam. In auſtrum recedunt *Auximis*, & *Suburgia.*

XXXIX.

Inter *Siſarim* fluuium, & *Naſabath* fluuium alium, nihil occurrit memorabile; *Sudaua*, *Tuſiagath*, *Thibinis.* Inter hunc *Naſabath* & *Serbetem* amnem, prætermiſſa *Thudacâ* ignota, eſt *Tigis*, Τιγὶς, Ptolemæi, Antonini Itinerario *Tigiſi*, ſed diuerſa a Tigiſi Numidica, quam ſupra expoſuimus. In Notitia Mauretaniæ Cæſarienſis eſt *Paſſitanus Tigiſitanus.* Iter a Ruſuccuro Saldas ita habet:

Ruſuccuro			
Tigiſi	M.	P.	XII
Bidil municipium	M.	P.	XXVII
Tubuſuptum	M.	P.	XL
Saldas coloniam	M.	P.	XXVIII.

Non longe itaque *Tigis* ſeu *Tigiſi* a mari afuit.

XL.

Quod ſuccedit *Bidil* municipium, Ptolemæi *Badel* eſt: vicina eiuſdem *Bida* colonia, vnde *Campanus Bidenſis* eſt in Notitia huius prouinciæ. *Symitha* in meridiem vergit. Ipſe fluuius terminator in Agathodæmonis Tabula *Serpetes* ſcribitur: in Græca autem Ptolemæi expoſitione Σέρϐητος ποταμοῦ ἐκϐολαὶ, *Serbetis fluuii oſtia*, vt primus caſus ſit ὁ Σέρϐης, *Serbes.*

XLI.

Inter Serbetem & Sauum fluuios *Chizala*, *Aquæ calidæ* colonia, Græce Ὕδατα θερμὰ, vbi Pal. cod. additum habet κολώνια: *Lamida*, *Vaſana*, *Phloryia*, *Tucca*, cuius nominis plura ſunt oppida: *Oppidium*, Ὀππίδιον; & deinde, præteritis obſcuris, *Laudia*, quæ in tabula, Ptolemæo addita, *Labdia* ſcribitur, eo modo quo B & V ſæpe permutantur. Vnde Carthaginienſi collationi *Ruffinius Labdienſis* epiſcopus adfuit. Græce autem Λαύδια ſcribitur. Hanc præterlabitur Τοιμφοίμϐιος, *Tœmphœmbius* amnis, qui Sauo ab ortu hiberno accedens infunditur: propior confluenti Ptolemæi *Tigaua*, Plinii *Tigauæ*, lib. V cap. II. *Ciuitates*, inquit, *Timici*, *Tigauæ*.

XLII.

Inter *Sauum* & *Chinaphal* [Palat. *Chinalaph*] quod flumen prope Cæſaream in mare exit, Harduino Plinii *Sardabal;* interiacent apud Ptolemæum *Garra*, dein *Zuchabari*, vnde in Notitia eſt *Stephanus Zucabiaritanus.* Ammianus Marcellinus lib. XXIX cap. XXVI [Valeſ. V] *Conuerſus hinc* [a Cæſarea] *venit ad municipium Sugabarritanum*, *Transcellenſi monti accline.* Ortelius huc etiam *Succabar* Plinii refert, de qua ille lib. V cap. II

Intus

Intus colonia Auguſta, quæ item Succabar: alii vero ſubdubitant. Quod ſi vero non eſt, neſcitur, vbi *Auguſta* illa colonia fuerit.

XLIII.

In auſtrum hinc recedunt *Irath, Teniſſa*, obſcuri nominis: dein *Burca*, dubium an diuerſa a Burca Numidiæ, quam in incertæ poſitionis oppidis ſupra connumerauimus, quia Victor Vitenſis in Numidiæ Notitia *Leontium Burcenſem* recenſet: Ptolemæi autem *Burca* eſt in Mauretania Cæſarienſi. Auſtralius *Tarrum* eſt, deinde *Manliana* ad *Garaphos* montes.

XLIV.

Inter *Chinalaph* & *Cartennum* flumina, ſunt *Apphar, Victoria*, & ὀππιδόνεον κολώνια, *Oppidum nouum colonia*, vnde in Notitia huius prouinciæ eſt *Venantius Oppidonebenſis*. Credo ſcriptum fuiſſe *Oppidonobenſis*, pro *Oppidonouenſis*, quia in eadem Notitia B cum V ſæpe numero permutatur, vt *Villenobenſis, Caſtranobenſis*, alia. Subiacet hinc in meridiem mons *Zalacus*.

XLV.

Inter *Cartennum* & *Chylemath* ſiue *Muluchan* fluuios eſt primum, ſupra Arſenariam coloniam, oppidum *Timici*, Ptolemæo Τιμίκη, *Timice:* Plinius autem dicto loco: *ciuitates, Timici, Tigauæ*. In Notitia Victoris, *Honoratus Timicitanus*. Poſt hanc Ἀςακιλικὶς, *Aſtacilicis, Gigluæ, Bunobora, Aripa, Vagæ*.

XLVI.

Inter *Mulucham* & *Maluam* amnes ſunt *Vasbaria, Celama, Vrbara, Lanigara, Mniara*, omnia obſcura oppida: *Chalcorychii* montes, & trans illos ex longo in meridiem verſus, *Atoa* oppidum, & *Aripa* iuxta Mulucham, vt in Palat. cod. legitur; vt in vulgatis, *Rhitia*. Interfluunt hoc ſpatium minora flumina *Aſarath* & *Siga*, de quibus ſupra diximus.

XLVII.

Populorum nomina in hac prouincia multa a Ptolemæo notantur, ſed ignota pæne omnia. Quid enim refert *Mucunos, Tulenſios, Manchurebos, Machuſios, Taladuſios*, alios noſſe? Pauci ſunt paullo maioris famæ, vt *Mazices*, in medio prouinciæ poſiti a Ptolemæo, de quibus etiam Ammianus mentionem fecit: lib. XXIX cap. XXV *legati Mazicum:* & cap. XXVI *Bellen e principibus Mazicum:* & cap. XXVII *Mazices, licet bellicoſum genus & durum, diuerſis ſtragibus implicati.* Antiqui habitatores *Maſſæſyli* erant Numidæ, qui vero ad paucos redacti Gætulis gentibus regionem reliquerunt. Plinius lib. V cap. II *Proxima illi* [Maurorum genti] *Maſſæſylorum fuerat, ſed ſimili modo exſtincta eſt. Gætulæ nunc tenent gentes, Baniuræ, multoque validiſſimi Autololes: & horum pars quondam Veſuni, qui auulſi his propriam fecere gentem, verſi ad Aethiopas.*

XLVIII.

Ex his Ptolemæus *Baniuras* (ſed Βανίουροι ſcripſit) etiam memorauit: *Autololes* poetæ quoque, Silius & Lucanus: ille lib. II verſ. 63

Cui nemora Autololum, atque infidæ litora Syrtis
Parebant.

hic, lib. IV Pharſal. verſ. 677

Autololes, Numidæque vagi, ſemperque paratus
Inculto Gætulus equo.

Sed ipſe Plinius lib. VI cap. XXXI *Autololes* ad Atlanticum Oceanum deducit, & inſulas, ab Iuba repertas, *ex aduerſo Autololum* poſitas commemorat, in quibus rex ille Gætulicam purpuram tingere inſtituerat. Sed de his gentibus plura in Gætulia dicemus.

CAPVT VII

DE

MAVRETANIA TINGITANA.

I.

HÆc propria Mauretania eſt, quum Cæſarienſis maiorem partem ſit Numidia Maſſæſylorum, excepto non longo tractu, qui inter Mulucham eſt & Maluam fluuios, quem Maurorum antiquitus fuiſſe, minus dubitamus, quia plures ſcriptores adfirmarunt, vt ſupra demonſtratum eſt, Mulucham amnem fuiſſe Iugurthæ regni & Maſſæſylorum Numidarum terminum. Vocabulum ipſum per E in antiquis monimentis ſcriptum eſt, *Mauretania*, non vt vulgo, *Mauritania*. In Hadriani nummis, ADVENTVI AVG. MAVRETANIAE: item RESTITVTORI MAVRETANIAE: item EXERCITVS MAVRETANIAE. Et veteri inſcriptione apud Gruter. p. 402 num. 5 MAVRETAN. TINGIT. Et pag. 482 num. 8 MAVRETANIAE CAESARIENS. & eadem pag. ſæpius. Raro ad vulgarem modum *Mauritania* inuenitur, vt pag. 493 num. 7 MAVRITANIAE TINGITANAE.

II.

Et hoc eſt alterum ac ſpeciale nomen prouinciæ, quod *Tingitana* ſcribitur & *Tingitania*. Quatuor ſyllabis iam dicto loco TINGITANAE: & pag. 482 num. 8 IN MAVRETANIAM TINGITANAM: at ibidem num. 7 TEMPORE EXPEDITIONIS IN TINGITANIAM. Sic & Plinius lib. V cap. II *Tingitaniæ prouinciæ longitudo* CLXX *M. paſſuum eſt*, licet codices quidam antiqui legant *Tingitanæ*, vt Ptolemæus quoque lib. IV ineunte: τῆς Μαυριτανίας τῆς Τιγγιτάνης, *Mauritaniæ Tingitanæ*. Nomen ab oppido *Tingi*, ad fretum Herculis ſito, de quo poſtea dicturi ſumus.

III.

Gentis nomen, *Mauri* & *Mauruſii*: poſterius Græcis vſitatius; prius Latinis ſeu Romanis. Salluſtius paſſim & Tacitus *Mauros* vocant, etiam Hirtius de bello Africano: & Liuius lib. XXI cap. XXII *Numidæ Maurique*: at lib. XXIV extremo, *Syphax in Mauruſios (extremi prope Oceanum aduerſus Gades colunt) refugit.* Sed hoc rarum Latinis: Græcis autem familiare. Polybius lib. III cap. XXXIII Μαυρουσίων τῶν παρὰ τὸν Ὠκεανὸν, *Mauruſiorum, qui Oceanum accolunt.* Et Strabo lib. XVII pag. 570 μετὰ τὴν τῶν Μαυρουσίων

γῆν

γῆν ἡ τῶν Μασσαισυλίων ἐςὶ, *poſt Mauruſiorum regionem eſt Maſſæſyliorum.* Et quid multa? Idem pag. 567 Μαυρέσιοι μὲν ὑπὸ Ἑλλήνων λεγόμενοι, Μαῦροι δ' ὑπὸ τῶν Ρωμαίων, *Mauruſii a Græcis vocantur; Mauri ab Romanis.* Et quando Plinius ait lib. v cap. 11, *Maurorum gentem plerosque Mauruſios dicere*, id non de Latinis ſed *Græcis plerisque* intelligendum eſt.

IV.

Inde regionem etiam, quam Latini Mauretaniam vocant, Græci Μαυρεσίαν, *Mauruſiam* adpellauere. Idem Strabo dicto loco: ἀπὸ τῆς Αἰγύπτε καὶ Νείλε μέχρι Μαυρεσίας καὶ Στηλῶν, *ab Aegypto & Nilo vsque ad Mauruſiam & Columnas*, & poſt paullo: διὰ μέσης τῆς Μαυρεσίας, *per mediam Mauruſiam.*

V.

Olim vna Mauretania erat, vnum habens regem, qui Bocchus erat Iugurthino bello. Poſtea ab heredibus diuiſa in *regnum Bogud*, quod occidentale & ad Oceanum erat: & in *regnum Bocchi* iunioris, quod hinc tendebat in ortum, ad Mulucham flumen, credo, vt ſupra videmur demonſtraſſe. Plinius dicto loco: *Mauretania diu regum nomina obtinuere, vt Bogudiana adpellaretur extima; itemque Bocchi, quæ nunc Cæſarienſis.* De vltimorum verborum interpretatione, an Bocchi Mauretania ſit ipſa Cæſarienſis, pluribus ſupra diſputatum fuit. * Factum rurſus vnum regnum ſub Iuba & filio Ptolemæo, Auguſti beneficio, & tandem a Claudio, qui Mauros ob cædem regis Ptolemæi tumultuantes domuit, gemina prouincia impoſita, *Tingitana* ad occaſum: & *Cæſarienſis*, ab illa vergens in ortum, cuius fines vltra terminum veteris Mauretaniæ ad Ampſagam vsque ſunt propagati.

VI.

Quod vero Cæſarienſem ſupra in Malua fluuio finiuimus, non poſſumus, quin nunc Tingitanæ expoſitionem ab eodem flumine incipiamus, inde per litora ad fretum Herculeum tendentes, & a freto per oram Oceani. Tum demum mediterranea prouinciæ Tingitanæ perluſtrabimus.

VII.

A Malua, occaſum verſus, vsque *Molochath* fluuium, quem ita nominat, diuerſum a Molochath Strabonis, nihil Ptolemæus interpoſuit. De flumine autem ſupra ad Mulucham amnem plura diximus. Poſt Molochath eſt Ptolemæi *Metagonitis* promontorium, Μεταγωνίτις ἄκρον: quod eſt Strabonis *Metagonium*, de quo lib. XVII pag. 569 ἐςὶ δὲ τὸ Μεταγώνιον κατὰ νέαν πε Καρχηδόνα ἐν τῇ περαίᾳ, *Metagonium eſt contra Nouam Carthaginem in oppoſito litore.* Traiectus eſt MMM ſtadiorum. Nec tantummodo promontorium, ſed amplius quoque terræ ſpatium dictum *Metagonium.* Strabo ibidem: Μεταγώνιον τόπος ἄνυδρος καὶ λυπρὸς, *Metagonium locus eſt aridus & ſterilis.* Aliud autem eſt Metagonium Pomponii Melæ prope Ampſagæ oſtia: alia etiam Metagonitis terra Plinii, de quibus antea dictum eſt in Numidia. Plura de vtroque Metagonio Lucas Holſtenius ad Ortelium p. 121.

VIII.

Sequitur Ptolemæi Ρυσσάδιρον, *Ryſſadirum*, Plinii *Ruſadir*, de quo lib. v cap. 11 *Ruſadir oppidum & portus.* Antonini itinerario colonia dicitur, etiam

* Libr. IV c. 5 f. 2. §. 61, 62.

iam proximum inde promontorium denominatur. Sic enim itinere a Tingi per litora hunc tractum deſcripſit:

Ad ſex inſulas			
Promontorium Cannarum	M.	P.	XXX
Promontorium Ruſſadi	M.	P.	L
Ruſſadder coloniam	M.	P.	XV
Ad tres inſulas	M.	P.	LXV
Flumen Malua	M.	P.	XII.

In Notitia prouinciæ Cæſarienſis, quæ vicina huic noſtræ eſt, aut alia diuiſio Tingitanæ facta, quum illa Hiſpaniæ adſcriberetur; in hac, inquam, Notitia legitur *Idonius Ruſaditanus.*

IX.

Hinc venit Ptolemæus ad Σηςιάριαν ἄκραν, *Seſtiarium promontorium*, quod neſcio an *Ruſſadi* ſit Antonini, forte aliam poſtea adpellationem ſortitum.

X.

Poſt quod eſt *Tænia longa,* Ταινιόλογγα, quæ etiam Itinerarii eſt, *Tenia longa* in omnibus MSS. Surita teſte. Sed *Tænia* diphthongo legendum, vt Ptolemæus ſcripſit; & vox ipſa poſcit.

XI.

Quæ interponuntur Itinerario *Parietina* & *Cobucla,* a Ptolemæo prætermiſſa, aut poſteriora ſunt illius ætate, aut propter obſcuritatem poſthabita.

XII.

Deinde eſt locus *Acrath* Ptolemæo, & *Oleaſtrum* promontorium: poſt quod *Thaludæ* fluuii oſtia. Θαλȣδα Ptolemæus ſcripſit: Mela lib. I cap. V tenui littera *Taluda:* etiam Plinius ſæpe dicto loco, *flumen Tamuda nauigabile.* Hic etiam inter Taludam & Ruſadir habet *flumen Laud, & ipſum nauigiorum capax,* de quo ſilent ceteri.

XIII.

Poſt Taludam Ptolemæo eſt Ιαγάθ, oppidum minus notum, vt antea Acrath. Dein *Phœbi promontorium:* tum Αϐύλη ςήλη, *Abyla columna*; ſeu vna columnarum Herculis, cui in Hiſpania *Calpe* reſpondet, columna altera, de qua in Europa diximus.

XIV.

Ab his columnis *Fretum* incipit ex mediterraneo mari in Oceanum nauigantibus: aut finitur potius, ſi effuſionem ejus ſpectes ex Oceano: vnde *oſtium Oceani* a Cicerone pro Lege Manilia cap. XII & Mela lib. III cap. IX vocatur. Ipſum fretum ab Herculis fabuloſa expeditione cognomenta accepit, vt vulgo *fretum Herculeum* vocetur. Marcianus Heracleota pag. 36 διεκπλεύσαντι τὸν Ἡράκλειον πορθμὸν, *enauiganti Herculeum fretum.* Et Silius Italicus lib. I verſ. 199

Herculeo dirimente freto.

2. Alterum ex fabulis cognomen a columnis petitum eſt, vt dicatur *Columnarum fretum,* Straboni lib. XVII p. 569 ὁ κατὰ τὰς ςήλας πορθμός.

Dici-

Dicitur præterea etiam *Gaditanum fretum*, a vicinis Gadibus. Plinius proœmio libri III *Terrarum orbis vniuerſus in tres diuiditur partes, Europam, Aſiam, Africam. Origo ab occaſu ſolis & Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur.* Sed ad columnas reuertimur.

3. Dicuntur montes illi, fretum terminantes, *columnæ*, quaſi metæ laborum Herculis, poſitæ ab illo, vt in fabulis eſt, in memoriam Herculis. Non autem tantum *Herculis columnæ* dicuntur, vt a Mela verbis mox proferendis, & a Plinio lib. II cap. LXVII *a Gadibus columnisque Herculis*, vt de Græcis poetis Pindaro aliisque taceam: verum etiam ſine adiecto Herculis nomine, ſubaudito tamen, dictæ ſæpe ſunt ſimpliciter ϛῆλαι, *columnæ*, vt ſupra Ptolemæus Ἀβύλη ϛήλη, *Abyle columna*: & Strabo iam dicto loco, ὁ κατὰ τὰς ϛήλας πορθμὸς, *fretum iuxta columnas*: & lib. III pag. 116 ἔξω δὲ ϛηλῶν τὰ Γάδειρα, *extra columnas Gades ſitæ*: qui ibidem de variorum opinionibus diſputat, qui famoſas illas columnas non in montibus Calpe & Abyle quærant, ſed vel in vicinis inſulis paruis ſub his montibus; vel in ipſis Gadibus & Herculis templo. Sed receptam ſententiam præſtat ſequi, quam Mela & Plinius, principes Romanorum geographi, tuentur & explicant. Pomponius enim Mela lib. II cap. VI *Proxima inter ſe Europæ atque Africæ litora montes efficiunt, columnæ Herculis, Abyla & Calpe, vterque quidem, ſed Calpe magis & pæne totus in mare prominens.* Et Plinius proœmio libri III *Proximis faucibus vtrimque impoſiti montes coercent clauſtra: Abyla Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. Quam ob cauſſam indigenæ columnas eius Dei vocant, creduntque perfoſſas excluſa antea admiſiſſe maria, & rerum naturæ mutaſſe faciem.* Et hoc hauſit ex Pomponio, qui lib. I cap. V *Deinde*, inquit, *eſt mons prealtus, ei, quem ex aduerſo Hiſpania attollit, obiectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis vtrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipſum iunctos olim perpetuo iugo diremiſſe colles, atque ita excluſum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat, admiſſum.*

XV.

Poſt Abylam ſunt ad fretum ſeptem montes inter ſe æquales, inde *Septem fratres* dicti. Mela dicto cap. V libri I *Ex iis, quæ commemorare non piget, montes ſunt alti, qui continenter & quaſi de induſtria in ordinem expoſiti, ob numerum* SEPTEM, *ob ſimilitudinem* FRATRES vocantur. Et Plinius ſæpe dicto lib. V cap. II *Ipſa prouincia* [Tingitania] *ab oriente montuoſa, fert elephantos: in Abyla quoque monte, & quos ſeptem fratres a ſimili altitudine adpellant. Ii freto imminent, iuncti Abylæ.* Strabo lib. XVII pag. 569 εἶτα τῶν ἑπ]ὰ ἀδελφῶν μνήματα, καὶ τὸ ὑποκείμενον ὄρος ὄνομα Ἀβύλη, πολύθηρον καὶ μεγαλόδενδρον. *Deinde* [poſt Tingin] *ſunt ſeptem fratrum monumenta, & qui imminet, mons Abyla plenus ferarum, & magnis arboribus conſitus.* In Antonini itinerario *Septem fratres* ſunt inter Tingin & montem Abylam. Ptolemæus Ἑπτὰ ἀδελφοὶ ὄρος, *mons Septemfratres.*

XVI.

Poſt Septem fratres Ptolemæo eſt Ἐξίλισσα πόλις, *oppidum Exiliſſa*, quod

quod Plinii *Liſſa* videtur mox oſtendendum : & poſtea οὐάλωνος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Valonis fluuii oſtia.*

XVII.

Tum demum ſequitur *Tingis*, quæ prouinciæ nomen dedit, vrbs, vbi fretum effluit Oceano, poſita, hodie dicta Tanger. Plinio lib. v cap. I eſt *Tingi*, neutro genere, de quo hæc refert: *Oppida fuere, Liſſa & Cotta vltra columnas Herculis : nunc eſt Tingi, quondam ab Antæo conditum : poſtea a Claudio Cæſare, quum coloniam faceret, adpellatum Traducta iulia.* Ptolemæus autem *Tingis*, Τίγγις, atque ita quarto caſu *Tingin* legitur in Antonini Itinerario ex Suritæ caſtigatione, quam Schottus eſt ſequutus : Aldina autem editione *Tingi*. Pomponius lib. I cap. v *Tinge oppidum peruetus.* Strabo lib. XVII Τίγα primo caſu, mendoſe; quia ipſe lib. III poſt principium caſu ſecundo τῆς Τίγγιος. De *Iulia Traducta*, item de auctore coloniæ, Claudio an Cæſare Iulio, lib. II cap. I, in Bætica, clariſſimorum hominum ſententias commiſimus. Ibidem etiam de altero, quod Ptolemæus dat huius vrbis nomine *Cæſarea* actum, quod Iſaacus Voſſius ad Melam in *Cetraria* mutauit, quia cum *Transducta* Rauennas anonymus lib. IV cap. XLII coniungat. At vir clariſſimus Iac. Gronouius in Melæ lib. II cap. VI legit ex manu ſcriptorum veſtigiis: *atque, vnde nos ſumus, Tingentera.* Quod ſi eſt ita, vt ſane eſt probabile, cadit Voſſi *Tingi Cetraria* : & ſimul alterum Ptolemæi nomen ſeruatur, qui ſcripſit, Τίγγις, ἡ καὶ Καισάρεια, *Tingis, quæ etiam Cæſarea eſt.*

XVIII.

Poſt Tingin Mela, antequam latus claudat, promontorium *Ampeluſiam* ſiue *Coten* poſuit. De Mauretania enim, *Caput*, inquit, *atque exordium eſt promontorium, quod Græci Ampeluſiam, Afri aliter, ſed idem ſignificante vocabulo, adpellant.* Ptolemæus lib. IV ineunte *Cotten*, (recto *Cottes*) id promontorium vocat. Κώτης ἄκρον, *Cottes*, inquit, *promontorium.* Hoc nomen dicit Mela, Punica aut Afrorum lingua idem, quod Græcum ἀμπελουσία, ſignificare: quod Bochartus Geogr. lib. I cap. XXXVII a קוטף *vindemitor* deducit. Eius etiam Strabo meminit lib. XVII p. 569, ἀπὸ Κωτίων, (in ſcriptis Κωταίων) quod interpres vertit *a Cotibus.* Plinius lib. v cap. I etiam oppidum ſub promontorio eiusdem nominis memorauit: *Promontorium*, inquit, *Oceani extimum Ampeluſia nominatur a Græcis. Oppida fuere Liſſa & Cotta vltra columnas Herculis.* Et lib. XXXII cap. II *ad locum Mauretaniæ, qui Cotta vocatur, non procul Lixo flumine.* In monte Cotta dicitur *ſpecus eſſe Herculi ſacer*, vt Mela ſcripſit lib. I cap. v. Idem lib. III extremo refert, promontorio hoc Oceanum & fretum Herculeum diſterminari. *Ampeluſia*, inquit, *in noſtrum iam fretum vergens promontorium, operis huius atque maris Atlantici finis.*

XIX.

Ab eo monte per oram Atlantici maris progredienti occurrit apud Ptolemæum lib. IV cap. I Ζιλεία ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Ziliæ fluminis oſtia* ; & intus paullo iuxta illud, Ζιλία, *Zilia* oppidum, Pal. cod. Ζίλειαι. Mela extremo

mo opere: *Vltra eſt colonia & fluuius Zilia.* Straboni hoc oppidum dictum ζῆλις, *Zelis*, lib. XVII pag. 569: Plinio autem & Itinerarii auctori *Zilis*, Aldina *Zili.* Iſte lib. V cap. I *In ora Oceani colonia Auguſti Iulia Conſtantia Zilis, regum ditioni exemta, & iura Bæticam petere iuſſa.* Manet nomen in *Arzilla* cum Arabum articulo compoſitum.

XX.

Deinde ſunt Ptolemæo fluminis Λὶξ, *Lix*, id eſt *Lixi* oſtia: & intus paullo oppidum *Lixa*, quod aliis *Lixus* dictum, aliis *Linx*, ſiue *Lynx* aut *Lynxo.* Iſ. Voſſius Melæ extremo opere legit: *Lixo flumini Lynxo proxima,* quaſi Λυγξῷ nomen vrbis eſſet. Contra Iac. Gronouius ibidem legit: *Lixo flumini Linx proxima.* Sic viri clariſſimi etiam in vnius auctoris teſtimonio diſſentiunt. Apud chorographum Stephanum varium eſt nomen *Linx, Lynx, Lixa*, & *Lixus*. Artemidorus *Linga*; Eratoſthenes *Lixum* vocat, vterque apud Strabonem lib. XVII p. 568. Plinius etiam *Lixon* lib. V cap. I. *Ab ea* [Zili] inquit, XXXII *M. paſſuum colonia a Claudio Cæſare facta Lixos, vel fabuloſiſſime antiquis narrata. Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule: & Heſperidum horti.* Flumen Hannonis periplo μέγας ποταμὸς Λίξος, *magnus fluuius Lixus* vocatur: accolæ illius Λιξῖται, *Lixitæ.* Ptolemæus vtrumque oppidum, Zilin & Lixum, in mediterraneis ſcripſit, ceteri ad mare: quod etiam doctisſimorum hominum interpretatio euincit, qui Zilin hodie *Arzillam*; Lixum *Larache* vocari perſuaſi ſunt. Plinius certe dicit *in ora Oceani* poſita eſſe.

XXI.

Poſt Lixum Ptolemæo eſt *Subur* fluuius & oſtia eius; de quo Plinius dicto loco: *At in ora a Lixo quinquaginta M. amnis Subur, præter Banaſam coloniam defluens, magnificus & nauigabilis.* De Banaſa autem dicetur in mediterraneis.

XXII.

Sala fluuius ſequitur cum oppido impoſito, quod eiusdem eſt nominis. Plinius, ſuperiora verba continuans, *Ab eo* [Subure fluuio] *totidem M. paſſuum oppidum Sala, eiusdem nominis fluuio impoſitum, iam ſolitudinibus vicinum, elephantorumque gregibus infeſtum, multo tamen magis Autololum gente, per quam iter eſt ad montem Africæ vel fabuloſisſimum Atlantem.* Pomponius prædicto loco: *procul a mari Gilda, Volubilis, Priſciana: propius autem Sala.* immo proxime, ſi, quæ hodie Salee eſt, vetus Sala fuit, vt creditur.

XXIII.

Ptolemæus poſt flumen Subur habet *Emporicum ſinum.* Deinde ita in litore proſequitur

Σάλα ποτ. ἐκβολαὶ	*Salæ fl. oſtia,*
Σάλα πόλις	*Sala oppidum,*
Δύυ ποτ. ἐκβολαὶ,	*Dyi fl. oſtia,*
Ἄτλας ἐλάττων ὄρος,	*Altas minor mons,*

Qui fluuius Δύες Græce eſt, in Tabula Ptolemæo adiecta *Duus* nominatur, vt Latini fere illud elementum exprimunt.

XXIV.

Atlantis diſtinctio in *Maiorem* & *Minorem*, Ptolemæi eſt, ceteri vnius meminere, maioris an minoris, non eſt certiſſimum. Fama & fabulæ videntur Maiorem poſtulare: at Plinii lib. v cap. I rationes, quas etiam Solinus cap. XXIV ſequitur, magis cum minore conueniunt. Aiunt, hunc montem a Lixo CCV millibus paſſuum abeſſe: Lixum a Gaditano freto CXII. Multo longius Maior Ptolemæi Atlas a Lixo eſt ſeparatus. Altitudinis eſt tantæ, vt cælum ferre poetæ finxerint. Notæ ſunt fabulæ: ſolius Silii comparationem montis cum hominis figura ex lib. I a verſu 201 adiicio:

Nec patitur nomen proferri longius Atlas,
Atlas ſubducto tracturus vertice cælum,
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriasque
Erigit æternum compages ardua ceruix:
Canet barba gelu, frontemque immanibus vmbris
Pinea ſilua premit, vaſtant caua tempora venti,
Nimboſoque fluunt ſpumantia flumina rictu.

Quod Plinius lib. v cap. I prodit, *Suetonius Paullinus primus Romanorum ducum transgreſſus Atlantem aliquot millium ſpatio.* Ex Mauretania expeditionem fecit, non adeo difficilem, ſi Minorem Atlantem intelligas: ſin Maiorem, vel ſola longitudine difficillimam. Vterque a mari in mediterranea longe procurrit.

XXV.

Poſt Minorem Atlantem vsque ad Maiorem Ptolemæus fere nihil habet, niſi oſtia fluminum, promontoria, & portus. Ita enim in ora illa progreditur: Amnes, quorum oſtia enarrat, ſunt *Cuſa, Aſama*, qui *Plinii Aſana* eſt lib. v cap. I; *Diur;* Δȣ̀θ, *Duth*, niſi forſan Φθȣ̀τ *Phthut* legendum, vt in Agathodæmonis tabula eſt: *Vna, Agna, Sala* alter. Portus autem, *Ruſibis*, inter Cuſam & Aſamam: & *Myſocaras* portus. Promontoria, *Solis mons*, poſt Diur flumen: *Herculis* & *Vſadium.* Duo vel oppida vel vicos habet poſt Herculis promontorium, *Tamuſiga* & *Suriga.* Pleraque in his obſcura, pauca etiam a Polybio notata, quum illa litora nauigaret: de quo ita Plinius dicto lib. v cap. I *Scipione Aemiliano res in Africa gerente, Polybius, annalium conditor, ab eo accepta claſſe, ſcrutandi illius orbis gratia circumuectus prodidit, a monte* [Atlante] *ad occaſum verſus, ſaltus plenos feris,* * *quas generat Africa, ad flumen Anatin* CCCCLXXXV *millia paſſuum. Ab eo Lixum* CCV *millia paſſuum: a Gaditano freto* CXII *millia paſſuum abeſſe. Inde ſinum, qui vocetur Saguti. Oppidum in promontorio Mulelacha. Flumina Subur & Salam. Portum Rutubis a Lixo* CCXIII *millia paſſuum. Inde promontorium Solis: portum Ruſardir: Gætulos Autololes;* reliqua extra limitem ſunt auſtralis Mauretaniæ, quem Ptolemæus poſuit. Ex his conuenitur cum Ptolemæo

* Aelianus VII de Anim. c. 2. Ὑπὸ τοῖς ποσὶ τȣ͂ Ἄτλαντος νομαί τε εἰσὶ θαυμασταὶ, καὶ ὕλαι βαθύταται, καὶ τόγε δάσος αὐτῶν ἔοικεν ἄλσεσι πάνυ σκιαροῖς καὶ συνηρεφέσι κ. τ. λ.

lemæo *portu Rutubis*, & *promontorio Solis*, cetera latent. Lixus autem, Subur & Sala amnes ſunt intra minorem Atlantem, quos & ſupra expoſuimus: iam vero, quæ in ora inter vtrumque Atlantem ſunt, perſequemur. An autem Mauretaniæ fines, quum vel regum eſſet vel Romanorum, ſemper ad maiorem Atlantem pertinuerint, quo Ptolemæus profert; certum mihi non eſt: & ſi quando pertinuerunt, tamen ita perpetuo fuiſſe, dubitatur.

MEDITERRANEA TINGITANAE.

XXVI.

A Malua incipimus, termino huius Tingitanæ. Prope oſtia *Aſcurum* Hirtii, de quo ſilent alii, ex coniectura poſuimus. Sic autem ille cap. XXIII belli Africani: *profectus eſt ab Vtica* [adoleſcens Pompeius] *in Mauretaniam, regnumque Bogudis eſt ingreſſus; expeditoque exercitu numero ſeruorum, liberorum* II *millium, cuius partem inermem, partem armatam habuerat, ad oppidum Aſcurum accedere cœpit: in quo oppido præſidium fuit regium. Pompeio adueniente, oppidani vſque eo paſſi propius eum accedere, donec ad ipſas portas ac murum adpropinquaret; ſubito eruptione facta, proſtratos & perterritos Pompeianos in mare paſſim nauesque compulerunt. Ita re male geſta, Cn. Pompeius filius naues inde auertit, neque poſtea litus attigit, claſſemque ad inſulas Baleares verſus conuertit.* Hinc coniectura de ſitu.

XXVII.

Longe hinc in auſtrum eſt ad idem flumen *Galapha:* ad Ptolemæi Molochath amnem *Herpis*, & auſtralius *Molochath* oppidum: trans *Phocram* montem, qui his fluminibus in occaſum eſt, *Vobrix, Triſidis, Centa:* vlterius in occaſum declinant *Priſciana*, vt Iſaacus Voſſius ex Mela legendum cenſet: nam Græci codices Ptolemæi Κτίσιανα, *Ctiſiana* præ ſe ferunt: dein *Volubilis*, ὀυολοϐιλὶς Græce Ptolemæus: & Plinius dicto loco: *Volubile oppidum, tantumdem a mari vtroque diſtans.* Pomponius Mela extremo: *Pars Maurorum in vrbibus agunt, quarum, vt inter paruas, opulentiſſimæ habentur procul a mari Gilda, Volubilis, Priſciana.* Quæ prima ex his *Gilda* dicitur, perperam in Ptolemæi libris Σίλδα, *Silda* legitur, quia & Stephanus Γίλδα πόλις Λιϐύης, *Gilda oppidum Africæ*, & Antonini Itinerario *Gilda* ſcriptum eſt: in quo & altera, *Volubilis*, colonia dicitur. Iter ita habet:

Tocoloſida			
Volubilim coloniam	M.	P.	III
Aquas Dacicas	M.	P.	XVI
Gildam	M.	P.	XII
Vopiſcianas	M.	P.	XXIII
Tremulas	M.	P.	XVIIII

Oppidum Nouum	M.	P.	XII
Ad Nouas	M.	P.	XXXII
Ad Mercurii	M.	P.	XII
Tingi coloniam	M.	P.	XVIII.

Initium itineris *Tocoloſida*, etiam Ptolemæo Τοκολόσιδα dicta, & poſita proxime a Volubili in meridianam plagam: Gilda autem a Volubili declinat in æſtiui temporis occaſum.

XXVIII.

Infra Gildam, fretum verſus, duæ Auguſti coloniæ erant, etiam a Ptolemæo nominata *Banaſa, Valentia* cognomine, Ptolemæo Βάνασσα, duplicata littera: & *Babba, Iulia Campeſtris* dicta. Plinius lib. v cap. I *Ab Lixo* XL *millia in mediterraneo altera Auguſti colonia eſt Babba, Iulia Campeſtris adpellata: & tertia Banaſa,* LXXV M. *Valentia cognominata. Ab ea* XXXV M. *paſſuum, Volubile oppidum, tantumdem a mari vtroque diſtans.* Curioſi antiquitatum etiam nummos Auguſti, Claudii, Neronis, his ſignatos notulis C. I. B. D. D. quod legunt, *Colonia Iulia Babba decreto Decurionum.* Et vt in alio eſt, C. C. I. B. D. D. hoc eſt, *Colonia Campeſtris Iulia Babba decreto Decurionum:* Vnus Veſpaſiani, ex Golzii Theſauro, plenius inſcriptum exhibet COL. IVL. AVG. BABBA, qui ſi genuinus eſt, etiam priorum notularum expoſitionem confirmat. An vero *Paulus a Bobba* apud Auguſtinum lib. VII contra Donatiſt. cap. XI ſit Babbenſis epiſcopus, vt ſummo viro ad Concilium Cypriani viſum fuit, non eſt certum dicere, quia alii libri legunt *ab Obba.*

XXIX.

Inter Babbam & fretum *Oppinum* ſeu *Opinum*, vt in Palatino eſt, Ptolemæus poſuit, cuius epiſcopus *Leo Opinenſis* concilio VII Carthaginienſi ſubſcripſiſſe dicitur: quamquam libri variant, Oſpinenſis aut aliter referentes.

XXX.

Circa Salam fluuium intus, ad Atlantem minorem verſus, eſt *Gontiana:* trans montem circa Cuſam fluuium, Θίκαθ, *Thicath*, in Tabula *Oecath:* circa Diur flumen, *Dorath.* Hinc in auſtrum *Bocanum Hemerum* ſitum erat, a quo in ortum æſtiuum τὸ Πυῤῥὸν πεδίον, *Pyrrhos campus* recedit. Inter Vnam & Agnam amnes *Vala*, Ὄυαλα omnia obſcura, de quibus præter nomen a Ptolemæo relatum, nihil nobis eſt cognitum.

XXXI.

Gentes Tingitanæ prouinciæ a Ptolemæo numerantur variæ, *Metagonitæ* prope fretum: *Succoſii, Veruicæ, Verues* ſupra internum mare: *Bacuatæ* & *Volubiliani* ſupra illos. Ortiuum limitem *Maurenſii* tenent & pars *Herpiditanorum:* ad Oceanum verſus *Maſi, Saliſæ, Maconitæ, Cauni.* Et omnes hæ gentes intra Minorem Atlantem erant: trans illum vſque ad Maiorem *Angaucani, Nectiberes, Segrenſii, Baniubæ, Vacuatæ,* omnes ignoti & igno-

& ignobilis memoriæ. An vero *Baniubæ* Ptolemæi ſint Plinii *Baniuræ* lib. v cap. II, vt Harduino videtur; non eſt certum. nam loco diſſident: niſi alter forſan de veteri ſede, alter de noua migrantium eſt intelligendus. Circa Atlantem, præſertim Maiorem, *Atlantes* ſeu *Atlantæ* ſunt, quos Mela lib. I cap. IV *vltimos ad occaſum* dixit. Plura de illis Plinius lib. v cap. VIII, qui eos *degeneres humani ritus dicit.*

XXXII.

Inſulas interni maris ſupra Tingitanam nullas Ptolemæus memorauit. Eſſe paruas quaſdam vel Antonini itinere cognoſci poteſt, vbi locus *Ad ſex inſulas* nominatur, ſitus inter Abylam montem & Ruſadir coloniam. In Oceano autem plures ſunt, ſed Ptolemæus tantum duas nominat, *Pænam* & *Eurythiam*, ſitas inter vtrumque Atlantem, ſed nullius famæ: *Fortunatas* vero, quorum nomen illuſtriſſimum eſt, nimis ille in auſtrum deduxit, vt interiori Libyæ, & quæ extra Atlantem etiam maiorem eſt, reſpondeant, quod a veteribus recentibusque refutatur. Strabo ſub initium operis: *αἱ τῶν μακάρων νῆσοι πρὸ τῆς Μαυρουσίας εἰσὶ τῆς ἐσχάτης πρὸς δύσιν*, *Beatorum inſulæ ante Mauretaniam iacent in occidente extremo.* Et quia tam Ptolemæus lib. IV cap. VI, quam Plinius lib. VI cap. XXXII vnam ex Fortunatis Καναρίαν, *Canariam* vocant, id argumento eſt, in noſtri temporis Canariis Fortunatas veteres quærendas eſſe. Plinius refert, eſſe qui vltra Purpurarias inſulas Fortunatas eſſe exiſtiment: quod haud falſum eſt, ſi Purpurariæ, quod vir doctiſſimus Io. Harduinus cenſet, ſunt illæ, quæ hodie Madera & Portus ſanctus adpellantur. His enim proximæ ſunt, in auſtrum verſus, Canariæ dictæ, olim Fortunatæ.

XXXIII.

Plinius lib. VI de vtrisque, Purpurariis, quæ etiam huc pertinent, & Fortunatis clare, quamquam ex aliorum fide ac relatione: Cap. XXXI *Nec Mauretaniæ inſularum certior fama eſt. Paucas modo conſtat eſſe ex adverſo Autololum, a Iuba repertas, in quibus Gætulicam purpuram tingere inſtituerat.* Hæc de illis Plinius, quas idem ibi *Purpurias* vocat, eo modo, quo lib. XXXV cap. VI *purpurarias officinas* dixit.

XXXIV.

De Fortunatis idem lib. VI cap. XXXII *Sunt qui vltra eas*, [quas modo a purpuræ officinis laudauerat] *Fortunatas putant eſſe, quaſdamque alias: quorum numero idem Seboſus etiam ſpatia complexus, Iunoniam abeſſe a Gadibus* DCCL *millia paſſuum tradit. Ab ea tantumdem ad occaſum Pluvialem, Caprariamque: in Pluuialia non eſſe aquam, niſi ex imbribus. Ab iis* CCL *millibus paſſuum Fortunatas contra læua Mauretaniæ in* VIIII *horam ſolis: vocari Conuallem a conuexitate, & Planariam a ſpecie: Conuallis circuitum* CCCM *paſſuum.*

XXXV.

Hæc ex Statii Seboſi relatione; qui duas præcipue Fortunatas adpellat,

lat, *Conuallem*, quæ ex adſcripta amplitudine Teneriffe putatur eſſe; & *Planariam*, a ſpecie ſeu forma æquali ita adpellata. Eumdem numerum etiam Plutarchus Sertorio pag. 571 poſuit. Sed reuera plures ſunt, nec quas ipſe ante nominauit, ex Fortunatarum numero excludendæ, Iunonia, Pluuialia, Capraria: vti ex Iubæ regis, quam Plinius ibidem adpoſuit, enarratione conſtat. *Iuba*, inquit, *de Fortunatis ita inquiſiuit: Sub meridie quoque poſitas eſſe prope occaſum, a Purpurariis* DCXXV M. *paſſuum, ſic vt* CCL *ſupra occaſum nauigetur: deinde per* LXXV *millia paſſuum ortus petatur. Primam vocari Ombrion nullis ædificiorum veſtigiis: habere in montibus ſtagnum, arbores ſimiles ferulæ: ex quibus aqua exprimatur, ex nigris amara, ex candidioribus potui iucunda. Alteram inſulam Iunoniam adpellari: in ea ædiculam eſſe tantum lapide exſtructam. Ab ea in vicino eodem nomine minorem. Deinde Caprariam lacertis grandibus refertam. In conſpectu earum eſſe Niuariam, quæ hoc nomen accepit a perpetua niue, nebuloſam. Proximam ei Canariam vocari a multitudine canum ingentis magnitudinis: ex quibus perducti ſunt Iubæ duo: adparentque ibi veſtigia ædificiorum. Quum autem omnes copia pomorum & auium omnis generis abundent, hanc & palmetis caryotas ferentibus, ac nuce pinea abundare. Eſſe copiam & mellis. Papyrum quoque & ſiluros in amnibus gigni. Infeſtari eas belluis, quæ expellantur aſſidue, putreſcentibus.*

XXXVI.

Conueniunt fere nomina cum Seboſi narratione: *Ombrios*, ὄμβριος, *Pluuialia* eſt, quod Græcum vocabulum ſonat. *Niuaria* illa, quæ altiſſimos montes habet, vt Teneriffa: quia in ceteris nix rara eſt aut nulla: & hæc *Conuallis* Seboſi eſſe videtur, quia valles ſunt ſub montibus. Voſſius eam *Conualliam* vocari vult, ad Melam pag. 310. Ita ſex numerant Plinius, auctore Iuba, & Ptolemæus Fortunatas: Seboſus & Plutarchus Sertorio duas. Quod autem reuera multæ ſunt, prior ſententia de ſex inſulis veterum huius nominis omnino præferenda eſt.

XXXVII.

Fertiles eſſe & ſalubres, nemo negat: felicitas autem, quam poetæ & alii tribuunt, vt ex hiſtoricis, Iuba & Seboſo, quos Plinius ſublegit, conſtat, fabuloſa eſt: ſicut ipſi Elyſiii campi, quos multi in has inſulas retecerunt. Vide de his & toto argumento, quæ ſummi viri Iſaacus Voſſius ad Melæ lib. III cap. X, Iacobus Perizonius ad Aeliani lib. III cap. XVIII, & Io. Harduinus ad Plinium commentati ſunt.

CAP. VIII.


Lib. IV pagin. 939
Septemtrio
Meridies
Occidens
Oriens
AFRICA INTERIOR
GAETVLIA
Melanogætuli
Natembes
Nigritæ
GARAMANTES
LIBYA INTERIOR
Blemmyes
Lynxamatæ
Phalaca regio
Bacalitis
Dauchitæ
Calitæ
Nubi
Scenitæ
AETHIOPIA SVB AEGYPTO
TROGLODYTICA
SINVS ARABICVS
ARABIAE FELICIS PARS
Babylonii
Attiri
Auxumitæ
Memnones
Struthophagi
Pechini
Molibæ
Aualitæ
Aualites Sinus
Garbata M.
Elephas M.
Coloe
Coloe palus
Azania
Aethiopia Interior
Aequinoctialis Circulus ſiue Aequator
Nili Fontes ſecundum Ptolemæum
Montes Lunæ Ptolemaei
Incognita Ptolemæo
Maſtitæ
Maſte
Eſſina empor.
Serapionis ſtatio
Tonice
Raptus fl.
Rapta metrop.
Sinus Barbaricus
Praſum promont.
Noti cornu
Apocopa
Opone
Aromata
Mosylon
Muza
Ocelis
Thalæ
Dolopes
Aſtacuri
Tralitæ
Daradi
Cadupi ſeu Duppi
Elephantophagi
Derbici
Aroncæ
Gongalæ
Mimaci
Thala mons
Arangas mons
Vallis Garamantica
Orphes
Achamæ
Matites
Tarualtæ
Perorſi
Arualtis mons
Deorum currus M.
Heſperi cornu
Sinus Heſperius
Ichthyophagi Aethiopes
Hypodromus Aethiopiæ
Stachiræ
Odrangidi
Mauali
Caphas mons
Alitambi
Churitæ
Ceſiani
Libya palus
Nuba palus
Chelonidæ paludes
Lycomedis palus
Cataractes maior
Nilus fl.
Aſtapus fl.
Aſtaboras fl.
Meroe
Gira metrop.
Nigira metropolis
Nigir fl.
Girgiris M.
Thuppa
Artagira
Rubune
Tucrumuda
Capſa
Thabuthis
Bedirum
Garama metropolis
Gelanus
Buthurus
Anagath
Silice
Talubath
Sagapola M.
Malacath
Tucabath
Bintha
Peſſide
Thige
Thamondacana
Anygath
Dudum
Velegia
Atlas maior

CAPVT VIII
DE
AFRICA INTERIORE VETERIBVS COGNITA.

SECTIO I.
DE INSVLIS ATLANTE MAIORE INFERIORIBVS.

I.

INteriora Africæ, & in auſtrum magis quam quæ adhuc explicata ſunt, vergentia nunc exponemus, quantum fieri poteſt per incertas antiquorum rationes, de iis locis, quæ numquam Romani vel Græci adierunt, ſed tamquam in limine aliquid aut a longinquo proſpexere, vel fama audierunt: vnde factum, vt multis fabulis illorum narrationes ſint interpolatæ. Perſequemur ordine quæ exſtant ac reperiri poſſunt: & quia circa Atlantem & mare Atlanticum deſiimus, in illo nunc latere pergemus, inde per mediterranea ad orientalem Africæ Oceanum progreſſuri, in quo finiemus.

II.

Vltra Atlantem maiorem Ptolemæo inſula *Cerne*, Κέρνη, eſt, a pluribus laudata, ſed tam variis in ſitu determinando, vt quidam ex Atlantico mari in orientalem Oceanum transſcripſerint: alii non longe a Lixo Mauretaniæ ponant: alii circa Atlantem maiorem: iterum alii ad Aequatorem vſque remoueant. De ea tradiderunt Hanno Carthaginienſis in Periplo, & Scylax Caryandæus, etiam in Periplo; tum Polybius & Cornelius Nepos apud Plinium lib. VI cap. XXXI, Diotimus apud Strabonem lib. II. Dionyſius in Periegeſi: & Ptolemæus eo loco, quem ſupra deſignauimus. Strabo dicto lib. II pag. 33 in μυθώδεσι, *fabuloſis* cenſet quæ extra columnas Herculis Diotimus poſuerit, Κέρνην τε νῆσον καὶ ἄλλους τόπους ὀνομάζων, τοὺς μηδαμοῦ νυνὶ δεικνυμένους, *Cernen inſulam & alia loca nominans, quæ hodie nusquam adpareant.* Non negamus inſulam tantæ famæ: locum autem certum quod definire non poſſumus, conſenſionem plurium, veterum & recentiorum ſequemur. Cauſſa diſſenſus primi & maximi eſt, quod Aethiopibus ſcriptores hanc inſulam obiiciunt. Quum vero Aethiopes ex vtroque latere in Africa habitent, & ita antiquitus adpellati ſint, tam qui Erythræum mare accolunt, quam qui Atlanticum; hinc factum eſt, vt non nulli orientali Oceano hanc inſulam contribuerint: quod vt illuſtrius eſſet, recentiores inſularum huius maris maximam, S. Laurentii aut Madagaſcar vulgo dictam, antiquorum Cernen eſſe crediderunt. Plinius lib. VI cap. XXXI *Contra ſinum Perſicum Cerne nominatur inſula, aduerſa Aethiopiæ, cuius neque magnitudo neque interuallum a*

continente conſtat, Aethiopas tantum populos proditur. Ephorus auctor eſt, a Rubro mari nauigantes in eam non poſſe propter ardores vltra quasdam columnas (ita adpellantur paruæ inſulæ) prouehi. Sed plurimi extra columnas Herculis hanc inſulam ſitam eſſe tradiderunt: quo poſito, ſponte cadunt quæ de orientali latere, huius inſulæ ſede, quidam tradiderunt. Sic Scylax, Hanno, Dictimus, Polybius, Ptolemæus conſentiunt eſſe hanc inſulam in Oceano occidentali.

2. Hoc ſi ita eſt, quæritur quo tractu, qua parte meridiani circuli fuerit *Cerne* inſula. Hanno fertur, vt in Periplo ſcriptum eſt, quarto die a Lixo, per curua litoris nauigando veniſſe in Cernen. Sic ad Mauretaniam eſſet, non Aethiopiæ obiecta. Contra Polybius longiſſime in meridiem profert. Plinius quidem de illo lib. VI cap. XXXI *Polybius in extrema Mauretania contra montem Atlantem a terra ſtadia octo abeſſe prodidit Cernen.* At alio loco, & longius in auſtrum remoto, ſuum poſuit Atlantem. Idem Plinius lib. V cap. I de Polybii in Punico bello nauigatione: *Inde* [a Theôn ochemate] *ad promontorium Heſperium nauigatione dierum ac noctium decem. In medio eo ſpatio Atlantem locauit, a ceteris omnibus in extremis Mauretaniæ proditum.* Sed ſibi ipſe non conſtat Polybius. nam ſupra dixit, Cernen *in extrema Mauretania contra montem Atlantem* poſitam eſſe. Si in Mauretania extrema, non vltra Deorum Currum fuit, quo loco nulla eſt Mauretania, ſicuti etiam nullus Atlas. Placet quod de Mauretania dixit: quod de ſede Atlantis transmota, nemo, credo, probaturus eſt.

3. In cauſſa huius diſcordiæ, quod quem Græce periplum, aut fragmentum de illo, ſub Hannonis nomine habemus, non eſt ab ipſo Hannone, ſed a Græco quodam, Carthaginienſium ſtudioſo compoſitus, qui finxit quæ ignorabat, & fabulis verum curſum incruſtauit: quod vir clariſſimus Henricus Dodwellus erudita diſſertatione demonſtrauit. Hunc ducem plerique ſequuti ſunt, cuius quod multa male cohærebant, quisque inde excerpens adiecit, ſubtraxit, & vt diſſonantia conciliaret, aliter atque aliter collocauit, aut interpretatus eſt.

4. Quæ quum ita ſint, miſſis illorum ſententiis, qui nimis vel in ſeptemtrionem, vel e contrario in auſtrum *Cernen* trahunt, mediam, quæ auctorem Ptolemæum habet, & ex parte Polybium, qui & ipſe Atlantem & Mauretaniam nominat, non autem recte metatur; mediam, inquimus, ſententiam tenemus, quæ prope Atlantem & Mauretaniæ fines hanc inſulam locat, vt nec eos deſerendos exiſtimem, qui Cernen putant *Arguin* inſulam eſſe, ſitam in XX vel XXI ab æquatore parte ſeu gradu, quæ aquis ſcatet & amœnitate, commerciis cum Aethiopibus valde adpoſita, & ob hoc ipſum a Luſitanis commendata. quæ & Iſaaci Voſſii ad Melam p. 309 ſententia eſt. Hoc etiam cum Dionyſio conuenit, verſ. 218 dicente:

- - - - - ἐν δὲ μυχοῖσι
Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύςατοι Αἰθιοπῆες
Αὐτῷ ἐπ' Ὠκεανῷ, πυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης.

Hoc

Hoc eſt: *In receſſibus autem paſcuntur continentis omnium extremi Aethiopes ipſum ad Oceanum, vltimæ prope tempe Cernes.* Eſt etiam ita ſatis νοτία, *auſtrina,* vt Euſtathius ibidem de vera Cerne prodit, intellige autem reſpectu columnarum Herculis, vnde hæ nauigationes in auſtrum verſus ſuſcipiebantur.

III.

Poſt Cernen Ptolemæo eſt *Iunonis Solis* [Ἥρας Ἡλίȣ] inſula, quæ etiam *Autolala* dicta, quia e regione Autolalæ oppidi in gente Autololum ſiue, vt Ptolemæus vocat, Autolatarum.

IV.

Deinde poſt multa flumina, quæ in continente exponemus, tandem eſt Ἑσπέρȣ κέρας, *Heſperi Cornu,* quem μέγαν κόλπον, *ingentem ſinum,* auctor peripli Hannonis vocat: interpretes autem plerique, Pomponium ſequuti, promontorium intelligunt, alii Viride, alii quod de Palmis dicitur: de quibus Voſſius pag. 309 *Eſt vero* Ἑσπέρȣ κέρας *promontorium illud famoſum, quod Viride adpellatur. Valde halucinatur Salmaſius, quum hoc negat, ac caput Palmarum interpretatur. Eo enim vſque non eſt Hanno progreſſus.* Pomponius Mela, lib. III cap. IX extremo, *promontorium* dixit Ἑσπέρȣ κέρας: Plinius lib. VI cap. XXXI *Heſperu ceras* Latinis litteris: & paullo ante; *ad Aethiopas Heſperios, & promontorium, quod vocauimus Heſperion ceras.*

V.

Prope illud Seboſus locat *Heſperidum inſulas,* quas a *Gorgonum inſulis* diſtinxit. Sed quod in fabulis latent hæ inſulæ, vix aliquid de iis certi cognoſci poteſt. Plinius ibidem: *Adeo omnia circa hæc incerta ſunt, vt Statius Seboſus a Gorgonum inſulis prænauigatione Atlantis dierum* XL *ad Heſperidum inſulas curſum prodiderit: ab iis ad Heſperu ceras, vnius.* Sic Gorgonum inſulæ in Mauretaniam caderent.

2. At vero Plinius ibidem ex Xenophonte Lampſaceno: *Contra hoc promontorium* [Heſperion ceras] *Gorgades inſulæ narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui nauigatione diſtantes a continente, vt tradit Xenophon Lampſacenus. Penetrauit in eas Hanno Pœnorum imperator, prodiditque hirta feminarum corpora, viros pernicitate euaſiſſe: duarumque Gorgonum cutes argumenti & miraculi gratia in Iunonis templo poſuit, ſpectatas vſque ad Carthaginem captam.* Non conueniunt hæc cum Hannone, a quo omnes petebant quæ ſcriberent ante, quam Romanorum arma in has oras peruenirent. Is vero inſulam, in qua Gorgones vel Gorgides eſſent feminæ, tridui nauigatione vltra Θεῶν ὄχημα, *Deorum currum* collocat. Plinius autem in hoc argumento fluctuat & inconſtans eſt. Lib. V enim cap. I de Polybio: *vſque ad eum montem, quem Deorum ochema dicemus. Inde ad promontorium Helleſperium nauigatione dierum ac noctium decem, in medio ſpatio Atlantem locauit, a ceteris omnibus in extremis Mauretaniæ proditum.* Sic multorum quidem collegit ſententias; cui ipſe accedat, non prodidit.

VI.

Sed Hannonem, qui primus huius nauigationis notitiam attulit, perſequemur prius, quam ordine interiorem Libyam exponamus. Ab Heſperio cornu aliquot dierum nauigatione ventum eſt ad montem maximum, Θεῶν ὄχημα, *Deorum currum*, cuius Plinius & Mela quoque mentionem faciunt: Ptolemæus cis æquinoctialem circulum poſuit, vt videatur eſſe, quem Luſitani *Sierra Liona* vocant. Vnde Hanno triduana nauigatione veniſſe fertur in ſinum, qui Νότȣ κέρας, *Auſtri cornu* dicatur: in cuius intimo receſſu inſula ſit, cuius incolæ hirſuti ſint, e quibus feminas ceperit, cutes illarum Athenas retulerit: quas ille *Gorillas* vocat interpretum placito; Plinius ex Xenophonte *Gorgonas*, quaſi hæc Gorgonum inſula & ſedes fuerit. Hic finis illius peripli eſt, de quo tam variæ relationes ſunt proditæ.

VII.

Ex Atlantico Oceano in terram continentem egredimur, quam Ptolemæus in duas partes duobus diſtinctis capitibus diuiſit, in Libyam interiorem, & in Aethiopiam ſub Aegypto. Illa occidentalis eſt, cuius terminalem ab oriente lineam Ptolemæus per Darnin, in confinio Marmaricæ & Cyrenaicæ vrbem, ducit. In hac parte præcipuæ gentes ſunt Gætuli, Garamantes, Nigritæ, & Heſperii Aethiopes, admixtis pluribus minoribus vel incognitis. Quæ ſub Marmarica & Aegypto ſunt, in altera parte & ſingulari capite tractauit. Ita autem vtramque in populos diſtribuit, vt tamen terminos illorum aut minime, aut dubie poſuerit, nulli eorum ſua adſignando oppida: quod etiam fieri non potuit in tanta remotiſſimarum regionum obſcuritate. Nos prius de populis maioribus agemus; deinde de fluminibus, montibus, & oppidis, quæ prodidit Ptolemæus. Sit igitur iam

SECTIO II

LIBYA INTERIOR.

VIII.

Africam vniuerſam veteribus quodammodo cognitam, & vltra Græcis Romaniſque notiora regna, reſpublicas, ac poſtea prouincias, ſub mari poſitas mediterraneo, remotam, iam explicaturi ſumus, in qua potiſſimum Ptolemæi fide vtemur, quod ceteri nihil diſtinctius de ea tradiderunt. Huius pars occidentalis eidem dicta Λιβύη ἡ ἐντός, *Libya interior*, cuius præcipui populi ſunt, vt diximus, *Gætuli*, *Garamantes*, *Nigritæ*, *Heſperii Aethiopes*. Primum itaque de *Gætulis* agemus.

IX.

GAETVLI, Græce Γαιτȣ̃λοι, per diphthongum, proprie a Mauretania in meridiem habitarunt, vbi etiam Ptolemæus poſuit. Sed poſtea per Mauretaniam Numidiamque nouas ſedes occupauerunt, vt nullis fere finibus hæc natio circumſcripta & contenta fuerit. De vetere Gætulia Plinius lib. v cap. IV extremo: *& tota Gætulia ad flumen Nigrin, qui Africam*

cam

cam ab Aethiopia dirimit. Et Agathemerus lib. II cap. V ὑπόκειται ταῖς Μαυριτανίαις ἡ Γαιτουλία, *ſubiacet Mauritaniis Gætulia.* De adiecta & diſperſa idem Plinius lib. V cap. II *Gentes in ea* [Tingitania,] *quondam præcipua Maurorum, vnde nomen, quos plerique Mauruſios dixerunt. Proxima illi Maſſæſylorum fuerat, ſed ſimili modo exſtincta eſt. Gætulæ nunc tenent gentes, Baniuræ, multoque validiſſimi Autololes.* Sic Gætuli, præcipue *Autololes*, in Mauretaniam Tingitanam ſucceſſerunt, & in maritimam illius ad Oceanum oram. Idem Plinius eiusdem libri cap. I de Polybii nauigatione: *Prodidit portum Rutubis a Lixo* CCXIII *M paſſuum. Inde promontorium Solis: portum Riſardir: Gætulos Autololes.* Et hi ſunt, qui contra Purpurarias inſulas habitabant. Idem lib. VI cap. XXXI *Nec Mauretaniæ inſularum certior fama eſt. Paucas modo conſtat eſſe ex aduerſo Autololum, a Iuba repertas, in quibus Gætulicam purpuram tingere inſtituerat.* Et rurſus lib. V cap. I *Luxuriæ efficaciſſima vis ſentitur atque maxima, quum ebori citroque ſiluæ exquirantur, omnes ſcopuli Gætuli muricibus ac purpuris.* Et lib. IX cap. XXXVI hoc *Gætulum litus Oceani* vocat: quamuis non dubitandum ſit, veterem quoque & auſtralem Gætuliam ad Atlanticum Oceanum pertinuiſſe.

2. Sicut autem Mauretaniam Tingitanam, ita etiam Cæſarienſem ſeu Maſſæſylorum Gætuli inuaſerunt. Plinius lib. XXI cap. XIII *Et in Perſide, & in Mauretaniæ Cæſarienſis Gætulia, contermina Maſſæſylis, venenati faui gignuntur.* Nec minus id de Numidia intelligendum, cuius cauſſa Apuleius Madaurenſis per ſcomma *Semigætulus* dictus eſt. etiam in prorogata ab auſtro Numidia ſupra Syrtes, ſed in iuſta diſtantia, Gætuli reperiuntur. Strabo ſub finem libri XVII, gentes Syrti & Cyrenaicæ ὑπερκειμένας, id eſt superne imminentes enarrans, πρῶτον, inquit, οἱ Νασαμῶνες, ἔπειτα Ψύλλοι καί τινες Γαιτοῦλοι, ἔπειτα Γαράμαντες. *Primum ſunt Naſamones, dein Pſylli, & Gætulorum pars, & Garamantes.* Adeo longe Gætuli ab Oceano orientem verſus producti ſunt! Et ex his fuiſſe videntur, quos Marius apud Hirtium B. Afric. cap. XXXII beneficio fertur adfeciſſe, vel in ſedem meliorem transducendo, vel alias donando immunitates. Et horum poſteri erant, qui ab Iuba ad Cæſarem ibidem & cap. LV dicuntur defeciſſe. Strabo lib. XVII pag. 574 meminit τῆς τῶν Γαιτούλων ὀρεινῆς, *montanorum Gætuliæ,* ἤδη Λιβυκῆς οὔσης, *quæ iam ſint Libyæ,* ſiue *Africæ,* puto proconſularis, quæ prouincia, Strabonis ætate, eo vsque in auſtrum videtur fuiſſe prolata.

3. Partem autem Gætuliæ propriæ auſtralem, quæ ad Nigrin vergit, *Melanogætuli,* id eſt Nigri Gætuli, tenebant, quos Ptolemæus inter montes *Sagapolam & Vſargalam* locauit, vt *Nigrin* flumen habeant a meridie. His, credo, trans Nigrin coniuncti erant *Gætuli Daræ,* quos cum Aethiopibus Heſperiis Plinius cenſuit. *Poſtea,* inquit lib. V cap. I, *flumen Salſum,* [ſubaudi, Polybius prodidit;] *vltra quod Aethiopas Perorſos, quorum a tergo Pharuſios. Iis iungi mediterraneos Gætulos Daras.* Procul ergo *Daræ* fuerunt ab Oceano, ſed Gætulorum vltimi in meridiem, pars, vt videtur, Melanogætulorum. *Baniuræ* autem *Gætuli,* quos Plinius ita cap. II nominat; & *Autololes,* in Mauretaniæ tum litore colebant: non autem dubium, in vete-

re Gætulia, etiam partes inſignes fuiſſe, ſicut *Veſunos* (ſiue *Neſunos*, vt MSS. habent) quos idem dicit propriam gentem factam, verſos ad Aethiopas.

X.

GARAMANTES etiam ex interioris Africæ erant gentibus, vicini Gætulorum. Strabo ibidem: ἡ δ' ὑπὲρ τῶν Γαιτούλων ἐστὶν ἡ τῶν Γαραμαντῶν γῆ, παράλληλος ἐκείνῃ, *Supra Gætuliam eſt Garamantum regio, iſti parallela.* Hanc ait ab Aethiopibus, Heſperiis puto, καὶ τῶν παρωκεανιτῶν, *& Oceani accolis* dierum IX vel X itinere diſtare: ab Ammone XV. Sed ex fama (φασὶν ſcripſit) habuit diſtantiam; certam ipſe non cognouerat. In disiunctiſſimis fuiſſe terris, poetæ verba Aeneid. VI, *ſuper & Garamantas & Indos:* & ecloga VIII, *extremi Garamantes*, demonſtrant. De ſitu Pomponius Mela lib. I cap. IV *Super ea, quæ Libyco mari abluuntur, Libægyptii ſunt, & Leucoæthiopes, & natio frequens multiplexque Gætuli. Deinde late vacat regio, perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab oriente Garamantas, poſt Augilas & Troglodytas, & vltimos ad occaſum Atlantas audimus.* Mirus ordo aut dubius, Gætulis vltra Garamantas in ortum, ad Libægyptios vsque remotis: tamen videmus inde interiores maxime fuiſſe, vndique magno interuallo liberos a mari & Oceano. Ptolemæus lib. IV cap. VI Garamantum ſedem ita deſcripſit: Γαράμαντες διήκουν ἀπὸ τῶν τοῦ Βαγράδου ποταμοῦ πηγῶν μέχρι τῆς Νούβα λίμνης, *Garamantes pertingunt ab amnis Bagradæ fontibus vsque ad Nubam paludem.* * Plinius lib. V cap. V multa oppida Garamantum nominauit, de quibus poſtea in vrbibus dicturi ſumus. Singulari numero eſt *Garamas.* Silius lib. V verſ. 194

Erumpunt multusque Maces, Garamasque, Nomasque.

Femineo genere *Garamantis.* Virgilius Aen. IV verſ. 198

Hic Ammone ſatus, rapta Garamantide nympha.

XI.

NIGRITAE populi circa *Nigrin* fluuium habitantes. Flumen Plinio *Nigris* dictum, lib. V cap. IV extremo: *Gætulia ad flumen Nigrin, qui Africam ab Aethiopia dirimit.* Et cap. VIII *Nigri fluuio eadem natura, quæ Nilo: calamum & papyrum, & easdem gignit animantes, iiſdemque temporibus augeſcit. Oritur inter Tareleos Aethiopas & Oecalicas.* Ptolemæo dicitur ὁ Νίγειρ, *Nigir*, de quo lib. IV cap. VI ὁ Νίγειρ, *Nigir fluuius, iungens & ipſe Mandrum & Thala montes. Facit autem & hic τὴν Νιγρίτην λίμνην, Nigritem paludem: & ad ſeptemtrionem diuertigia bina conſtituit, ad Sagapola ſcilicet & Vſargala montes. Ad ortum autem diuertigium vnum ſupra paludem Libyen: & ad meridiem diuertigium vnum ſupra Daradem fluuium.* Agathemerus lib. II cap. X ὁ Νίγιρ. Aliter recentes tabulæ hunc fluuium repræſentant, continuum, multis oſtiis ſeu alueis exeuntem in Oceanum: Ptolemæus autem ſuis ἐκτροπαῖς, quæ *diuertigia* interpres vertit, multipliciter diremit, vt, quaſi terra hauſtus, oſtio, quo effundatur, careat, quod haud dubie ex recentioribus corri-

* Vid. Herodot. IV c. 174 Ἐξαπολομένων δὲ τουτέων, ἔχουσι τὴν χώρην οἱ Νασάμωνες. Τουτέων δὲ καθύπερθε πρὸς Νότον ἄνεμον, ἐν τῇ θηριώδει οἰκέουσι Γαράμαντες, οἳ πάντα ἀνθρώπου φεύγουσι κ. τ. λ. *Pſyllis perditis, Naſamones eorum regionem tenent. Supra hos ad ventum Auſtrum in regione beſtiarum plena Garamantes habitant, hominis cuiusque conſpectum fugientes* cetera.

corrigendum eſt. Nihilominus tabulam noſtram expreſſi ad typum tabulæ veteris, quam ex Ptolemæi numeris & nominibus Agathodæmon confeciſſe dicitur, vt adpareat, quid veteres de Libya interiore crediderint.

2. Populi vocantur *Nigritæ.* Strabo lib. II pag. 90 *Maxime ad meridiem verſus ſitos adpellant Aethiopas; ſub his pleroſque Garamantas, Mauruſios,* καὶ Νιγρίτας, *& Nigritas:* τοὺς δ' ἔτι ὑπὸ τούτοις, Γαιτούλους, *& his adhuc inferiores, Gætulos.* Sic ſcriptum ibi Νιγρίτας: at lib. XVII pag. 568 inconſtanter Νιγρῆται, *Nigretæ.* Mela autem & Plinius *Nigritæ:* ille lib. I cap. IV *Mauri & in Atlanticum pelagus expoſiti. Vltra Nigritæ ſunt, & Pharuſii, vsque ad Aethiopes.* Plinius lib. V cap. VIII *Interiori ambitu Africæ, ad meridiem verſus, ſuperque Gætulos, interuenientibus deſertis, primi omnium Libyægyptii; deinde Leucæthiopes habitant. Super eos Aethiopum gentes Nigritæ, a quo, dictum eſt, flumine.* Hic Aethiopibus Nigritas accenſet: Mela diſtinxit. Vterque recte. Proprie enim in occidente. Aethiopes auſtraliores ſunt: laxe ad Atlantem & in Mauretaniam vsque ſe extendunt. Diſpar in oriente ratio eſt, quam infra explicaturi ſumus. An Nigritæ etiam *Nigroe* vocantur, id eſt Νίγροι, Græco more? Videtur ita clariſſimo Harduino in Plin. VI cap. XXX. Alii dubitant eosdem eſſe, quia Nigroe fabuloſi, etiam ſitu disiuncti. *Ad occidentem verſus,* inquit Plinius, *Nigroe, quorum rex vnum oculum habeat in fronte.*

XII.

AETHIOPES HESPERII ſiue occidentales opponuntur iis, qui ſupra Aegyptum ſunt, orientalem Africam in auſtrali plaga tenentes. De vtraque parte Plinius lib. V cap. VIII ex Homero: *veriſſima opinione eorum, qui deſertis Africæ duas Aethiopias ſuperponunt; & ante omnes Homeri, qui bipertitos tradit Aethiopas, ad orientem occaſumque verſos.* Homeri verba ſunt Iliados A verſ. 23

Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Aethiopas, qui bifariam diuiſi ſunt, vltimi hominum, alii quidem occidentis ſolis, alii vero orientis.

2. Iam Heſperii ſeu occidentales Aethiopes nobis curæ ſunt: quos ita etiam Plinius lib. VI cap. XXX nominauit. *Mons,* inquit, *excelſus, æternis ardet ignibus, Theôn ochema dictus: a quo nauigatio quatridui ad promontorium, quod Heſperion ceras vocatur, confine Africæ iuxta Aethiopas Heſperios.* Alia ratio adpellationis eſt, quando Ptolemæus lib. IV cap. IX, quo de Aethiopia interiore agit, Heſperios Aethiopas ad occidentalem quidem Oceanum, ſed longe vltra æquatorem, iuxta incognitam terram collocauit. Sunt enim etiam citeriores & circa æquinoctialem circulum, & cis eumdem. Plinius lib. V cap. VIII *Super eos* [Gætulos & Leucæthiopas] *Aethiopum gentes, Nigritæ, a quo, dictum eſt, flumine: Gymnetes, Pharuſii iam Oceanum attingentes, &, quos in Mauretaniæ fine diximus, Perorſi.* Et Agathemer. lib. II cap. X *Gir & Nigir* τὴν ἐντὸς Αἰθιοπίαν *interiorem Aethiopiam* perfluunt. Nihilominus & Strabo lib. II pag. 90 τοὺς μεσημβρινωτάτους, Αἰθίοπας προσαγορεύουσι,

ρεύσι, maxime meridiem verſus ſitos, Aethiopas vocant: qui ſub his [ὑπὸ τύτοις] *Garamantas, Nigritas, & inferiores etiam hiſce, Gætulos.* Scilicet in occidente Aethiopas præcipue auſtraliores vocabant: ceteros plerumque aliis nominibus, quamquam & ipſi Aethiopes eſſent, & ita aliquando adpellarentur.

3. Innumeræ gentes minores ſunt, quas ſub maioribus enumeratis Ptolemæus & Plinius comprehenderunt, & hic fabulis etiam admixtis: quas omnes referre, nimium foret & inutile, quia multa in iis confiɛta ſunt: etiam Plinius tantum nomina habet, ſine locorum poſitione: Ptolemæus autem ſedem deſignat, ex quo excerpemus potiora. Nec credibile, veteres tam diſtinctam Africæ interioris notitiam habuiſſe, quum nec hodie poſt tot circumnauigationes & peregrinantium itinera habeamus. Cauſſam eius rei Strabo lib. 11 pag. 90 prodidit. *Incolunt*, inquit, *Libyam* ἔθνη τὰ πλεῖςα ἄγνωςα, *gentes pleræque ignotæ. nam neque multi eo ducti ſunt exercitus, aut peregrini inde aduenerunt: incolæ autem* [οἱ ἐπιχώριοι] *quum pauci aduenivnt aliquando, neque credibilia narrant, neque omnia.* Hinc eſt, quod enarratio illorum ſit fabularum plena de neſcio quibus monſtroſis hominibus, & aliis rebus, quæ fidem excedunt humanam, vtpote manifeſto confictæ. Nunc ad ipſam Libyæ interioris enarrationem, hoc eſt oppidorum, fluminum, montium, & ſpecialium populorum accedemus.

4. Interioris Africæ latus occidentale, ſeu quod ad Oceanum eſt Atlanticum, ſecundum Ptolemæum ita habet: Poſt Atlantem maiorem & Cernen inſulam ſunt *Subi* fluuii oſtia: dein fluuius *Salathus*, & ad oſtia oppidum huius nominis. A quo ſunt *Chuſaris* fluuii oſtia, Χυσάριος ἐκβολαί: & promontorio incerti nominis interiecto, Ὀφιώδυς ποταμῦ ἐκβολαί, *Ophiodis fluminis oſtia:* deinde *Bagazi*, oppidum. a quo eſt *Nuius* fluuius, & *Soloentia* promontorium, quod in Hannonis periplo Σολόεις, *Soloes*, patrio caſu *Soloentis* & *Soluntis* eſt. *Venimus*, inquit, ἐπὶ Σολόεντα Λιβυκὸν ἀκρωτήριον, *ad Soloenta, Libycum promontorium.* Heſychius Σολῦντὶς, ἄκρα τῆς Λιβύης, *Soluntis, Libyæ promontorium;* quod idem eſt.

5. Sequitur *Maſſa* fluuius: *Iarzetha* oppidum; *Daradus* fluuius, vt in veteri tabula eſt; ſiue vt in Græca expoſitione, Δάρατος ποταμῦ ἐκβολαί, *Daratis fluuii oſtia.* Accolunt *Daradæ*, a flumine ita dicti: a quibus & nomen fluuii reformandum eſt. Deinde eſt oppidum *Babiba:* & interpoſitis promontoriis *Arſinario* & *Ryſſadio*, in ipſo ſinu Heſperio fluuius *Stachir*, a quo *Stachiræ* accolentes dicti; male *Trachir* in expoſitione Ptolemæi amnis eſt dictus: Poſt enim in Montibus ipſe ſcripſit ὁ Στάχειρ ποταμὸς, *Stachir fluuius.*

6. Porro ſunt in eodem ſinu, Ptolemæo prodente, *Perphoſius* portus: *Catharon promontorium*, id eſt *purum*, καθαρὸν ἄκρον: & *Nia* fluuius: poſtea *Heſperium* κέρας ſeu *Cornu*, ἄκρον & ipſum, id eſt promontorium, quomodo & Mela ac Plinius vocant, ſecus ac Hanno, cui ſinus, κόλπος, eſt. Sed de hoc ſupra in Hannonis curſu plura. Poſt Heſperium ceras effunditur amnis *Maſitholus*, ex monte, qui Θεῶν ὄχημα, *Deorum currus* propter altitudinem vocatur, decurrens. Mons autem a mari non longe abeſt; de quo ſupra

ſatis

ſatis dictum, quum Hannonis periplum perſequeremur. Vltimus in hoc ſinu locus Ptolemæo dictus Ὑπόδρομος Αἰθιοπίας, *Hypodromus Aethiopiæ*, quod ita etiam Marcianus Heracleota p. 35 ſublegit, μέχρι τοῦ λεγομένου Ὑποδρόμου Αἰθιοπικοῦ, *vsque ad Hypodromum Aethiopicum.* Agathemerus autem lib. II cap. V ἱππόδρομος *Hippodromus* ſcripſit, quaſi equorum decurſio: quod clariſſimo viro Io. Hudſonio præferendum videtur, & Marcianus ex Agathemero emendandus. Quod vero non primus Marcianus ita legit, ſed Ptolemæus etiam, quem is ſequi ſolitus eſt; nihil puto mutandum eſſe, vt ſit curſus ſeu via Hypodromus, qua ſubitur in extremam Aethiopiam ſiue maxime auſtralem, quam potiſſimum Aethiopiam ſimpliciter, ſed in occidente, adpellabant, vt ſupra demonſtratum eſt. Nec vero illam exponit ac enarrat, ſed dimittit in incognitis. Nihil enim vltra hunc Hypodromum habet, niſi *Ichthyophagos Aethiopas* in litore, hoc eſt, qui tantum piſcibus veſcantur, quam viuendi rationem quoque in Aſiæ quibusdam populis, & in Arabægyptiis Ptolemæo auctore, obſeruauimus.

7. Hactenus in ora Atlantici Oceani verſati ſumus: nunc quæ intus ſunt, nec vero a mari longius recedunt, per eumdem tractum inueſtigamus. Inter Subum & Salathum fluuios oppidum eſt *Autolala*, vnde forte oriundi ſunt *Autololes Gætuli*, de quibus ſupra actum: quos *Autolatas* hoc loco Ptolemæus vocat, niſi *Autolalatæ* ſeu *Autololatæ* legendum eſt.

8. Circa Chuſarin amnem eſt oppidum *Thuelath*, Θουηλάθ; & ad Ophiodem fluuium *Tagana*: ad Daradum *Magura*. Prope Stachirem flumen *Vibrix*. In Gætulia propria oppidum *Talubath*: in Melanogætulis *Malacath*, *Tucabath*, *Bintha*. Mons hic eſt *Sagapola*, qui Subum & Salathum fundit: a quo ad vsque montem *Vſargalam*, qui fontem habet Bagradæ, *Melanogætuli* habitant.

9. Circa Bagradam fontibus propiorem *Silice*, *Buthurus*, *Anoegath*, *Thabuthis*, *Capſa*. Ad *Girgirim* montem verſus & Cinyphi fontes *Bouta*, *Bedirum*, *Vanius*, *Gelanus*, *Sabæ*, *Garama* metropolis. De hac Plinius lib. V cap. V *clariſſimum oppidum Garama, caput Garamantum.* Hi enim a *Cinyphi* * fontibus & circa *Gir* flumen usque ad montes, qui *Vallem Garamanticam* faciunt, longe lateque habitarunt; quibus Plinius & alia oppida tribuit dicto loco. *Mons*, inquit, *longo ſpatio in occaſum ab ortu tendit, Ater noſtris dictus a natura aduſto ſimilis aut ſolis repercuſſu accenſo. Vltra eum deſerta: Matelgæ oppidum Garamantum: itemque Debris adfuſo fonte, a medio ad mediam noctem aquis feruentibus, totidemque horis ad medium diem rigentibus.* Poſteriorem vrbem *Debrim* etiam Priſcianus Periegeſi v. 202 laudauit:

Hanc habitant iuxta Garamantes Debride clari,
Quæ ſuperat cunctas vrbs miro munere fontis,
Frigore qui noctis feruet calefactus & vmbris,
At ſolis friget radiis glacialis, & igni.

Quod vero Ptolemæus tacet, neque Debridi neque Matelgis certus locus adſignari poteſt, & ſi adſignatur, coniectura ſola nititur. Cornelius Balbus

* Vid. Herodotus IV cap. 175.

iunior de Garamantibus triumphauit. Plinius enim, quum de Matelgis Garamantum, itemque de Debride ac eius mirabili fonte; & de ipſo capite Garama dixiſſet, *Omnia*, inquit, *armis Romanorum ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata: vni huic omnium externo curru & Quiritium iure donato; quippe Gadibus genito ciuitas Romana cum Balbo maiore, patruo, data eſt. Et hoc mirum, ſupradicta oppida ab eo capta, auctores noſtros prodidiſſe: ipſum in triumpho, præter Cydamum & Garamam, omnium aliarum gentium vrbiumque nomina ac ſimulacra duxiſſe*, quæ iere hoc ordine: *Tabidium oppidum* (Harduino eſt Θαβȣδὶς, *Thabudis* Ptolemæi, circa fontes Bagradæ) *Niteris natio, Negligemela oppidum, Bubeium natio vel oppidum. Enipi natio, Thuben oppidum, mons nomine Niger: Nitibrum, Rapſa, oppida: Diſcera natio; Debris oppidum, flumen Nathabur, Thapſagum oppidum; Nannagi natio, Boin oppidum, Pege oppidum, flumen Daſibari. Mox oppida continua, Baracum, Buluba, Alaſi, Balſa, Galla, Maxala, Zizama.* Quod vero modo dixit, *omnium aliarum gentium vrbiumque* nomina in triumpho duxiſſe, neſcitur quænam ex his Garamantum fuerint, quænam vicinarum gentium vrbiumque. Quod etiam in orientem longe procurrit Garamantum natio, iterum dubitatur, vbi hæc oppida quærenda, ſupra Cinyphi fontes, an ſupra deſerta Marmaridarum. In Tabula Aegypti & Cyrenaicæ præcipua Garamantum oppida, quæ Plinius laudat, Matelga & Garamam, in orientali Garamantum regione conſtitui: de quo nunc dubito, poſtquam Ptolemæi Garamam metropolim, quam prius aliam a Garamantum regia credebam, diligentius conſideraui, eo poſito loco eſſe, qui ad Garamantas omnino referri poſſit.

10. Circa *Nigir* flumen ſeu *Nigrin* Ptolemæus multa oppida poſuit, obſcuro pleraque nomine, quæ ſunt ab occaſu in ortum progredienti hæcce: *Peſſide, Saluce, Thige, Thamondacana, Cuphe, Nigira metropolis, Vellegia, Tagama, Dudum, Panagra.* Nigritarum in his partes eſſe præcipuas, non eſt quod dubitetur: quis vero adfirmabit, nullas alias nationes ſeu gentes eſſe admixtas? Certe nec Ptolemæus diſtinxit aut ſeparauit. Poſt *Girgerim* montem, auſtrum verſus, ſunt *Thumelitha, Thuſpa, Thycimath*, & gens *Mancoi.*

11. *Gir* flumen ſequitur, diuerſum a Nigir, cui adfunditur, de quo præter Ptolemæum etiam Agathemerus lib. II cap. x τῶν διαῤῥεόντων τὴν ἐντὸς Αἰθιοπίαν, καὶ τάς τε ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη ἐν ἠπείρῳ ἐχόντων, μέγιστός ἐστιν ὅ τε Γὶρ καὶ Νίγιρ. *Illorum, qui per interiorem Aethiopiam fluunt, quique fontes & oſtia in continente habent, maximi ſunt Gir & Nigir.* τὴν ἐντὸς, *interiorem* Aethiopiam. Sic vltimam & maxime auſtralem ceteri vocant, vt dubitare liceat, annon ἐκτὸς hoc loco legendum ſit. Gir enim & Nigir ſunt in Aethiopia exteriore, quæ nobis citerior eſt. Meminit huius fluminis etiam Claudianus lib. I in primum conſulatum Stilichonis verſ. 251

Quos vagus humectat Cinyps, & proximus hortis
Heſperidum Triton, & Gir notiſſimus amnis
Aethiopum.

Circa *Girem* fluuium, *Gira* metropolis, *Badiath*, & *Tucrumuda*, ac *Iſcheri* a Ptolemæo ſunt poſita. Vltra fontes Cinyphi, fere in limite citerioris partis,

tis, quam Aethiopia ſub Aegypto excipit, *Lynxamatæ* erant gens Libyca, eorumque oppidum *Lynxama* ad *Chelonidas paludes:* ſuper quas oppida *Rubune, Artagira, Thuppa:* populi *Dauchitæ, Calitæ*, a quibus in auſtrum magis vergunt *Nubi*, Νȣ͂βοι, qui Ptolomæo tenent occidentalia vallis Garamantici montis, cum flumine *Nuba*, & palude *Nuba*, quam flumen perlabendo facit. Agathemeri autem Νȣ͂βοι, *Nubi*, quamquam confuſe Blemmyas, Strutophagos & alios coniungit, ſunt alii, quia *ἀπὸ ἀνατολῶν*, *ab oriente* Nili poſuit iuxta Aualitas, prope oſtium ſinus Arabici: de quibus & Plinii *Nubei Aethiopes* lib. VI cap. XXX intelligendi ſunt, quia poſt illos dicit: *At ex Africæ parte*, cetera; quæ ab occidente Nili eſt, ſicut Arabiæ ripa vel latus ipſi ſæpe dicitur, quod eſt ab oriente fluminis. Hi *Nubæ* apud Ptolemæum vocantur. Noſtri autem, occidentales Nubi, etiam *Nubæ* dicuntur, apud quos hodie non incelebre eſt regnum Nubienſe. Claudianus dicto libro verſ. 254

Venerat & paruis redimitus Nuba ſagittis,
Et velox Garamas.

Neutros bene deſcripſit Byzantius chorographus, Νȣ͂βαι ἔθνος Λιβύης παρὰ Νείλῳ, *Nubæ, gens Libyæ iuxta Nilum.* Plinii enim Nubei Aethiopes abſunt a Nilo *dierum octo itinere:* nec forſan breuiore, quos Ptolemæus ab occaſu collocauit.

12. Supra Nubos, ad æquatorem verſus circulum, obſcuri ſunt populi, *Dolopes, Mimaci, Aſtacuri, Aroncæ, Dermones, Derbici, Aſaracæ*, iuxta *Arangam* montem; & *Xylinces Aethiopes.* Nec citeriores, & qui ad occaſum vergunt, celebriores famæ ſunt, præter *Pharuſios* fortaſſe & *Perorſos;* videlicet *Churitæ, Odrangidi Aethiopes* prope *Capham* montem: *Orphes* ab auſtrali montis latere: *Matites, Aphricerones, Achamæ, Tarualtæ, Gongalæ*, & *Nabathræ* prope montem *Arualtem*, qui ad æquinoctialem vergit lineam.

13. Quos ante paullo ex obſcurorum cenſu excipiebamus, *Pharuſios* & *Perorſos*, de iis multi tradiderunt. Primi dicuntur etiam *Phauruſii*, quamvis Ptolemæus diſtinguat. Dionyſius verſ. 215

Γαίτȣλοί τε ἐφύπερθε, καὶ ἀγχίγυοι Νίγρητες.
Εξείης δ' ἐπὶ τοῖς, Φαυρȣ́σιοι. ὧν ὕπερ αἶαν
Ναίȣσιν Γαράμαντες ἀπείριτοι.

quod ita Priſcianus conuertit a verſu 200

Gætulique ſuper ſunt, vicinique Nigretes.
Continuo poſt hos ſequitur Phauruſia tellus,
Hanc habitant iuxta Garamantes.

Ceteri ſcripſerunt *Pharuſii.* Strabo lib. XVII pag. 568 οἱ Φαρȣ́σιοί καὶ οἱ Νιγρῆται. Et Stephanus Φαρȣ́σιοι, ἔθνος Λιβυκόν, *Pharuſii gens Libyca.* Mela lib. I cap. IV *Vltra Nigritæ ſunt, & Pharuſii vsque ad Aethiopas.* Addita fabula, comites Herculis fuiſſe, ex Perſis in Heſperidas proficiſcentis. Idem Mela lib. III cap. X *Deinde Pharuſii, aliquando tendente ad Heſperidas Hercule dites: nunc inculti, & niſi quod pecore aluntur, admodum inopes.* Quod Plinius lib. V cap. VIII clarius refert: *Pharuſii quondam Perſæ, comites fuiſſe dicuntur*

Herculis ad Heſperidas tendentis. Qui ibidem etiam ſitum ita deſcribit: *Pharuſii, iam Oceanum attingentes.* Ptolemæus autem *Pharuſios* a *Phauruſiis* diſtinxit, illos locans a ſeptemtrione Sagapolæ montis: hos, qui & *Anticoli* dicuntur, a ſeptemtrione *Ryſſadii* montis, ab occaſu *Caphæ*; inter Duradum & Stachirem amnem.

14. De *Perorſis*, qui inde in meridiem circa Theon ochema habitant, minus proſtat. Plinius lib. v cap. I *Poſtea flumen Salſum, vltra quod Aethiopas Perorſos, quorum a tergo Pharuſios*, ſupple, Polybius prodidit. Bis Plinius idem ad Mauretaniæ fines Perorſos reduxit: lib. v cap. VIII *Pharuſii iam Oceanum attingentes, & quos in Mauretaniæ fine diximus, Perorſi.* Et lib. VI cap. XXX *Deinde Heſperii, Perorſi, quos in Mauretaniæ confinio diximus.* At Ptolemæus lib. IV cap. VI τὸ τῶν Περορσῶν γένος· οἱ εἰσιν ἀνατολικώτεροι, καὶ ἀπὸ θαλάσσης τοῦ ὄρους, ὃ καλεῖται Θεῶν ὄχημα. *Perorſorum genus: qui, procul a mari, magis orientales ſunt quam mons, qui Deorum currus adpellatur.* His adiacet *Pyrrhus campus*, τὸ Πυῤῥὸν πεδίον Ptolemæi, vt ipſe definit, inter *Leucoæthiopes*, qui ſub *Ryſſadio* monte ſunt, & Perorſos. Dictus campus ab ignibus, quibus noctu luxiſſe Hannonis periplo refertur; & in medio eius mons maximus, Theôn ochema, quaſi igneus noctu adparens. Hic fuere *Pyrrhæi Aethiopes* Ptolemæi, μεσημβρινώτεροι τοῦ Γεὶρ ποταμοῦ, *auſtraliores Gir flumine.*

15. Hæc citra æquatorem: vltra illum *Aethiopes Ichthyophagi* iuxta Oceanum: etiam *Heſperii*, non laxe, ſed ſtrictim dicti: quos ſupra ex Strabone demonſtrauimus. Cui Agathemerus lib. II cap. VII conſentit: *Aethiopes Hippophagi ad Aethiopicum Hippodromum:* ᾧ μεσημβρινώτεροι οἱ κοινῶς καλούμενοι Εσπέριοι, *quibus meridialiores ſunt, qui communiter vocantur Heſperii.* Addit Agathemerus in ora *Anthrophagos Aethiopes:* a quibus orientem verſus & ſimul meridiem eſt regio *Agiſymba*, quam Ptolemæus quoque ita locauit: vlteriora erant incognita.

16. Fabulæ in hac Libya multæ ſunt, vt Hannonis periplo *torrentes ignei*, πυρώδεις ῥύακες, & nocturni concentus tibiarum, Aegipanum forſan & Satyrorum, quos Plinius nominat lib. VI cap. XXX extremo. Quam fabuloſæ *Heſperides* earumque horti & inſulæ? Multi in Mauretania; alii in Cyrenaica, alii in interiore Libya quæſiuerunt, nusquam inuenerunt. Quibus ſimilia ſunt, quæ de Antæo, Herculis antagoniſta, finguntur, quem quidam Lixi in Mauretania ſedem habuiſſe, ibique certaſſe cum Hercule, prodiderunt, vt Plinius lib. v cap. I; alii *Iraſſæ* in Tritonide * lacu, vt eſt apud Pindari ſcholiaſten ad Pyth. IX verſ. 185. quod oppidi nomen, ſimplici littera, *Iraſa*, eſt etiam Herodoti lib. IV cap. CLVIII, qui quidem circa Cyrenaicam ſitum fuiſſe non obſcure ſignificat: de Tritonide autem palude hoc loco ſilet, cui alia inædificata fuiſſe, ab aliis refertur. Populos corpore monſtroſos, quales Plinius lib. VI cap. XXX enumerauit, ne dignos quidem habeo, vt vel nomina recenſeam. Quo enim nemo penetrauit, ibi audacter, etiam ineptiſſima confinguntur.

SECTIO

* Hæc λίμνη Τριτωνὶς Aethiopiæ propinqua & monti Atlanti. Vid. Diodorum Siculum III pag. 186. Adde quæ Herodotus habet IV cap. 179 & 180.

SECTIO III.

AETHIOPIA SVPRA AEGYPTVM.

XIII.

Ptolemæus, vt ſupra diximus, Interiorem Africam diſtinxit in *Libyam interiorem*, & *Aethiopiam ſub Aegypto.* Libyam ab Atlantico Oceano vſque ad meridianum Darnidis in extrema ad ortum Cyrenaica perducit: ſupra Marmaricam & Aegyptum habet illam Aethiopiam, quam τὴν ὑπὸ Αἴγυπτον Αἰθιοπίαν. *ſub Aegyptum Aethiopiam* vocat: malim ὑπὲρ, *ſupra* Aegyptum, ratione Nili, qui ex Aethiopia per Aegyptum in mare ruit mediterraneum. A fluminibus autem & eorum lapſu diſtinguimus quod ſupra eſt ac infra in prouinciis: quemadmodum Superior Aegyptus eſt contermina Aethiopiæ: Inferior ad mare vergit, in quo Nilus exit. Sic Dio Caſſius lib. LIV pag. 524 οἱ Αἰθίοπες οἱ ὑπὲρ Αἰγύπτου οἰκοῦντες, *Aethiopes ſupra Aegyptum habitantes.* Vt vero in tabulis adſpicimus regiones, *ſuperiores* ſunt, quæ ſeptemtriones ſpectant; *inferiores*, quæ in auſtrum verſus ſitæ ſunt: atque ita Ptolemæus ὑπὸ, *ſub* Aegypto dixit Aethiopiam.

2. Hæc notior antiquis *Aethiopia* eſt, quam quæ in Libya aut ad mare eſt Atlanticum; quia ex Aegypto antiquitus cum his gentibus commercia quæ etiam ſe latius in ſeptemtrionem extendunt, quam occidentales Aethiopes, vbi ſumme auſtralibus hoc nomen datur præcipue. Etiam fabula huic nomini acceſſit, quaſi a Vulcani filio Aethiope adpellatio petita ſit. Plinius lib. VI cap. XXX *Reges Aethiopum* XLV *& hodie traduntur. Vniuerſa vero gens Aetheria adpellata eſt, deinde Atlantia, mox a Vulcani filio Aethiope Aethiopia.* Quod olim *Aetheriam* dicit adpellatam, congruit cum Heſychio, qui Ἀερίαν, *Aëriam* Aethiopiam olim dictam fuiſſe commemorat. Et Strabo lib. II p. 82 ſingulare genus Aethiopum vocat Αἰθίοπας Αἰθερίους, Aethiopas Aetherios.

3. Quod vero nomen in ſacris libris Teſtamenti veteris ſit Aethiopiæ, non eſt indubitato certum. Antiqua eſt traditio, Ebræis כוש, *Chuſch* ſiue *Chus* adpellari *Aethiopiam*, & כושי *Aethiopem:* atque ita Græci interpretes codicis ſancti paſſim id nomen verterunt v. g. Geneſ. II, 13, Eſa. XI, 11, cap. XVIII, 1, cap. XX, 3, 4, 5, Ezech. XXIX, 10, cap. XXX, 4, Zephan. II, 12. cap. III, 10, & alibi. Hos ſequuti ſunt plerique interpretes, vetus Latinus maxime: nec videtur alia magis conuenire regio ſimilitudini Ier. XIII, 23 explicandæ, *num mutabit cutem Chuſi;* quam Aethiopia. Nec Ioſephus tantum hos interpretes, ſed plurimorum etiam ſuo tempore conſenſionem ſequitur lib. I Antiquit. cap. VII. Αἰθίοπες, inquit, ὧν ἦρξεν, ἔτι καὶ νῦν, ὑπὸ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντων Χουσαῖοι καλοῦνται, *Aethiopes, quibus* [Chus Chami filius] *præfuit, etiamnum tam ab ipſis inter ſe, quam ab omnibus in Aſia, Chuſæi adpellantur.* Addit Hieronymus Quæſt. in Geneſ. cap. X conſenſum Ebræorum: *Chus vsque hodie ab Ebræis Aethiopia vocatur.*

4. Non videtur a tanta conſpiratione recedendum: nec vero ſpernendæ rationes ſunt, quas doctiſſimus vir Samuel Bochartus in contrarium

protulit, quarum robuſtior ceteris * videtur, quod Ezech. XXIX, 10 Aegypti fines deſcribuntur ממגדול סונה ועד גבול כוש quod Græci verterunt, *ἀπὸ πύργȣ Συήνης καὶ ἕως ὁρίων Αἰθιόπων*: Vulgatus Latinus: *a turre Syenes vsque ad terminos Aethiopiæ.* At Syene [ſi Ebræa vox, vt creditur, illam celebrem pæninſulam ſignificat] inter Aegyptum & Aethiopiam terminus eſt auſtralis, cui oppoſitum, ſeptemtrionalem, ſpectat vocula עד *vsque ad:* qui quod Chus eſt, illa regio non in Aethiopia, ſed in Arabia videtur quærenda eſſe. Iuuat ipſa verba viri doctiſſimi ex lib. IV Phaleg cap. II audire, quibus locum Ezech. XXIX, 10 illuſtrat. *His verbis*, inquit, *deſignari palam eſt duos Aegypti terminos oppoſitos. Syenem autem omnes ſciunt eſſe terminum Aegypti Aethiopiam verſus. Strabo* [lib. XVII p. 562] *de Syene: ἡ μὲν ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτȣ, illa quidem vrbs eſt in Aethiopiæ & Aegypti finibus. Et Plinius* [lib. V cap. IX] *Ditionis Aegypti eſſe incipit a fine Aethiopiæ Syene.* Ceteras auctoritates prætereo. Ex quibus tandem ita concludit: *Itaque Chus Aegypti terminus Syenæ oppoſitus non poteſt eſſe Aethiopia. Quin Arabiam intelligi plane neceſſe eſt, qua terminatur Aegypti pars ab Aethiopia remotiſſima.* Et poſt paullo: *Ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, credo conſtare luce clarius, Chuſæos in iis locis habitaſſe, quæ ſupra indicauimus, nimirum ſupra Aegyptum ab Rubri maris ſinum vltimum, in parte Arabiæ Petrææ & Felicis. Vnde colligere eſt, Chuſæos eosdem eſſe cum veterum Scenitis & Saracenis recentiorum.*

5. Alii etiam terram Chus extra Aethiopiam quærunt, & in Arabia inveniſſe putant, e quibus honoris cauſſa Io. Harduinum nomino, qui Chronolog. V. T. p. 57 *Aethiopia*, inquit, *hoc loco* [2 Paralip. XIV, 9] *ac forte vbique in ſacris litteris, Arabia deſerta eſt.* Et p. 121 *vsque ad Arabiam Deſertam, quæ in ſacris litteris Aethiopia eſt.* Quod ſi totam Deſertam intelligit, quæ ad Perſicum ſinum & oſtia Euphratis & Tigris pertingit, facilior ratio in flumine Paradiſi Gihon interpretando eſt, quia Paradiſus ſecundum plurimorum ſæculi noſtri ſententiam circa Euphratis & Tigris confluentes fuit. Ille autem amnis terram Chus circuiſſe, ſaltem adluiſſe dicitur Geneſ. II. At difficilius eſt ex mente Bocharti hæc conciliare, qui Chus in parte Petrææ ac Felicis, quæ proxima Aegypto eſt, locauit: & *flumina Chus.* Eſa. XVIII, 10, Zephan. III, 10, quibus vlterior Aegyptus eſt, de Beſor, & torrente Rhinocoruræ, & Regia foſſa ſeu Traiano amne interpretatur: quos antea de Nilo, Aſtapa, & Aſtabora, aut aliis longinque remotis intellexiſſes.

6. Hæ

* Multo robuſtior eſt deſignatio Xenophontia finium imperii Cyri, vbi Aethiopia terminare dicitur regnum Cyri a meridie. Vide ergo Xenophontis Cyropæd. VIII p. 233 B, & pag. 238 D. Et nouum argumentum præbet id quod adſcripſi ad p. 595. Herodotus III cap. 94 Παρικάνιοι δὲ καὶ Αἰθίοπες, οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης. Adde ſubſequentia de Aethiopibus circa Nyſſam. Item III cap. 114 ſqq. Herodotus idem VII cap. 69 Aethiopes narrat in Xerxis exercitu fuiſſe, qui ſine dubio ei ſubiecti erant. Atqui eos non habuit ſubiectos, qui ſupra Aegyptum ſunt in Africa. Immo Aethiopes & Arabes coniungit cap. 69. Verum fuerint illi Afri: at iis ab Herodoto eodem ibidem opponuntur Αἰθίοπες οἱ ἀπ' ἡλίȣ ἀνατολέων, qui προσετετάχατο τοῖσι Ἰνδοῖσι, διαλλάσσαντες εἶδος μὲν ȣ̓δὲν τοῖσι ἑτέροισι, φωνὴν δὲ καὶ τρίχωμα μȣ̃νον. Οὗτοι δὲ οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης Αἰθίοπες τὰ μὲν κ. τ. λ. Vide item Philoſtrat. Vit. Apollonii VI cap. 1.

6. Hæ præcipuæ de *Chus* ſunt ſententiæ, e quibus quiſque eligat quam ſibi putat fide digniorem eſſe. Præualet in eruditorum conciliis nunc fere altera de Arabia: quam ſi tueri animus eſt, noli de ſola Petrææ parte, Aegypto contermina; neque de ſola Deſerta accipere, ſed coniunge vtramque, vt & Moſis vxorem Midianiticam, quæ Numer. XII, I כושית cognominatur, hoc eſt, vt LXX. & Vulgatus verterunt, Αἰθιόπισσα, *Aethiopiſſa*; & Paradiſi fluuium, terram Chus præfluentem, commode poſſis, ſaltem veriſimiliter, interpretari.

7. Cognata huic quæſtio eſt de *Regina Sabæ*, quæ ad Salomonem profecta eſt I Reg. X, quam Ioſephus lib. VIII cap. II, & multi Chriſtiani interpretes, & in his quoque Hugo Grotius, ex Aethiopia adducunt. Quibus fauet, quod eam Saluator noſter Matth. XII, 42 *βασίλισσαν νότȣ, reginam auſtri* vocat, quæ ἐκ περάτων τῆς γῆς, *a finibus terræ* aduenerit: quorum vtrumque cum ſitu Aethiopiæ magis, quam vllius regionis, conuenit. Quod vero שבא, *Saba* per Shin ſcripta turiferæ regionis eſt, vt ex Ierem. VI, 20 patet, & nulla terra turis feracior, quam illa pars Arabiæ Felicis; ceteri reginæ ſedem in Arabia Felice fuiſſe, recte plerique cenſent, non quidem ad os ſinus Perſici, vbi doctiſſimus vir Sabæos ponit, apud Rhegamam Ptolemæi, quaſi id nomen ſit a *Rhegma*, vt LXX & Vulgatus legunt, filio Chuſi, patre τȣ Sabæ ſeu Sebæ, conditore Sabæorum Arabiæ Felicis: ſed propius ad ſinum Arabicum, vbi Ptolemæus poſuit, quæ poſitio cum plaga *νότȣ, auſtri*, Iudææ reſpectu, non male congruit: quæ vero prope ſinus Perſici eſt oſtium, aut Rhegama, longius recedit Iudæis a plaga τȣ νότȣ ſeu auſtrali.

8. Nec vero negamus in Aethiopia Sabæos, & vrbem Sabam, cuius nominis plures fuerunt; ſed Aethiopicam סבא *Sabam* per Samech indicari volunt. Pſalm. LXXII, 10 hæc ab Arabica diſtinguitur. *Munera offerent* מלכי שבא וסבא, quod Græci verterunt βασιλεῖς Αράβων καὶ Σαβᾶ, vetus Latinus, *reges Arabum & Saba.* Alteros, per Samech ſcriptos, interpretes plerique ad Aethiopiam referunt, vbi, ſi Ioſepho credimus lib. II Antiq. cap. V, Meroe quondam fuit *Saba*, Σαβᾶ, adpellata: ſed præterea ad Arabicum ſinum prope Adulin alia *Saba*, quæ Arabicæ reſpondet, ſinu interiecto, vt bene conueniant in Pſalmo reges Seba Arabicæ & reges Seba Aethiopicæ, vt Pagninus transtulit. Bochartus autem lib. IV cap. VII & hos Sabæos Perſici maris putat eſſe: quem conſulas. De Sabe Ptolemæi in Deſerta Arabia actum eſt ſupra, quum de Iobi ſede ageremus. Sabæi, per Samech, סבאים, homines proceri, memorantur Eſa. XLV, 14.

XIV.

Hæc de nominibus. Nunc ipſam peragraturi regionem, primum quæ cis Nilum ſunt, ſeu occaſum verſus ſita, exponemus: tum etiam, quæ ſunt trans flumen & ad Oceanum.

XV.

Aegyptus in ripa Libyca definit ad inſulam Elephantinam & Cataracte minore: quæ ſupra ſunt, Aethiopiæ tribuuntur. Ab ortu in Lynxamatis interio-

interioris Libyæ terminum poſuimus. Tum ſequuntur apud Ptolemæum inanes regiones, *Phaſaca*, & ſupra eam *Bacalitis*. Vltra has *Lycomedis palus* eſt, Λυκομήδους λίμνη, quam Ptolemæus in Marmarica auſtrali cenſet, ſed in finibus Aethiopiæ. Plinius autem in occaſum magis hunc lacum ad Pſyllos trahit lib. v cap. iv. *Garamantes*, inquit, *ab Augylis dierum* xii *itinere diſtantes. Super illos fuere gens Pſylli, ſuper quos lacus Lycomedis, deſertis circumdatus.* Ex his *Augylæ*, quos & *Augilas*, littera Latina, vt in Melæ libris eſt, ſcribunt, in extrema ſunt Cyrenaica, aut Marmaricæ confinio ad auſtrum, vbi Ptolemæi oppidum eſt *Augila*, qui gentem *Augilarum* cum Naſamonibus coniungit. Sed neque hæc poſitio eſt Plinio ſatis, qui dicto loco addit: *Augylæ ipſi medio fere ſpatio locantur ab Aethiopia, quæ ad occidentem vergit; & a regione, quæ duas Syrtes interiacet, pari vtrimque interuallo.* Sed hæc obiter de *Augilis*, & alieno loco. De Pſyllis dictum ſupra, vt ita non modicum interuallum ſit inter Plinii & Ptolemæi lacum Lycomedis. Vter veriore loco poſuerit, non eſt certum.

XVI.

Blemmyes, ſeu *Blemyes* hoc loco quidam ponunt, quos Strabo & Ptolemæus circa Aſtaboram fluuium, longe vltra Nilum, ſinum verſus Aualiten poſuerunt. Nec vero prior ſitus ratione caret. Ipſe Strabo ineunte lib. xvii Blemmyas Αἰγυπτίοις ὁμόρους, *Aegyptiis conterminos* dixit: altera autem poſitio longiſſime abeſt ab Aegypti finibus. Et Zoſimus lib. i cap. lxxi Blemmyas ſocios dicit vrbis Ptolemaidis in Thebaide contra Romanos: ergo vicinos oportet eius ciuitatis fuiſſe, non reiectos ad vltima Arabici ſinus & ad Aualitas. Et Olympiodorus apud Photium p. 112 Blemmyas iuxta Talmin ponit, Aegypti vrbem in extremis finibus, cuius ſitum ſupra ex Antonini itinerario demonſtrauimus. Etiam Procopius lib. i Belli Perſ. cap. xix Blemmyas prope Elephantinen & Philas ſtatuit, qui Philis commune templum cum aliis barbaris & Romanis ex Diocletiani inſtituto habuerint. *Nobatas*, qui prius Oaſin circumcoluerint, deductos eſſe ad Nilum, circa Elephantinen, vt Blemmyas, qui interiora tenuerunt, cohiberent. De Strabone & Ptolemæo infra ſuo loco dicemus. Sed, quoquo loco habitarunt Blemmyes, mira de ipſis eorumque forma corporis conficta ſunt. Plinius lib. v cap. viii *Blemmyis traduntur capita abeſſe, ore & oculis pectori adfixis.* Fabulam putant ex eo eſſe, quod huic nationi breuius collum fuerit, vt caput videretur cum pectore cohærere. Sane aliquid ſingulare & cum ceteris minus commune in Blemmyis fuiſſe, Vopiſcus auctor eſt in Probo cap. xvii de iis ita referens: *Blemyas etiam ſubegit, quorum captiuos Romam transmiſit, qui mirabilem ſui viſum, ſtupente populo Romano, præbuerunt.* Cetera nomen ſcribitur tam ſimplici m a Stephano, Vopiſco, Procopio, & Mamertino in Genethliaco; quod neceſſarium poetis fuit, Dionyſio v. 220, & Claudiano carmine de Nilo verſ. 19:*

* Hanc ſcripturam firmat etiam Nonnus Dionyſ. XVII extrem.

Καὶ Βλέμυς ὠκὺς ἵκανεν ἐς ἑπταπόρου στόμα Νείλου,
Ἐσσόμενος σκηπτοῦχος ὁμόχρονος Αἰθιοπήων.
Καί μιν ἀεθερέος Μερόης ὑπεδέξατο πυθμὴν
Υψιγόνοις Βλεμύεσσι πρωώνυμον ἡγεμονῆα.

a plu-

a pluribus duplicata littera, Strabone, Ptolemæo, Zoſimo, Olympiodoro, Mela, Plinio, Ammiano, præſertim Valeſii editione lib. XIV cap. IV: Lindenbr. autem p. 9 littera ſimplici. Caſus etiam variat: dicuntur plerumque *Blemmyes;* at etiam *Blemmyæ:* vnde Plinii *Blemmyis:* Ammiani *confinia Blemmyarum.*

XVII.

Nunc ad Nilum, expoſitis quæ citeriora erant, accedimus, in ripa eius ſiniſtra ſeu occidentali ab Aegypti termino, quoad cognitum fuit veteribus, progreſſuri enarrando. Primum oppidum eſt *Pſelcis*, φέλκις Ptolemæi, cui in altera ripa Metacompſo oppoſita eſt, terminus Aegypti, de quo Ptolemæus lib. IV cap. V extremo: Μετακομψώ, ἧς ἀντικρὺ ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ποταμοῦ Ψέλκις, *Metacompſo, contra quam ab occaſu fluuii Pſelcis eſt.* Plinio etiam dicta *Pſelcis* lib. VI cap. XXIX, & in Antonini Itinerario: at Strabo lib. XVII pag. 564 ſcripſit Ψέλχις *Pſelchis*, & Ψέλχη, *Pſelca.* Priori loco εἰς Ψέλχιν πόλιν Αἰθιοπικήν, *in Pſelchin, vrbem Aethiopicam*, confugere. Et paucis interiectis: τὴν Ψέλχην αἱρεῖ, *Pſelcham* [Petronius] *cepit.* Item, ἐκ Ψέλχη ἧκεν εἰς Πρῆμνιν, *a Pſelcha Premnin venit.* E quibus certum eſt, Pſelcham eſſe Aethiopicam vrbem, ſitam ab occaſu Nili, contra Aegyptiorum vltimam Metacompſo.

XVIII.

Supra Pſelcham ſiue Pſelcin *Cataractes maior* eſt, Ptolemæo auctore, cui dictus ὁ μέγας καταῤῥάκτης, *Maior Cataractes*, qui & Minorem in Aegypti finibus, καταῤῥάκτην τὸν μικρὸν, nominauit: de quo dictum eſt ſupra in Thebaide Aegypti. Minor a pluribus memoratur, Strabone, qui & ipſe μικρὸν, *paruum* Catarracten dixit, Plinius *nouiſſimum*, id eſt vltimum fluentis Nili ex Aethiopia in Aegyptum, lib. V cap. IX. Seneca quoque lib. IV Quæſt. Nat. cap. II de minore potius quam vtroque agit, quamuis pluratiuo numero loquatur. Relege quæ ſupra de illo in Aegypto diximus. *Maior Cataractes* a ſolo fere Ptolemæo nominatus eſt, eique locus adſignatus ſupra Pſelcin: tamen etiam Strabo lib. XVII ineunte ex Eratoſthene τὸν μέγαν καταράκτην, *magnum cataracten* dixit: ceteri implicitam mentionem faciunt, dum μικρὸν, *paruum* aliquem, Plinius *nouiſſimum* adpellant, quæ ſuperiorem alium, & maiorem reſpiciunt: cuius natura haud dubie eſt eadem quæ minoris ſupra deſcriptæ, niſi quod maior fortaſſe longiorem tractum habet, & ſcopulos, quibus adliditur flumen, aſpredine horridiores. A καταῤῥάσσειν enim dicitur, quod eſt *ex alto præcipitare & cum impetu ruere.* Inde καταράκτης & καταῤῥάκτης, quæ vox & Latine vtroque modo ſcribitur, *cataractes*, & geminata littera *catarractes.* Heſychius: Καταῤῥάκτης, ὀχετὸς, ῥύαξ. Rarior autem maioris mentio, quia vltra minorem Nilus non eſt nauigatus.

XIX.

Cetera quæ Strabo huius Aethiopiæ narrauit, dubiæ poſitionis ſunt, ſaltem videri poſſunt, nec certum, a quo latere Nili, dextro an ſiniſtro, poſita fuerint. Si ſolum Strabonem legimus, vix dubitabit aliquis, omnia

fuiſſe in ſiniſtra ripa a Petronio geſta. A Pſelci enim, quæ in occidentali ripa eſt, Premnin cum exercitu profectus eſt: inde progreſſus Napatam, quæ regia erat Candaces, nulla mentione traiecti fluminis habita. Dicitur quidem ἐπιπλεύσας σχεδίαις τε καὶ ναυσὶν, hoc eſt, *ratibus nauibusque nauigans* in locum , qui ibi inſula erat fluuialis, in quam Aethiopes ex prœlio confugerant, quos inde extraxit: totum fluuium traieciſſe non legitur; neque Dio Caſſius lib. LIV pag. 524, vbi etiam id bellum narrat, de traiectu quidquam narrauit. Accedit, quod Petronius a Pſelci Premnin petiturus, cumulos arenæ peragrauit, quibus olim, vento incidente, Cambyſis exercitus ferebatur obrutus. At vero Herodotus lib. III cap. XXVI citra flumen id accidiſſe tradidit. Hunc itaque ductum in tabula primum ſequutus eram: poſtquam vero curatius Ptolemæum inſpexi, qui lib. IV cap. VII extremo ἀπὸ ἀνατολῶν τȣ̃ ποταμȣ̃, *ab oriente fluminis* Nili illa oppida poſuit, *Napatam, Premin* ſeu *Primin* maiorem & minorem, quarum altera *Premnis* Strabonis videtur; dubitare cœpi, nec vero priorem opinionem damnare auſim, licet altera probabilior adpareat. Vtramque igitur in tabula exhibui: eligat quisque, quod videatur veriſſimum. Quo meus animus propendeat, iam dixi. De ipſis oppidis agam in ripa orientali.

XX.

Poſt Pſelcin apud Ptolemæum ſunt in eadem ripa occidentali *Taſitia, Boum, Autoba, Phthuri, Piſtre, Ptemythis, Abuncis*, Καμβύσȣ ταμιεῖα, *Cambyſæ ærarium, Erchoas, Satachtha, Moru, Nacis, Tathis*; . omnia obſcura, niſi *Cambyſæ ærarium* ex regio nomine aliquid lucis accipit, cuius vero in Aethiopiam expeditio infelix fuit, Herodoto prodente lib. III cap. XXV.

XXI.

Tum ſequitur nobiliſſima *Meroe*, Nili inſula vel pæninſula, cum oppido eiusdem nominis, quod caput gentis fuiſſe traditur. Herodotus lib. II cap. XXIX πόλις μεγάλη, τῇ ὄνομά ἐστι Μερόη. λέγεται δὲ αὕτη ἡ πόλις εἶναι μητρόπολις τῶν ἄλλων Αἰθιόπων, *vrbs magna, cui nomen eſt Meroe. Aiunt vero hanc & aliorum Aethiopum metropolin eſſe.* Strabo lib. XVII pag. 565 ἔστι δὲ τὸ μέγιστον αὐτοῖς βασίλειον ἡ Μερόη πόλις, ὁμώνυμος τῇ νήσῳ, *eſt ipſis* [Aethiopibus] *regia ſedes ampliſſima, vrbs Meroe eiusdem nominis, quo eſt inſula.* Plinius lib. II cap. LXXIII *In Meroe (inſula hæc, caputque gentis Aethiopum, quinque millibus ſtadiorum a Syene in amne Nilo habitatur) bis anno abſumi* [tradunt] *vmbras, ſole duodeuiceſimam Tauri partem, & quartam decimam Leonis obtinente.* Et lib. V cap. IX *Meroen* dicit *clariſſimam* [Nili] *inſularum.* Item lib. VI cap. XXIX *Ab eo* [oppido Napata] *ad inſulam Meroen* CCCLX *millia.* Et interiectis paucis: *Ipſum oppidum Meroen ab introitu inſulæ abeſſe* LXX M. *paſſuum.* Ioſephus tradit lib. II Antiquit. cap. V συνελασθέντες εἰς Σαβὰ πόλιν, βασίλειον ȣ̃σαν τῆς Αἰθιοπίας. ἣν ὕστερον Καμβύσης Μερόην ὠνόμασεν, ἀδελφῆς ἰδίας τȣ̃το καλȣμένης, *compulſi* [Aethiopes] *in vrbem Sabam, regiam Aethiopiæ, quam poſtea Cambyſes Meroen, de ſororis ſuæ nomine,*

mine, adpellauit. Cambyſen auctorem nominis eſſe, quia vel ſoror vel vxor Meroe dicta, ibi diem ſupremum obierit, etiam Strabo refert lib. XVII pag. 543: de veteri autem nomine ſilet: quod forſan ex eo additum ab Ioſepho eſt, quia ipſe alibi [lib. VIII cap. II] Reginam Sabæ, quæ ad Salomonem venit, Aethiopiæ reginam fuiſſe credidit. Ceterum veteres omnes Meroen *inſulam* vocant, vt vidimus: recentiores tabulæ vt *pæninſulam* repræſentant, quibus maior videtur fides habenda, quod certior, credo, horum temporum, quam ſuperiorum, eſt notitia. In ipſa inſula ſeu pæninſula Ptolemæus ad ſeptemtrionem poſuit Meroen vrbem, quæ quantum a vertice diſtet, Plinius modo expoſuit. Deinde ad dextrum latus eſt *Sacolche* oppidum: poſt id *Eſer:* denique ad auſtrum *Dororum vicus,* Δώρων κώμη, Palat. Δαρῶν κώμη, *Daron vicus.*

XXII.

A Meroe ad æquatorem, ab occidente Nili, ſunt obſcuri populi *Gapachi, Ptoëmphanes, Cadupi* [in Tabula *Duppi*] & *Elephantophagi Aethiopes.* * In occaſum magis inclinant *Scenitæ, Tralitæ, Daradi.* Vltra æquatorem *Peſendaræ, Nygbenitæ.*

XXIII.

In ripa orientali circa Cataracten maiorem haud dubie etiam ſunt *Catadupi,* licet ad minorem, qui notior erat, a plerisque referantur. Adde quæ iam ex Plinio de Catadupis ad maiorem Cataracten, & ad vtrumque eius latus, adferemus. Deinde ad Nilum oppida *Pnups, Berethis* [Βερηθὶς] *Gerbo, Patæta, Ponteris,* Πρῖμις μικρὰ, interpres *Premis parua,* cui breui poſt Premis magna reſpondet in eadem ripa. Plinius tamen etiam *Primis* ſcripſit. *P. Petronius,* inquit lib. VI cap. XXIX, *oppida eorum expugnauit, quæ ſola inuenerat, quo dicemus ordine: Pſelcin, Primin, Aboccin, Phthurin, Cambuſin, Atteuan, Stadiſin, vbi Nilus, præcipitans ſe, fragore auditum accolis aufert.* E quibus quod Pſelcis, Aboccis (Ptolemæi Abuncis) & Atteua (Αυτόβα eiusdem;) Phthuris; Cambuſis (Cambyſæ ærarium Ptol.) & Stadiſis, quam Harduinus Taſitiam ex ſitu interpretatur, in occidentali ripa fuerunt; non leui argumento eſt, Petronii expeditionem in occidentali latere factam fuiſſe, & Premin quoque ac Napatam eodem eſſe reducendas.

XXIV.

Sed ad *Primin paruam* reuertimur, quam ita Plinius (ſine tamen paruitatis cognomine) & Ptolemæus ſcripſerunt; huius interpres *Premis;* Strabo Πρῆμνις, *Premnis:* poſt quam Ptolemæo eſt *Arbis* ſiue *Arabis:* tum *Napata,* quam regiam Candaces fuiſſe Strabo auctor eſt. Plinius autem de ſede regia nihil habet, ſed dicto loco de Petronio addit: *Diripuit & Napata.* Et poſt paullo: *Inde Napata* LXXX *millibus. Oppidum id paruum inter prædicta ſolum.* Et cap. XXX *a Napata tridui itinere ad Rubrum litus aqua pluuia ad vſum compluribus locis ſeruatur.* Et Strabo narrauit, Napatam a Petronio non modo captam eſſe, verum etiam dirutam: ἐπελ-

* Diodorus III pag. 160.

θὼν λαμβάνει τὰ Νάπατα, καὶ κατασκάπτει, *ſuperueniens capit Napata, & euertit.* Hic plurali numero τὰ *Napata,* quem Plinius prioribus verbis imitatus eſt: poſtremis vero, *a Napata,* ſingulari & feminea forma, Latino more, quum nomina vrbium neutra pluralia ſint Græcæ conſuetudinis. Vnum addo: quamquam Strabo & Plinius conueniant in nomine & hiſtoria, & plurimi poſitionem ex Ptolemæo petant; tamen nondum ſunt expeditiſſimæ rationes. Nam vulgati quidem Ptolemæi libri Νάπατα, *Napata* legunt, ſine tamen mentione dignitatis regiæ aut metropoleos: Pal. autem codex habet Νάγγατα, *Naggata,* vt de nomine æque ac ſitu dubitare nobis liceat.

XXV.

Poſt Napata ſunt apud Ptolemæum *Sacole, Sandace, Orbadaru,* ignobilia. Claudit agmen *Primis magna,* Πρίμις μεγάλη, oppoſita paruæ, quam paullo ante expoſuimus. Vtra harum ſit Plinii *Primis,* Strabonis *Premnis,* non omnino certum eſt. Harduinus ad Plinium, μεγάλην: *maiorem Primin* intelligit. Quod vero hæc prope Meroen eſt, dubitari poteſt, an eo vſque Petronius peruenerit. Deinde idem Petronius apud Strabonem a Pſelci *Premnin* venit: ἐκ Ψέλχης ἧκεν εἰς Πρῆμνιν, ἐρυμνὴν πόλιν, - - - - καὶ μετὰ ταῦτα ὥρμησεν ἐπὶ Ναπάτων. *Ex Pſelcha venit Premnin, munitam vrbem, - - - - poſtea Napata adgreſſus eſt.* Napata autem Ptolemæi ſunt inter Primin paruam & magnam. Deinde Strabo adiungit: *euerſis Napatis,* ἀναστρέφει πάλιν εἰς τοὐπίσω μετὰ τῶν λαφύρων, δύσοδα κρίνας τὰ προσωτέρω, *reuertit retro cum præda, ratus inuia vlteriora eſſe.* Ex quibus conſequitur, *Primin paruam* eſſe, quam Petronius cepit, & præſidio firmauit, quum vltra Napata non proceſſerit: *Primis* autem *magna* eſt vltima ante Meroen.

XXVI.

Supra Meroen duo flumina, *Aſtaboras* & *Aſtapus,* coniuncti, ſe Nilo adfundunt, ſi inſula eſt Meroe, orientali alueo poſt diuortium; ſin pæninſula, infra vrbem Meroen ita, vt, quod ſpeciem inſulæ præbet, cinctum ſit Nilo & his mixtis fluuiis: illo, ab occaſu; his ab oriente. *Aſtaboras* orientalior eſt, & propior Aualitæ ſinui & Adulitico decurrit: *Aſtapus* inter Aſtaboram & Nilum. Multa horum mentio, quamquam in vltimis terris labantur, quas pauciſſimi adierunt. Ioſephus lib. II Antiquit. cap. V de Meroe, quam antea putat Sabam fuiſſe nominatam: ἦν δὲ δυσπολιόρκητον σφόδρα τὸ χωρίον, τοῦ τε Νείλου περιέχοντος αὐτὴν καὶ κυκλουμένου, ποταμῶν τε ἄλλων Ἀστάπου καὶ Ἀστοβόῤῥα, δυσμάχητον τοῖς πειρωμένοις διαβαίνειν τὸ ῥεῦμα ποιούντων. *Erat autem pæne inexpugnabilis locus, Nilo circumfluente & cingente, etiam aliis fluminibus Aſtapo & Aſtoborra difficiliorem tranſitum facientibus.* Audiuerat de ſitu Meroes, nec vero intellexerat plene: adfinxit ergo quæ non erant, cinctam eſſe vndique Nilo, & tamen etiam Aſtapum & Aſtoborram præfluere. Sed alios etiam audiamus. Strabo lib. XVII principio ex Eratoſthene: *Excipit Nilus duo flumina, e lacubus ab oriente delata, & Meroen ingentem inſulam complectentia: quorum alterum dicitur* Ἀσταβόρας,

κατὰ

κατὰ τὸ πρὸς ἕω πλευρὸν ῥέων. ἅτερος δ' Ἀστάπους· οἱ δ' Ἀστοσάβαν καλοῦσι, τὸν δ' Ἀστάπουν ἄλλον εἶναι, ῥέοντα ἔκ τινων λιμνῶν ἀπὸ μεσημβρίας, Aſtaboras, ad orientale latus fluens: alterum flumen Aſtapûs, quem nonnulli Aſtoſabam vocant: Aſtapum vero alium eſſe, & fluere ex quibusdam lacubus a meridie. Dubitanter ait *Aſtoſabam* nonnullis Aſtapûm eſſe, aliis flumen ab illo diſtinctum. Locus ipſe Strabonis, quamquam Caſaubonus elapſum *ἄλλον, alium* ex codd. & veteri verſione reſtituit, non videtur mendo carere, etiam in verbis ſequentibus. Eodem libro pag. 565 ſcribit Meroen, quam inſulam dicit, *ἄνωθεν ἐκ νότου ταῖς συμβολαῖς τῶν ποταμῶν τοῦ τε Ἀσταβόρα, καὶ τοῦ Ἀστάποδος, καὶ τοῦ Ἀστασόβα, auſtrum verſus* (quod *ſuperius* latus eſt fluminum reſpectu) *amnium concurſu, Aſtaboræ, & Aſtapodis, & Aſtaſoba*, ſicut ab occaſu arenarum cumulis, ab ortu præcipitis, *περιέχεσθαι, contineri.* Hic tres diſtinctos fluuios nominat: Ptolemæus tantum duos, Aſtaboram & Aſtapum: niſi tertius eſt ipſe Nilus ſupra Meroen. Duos autem illos eodem tractu duxit, quo Strabo, vt ab auſtro inſulæ ſeu pæninſulæ ſe adfundant. Plinius lib. v cap. IX de Nilo eiusque nominibus ſingularem opinionem, ab Iuba rege & hiſtorico acceptam, aliquid etiam a Pomponio Mela, ita exponit: Nilum naſci in Mauretania, ſæpe condi & emergere, quaſi Nigir ſit, vbi Aethiopas ſecet, Aſtapum cognominari. Circa Meroen Aſtaborem læuo alueo dici, dextro Aſtuſapem: nec ante Nilum adpellari quam infra Meroen, vbi coit in aluevm vnum. Adde Melam lib. I cap. IX. Sic variant de ortu & nominibus Nili. Aliud autem nomen eius *Siris* eſt non tantum apud Plinium dicto loco, verum etiam apud Dionyſium periegetam verſ. 223

Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
Ἐνναέται στραφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Hoc eſt, *Siris ab Aethiopibus vocatur: at Syenes incolæ conuerſo* (in boream) *mutarunt nomen in Nilum.* Adde Stephanum Byzantium in *Συήνη*.

2. Sed ad flumina reuertimur, quæ in Nilum a latere circa Syenen illabuntur: de quibus Ptolemæum ſequimur, &, quantum cum ipſo conſentit, etiam Strabonem. Nominum ſcriptura leuiter variat. *Aſtaboras* horum vterque ſcripſit, etiam Mela lib. I cap. IX; Ioſephus prædicto loco, & Heliodorus lib. X cap. V *Aſtaborras:* Plinius *Aſtabores.* Ioſepho nomen alterius eſt *Ἄσταπος, Aſtapus:* Pomponio Melæ *Aſtapes:* at Straboni & Ptolemæo *Ἀστάπους, Aſtapûs*, obliquo caſu *Aſtapodis.* Tertius fluuius, ſi quis eſt, Straboni dictus ineunte XVII libro *Ἀστοσάβας, Aſtoſabas;* at medio libro p. 565 *Ἀστασόβας, Aſtaſobas:* Plinio autem *Aſtuſapes;* Heliodoro *Ἀσασόβας, Aſaſobas:* qui vero duo tantum agnoſcit, de Aſtapode ſilet: illos vero ita ordinat, vt alter dextrum, alter ſiniſtrum inſulæ latus claudat. Nos vero, vt ſupra diximus, Ptolemæum ſequimur, qui, vt poſterior ceteris, forte plus cognitionis Aethiopiæ circa Meroen a peritis locorum impetrauit. Hic vero ducit Aſtaboram ex regione, quæ ſupra ſinum Aualiten eſt inter *Elephantem & Garbatam* montes: Aſtapodem ex Azania, quæ circa æquatorem eſt regio, eiusque palude *Coloe.*

XXVII.

Oppida circa hæc flumina a Ptolemæo pauca numerantur: *Auxuma* iuxta Aſtaboram, de qua dicit, Αὐξέμη, ἐν ᾗ βασίλειον, *Auxume, in qua regia.* Pal. cod. Αξέμη *Axume.* Arriani Periplo Erythræi maris poſt initium vocatur ἡ μητρόπολις ὁ Αξωμίτης, *metropolis Axomites,* quinque dierum itinere a Coloe diſtans, alio mediterraneo emporio: hoc tridui via ab Aduli. Athanaſius Apolog. contra Arian. ſect. 29 γεγράπῖαι τοῖς ἐν Αὐξέμει τυράννοις, *ſcriptum eſt tyrannis vrbis Auxumeos.* Et ſectione XXIX p. 315 ed. Bened. ἃ δὲ Φρεμεντίε χάριν τε ἐπισκόπε τῆς Αὐξέμεως γέγραπῖαι τοῖς ἐκεῖ τυράννοις, ἐςὶ ταῦτα, *quæ Frumentii gratia, epiſcopi Auxumeos, ſcripta ſunt tyrannis ibidem, ita ſe habent.* Vrbis ergo nomen eſt *Auxume,* & *Auxumis,* & *Axome.* Populus, ſeu ciues & circumcolæ apud Ptolemæum *Auxumitæ* dicuntur.

XXVIII.

Aliud oppidum, ſed prope Aſtapodem fluuium fuit *Coloe,* Κολόη, in cuius ſitu Ptolemæus & Arrianus non conueniunt. Arrianus Coloen ab Aduli itinere tridui diſtare, & primum eboris emporium eſſe dixit. Ptolemæus autem Auxumen modico interuallo ab Aduli ſeiunxit: admodum longo Coloen ab Auxume, in auſtrum verſus.

XXIX.

Vltra æquatorem in mediterraneis Ptolemæo eſt etiam oppidum *Maſte,* & circumcolens gens, *Maſtitæ.* Montem etiam eius loci Ptolemæus *Maſten* vocat.

XXX.

Populi Aethiopiæ ſupra Aegyptum, Nilo & ſinu Arabico concluſi, apud Ptolemæum ſunt varii. Poſt Aegypti limitem ſunt *Colobi,* vt in vetuſta in Ptolemæum tabula ſcribuntur: in θέσει autem eiusdem Κολβοὶ, *Colbi,* vbi littera videtur excidiſſe, quia, quamuis longe hinc, ad ſinum Arabicum eſt Κολοβῶν ὄρος ἄκρον, *Colobôn terminus promontorium.*

2. Deinde ſunt *Tabieni:* poſtea Σιρτιβεῖς, *Sirtibes:* tum *Attiri.* Et hi fere intra Aegyptum & Meroen in orientali latere.

3. Contra Meroen *Babylonii:* deinde circa Aſtaboram fluuium *Rhizophagi,* radicibus veſcentes, quos Strabo p. 531 lib. XVI dicit etiam *Eleios* adpellari. *Circa Meroen,* inquit, *concurſus eſt fluminum Aſtaboræ & Aſtapi, atque etiam Aſtagabæ, in Nilum.* παροικέσι δὲ τέτοις οἱ Ῥιζοφάγοι, οἱ καὶ Ἕλειοι προσαγορευόμενοι. *Accolunt his* [fluminibus] *Rhizophagi, qui & Elêi vocantur,* ſiue *Eleii.* Deſcribit ibidem modum euellendi radices ex paludibus & cibi inde conficiendi: quem etiam Agatharchides p. 37, & Diodorus Siculus lib. III cap. XXIII tradunt: vterque etiam eis *Hylophagos* & *Spermatophagos* coniungunt: tam victus genere, quam loci vicinitate.

XXXI.

Inter Aſtaboram fluuium & Adulicum ſinum erant Ptolemæi *Sabordæ,* & *Molibæ.* Inter eumdem fluuium & ſinum *Aualiten,* quem Plinius *Abaliten* ſcripſit lib. VI cap. XXIX, ſunt ipſi *Aualitæ,* ſinum accolentes: & intus *Megabradi* Ptolemæi, qui *Megabari* Strabonis ſunt, quos ille aliquoties cum

Blem-

Blemmyis coniunxit & *Nubis*, lib. XVII. Hi ſunt illi duo populi, qui diuerſis ſedibus habitarunt. Egimus ſupra de vtroque, de Nubis in Libya interiore ſub finem: de Blemmyis, principio Aethiopiæ ſupra Aegyptum: nunc alia ſedes eorumdem populorum (ſaltem iisdem nominibus vtentium) occurrit. Ineunte lib. XVII ἐξ ἀριστερῶν τῆς ῥύσεως τοῦ Νείλου, Νοῦβαι κατοικοῦσιν ἐν τῇ Λιβύῃ μέγα ἔθνος ἀπὸ τῆς Μερόης ἀρξάμενον μέχρι τῶν Ἀγγόνων, *A ſiniſtra curſus Nili habitant Nubæ in Libya magna gens, a Meroe incipiens vsque ad Angonas.* Hi ſunt Nubæ citeriores Ptolemæi, quos ſupra expoſuimus, niſi quod Strabo vsque ad Meroen producit, quum ceteris citra Meroen deſinant. At pag. 563 idem: λοιπὰ δὲ τὰ πρὸς νότον Τρωγλοδύται, Βλέμμυες, καὶ Νοῦβαι, καὶ Μεγάβαροι, οἱ ὑπὲρ Συήνης Αἰθίοπες, *cetera ad auſtrum, Troglodytæ, & Blemmyes, & Nubæ, & Megabari, qui Aethiopes ſupra Syenen habitant.* Ptolemæus lib. IV cap. VIII Νοῦβαι δυσμικώτατοι τῶν Αυαλιτῶν, *Nubæ maxime occidentales ſunt Aualitarum*, ſeu pars Aualitarum a mari ſeu ſinu Aualite ad interiora verſus recedens.

XXXII.

Idem Ptolemæus: ὑπὸ τοὺς Μολίβας Βλέμμυες, *ſub Molibis Blemmyes.* Molibæ autem inter Aſtaboram amnem, & duo ſinus, Aduliticum & Aualiten. Hos Blemmyas Agathemerus diſtinguit a ſuperioribus lib. II cap. V Νοῦβοι, ἕτεροι Βλέμμυες, Στρουτοφάγοι, *Nubi, alii Blemmyes, Strutophagi.* Si ἕτεροι, *alii*, diſtinguendi vtique ab iis, qui in Aegypti confinio erant, ſupra a nobis expoſiti. Quam in plagam coniuncti ſint cum Molibis, non eſt apertum, quia ambiguum ὑπὸ, *ſub* Ptolemæi, quod is Αἰθιοπίαν ὑπὸ Αἴγυπτον, *Aethiopia ſub Aegypto* dixit, quæ aliis ὑπὲρ, *ſupra* eſt: * verbi cauſſa Diodoro lib. III cap. XXIII κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν τὴν ὑπὲρ Αἰγύπτου, *in Aethiopia quæ ſupra Aegyptum eſt.* Cetera huius gentis memorabilia diximus ſupra, vbi Blemmyas Aegyptiorum ὁμόρους *confines*, vt Strabo vocat, perluſtrauimus, qui vero vtramque diuerſis locis habitantem gentem videtur commiſcuiſſe.

XXXIII.

Supra Meroen inter Nilum & Aſtapum Ptolemæo ſunt *Memnones*, de quibus etiam Agathemerus dicto loco, πρὸς τῇ Μερόῃ νήσῳ Μέμνονες, *iuxta Meroen inſulam ſunt Memnones.* His proximi Στρουθοφάγοι, *Struthophagi*, quos ita Strabo lib. XVI p. 531, Diodorus lib. III cap. XXVIII, & Ptolemæus ſcripſerunt: ſecus ac Agathemeri libris, etiam accuratiſſimorum virorum Gronouii & Hudſonii editione Στρουτοφάγοι, *Strutophagi* per T ſcribuntur. A στρουθὸς enim nomen eſt, quod Strabo non obſcure ſignificat: ὑπέρκεινται τούτων ἔθνος οὐ μέγα Στρουθοφάγων, παρ᾽ οἷς ὄρνεις εἰσὶ μέγεθος ἐλάφων ἔχοντες, πετᾶσθαι μὲν οὐ δυνάμενοι, *Supra hos ſunt Struthophagi, gens non admodum magna, apud quos aues dicuntur eſſe ceruorum magnitudine, quæ volare non poſſunt.* Diodorus Siculus de iisdem lib. III cap. XXVIII *His gentibus ad plagas occiduas adiecti ſunt Aethiopes, quos Simos adpellitant* (προσαγορευόμενοι Σιμοί.) τὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν κεκλιμένα νέμεται τὸ τῶν Στρουθοφάγων γένος, *auſtrales autem*

* Propter diuerſitatem loci, ex quo ſpectant ſcriptores longinqua loca, ὑπὲρ vocant, quod Geographi ὑπό.

tem partes Struthophagorum natio inhabitat. Eſt enim apud illos auis genus naturam cum terreſtri animante commiſtam habens: magnitudine ne ceruæ quidem maximæ cedens, alatum, cetera. Struthophagorum etiam meminit Agatharchides pag. 42, & belli eorum, quod cum Simis Aethiopibus gerunt, qui cornibus orygum vtuntur pro armis. De ſitu & loco Struthophagorum Ptolemæus: *μεταξὺ τῦ Ἀςάποδος ποταμῦ καὶ τῦ Γαρβάτυ ὄρυς Πεχινοί· ὧν δυσμικώτεροι Στρυθοφάγοι Αἰθίοπες· μεσημβρινώτεροι τῦ ὄρυς Καταδραι, Inter Aſtapodem fluuium & montem Garbatum ſunt Pechini: quibus occidentaliores ſunt Struthophagi Aethiopes: auſtraliores autem monte ſunt Catadræ.*

XXXIV.

Hæ itaque trans Nilum Aethiopum gentes, quas iam enarrauimus: ſed plures ſunt, etiam qui a victus genere nominantur, Ἀκριδοφάγοι, *Acridophagi*, locuſtis viuentes, de quibus Diodorus lib. III cap. XXIX, & Strabo lib. XVI pag. 531. Vterque tradit, certis ventis ingentem vim locuſtarum in regionem illorum deferri, quibus pro edulio veſcantur. Strabo, *ζῶσι ἀπὸ ἀκρίδων, viuunt ex locuſtis.* Sunt præterea Χελωνοφάγοι, *Chelonophagi*, de quibus Strabo ibidem conſulatur pag. 532. Hi, vt Plinius lib. VI cap. XXIV de Carmaniæ Chelonophagis dicit, teſtudinum ſuperficie caſas tegunt, carne veſcuntur. Addit Plinius lib. VI cap. XXX *Cynamolgos*, de quibus Agatharchides plura refert: * & *Pamphagos*, omnia mandentes. De *Elephantophagis* ſupra in Libya dictum.

XXXV.

His accedunt, qui mare accolunt Rubrum, *Ichthyophagi*, de quibus in Aegypto diximus. Longe enim per oram ſinus Arabici habitant: quorum viuendi rationem copioſe Strabo prædicto loco deſcripſit. Deinde *Adulitæ*, de quibus etiam dictum eſt: *Aualitæ* ad ſinum *Aualiten*, Plinii *Abaliten*. Reliqua ora cis & vltra æquatorem circulum, *Barbaria* Ptolemæo dicta eſt, ſine dubio, quod homines habeat maxime barbaros & inanes.

XXXVI.

Sunt & regiones quædam circa æquinoctialem lineam a Ptolemæo commendatæ, *Azania*, ab ortu, in qua plurimi elephantes: Vsque ad mare porrigitur, & ſua habet emporia, ſaltem dromos, Arriano teſte, qui Azaniam longe in auſtrum producit. *Myrrhifera* regio cis æquatorem: *Cinnamomifera* trans eumdem: vltra quam lacus duos poſuit, quos Nili vocat, orientalem vnum, alterum occidentalem. ** Lacus autem fieri ex fluminibus, quæ ex Lunæ montibus decurrant, exiſtimat, ibidemque fontes Nili eſſe. Vide Tabulam. Sanior hæc opinio de Nili origine, quamuis etiam erronea, eſt illa Iubæ, quam ex Plinio ſupra tradidimus, Nilum naſci in Tingitana,

* Et Diodorus III pag. 164. Sed hi quia bobus Indicis veſcuntur quotannis aduenientibus magna copia: per errorem *Indiæ* nomen irrepſiſſe videri poſſit. Sed *India* eſt hic Aethiopia Africæ orientalis. Qua de re diſputantem vide Voſſium ad Melam pag. m. 355.

** Flumina duo ex duobus lacubus decurrere in vnum Nilum, tabulæ noſtrorum Geographorum docent. Atque alterum lacum orienti, alterum occidenti propinquiorem eſſe, pariter certum eſt. Lacus iſtos e fluminibus fieri, non magis dubium eſt, ſecundum recentiores tabulas. Ergo fluminum iſtorum ſcaturigines fontes Nili dici poſſunt. Sed hoc nomen præcipuo iure merebitur, ſi quis fons iam nomen Nili habebit & inualeſcente flumine retinebit.

gitana, recolligi poſt merſum in Cæſarienſi Mauretania, in parte vtriusque auſtrali, indeque in ortum per Libyam ferri in Aethiopiam quæ ſupra Aegyptum eſt, & flexo curſu per ipſam tandem Aegyptum delapſum in mare effundi mediterraneum. Vide Plin. lib. v cap. ix, & quæ nos ſupra in Aegypti Delta de Nilo eiusque fontibus incertis diſſeruimus. Veri fontes ex recentioribus petantur, in quibus eminent viri ſummi Iſaacus Voſſius & Iobus Ludolfus, qui magnam huic argumento lucem accenderunt. * Ceterum dum de Nili paludibus, quibus is oriatur, ex Ptolemæo egimus, aliquid de *Pygmæorum* fabula adiiciendum eſt. Plinius enim lib. vi cap. xxx *Quidam & Pygmæorum gentem prodiderunt inter paludes, ex quibus Nilus oriretur.* Pomponius Mela lib. iii cap. viii *Fuere interius Pygmæi, minutum genus, & quod pro ſatis frugibus contra grues dimicando defecit.* At Strabo lib. xvii p. 565 confictos recte cenſet, quia ἑωρακὼς ὐδεὶς ἐξηγεῖται τῶν πίςεως ἀξίων ἀνδρῶν, *qui viderit illos, nemo fide dignus narrauit.* Sed de his plura Voſſius in Melam p. 293 ſeq.

XXXVII.

Maritima ora Aethiopiæ, eaque orientalis, ad ſinum eſt Arabicum & ad Oceanum, Africæ orientale latus claudentem, qui in meridiem tendit, & Aethiopicus ac Indicus adpellatur, quia in Indiam vsque procurrit.

XXXVIII.

Quæ ad ſinum Arabicum ſunt, quamuis vltra Aegypti erant terminum, tamen quod Aegyptii reges vsque ad fretum & Aualiten ſinum ſuæ ditionis fecerant quæ in ora ſunt, vt oppida, de regum reginarumque nominibus adpellata, abunde oſtendunt; ea in Aegypto, cuius hæc pars quaſi adiecta erat, omnia declarauimus ad Diren vsque, quæ freto adiacet inter Adulicum ſinum & Aualiten. Nunc vlteriora perſequemur.

XXXIX.

Poſt Diren in *Aualite* ſeu *Abalite* ſinu ex Ptolemæi poſitione ſunt Ἀυαλίτης ἐμπόριον, *Aualites emporium:* deinde Μάλεως ἐμπόριον, *Maleos emporium:* tum *Mundi* (Pal. *Mondi*, Μόνδυ) *emporium:* ad hæc Μόσυλον ἄκρον καὶ ἐμπόριον, *Moſylon promontorium & emporium*; quod Plinio eſt lib. vi cap. xxix *promontorium & portus Moſſylicus, quo cinnamomum deuehitur.* Poſtea eſt *Cobe* emporium: deinde *Elephas* mons ad mare procurrens, vltra quem duo ſunt emporia, prius Ἀκκάναι, *Accanæ*, quod & Δαφνῶνα μέγαν, *Daphnonem magnum* dictum fuiſſe, Arrianus Periplo teſtatur: alterum, quod ad promontorium eſt, *Aromata*, communi nomine promontorii & emporii, in quo finitur ſinus Aualites. Arrianus dicit Ἀρωμάτων ἐμπόριον, *Aromatum emporium.*

XL.

Sequitur *Barbaricus ſinus* maximus, ſecundum quem regio, quam *Barbariam* Ptolemæus dixit, eſt protenſa. In hoc ſinu ſunt *Opone* emporium; promontorium *Zengiſa*, ſiue vt in Pal. eſt, *Siggis*, a Ptolemæo nominatum; mons *Phalangis*; oppidum *Apocopa*, vt Ptolemæus, qui nihil adſcripſit, vi-

* Sed Geographi quidam Henrici Schereri narrationem ſequi malunt.

detur cenſuiſſe; Arrianus autem *promontorium Apocoporum* vocat. Ἀκρωτήριον, inquit, τελευταῖον τῆς Βαρβαρικῆς ἠπείρου πρὸς ἀνατολὴν Ἀποκόπων, *promontorium extremum Barbaricæ continentis, in orientem verſus, Apocoporum.* Marcianus Heracleota κόλπον, *ſinum* vocat *Apocopa.* Pelagus, inquit, Barbaricum dictum, ἐν ᾧ κόλποι τε πλείους εἰσὶ, καὶ οἱ δρόμοι τῆς καλουμένης Ἀζανίας. καὶ πρῶτος μὲν τῶν ἐπισήμων κόλπος ἐστὶν αὐτῷ ὁ καλούμενος Ἀπόκοπα, *in quo* [mari] *plures ſinus ſunt & dromi Azaniæ, quæ ita vocatur: & primus ex inſignioribus in ipſo eſt, qui nuncupatur Apocopa.* Nec vero hæc pugnant. nam potuit commune promontorii, & oppidi, & ſinus nomen *Apocoporum* eſſe.

XLI.

Ex interuallo & trans æquatorem eſt Νότου κέρας, ἄκρον, *Noti cornu, promontorium,* ſiue Auſtri promontorium: ſed diuerſum ab illo Noti cornu, quod terminum Hanno peripli ſui habuit. Hoc enim in occidentali Oceano eſt; quod vero iam deſcribimus, eſt in orientali. Deinde *Litus paruum & magnum* Ptolemæi & Arriani. Item *Eſſina* emporium: & Σαραπίωνος ὅρμος καὶ ἄκρα, *Sarapionis ſtatio & promontorium,* vt Ptolemæus vocauit: Arrianus autem, μετ' αὐτὸν [αἰγιαλὸν] κατὰ τὸ ἑξῆς οἱ τῆς Ἀζανίας δρόμοι· πρῶτος μὲν ὁ λεγόμενος Σεραπίωνος, εἶθ' ὁ Νίκωνος. *Poſt illud* [Litus magnum] *ſunt Azaniæ dromi ex ordine ſiti. Primus eſt qui Serapionis dicitur; deinde Niconis.* Hic vero Azaniam longius, quam Ptolemæus, in auſtrum verſus extendit: & quem idem *dromum* vocat, Ptolemæus dixit ὅρμον, *ſtationem.*

XLII.

Sequitur *Tonice* emporium apud Ptolemæum: deinde *Rapti* fluuii oſtia, & paruo ſpatio a mari *Rapta* metropolis, haud dubie flumini adpoſita. Arrianus periplo Erythræi: τὸ τελευταιότατον τῆς Ἀζανίας ἐμπόριον, τὰ Ῥαπτὰ λεγόμενα, *vltimum Azaniæ emporium Rapta dicitur.* Quod quia Ptolemæo eſt μητρόπολις τῆς Βαρβαρίας, *Barbariæ metropolis;* ex eo adparet, tam late Arriano Azaniam patere, quam Ptolemæo Barbaria eſt, ſeu tractus ad magnum illum ſinum, qui *Barbaricus* cognominatur. Vltra oſtia & vrbem eſt *Raptum* promontorium, Ptolemæo & Marciano memoratum. Stephano Ῥάπται, *Raptæ* ſunt μητρόπολις τῶν ἐν τοῖς Αἰθιόπων, *metropolis vrbium Aethiopicarum:* eidemque τὰ Ῥάπτρα μητρόπολις τῆς Βαρβαρίας, *Raptra,* prauato nomine, *metropolis Barbariæ,* videlicet quam Ptolemæus Barbariam dixit ad ſinum Barbaricum in Oceano orientali; quæ manifeſta eſt confuſio, quum vna tantum Rapta, ſiue Raptæ, metropolis in illo tractu fuerit. Fluvium autem recte *Raptum* Stephanus nominauit. Ibidem Ῥάπτιοι, *Raptii* Aethiopes, non Ῥάψιοι, *Rapſii,* vt Ptolemæus & Stephanus ſcripſerunt, ad quem legas, quæ CL. Berckelius adnotauit.

XLIII.

Ex longo interuallo Ptolemæo nihil eſt, niſi ſinus, quem circumhabitant *Aethiopes Anthropophagi,* & in illo *Praſum* promontorium, decimo quinto gradu latitudinis. ἐντεῦθεν γῆ ἄγνωστος, *hinc incipit terra incognita.* Marcianus Heracleota in Periplo: μέχρι τοῦ Ῥάπτου ἀκρωτηρίου. μετὰ δὲ ταῦτα ἡ λεγομένη βραχεῖα θάλασσα καὶ ὁ περὶ αὐτὴν μέγιστος κόλπος, ὅνπερ οἰκοῦσιν Βάρβαροι

ϐαροι ἀνθρωποφάγοι. ἐν δὲ τῷ τέλει τȣ̃ κόλπȣ κεῖται τὸ μέγιςον ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Πράσον ἄκρον. *vſque ad Raptum promontorium. Poſt hæc vero mare, quod Breue dicitur, & maximus circa ipſum ſinus, quem accolunt barbari Anthropophagi. In extremo autem ſinus huius maximum eſt promontorium, quod adpellatur Praſum.* Salmaſio in Solin. p. 878 *Praſum* eſt Mozambicum promontorium: at negat Voſſius in Melam p. 303, eo vsque veteres nauigando perueniſſe. Sed de hoc poſtea in Inſulis. In hoc promontorio finem facit Ptolemæus; vlteriora ipſi fuerunt incognita.

XLIV.

Inſulæ iuxta Aethiopiam ſupra Aegyptum ſunt partim in ſinu Arabico, partim in Oceano. In ſinu Arabico, notatæ a Ptolemæo, hæ ſunt præcipuæ: *Aſtratæ:* Βωμὸς Ἀθήνας, *Ara Palladis: Gythitis: Myronis* inſula prope Deorum Soterum portum: *Magorum* inſula ſupra Ptolemaidem ferarum: *Daphnine: Acanthine: Macaria* ſiue Fortunata: *Orneôn:* id eſt Auium, inſula: *Bacchi* & *Antibacchi: Panis* (Πανὸς, ſecundo caſu a *Pan*) inſula: *Diodori* inſula: *Iſidis* inſula in ſinu Adulitico.

XLV.

In ſinu Aualite eſt *Mondi* inſula, eodem nomine, quo adiacens in continenti emporium: Poſt Aromata Αμάϐȣ νῆσος Ptolemæi, *Amibu inſula,* in Tabula *Amici inſula,* ſine dubio praue: Μηνᾶ νῆσοι δύο, *Mena inſulæ duæ:* & *Myrice* inſula: ſed hæ obſcuræ.

XLVI.

Maxime autem commendabilis eſt Μενȣθιὰς, *Menuthias* inſula Ptolemæi, qui, vbi de promontorio Praſo dixit, addit, ᾧ παράκειται ἀπὸ θερινῶν ἀνατολῶν νῆσος, ἧ ὄνομα Μενȣθίας, *cui adiacet ab ortu æſtiuo inſula, cui nomen eſt Menuthias.* Arrianus Periplo Erythræi corrupte quidem, quod ad nomen attinet, vt tamen genuinum vocabulum non obſcure cognoſcatur: Clariſſimus Hudſon in Notis legit pag. 68 παρ' αὐτὸ τὸ Πράσον ἄκρον εἰς ἕω Μενȣθιὰς ἀπαντᾷ νῆσος, *iuxta ipſum illud promontorium Praſum in ortum verſus occurrit inſula Menuthias.* Alii aliter, vt tamen ipſo vocabulo inſulæ conſentiant, quod inter monſtroſe concretas voces pæne integrum μενȣθεσίας, ſeruatum eſt. Et Marcianus Heracleota Periplo p. 12 ἐν τῷ τέλει τȣ̃ κόλπȣ κεῖται τὸ μέγιςον ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Πράσον ἄκρον, καὶ ἡ Μενȣθίας νῆσος, ȣ̓ πόῤῥω τȣ̃ ἀκρωτηρίȣ τυγχάνȣσα. *In fine eius ſinus* [Barbarici] *ſitum eſt maximum promontorium, quod Praſum vocatur; & Menuthias inſula, non longe diſtans a promontorio.*

2. Hæc veteres de Menuthiade inſula: in cuius interpretatione diſſentiunt recentiores. Magno nomine viri Salmaſius, Bochartus, Harduinus, iſte in Solin. p. 878, ille in Chanaan lib. I cap. XXXVII, hic ad Plin. lib. VI cap. XXXI, putant magnam illam inſulam eſſe, quæ hodie *Madagaſcar,* & *S. Laurentii* inſula vocatur, quia hæc, ſaltem pars illius ſuperior in ortum æſtiuum vergat: contra Iſaacus Voſſius ad Melam p. 303 *Menuthias illa eſt inſula, quæ nunc Zanzibar adpellatur. Huic enim omnia conueniunt, quæ veteres de Menuthiade ſcribunt; non inſulæ S. Laurentii, quæ plane ignota fuit Græcis ac Romanis, vt plenius alias oſtendemus. Raptum vero promontorium eſt illud,*

quod Quiloæ vicinum eſt. Non interpono me hiſce litibus: tantum dico, nihil veteres de magnitudine inſulæ, quæ in Madagaſcar pæne incomparabilis eſt: & longius fere abeſt a litore, quam veteres introrſus nauigabant: quum Menuthias ὀ πόῤῥω, *non procul* fuerit a promontorio. Zanzibar quamuis propinquior ſit continenti: propius tamen abeſt ab æquatore, quam Menuthias Ptolemæi, cui latitudinem auſtralem XII & dimidii graduum tribuit. Quilibet eligat vtram vult; aut ſubſtituat aliam, cui poſitio Menuthiadis commodius conueniat.

XLVII.

Supereſt, de *Cerne* inſula vt inquiramus, an huius nominis inſula in orientali Oceano exſtiterit. Aiunt multi, Cernen eſſe Madagaſcar, quæ & Menuthias dicatur. Cui opinioni ipſe Plinius e veteribus fauet lib. VI cap. XXXI. *Contra ſinum Perſicum,* inquit, *Cerne nominatur inſula, aduerſa Aethiopiæ, cuius neque magnitudo, neque interuallum a continente conſtat: Aethiopas tantum populos habere proditur. Ephorus auctor eſt, a Rubro mari nauigantes in eam non poſſe propter ardores vltra quasdam columnas (ita adpellantur paruæ inſulæ) prouehi.* Sic & Lycophronis ſcholiaſtes ad verſ. 18 Κέρνη νῆσος ὠκεανῖτις, ὁπόθεν ὁ ἥλιος δοκεῖ ἀνατέλλειν. *Cerne inſula eſt Oceani, vnde ſol putatur oriri.* Alii autem dubitant, an vmquam id nominis inſula in oriente fuerit, rati ex eo errorem ortum eſſe, quod Hannonis, Polybii, Ptolemæi Cerne occidentalis dicatur contra Aethiopiam ſita eſſe: quum vero notiores ſint Aethiopes, qui ſupra Aegyptum ſunt, quam qui ad mare Atlanticum; factum inde, vt nonnulli Cernen inſulam ad orientales Aethiopas tanto errore transmouerint, quantum ortus ab occaſu diſſidet. Hinc eſt quod veteres etiam de ſitu Cernes dubitauerint, de quibus Euſtathius in Dionyſium ad verſ. 219 ἡ θέσις αὐτῆς [Κέρνης] διαφωνεῖται. οἱ μὲν γὰρ ἀνατολικὴν αὐτὴν ὑποτίθενται, ὡς καὶ ὁ Λυκόφρων ἐμφαίνει. οἱ δὲ δυτικήν. *Poſitio Cernes controuerſa eſt. quidam ponunt eam in oriente, quod & Lycophron* [verſ. 18] *feciſſe videtur: alii in occidente.* Relege quæ in Africa interiore de Cerne diximus: & adde ſis Salmaſium in Solin. p. 878.

XLVIII.

Sic etiam, Africa antiqua ad finem perducta, omnem notitiam Orbis antiqui finimus, ſi vnam quæſtionem de *Nouo Orbe,* quem *Americam* vocamus, adiecerimus, vtrum ille cognitus fuerit veteribus, nec ne. Hoc ergo quaſi appendix ſit Notitiæ noſtræ antiquæ, quam quatuor libris adhuc expoſuimus.

ADDITA-

ADDITAMENTVM DE NOVO ORBE, AN COGNITVS FVERIT VETERIBVS.

I.

AMericam a ducentis amplius annis ſollertium hominum ſtudio detectam fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. An eadem etiam antiquis fuerit cognita, difficulter iudicatur. Silentium geographorum & hiſtoriarum conditorum non leui argumento eſt, quo veteribus innotuiſſe negemus. Accedit difficultas nauigandi ſine pyxide nautica, qua deſtituti priores haud procul a litore nauigabant, oram legentes, ægre ſe medio committentes mari. Quis inde credet, vaſtum Oceanum, qui inter Americam & Europam aut Africam eſt, ſponte ac conſilio ſubiiſſe, & emenſos eſſe: ac ſæpius traieciſſe, reuertiſſeque feliciter.

II.

Nihilominus ſunt rationes non pœnitendæ, quæ perſuadere fortaſſe poſſint, ſaltem probabile reddere, non plane ignotum fuiſſe antiquis orbem illum ſeu ampliſſimas regiones, quæ trans mare ſunt Atlanticum. Nam Africam circumnauigatam fuiſſe, quamquam raris exemplis, tamen multorum teſtimoniis videtur demonſtrari poſſe. Herodotus lib. IV cap. XLII tradit, Phœnices, a Neco Aegyptiorum rege miſſos, e Rubro mari ſoluiſſe, & biennio conſumto veniſſe ad Columnas Herculis, & per illas remeaſſe in Aegyptum. Et Plinius lib. II cap. LXVII refert, Hannonem Carthaginienſem *a Gadibus ad finem Arabiæ circumuectum* eſſe. Et, auctore Cornelio Nepote, recenſet, Eudoxum quemdam, quum Lathurum regem fugeret, *Arabico ſinu egreſſum, Gades vſque peruectum:* item, Q. Metello Celeri, Galliæ proconſuli, *Indos a rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercii cauſſa nauigantes tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti.* Sed vt hi, ita & alii tempeſtate ac caſu abrepti nauigarunt, aut, ſi conſilio, litora tantummodo legerunt, quod nihil adfert ad immenſi Oceani traiectionem.

III.

Nihilominus de iis, quæ trans Oceanum ſunt, non nihil tradiderunt, e quo colligas, notitia illorum non omni fuiſſe deſtitutas. Platonis inſula *Atlantis*, in Atlantico Oceano ſita, videtur rem conficere: de qua in Timæo & Critia mira perſcripſit. Ibi pag. 475 *Traditur veſtra ciuitas reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope*

cunctam Europam & Aſiam obſederant. τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος. νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν, ὃ καλεῖτε (ὥς φατε ὑμεῖς) Ἡρακλέους στήλας. ἡ δὲ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων. *Tum enim nauigabile illud mare erat. Inſulam enim ante oſtium habebat, quod vocatis, vt ipſi dicitis, Herculis columnas. Inſula autem maior eſt quam Africa & Aſia ſimul ſumtæ.* Repetit in Critia poſt principium, præſertim quod ad magnitudinem inſulæ attinet. Hæc vero ſi tanta fuit, non videtur ab America abludere.

IV.

Sed obſtant alia; vicinitas oſtii ad Columnas Herculis: ante quod dicitur ſita fuiſſe, a quo longiſſime abeſt America: deinde regium illius inſulæ imperium, quo Europam vsque Etruriam, Africam vsque Aegyptum poſſederint; etiam bellum cum Athenienſibus geſtum; & inſulæ vlteriores, in quas ex Atlantide nauigatio inſtituta fuerit; cum ipſa magnitudine vaſtiſſima, & quæ præterea Critias a Solone in Timæo dicitur accepiſſe, fabulæ, quam hiſtoriæ, ſimiliora. Quamobrem interpretum multi allegorice hæc explicant, a ſenſu, quem littera fert, recedunt. Neque id pronum ad fidem eſt, quod additur ibidem, terræ motu & tempeſtatibus concuſſam inſulam ſubſediſſe, ipſumque mare, quod inſulam obruiſſet, propter limum & cœnum nauigari amplius non poſſe. Quid multa? ait, ἠφανίσθη, *diſparuit* inſula, nusquam ſuper eſt.

V.

Sed miſſa Platonis Atlantide, aliorum opiniones vel diuinationem de terris trans Oceanum audiamus. Antiquiſſima eſt traditio, quam Aelianus lib. III Variar. cap. XVII ex Theopompo refert, dixiſſe Silenum Midæ regi in colloquio, *Europam, Aſiam, Africam inſulas eſſe, quas vndique Oceanus circumfluat:* ἤπειρον δὲ μόνην εἶναι ἐκείνην τὴν ἔξω τούτου τοῦ κόσμου, *continentem vero vnicam eſſe illam, quæ extra hunc mundum exiſtit.* Non dubitanter hic, ſed pro certo dicit, extra notum orbem, id eſt Africam, Aſiam & Europam eſſe vnicam & maiorem continentem, quæ alibi eſſe non poteſt, quam trans Oceanum, illas notas partes, quas inſulas vocat, ambientem.

VI.

Cautius propiusque a vero Ariſtoteles de Mundo cap. III ἡ οἰκουμένη σύμπασα μία νῆσός ἐστιν, ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιῤῥεομένη. πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας εἰκὸς τῆσδε ἀντιπόρθμους ἄποθεν κεῖσθαι τὰς μὲν μείζους αὐτῆς, τὰς δὲ ἐλάττους, ἡμῖν δὲ πάσας, πλὴν τῆσδε, ἀοράτους. *Omnis habitata terra vna inſula eſt, mari, quod Atlanticum dicitur, circumdata. Probabile autem, multas alias, huic procul trans mare obuerſas eſſe, maiores hac noſtra quasdam, quasdam minores; omnes tamen, præter hancce, nobis inuiſas.* Dum εἰκὸς, *probabile* dicit, modeſte loquitur, non temere adſeuerat, non incerta relatione inductus, ſed ſua perſuaſus ratione, eſſe in tam vaſto terrarum orbe plures

poſt

poſt Oceanum terras, quam quas cognitas habemus; quia probabile, alteram & maiorem partem pariter, vt noſtram, eſſe maribus & terris diſtinctam, non totam aquis oppletam: & illas *ἀντιπόρθμους* vocat, id eſt, mari noſtro ex altero latere oppoſitas terras.

VII.

Poſtquam autem Fortunatæ inſulæ ſiue Canariæ repertæ fuerunt, minus de aliis & maioribus inſulis ſiue terris dubitatum eſt: quidam vero Atlantidem cum Fortunatis confuderunt, in quibus Diodorus eſt Siculus lib. v. cap. XIX, vnam permagnam inſulam dicens in occidentali Oceano eſſe, plurium dierum nauigatione diſiunctam ab Africa, eamque fertilitate tanta amœnitateque, etiam tam ſalubri aere, fontibus, fluminibus, vt *θεῶν τινῶν, οὐκ ἀνθρώπων ἐμβιωτήριον*, *deorum quorundam, non hominum domicilium* videatur. Sed hæc fabulæ multum admixtum habent, ſicut & reliqua Theopompi, quæ dicto loco Aelianus enarrat, pleraque ſunt fabuloſa, in quibus & *Meropis terra* Theopompi, quam Apollodorus apud Strabonem lib. VII pag. 207, vt fictam, reiicit.

VIII.

Ariſtoteles ſupra modeſte cauteque ſenſit de iis, quæ trans Oceanum dicantur poſita: at libro de Mirabilibus auditis, ſi idem vtriusque auctor eſt, confidentius ſcribit, in mari extra columnas Herculeas quondam Carthaginienſes inſulam inueniſſe *ἐρήμην*, *hominibus vacuam*, cetera rebus omnibus abundantem, in quam ſæpius Carthaginienſes nauigarent, quidam etiam ob loci felicitatem ibi ſedem figerent; vetuiſſe ſenatum ciuitatis ſub capitali ſupplicio, ne quis in poſterum in illam nauigaret, ne quid Carthaginis felicitati detraheretur. Sed & hoc in incertis relinquendum: quod etiam, ſi vera ſit hiſtoria, haud eſt ſufficiens, vt Americanas Carthaginienſium nauigationes nobis perſuadeat: nec cum Atlantidis fabula conſentit, quæ *πολυάνθρωπος* deſcribitur, quaſi reges habeat, exercitus emittat; quum hæc *ἐρήμη* fuerit, hoc eſt, nullis habitata hominibus.

IX.

Nihil ergo amplius, quam coniecturam transmarinæ terræ, veteribus patuiſſe, admodum probabile eſt, cui neſcio qua diuinandi arte ſpem futuræ detectionis adiecerunt. In his eſt Seneca, tragicus poeta, in Medeæ actu II extremo:

Venient annis ſæcula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tethysque nouos detegat orbes,
Nec ſit terris vltima Thule.

Non

Non vane dictum, quia euentus reſpondit. Vnde vero notitia? ex ſola ratione, an rerum etiam experientia? nihil certi definire poſſum: probabile tamen eſt, alterum orbem non plane antiquis ignotum fuiſſe, & omnino quosdam in eum inuectos reuectosque, qui famam de eo ſparſerint: vtrum caſu autem in illum inciderint, an conſilio & inquirendi ſtudio profecti, diuinare non poſſumus.

X.

At fabuloſæ ſunt veterum narrationes. Eſto fabuloſas eſſe ſeu fabulis permixtas, vt ſolet de rebus peregrinis & longiſſime remotis; non autem quæ fabuloſa ſunt, propterea ſunt penitus falſa. Quid fabuloſius freto Siculo? nec vero ipſum propterea fretum negatur. Sub fabulis etiam aliquid veri plerumque latet, quæ ſeparanda ſunt, quod Macrobius lib. I Somn. Scip. cap. II dixit, *fabulas a fabuloſis ſecernere.* Multi in hoc argumento verſati ſunt, ſed præcipue clariſſimi nobisque amiciſſimi viri IACOBI PERIZONII modeſtiam probamus, qui in Aeliani dictum locum ita commentatus eſt: *Fabuloſa hæc ducit & fabulis accenſet Meropida hanc terram tum Noſter* [Aelianus] *tum Apollodorus apud Strabonem* lib. VII [pag. 207 ed. Caſaub.] *Et merito. Nullus tamen dubito, quin veteres aliquid crediderint vel ſciuerint, ſed quaſi per nebulam & caliginem, de America, partim ex antiqua traditione ab Aegyptiis vel Carthaginienſibus accepta, partim ex ratiocinatione de forma & ſitu orbis terrarum: vnde colligebant, ſupereſſe in hoc orbe etiam alias terras præter Aſiam, Africam & Europam.* In hac viri eruditiſſimi ſententia adquieſcimus: quæ addunt alii, cum incertis & fabuloſis miſſa facimus: atque ita in his extremis & extra orbem notum poſitis finimus Notitiam Orbis Antiqui.

INDEX GEOGRAPHICVS.

ABa, Abus mons *Armen.* 318. 322. ſq.
Abbaſſum opp *Phryg.* 144
Abæra opp. *Arab. deſ.* 591
Abalites vide Aualites.
Abarbina opp. *Hyrcan.* 707
Abarim montes *trans Iord.* 561. ſq.
Abasgi pop. *Colch.* 309
Abathuba opp. *Marmar.* 845
Abboras, Aborras, Aburas fl. *Meſop.* 603. 608
Abdiabda opp *Alban.* 316
Abdon opp *Galil.* 407
Abel vinearum *Arab.* 572
Abela opp. trans *Iord.* 551
Abelmehola *Samar.* 451. 561
Abelſatim locus trans *Iord.* 563
Abere opp. *Arab. deſ.* 591
Abida opp. *Syr.* 373
Abii pop. *Scyth.* 759
Abila vrbs *Galaad* 541
Abila opp. *Peræa* 563
Abila Lyſaniæ opp. *Syr.* 371. ſq.
Ablata *Ponti* 286
Abliala opp. *Alban.* 316
Aboccis opp. *Aethiop.* 957
Abonitichos *Paphlag.* 265
Abranitis regio *trans Iord.* 528
Abrettena *Myſ.* 41. 42
Abroſtola opp *Phryg.* 128
Abrotonum opp. *Syrt.* 859
Abſarus fluv. *Colch.* 309
Abunia opp. *Scyth.* 756
Abuncis vide Aboccis.
Abydus opp. *Troad.* 43
Abydus *Aegypt.* 818
Abyla, columna Herculis 930
Acabe mons *Aegypt.* 832
Acabene regio *Meſopot.* 603
Acabis opp. *Cyren.* 851
Acadra, Acathra opp. *Ind.* 749
Acamas prom. *Cypri* 225. ſqq. 234
Acamantis inſ. *Cyprus* 225
Acampſis fl. *Colch.* 309
Acanthine inſ. *Arab. fin.* 837. 965
Acanthus opp. *Aegypt.* 810
Accanæ empor. *Aethiop.* 963
Accaron ciuit. *Iud.* 505. 508
Accaron vicus *Iud.* 489
Ace vide Aco.
Aceſines fl. *Ind.* 35
Achabarorum Petra *Galil.* 409
Achæa vrbs *inſ. Rhod.* 29
Achæa vicus *Boſpor.* 303. 304
Achæi pop. *Boſpor.* ibid.
Achæmenes pop. *Syrt.* 862
Achæmenia, *Perſis* 675
Achæmenides pop. *Perſ.* 675
Achæorum portus *Troad.* 47
Achaia opp. *Ariæ* 723
Achaia opp. *Parth.* 704
Achaia opp. *Syr.* 386
Achaiachala munim. *Meſop.* 611
Achamæ pop. *Lib. int.* 949
Acharaca opp. *Lyd.* 122
Achoſa regio *Scyth.* 759
Acheruſia cherſoneſus *Bithyn.* 252
Achilleum opp. *Troad.* 47
Achindana fl. *Carman.* 698
Achne inſ. *al. Caſos* 23
Achoali pop. *Arab.* 600
Acholla, Achola ciuit. *Af.* 869
Achſaph opp. *Galil.* 405. 407
Achzib opp. *Iud.* 499
Achzib, Achziba opp. *Galil.* 404. ſq.
Aciliſene regio *Armen.* 325. 326
Acilla vide Acholla.
Acinaſis fl. *Colch.* 309
Acmonia ciuit. *Phryg.* 131
Aco opp. *Galil.* 405
Acolitanum opp. vide Acholla.
Acoraca opp. *Syr.* 365
Acoris opp. *Aegypt.* 812
Acota opp. *Med.* 671
Acra collis *Hieroſol.* 457
Acraba opp. *Meſop.* 625
Acrabata opp. *Samar.* 453
Acrabatena regio *Samar.* 454
Acracanus fl. *Babyl.* 630
Acrath locus *Mauret. Ting.* 930
Acridophagi pop *Aethiop.* 962
Acrita promont. *Bithyn.* 244
Acube fons ſ. lacus *Syrt.* 862
Adacara vide Idacara.
Adada opp. *Piſid.* 166
Adada opp. *Syr.* 367

Adam, Adom opp. *trans Iord.* 564
Adama *Iud.* 487
Adamas fl. *Ind.* 736
Adana vrbs *Cilic.* 217
Adani inſulæ *Arab.* 601
Adar vide Adraa.
Addæa opp. *Meſop.* 610
Ad Dianam, locus *Numid.* 908
Adeſa *Lyciæ* 107
Adiaba fl. *Aſſyr.* 656
Adiabene regio *Aſſyr.* 654. 659
Adida, Addida opp. *Iud.* 468
Adienum fl. *Colch.* 309
Adiſathri pop. *Ind.* 737
Adiſathrus mons *Ind.* 737
Ad medera colon. *Numid.* 908. 909
Ad oliuam opp. *Mauret. Cæſ.* 924
Adolla opp. *Iud.* 494
Adonis fl. *Phœnic.* 380
Adopiſſus opp. *Lycaon.* 174
Adorſi pop. *Scyth.* 758
Adpertuſa opp. *Af.* 893
Adraa opp. *Arab. Petr.* 588. ſq.
Adræ vide Hatra.
Adramitæ pop. *Arab.* 599
Adramyttenus conuentus 181
Adramyttium vrbs *Myſ.* 36
Adrapſa opp. *Hyrcan.* 707
Adrapſa vide Darapſa.
Adraſteæ campus *Myſ.* 32
Adraſtia opp. *Myſ.* 32
Adriane opp. *Cyren.* 848
Adris fl. *Ind.* 735
Adru opp. *Arab. Petr.* 588
Adrumetum vrbs *Af.* 868
Ad Saua opp. *Mauret. Cæſ.* 924
Adſcenſus Scorpionis, regio *Iud.* 500
Ad ſex inſulas, locus *Mauret. Ting.* 937
Adule, vrbs *Aethiop. ſub Aeg.* 836
Adulis, eadem.
Adulicus ſinus, *Aethiop. ſub Aeg.* 835
Adulitæ pop. *Aethiop.* 962
Aduna fl. *Perſ.* 681
Adyrmachidæ pop. *Marmar.* 843
Æa opp. *Colch.* 307
Æanteium tumulus *Troad.* 44
Æapolis *Colch.* 307
Æas mons *Aegypt.* 832
Aëdonis inſ. *Marmar.* 846
Ægæ opp. *Aeol.* 57. 58
Ægæ opp. *Cilic.* 209. ſq.
Ægæa opp. *Mauret. Cæſ.* 924
Ægeatæ pop. *Aeol* 58
Ægara opp. *Lyd.* 121
Ægiali, locus *Paphlag.* 264
Ægimori aræ, ſcopuli *ad Af.* 897
Ægimurus, Ægimorus inſ. *ad Af.* 896. ſq.
Æginetes fl. *Paphlag.* 266
Æginetes opp. *Paphlag.* ibid.
Ægira inſ. *Lesbos* 11
Ægyptus 764
Ægyptus inferior 768
  ſuperior 808
Ægyptus Scripturæ ſacræ 800
Ægypti fines 765
  diuiſiones 767
Ægypti latus Arab. 786
  ſuperioris diuiſio 808
Ælana opp. *Arab. Petr.* 583
Ælaniticus ſinus 583. 792
Ælia Capitolina, *Hieroſolyma* 461
Ændor vicus *Galil.* 423
Æneſipaſta inſ. *Marmar.* 846
Æneſippa inſ. *Marmar.* 846
Æneſiſphyra portus *Marmar.* 840
Æni inſ. *Arab.* 601
Ænnum opp. *Aegypt.* 832
Ænon locus *Samar.* 438
Æolii pop. 53
Æolis ſ. Æolia regio 53
Æræ pop. *Carman.* 699
Aëria, *Aethiopia* 951
Aërmon vide Hermon.
Æſculapii nemus, *Phœnic.* 377
  templum *in inſ. Co* 22
Æſepus fl. *Myſ.* 31
Æſitæ pop. *Arab. deſ.* 591
Ætara *Numid.* 904
Æthaloës torrens *Myſ.* 31
Ætheria, Aëria, *Aethiopia* 951
Æthiope inſ. *Lesbos* 11
Æthiopes Aſiæ 651. 951. ſq.
Æthiopes Heſperii 945
Æthiopia Libyæ 951
  ſupra Æegyptum ibid.
Æthiopicus ſinus 963
Æthria inſ. *Rhodus* 25
Æthuſa inſ. *ad Af.* 896
Africa 761
Africa an ab antiquis circumnauigata? 967
Africa Carthaginienſis 864
  interior 939
    veteribus cognita 939
  propria 864
Africæ fines 761. 762
  plurima nomina 762

Africæ propriæ diuiſio 867
Agabeni pop *Arab. deſ.* 592
Agamede locus *inſ Lesbi* 12
Agamna opp *Meſop.* 610
Aganzaga *Med.* 671
Agar opp *Af.* 876
Agarra opp. *Suſ.* 684
Agathoclis inſulæ *Arab.* 601
Agathonis inſ. *Arab. ſin.* 837
Agathuſſa inſ. *Telos* 24
Agathyrſi pop. *Scyth.* 757. 758
Agazaca *Paropam.* 720
Agbatana vide Ecbatana.
Agdamia opp. *Cypri* 228
Agidum opp *Cypri* 228
Aginna opp *Iber.* 311
Agiſymba regio *Lib. int.* 950
Agla vicus *Iud.* 493
Agna fl *Mauret. Ting.* 934
Agni cornu promont. *Aegypt.* 781
Agoranis fl. *Ind.* 736
Agra opp *Suſ.* 684
Agradatus fl. *Perſ.* 681. 682
Agræi, Agaræi pop. *Arab. deſ.* 592
Agrei pop. *Arab.* 600
Agri pop. *Mæot.* ibid.
Agriaſpæ vide Ariaſpæ.
Agrilium *Bithyn.* 260
Agriophagi pop. *Ind.* 737
Agrippenſes pop. *Bithyn.* 261
Agrippeum Iud. Anthedon 516
Agrippias vrbs *Iud.* 516
Agris opp. *Carm.* 699
Agrizala opp. *Galat.* 154
Agroira opp. *Aeol.* 58
Agubeni pop. vide Agabeni.
Aheloth opp. *Arab. Petr.* 583
Ai vrbs *Iud.* 467
Aialon opp. *Iud.* 514
Ailana vrbs *Arab. Petr.* 583
Ailanites ſinus *Arab. Petr.* 585
Ailath opp. *Arab. Petr.* 583
Aiorum regio *Ind.* 737. 744
Aipolis *Babyl* 639
Akrabbim *Iud.* 500
Alabanda ciuit. *Cariæ* 89
Alabandenſis conuentus 181
Alabaſtrorum vrbs *Aegypt.* 812
Alabater promont. *Carman.* 699
Alalis opp. *Syr.* 367
Alamata opp *Syr.* ibid.
Alander fl. *Phryg.* 144
Alani pop. *Scyth.* 757. 758
Alaſi opp. *Garam.* 948
Alata opp. *Arab. deſ.* 591
Alazon fl. *Alban.* 316
Albana opp. *Alban.* 316
Albaniæ portæ 316
Albanus fl. *Albaniæ* 315. 316
Album litus *Marmar.* 840
Albus portus *Arab. ſin.* 832
vicus *Arab. fel,* 595
Alchabur fl. *Meſop.* 608
Aleius campus *Cilic.* 218. ſq.
Aleon fl. *Ion.* 64
Aleppo empor. *Syr.* 362
Alexandrea mons *Myſ.* 37. 38
Alexandreum caſtell. *Iud.* 464
Alexandri caſtra *Marmar.* 843
columnæ 756
inſ. *Perſ.* 696
portus *Gedroſ.* 725. 729
Alexandria *Aegypt.* 769
Arachoſ. 725. 730
Ariæ 722
Bactrian. 712
Carman. 699
Sacar. 718
Ind. 742
Alexandria *ad Iſſum* 216
Margianæ 708
Oxiana 714
Paropam. 720
Sogdian. 718
Alexandria Troas 46
colonia Romana ibid.
vltima ſ. ad Tanaim 714
Alexandrina regio *Aegypt.* 769
Alexandrinorum regionis nomos 795
Alexandropolis *Arachoſ.* 725
Parth. 704
Dacar. 718
Alibaca opp. *Cyren.* 851
Alimne opp. *Phryg.* 143
Alinda opp. *Cariæ* 90
Alloira opp. *Aeol.* 58
Alloſſygne empor. *Ind.* 745
Almelic fl. *Babyl.* 630
Almia *Scyth.* 756
Almœna opp. *Af.* 891
Almyræ opp. *Aegypt.* 768
Alone inſ. *Propont.* 10
Alonta fl. *Scyth.* 755
Alſadamus mons *Trachonit.* 524
Altaba *Numid.* 909
Altha opp. *Chald.* 641

Aluaca *Med.* 666
Alyatta opp. *Bithyn.* 261
Alyattis ſepulcrum 112
Amaad opp. *Galil.* 407
Amad ibidem
Amalekitæ pop. *Arab. Petr.* 576
Aman *Iud.* 501
Amana opp. *Med.* 671
Amanicæ Pylæ *Cilic.* 210. 211
Amanienſes pop. *Cilic.* 212
Amanus mons *Cilic.* 211. 221. ſq.
Amardi pop. *Med.* 665
pop. *Scyth.* 757
Amardus fl. *Med.* 665
Amariacæ, vide Anariacæ.
Amaruſa opp. *Hyrcan.* 707
Amaſia vrbs *Ponti* 277. 278
Amaſtris vrbs *Paphlag.* 262
Amath vide Hamath.
Amathei pop. *Arab.* 600
Amathûs caſtell. *trans Iord.* 557
vrbs *Cypri* 232
Amathuſia inſ. *Cyprus* 225
Venus 232
Amazones 282. ſq. 755
Amazonium *Ponti* 286
Ambaſtus fl. *Ind.* 749
Ambauatæ pop. *Paropam.* 720
Ambe opp. *Arab. fel.* 595
Ambitui pop. *Galat.* 151
Amblada vrbs *Piſid.* 163
Ambrodax opp. *Parth.* 704
Amelas opp. *Lyciæ* 105
America an antiquis cognita? 967
Amerytha vicus *Galil.* 409
Amibu inſ. *Aethiop.* 965
Amida *Meſop.* 612. 625
Amici inſ. *Aethiop.* 965
Amiſum opp. *Paphlag.* 269
Amiſus vrbs *Ponti* 272
Ammana vrbs *trans Iord. Philadelphia* 550
Ammæa opp. *Arab. deſ.* 591
opp. *Meſop.* 625
Ammædara, Ammedara colon. *Numid.* 908
Amman vrbs *Arab.* 571
Ammaûs vide Emmaûs.
Ammochoſtum promont. *Cypri* 230
Ammodes promont. *Cilic.* 208
Ammon vrbs *Marmar.* 843
Ammonia vrbs *Marmar.* 840
Ammoniacus nomos *Marmar.* 843
Ammonii pop. *Arab.* 600
pop. *Marmar.* 843
Ammonitæ pop. *Arab. Petr.* 570
Ammonitis regio *Arab.* 570
Ammonus opp. *Syrt.* 863
Amordacia, Amordocia regio *Babyl.* 626. 639
Amorgus inſ. *Aegæi* 21
Amorium opp. *Phryg.* 128
Amoritæ vide Amorrhæi.
Amorrhæi pop. *Chanan.* 569
Amorrhitis regio *trans Iord.* 558
Ampelone *Arab.* 599
colonia Mileſiorum ibid.
Ampelus promont. *inſ. Sami* 18
Ampeluſia promont. *Mauret. Ting.* 932
Amphipolis *Syr.* 367. 386
Ampis opp. *Arab.* 599
Ampreutæ pop. *Colch.* 309
Ampſaga fl. *Numid.* 902. 918
Ampſalis opp. *Bospor.* 304
Amuncla opp. *Syrt.* 862
Amyntæ regnum 182
Amyzon opp. *Cariæ* 87
Anab *Iud.* 501
Anabon regio *Ariæ* 722
Anabucis *Syrt.* 857
Anabura opp. *Phryg.* 144
opp. *Piſid.* 165
Anacreontis patria 65
Anaitica regio *Armen.* 326
Anaitis dea 326
Analiba opp. *Armen.* 335
Anamis fl. *Carman.* 698
Anariacæ pop. *Med.* 707
Anarismundi prom. *Taprob.* 752
Anarium opp. *Armen.* 328
Anarus opp. *Galat.* 157
Anathan munim. *Meſop.* 610
Anatho inſ. *Meſop.* 610
Anathot opp. *Iud.* 473 489
Anaua vide Anaya.
Anaximandri patria 76
Anaya opp. *Phryg.* 140
Anazarbus vrbs *Cilic.* 218
Anazarbeni pop. *Cilic.* 217. 218
Anchiale vrbs *Cilic.* 207
Anchialeus fl. 207
Ancobaritis regio *Meſop.* 603
Ancon portus *Ponti* 272
Ancorarum vrbs *Aegypt.* 811
Ancore vrbs *Bithyn.* 255
Ancyra Abaſitidis 127
Galatiæ 151. 152
Phrygiæ 128
Andabalis opp. *Cappad.* 292

Andaca,

Andaca, Andraca opp. *Ind.* 738
Andanis fl. *Carman.* 698
Andera opp. *Myſ.* 39
Anderica opp. *Suſ.* 684
Andraca opp. *Cappad.* 294
Indiæ 738
Andrapa *Paphlag.* 270
Andria opp. *Phryg.* 143
Andriaca ciuitas *Lyciæ* 96
Andrius fl. *Troad.* 51
Andro, Andropolis *Aegypt.* 795
Andropolites nomos *Aegypt.* 773. 795
Androſia opp. *Galat.* 158
Anemurium opp. *Cilic.* 197
Angaucani pop. *Mauret. Ting.* 936
Anguri opp. *Galat.* 153
Aniana opp. *Meſop.* 606
Annibi montes *Scyth.* 758
Annibi pop. *Ser.* 760
Anitha opp. *Arab. Pet.* 588
Anœgath opp. *Lib. int.* 947
Antæi, ſcil. vrbs Aegypt. 822. 823
Antæopolis Aegypt. 823
Antæopolites nomos *Aegypt.* 822
Antandrus opp. *Myſ.* 37
Antaradus opp. *Syr.* 350
Antariani pop. *Scyth.* 757
Anthedon opp. *Iud.* 516
Antheia vrbs *Lydiæ* 120
Anthemûs inſ. *Samos* 17
opp. Meſopot. 619. ſq.
Anthemuſia regio *Meſop.* 603. 604
opp. *Meſop.* 605. 619. ſq.
Anthemuſium *Meſop.* ibidem
Anthinæ inſulæ *ad Epheſ.* 16
Anthropophagi pop. *Seric.* 760
Aethiopes 950. 964
Anthylla opp. *Aegypt.* 774
Antibacchi inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Antibole oſt. *Gang. fl.* 747. 736
Anticaſius mons *Syr.* 348
Anticeta fl. *Boſpor.* 301
Anticitus, vide Atticitus.
Anticimolis, Anticinolis opp. *Paphlag.* 266
Anticoli pop. *Aethiop.* 950
Anticragum iugum *Lyciæ* 103
Antigonea vrbs *Bithyn.* 255
Antigonia *Syr.* 351
Troad. 46. 48
Antilibanus mons *Syr.* 369. 370
Antinoites nomos *Aegypt.* 813
Antinoû, Antinoi vrbs, *Aegypt.* 813
Antiochea Lamotidis 204
Antiochi ſolem opp. *Aegypt.* 836
Antiochia *Aſſyr.* 663
Cariæ 88. 89
Antiochia *ſuper Crago* 196
Antiochia Epidaphnes vrbs *Syr.* 350. ſq.
Antiochia ad Euphrat. opp. *Commag.* 342
Lamotidis 204
Lydiæ 120
ad Mæandrum opp. *Cariæ* 88
Margiana 708
Meſop. 614
Mygdon. 622. ſq.
Antiochia ad Orontem, *Syr.* 351
Piſidiæ 161. 165
colon. Rom. ibid.
inſ. *Propont.* 10
regio Syriæ 344
Tauri, *Commag.* 339
Antiochiana regio *Lycaon.* 174
Antipatris opp. *Samar.* 448
Antiphellus opp. *Lyciæ* 96
Antiphili ſcil. opp. *Aegypt.* 768
Antiphra vicus *Marmar.* 840
Antiphræ inſ. *Marmar.* 846
Antipyrgus portus *Marmar.* 842
Antiſſa opp. *Lesbi inſ.* 13
Antitaurus mons *Cappad.* 298. 299
Antonia caſtell. *Hieroſol.* 458
Antoniopolitæ pop. *Lydiæ* 121
Anunea vide Hanunea.
Anurogrammum vrbs *inſ. Taprob.* 752
Anydros inſ. *ad Epheſ.* 16
Anzabas fl. *Aſſyr.* 656
Anzeta opp. *Armen.* 328
Anzitene vide Azetene.
Aorni vrbs *Bactr.* 712
Aornos petra *Ind.* 739
Aorſi pop. *Scyth.* 758
Apabarctica vrbs *Parth.* 702
Apæſus vrbs *Myſ.* 32
Apamea, Apamia, Ἀπάμεια, vide vtroque loco.
Apamea *Bithyn.* 241
Cibotos, *Phryg.* 136
Cibotos, *Piſid.* 164
Med. 670
Meſenes *Babylon.* 635
Meſop. 606
Raphane *Med.* 670. 703
Piſidiæ 164
Sittacenæ 642
Syriæ 354
Apamene regio *Syr.* 355
Apamenſis conuentus 181

Apamenus lacus *Syr.* 356
Apamia Meſenes, *Babyl.* 635
Apamia *vide* Apamea.
Apari opp. *Numid.* 904
Apaturos opp. *Boſpor.* 302
Apaturæ Veneris fanum ibid.
Apauarctice opp. *Parth.* 702
Apauarcticene regio *Parth.* ibidem
Aperræ opp. *Lyciæ* 96
Aphaca locus *Syr.* 371
Aphacitidis Veneris templum 371
Aphphadana *Meſop.* 598
Aphar vide Sapphar.
Aphek opp. *Galil.* 407
Aphra *Iud.* 473
Aphricerones pop. *Lib. int.* 949
Aphrodiſias vrbs *Cariæ* 88
— opp *Cilic.* 198
— inſ. *ad Carman.* 700
— inſ. *ad Cyren.* 853
Aphrodiſium opp. *Cypri* 228
— opp. *Afr.* 880
— colon. *Numid.* 901
Aphroditopolis *Aegypti* 784
Aphrodito vrbs Ægypt. 833
Aphroditopolis in Delta Ægypti 784
— *Heptan. Aegypt.* 811
Aphroditopolites nomos *Aegypt.* 810. 811
Apis opp. *Marmar.* 840
Apobatana *Med.* 669
Apocopa opp. *Aethiop.* 963
— promont. 964
— ſinus ibid.
Apocopi montes *Ind.* 737
Apollinis Magna vrbs *Aegypt.* 821
— Parua 825
— promont. *Afr.* 880. 889
— *Mauret. Cæſ.* 920
— vicus, vide Apollinis Parua.
Apollo ſuperior, vide Apollonopolis.
Apollonia *Aſſyr.* 661
Apollonia *&* Apollonias portus *Cyren.* 847
Apollonia ad Lambanum, *Cariæ* 88
— *Palæſt.* 442
— *Piſid.* 163
— *ſupra Rhyndacum* 33
— *Syriæ* 386
Apolloniatis regio *Aſſyr.* 654. 661
Apollonidea opp. *Lyd.* 117
Apollonidenſes pop. *Lydiæ* 117
Apollonii philoſophi patria 291
Apollonis, opp. *Lyd.* 117
Apollonopolis *Aegypt.* 821
Apollonos, *ſcil.* vrbs *Aegypt.* 833
Apollonoshieritæ pop. *Lydiæ* 114
Aporidos come *Phryg.* 144
Appha opp *Parth.* 705
Apphadana opp. *Meſop.* 625
Apphana inſ. *ſin. Perſ.* 601
Apphar opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Appia opp. *Phryg.* 142
Apſarus, Apſorrus, fl. *Colch.* 309
Apſilæ pop. *Colch.* 309
Aptuchi, Aptungis fanum, *Cyren.* 847 848
Apuleii patria 911. 943
Apyre vide Aperræ.
Aqua contradictionis 588
Aquæ calidæ *Af.* 892. 897
— colonia *Mauret. Cæſ.* 926
Aquæ flumina opp. *Syr.* 346
Aquæ Merom 404
Aquæ Regiæ, opp. *Af.* 877
Aquilaria, locus *Af.* 883
Ar vrbs *Arab.* 573
Ara Amoris, promont. *Aegypt.* 835
Ara Palladis inſ. *Arab. ſin.* 837 965
Arabia 569
Arabia deſerta 590
— Eudæmon 594
— Felix 594
— Petræa 487. 570
— Philadelphenſis 571
Arabia Scenitarum regio *Meſop.* 605
Arabiæ diuiſio 569
Arabiæ nomos *Aegypt.* 799
Arabicus ſinus 963
Arabici ſinus ora 834
Arabis opp. *Aethiop.* 957
Arabius fl. *Gedroſ.* 726
Aracca, Aracha opp. *Suſ.* 684
Araceme vrbs *Arab.* 580
Arachoſia regio 725
— vrbs ibid.
Arachotus fl. *Arachoſ.* 725
— fons 725
— vrbs 725
Arachotoſcrene palus *Arachoſ.* 726
Aracia inſ. *Perſ.* 696
Araciana opp. *Parth.* 704
Aractene regio *Aſſyr.* 654
Arad, Arath, vrbs *Iud.* 497. 499
Aradus inſ. *Syr.* 350
Aræ *Sogdian.* 716
Arago fl. *Iber.* 311
Aram, Aramæa regio 602
Aram Bethrehob 387

Aram Dameſek 387
Maacha ibid.
Naharaim 386
Soba ibid.
Aramatha ciuit. *trans Iord.* 540
Arana opp. *Drang.* 725
Arane opp. *Armen.* 335
Aranga mons *Lib. int.* 949
Arapis fl. *Carm.* 698
Ararat montes *Armen.* 323. ſq.
Ararauceles pop. *Syrt.* 862
Araſaci pop. *Ind.* 738
Araſenſes pop. 159
Aratha opp. *Margian.* 708
Arathos inſ. *ſin. Perſ.* 601
Arauracides pop. *Cyren.* 852
Araxa opp. *Lyciæ* 101
Araxates fl. *Sogd.* 713
Araxenus campus *Armen.* 318. 325
Araxes fl. *Armen.* 318
fl. *Meſop.* 610
fl. *Margian.* 710
fl. *Perſ.* 680. 682
Arbaca opp. *Arachoſ.* 725. ſq.
Arbela opp. *Aſſyr.* 661
vicus *Galil.* 621
Arbelitis regio *Aſſyr.* 654. 661
Arbies, Arbii, Arbitæ pop. *Gedroſ.* 727
Arbii pop. *Carman.* 699
Arbis fl. *Carman.* 698
fl. & opp. *Gedroſ.* 726. 729
Arbis, Arabis, opp. *Aethiop.* 957
Arbitæ montes *Gedroſ.* 726
Arbua opp. *Perſ.* 696
Arca Cæſarea opp. *Phœnic.* 385
Arca opp. *Phœnic.* 385
Arce vrbs *Arab.* 580. 581
Arceſine inſ. *Aſ.* 21
Archabis fl. *Colch.* 309
Archæopolis *Colch.* ibid.
Archandropolis *Aegypt.* 774
Archelais vrbs *Cappad.* 289
vrbs *Iud.* 465
Archile opp. *Cyren.* 851
Arconneſus inſ. *Aſiæ* 24
Arctacana opp. *Ariæ* 723
Arctoneſos opp. *Myſ.* 31
Ardania, Ardanaxes, Ardanis prom. *Marmar.* 842
Ardea opp. *Perſ.* 696
Areca opp. *Syr.* 340
Areccæi campi *Suſ.* 684
Arecon vide Rakon.
Arendæ *Lyciæ* 104
Areopolis *Arab.* 573
Arethuſa vrbs *Syr.* 356. 357
Arethuſa lacus *Armen.* 320
Arga vicus *Arab. fel.* 595
Argadina opp. *Margian.* 708
Arganthonius mons *Bithyn.* 242
Argari vrbs *Ind.* 745
Argaricus ſinus ibid.
Argennos inſ. *Ion.* 19. 71
Argentea regio *Ind.* 747
vrbs *Ind.* 752
Arginuſæ inſulæ Aeol. 15. 16
Argob regio *trans Iord.* 532
Arguin inſ. 940
Argyre inſ. *Ind.* 852
Aria, Ariana regio 721. 722
Aria lacus Arianæ 722
Ariaca opp. *Margian.* 708
Ariacæ pop. *Scyth.* 737
Ariaces pop. *Ind.* 757
Ariace Sadinorum regio *Ind.* 744
Ariamazæ petra *Sogd.* 714
Ariarathira opp. *Cappad.* 295
Arias, Arius fl. *Ariæ* 722
Ariaſpæ pop. *Drangian.* 724
Ariaſpe opp. *Drang.* ibid.
Ariaſſus opp. *Piſid.* 170
Aricada opp. *Drang.* 724
Arichi pop. *Mæot.* 302. 304. 755
Arigæum opp. *Ind.* 738
Arimantos vicus *Cyren.* 851
Arimanum ciuit. *trans Iordan.* 540
Arimara opp. *Syr.* 363
Arimaſpi pop. *Scyth.* 757
Aripa *Mauret. Cæſ.* 927
Ariſba opp. *inſ. Lesbi* 12
opp. *Troad.* 43
Ariſeria opp. *Syr.* 344. 363
Ariſtes pop. *Sogd.* 713
Ariſtophyli pop. *Paropam.* 720
Ariuſia vina inſ. Chii 16
Ariuſius campus ibid.
Arma, locus *Iud.* qui & Harma 495
Armacales fl. *Babyl.* 628
Armactica opp. *Iber.* 311
Armalcar fl. *Babyl.* 628
Armathæm vrbs *Samar.* 446
Armene vicus *Paphlag.* 266
Armenia 316
Armenia maior 317
minor 332
vtraque 316

Arme-

Armeniæ diuiſio 324
Armenochalybes pop. *Iber.* 312
Armiana opp. *Parth.* 704
Armoſata vrbs *Armen.* 329
Armozei pop. *Carman.* 699
Armozon promont. *Carman.* 698
Armua fl. *Numid.* 900
Armuza opp. *Carman.* 699
Arnon fl. *trans Iord.* 556. 573
Aroer opp. *trans Iord.* 555. 556
Aromata opp. *Lyd.* 122
empor. *Aethiop.* 963
promont. ibid.
Aroncæ pop. *Lib. inter.* 949
Aroſis fl. *Perſ.* 680. 682
Arrade opp. *Arab. deſ.* 591
Arrapa *Aſſyr.* 662
Arrapachitis regio *Aſſyr.* 654. 658
Arrhentias inſ. *Ponti* 276
Arrichi pop. vide Atichi.
Arſacia *Med.* 671
Arſamoſata vide Armoſata.
Arſanias fl. *Armen.* 321
Arſenaria colonia *Mauret. Cæſ.* 921
Arſeta regio *Armen.* 325
Arſiana opp. *Suſ.* 684
Arſinaria promont. *Lib. int.* 946
Arſinoe *Aegypt.* 792. 793
Cilic. 197
Arſinoe *Cypri auſtr.* 230
mediterr. 236
ſeptemtr. 226
Arſinoe *Cyren.* 848
Heptan. Aegypt. 810
Lyciæ 96
Troglod. 836. 837
Arſinoites nomos *Aegypt.* 810
Arſitis regio *Hyrcan.* 706
Artabis, Artabius fl. *Gedroſ.* 726
Artacabane opp. *Ariæ* 723
Artacana opp. *Parth.* 704
Artacaua, Articaudna opp. *Ariæ* 723
Artace vicus *Bithyn.* 147
Artacene regio *Aſſyr.* 654
Artacoana vrbs *Ariæ* 723
Artagera opp. *Armen.* 331
Artagira opp. *Lib. int.* 949
Artamis fl. *Bactr.* 711
Artanes fl. *Bithyn.* 247
Artaniſſa opp. *Iber.* 311
Artaſigarta opp. *Armen.* 328
Artaxata vrbs *Armen.* ibid.
Artemita opp. *Arab. deſ.* 591
Artemita vrbs *Aſſyr.* 661
Artemiſium promont. *Cariæ* 86
Arthedon inſ. *ad Troad.* 10
Articene regio *Parth.* 701. 702
Artoarda opp. *Paropam.* 720
Artynia ſtagnum *Myſ.* 34
Arualtes mons *Lib. int.* 949
Aruarni pop. *Ind.* 737
Arudis opp. *Syr.* 342
Aruma opp. *Samar.* 454
Arxata vrbs *Armen.* 329
Arycanda opp. *Lyciæ* 105
Arycandus fl. *Lyciæ* 104
Arymagdus fl. *Cilic.* 197. 203
Arzilla vrbs *Mauret. Ting.* 933
Aſaborum promont. *Arab. fel.* 596
Aſæi pop. *Scyth.* 756
Aſame, Aſana fl. *Mauret. Ting.* 934
Aſan vicus *Iud.* 495
Aſaph opp. *Syr.* 365
Aſaphidama opp. *Syr.* 364
Aſaracæ pop. *Lib. int.* 949
Aſarath fl. *Mauret. Cæſ.* 927
Asbytæ, Asbyſtæ pop. *Cyren.* 852. 862
Aſca opp. *Arab.* 601
Aſcalon vrbs *Iud.* 506. 509
Aſcandalis opp. *Lyciæ* 105
Aſcaniæ inſulæ *ad Troad.* 10
Aſcanius lacus *Bithyn.* 243. 255. ſq.
Aſcatancæ pop. *Scyth.* 757
Aſcitæ pop. *Arab.* 599
Aſcura opp. *Armen.* 328
Aſcurum fl. *Colch.* 309
opp. *Mauret. Ting.* 935
Aſdod vide Azotus.
Aſeca opp. *Iud.* 491
Aſedoth Phasga opp. *trans Iord.* 562
Aſemona opp. *Iud.* 501
Aſer opp. *Samar.* 451
Aſeritidis tribus oppida 396
Aſia 1
Aſia citerior 3
vlterior ibid.
inferior 7
ſuperior ibid.
maior 2
minor ibid.
proconſularis 5. 177
proprie dicta 5. 6
Aſia cis Taurum 3. 4
cis Taurum ſub Romanis 176
intra Taurum 4
intra Halyn amnem 4

Aſia

Aſia circa Cayſtrum fl. 6
Aſia opp. 6
Aſia opp. *Suſ.* 684. 686
Aſia palus 6
Aſiace opp. *Arachoſ.* 725
Aſiæ diuiſio 2
Aſiæ inferiora 8
ſuperiora ibid.
Aſiæ cis Taurum ſtatus antiquus in mediterraneis 108
in partibus maritimis 29
Aſiongaber opp. *Arab. Petr.* 583
Aſiotæ vide Iotæ.
Aſium pratum *Lydiæ* 121
Aſmiræa regio *Ser.* 760
Aſmiræi montes ibidem
Aſinurna opp. *Hyrcan.* 707
Aſna *Iud.* 501
Aſochis vicus *Galil.* 430
Aſopus fl. 132
Aſor opp. *Iud.* 493
Aſorus vrbs *Galil.* 408. 409
Aſpa opp. *Parth.* 704
Aſpacara opp. *Ser.* 760
Aſpacaræ pop. *Ser.* 760
Aſpelia inſ. *Cyprus* 225
Aſpendus vrbs *Pamphyl.* 190
Aſphaltites lacus *Iud.* 484
Aſpis inſ. *Aſiæ* 16
locus *Syrt.* 856
promont. *Aegypt.* 835
vrbs *Afr.* 881. 882
Aſpii pop. *Ind.* 737. 738
Aſpiſii montes *Scyth.* 757
pop. ib.
Aſpithra fl. *Ind.* 749
opp. ib.
Aſpona opp. *Galat.* 158
Aſpungitani pop. *Mæot.* 303
Aſſaceni pop. *Ind.* 737. 738
Aſſara fl. *Mauret. Cæſ.* 921
Aſſarath, Aſiſarath opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Aſſuræ, Aſſurus opp. *Afr.* 892. 894
Aſſurus opp. *Numid.* 908
Aſſus vrbs *Myſ.* 37
Aſſyria 653
Aſſyriæ fines 654
Aſſyrii pop. *Ponti* 282
Aſta opp. *Drang.* 724
Aſtabeni pop. *Hyrcan.* 706
Aſtaboras, Aſtaborras fl. *Aethiop.* 958. 960
Aſtacenus ſinus 244
Aſtacilicis opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Aſtacum vrbs *Bithyn.* 243. ſq.
Aſtacures pop. *Syrt.* 862
Aſtacuri pop *Lib. int.* 949
Aſtacus opp. *Syr.* 386
Aſtapus, Aſtapes fl. *Aethiop.* 958. ſqq.
Aſtaroth regia *trans Iord.* 532. ſq.
Aſtarte vrbs *trans Iord.* 550
Aſtelepha fl. *Colch.* 307
Aſtelephum opp. *Colch.* ibid.
Aſteria inſ. *Rhodus* 25
Aſthæa inſ. *ſub Gedroſ.* 731
Aſtoſaba, Aſtaſobas, Aſtuſapes fluu. *Aethiop.* 959
Aſtragon caſtell. *Cariæ* 90
Aſtrate inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Aſtroth Karnaim *trans Iord.* 532. 533
Aſturicani pop. *Scyth.* 755
Aſtypalæa inſ. *Aſiæ* 21. 24
Aſtyra opp. *Myſ.* 38. 39
opp. *Troad.* 50
Aſtyrenæ Dianæ lucus *Myſ.* 39
Aſylum in inſula Samo 18
Atabyria inſ. *Rhodus* 25
Atabyrii Iouis templum 26. 27
Atabyris mons *inſ. Rhodi* 26
Atabyrium opp. *Galil.* 421
Atargatis deæ fanum 361
Atarnea opp. *Myſ.* 40
Ataroth, Atroth opp. *trans Iord.* 554. 555
Ateia opp. *Syr.* 367
Athach opp. *Iud.* 496
Athar opp. *Iud.* 496
Atharoth, Atroth *Samar.* 452
Atharrabis vide Athribis.
Atharrhabites nomos *Aegypt.* 798
Athenæ opp. *Colch.* 309
Athis opp. *Syr.* 365
Athribis opp. *Aegypt.* 782. 798
fluv. ibidem
Athribiticus nomos *Aegypt.* 798
Athritæ pop. *Arab.* 600
Athrulla opp. *Arab.* 600
Athymbra vrbs *Lydiæ* 121
Atlas mons, maior 934
minor ibid.
Atlantis inſula 967
diſparuit 968
Atoa opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Atramitæ pop. *Arab. fel.* 597
Atropatia, Aropatene regio *Mediæ* 665. ſq.
Atroth Addar *Samar.* 452

Arroth Sophan. opp. *trans Iord.* 555
A'ta vicus *Arab. Fel.* 597
Attalea vide Attalia.
Attalenſes pop. 159
Attalia *Aeol.* 58
Lyd. idid.
Pamphyl. 187
Attanaſſus opp. *Phryg.* 146
Attelebuſſa inſ. *Cilic.* 224
Atteua opp. *Aethiop.* 957
Atticita fl. *Boſpor.* 303
Atticitus fl. *Scyth.* 755
Attiri pop. *Aegypt.* 838. 960
Attyda opp. *Phryg.* 146
Aturia, *Aſſyria* 654
Aturia regio *Aſſyr.* 654
Atyria regio 654
Aualitæ pop. *Aethiop.* 960. 962
Aualites empor. 961
ſinus ibid.
Auara opp. *Arab. Petr.* 588
Auaſis vide Oaſis.
Auchis opp. *Scyth.* 756
Auchiſæ, Afrorum genus 838
Audatha opp. *Arab. Deſ.* 591
Audia opp. *Arab. Petr.* 588
Audira opp. *Af.* 891
Audum promont. & fl. *Mauret.* 919
Audus mons 914
Auera opp. *Syr.* 367
Augala *Mauret. Cæſ.* 923
Auguſta opp. *Cilic.* 205
Augylæ, Augilæ opp. 954
Auguſtada *Phryg.* 146
Auguſtonice, Aguſtamnica prou. *Aegypt.* 783
Auguſtopolis *Cilic.* 205
Auguſtopolis *Phryg* 146
Auim *Iud.* 473
Auitta opp. *Af.* 891
Auium oppidum *Phœnic.* 381
inſula *Aethiop.* 965
promont. *inſ. Taprob.* 752
Auladis opp. *Meſop.* 625
Aulocrene mons *Phryg.* 139
Aulon opp. *Arab.* 575
Aurana opp. *Arab. Deſ.* 591
Auranitis regio *Babyl.* 626. 639
regio *trans Iord.* 528
Aurea regio *Ind.* 749
Auritina opp. *Cyren.* 851
Auſara opp. *Arab. Fel.* 596
Auſigda *Cyren.* 848
Auſinza opp. *Perſ.* 696
Auſira opp. *Iſaur.* 194
Auſitis regio *Arab. Deſ.* 593
Auſtanitis regio *Armen.* 326
Auſtraſius mons *Numid.* 914
Auſtri cornu ſinus *Af.* 942
Auſum opp. *Mauret. Cæſ.* 925
Autoba *Aethiop.* 956
Autolala opp. *Lib. int.* 947
inſ. 941
Autololes pop. *Mauret. Cæſ.* 927. 943. 947
Automala, Automalax caſtell. *Cyr.* 850
Auxacia opp. *Scyth.* 759
Auxacii montes 758
Auxacitis regio 759
Auximis opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Auxiqua opp. *Syrt.* 858
Auxiu opp. *Syrt.* 858
Auxume, Auxumis vrbs *Aethiop.* 960
Auzara opp. *Arab. Deſ.* 591
Auzia, Auzea, Auza opp. *Mauret. Cæſ.* 925. ſq.
Axima *Perſ.* 696
Axius fl. *Syr.* 354
Axome vide Auxume.
Axylis vicus *Marmar.* 842
Aza vrbs *Armen.* 333
Aza vide Gaza.
Aza *Ponti* 286
Azama vrbs *Numid.* 904
Azani vrbs *Phryg.* 125
Azania regio *Aethiop.* 960. 962
Azanitis regio *Phryg.* 125
Azanus fl. *Taprob. inſ.* 752
Azara opp. *Armen.* 328
Boſpor. 303
Scyth. 756
Azara templum Mineruæ 689
Azara opp. *Sarmat.* 756
Azaraba *Sarm.* 756
Azatha *Armen.* 328
Azem opp. *Iud.* 498
Azetene regio *Armen.* 327
Azicis opp. *Marmar.* 845
Aziris opp. *Armen. min.* 335
Azmon opp. *Iud.* 501
Azmorna *Hyrcan.* 707
Azotus ciuit. *Iud.* 505. 508
Azuis fl. *Syrt.* 858

B.

Baala ciuit. *Iud.* 488
Baalath opp. *Iud.* 515
Baalgad opp. *trans Iord.* 407. 525
Baalmeon vicus *trans Iord.* 561
Baalſaliſſa opp. *Iud.* 486

Baalze-

Baalzephon locus *Aegypt.* 804
Baarſares vide Maarſares.
Baaru mons 561
Babba colonia *Mauret. Ting.* 936
Babel, Babylon vrbs 632
Babiba opp. *Lib. int.* 946
Baborana opp. *Paropam.* 720
Babylon *Aegypt.* 787
Chald. 632
eius fata 632. 633
ornamenta 632
Babylonia regio 626
Babylonii pop. *Aethiop.* 960
Babyrſa caſtell. *Armen.* 332
Babyſenga, vide Beſynga.
Bacalitis regio *Aethiop.* 954
Bacchi inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Bacchia opp. *Alban.* 316
Bactra vrbs *Bactrian.* 711
Bactri, Bactrii, Bactriani pop. 711
Bactriana, Bactria regio 711. 712
Bactrus fl. 711
Bacuatæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Badaca vrbs *Elym.* 689
Badanatha *Arab.* 600
Badara *Carman.* 699
Badel vide Bidil.
Badiath opp. *Lib. int.* 949
Bæſon vrbs *Samar.* 437
Batana vrbs *Iud.* 745
Bætarrhus opp. *Palæſt.* 450
Bætius fl. *Arab. Fel.* 595
Bætogabra *Iud.* 519
Baga vide Vaga.
Bagazi opp. *Lib. int.* 946
Bagia promont. *Carman.* 699
Bagiſara opp. *Gedroſ.* 729
Bagous mons *Drang.* 723
Bagrada fl. *Afr.* 886
fl. *Perſ.* 680. 682
Bagradauene 327
Bagrauandene regio *Armen.* 327
Bala opp. *Iud.* 498
Balagæa, Balatæa *Arab. Deſ.* 591
Balanææ opp. *Syr.* 349
Balbura *Lyciæ* 106
Balicha fl. *Meſop.* 6[illegible]
Balipatna *Ind.* 74[illegible]
Ballatha *Meſop.* 625
Balonga vrbs *Ind.* 748
Bambyce opp, *Syr.* 360
Bamoth Baal *trans Iord.* 562
Banabe opp. *Meſop.* 608
Banacha opp. *Arab. Deſ.* 591
Banadedari manſio *Syrt.* 857
Banaſa Valentia colonia *Mauret. Ting.* 936
Banata *Meſop.* 608
Bandobena regio *Ind.* 738
Baniubæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Baniuræ pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Gætuli 943
Barace inſ. *Ind.* 749
Baracura empor. *Ind.* 747
Barate opp. *Lycaon.* 175
Barathena *Arab. Deſ.* 591
Barathia *Syrt.* 856
Baraxmalcha *Meſop.* 611
Baraza *Armen.* 328
Barbaria regio *Aethiop.* 962. 963. ſq.
Barbaricus ſinus 963. 964
Barbariſſus opp. *Syr.* 365
Barcanii pop. *Hyrcan.* 707
Barce vrbs *Cyren.* 848. 851
Barcitæ pop. ibid.
Barda opp. *Sogd.* 718
Bargaſa opp. *Cariæ* 82 87
Bargaſeni pop. ibid.
Bargaza opp. *Cariæ* 87
Bargylia *Cariæ* 80
Bargylietæ pop. 80
Bargylos, vide Bargylia.
Bariana opp. *Meſop.* 625
Baris opp. *Piſid.* 165
fl. *Ind.* 736. 744
Barſampſe opp. *Meſop.* 606
Barſita vrbs *Babyl.* 633
Baruca *Alban.* 316
Barygaza empor. *Ind.* 743
Barygazenus ſinus ibid.
Barzaura *Paropam.* 720
Baſan regio *trans Iord.* 530
Baſara opp. *Galil.* 405
Baſilicus ſinus *Ion.* 77
Baſiliſcæi pop. *Scyth.* 756
Baſiliſſene regio *Armen.* 325
Bata vicus *Boſpor.* 303
Batæ pop. *Ser.* 760
Batana, Batiana *Med.* 669
Batanæa regio *trans Iord.* 522. 530
Bathul vide Bethul.
Bathyræ vicus *trans Iord.* 533
Bathys fl. *Colch.* 309
portus *Aegypt.* 834
Bati pop. *Ind.* 737
Batnæ opp. *Syr.* 615
Batne municip. *Meſop.* 603

Batra-

Batracharta *Chald.* 641
Batrachus, Batracus portus *Marmar.* 842
Battiadæ pop. *Cyren.* 850
Baumæ opp. *Meſop.* 606
Baxala opp. *Meſop.* 625
Bazacata inſ. *Ind.* 752
Bazes *Cappad.* 292
Bazira vrbs *Ind.* 739
Bazium promont. *Aegypt.* 834
Bazra vide Bozra.
Beana, Beona *Babyl.* 634
Beatorum inſula *Aegypt.* 816
Bebryces pop. 240
Bebrycia, *Bithynia* 239
Bechiri pop. *Ponti* 285
Bechis vrbs *Aegypt.* 779
Becius mons *Drang.* 723
Bedirum opp. *Lib. int.* 947
Beelmeon vide Baalmeon.
Beeroth villa *Iud.* 473
Begynæa vide Belgnæa.
Bela opp. *Iud.* 487
Belciana opp. *Aſſyr.* 664
Belgialis inſ. *Aſ.* 21
Belgnæa opp. *Arab. Deſ.* 591
Belias fl. *Meſop.* 621
Bellonæ templum 277
Belus, Beleus riuus *Galil.* 406
Bemmaris opp. *Syr.* 363
Benamerium vicus *Arab.* 574
Bendena opp. *Af.* 892
Ben Hinnon vallis 461
Beniamin tribus oppida 394
Beraba *Ind.* 747
Berabonna empor. *Ind.* 747
Ber, Bera opp. *Iud.* 492
Berecyntes pop. *Phryg.* 148
Berecyntius tractus ibid.
Berecyntus mons 147. 148
Berenice *Aegypt.* 832
Arab. Petr. 584
Cyren. 849
Epidires 837
Panchryſos 836
Berethis opp. *Aethiop.* 957
Bergan opp. *Suſ.* 684
Berge opp. *Syrt.* 858
Beris fl. *Ponti* 274
Berotha *Galil.* 408
Berœa *Syr.* 362
Berſabe *Iud.* 497
Berſabe vicus *Galil.* 430
Berſima *Meſop.* 606
Berytus an *Cypri* vrbs? 238
Berytus *Phœnic.* 378
colonia Felix Iulia ibid.
Beſa vrbs *Aegypt.* 813
Beſachana *Babyl.* 639
Beſara vide Baſara.
Besbicus inſ. *Propont.* 10
Beſek opp. *Iud.* 489
Beſor fl. *Iud.* 520
Beſſara *Aſſyr.* 664
Beſuchis opp. *Babyl.* 638
Beſynga empor. *Ind.* 747
Betaron opp. *Samar.* 449
Beten opp. *Galil.* 407
Bethabara *trans Iord.* 553
Bethagla *Iud.* 494
Bethammaria *Syr.* 363
Bethania *Iud.* 463
Betharaba *Iud.* 473. 481
Betharamphtha *Galil.* 414
Betharan *trans Iord.* 553
Bethauen *Samar.* 453. 464
Bethauna *Meſop.* 609
Beth cherem *Iud.* 476
Beth Diblathaim *Arab.* 574. 575
Beth Hagla *Iud.* 473
Beth Peor, Beth Phogor *trans Iord.* 561
Beth Taphua *Iud.* 495
Beth Zachariæ *Iud.* 478
Bethel *Samar.* 453
Bethlebaoth *Iud.* 498
Bethlehem 474
Bethlehem Iuda 474
Bethlehem Zabul 474
Bethleptephene regio *Iud.* 502
Bethmarcaboth *Iud.* 498
Bethmaûs *Galil.* 218
Bethoron inferior & ſuperior *Samar.* 449
Bethnimra *trans Iord.* 552
Bethphage *Iud.* 463
Bethſan opp. *Samar.* 436. 543
Bethſean idem.
Bethſan, Bethſean opp. Decopolitan. 436. 543
Bethſemes *Iud.* 488
Bethſimoth *trans Iord.* 563
Bethſura *Iud.* 477
Beththana *Chald.* 643
Bethulia *Galil.* 430
Bethzur *Iud.* 476
Betonim *trans Iord.* 558
Betouſa *Meſop.* 613
Betſaida *trans Iord.* 536. 537
Bettigus mons *Ind.* 737

Beudi opp. *Phryg.* 144
Beudos Vetus, opp. *Piſid.* 164
Bezabde caſtell. *Meſop.* 623
Bezeni pop. *Galat.* 151. 159
Bezer ciuit. *trans Iord.* 563
Bezetha collis *Hieroſol.* 458
Bezira vide Bazira.
Biantis patria 73
Bibacta inſ. *Gedroſ.* 731
Bibla, Bilba opp. *Babyl.* 634
Bibliaphorium opp. *Marmar.* 845
Bida colonia *Mauret. Cæſ.* 926
Bidil municip. ibid.
Bigis opp. *Drang.* 725
Bilbana opp. *Arab. Felic.* 597
Bilecha fl. *Meſop.* 620
Bilis, Billæus fl. *Bithyn.* 253
Binda oſtium *Nanagunæ fl.* 736
Bintha opp. *Lib. int.* 947
Biramba opp *Chald.* 643
Birtha, Bithra opp. *Arab. Deſ.* 591
Birtha *Meſop.* 613
Bis opp. *Ariæ* 722
Biſyngetorum regio *Ind.* 747
Bitaxa opp. *Ariæ* 722
Bithaba *Aſſyr.* 658
Bither, Bitter opp. *Samar.* 450
Bithias opp. *Meſop.* 614
Bithiga *Meſop.* 625
Bithra *Babyl.* 591
Bithynia 240
Bithynia mediterranea 254
Bithyniæ promont. 247
Bithynium opp. 258
Biyt opp. *Arachoſ.* 725
Bizaceni pop. vide Byzacium.
Blæandrus opp. *Phryg.* 131
Blemmyes, Blemyes opp. 954. ſq.
Blucium caſtell. *Galat.* 157
Bne Barak opp. *Iud.* 515
Bocanum Hemerum opp. *Mauret. Ting.* 936
Bocchyris opp. *Marmar.* 845
Bœnaſa *Ponti* 286
Bœthautha *Meſop.* 609
Bogadia *Ariæ* 722
Boiamba opp. *Gedroſ.* 729
Bolagaſus *Babyl.* 633
Bolbene regio *Armen.* 325
Bolbitine opp. *Aegypt.* 777. 778
Bolbitinum *Nili oſt.* 777
Bolbulæ inſulæ *ad Epheſ.* 16
Bolelaſgum opp. *Galat.* 154
Bolitæ pop. *Paropam.* 720
Bonæ fortunæ inſula *Ind.* 752
Bonchæ pop. *Meſop.* 619
Boon opp. *Ponti* 274
Booſura *Cypri* 233
Boreum promont. *Cyren.* 849. 850
promont. *inſ. Taprob.* 752
Borſippa, Borſippus *Babylon.* 633. 634
Borſippenorum ſecta ibidem
Boſor vide Bozra & Bezer.
Boſor opp. *trans Iord.* 541
Boſporani pop. 301. 304. 305
Boſporus 246
Boſporus Cimmerius 247
Thracius 8. 246
Boſtra *Arab. Petr.* 588. 589
Boſtra, Botrys opp. *Phœnic.* 376
Bothnim vide Betonim.
Bouis aureæ fanum 403
Boum opp. *Aethiop.* 956
Bouta opp. *Lib. int.* 947
Boziata *Alban.* 316
Bozra *Arab.* 579
Brachmanes philoſophi *Ind.* 737. 746
Brachme opp. *Ind.* 746
Bramma opp *Ind.* 749
Branchidarum oraculum 76. 77
Breiſſus opp. *Armen.* 329
Brias opp. *Piſid.* 170
Briſoana fl. *Perſ.* 680. 682
Briula opp. *Lydiæ* 122
Brixia fl. *Elym.* 687
Brizaca *Armen.* 328
Brizana fl. *Perſ.* 680. 682
Brolingæ pop *Ind.* 737
Bryorum litus *Cyren.* 849. 850
Bubaſtis, *Diana* 787
opp. *Aegypt.* 787
Bubaſtites nomos *Aegypt.* 787
Bubaſtus opp. *Aegypt.* 787. 805
Bubon opp. *Lyciæ* 105. ſeq.
Bubulcorum oppidum *Galil.* 427
Bucephala vrbs *Ind.* 740
Bucolicum oſtium *Nili* 776
Bullaminſa opp. *Afr.* 891
Bulla regia *Numid.* 906
Bullaria ibid.
Bumadus fl. *Aſſyr.* 660
Bumellus idem fl. 660
Bunobora opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Bura opp. *Meſop.* 623
Burca fl. *Boſpor.* 304
opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Buſiris vrbs *Aegypt.* 764. 798

Buſiriticus fluuius *Aegypt.* 783. 784
Buſiriticus nomos *Aegypt.* 798
Buſitis regio *Arab. Deſ.* 593
Buthurus opp. *Lib. int.* 947
Butta *Syrt.* 862
Butus vrbs *Aegypt.* 781
Buzara mons *Numid.* 914
Buzes pop. *Marmar.* 845
Byblus vrbs *Phœnic.* 376
Byitæ pop. *Sogd.* 713
Byrſa arx *Carthag.* 885
Byzacena vide Byzacium.
Byzacii mediterranea 872
Byzacina, Byzacia opp. 874. 875
Byzacium regio *Afr.* 865 866. 867
Byzantium *Ind.* 744
Byzeres pop. *Ponti* 285

C.

Cabalaca opp. *Alban.* 316
Cabalia regio *Lyciæ* 105
Cabana *Gedroſ.* 729
Cabandene regio *Suſ.* 683
Cabaſa opp. *Aegypt.* 780
Cabaſites nomos *Aegypt.* 797
Cabaſſus *Cappad.* 297
Cabira vrbs *Ponti* 281
Cabolitæ opp. *Paropam.* 720
Cabuta opp. *Paropam.* 720
Cacidari pop. *Scyth.* 757
Cacobæ pop. *Ind.* 749
Cademoth vide Kedemoth 561
Cades deſertum *Arab. Petr.* 587
opp. ibid.
opp. *Iud.* 502
Cadesbarnea opp. *Arab. Petr.* 587
Cadi opp. *Lydiæ* 118
opp. *Phryg.* 126. 127
Cadmonæi pop. *Chanan.* 568
Cadmus mons *Phryg.* 132
Cadruſi pop. *Paropam.* 720
Cadupi pop. *Aethiop.* 957
Caduſii pop. *Med.* 665. 666
Caduſiorum vallum 666
Cadyna opp. *Cappad.* 291
Cadytis vrbs *Iud.* 456
Cæcilia, vide Cecilia.
Cæcorum oppidum *Bithyn.* 245
Cædeſa opp. *Galil.* 408
Cælici pop. *Med.* 665
Cæne opp. *Aegypt.* 824
Cænon Ydreuma opp. *Aegypt.* 833
Cænopolis *Cyren.* 851
Cæſæ Caluenti 919
Cæſani pop. *Arab.* 600
Cæſarea ad Anazarbum *Cilic.* 217
Cæſarea *Armen. min.* 334
Bithyn. 254
Cappad. 293
Mauret. Cæſ. 916. 920
Ting. 932
Palæſt. 440. 441
Panias *trans Iord.* 526
Philippi *trans Iord.* 527
Piſid. 161
Stratonis 440
Caïcus fl. *Myſ.* 40. 41
Caina fl. *Ind.* 736
Calach vrbs *Aſſyr.* 658
Calacina, Calachena regio *Aſſyr.* 654. 658
Calacine, Calachene eadem.
Calama *Gedroſ.* 729
Numid. 912
Calamos opp. *Phœnic.* 378
Calathe inſ. *ad Numid.* 915
Calathuſa *Arab. Deſ.* 591
Calbis fl. *Cariæ* 85
Cales empor. *Bithyn.* 251
Calindici montes *Cariæ* 86
Calingæ pop. *Ind.* 746
Calingii pop. *Arab.* 600
Calitæ pop. *Lib. int.* 949
Callica *Bithyn.* 260
Callicolona collis *Troad.* 46
Calligicum promont. *Ind.* 744
Callii opp. *Marmar.* 845
promont. 840
Callinicum opp. *Meſop.* 607
Callinuſa promont. *Cypri* 227
Calliope opp. *Parth.* 702. 704
Callirrhoe fons *trans Iord.* 566
opp. ibid.
Meſop. 614
Calliſtratia *Paphlag.* 265
Calpas fl. *Bithyn.* 247
portus ibid.
Calpe columna Herculis 930
Caltioriſſa opp. *Armen.* 335
Calum flum. *Colch.* 309
Calycadnus fl. *Cilic.* 199
promont. ibid.
Calydnæ inſulæ *Aſiæ* 11
Calydnus vide Calycadnus.
Calymna inſ. *Aſiæ* 21
Calymna vrbs *Cariæ* 86
Calynda, Calinda vide Calymna.
Camacæ pop. *Scyth.* 757

Camæ pop. ibid.
Cambalidus mons *Elym.* 688
Camberichum oſtium *Gang fl.* 736. 747
Cambuſum oſtium ibid.
Cambyſæ ærarium *Aethiop.* 956. ſq.
Cambyſene regio *Armen.* 324
Cambyſes fl. *Alban* 313
Cambyſis fl. *Med.* 665. 667
Cambyſis ærarium *Aethiop.* 956
Camechia *Alban.* 316
Camelides inſulæ *Af.* 21
Camelobosci pop. *Carman.* 700
Camirus vrbs *inſ. Rhod.* 25. 27
Camiſene vide Cominſine.
Campeſtria Moab, *trans Iord.* 559
Cana fl. *Iud.* 520
Cana Galilææ 412. 413
  maior ibid.
  minor ibid.
Cana promont. *Aeol.* 54
Canæ mons 54
Canariæ inſulæ 937. 969
Canas opp. *Lyciæ* 105
Canatha *trans Iord.* 547
Candace opp. *Ariæ* 723
Candaces regia 956. 957
Candari pop. *Sogd.* 713
Candei pop. *Troglodyt.* 838
Candidum promont. *Afr.* 880. 890
Candyba *Lyciæ* 107
Cane empor. *Arab. Fel.* 596
Canna opp. *Lycaon.* 174
Canopicum oſt. *Nili* 777
Canopus vrbs *Aegypt.* 772. 777
Cantacoſſyla empor. *Ind.* 745
Canthapis opp. *Carman.* 699
Canthi ſinus *Ind.* 749
Canuccis, vide Gunugi.
Canum vrbs vide Cynopolis.
Caparcelis opp. *Cappad.* 295
Caparcotia *Galil.* 430
Caparnaum *Galil.* 430
Capatiana Phrygia vide Pacatiana.
Capernaum *Galil.* 414. ſq.
  fons *Galil.* 416
Capha mons *Lib. int.* 949
Caphar Amonai *Iud.* 473
  Carnaim *trans Iord.* 533
Capharath vicus *Galil.* 430
Capharſaba campus *Samar.* 448
Capharſabe vicus 448
Caphtor inſ. *Iud.* 504
  opp. *Aegypt.* 807. 808
Caphtoræi pop. *Philiſt.* 504
Caphtorim iidem.
Capiſa vrbs *Paropam.* 720
Capiſſene regio ibid.
Capitolias opp. *trans Iord.* 535
Capotana *Ariæ* 722
Capotes mons *Armen.* 323
Cappadocia 288
Cappadocia magna 288
  propria ibid.
  ad Taurum 288
Cappadociæ præfecturæ 288
Cappadoces pop. 282. 300
Cappadox fl. 283. 300
Capraria inſula 938
Capria lacus *Pamphyl.* 188
Caprus, Caper, fl. *Phryg.* 132. 148. 655
Capſa opp. *Af.* 875
  Lib. int. 947
  Numid. 913
Capſael *Iud.* 501
Capſitani pop. *Numid.* 915
Caraga *Af.* 876
Carambis opp. *Paphlag.* 264
  promont. ibid.
Caranitis præfectura *Armen.* 326
Caranus nauale *Syr.* 350
Carape opp. *Armen. min.* 335
Cararus opp. *Af.* 876
Caraſſus opp. *Piſid.* 170
Caratæ pop. *Sogd.* 718
Carcaa *Iud.* 500. 501
Carcaria *trans Iord.* 556
Carcathiocerta *Armen.* 331
Carchemis opp. *Meſop.* 608
Carchuci pop. *Med.* 665
Carcoma *Mauret. Cæſ.* 920
Cardamene inſ. *Arab. ſinus* 601
Cardamine eadem *Troglod.* 834
Cardaua opp. *Arab. Fel.* 597
Cardiuchii montes 664
Careorum regio *Ind.* 737
Carepula opp. *Mauret. Cæſ.* 920
Cares pop. *Aſiæ* 79
Careſenia regio mont. *Troad.* 51
Careſus fl. ibid.
Caretha inſ. *Cil.* 224
Caria regio 78
Caria mediterranea 87
Caria opp. *Phryg.* 143
Cariata *Bactrian.* 712
Cariathaim opp. *trans Iord.* 561
Carii Iouis fanum 92

Carima

Carima opp. *Galat.* 154
Carina regio *Med.* 671
opp. ibid.
Carina opp. *Phryg.* 143
Carine opp. *Med.* 671
Carioth opp. *Arab.* 574
Caripraca *Parth.* 704
Caris inſ. *Cos* 22
Caris vrbs *Phryg.* 143
Cariſſa *Galat.* 158
Carith vide Crith.
Carmana vrbs 699
Carmania regio 697
deſerta ibid.
Carmanium mare 697
Carmel opp. *Iud.* 483
Carmelus mons *Galil.* 428
opp. ibidem.
Carminna, Carmana inſ. *Ind.* 700
Carmyleſſus opp. *Lyciæ* 103
Carna, Carana vrbs *Arab.* 598
Carne opp. *Syr.* 349
Carnon opp. *Arab.* 598
Carnus opp. *Arab.* 597
Carpaſia *Cypri* 228
Carpaſiæ inſulæ 228
Carpathii, *incolæ inſ.* 23
Carpathium mare 23
Carpathos inſ. ibid.
Carpella promont. *Carman.* 699
Carpis, Carpi opp. *Af.* 883
Carra fl. *Meſop.* 616
Carræ opp ibid.
Carrei pop. *Arab.* 600
Carrenorum colonia 617
Carrita opp. *Arab.* 600
Carta opp. *Hyrcan.* 706
Cartenna colonia *Mauret. Cæſ.* 920
Cartennus fl. ibid.
Carthago 884
Carthago colonia Romana 885
Carthara *Meſop.* 614
Caruanis *Ponti* 286
Carura *Ind.* 745
Phryg. 135
Caruſa vrbs *Paphlag.* 268
Carya opp. *Cariæ* 86
Caryanda inſ. *Cariæ* 21
Caſæ villa Aniciorum, *Syrt.* 859
Caluenti *Mauret. Cæſ.* 919
Nigræ opp. *Numid.* 914
Caſama *Syr.* 367
Caſandra inſ. *Perſ.* 696
Caſape opp. *Hyrcan.* 707
Casbia *Lycaon.* 174
Casbon opp. *trans Iord.* 541
Caſia regio *Scyth.* 759
Caſiorum inſulæ *Aegæi* 24
Caſiotis, Caſſiotis, tractus *Aegypt.* 789
Caſiotis regio *Syr.* 350
Caſium, Caſſium opp. *Aegypt.* 789. ſq.
Caſius fl. *Alban.* 313
Caſius mons *Aegypt.* 790
mons *Scyth.* 758
mons *Syr.* 347
Caſos inſ. *Aegæi* 23
Caſpiæ portæ 672
Caſpiana regio 315
Caſpii pop. ibid.
Caſpium mare 674
an ſinus Oceani? ibid.
quæ eius figura? 674
Caſpius mons duplex 673
Caſſipolis *Cilic.* 209
Caſtabala opp. *Cilic.* 220
opp. *Cappad.* 289. 292
Caſtra Germanorum *Mauret. Cæſ.* 920
Caſus inſ. *Aſ.* 23
Caſſyrus mons *Elym.* 688
Caſyſte portus *Ion.* 65
Catabanum vrbs *Arab.* 599
Catabathmus magnus *Marmar.* 841
paruus 845
Catada fl. *Afr.* 883
Catadupa, catarractes Nili 822
Catadupi Aethiopes 822. 957
Catæa inſ. ad *Carman.* 700
Cataonium promont. *Marmar.* 841
Catæmane opp. *Cyr.* 340
Catanii pop. *Arab. Deſ.* 591
Cataonia pars *Cappad.* 295
Cataonia præfectura *Cappad.* 295
Catarractes fl. *Pamphyl.* 186. 187
Catarractæ Nili 822. 828. 955
Catarractes maior 955
minor 828
Catarzene regio *Armen.* 324
Catathræ inſulæ *Arab. ſin.* 837
Catennenſes pop. *Piſid.* 170
Cathæi pop. *Ind.* 741
Catharon promont. *Lib. int.* 946
Catigara ſtatio *Sinarum* 749
Cauana opp *Arab. Fel.* 596
Caucaſiæ portæ 312
Caucaſus mons 312. 719. 720
Cauchæ campi 635

Caucha-

Cauchabeni pop. *Arab. Deſ.* 591
Caucones pop. *Bithyn.* 240. 250
Cauda bouis promont. *Cypri* 228
Caudriacus fl. *Carman.* 699
Cauni pop. *Mauret. Ting.* 936
Caunius amor 86
Caunus opp. *Cariæ* 85. 86
Cauphiaca *Perſ.* 696
Cayſter, Cayſtros fl. *Ion.* 69
Cayſtriani campi *Lydiæ* 118
Cayſtrius ales 70
Cayſtrius campus *Ion.* 70
Cea inſ. *Cos* 21
Cebanitæ pop. *Arab.* 598
Cebrene opp. *Troad.* 47
Cebrenia regio 47
Cecilia *Syr.* 343
Cedar regio *Arab. Petr.* 586
Cedaſa, Kedes, *Galil.* 408
Cedmonæi pop. *Chanaan* 568
Cedrei pop. *Arab. Petr.* 586
Cedron opp. *Iud.* 493
 vallis 460. 461
Cedroſia vide Gedroſia.
Céila villa *Iud.* 491. 494
Celænæ vrbs *Phryg.* 136. 137
Celæma opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Celenderis opp. *Cilic.* 198
Celenderitis regio ibidem
Celida *Cyren.* 851
Cellæ vicus *Afr.* 871
Cellia *Aegypt.* 796
Cendeuia palus *Palæſt.* 429
Cenezæi, Kenizæi pop. *Chanan.* 567
Centa opp. *Mauret. Ting.* 935
Ceparum promont. *Cypri* 227
Ceperaria *Iud.* 519
Cephalæ promont. *Syrt.* 856
Cephene regio *Armen.* 325
Cepi opp. *Boſpor.* 302
Ceramicus ſinus *Cariæ* 24. 82
Ceramus opp. *inſ. Arconneſ.* 24
 opp. *Cariæ* 82
Ceranæ opp. *Phryg.* 143
Ceraſtis inſ. *Cyprus* 225
Ceraſus opp. *Ponti* 275
Ceraunii montes 312. 754
Cerbica opp. *Afr.* 891
Cercaſorum vrbs *Aegypt.* 775. 810
Cercetæ pop. *Boſpor.* 303
Cerceticus portus ibid.
Cercina inſ. *mar. Syrt.* 864
Cercinitis inſ. ibid.
Cercuſium opp. *Meſop.* 607
Cereris ſpecula promont. *Aegypt.* 834
Ceretapa *Phryg.* 145
Cerne inſula 939
 incerti ſitus 939. ſequ. & 966
Ceronia, vide Cerynia.
Ceruarum inſula *Aſ.* 9
Cerynia opp. *Cypri* 228
Ceſtros fl. *Pamphyl.* 187. 188
Cetæum promont. *Taprob.* 752
Chabala opp. *Alban.* 316
Chaberus fl. *Ind.* 736. 745
Chaberis empor. *Ind.* 745
Chabon *Iud.* 501
Chabora caſtell. *Meſop.* 607
Chaboras fl. *Meſop.* 608. 616
Chabriæ pagus *Aegypt.* 773
Chabul terra 402
Chabulo vicus *Galil.* 427
Chadaca *Alban.* 316
Chadiſia *Syr.* 273
 fl. 273
Chænides pop. *Scyth.* 756
Chala opp. *Aſſyr.* 663
Chalach vide Calach.
Chalca inſ. *Hyrc. maris* 707
Chalce inſ. Aſiæ citer. 24
Chalcedon vrbs *Bithyn.* 245
Chalcedonium fanum 246
Chalcia inſ. Aſiæ citer. 23
Chalcidene, Chalcidica regio *Syr.* 363
Chalcis vrbs *Syr.* 363
Chalcis ad Belum vrbs *Syr.* 354. 364
Chalcitis regio *Ind.* 749
 regio *Meſop.* 603
Chalcorychii montes *Mauret. Cæſ.* 927
Chaldæa regio 626. 639
Chaldæa & Babylonia an eadem 639
Chaldæi pop. *Pont.* 284
Chaldaici lacus 640
Chalep vrbs *Syr.* 362
Chali opp. *Galil.* 405
Chalonitis regio *Aſſyr.* 654. 663
Chaltapetis regio 683
Chalybia *Ponti* 273
Chalybes pop. *Paphlag.* 266
 pop. *Ponti* 283
Chalybon vrbs *Syr.* 365
Chalybonitis præfect. ibid.
Chamane præfect. *Cappad.* 294
Chamath, *thermæ Galil.* 218
Chanaan terra 390
Chananæa, eadem.

Chananææ priſci habitatores 567
Chananæi pop. 568
Chaonia *Syr.* 341
Charabe vicus *Galil.* 409
Characa, Charax opp. *Med.* 671. 703
Characene regio *Suſ.* 683. 684
Charadrûs caſtell. *Cilic.* 197
Charadrus portus *Syr.* 347
Charauni pop. *Scyth.* 759
Charax *Armen. min.* 335
Lydiæ 120
Paſinæ *Suſ.* 685
Syrt. 855
Charien fl. *Colch.* 307
Charindas fl. *Med.* 665
Chariphi oſt. *Ind. fl.* 743
Chariſtus fl. *Colch.* 307
Charis opp. *Parth.* 704
Charitum mons *Syrt.* 856
Charmodara *Syr.* 340
Charoneæ ſcrobes *Phryg.* 134
Charonium antrum *Lydiæ* 121
Charran *Meſop.* 617
Charta opp. *Meſop.* 614
Chaſira *Armen.* 329
Chatracharta *Aſſyr.* 662
Chatramotitæ pop. *Arab.* 599
Chaurana *Scyth.* 759
Chaurina *Ariæ* 722
Chaus fl. 143
Chebar, vide Chobar.
Chebron, vide Hebron.
Chelidoniæ inſulæ *Lyciæ* 223
petræ 223. 224
Chelidonium promont. 97. 224
Chelonidæ paludes *Lib. int.* 949
Chelonitides inſulæ *Arab. ſin.* 837
Chelonophagi pop. *Carman.* 698. ſq.
Æthiop. 962
Chemnis, Chennis opp. *Ægypt.* 823
Chenereth vide Cinereth.
Chenoboſcia, Chenoboſcion *Ægypt.* 824
Cherſeus fl. *Samar.* 440
Cherſis vicus *Cyren.* 847
Cherſoneſus Aurea *Ind.* 748
magna *Marmar.* 842
parua *Ægypt.* 767
Cheſium promont. *inſ. Sami* 18
Cheſius fl. ib.
Chettæa *Marmar.* 840
Chezib, vide Achzib.
Chimæra mons *Lyciæ* 102
vallis ibid.
Chimus vicus *Ægypt.* 767
Chinaphal, Chinalaph fl. *Mauret. Cæſ.* 920. 926
Chios inſ. *Ægæi* 15
vrbs inſulæ ibid.
Chiſon fl. *Galil.* 429
Chizala opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Chnubis, Chnumis opp. *Ægypt.* 826
Choana *Bactr.* 704. 712
Choani pop. *Arab.* 600
Choarena ſ. Choroane, regio *Parth.* 701
Choaſpa *Arachoſ.* 725
Choaſpes fl. 676. 682
Choaſpes fl. *Perſ.* 676. 682
fl. *Ind.* 733. 734
Choatra mons *Med.* 664
Choatres fl. *Parth.* 704
Chobar alueus *Euphrat.* 627. 630
Chobat opp. *Mauret. Cæſ.* 919
Chobata *Alban.* 316
Choce opp. *Arab. Deſ.* 591
Chodda *Carman.* 699
Choës, Coas *Ind.* 733
Cholbeſina *Sogd.* 714
Cholle opp. *Syr.* 367
Cholmadara *Syr.* 340
Cholobetena regio *Armen.* 327
Choloë *Ponti* 286
Cholua *Armen.* 328
Choluata *Armen.* ibid.
Choma *Lyciæ* 107
Choraſmii pop. *Sogd.* 713. 718
Chorazin *Galil.* 414
Chordyle opp. *Colch.* 309
Choroane, Chorena regio *Parth.* 701
Chorochoad opp. *Arachoſ.* 725
Choromithrene regio *Med.* 671
Chorſa *Armen.* 329
Chorſabia *Armen. min.* 335
Chorzene regio *Armen.* 324
Chrabaſa *Afr.* 891
Chrindi pop. *Hyrcan.* 706
Chryſa opp. *Myſ.* 38
Chryſaorei Iouis fanum 90
Chryſe inſ. *Ind.* 752
Chryſopolis *Bithyn.* 246. 261
Chryſoana fl. *Ind.* 748
Chryſorrhoa fl. *Colch.* 307
Chuduca *Chald.* 643
Chullu vide Cullu.
Chumana opp. *Chald.* 643
Churitæ pop. *Lib. int.* 949
Chus, Chuſch terra vbi? 951. 952

Chuſaris fl. *Libyæ int.* 946
Chuzis opp. *Syrt.* 863
Chyſemath fl. *Maur.* 921
Chytrium locus *Ion.* 63
Chytrus opp. *Cypri* 234
Ciaca opp. *Cappad.* 299. 300
Ciæna *Galat.* 159
Cianus ſinus *Bithyn.* 241
Cibyra ciuitas *Phryg.* 134
  minor *Pamphyl.* 191
  parua ibid.
Cibyraticus conuentus 134. 135. 180
Ciciſa opp. *Afr.* 892
Cigiſa, eadem, *Afr.* 892
Cilbiana iuga *Ion.* 70
Cilbiani campi *Lydiæ* 118
  populi ſuperiores 119
  inferiores ibid.
Cilices pop. *Myſ.* 41
Cilicia 195
Cilicia Aſpera 196
  Campeſtris 206
  propria ibid.
  Trachea, vide Aſpera.
Cilicia præfectura *Cappad.* 293
Ciliciæ pylæ 211. 213. 223
Cilicum inſula 274
Cilio, Cilium opp. *Afr.* 892. 894
Cilla opp. *Myſ.* 39
Cilluta inſ. *Ind.* 749
Cilma opp. *Afr.* 891
Cimbricus pagus *Boſpor.* 303
Cimmeris opp. *Myſ.* 38
Cimmerium opp. *Boſpor.* 301. 302
  promont. ibid.
Cimolis empor. *Paphlag.* 266
Cina *Galat.* 159
Cina *Iud.* 501
Cinaborium opp. *Phryg.* 146
Cinæi pop. *Chanan.* 567
Cinereth lacus *Galil.* 409
Cinereth mare, idem 411
  opp. ib.
Cinethii, Cinithii pop. *Syrt.* 863
Cingilla opp. *Syr.* 338. 344
Cinna opp. *Perſ.* 696
Cinnamomifera regio *Æthiop.* 962
Cinolis empor. *Paphlag.* 265
Cinſternæ opp. *Syrt.* 856
Cinyphus fl. *Syrt.* 856
Cinyphus fl. *Lib. int.* 947
Cinyps fl. ibid.
  regio ibid.
Cinyps vrbs 862
Cinyria opp. *Cypri* 236
Cipipa *Afr.* 891
Circæum opp. *Colch.* 307
Circeſium, Circeſſus, vid Cercuſium.
Ciriphe opp. *Chald.* 643
Cirua mons *Afr.* 892
Cirradæ pop. *Sogd.* 713
Cirta vrbs *Numid.* 902. ſq. 905
Cirta Sittianorum colon. ibid.
Cirta Iulia ibid.
Cirtenſis fluuius 905
Cirteſiorum regio *Numid.* 900. 905
Ciſi, Ciſſe municip. *Mauret. Cæſ.* 919
Ciſſa fl. *Colch.* 309
Ciſſia regio 684
Ciſſii pop. *Suſ.* 682
Ciſthena opp. *Myſ.* 38
Ciſthene inſ. *Cilic.* 224
Ciſternæ opp. *Syrt.* 856
Citamum opp. *Armen.* 328
Citium opp. *Cypri* 231
Cius fl. *Bithyn.* 241
  opp. ib.
Ciza opp. *Arab. Petr.* 588
Cizara *Cappad.* 295
Clarii Apollinis fanum 66. 67
Claros lucus *Ion.* 67
  mons 68
  opp. ibid.
Claudias opp. *Cappad.* 296
Claudiopolis *Bithyn.* 194. 258
  Cappad. 195. 295
  Galat. 158
  Iſaur. 194. 195
Clazomenæ vrbs *Ion.* 63
  peninſula ib.
Cleopatris opp. *Ægypt.* 793
Cletharro opp. *Arab. Petr.* 588
Clibanus opp. *Iſaur.* 194
Clides inſulæ ad *Cypr.* 229
  promont. 229
Climax mons *Lyciæ* 99
  opp. *Marmar.* 845
  caſtellum *Paphlag.* 264
Clitæ opp. *Bithyn.* 261
Clitarum natio *Cilic.* 205
Cluacaria, Clucar, opp. *Afr.* 892
Cludros fl. *Phryg.* 130
Clupea, Clypea vrbs *Afr.* 881. ſeq.
Clyſma caſtell. *Ægypt.* 834
Clyſtrus opp. *Cilic.* 203
Cnidia Venus 83

Cnidus vrbs *Cariæ* 83
an *Cypri* vrbs? 237
Coæ veſtes 22
Coara opp. *Syr.* 364
Coas fl. *Ind.* 733
Cobe empor. *Aethiop.* 963
Cobii vicus *Aegypt.* 768
Cobucla opp. *Mauret. Ting.* 930
Cobus fl. *Boſpor.* 304
Cocala *Gedroſ.* 729
Ind. 745
Cocconagæ pop. *Ind.* 737
Cocconagi inſulæ *Arab.* 601
Coccoranagora opp. *Ind.* 749
Coche opp. *Babyl.* 612. 637
Cocuſus vide Cucuſus.
Codane inſ. ſub *Gedroſ.* 731
Cœlæ inſulæ *Troad.* 10
Cœle Syria regio 368
Colaſſa vide Coloſſæ.
Colbuſa *Bithyn.* 245
Colchi vrbs *Ind.* 744
Colchicus ſinus ibid.
Colchis regio *Pontica* 305
Colchis propria ibid.
Coli opp. *Ind.* 748
Coliaci pop. *Ind.* 744
Colica gens *Boſpor.* 304
Colinia inſ. *Cyprus* 225
Colis, Colias, Coliacum, promont. *Ind.* 744
Collops magnus *Numid.* 901
paruus ibid.
Colobi pop. *Aethiop.* 838. 960
Colobôn terminus, prom. 835. 960
Coloë opp. *Aethiop.* 960
Colonæ opp. *Myſ.* 33
Troad. 46. 50
Coloniæ Tyro deductæ 381
Colophon vrbs *Ion.* 67. 68
an Homeri patria? 68
noua 68
vetus ibid.
Colorina *Arab. Deſ.* 591
Coloſſæ vrbs *Phryg.* 132
Coloſſus inſulæ Rhodi 28
Colta opp. *Gedroſ.* 729
Columnarum fretum 930. ſeq.
Coluſſa *Paphlag.* 268
Comana *Cappad.* 295
Ponti 277
Piſidiæ 165
Comari pop. *Scyth.* 718
Comaria opp. *Ind.* 744
Comaria promont. 744
Comba *Lyciæ* 104
Combana *Carman.* 699
Combuſta inſ. *Arab. Fel.* 601
Comedæ pop. *Scyth.* 718
Comenſes pop. *Galat.* 159
Cominſine regio *Parth.* 791
Comiſena regio *Armen.* 325
Commagene regio *Syr.* 337
Commoris vicus *Cilic.* 221
Comopolis *Aſſyr.* 664
Comoſogana vicus *Galil.* 430
Conane vide Comana.
Conapſeni pop. *Scyth.* 755
Condochates fl. *Ind.* 736
Cone, vide Conna.
Coniaci, vide Coliaci.
Conica *Paphlag.* 270
Coniopolis vide Conna.
Conna *Phryg.* 130
Conopeius lacus *Ponti* 271
Conſtantia vrbs *Iud.* 512
Conſtantina, Conſtantia *Meſop.* 606
Contra-Ombos locus *Aegypt.* 829
Conuallis inſ. *Fortun.* 938
Conuentus I X *Aſiæ* 180
Copar vicus *Arab. Fel.* 595
Cophanta opp. *Carman.* 699
portus ibid.
Cophes, Cophen fl. *Ind.* 733. 734
Copratas fl. *Perſ.* 678
Coptites nomos *Aegypt.* 824
Coptos, Coptus vrbs *Aegypt.* 824
Cor Aſan vicus *Iud.* 496
Corace opp. *Arab. Petr.* 588
Coraceſium *Cilic.* 196
Coralla opp. *Ponti* 276
Corancali pop. *Ind.* 749
Coranitæ pop. *Arab.* 600
Corax fl. *Boſpor.* 304
Coraxii montes *Armen.* 322
Coraxorum gens *Boſpor.* 304
Corbaſa *Piſid.* 171
Corbeûs, Corbeunca opp. *Galat.* 153
Corbiana præfect. *Elym.* 688
Corduene regio *Armen.* 324. 327
Cordyeni pop. *Armen.* 324
Cordyla portus *Ponti* 276
Core opp. *Cypri* 232
Coreæ locus *Iud.* 464
Coreua, Choreua *Af.* 892. 893. 894
Corgatha *Ind.* 748
Corica vide Colica.

Corinea

Corinea regio *Armen.* 327
Corineum *Cypri* 232
Corius fl. *Carman.* 698
Cormaſa *Piſid.* 165
Corna *Lycaon.* 174
Corne opp. *Cappad.* 295
Cornelia caſtra *Afr.* 886
Corocondama inſ. *Boſpor.* 301
vicus ibid.
Corocondametis lacus 301
Corolia *Arab. Fel.* 597
Coromanis opp. *Arab. Fel.* 597
Coronus mons *Med.* 665
Coropaſſus vicus *Lycaon.* 172. 176
Corrha opp. *Armen.* 328
Corte, Cortia Prima, *Aegypt.* 830
Corus vide Cyrus.
Coruſia *Scyth.* 756
Cory inſ. *Ind.* 749. 751
promont. 744
Corycus opp. *Cilic.* 200
mons *Ion.* 65
portus *Ion.* 64
Corycæi, prædones *Ion.* 65
Coryceon promont. ibid.
Corycius ſpecus *Cilic.* 200
Corycum litus *Lyciæ* 98
promont. *Cilic.* 200
Corydalla *Lyciæ* 104
Corydela petra 223
Corymbia inſ *Rhodus* 25
Coryna opp. *Ion.* 64
Corynæum promont. *Ion.* 64
Cos inſula 21. 22
opp. 22
Coſamba *Ind.* 745
Coſcinia pagus *Cariæ* 88
vicus *Lyd.* 122
Coſoagus fl. *Ind.* 736
Coſſæa regio *Perſ.* 690
Coſſæi pop. 675. 682. 690
Coſſoanus fl. *Ind.* 736
Cotæa regio *Armen.* 327
Cotamba opp. *Perſ.* 696
Cotes, Cottes promont. *Mauret. Ting.* 932
Cothon portus *ad Adrumetum* 868
portus *Carthag.* 885
Cotiaris fl. *Ind.* 749
Cotieri pop. *Scyth.* 757
Cotomana opp. *Armen.* 328
Cotta opp. *Mauret. Ting.* 932
Cottiara vrbs *Ind.* 744
Cottobara *Gedroſ.* 729
Cottobara *Ind.* 745
Cotyaeium *Phryg.* 126
Cotyora *Ponti* 275
Cozola *Armen.* 328
Cragus mons *Lyciæ* 101
vrbs *Lyciæ* ibid.
petra *Cilic.* 196
promont. *Cariæ* 79
Crambuſa inſ. *Cilic.* 225
opp. *Lyciæ* 98
Crapathus, vide Carpathus.
Craſus opp. *Phryg.* 146
Cratia *Bithyn.* 259
Cremaſea *Cypri* 237
Cremna colonia *Piſid.* 166
Crenides locus *Bithyn.* 252
Creſium opp. *Cypri* 237
Creſſa portus *Cariæ* 84
Cretopolis *Piſid.* 170
Critali opp. *Cappad.* 300
Crith fl. *Ind.* 520
Crobialum opp *Paphlag.* 263
Crocala inſ. *Gedroſ.* 731
Crocodilorum oppidum *Galil.* 427
vrbs *Heptan. Aegypt.* 810
Theb. Aegypt. 818
Crocodilus mons *Cilic.* 211
Crommyu acris, promont. *Cypri* 227
Cromna opp. *Paphlag.* 262. 264
Cruſa inſ *ſin. Ceram.* 25
Cryptos inſ. *Cyprus* 225
Cteſiæ patria 238
Cteſiphon vrbs *Aſſyr.* 663. 664
Ctiliana opp *Mauret. Ting.* 935
Cuballum caſtell. *Galat.* 159
Cubena *Armen.* 328
Cucunda *Boſpor.* 304
Cucuſus opp. *Cappad.* 292
Cuiculi opp *Numid.* 910
Culcua colonia *Numid.* 905
Cullu opp. *Numid.* 902
Culucitanæ portus *Numid.* 902
Cuma vide Cyme.
Cumania caſtell. *Iber.* 313
Cuni opp. *Gedroſ.* 729
Cuphe opp. *Lib. int.* 948
Curias promont. *Cypri* 233
Curium opp. *Cypri* ibid.
Curubis, Curobis, Curabis ciuit. *Afr.* 880. 881
Cuſa fl. *Mauret. Ting.* 934
Cuſſæi vide Coſſæi.
Cuthæi pop. *Samar.* 431 ſq.
Cyaneus fl. *Colch.* 307

Cyaneæ inſulæ *in oſtio Ponti* 8
opp. *Lyciæ* 104
Cybele mons *Phryg.* 148
Cybeles fanum *Galat.* 155
Cybiſtra opp. *Cappad.* 292. 295
Cydiſſus opp. *Phryg.* 144
Cydna *Lyciæ* 104
Cydnus fl. *Cilic.* 208
Cygnum opp. *Colch.* 307. 308
Cyiza portus *Carman.* 699
Cymæi pop. *Æol.* 56
Cyme vrbs *Æol.* 56
Cynamolgi pop. *Æthiop.* 962
Cynon, Cynopolis *Delt. Ægypt.* 782. 785
Cynopolis, *Heptan. Ægypt.* 812
Cynopolites nomos *Ægypt.* 812
Cynoproſopi 814
Cypariſſia inſ. *Samos* 17
Cypriæ inſulæ 224
Cyprus inſula 225
Cypri latus auſtrale 230
occidentale 233
orientale 228
ſeptemtrionale 226
Cypri mediterranea 234. 235
Cypri nomina antiqua 225
Cyprium æs 235
Cypron Caſtell. *Iud.* 465
Cyptaſia *Paphlag.* 268
Cyra opp. *Sogd.* 715
Cyropolis *Med.* 666
Sogd. 715
Cyrenaica regio 846
Cyrenaica prouincia Romana 853
Cyrenaicæ mediterranea 850
Cyrene vrbs ibid.
Cyrenes portus 847
Cyreſchata *Med.* 666
Sogd. 714. 716
Cyri fl. *XII* oſtia 314
Cyrnus, vide Cyrus 311
Cyrrheſtica regio *Syr.* 358. 359
Cyrrheſticæ Mineruæ fanum 359
Cyrrhus vrbs *Syr.* 358. 359
fl. 311. 667
Cyrthaneus vide Scythranius.
Cyrtii pop. *Med.* 665. 666
Cyrus fl. *Iber.* 311. 313. 317
Cyrus fl. *Med.* 665. 667
fl. *Perſ.* 681. 682
Cyſſus Erythræorum portus *Ion.* 64
Cyta vrbs *Colch.* 308
Cytæa terra *Colch.* 308
Cythera inſ. 238. ſeq.
opp. ibid.
Cythera an Cypri vrbs? 238. 239
Cytis inſ. *Arab. fin.* 837
Cytorum opp. *Paphlag.* 263. 264
Cytorus mons 264
Cyzicenum marmor 9
Cyzicus vrbs *Myſ.* 31

D.

Daæ pop. *Margian.* 710
Scyth. ibid.
Daæ Aparni pop. 710
Dabaſæ pop. *Ind.* 749
Dabia *Afr.* 892
Dabir ciuit. *trans Iord.* 553
Dacira *Meſop.* 611
Dacora vicus *Cappad.* 294
Dadara vide Eddara.
Dadaſtana *Bithyn.* 259
Daddala vide Dædala.
Dades promont. *Cypri* 230
Dadybri opp. *Paphlag.* 270
Dædala *Cariæ* 86
Dæmonum inſula *Arab. Fel.* 601
Dagolaſſos opp. *Armen. min.* 334
Dagona *Armen. min.* 335
Dagræ *Cappad.* 292
Daguſa *Cappad.* 298
Dahæ vide Daæ.
Dai pop. *Perſ.* 693
Daix fl. *Scyth.* 756
Dalaſis regio *Cilic.* 194
Daliſandus *Cappad.* 194. 297
Dalmanutha vicus *trans Iordan.* 549
Damaſcene regio *Syr.* 373
Damaſcus vrbs *Syr.* 372
Damaſus mons *Ind.* 749
Damenſii pop. *Syrt.* 862
Dammana *Arachoſ.* 725
Damna vrbs *Ser.* 760
Damnæ pop. *Seric.* 760
Dan fons *Iordan.* 403
opp. *Galil.* 407
tribus *Iſraelis* 392. 393. 442
Dana, Dagana *Ind.* 752
Danaba *Syr.* 367
Danala vicus *Galat.* 157
Dandagula *Ind.* 746
Dandarii pop. *Mæot.* 302
Danitarum oppida 395
Dapha opp. *Arab. Deſ.* 591
Daphnæ Peluſiæ *Ægypt.* 805
Daphnæi Apollinis fanum 353

Daphne

Daphne *Ægypt.* 805
regiunc. *Galil.* 409
vicus *Syr.* 352
Daphnici mores 352
Daphnine inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Daphnon magnus, empor. *Æthiop.* 963
Daphnuſa inſ. *ad Chium* 16
Dara fl. *Carman.* 698
Daradæ pop. *Lib. int.* 946
Daradi pop. *Æthiop.* 957
Daradus fl. *Lib. int.* 946
Darapſa vrbs *Bactr.* 712
Dardanium promont. *Troad.* 44
Dardanus opp. ibid.
Dareium locus *Parth.* 703
Dargidus fl. *Bactr.* 711
Dargomanes fl. *Bactr.* 711
Daritis regio *Med.* 671
Darna *Aſſyr.* 658
Darnei opp. ibid.
Darnis opp. *Cyren.* 807
Daroma tractus *Iud.* 501
Daron vicus *Æthiop.* 957
Darſa vrbs *Piſid.* 165. 166
Daſcuſa *Armen. min.* 335
Daſcuta vide Daguſa.
Daſcyleum opp. *Bithyn.* 241
Daſtira opp. *Armen.* 332
Dauana, Dabana, *Meſop.* 621
Dauchitæ pop. *Lib. int.* 949
Daxata opp. *Ser.* 760
Daximonitis campus *Ponti* 278
Deba opp. *Meſop.* 612
Debir ciuit. *Iud.* 502
Deblathaim *trans Iord.* 560
Debris opp. *Lib. int.* 947. 948
Decapolis regio *trans Iord.* 542
Dechlana *Alban.* 316
Dedan opp. *Arab.* 579
Degia *Aſſyr.* 664
Dei facies promont. *Phœnic.* 376
Delas alueus *Tigrid.* 636
Delta regio *Ægypt.* 774
Delta magnum *Ægypt.* 786
paruum 786
Demetrias opp. *Arachoſ.* 725
opp. *Aſſyr.* 661
Deorum currus mons *Lib. int.* 941. 942. 946
Deorum ſalutaris portus *Ægypt.* 835
portus *Mauret. Cæſ.* 921
Dera opp. *Suſ.* 685
Deranobila opp. *Carman.* 699
Derbe vrbs *Lycaon.* 173
Derbiccæ pop. *Margian.* 709
Derbices ſ. Derbiccæ pop. 709
Derbici pop. *Lib. int.* 949
Dercebii vide Derbices.
Dere vide Dire.
Deremma opp. *Meſop.* 625
Dermones pop. *Lib. int.* 949
Derrhima *Syr.* 365
Derris promont. *Marmar.* 840
Deruſiæi pop. *Perſ.* 693
Derxene vide Xerxene.
Diaba fl. *Aſſyr.* 656
Diacherſis caſtell. *Cyren.* 850
Diacira *Meſop.* 611
Diana locus *Numid.* 908
Dianæ templum *Epheſ.* 70
Diopolis *Ponti* 281
Diarrheuſa inſ. *ad Epheſ.* 16
Diarrhœa portus *Cyren.* 850
Diblathaim *Arab. Petr.* 575
Dibon opp. *trans Iord.* 554
Dibongad opp. ibid.
Dictis opp. *Galat.* 154
Didaucana *Bithyn.* 261
Didugua, opp. *Babyl.* 634
Diduri pop. *Scyth.* 756
Iber. 312
Didyma vide Sidyma.
Didymæ inſ. *ad Troad.* 10
Digba opp. *Babyl.* 634
Diglito fl. *Armen.* 320
Dimatra *Meſop.* 625
Dimon opp. *Arab.* 575
Dimona *Iud.* 501
Dinaretum promont. *Cypri* 229
Dindymenæ templum 31
Dindymis opp. *Myſ.* 31
Dindymi montes *Phryg.* 147
Dindymus mons *Gallogræc.* 146
Myſ. 31
Diniæ opp. *Phryg.* 144
Diocæſarea *Cappad.* 289
Galil. 420
Phryg. 135
Dioclia opp. *Phryg.* 130
Diodori inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Diogenis promont. *Ægypt.* 834
Diolcus oſt. *Nili* 778
Dionyſi opp. *Ind.* 752
promont. ibid.
Dionyſiopolis *Ind.* 738
Phryg. 145
Dionyſia inſ. *Cilic.* 223

Dioſco-

Dioſcorias vrbs *Colch.* 306
Dioſcorides inſ. *Arab.* 601
Dioſcorũm portus *ſin. Arab.* 834
Dioſcurias opp. *Colch.* 305. 306
Dioshieritæ pop *Lydiæ* 118
Dioshieronitæ pop. *Galat.* 159
Diospage opp. *Meſop.* 625
Diospolis *Delt. Aegypt.* 783
fanum *Bithyn.* 251
magna ſ. Thebæ *Aegypt.* 826
parua *Thebaid. Aegypt.* 827
Palæſt. 445
Phryg. 131
Diospolites nomos *Aegypt.* 819
Dire, Dira promont. *Aethiop.* 836. 963
opp. ibid.
Diridotis vicus *Chald.* 642
Diſta opp. *Ariæ* 722
Diuini portus *Mauret. Cæſ.* 922
Diur fl. *Mauret. Ting.* 934
Doana fl. *Ind.* 748
Dium opp. *trans Iord.* 546
Docela opp. *Phryg.* 130
Docimæum, Docimia opp. *Phryg.* 128
Docimæum marmor ib.
Docimenum metallum 128
Dodecaſchœnus tractus *Aegypt.* 828
Dœantis campus *Ponti* 273
Doliche inſ. *Icaros* 19
opp. *Syr.* 341
Dolichiſte inſ. *Cilic.* 225
Dolionis opp. *Myſ.* 31
regiunc. ibid.
Dolopes pop. *Lib. int.* 949
Domæ inſ. *Gedroſ.* 731
Domana *Armen. min.* 335
Domitiopolis *Cilic.* 203
Dor, Dora *Samar.* 440
Dorath opp. *Mauret. Ting.* 936
Dorbeta *Meſop.* 612
Dordomana *Parth.* 704
Dorica hexapolis 83
pentapolis ibid.
Doris regio *Cariæ* 80
Doritis Venus 83
Dorius fl. *Ind.* 748
Doron opp. *Cilic.* 196
Dororum vicus *Aethiop.* 957
Dorylæum opp. *Phryg.* 126
Doſa *Aſſyr.* 664
Doſarone fl. *Ind.* 736
Doſci pop. *Mæot.* 303
Dothan *Samar.* 451
Dracontia inſ. *ad Aſ.* 896
Draconum opp *inſ. Icari* 19
Drangina, Drangiana regio 723
Drapſaca vrbs *Bactr.* 712
Draſtoca opp. *Paropam.* 720
Drepane *Bithyn.* 244
Drepanum promont. *Arab. ſin.* 831
promont. *Cypri* 233
promont. *Cyren.* 850
Drepſa vrbs *Sogd.* 714
Drepſiani pop. 713
Dropici pop *Perſ.* 693
Droſache opp. *Ser.* 760
Druſias opp. *Samar.* 454
Druſus, Druſio, turris *Cæſareæ* 454
Druzum opp. *Phryg.* 130
Drybactæ pop. *Sogd.* 713
Drymuſa inſ. *Ion.* 17
Drynæmetum opp. *Galat.* 159
Dryuſa inſ. *Samos* 17
Dudua *Galat.* 158
Dudum opp. *Lib. int.* 948
Duma *Arab. Petr.* 579
Dumatheni pop. *Arab. Deſr* 593
Duppi vide Cadupi.
Dura *Aſſyr.* 662
Meſop. 609
Duraba *Babyl.* 634
Durga *Syrt.* 862
Duth fl. *Mauret. Ting.* 934
Duus fl. ibid.
Dydimæ inſulæ *Arab. ſin.* 838
Dymas fl. *Sogd.* 713
Dyrzela *Piſid.* 166

E.

Eaſis vrbs *Gedroſ.* 730
Ebal mons *Samar.* 434
Eboda *Arab. Petr.* 588
Ebode *Arab. Deſ.* 600
Ebron opp. *Galil.* 408
Ecbatana *Med.* 665
Perſ. 695
Syr. 428
Ecdippa *Galil.* 405
Echinis vicus *Cyren.* 851
Ecregma *Ægypt.* 790
Eddara *Arab. Deſ.* 591
Eder opp. *Iud.* 501
Eder turris *Iud.* 475
Edeſſa vrbs *Meſop.* 614
Edom regio *Arab. Petr.* 577
Edones pop. *Scyth.* 757
Edrei vrbs *trans Iord.* 532

Egbatana

Egbatana vide Ecbatana.
Eglon opp. *Iud.* 495
Eilana vrbs *Arab. Petr.* 583
Ekron vide Accaron.
Elæa vrbs *Æol.* 54
nauale ibid.
Elæum promont. *Cypri* 229
Elaites nomos *Ægypt.* 796
Elaiticus ſinus *Æol.* 54
Elaitis regio ibid.
Elam regio *Perſ.* 675
Elana vrbs *Arab. Petr.* 583
Elancon empor. *Ind.* 744
Elaniticus ſinus *Arab. Petr.* 582
Elaphitis inſ. *ad Chium* 16
Elaphonneſus inſ. *Propont.* 9
Elatha fl. *Bithyn.* 251
Eleale opp. *trans Iord.* 559
Elegerda *Armen.* 328
Elegia opp. *Armen.* 329
altera 332
Elegoſine locus *Armen.* 320
Elêi, Eleii pop. *Æthiop.* 960
Eleia opp. *Meſopot.* 621
Eleph *Iud.* 473
Elephantis, Elephantine inſ. *Ægypt.* 822
Elephantophagi *Æthiopes* 957
Elephas mons *Æthiop.* 963
Elethyia vrbs *Ægypt.* 827
Eleüſa inſ. *Cariæ* 84
Cilic. 201. 225
Eleuſis *Ægypt.* 772
Eleutherocilices pop. 222
Eleutheropolis *Palæſt.* 490
Eleutherus fl. *Phœnic.* 384
Eltheco vide Ethece.
Eltholad opp. *Iud.* 498
Eluia *Paphlag.* 370
Eluſa *Arab. Petr.* 588
Elymæi pop. 688
Elymais regio 686
Elymais vrbs 689
Emathraba *Syr.* 389
Emaus *Iud.* 471
Embolima *Ind.* 739
Emim pop. *trans Iord.* 533
Emiſſa, Emeſa vrbs *Syr.* 355
Emmaûs, thermæ *Tiberienſ.* 419
Emodorum promont. *Ind.* 737
Emporia regio *Afr.* 866
Emporicus ſinus *Mauret. Ting.* 933
Endor opp. *Galil.* 423
Engaddi opp. *Iud.* 481
Enguri vide Anguri.
En Rimmon opp. *Iud.* 497
Enydra opp. *Syr.* 358
Eoa vide Oea.
Epha regio *Arab. Petr.* 586
Epher vide Hepher.
Epheſinus conuentus 181
Epheſus *Ion.* 70
lumen Aſiæ ibid.
opus Amazonum ibid.
Epheſus Smyrna appellata 61
Ephialtium promont. *Carpath.* 23
Ephraim tribus Iſraelis 394
Ephraim tribus oppida 394
Ephraim regnum 597
Ephrata ciuitas *Iud.* 474
regio ibid.
Ephrem, Ephraim locus *Iud.* 467
Epidaurum opp. *Cypri* 237
Epiphanea *Cilic.* 221
Syr. 356
Equi promontorium *Numid.* 901
Eræ opp. *Ion.* 65
Eragiza opp. *Syr.* 363
Erana vicus *Cilic.* 222
Erannoboa fl. *Ind.* 736
Eratones inſ. *Arab. ſin.* 837
Erchoas opp. *Æthiop.* 956
Erebidæ pop. *Syrt.* 862
Erec, Erech opp. *Suſ.* 684
Ereſſos opp. *Lesbi inſ.* 12
Erezii pop. *Phryg.* 143
Eribœa *Bithyn.* 260
Erinæi pop. *Scyth.* 756
Erithini ſcopuli *Bithyn.* 261
Eriza vrbs *Phryg.* 143
Erma vide Arma.
Eropæi pop. *Syrt.* 862
Erupa *Arab. Deſ.* 591
Eryſthea *Cypri* 237
Erythini opp. *Paphlag.* 263
Erythræ vrbs *Ion.* 63
portus 65
Erythræa Sibylla 64
Erythræum mare 697
Erythrum locus *Cyren.* 847
Esbonitæ Arabes 559
Eſcol fl. *Iud.* 529
Eſebon, Esbus vide Heſpon.
Eſer opp. *Æthiop.* 957
Eſſedones pop. *Scyth.* 757
Eſſina empor. *Æthiop.* 963
Eſthaol opp. *Iud.* 514

Eſthemo, Eſthemoah *Iud.* 492
Etam ciuitas *Iud.* 496
Etenna *Pamphyl.* 191
Etham *Ægypt.* 803
Ethece opp. *Iud.* 515
Etheleum fl. *Myſ.* 31
Ether vide Athar.
Etymander fl. *Drang.* 723
Euagina vide Phuibagina.
Euangelorum portus *Ægypt.* 835
Euanthia vrbs *Lyd.* 121
Euaſpla fl. *Ind.* 738
Eucarpia *Phryg.* 130
Euchatæ pop. *Scyth.* 757
Eucratidia *Bactr.* 712
Eudixata *Armen. min.* 335
Eudrapa *Meſop.* 610
Euergetæ pop. *Drang.* 724
Euenus fl. *Myſ.* 40
Eulæus fl. *Perſ.* 676. 682
Eumenitica regio *Phryg.* 130
Eumenia *Phryg.* ibid.
Lydiæ 120
Eupatoria *Ponti* 279
Euphorbeni pop. *Phryg.* 130
Euphorbium opp. ibid.
Euphranta turris *Syrt.* 856
Euphrates fl. 317. 318
Euphratis oſtium 627
ſciſſiones ibid.
Euproſopon promont. *Phœnic.* 376
Euranium opp. *Cariæ* 92
Eurômus opp. *Cariæ* 91
Euromenſium prouincia 91
Europus vrbs *Med.* 671. 703
Meſop. 609
Syr. 343
Eurymedon fl. *Pamphyl.* 188
Eurynaſſa inſ. *Aſ.* 16
Eurythia inſ. *Ocean.* 937
Euſebia ad Argæum *Cappad.* 293
ad Taurum montem 291
Euſene opp. *Ponti* 271
Euſimara *Cappad.* 300
Euthane, Euthene opp. *Cariæ* 84
Euthymedia *Ind.* 740
Exiliſſa opp. *Mauret. Ting.* 931
Exopolis *Scyth.* 756
Eziongeber opp. *Arab. Petr.* 583

E.

Fanum Apollinis opp. *Lydiæ* 114
Fauſtinopolis *Cappad.* 292
Feminarum portus *Gedroſ.* 729
Fenon manſio *Palæſt.* 579. 588
Ferratus mons *Mauret. Cæſ.* 925
Filæ, vide Philæ.
Fiſida vicus *Syrt.* 859
Fiſſenia *Babyl.* 638
Flauia Firma Sura *Syr.* 367
Flauias *Cilic.* 204
Flauiopolis *Cilic.* 204
Bithyn. 259
Fortunata inſula *Arab. fin.* 837
Fortunatæ inſulæ 937. 969
Fretum Herculeum 930. ſeq.

G.

Gaana opp. *Syr.* 373
Gaba, Gabe opp. *Galil.* 406
Gabaa vide Gibea.
Gaba opp. *Sogd.* 716
opp. *Iud.* 469
Gabæ vrbs *Perſid.* 695
Gabala *Phœnic.* 386
Syr. 349
Gabale opp. *Med.* 666
Gabalene regio *Arab. Petr.* 576
Gabaon opp. *Iud.* 470
Gabara *Galil.* 425
Gabathon vide Gibethon.
Gabaza regio *Sogd.* 716
Gabiana, Gabene *regio Elym.* 688
Gabra opp. *Perſ.* 696
Gabris *Med.* 666
Gadanopydres pop. *Carman.* 698
Gadar *Parth.* 704
Gadara vrbs *trans Iord.* 543
Gadarenorum ager 548
Gadilon *Ponti* 271
Gadilonitis campus *Ponti* 271
Gadirtha *Arab. Deſ.* 591
Gaditanum fretum 931
Gaditarum oppida 397
Gætuli pop. *Lib. int.* 942. ſq.
Daræ 943
nigri ib.
nullis finibus circumſcripti 942
Gætulia propria 943
vetus 942. ſq.
Gaga opp. *Lyciæ* 104
Gagara *Alban.* 316
Gai vrbs *Iud.* 467
Gaia inſ. *mar. Syrt.* 863
Galaad vide Gilead.
Galaad mons *trans Iord.* 521. 538. 539

Galaad ſpecula 541
Galaaditis regio *trans Iord.* 538
Galapha opp. *Mauret. Ting.* 935
Galaſa vide Gelaſa.
Galata inſ. 896
Galatia 150
Galgal vide Gilgal.
Galilæa regio 399
inferior 410
ſuperior 400
populoſa ibid.
gentium 401
Galilææ mare lacus 411
Galli, *Galatæ* 150
Gallia Græca 150
parua ibid.
Gallim opp. *Iud.* 489
Gallogræcia, Galatia 150
Gallus fl. *Phryg.* 149
Bithyn. ibid.
Galorum opp. *Paphlag.* 268
Galybe *Syrt.* 862
Gamala *Galil.* 406
trans Iord. 534. 535. 536
Gamalatica regio 536
Gammace opp. *Arachoſ.* 725
Gandaræ pop. *Ind.* 737
Gandaridæ vide Gangaridæ.
Gandaritis regio *Ind.* 738
Gangaridæ pop. *Ind.* 746. 747
Calingæ ibid.
Gange vrbs *Ind.* 747
Ganges fl. *Ind.* 733. 736
Gangis oſtia 736
Gangra vrbs *Paphlag.* 269
Gapachi pop. *Æthiop.* 957
Gaphara *Syrt.* vide Garapha.
Gaphara *Marmar.* 845
Garama vrbs *Lib. int.* 947
Garamantes pop. 944
Garamantica vallis 947
Garapha portus *Syrt.* 858. ſq.
Garaphi montes *Mauret. Cæſ.* 927
Garas mons *Mauret. Cæſ.* 925
Gargara mons *Myſ.* 38
opp. ibid.
Gargaridæ vide Gangaridæ.
Gari opp. *Ariæ* 722
Garindæi pop. *Arab. Fel.* 598
Garizim mons *Samar.* 433. 434
Garœas fl. *Ind.* 734
Garra opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Garſabora, Garſauora *Lycaon.* 172. 176
Garſauritis regio *Cappad.* 289
Gath ciuit. *Philiſt.* 506
Gath Hepher opp. *Galil.* 426
Rimmon opp. *Iud.* 515
Gaugamela vicus *Aſſyr.* 660
Gaulanitis regio *trans Iord.* 534
Gaulon vrbs ibid.
Gauros mons *Ægypt.* 835
Gauſanitis regio *Meſop.* 603
Gauſaphna *Numid.* 905. 911
Gauzania *Med.* 666
Gaza vrbs *Philiſt.* 505. 511
Marna *Philiſt.* 512
Gazæorum portus 512
Gaza *Sogd.* 716
Med. 665
Gazaca *Med.* 671
Paropam. 721
Gazacupada *Numid.* 914
Gazara, Gazer *Samar.* 447
Gazaufala *Numid.* 905
Gazaufula *Numid.* 911
Gazelum opp. *Ponti* 278
Gazena *Phryg.* 135
Gaziura *Ponti* 278
Gebal mons *Samar.* 434
Gedne opp. *Numid.* 914
Gedroſi, Gedruſi pop. 726
Gedroſia regio 726
Gedur vicus *Iud.* 493
Geennon vallis *Hieroſol.* 461
Gehiaga *Babyl.* 638
Gelanus opp. *Lib. int.* 947
Gelaſa opp. *trans Iord.* 547
Gelboe montes *Samar.* 436. 452
Gelbûs vicus *Samar.* ibid.
Gelda *Alban.* 315
Geloni pop. *Boſpor.* 304
Gemellæ vicus *Numid.* 908
Geneſar, Geneſareth lacus *Galil.* 403. 411
Géneſareth terra 412
Genétæ pop. *Ponti* 284
Genetæum promont. 284
Genonia *Parth.* 704
Gephyra *Syr.* 353
Gerar vrbs *Iud.* 498. 505
Geraſa *Arab. Petr.* 588
Boſpor. 303
Scyth. 756
trans Iord. 547. ſq.
Geraſa regio 547. ſq.
Gerbo opp. *Æthiop.* 957
Gergeſa *trans Iord.* 548

Gergeſæi pop. *Chanan.* 569
Gergeſenorum opp. 548
Gergetha *Myſ.* 33
Gergethium locus *Myſ.* 33
Gergithos opp. *Myſ.* 39
Geriſa *Syrt.* 862
Germa *Myſ.* 36
Germa colonia *Galat.* 155
Germanes philoſophi *Ind.* 746
Germanicia vrbs *Syr.* 338
Germanicopolis *Paphlag.* 270
Germanii pop. *Perſ.* 693
Germanorum caſtra *Mauret. Caſ.* 920
Germiana *Mauret. Caſ.* 924
Gerra, Gerrum opp. *Ægypt.* 789
Gerra *Syr.* 363
Syrt. 864
Gerræi pop. *Arab. Fel.* 597
Gerrhus fl. *Alban.* 313
Gerri pop. *Scyth.* 756
Gerza *Iud.* 498
Gerzitæ pop. 498
Geſer, Gezer vrbs *Samar.* 447
Geſſen vide Goſchen.
Geſſur opp. *Iud.* 498
Geſſuritæ pop. 498
Gethone inſ. *ad Troad.* 10
Gezer, vide Geſer.
Gibea opp. *Iud.* 469
Gibea Beniamin ibid.
Saul 469
Gibeath, Gabaath *Iud.* 473
Gibeon opp. *Iud.* 470
Gibethon opp. *Iud.* 505. 513
Gichthis opp. *Syrt.* 860
Gigæus lacus *Lydiæ* 112
Gigarta opp. *Phœnic.* 378
Gigius mons *Syrt.* 863
Giglua opp. *Mauret. Caſ.* 927
Gihon fons *Hieroſol.* 461
Gihon fl. *Paradiſi* 650. ſq.
Gilboa, Gelboe montes *Samar.* 452
Gilda opp. *Mauret. Ting.* 935. 936
Gilead mons *trans Iord.* 539
tractus 521
Gileaditis regio *trans Iord.* 539
Gilgal regio 400
locus *Iud.* 467
Gilua colonia *Mauret. Caſ.* 922
Ginæa vicus *Galil.* 430
Gindarus arx *Cyrrhi Syr.* 360
opp. *Syr.* 353
Gippo opp. *Ion.* 75
Gir fl. *Lib. int.* 948
Gira vrbs *Lib. int.* 948
Girba inſ. *mar. Syrt.* 864
Girgiris mons *Lib. int.* 947
Girgis opp. *Syrt.* 860
Giſchala *Galil.* 425
Giſira *Afr.* 876
Giſma *Armen.* 328
Giti, Gitti municip. *Syrt.* 860
Gitta vide Gath.
Glaucum promont. *Marmar.* 840
Glaucus fl. 308
ſinus *Cariæ* 86
Gnidos vide Cnidus.
Goaria *Syr.* 367
Goaris oſtium *Nanagunæ* fl. 736
Gobolitis regio *Arab.* 576
Godaſa *Armen. min.* 335
Gogarena regio *Armen.* 325
Golan opp. *trans Iord.* 534
Golgi vrbs *Cypri* 236
Golgia Venus 237
Gomara *Aſſyr.* 661
Gomorra *Iud.* 587
Gongalæ pop. *Lib. int.* 949
Gonimi inſulæ *Propont.* 10
Gontiana *Mauret. Ting.* 936
Gophna *Iud.* 468
Gordene regio *Armen.* 323. 327
Gordi mons *Armen.* 324
Gordiæus mons *Armen.* 323
Gordiucome 141. ſq.
Gordiutichos vrbs *Phryg.* 141. 142
Gordium vrbs *Phryg.* 140
Gordu come *Bithyn.* 254
Gordus *Lydiæ* 121
Gordyneſia regio *Armen.* 327
Gorgades inſulæ 941. ſq.
Gorgippia *Boſpor.* 303
Gorgodylena regio *Armen.* 327
Gorgones vel Gorgides feminæ 941. ſq.
Gorgus fl. *Aſſyr.* 655
Gorillæ feminæ *Afr.* 942
Gorneæ caſtell. *Armen.* 332
Gorya, Gorydalis opp. *Ind.* 738
Goryæa regio *Ind.* 734
Goſchen, regio *Ægypt.* 800. 801
Goſen terra, eadem 801
Goſen opp. *Iud.* 501
regio ibid.
Goſon *Iud.* 501
Graan opp. *Suſ.* 686
Græcogalli 150

Grani-

Granicus fl. *Myſ.* 34
Granici oſtia 32
Granis fl. *Perſ.* 680. 682
Graphara *Syrt.* 859
Grinæi Scythæ pop. 718
Griſim mons *Samar.* 434
Grunium caſtrum *Phryg.* 55. 144
Grynæus Apollo 55
Grynium, Grynia *Æol.* 55. 144
Guba *Arab. Petr.* 588
Guſna *Iud.* 468
Gula, Gulus fl. *Mauret. Cæſ.* 918. 923
Gunda vide Spunda 641
Gunugi, Gunugus opp. *Mauret. Cæſ.* 920
Guræi pop. *Ind.* 737
Gurbata *Meſop.* 625
Gymnoſophiſtæ philoſophi *Ind.* 737. 745
Gynæcopolis *Ægypt.* 773
Gynæcopolites nomos *Ægypt.* 773. 795
Gyndes fl. *Aſſyr.* 657
Gypſaria *Arab. Pet.* 588
Gypſaria, Gypſara portus *Mauret. Cæſ.* 922
Gypſus opp. *Ægypt.* 815
Gythiris inſ. *Arab. fin.* 837. 965
Gyzis portus *Marmar.* 840

H.

Habeſſus opp. *Lyciæ* 96
Hadadrimmon *Iud.* 435
Hadriani vrbs *Bithyn.* 254
Hadrianopolis *Bithyn.* 259
Cariæ 90
Cyren. 848
Syr. 366
Hadrumetum vide Adrumetum.
Hagareni pop. *Arab. Petr.* 577
Hai vide Ai.
Hali opp. *Galil.* 407
Halicarnaſſus vrbs *Cariæ* 80
Halone inſ. *ad Epheſ.* 16
Halonneſi inſulæ *Arab. fin.* 837
Halus opp. *Aſſyr.* 662
Halys fl. *Paphlag.* 268
Hamath *Galil.* 409
Hamaxia *Cilic.* 196
Hamaxitia regio *Troad.* 46
Hamaxitus opp. *Troad.* 46
Haminea vide Hanunea.
Hammon & Ammon.
Hamon opp. *Galil.* 407
Hanunea *Syr.* 341
Hapara *Ind.* 473
Haran *Meſop.* 617
Harax fl. *Perſ.* 681
Harma vide Horma.
Harmactica vide Armactica.
Harmaſtis opp. *Iber.* 311
Harmatelia *Ind.* 746
Harmene vide Armene 265
Harmozica *Iber.* 311
Harmozon promont. *Carman.* 698
Haroſeth Gentium *Galil.* 409
Harpaſa *Cariæ* 87
Harpaſus fl. ibid.
Haſarſual opp. *Iud.* 498
Hatra *Meſop.* 615
Hauoth Iair opp. *trans Iord.* 533
Hauran mons *trans Iord.* 528
opp. ibid.
Haza vide Aza.
Hazarſuſa *Iud.* 498
Hazezon Tamar opp. *Iud.* 482
Hazor opp. *Iud.* 493
vrbs *Galil.* 408
Hazor Hadata 493
Hebron *Iud.* 479
Hecatæ fanum 90
Hecatæ hiſtorici patria 65
Hecatompylos vrbs *Parth.* 702
Hecatonneſi inſulæ *ad Lesbum* 14
Hedaphtha opp. *Syrt.* 860
Hedyphon fl. *Perſ.* 681. 688
Hedypnus fl. idem 681
Heleac opp. *Galil.* 405
Helenopolis *Bithyn.* 245
Heliopolis *Ægypt.* 794. 802
ad Libanum Syr. 370. 371
Helkath opp. *Galil.* 407
Helmondeblathaim opp. *Arab.* 575
Helmodenes pop. *Arab.* 600
Hemath regio *Syr.* 387. 388
vrbs ibid.
Heneti pop. *ad Pontum* 282
Heniochi pop. *Boſpor.* 303. 304. 309
Hephæſtium *Lyciæ* 101. 102
Hepher opp. *Galil.* 426
regio ibid.
Heptacometæ pop. *Ponti* 285
Heptaneſia inſ. *Ind.* 750
Heptanomis *Ægypt.* 808
Heptapolis *Ægypt.* 809
Heraclea ad Albanum *Cariæ* 88
Cyrrheſt. Syr. 360
Ion. 75
Med. 671. 672. 703
Pontica *Bithyn.* 251

Heraclea *Seleucid. Syr.* 347
Heracleopolis magna *Ægypt.* 810
parua 788
Heracleotes nomos *Ægypt.* 810
Heracleoticum oſt. *Nili* 777
Heracleum opp. *Ægypt.* 777
Ponti 272
Heræum templum 18
Herculis Aræ opp. 684
Herculis arenoſi cumuli *Cyren.* 851
columnæ 931
Herculis delubrum Erythris promont. *Mauret. Ting.* 934
Herea opp. *Syr.* 386
Hermæa promont. *Marmar.* 840
Hermocapelia *Lydiæ* 122
Hermon, Hermonim mons *trans Iord.* 522. 523
Hermon maior ibid.
minor ibid.
Hermon an mons Galilææ? 429
Hermonaſſa *Boſpor.* 302
Ponti 275
Hermonthis vrbs *Ægypt.* 820
Hermonthites nomos ibid.
Hermopolis *Delt. Ægypt.* 781
Hermopolis magna *Heptan. Ægypt.* 813
parua *Alexandrin.* 773
Hermopolitana cuſtodia 813
Hermopolitanus nomos *Ægypt.* 813
Hermotum *Troad.* 50
Hermupolis *Carman.* 699
Hermus fl. *Ion.* 60
Herodia vrbs *Iud.* 476
Herodium caſtellum *trans Iord.* 565
Iud. 476
Heroopolis *Ægypt.* 792
Heroopolites nomos *Ægypt.* 792
Heroopoliticum promont. *Arab. Petr.* 584
Heroopoliticus ſinus *Ægypt.* 582. 792
Herophileæ ſectæ medicorum ſchola 135
Heroum oppidum vide Heroopolis.
Herpiditani pop. *Mauret. Ting.* 936
Herpis opp. *Mauret. Ting.* 935
Hesbon, Heſebon vrbs *trans Iord.* 559
Heſperi cornu, promont. 941. 946
Heſperu ceras 941. 946
Heſperidum horti 848. 849. 851. 950
lacus 848
portus 848
inſulæ 941. 950
Heſperii pop. 950
Heſperis, Heſperides vrbs *Cyren.* 849
Hethæi pop. *Chanan.* 568
Heuæi pop. *Chanan.* 594. 568. 569
Hibis vide Ibis.
Hiera Germa vrbs *Myſ.* 34
Hiera opp. *inſ. Lesbi* 12
Hieracum inſ. *Arab. Fel.* 601
Hierapolis *Syr.* 360
Phryg. 133
Hieraſycaminos opp. *Ægypt.* 828
Hierax opp. *Ægypt.* 768
Hierichûs vrbs *Iud.* 466
Hierichuntinus traiectus 488
Hierocæſarea *Lydiæ* 114
Hieromiace fl. *trans Iord.* 544
Hieroſolyma 456
Hila opp. *Babyl.* 638
Hileia *Meſop.* 621
Hippa *Mauret. Cæſ.* 923
Hipparenum opp. *Babyl.* 634
Hippica turris *Hieroſol.* 459
Hippici montes 754
Hippius vide Hypius.
Hippo Diarrhytus opp. *Afr.* 889
Hippo Regius vrbs *Numid.* 900. 901
Hippocura *Ind.* 744. 745
Hippodromus vide Hypodromus.
Hipponeſos inſ. *Ceram. ſin.* 25
Hipponitis palus *Afr.* 891
Hippophagi pop. *Perſ.* 694
Hippos *Arab. Fel.* 595
trans Iord. 545
Hippus fl. *Colch.* 307
opp. *Ion.* 75
Hippu promont. *Syrt.* 855
Hippuri portus *Ind.* 750. 751
Hipſus vide Ipſus.
Hiſti pop. *Scyth.* 757
Hittæi vide Hethæi.
Holmoe vide Holmus.
Holmia *Cilic.* 202
Holmus opp. *Cilic.* 198
Homeritæ pop. *Arab.* 596. 599
Homerium delubrum 63
Homona *Lycaon.* 176
Homonada *Lycaon.* 176
Homonadenſes ibid.
Homonades 176
Hor mons *Arab. Petr.* 578
Horitæ pop. ibid.
Horma, Harma *Iud.* 496. 500
Hormanus fl. *Arab. Fel.* 596
Horonaim opp. *trans Iord.* 574
Horrea Cælia locus *Af.* 871. 880

Hyaro-

Hyarotis, Hydraotes fl. *Ind.* 735. 741
Hydaſpes fl. *Ind.* 734
Hyde opp. *Lycaon.* 174
Hyde an *Lydiæ* oppidum? 110
Hydiſſa, Hydiſſus *Cariæ* 91
Hydræ inſ *ad Numid.* 915
Hydrax opp. *Cyren.* 851
Hydrela *Phryg.* 143
Hydrelatarum ager ibid.
Hydriaces fl. *Carman.* 698
Hyetuſſa inſ. *in ora Cariæ* 20
Hyla fl. *Bithyn.* 242
Hyle opp. *Cypri* 237
Hyllus fl. *Ion.* 61
Hylophagi pop. *Æthiop.* 960
Hypæpa *Lydiæ* 112
Hypanis fl. *Boſpor.* 301
Hyperborei montes *Sarmat.* 756
Hyperdexios locus *inſ. Lesbi* 14
Hyphaſis, Hypanis fl. *Ind.* 735. 741
Hypia vrbs *Bithyn.* 251
Hypius fl. 247. 249
Hypodromus *Æthiopiæ* locus 947
Hyppophagi pop. *Scyth.* 759
Hypſele, Hypſelopolis *Ægypt.* 817
Hypſeliotes nomos *Ægypt.* 817
Hyrcania opp. *Lydiæ* 114. 115
Hyrcania regio 705
vrbs 706
Hyrcani Macedones pop. *Lydiæ* 115
Hyrcanum, Hyrcanium mare 673. 674
Hyrcanus campus *Lydiæ* 114
Hyria an nomen antiquum Seleuciæ? 202
Hyſſus fl. *Colch.* 309
portus ibid.

I.

Iabadii inſ. *Ind.* 752
Iabes Galaad vrbs *trans Iord.* 540
Iabiſſa, Iabiſum vide Iabes.
Iabne opp. *Philiſt.* 505. 513
Iabok fl. *trans Iord.* 531. 552. 558
Iabruda opp. *Syr.* 374
Iagath opp. *Mauret. Ting.* 930
Iagur *Iud.* 501
Iahza *trans Iord.* 560
Ialyſia regio *inſ. Rhodi* 27
Ialyſus vrbs 27
Iamba opp. *Chald.* 643
Iambia *Arab. Fel.* 595
Iambruda vide Iabruda.
Iamnea, Iamnia *Iud.* 505. 513
Iamnia vicus *Galil.* 409
Iamnitarum portus 513
Iapha opp. *Galil.* 424. ſq.
Iapho vide Ioppe.
Iarephel *Iud.* 473
Iarmoch 545
Iarmuth, Iarimuth opp. *Iud.* 493
Iarmuth, Iaramoth *Samar.* 451
Iarſath opp. *Mauret. Caeſ.* 919
Iarzetha opp. *Lib. int.* 946
Iaſius ſinus *Cariæ* 79
Iaſonium opp. *Margian.* 708
promont. *Ponti* 274
Iaſonius mons *Med.* 665. 672
Iaſſa vide Iahza.
Iaſſus, Iaſus opp. *Cariæ* 79
Iaſſus *Cappad.* 300
Iaſtæ pop. *Scyth.* 757
Iatai pop. *Sogd.* 713
Iaxamatæ pop. *Mæot.* 755
Iaxartæ pop. *Scyth.* 758
Iaxartes fl. *Sogd.* 713
Iazer opp. *trans Iord.* 556
mare ibid.
Iazorum opp. *Arab.* 572
Iberia regio 310
Iberingæ pop. *Ind.* 749
Iberus fl. *Iberiæ* 311
Ibettes fl. *inſ. Sami* 18
Ibis opp. *Ægypt.* 815
Ibora *Ponti* 287
Icaria, Icaros inſula 19
Icarium mare 19
Icarus vide Ichara & Icaria.
Ichara inſ. *ſin. Perſ.* 601
Ichnæ, Ichniæ opp. *Meſop.* 620
Ichthyoëſſa inſula 19
Ichthyophagi Æethiopes *Ind.* 749
Afr. 947. 950
Ichthyophagi pop. *Gedroſ.* 727. 728
pop. *Ægypt.* 838. 962
Iconium vrbs *Lycaon.* 172. ſeq.
Icoſium opp. *Mauret. Cæſ.* 919
Ida mons *Myſ.* 47. 49. 50
Idacara *Arab. Deſ.* 591
Idalium opp. *Cypri* 231. 236
Ideeſſa opp. *Iber.* 311
Idicara *Babyl.* 634
Idicra *Numid.* 910
Idumæa regio *Arab. Petr.* 521. 577
magna 585
ſuperior 477
Idymus opp. *Cariæ* 86
Iebus vrbs *Iud.* 455

Iebuſæi pop. *Chanan.* 569
Iegbaa, Iegabeha *trans Iord.* 556
Iehud opp. *Iud.* 515
Ielyſus, Ielyſſus, vide Ialyſus.
Ierahmeelitæ pop. *Iud.* 498
Iericho vrbs *Iud.* 466
Ierimoth, vide Iarmuth.
Ierpeel *Iud.* 473
Ieruſalem 455
Ieſrael vrbs *Samar.* 435
Ieta vide Iuta.
Iethla *Iud.* 515
Iezraël vide Ieſraël.
Iezraël vallis *Samar.* 435
Igilgili colonia *Mauret. Caeſ.* 918
Iim locus *Arab. Petr.* 588
Ilica opp. *Afr.* 891
Llienſium pagus 45
Iliſtra *Lycaon.* 175
Ilium 45
Ilium nouum ibid.
Illyris inſula *Cilic.* 224
Iluza opp. *Phryg.* 146
Imaus mons *Ind.* 736. 737
Scyth. 756
Imbraſus fl. *inſ. Sami* 18
Imbrus caſtell. *Cariæ* 85
Imma, Immæ, ciuit. *Syr.* 341
Ina opp. *Syr.* 373
Indaprathæ pop. *Ind.* 749
Indi fl. oſtia 743
India 731
India extra Gangem 747
intra Gangem 732
Indiæ diuiſio 731. ſq.
Indicus ſinus 963
Indoſcythæ pop. *Ind.* 732
Indus fl. 733. 734
Inna opp. *Drang.* 724
Inſulæ Aſiæ 8
Atlante maiore inferiores 939
beatorum 816
ſinus Arabici 837
in mari Indico 749
Fortunatæ 937
Ophiodes 834
Inuca vide Vnuca.
Iobula *Alban.* 316
Iogara *Ind.* 752
Iol vrbs *Mauret. Caeſ.* 916. 920
Iomanes fl. *Ind.* 736
Iomnium municip. *Mauret. Caeſ.* 919
Iomuſa *Ind.* 740
Ionaca *Perſ.* 696
Ionia regio 59
Ionopolis *Paphlag.* 265
Ioppe, Iope *Palæſt.* 442
Ior fons *Iord.* 403
Iordanes maior 404
minor 403
Iordanis fontes 402. 403
traiectus 487
Iotæ pop. *Scyth.* 758
Iotapata opp. *Galil.* 410. 424
Iotape opp. *Cilic.* 196
Iouis fanum opp. *Lydiæ* 118
promont. *Ind.* 752
vrbs *Ægypt.* 833
Ipſus opp. *Phryg.* 146
Iraſſa, Iraſa opp. 950
Irath opp. *Mauret. Caeſ.* 927
Irenopolis *Cilic.* 205
Iris fl. *Pont.* 272
Irſemes opp. *Iud.* 515
Irus mons *Gedroſ.* 731
Iſaſchar tribus oppida 396
Iſatichæ pop. *Carman.* 698
Iſaura vrbs 193
Iſauria regio 191. 192
Iſaurica *Lycaoniæ* 172
Iſauritis præfect. *Cappad.* 290
Iſcheri opp. *Lib. int.* 948
Iſchnæ vide Ichnæ.
Iſcina opp *Syrt.* 862
Iſchopolis *Ponti* 275
Iſidis inſula *Arab. Felic.* 601
Arab. ſin. 837. 965
Iſis fl. *Colch.* 309
Iſius mons *Ægypt.* 834
Iſmaelitæ pop. *Arab. Petr.* 577
Iſmuc pop. *Numid.* 914
Iſondæ pop. *Scyth.* 756
Iſraelis regio *trans Iordanem* 521
Iſraelis regnum 397
Iſſatis opp. *Parth.* 703
Iſſedon Scythica 759
Serica 760
Iſſedones Scythæ 757
Iſſicus ſinus 3. 212
Iſſus opp. *Cilic.* 211
Iſtorium vide Stectorium.
Iſtriana opp. *Arab. Fel.* 597
Itabyrium mons *Galil.* 410. 421
Itamus portus *Arab. Fel.* 597
Iter ab Epheſo ad Euphratem 184
Ithar opp. *Arab. Fel.* 59

Ituræa regio 522. 529
Iucara *Arab. Deſ.* 591
Iud vide Iehud.
Iudæ regnum 398
Iudæ tribus oppida 393
Iudæa 455
Iudæa mediterranea 488
Iudææ maritima ora 503
toparchiæ 502
Iulia Traducta ſ Tingis 932
Iuliagordus opp. *Lydiæ* 121
Iulias opp. *Galil.* 413
vrbs *trans Iord.* 536
Iulienſes pop. *Phryg.* 130
Iuliopolis *Bithyn.* 254. 259. 230
in Olympena 254
Phryg. 130
Iuna opp. *Alban.* 316
Iunonia inſula 938
Iunonis templum in inſ. Samo 18
Iunonis ſolis inſula 941
Iunopolis vide Ionopolis.
Iuta opp. *Iud.* 496. 497
Ixia pagus *inſ. Rhod.* 26
Izanneſopolis *Babyl.* 639

K.

Kardu montes *Armen.* 324
Karkor opp. *trans Iord.* 556
Kedareni pop. *Arab. Petr.* 586
Kedaſa vide Kedes.
Kedemoth ciuit. *trans Iord.* 561
Kedes Kedaſa opp. *Galil.* 408
Kedes Naphthali ibid.
Kegila vicus *Iud.* 494
Kehelatha locus *Arab. Petr.* 587
Kepharnome vicus *Galil.* 415
Kerda vrbs *Armen.* 330
Kidron torrens 461
Kiriath Arba *Iud.* 479
Kiriath - Baal 488
Kiriathiearim ibid.
Kiriath ſepher 502
Kiriathaim vide Cariathaim.
Kiriathſanna 502
Kirioth vide Carioth.
Kiſion opp. *Galil.* 408
Kiſon fl. *Galil.* 426. 429
Kupha opp. *Babyl.* 630

L.

Labaca opp. *Ind.* 740
Labbana vide Lambana.
Labdia vide Laudia 926
Labranda vicus *Cariæ* 91. 92
Labrandeni Iouis templum 91
Labyrinthus *Ægypt.* 812
Lacedæmonia opp. *Cypri* 237
Lachis vrbs *Iud.* 492
Ladana *Armen. min.* 335
Lade inſ. *ad Milet.* 21
Læa inſ. *ad Cyren.* 853
Læſa, Læſcha vide Laſa.
Laganei opp. *Galat.* 154
Lagania ibid.
Lagnutum opp. *Mauret. Cæſ.* 920
Laguſſæ inſ *ad Troad.* 10
Lais opp. *Galil.* 407
Laiſa *Iud.* 489
Lala *Armen.* 528
Lalaſis opp. *Iſaur.* 192
Lamasba, Lamasbua *Numid.* 909
Lambæſa, Lambeſe *Numid.* 905
Lamiæ inſulæ *ad Troad.* 10
Lamida *Mauret. Cæſ.* 926
Lamotis regio *Cilic.* 202. 204
Lampſacus vrbs *Myſ.* 32
Lampſemandus inſ. *ſin. Ceram.* 25
Lamus fl. *Cilic.* 202
opp. 202. 204
Lamuſia regio 202
Landoſia *Galat.* 155
Lanigara *Mauret. Cæſ.* 927
Laodicea Cabioſa, *Cæl Syr.* 373
Combuſta, *Lycaon.* 159. 163. 174
ad Libanum, *Cæl. Syr.* 373
ſuper Lyco, *Phryg.* 131. 132
ad mare, *Seleucid.* 348. 349
Med. 669. 670. 695
Laodicena regio *Cæl. Syr.* 373
Lapathus, Lapethus vrbs *Cypri* 227
Lapithus fl. ibid.
Lar fl. *Arab. Fel.* 596
Larache opp. *Mauret. Ting.* 933
Laranda vrbs *Lycaon.* 174. 175
Larendani pop. *Arab.* 598
Lares opp. *Numid.* 903. ſq.
Laribus colonia 904
Lariſſa *Aſſyr.* 658
Lariſſa Ægyptia *Æol.* 57
Phriconis ibid.
ad Cymen ibid.
Lariſſa Epheſia 57
Syr. 356
Troad. 46. 57
Lariſſæi Apollinis templum 57

Larunæ-

Larunesiæ insulæ *ad Af.* 896
Laryces pop. *Ind.* 737
Laſa *trans Iord.* 566.567
Laſcoria *Galat.* 158
Laſia inſ. ſc. Lesbo 11
Latanea *Bithyn.* 261
Lathon fl. *Cyren.* 848
Latmicus ſinus *Ion.* 75
Latmos opp. *Ion.* 75
Lato, Latopolis *Ægypt.* 821
Latonæ lucus 85
vrbs *Ægypt.* 774.795
Latopolites nomos 774.795.821
Laud fl. *Mauret. Ting.* 930
Laudia opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Laugaſa *Cappad.* 295
Lauinaſena præfect. *Cappad.* 295
Lazi pop. *Colch.* 309
Leandis *Cappad.* 297
Lebaoth *Iud.* 501
Lebedos opp. *Ion.* 66
Lebna vide Libna.
Lectum, Lecton promont. *Troad.* 46.48.49
Ledrum opp. *Cypri* 237
Legio opp. *Galil.* 425
Leleges pop. *Myſ.* 37.41
Lemba opp. *Arab.* 575
Leontis fluuius *Phœnic.* 377
Leontopolis *Ægypt.* 783.ſq.
Leontopolites nomos *Ægypt.* 784.798
Leontos opp. *Phœnic.* 377.379
Leonum ciuitas 379
Lepidotum opp. *Ægypt.* 823
Lepria inſ. *ad Epheſ.* 16
Lepſia inſ. *in ora Cariæ* 20
Lepte promont. *Arab. fin.* 832
Leptis magna, vrbs *Syrt.* 858
minor ciuitas *Afr.* 868.869
Leros inſ. *Sporad.* 20
Lesbos inſula *Æol.* 11
Leſem vide Laiſa 489
Leſem opp. *Galil.* 407
Leſtarum regio *Ind.* 748
Lethæus fl. *Ion.* 78
Lethon fl. vide Lathon.
Letopolites nomos *Ægypt.* 774.795
Leuca 60
Leucæ ibid.
Leucæ camini, locus *Marmar.* 845
Napæ ibid.
Leucaſpis portus *Marmar.* 840
Leuce inſ. *Ind.* 749
Leucoa *Marmar.* 845
Leucolla promont. *Pamphyl.* 189.190
Leucophrys inſ. *Troad.* 11
Leucoſyri pop. *Cappad.* 282
Leucoſyrus fl. *Cilic.* 209
Leucotheæ pop. *Ægypt.* 827
Leugæſa *Cappad.* 300
Leuteon vide Ledrum 237
Liba inſ. ad *Gedroſ.* 700
opp. *Meſop.* 623
Libanus mons *Syr.* 369.ſqq.
Libias opp. *trans Iord.* 553.564
Libna *Arab. Petr.* 587
vrbs *Iud.* 492
Libya *Africa* 761
Libya arida 853
interior 942
Libya palus *reg. Syrt.* 861
Libyæ nomos *Marmar.* 845
Libyſſa *Bithyn.* 256
Libyſſus fl. *Bithyn.* 257
Liga fl. *Babyl.* 638
Lillium empor. *Bithyn.* 251
Limenia *Cypri* 235
Limyra *Lyciæ* 97
Limyrices pop. *Ind.* 737
Limyrus fl. *Lyciæ* 97
Lindiæ Mineruæ templum 26
Lindus vrbs, *inſ. Rhod.* 25.26
Liparæ inſ. *Propont.* 10
Liſſa opp. *Mauret. Ting.* 932
Litus magnum *Ægypt.* 964
paruum ibid.
Liuias, vide Libias.
Liuiopolis *Ponti* 286
Lix, Lixa, Lixus, opp. *Mauret. Ting.* 933
Lixus fl. ibid.
Lobna, Lobana, vide Libna.
Lod vide Lydda.
Lonibare oſt. *Indi fl.* 743
Lopaduſa inſ. *ad Af.* 896
Loryma litus *Cariæ* 84
opp. *Cariæ* 84
Lotophagi pop. *Syrt.* 862
Lotophagitis inſ. *mar. Syrt.* 864
Lubienorum gens *Iber.* 312
Lucinæ opp. *Ægypt.* 827
Luith opp. *Arab.* 573.574
Luma *Arab. Deſ.* 591
Luz opp. *Samar.* 453
Lybra vide Lyrba.
Lycaones pop. *Phryg.* 142
Lycaonia regio *Aſiæ* 172
Lycaonia præfect. *Cappad.* 291

Lycaſtum opp. *Ponti* 273
Lycia regio *Aſiæ* 93
mediterranea 101
Lyciorum Cherſoneſus 96
Lycomedis palus 954
Lycôn, Lycopolis *Ægypt.* 817
Lycopolites nomos *Ægypt.* 816. 817
Lycus fl. *Aſſyr.* 655
Bithyn. 251
Lydiæ 113
Myſ. 34
Phœnic. 377
Ponti 279
Phryg. 132. 148
Lydæ opp. *Cariæ* 86
Lydda *Palæſt.* 444
Lydi pop. *Aſiæ* 109
Lydia regio *Aſiæ* ibid.
Lydorum regnum 110
Lynx, Lynxo vide Lix.
Lynxama opp. *Lib. int.* 949
Lynxamatæ pop. ibid.
Lyrba *Piſid.* 171
Lyrneſus vrbs *Myſ.* 37
Lyſa *Arab. Petr.* 588
Lyſaniæ domus ſ. prouincia 523
Lyſias opp. *Phryg.* 130
Syr. 356
Lyſinia ciuitas *Piſid.* 165
Lyſira opp. *Iſaur.* 194
Lyſtra vrbs *Lycaon.* 173

M.

Maagrammum vrbs *Ind.* 752
Maarſares fl. *Babyl.* 630. 631
Mabartha vrbs *Samar.*
Macæ pop. *Syrt.* 856
Macaria inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Cyprus 225
Lesbos 11
Rhodus 25
Macaria opp. *Cypri* 228
Macatutæ pop. *Cyren.* 852
Macchida opp. *Iud.* 491
Maccocalingæ pop. *Ind.* 746
Maceda, Makeda opp. *Iud.* 491
Macedones Cadueni pop. *Lydiæ* 118
Macepracta vicus *Meſop.* 611
Maceſtus fl. *Myſ.* 42
Machærûs caſtell. *trans Iord.* 565. 566
Machelones pop. *Colch.* 309
Machmas vide Michmas.
Machmethath opp. *Samar.* 451
Machthoth opp. *Samar.* 451
Machuſii pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Macodama, Macomades, Macumades 871
Macomades minores ibid.
Syrtis 857
Numid. 908
Maconitæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Macris inſ. *Chios* 15
Icaros 19
Macrocephali pop. *Ponti* 286
Macrones pop. *Iber.* 312
Ponti 284
Macuma vicus *Syrt.* 856
Madagaſcar inſ. 939
Madaura opp. *Numid.* 911. ſeq.
Madene regio *Armen.* 325
Madia *Colch.* 310
Madian vrbs *Arab. Petr.* 575
Madianitæ pop. ibid.
Madoce opp. *Arab. Fel.* 596
Madurus *Numid.* 911
Mæandropolis *Cariæ* 89
Mæander fl. *Ion.* 73. 138
mons *Ind.* 748
Mæonia opp. *Lydiæ* 118
regio 109
Mæotæ pop. 302
Mæotis palus, vide in Europa.
Mæſolia regio *Ind.* 737
Mætona opp. *Perſ.* 696
Magaba mons *Galat.* 152. 153
Magarſos opp. *Cilic.* 209
Magarſis Minerua ibid.
Magdala caſtell. *trans Iord.* 549
Magdalum 84
Magdol vide Migdol.
Magdolum *Ægypt.* 804. ſq.
Mageddo vide Megiddo.
Mageth opp. *trans Iord.* 541
Magneſia ad Mæandrum *Ion.* 77. 78
ſub Sipylo *Lyd.* 116
Magnetes pop. *Ion.* 78
Lydiæ 117
Magnopolis *Ponti* 279
Magnopolitis tractus 279
Magnum promontorium *Maur.* 923
Magnus campus *Galil.* 429
Mago fl. *Ind.* 736
Magog opp. *Syr.* 360
Magorum inſ. *Arab. ſin.* 601. 837. 965
ſinus 597
Maguda opp. *Meſop.* 607
Magura opp. *Lib. int.* 947

Maguza *Arab. Petr.* 588
Magydos opp. *Pamphyl.* 187
Mahanaim *trans Iord.* 552
Maiozamalcha vrbs *Babyl.* 638
Maiuma vicus *Iud.* 512
Malacath opp *Lib. int.* 947
Malæi colon promont. *Ind.* 748
Malamantus fl. *Ind.* 734
Malana *Gedroſ.* 729
Malanogætuli pop. 943
Malata *Iud.* 500
Malchubii pop. *Mauret. Cæſ.* 925
Maleos empor. *Æthiop.* 963
Malia promont. *inſ. Lesbi* 11
Maliana opp. *Arachoſ.* 725
Maliatha *Arab. Petr.* 588
Malichi inſulæ *Arab. Fel.* 601
Mallaba opp. *Arab. Fel.* 597
Malli pop. *Ind.* 737. 741
Mallus mons *Ind.* 737
 opp. *Cilic.* 209
Malua, Maluana fl. *Mauret. Cæſ.* 923
Malum opp. *Cypri* 231. 232
Mammida *Perſ.* 696
Marmortha vrbs *Samar.* 434
Mampſarus mons *Afr.* 891. ſq 893
Mamre lucus *Iud.* 479
Mamuga opp. *Syr.* 357
Manarpha empor. *Ind.* 745
Manaſſitidis oppida 394
Manchane opp. *Meſop.* 614
Manchurebi pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Mancoi gens *Lib. int.* 948
Manda fl *Ind.* 736
Mandaeth vicus *Ægypt.* 836
Mandagarſis opp. *Med.* 671
Mandalæ pop. *Ind.* 737
Mandropolis *Phryg.* 144
Mania *Parth.* 704
Manith villa *Arab.* 572
Manliana *Mauret. Cæſ.* 927
Mantinium *Paphlag.* 270
Maogamalcha *Babyl.* 638
Maon opp. *Iud.* 501
 ſolitudo ibib
Maoſcopus opp. *Arab. Fel.* 598
Mapeta *Scyth.* 756
Mapura opp. *Ind.* 745
Marabius fl. *Scyth.* 755
Maracanda vrbs *Sogd.* 712. 714
Marace empor. *Arab. Fel.* 596
Maracodra *Bactr.* 712
Marane opp. *Arab. Fel.* 597. 598
Maranthis vicus *Cyren.* 851
Marathesium opp. *Ion.* 72
Marathos opp *Syr.* 350. 358
Marathuſa inſ. *Aſ.* 16. 17
Marazania *Aſ.* 879
Mardara *Ponti* 286
 Armen. min. 335
Marde opp. *Aſſyr.* 658
Mardene regio *Perſ.* 693
Mardi pop. *Armen.* 327
 Elym. 691. 693
 Margian. 708
 Med. 665. 710
Mardus fl. *Med.* 665
Mardyeni pop. *Sogd.* 713
Mare rubrum 697
Mare ſalis, lacus *Iud.* 485
 mortuum 484
Marea opp. *Ægypt.* 768
Mareia lacus *Ægypt.* 767
Mareotes nomos *Ægypt.* 795
Mareoticum vinum 768
Mareotis lacus vide Mareia.
Mareotis, Mareotes regio *Ægypt.* 766
Marêſa opp. *Iud.* 499
Mareu inſ. *Arab ſin.* 837
Margana opp. *Ind.* 752
Margarum opp *Numid.* 908
Margarum vide Naraggara.
Margaſi pop *Med.* 665
Margiana regio 707
Margus fl. *Margian.* 708
Maria, Mania 704
Maria vid Marea.
Mariaba *Arab.* 598. 600
Mariame, Mariamma *Syr.* 357. 358
Mariammia eadem.
Mariammitæ pop. 358
Mariamne turris munita *Hieroſol.* 459
Mariandyni pop. *Bithyn.* 240
 ſinus 248
Mariandynia regio *Bithyn.* 249
Mariſſa vide Marêſa.
Marium opp. *Cypri* 236
Marma *Arab. Fel.* 597
Marmarenſium rupes *Lyciæ* 100
Marmarica regio 838
 mediterranea 842
Maronias opp. *Syr.* 364
Marpeſſus opp. *Troad.* 47
Marraſio opp. *Perſ.* 696
Marriche, Mariche opp. *Parth.* 704
Marſes fl. *Babyl.* 628

Marſias

Marſias fl. *Babyl.* 630
Marſyas amnis *Phryg.* 137. 138. 148
Syr. 340
Marſyas campus *Syr.* 364
Marteni, Martini pop. *Arab. Deſ.* 592
Martyropolis *Meſop.* 624
Maruca opp. *Sogd.* 714
Marundæ pop *Med.* 665
Maſada, Maſſada caſtell. *Iud.* 482
Maſadalis opp. *Mar mar.* 845
Maſani pop. *Arab Deſ.* 592
Maſata opp. *Armen. min.* 335
Maſclianæ opp. *Af.* 877. 878
Maſcula *Numid.* 908
Maſi pop. *Maur et. Ting.* 936
Maſii pop. *Perſ.* 693
Maſilibyum vide Maſylibum.
Maſinda *Carman.* 699
Maſitholus fl. *Lib. int.* 946
Maſius mons *Armen.* 322
Meſop. 622
Maſpha *Galaad* 541
Iud. 493
terra *trans Iord.* 525
Maſſa fl. *Lib int.* 946
Maſſabarica præfect *Elym.* 687. 693
Maſſaca, Maſſaga, Mazagæ vrbs *Ind.* 738
Maſſæi pop. *Scyth.* 758
Maſſæſylii pop. *Numid.* 898. 915
Maſſaga, vide Maſſaca.
Maſſagetæ pop. 709. 716. 717. 718
Maſſala *Arab.* 599
Maſſice vicus *Meſop.* 611
Maſſycites mons *Lyciæ* 104. 105
Maſſyli pop *Numid.* 898. ſq.
Maſtaura vrbs *Lydiæ* 122
Maſte opp. *Æthiop.* 960
mons ibid.
Maſthala *Arab.* 599
Maſtrum opp. *Paphlag.* 370
Maſtya Mileſiorum opp. *Paphlag.* 370
Maſuchis opp. *Marmar.* 845
Maſylibum, Maſilibyum promont. *Numid.* 915
Matelgæ opp *Lib. int.* 947
Mateni pop. *Scyth.* 756
Matiana regio *Med.* 666
Matites pop *Lib. int.* 949
Matnan regio *Baſan* 530
Matylus vide Magydos 187
Maubæ opp. *Meſop* 606
Maurenſii pop. *Mauret. Ting.* 936
Mauretania 918
Mauretania diuiſa 928. ſq.
Cæſarienſis 918
Sitifenſis 923
Tingitana 928
Mauretaniæ Cæſarienſis mediterranea 923
Tingitanæ 935
Mauri, Mauruſii pop. 928. ſq.
Mauruſia regio ibid.
Mauſoca opp. *Hyrcan.* 707
Mauſoli monimentum 81
Maxala opp. *Lib. int.* 948
Maxera fl. *Hyrcan.* 707
Maxeræ pop. ibid.
Maximianopolis 435
Maxula, Maxulla *Afr.* 883
Maxula vetus *Af.* 891
Mazaca *Cappad.* 293
Mazara *Armen.* 328
Mazices pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Mazor vide Mizraim.
Mechleſſus *Colch.* 310
Mechmas vide Michmas.
Medaba, Medba, Medaua *trans Iord.* 559. 560
Medaba vrbs *Arab.* 585
Medamne regio 603
Medaura vide Madaura.
Medeman 516
Media regio 664
Media Atropatene 665
magna 666. 667
Mediæ vniuerſæ diuiſio 665
Mediccara *Afr.* 891
Meddin opp. *Iud.* 481
Medilitani pop. 891
Medmaſſa *Cariæ* 92
Medus fl. *Perſ.* 681. 682
Megabradi, Megabari pop. *Æthiop.* 960
Megarſus collis *Cilic.* 209
Megia *Meſop.* 611
Megiddo opp. *Galil.* 426
Megisba lacus *Ind.* 751
Megiſta inſ. *Cilic.* 225
Me Iarkon opp. *Iud.* 515
Melamphylos, Melamphyllos inſula 18
Melanchlæni pop. *Boſpor.* 304. 755
Melane inſula *ad Epheſ.* 16
Melange empor. *Ind.* 745
Melanippea petra 223
Melano inſula *ſin. Ceram.* 25
Melanogætuli pop. 943
Melas fl. *Pamphyl.* 189
Meldira *Af.* 891
Meles fl. *Ion.* 62

Meleteæ chartæ 62
Meliboea inſ. *Syr.* 347
Meliſſa vicus *Phryg.* 139
Melitara *Phryg.* 130
Melite opp. *Ion.* 78
Melitene præfect. *Cappad.* 298
tractus *Suſ.* 682
vrbs *Cappad.* 298. 299
Membreſa, Membreſſa, Membriſſa *Afr.* 893
Memnon locus *Ægypt.* 820
Memnones pop. *Æthiop.* 961
Memnonia, *Suſa* 683
Memnonium ſtatua 820. 826
Memphis vrbs *Ægypt.* 809
Memphitis nomos *Ægypt.* ibid.
Mena inſ. *Æthiop.* 965
Mendes opp. *Ægypt.* 778. 783. 798
Mendeſium oſtium Nili 778
Mendeſius nomos *Ægypt.* 798
Menelaites nomos *Ægypt.* 796
Menelaus vrbs *Ægypt.* 774. 796
Marmar. 841 ſq.
Meninx inſ. *mar. Syrt.* 864
opp. ibid.
Mennith opp. *Arab.* 572
Menois opp. *Iud.* 516
Menſis Cari fanum *Phryg.* 135
Menuthias inſ. *Æthiop.* 965. ſq.
an S. Laurentii inſ. 965
an Zanzibar inſ. ibid.
Meones pop. *Lydiæ* 109
Mephaath opp. *trans Iord.* 561
Meraphii pop. *Perſ.* 693
Mercurialis pagus *Afr.* 891
Mercurii opp. vide Hermopolis.
promont. *Af.* 880
Meriaba vrbs *Arab. Fel.* 598
Meroë inſ. Nili 956
an pæninſula ? 957
vrbs 956
Merope inſula *Cos* 21. 22
Meropis terra 969
Merus mons *Ind.* 739
opp. *Phryg.* 146
Meſene inſ. *Tigris* 635
alia ad oſtia Tigris 641
Meſene regio *Babyl.* 636
Meſeni pop. 636
Meſeus vide Moſæus.
Meſine opp. *Cypri* 237
Meſogis mons *Lydiæ* 119. 146
Meſopotamia 602
Meſopotamia propria 604
Meſopotamia Syriæ 602
Meſopotamiæ diuiſio ſub Romanis 605
Meſopotamiæ mediterranea prouinciæ 614
603
Meſotimolitæ pop. *Lydiæ* 112
Meſotimolus opp. ibid.
Meſſabatica, Meſabetene, vide Maſſabatica.
Meſtleta *Iber.* 311
Metacompſo opp. *Ægypt.* 829
Metagonitæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Metagonitis, *Numidia* 899
Metagonitis promont. *Mauret. Ting.* 929
Metagonium locus ibid.
Metélis vrbs *Ægypt.* 779
Metelites nomos *Ægypt.* 779. 797
Methymna *Lesbi inſ.* 13
Metita opp. *Cappad.* 295
Metores pop. *Perſ.* 693
Metropolis *Lydiæ* 121
Phryg. 139
Metroum oppid. *Bithyn.* 252
Michææ patria 494
Michmas opp. *Iud.* 468
Midaium opp. *Phryg.* 126
Midian vrbs 575
Migdol *Ægypt.* 804. 805
Mileſii pop. *Ion.* 76
Mileſiorum munimentum *Ægypt.* 781
Miletopolis *Myſ.* 33
Miletus vrbs *Ion.* 77
Mileum, Mileuum, Mileui vrbs *Numid.* 910
Milizgeris inſ. *Ind.* 749
Millo Zionis montis pars 458
Miltus opp. in *inſ. Carman.* 700
Milyas vrbs *Piſid.* 171
Milyas regio *Lyc.* 106. 107
Mimaci pop. *Lib. int.* 949
Mimas mons *Ion.* 63. 64
Min opp. *Sacarum* 718
Minæa regio *Arab.* 598
Minæi pop. 597. ſq.
Mini mons 316
Minizus opp. *Galat.* 154
Minnith xx oppidorum *Arab.* 572
Minniza opp. *Syr.* 363
Minyia inſula *Aſ.* 21
Miſael opp. *Galil.* 407
Miſdia regio *Perſ.* 693
Miſia opp. *Alban.* 316
Miſtheia *Lycaon.* 175
Miſthium opp. *Piſid.* 163
Miſua vide Niſua.
Miſulani, Miſulami pop. *Numid.* 915

Miſynus inſ. *mar. Syrt.* 863
Mithridatium caſtell. *Galat.* 157
Mitylene, Mitylenæ vrbs *Lesbi int.* 13. 14
Mizaar mons *trans Iord.* 523
Mizagus opp. *Galat.* 154
Mizpa *trans Iord.* 525
Mizpe *Arab.* 574
Iud. 493
regio *trans Iord.* 557
Mizpeh Gilead 541
Mizraim, Miſraim 800
Mnaſyrium *inſ. Rhodi* 26
Mnemium promont. *Ægypt.* 834
Mniara *Mauret. Cæſ.* 927
Mnizus, Mniſus, Mnyzus, vide Minizus.
Moab ciuitas *Arab. Petr.* 573
Moabitæ pop. 573
Moabitis regio ibid.
Moca opp. *Arab. Petr.* 589
Modacæ pop. *Sarmat.* 756
Modiacus mons *Galat.* 153
Modiana *Arab. Fel.* 595
Modim vicus *Iud.* 469
Modomaſtice regio *Carman.* 698
Modra locus *Bithyn.* 149
Modunga *Mauret. Cæſ.* 927
Moduti empor. *Ind.* 752
Mœnenum caſtell. *Iud.* 516
Mœris lacus *Ægypt.* 811
Mœſia opp. *Parth.* 704
Mogrus fl. *Colch.* 309
Molada *Iud.* 498
Molibæ pop. *Æthiop.* 960. ſq.
Molochath opp. *Mauret. Ting.* 935
fl. 929
Molte opp. *Phryg.* 146
Momemphis *Ægypt.* 774
Monarite vinum 298
Mondi inſ. *Æthiop.* 965
Monocaminum opp. *Ægypt.* 768
Monodactylos mons *Ægypt.* 835
Monogloſſum empor. *Ind.* 743
Montuoſa Cherſoneſus *Ægypt.* 836
Moph vrbs *Ægypt.* 801. 806
Mopſi fons, vide Mopſucrene.
Mopſos vrbs *Cilic.* 219
Mopſucrene opp. *Cappad.* 296
Mopſueſtia *Cilic.* 219
Moraſthi opp. *Iud.* 494
Mordi portus *Ind.* 752
Mordiæum opp. *Piſid.* 163
Morena pars Myſiæ 41
Moriah collis *Hieroſol.* 458
Motontobari opp. *Gedroſ.* 729
Morthula *Colch.* 309
Moru opp. *Æthiop.* 956
Moſæus fl. *Perſ.* 676. 682
Moſcha portus *Arab. Fel.* 597
Moſchi pop. *Boſpor.* 303. 312
Moſchici montes *Armen.* 321
Iber. 310
Moſega *Alban.* 316
Moſon *Paphlag.* 270
Moſſylicus portus 963
Moſtena *Lydiæ* 115
Moſtenæ nuces 115
Moſteni pop *Lydiæ* 115
Moſylon promontorium & empor. *Æthiop.* 963
Moſyna *Phryg.* 146
Moſynœci, Moſſyni pop. *Ponti* 283. 285
Motene regio *Armen.* 325
Mozambicum promontorium 965
Muchthuſii pop. *Syrt.* 862
Mucuni pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Mulucha fl. 915. 921. 927
Mundi, Mondi empor. *Æthiop.* 963
Munychiæ Dianæ templum 72
Muruis opp. *Af.* 875
Murus Megaleſius *Galat.* 156
Muſa empor. *Arab. Fel.* 595
Muſarna opp. *Carman.* 699
Gedroſ. 729
Muſeum pars regiæ Alexandr. 770
Muſicani pop. *Ind.* 737. 742
Muſis fl. *Armen.* 314. 321
Muſopale vrbs *Ind.* 745
Muſſe opp. *Af.* 892
Muſſini, Muſuni pop. *Numid.* 915
Muſta *Syrt.* 862
Muſti opp. *Afr.* 892. 893
Muſul vrbs *Meſop.* 623
Muſulani pop. *Numid.* 915
Muthul fl. *Numid.* 913
Muziris lacus *Ind.* 744
Muziris, Muxiris empor. *Ind.* 744
Mya inſ. *ſin. Ceram.* 29
Mycale montanus tractus *Ion.* 71
vrbs *Ion.* 72
Mygdonia regio *Meſop.* 604. 622
Mygdonius fl *Meſop.* 623
Mylaſa vrbs *Cariæ* 91
Mylaſſenſium nauale 25
Mylychath fl. *Mauret. Cæſ.* 921
Myndus opp. *Cariæ* 80
Trœzeniorum colonia ibid.

Myon-

Myonneſus inſ. *ad Epheſ.* 16
promont. *Ion.* 66
Myoshormus portus *Arab. ſin.* 831
Myra opp. *Lyciæ* 96
Myræum opp. *Numid.* 904
Myriandricus ſinus 344
Myriandrus opp. *Syr.* ibid.
Myrice inſ. *Æthiop.* 965
Myrina *Æol.* 55
Myrini campi 55
Myrlea vrbs *Bithyn.* 240
Myrmex inſ. *ad Cyren.* 853
Myronis inſ. *Arab. ſin.* 837. 965
Myrrhifera regio *Æthiop.* 962
Myſia opp. *Parth.* 704
Myſia regio *Aſiæ* 29
Myſia Abrettena 41. 42
combuſta 30
Helleſpontia 35
maior 29. 30. 39
minor 29. 30
Morena 41
Olympena 30
vtraque 29
Myſius fl. 41
Myſocaras portus *Mauret. Ting.* 934
Myſomacedones pop. 41. 122
Myus opp. *Ion.* 73. 77
Myuſius ager 77
Muza, vide Muſa.

N.

Naama *Arab. Deſ.* 593
Naaratha *Samar.* 439
Naarda opp. *Meſop.* 610
Naarmalcha fl. *Babyl.* 628. 629
Nababurum opp. *Mauret. Cæſ.* 925
Nabaris opp. *Ariæ* 722
Nabata tractus *Samar.* 449
Nabatæi pop. *Arab. Petr.* 585
Nabathræ pop. *Lib. int.* 949
Nabrum fl. *Gedroſ.* 726. 727
Nacis opp. *Æthiop.* 956
Nacolea vrbs *Phryg.* 125
Nacraſa *Lydiæ* 116
Nadagara opp. *Numid.* 908
Næpapha vicus *Galil.* 430
Nagara *Ind.* 738
Naggata vide Napata.
Nagia *Arab.* 598
Nagidus opp. *Cilic.* 197
נהר quid ſignificet 646
Naharſares vide Maarſares.
Nain opp. *Galil.* 423
Nais vicus *Samar.* 423
Namadus fl. *Ind.* 736
Nanaguna fl. *Ind.* ibid.
Nanagunæ fl. oſtium 744
Napata vrbs *Aethiop.* 956. ſq.
Napatæi pop. *Arab.* 600
Napegus opp. *Arab. Fel.* 596
Napha *Babyl.* 638
Naphoth Dor *Samar.* 440
Naphthali tribus 396
Naphthalitici fines ibid.
Naraggara *Numid.* 907
Narmacha fl. *Babyl.* 628
Narmalaches fl. ibid.
Narraga fl. *Babyl.* 630
Narthecis inſ. *ad Samum* 18. 19
Naſabath fl. *Mauret. Cæſ.* 926
Naſabutes pop. *Numid.* 915
Naſamones pop. *Cyren.* 852. 862
Naſaua fl. *Mauret. Cæſ.* 919
Naſcus opp. *Arab. Fel.* 597. ſq.
Naſibis vide Niſibis.
Naſidium promont. *Sami* 18
Naſſunia *Sarmat.* 756
Natabudes pop. *Numid.* 915
Natolia 2
Naucraticum oſt. *Nili* 777
Naucratis opp. *Ægypt.* 779. ſeq.
Naucratites nomos *Ægypt.* 797
Naulibe opp. *Ind.* 738
Naulibis opp. *Paropam.* 720
Nauſtathmus portus *Ponti* 271
Cyren. 847
Nautaca opp. *Sogd.* 714
Naxuana opp. *Armen.* 329
Nazara vicus *Galil.* 425
Nazareth *Galil.* 422. 423
Nazerini pop. *Syr.* 354
Nazianzus opp. *Cappad.* 294
Nea Paphos vrbs *Cypri* 234
Neandra opp. *Troad.* 47. 50
Neapolis *Ægypt.* 824
Babyl. 639
Cariæ 88
Colch. 307
Cyren. 851
Ion. 72
Piſid. 164
Samar. 433. 435
Syrt. 857
Zeugit. 880
Nearda, Nehardea *Meſop.* 610

Nebo

Nebo mons *trans Iord.* 562
opp. ibid.
Necbræi pop. *Ind.* 737
Nebſan opp. *Iud.* 481
Necheſia *Ægypt.* 832
Necla *Arab. Petr.* 588
Necropolis ſuburbium *Alexandr. Ægypt.* 770
Nectiberes pop. *Mauret. Ting.* 936
Nega opp. *Alban.* 316
Negeta *Af.* 891
Neharda, Nehardea, vide Naarda.
Nemeſium opp. *Marmar.* 845
Nemra *trans Iord.* 553
Nemrim Aquæ *Arab.* 574
Nenſa opp. *Afr.* 892
Neocæſarea *Ponti* 279
Neoclaudiopolis *Paphlag.* 270
Neontichos opp. *Æol.* 57
Neoris opp. *Iber.* 311
Nephelis opp. *Cilic.* 196
Nepheris opp. *Af.* 895
Nephet opp. *Samar.* 440
Neptuni aræ *Af.* 890
Neptunium vrbs *inſ. Carpath.* 23
Neronias opp. *Cilic.* 204
Neſibis, vide Niſibis.
Neſibitana colonia 623
Neſiotis regio *Scyth.* 756
Neſuni, vide Veſuni.
Neudrus fl. *Ind.* 735
Nëut nomos *Ægypt.* 785. 798
Nia fl. *Lib. int.* 946
Niara *Syr.* 363
Nibarus mons *Armen.* 322
Nicæa *Bithyn.* 255. 256
Ind. 737. 741
Nicama vrbs *Ind.* 745
Nicatorius mons *Aſſyr.* 660
Nicephorium opp. *Meſop.* 606
Nicephorius fl. *Armen.* 321
Niciæ oppidum *Ægypt.* 780. 797
Nicomedia vrbs *Bithyn.* 243
Niconis dromus *Æthiop.* 964
Nicopolis *Ægypt.* 771. ſeq.
Armen. min. 333
Bithyn. 261
Cilic. 212. 220
Lydiæ 119
Palæſtin. 472. 473
Phrygiæ 146
ſub Tauro monte 220
Nigæa vide Niſæa.
Nigamma vrbs *Ind.* 745
Nigbeni pop. *Syrt.* 862
Nigintimi pop. *Syrt.* ibid.
Nigira vrbs *Lib. int.* 948
Nigri montes *Arab. Petr.* 582
Nigris, Nigir fl. *Lib. int.* 944. ſq.
Nigritæ pop. 944. 945
Nigrœ pop. 945
Nigrum promont. *Bithyn.* 247
Nii opp. *Drang.* 723
Nili aluei 775
Nili fiſſio 775. 776
fontes 775. 962. 963
lacus 962
oppidum, vide Nilopolis.
origo 962
oſtia 775. ſqq. 958
varia nomina 958. 959
Nilopolis *Ægypt.* 810
Ninoë vrbs *Cariæ* 88
Ninus, Nineue vrbs *Aſſyr.* 659. 660
Ninus vetus opp. *Syr.* 361
Niphanda opp. *Paropam.* 720
Niphates mons *Armen.* 320. 322
Nipiſta opp. *Carman.* 699
Niſa opp. *Lyciæ* 107
Niſæa *Marg.* 708
Niſæi equi *Med.* 673
Niſæus campus *Med.* 673. 704
Niſibes, Niſiues pop. *Numid.* 914
Niſibis vrbs *Meſop.* 622. 623
opp. *Ariæ* 722
Niſua *Afr. propr.* 883
Niſyros inſ. *contra Cariam* 23
opp. inſ. *Carpath.* 23
Nitra, Nitrias locus *Ind.* 744
Nitria vicus *Ægypt.* 769
Nitriæ mons ibid.
Nitrariæ ibid.
Nitriotis nomos *Ægypt.* 774. 795
Niuaria inſ. 938
No vrbs *Ægypt.* 806. 807
Nob, Nobe opp. *Iud.* 469
Nobah opp. *trans Iord.* 557
Nobatæ pop. 954
Nolaſene opp. *Cappad.* 295
Nomades *Arab.* 587. 594
Numid. 898
Scyth. 758
Nomi Ægypti 765. ſq. 794. ſq.
Nomos ſ. præfectura Ægypti 765. 795
Noph vide Moph.
Nora caſtell. *Cappad.* 290

Noroſſi pop. *Scyth.* 756
Noroſſus mons ibid.
Noſcopium opp. *Lyciæ* 105
Noſtana opp. *Drang.* 725
Noti cornu promont. *Æthiop.* 964
aliud ibid.
Notium litus *Ion.* 69
opp. ibid.
Nouaris opp. *Scyth.* 756
Nouum, munitus locus *Ponti* 281
Nouus murus opp. *Æol.* 58
Nouus orbis an antiquis notus fuerit? 967
Nuba fl. *Lib. int.* 949
palus ibid.
Nubæ, Nubi *Lib. int.* pop. 949. 961
alii ibid.
Nubarta *Ind.* 752
Nubei *Aethiopes* 949
Nubienſe regnum ibid.
Nubium vicus *Iber.* 311
Nuius fl. *Lib. int.* 946
Numidia regio 897
Numidia Maſiniſſæ nomine clara 900
Maſſæſyliorum 898. ſq. 915
Maſſylorum 899
Noua 900
propria 899
prouincia facta 916
vetus 900
Numidiæ diuiſio 898. 899
propriæ mediterranea 902
Numidicus ſinus 891
Nuroli opp. *Afr.* 891
Nycpii pop. *Syrt.* 862
Nygbenitæ pop. *Aethiop.* 957
Nymphæa inſ. *Cos* 22
Nymphæum *Bithyn.* 252
Nymphæus ſpecus *Syr.* 347
Nymphius, Nymphæus fl. *Meſop.* 624
Nyſa, Nyſſa *Arab.* 595
Capp. 289
Cariæ 89
Ind. 739
Lydiæ 121

O.

Oaracta inſula 700
Oaſis vrbs *Aegypt.* 814
Oaſis magna 814. 815
parua ibid.
ſuperior 815
inferior ibid.
Oaſis iuxta Abydum 814
Mœridis lacum ibid.
Ammonis Oraculum ibid.
Oaſitæ nomi *Aegypti* 814
Obareni pop. *Armen.* 325
Obaſa *Piſid.* 166
Obidiaceni pop. 303
Oboth *Arab.* 588
Obrima fl. 137
Oca vrbs *Perſ.* 695
Oce vide Taoce.
Ocelis empor. *Arab. Fel.* 596
Ochus fl. *Bactr.* 710
Ochyroma *Rhodi inſ.* 27
Octapolis *Lyciæ* 104
Odagana *Arab.* 591
Odmana *Syr.* 367
Odoca *Ind.* 752
Odolla vide Adolla.
Odrangidi *Aethiopes* 949
Oea, Oeenſis ciuitas *Syrt.* 859
Oecath vide Thicath.
Oecharda fl. *Ser.* 760
Oechardæ pop. ibid.
Oechardus mons *Scyth.* 758
Oenanthia opp. *Boſpor.* 304
Oeneanda *Lyciæ* 106
Oenium nemus 107
Oenoanda vide Oroanda.
Oenoë opp. *inſ. Icari* 19
Ponti 274
Oenunia *Parth.* 704
Oenuſſa inſ. *ad Chium* 16
Oeſporis vicus *Syrt.* 855
Oetei pop. *Scyth.* 757
Ogi regiæ 532. 533
Ogdæmi pop. *Marmar.* 847
Ogyris inſ. *Carman.* 700
Olabûs inſ. *Babyl.* 639
Olane caſtell. *Armen.* 332
Olba, Olbaſa *Cilic.* 203. 205
Piſid. 166. 175
Lycaon. 174. 175
Olbia *Bithyn.* 244
Pamphyl. 186
Olbianus ſinus 244
Olcachites ſinus *Numid.* 902
Oleaſtrum promont. *Mauret. Ting.* 930
Olenus opp. *Galat.* 154
Olgaſis mons *Paphlag.* 270
Olibera *Meſop.* 625
Oliuarum mons 462
Oloëſſa inſ. ſ. Rhodus 25

Olondæ pop. *Scyth.* 756
Oloſtræ pop. *Ind.* 743
Olympena ciuitas *Bithyn.* 254
Olympeni pop. ibid.
Olympus mons *Bithyn.* 240. 254
Cypri 229
Galat. 157
Lyciæ 97
Myſ. 30
Olympus vrbs *Lyciæ* 97
Omalis fl. *Ind.* 736
Omana ſinus *Arab.* 596
Ombi vrbs *Ægypt.* 827
Ombites nomos *Ægypt.* ibid.
Ombrea *Meſop.* 625
Ombrios inſ. *Fortun.* 938
Omira fl. *Armen.* 319
Omiza *Gedroſ.* 729
Omma fl. in MSS. pro Omira.
Omniim pop. 555
On vrbs *Ægypt.* 802
Onaſada *Lycaon.* 175
Oniæ vrbs *Ægypt.* 787
Onne opp. *Arab.* 595
Ono opp. *Iud.* 469
Onugnathos promont. *Cariæ* 84
Onuphis vrbs *Ægypt.* 782. 798
Onuphites nomos *Ægypt.* 798
Opher vide Hepher.
Ophiodes inſ. *Ægypt.* 834
Ophiodes fl. *Lib. int.* oſtia 946
Ophioëſſa inſ. *Propont.* 10
Ophiophagi pop. *Ægypt.* 838
Ophir regio *Ind.* 744. 748
Ophis fl. *Colch.* 309
Ophiuſa inſ. *Rhodus* 25
Ophla, Ophel collis *Hieroſol.* 460
Ophni opp. *Iud.* 468
Ophra *Iud.* 473
Ophrynium *Troad.* 44
Opinum opp. *Maur. Ting.* 936
Opis empor. *Chald.* 640
Opiûs opp. *Colch.* 308
Opone empor. *Aethiop.* 963
Oppidium opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Oppidum nouum colonia 927
Oppinum opp. *Mauret. Ting.* 936
Ora opp. *Carman.* 699
Ora opp. *Ind.* 739
an *Gedroſ.* vrbs? 730
Oraſca *Carman.* 699
Oratha *Meſenes inſ.* 634
Orbadaru opp. *Aethiop.* 958
Orbanaſſa *Piſid.* 166
Orbitana *Ariæ* 722
Orcheni pop. *Chald.* 644
Orchiſtena regio *Armen.* 325
Orchoe opp. *Chald.* 643
an Vr Chaldææ? ibid.
Orciſtus opp. *Galat.* 159
Orga fl. *Phryg.* 137. 144
Orgaſi pop. *Scyth.* 758
Orgomanes vide Dargomanes.
Origens *Gedroſ.* 728
Orine inſ. *Ægypt.* 836
Oriſſitides inſ. *Arab. ſin.* 837
Oritæ pop. *Gedroſ.* 728. 730
Oritæ vnde appellati? ibid.
Oriza *Syr.* 367
Orneôn inſula *Arab. ſin.* 837. 965
Ornithôn oppidum *Phœnic.* 381
Oroanda vrbs *Piſid.* 162
Oroatis fl. *Perſ.* 677. 679
Oroba opp. *Aſſyr.* 664
Orobatis opp. *Ind.* 739
Oroma fl. *Armen.* 320
Oromandrus opp. *Armen. min.* 335
Oronæ opp. *Arab.* 575
Oronda vide Oroanda.
Orondici pop. *Piſid.* 162
Orontes fl. *Syr.* 347
Orontes mons *Med.* 665
Oropus opp. *Syr.* 386
Oroſana *Ser.* 760
Orphes pop. *Lib. int.* 949
Orſa *Armen.* 335
Ortacea fl. *Elym.* 687
Orthoſia opp. *Phœnic.* 375
pagus *Cariæ* 87
vicus *Lydiæ* 123
Ortopana *Paropam.* 720
Ortoſpana ibid.
Oſcana *Gedroſ.* 729
Oſica *Alban.* 316
Oſroëne regio *Meſop.* 603. 604
Oſtracine opp. *Ægypt.* 792
Otene regio *Armen.* 325
Othura vrbs *Ind.* 745
Otrum opp. *Phryg.* 146
Otryæ opp. ibid.
Ottorocorrha opp. *Ser.* 760
Ottorocorrhas mons 760
Oxiana opp. *Sogd.* 714. 715
Oxiani pop. 713
Oxi petra *Sogd.* 714
Oxii pop. *Perſ.* 675. 690

Oxina fl. *Bithyn.* 252
Oxira *Meſop.* 625
Oxus fl. *Hyrcan.* 705
Oxydracæ pop. *Ind.* 737. 742
Sogd. 713
Oxyrynchites nomos *Ægypt.* 812. ſq.
Oxyrynchus vrbs *Ægypt.* ibid.
Ozene vrbs *Ind.* 745
Ozogardana *Meſop.* 611
Ozola *Arachoſ.* 725

P.

Pachnamunis vrbs *Ægypt.* 797
Pacoria opp. *Meſop.* 610
Pactolus amnis aurifer *Lydiæ* 60. ſq. 111
Pactya mons *Ion.* 78
Padæi pop. *Ind.* 746
Paddan-Aram 386. 602
Pæna inſ. *Ocean.* 937
Pæpia opp. *Mauret. Cæſ.* 924
Pæſicæ pop. *Scyth.* 757
Pæſus fl. *Myſ.* 33
opp. 32
Pagana opp. *Gedroſ.* 729
Pagræ opp. *Syr.* 374
Pagraſa *Ind.* 748
Palacenti opp. *Sogd.* 718
Palæbyblus opp. *Phœnic.* 377
Palæmaria vicus *Ægypt.* 768
Palæmyndus opp. *Cariæ* 80
Palæpaphos vrbs *Cypri* 234
Palæſimundi inſula, *Taprobane* 750. 751. 752
Palæſtina 390. 391
Palæſtinæ diuiſio in v conuentus 399
regna 397
tetrarchias 399
tribus 392
ſub Romanis 398
Palæſtini pop. 504
Palætyrus *Phœnic.* 381. 383
Palatſcha *Ion.* 75
Palibothra vrbs *Ind.* 745
Paliuri palus *Cyren.* 851
Paliurus opp. *Marmar.* 842
Palla inſ. *Ind. mar.* 700
Pallacopa fl. *Babyl.* 631
Palladis ara inſ. *Arab. ſin.* 837
Pallas palus *Syrt.* 861
Palmarum ciuitas, *Ericho* 467
Palmyra vrbs 365
Palmyrena ſolitudo 368
Palmyrene regio *Syr.* 365
Paltos opp. *Syr.* 349
Pampanis vicus *Ægypt.* 820
Pamphagi pop. *Æthiop.* 962
Pamphylia regio 184. 185
Pan, Panum vrbs vide Panopolis.
Panagra opp. *Lib. int.* 948
Panchæi pop. *Troglodyt.* 838
Panchaia, Panchæa regio *Arab.* 601
Panda opp. *Sogd.* 714
Pandionis regio *Ind.* 737. 745
Paneas fons Iord. 525. 403
opp. 526
regio ibid.
Panemitichos opp. *Pamphyl.* 192
Panephyſis, Panephuſus vrbs *Ægypt.* 785. 798
Panêum mons *trans Iord.* 402. 526
Paniardis opp. *Boſpor.* 303
Scyth. 756
Panigeris inſ. *Ind.* 749
Panionium Mycales *Ion.* 72
Panis inſula *Arab ſin.* 837. 965
Paniuros vide Paliurus.
Panium vel Paneum.
Panopolis *Aegypt.* 823
Panopolites nomos ibid.
Panormus *Marmar.* 841
portus *Ion.* 73
Panthelæi pop. *Perſ.* 693
Paphara *Syr.* 363
Paphia Venus 234
Paphlagonia 262
Paphlagonia mediterranea 269
Paphos vrbs Cypri 232
Auguſta dicta 233. 234
vetus ibid.
noua ibid.
Pappa opp. *Piſid.* 163
Papremis, Paprimis opp. *Aegypt.* 799
Papremitis nomos *Aegypt.* ibid.
Papyra *Galat.* 157
Parabeſte *Arachoſ.* 725
Paracanda opp. *Sogdian.* 714
Parachoatra mons *Med.* 664
Parachoatri pop. *Med.* 664
Parada opp. *Af.* 892
Paradiſus vbi fuerit? 644. ſqq.
Paradiſus opp. *Syr.* 374
Parætaceni pop. *Perſ.* 675. 692
Parætonium portus *Marmar.* 840
vrbs ibid.
Paragon ſinus *mar. Ind.* 698
Paralais opp. *Lycaon.* 174

Para-

Parapiotæ pop. *Ind.* 337
Parapotamia tractus *Suſian.* 682
Paratauticene regio *Parth.* 702
Paratianæ *Numid.* 902
Parbara *Parth.* 704
Parembole caſtra *Aegypt.* 829
Parietæ pop. *Paropam.* 720
Parietina opp. *Mauret. Ting.* 930
Parium opp. *Myſ.* 32
Parni pop. *Margian.* 708 709
Paropamiſadarum regio 719
Paropamiſus, Paropaniſus mons 718
regio 719. 720
Paroreios *Phrygia* 139
Parſiana opp *Paropam.* 720
Parſis vrbs *Gedroſ.* 730
Parthalis vrbs *Ind.* 746
Parthenia inſ. *Samos* 17
Parthenius fl. *Bithyn.* 252
Parthenoaruſa inſ. *Samos* 17
Parthia 700
Parthiæ diuiſio 701
Parthorum Imperium Romano oppoſitum 705
Parthyæa, Parthyene, Parthiene ſ. Parthia 700. 701
Paryadræ montes *Armen.* 312 321
Paryadres mons *Ponti* 281
Paſargada vrbs *Perſ.* 693
Paſargadi pop. *Perſ.* ibid.
Paſarne *Cappad.* 295
Paſcæ pop. *Scyth.* 757
Sogd. 713
Paſines vide Spaſines.
Paſira pagus *Gedroſ.* 729
portus ibid.
Paſiræ, Paſireenſes pop. ibid.
Paſitigris fl. *Chald.* 642
Suſian. 678. 682
an Oroatis 679
Paſſala inſ. *ſin. Ceram.* 25
Paſſalon opp *Ægypt.* 823
Patæta opp *Æthiop.* 957
Patala, Pattala vrbs *Ind.* 742. 743
Patalene inſ. *Ind.* 742. 743
Patalia 742
Patara vrbs *Lyciæ* 95
Patareum promont. *Cilic.* 224
Patareus Apollo 95
Patarue opp. *Scyth.* 756
Patauium opp. *Bithyn.* 260
Patigran, Patigrana *Med.* 671
Patmos, Pathmos inſula 20
Patros, Pathures terra *Ægypt.* [illegible]
Pedæus fl. *Cypri* [illegible]
Pedalium promont. ibid.
Pedaſa opp. *Cariæ* 92
Pedaſis tractus ibid.
Pedaſum opp. *Car.* 92
Pedaſus vrbs *Myſ.* 37
Pedneliſſus vide Petneliſſus.
Pednopum *Marmar.* 845
Pedonia inſ. *Marmar.* 845. ſq.
opp. ibid.
Pegaſeum ſtagnum *Ion.* 64
Peguſa vrbs *Cariæ* 83
Peium caſtell. *Galat.* 157
Pela inſula Aſiæ 16
Pelasgia inſula *Lesbos* 11
Peliala *Meſop.* 625
Pelinæus mons *inſ. Chii* 15
Pella opp. *Decapol.* 546
Pellaconta fl. *Meſop.* 623
Peltæ vrbs *Phryg.* 130. 140
Peluſiacum oſtium Nili 779
Peluſium vrbs *Ægypt.* 779. 789. 790. 799
Pentapolis regio Iordanis 486
Libyæ 846. 849
Philiſt. 505
vrbs *Ind.* 747
Pentaſchœnos opp. *Ægypt.* 789
Pentedactylos mons *Ægypt.* 834
Peperina inſ. *Ind.* 749
Pepuza *Phryg.* 143
Peræa regio *trans Iord.* 551
inferior 558
Peræa Rhodiorum *pars Cariæ* 84
Peraſiæ Dianæ templum 292
Percote opp. *Troad.* 42
Perdices opp. *Mauret. Cæſ.* 924 ſq.
Perga vrbs *Pamphil.* 190
Pergææ Dianæ templum 190
Pergamenus conuentus 181
Pergamum vrbs *Myſ.* 35
Perierbidi pop. *Sarmat.* 756
Perimula *Ind.* 748
Perinthus vrbs *Syr.* 386
Perorſi pop. *Lib. int.* 949 950
Perperene opp. *Myſ.* 35
Perphoſius portus *Lib. int.* 946
Perre opp. *Syr.* 340
Perſa opp. *Meſop.* 605
Perſei ſpecula *Ægypt.* 781
Perſæpolis, Perſepolis 693. 694
Perſis, Perſia 675
Perſis propria 692

Perſis vrbs *Gedroſ.* 730
Perte opp. *Lycaon.* 175
Pertuſa *Afr.* 893
Peſendaræ opp. *Aethiop.* 957
Peſſide opp. *Lib. int.* 948
Peſſinus vrbs *Galat.* 155
Peteneſſus opp. *Galat.* 159
Pethom vide Pithom.
Petneliſſus *Piſid.* 166. 191
Petra metrop. *Arab.* 580
Petra Iectael *Amalek.* 577. 580
Petra Recem, Rekem, Arce 580
Petra *Sogd.* 714
Petræ magnæ portus *Marmar.* 841
  paruæ 842
Peucela vrbs *Ind.* 738
Peucelaotis regio *Ind.* 737
Peucelaotis, Peucolaitis vrbs ibid.
Phacuſa, Phaccuſa opp. *Ægypt.* 788. 799
Phadiſana caſtell. *Ponti* 274
Phæno 579
Phagroriopolis *Ægypt.* 793. 799
Phagroriopolites nomos *Ægypt.* ibid
Phagrorium ibid.
Phalacra opp. *Cyren.* 851
Phalangis mons *Aethiop.* 963
Phana locus *Arab. Petr.* 579
Phanæ inſ. *ad Epheſum* 16. 17
  portus *Chiorum* 16. 17
Phanæa promont. ibid.
Phanæus mons ibid.
Phanagoria *Boſpor.* 302
Phanaræa campus *Ponti* 272
  caſtellum 286
  regio ibid.
Phanaſpe opp. *Med.* 666
Phanea *Palæſt.* 527
Phanena regio *Armen.* 325
Phara vicus *Arab.* 582
Pharan deſertum *Arab.* 582. 583
  opp. 582
Pharanx vallis *Lyciæ* 101
Pharaſpa *Med.* 666
Pharax vicus *Syrt.* 855
Pharazana opp. *Drang.* 724
Pharbæthus opp. *Ægypt.* 786. 799
Pharbethites nomos *Ægypt.* ibid.
Pharga opp. *Arab.* 591
Pharitæ, Pharum inſ. colentes 771
Pharmacuſa inſ. *Aſ.* 20
Pharmutiacus fl. *Ægypt.* 782
Pharnacea opp. *Ponti* 286
Pharnacia opp. *Ponti* 275. 286
Pharos inſ. *ad Alexand.* 770. ſeq.
  turris 771
Pharſaga opp. *Arachoſ.* 726
Pharuſii, Phauruſii pop. *Lib. int.* 949. 950
Phaſaba *Med.* 666
Phaſaca regio *Aethiop.* 954
Phaſaelis *Iud.* 464. 465
Phaſaëlos turris *Hieroſol.* 459
Phaſélis vrbs *Lyciæ* 98. 99
  Pamphyl. 186
Phasga mons *trans Iord.* 562
Phaſis fl. *Colch.* 308
  vrbs. ibid.
Phatnicum oſtium *Nili* 778
Phatures, vide Patros.
Phazaca *Med.* 671
Phellus opp. *Lyciæ* 69
Phenotes nomos *Ægypt.* 797
Phereſæi pop. *Chanan.* 568
Phernacia vide Pharnacia.
Phiara opp. *Cappad.* 294
Phigamus fl. *Ponti* 274
Phihahiroth *Ægypt.* 803
Philadelphene regio *Arab.* 571
Philadelphia *Arab.* 571. 572
  Cilic. 204
  Decapol. 549. 550
  Lydiæ 117
  Syriæ 551
Philæ inſ. *Ægypt.* 828
Philænorum aræ *Syrt.* 855
Philippopolis *Arab.* 589
Philiſtæa regio 503
Philocalea opp. *Ponti* 286. 276
Philomelium opp. *Phryg.* 140
Philonis opp. *Marmar.* 845
  vicus *Cyren.* 851
Philos inſ. *Perſ.* 696
Philoteræ portus *Arab. ſin.* 832
Philyres pop. *Ponti* 284
Phloryia *Mauret. Cæſ.* 926
Phocæa vrbs *Ion* 59
Phoclis opp. *Arachoſ.* 725
Phocra mons *Mauret. Ting.* 935
Phocuſæ inſulæ *Marmar.* 846
Phœbe inſ. *Propont.* 10
Phœbi promont. *Mauret. Ting.* 930
Phœnica caſtell. *Meſop.* 623
Phœnice regio 374
  mediterranea 385
Phœnico *Ægypt.* 833
Phœnicus mons *Lyciæ* 97
  portus *Marmar.* 840

Phœnix

Phœnix caſtell. *Cariæ* 84
Phomothis opp. *Ægypt.* 768
Phra opp. *Ariæ* 722
Phraata vrbs *Med.* 666
Phriconis tractus *Aeol.* 57
Phrixi oppidum *Iber.* 311
Phrurium promont. *Cypri* 233
Phryges hæretici 142
Phrygia 123
 Epictetos 52. 125
 Helleſpontiaca 52
 magna, maior 123. 127
 minor 123. 125
 Pacatiana 144. 149
 Paroreia 127
 Salutaris 146. 149
Phrygius fl. *Ion.* 61
Phryx fl. ibid.
Phthembuthi nomos *Ægypt.* 797. ſq.
Phthemphu 797
Phthia portus *Marmar.* 842
Phthirophagi pop. *Boſpor.* 304
 Sarmat. 756
Phthonthis vicus *Ægypt.* 821
Phthuris opp. *Aethiop.* 956. 957
Phthut fl. *Mauret. Ting.* 934
Phuibagina opp. *Galat.* 159
Phuphêna opp. *Armen.* 335
Phuſca vide Phyſcus 85
Phuſipara *Cappad.* 300
Phycûs promont. *Cyren.* 847
 opp. ibid.
Phycuſſæ inſulæ *Marmar.* 846
Phygela vide Pygela.
Phylacæum opp. *Phryg.* 135
Phyllitæ pop. *Ind.* 737
Phyrites fl. *Ion.* 70
Phyſcus opp. *Cariæ* 85
Phyſia inſ. *Propont.* 10
Phyteia opp. *Phryg.* 146
Piala *Ponti* 286
Pialæ pop. *Scyth.* 757
Pibeſet vrbs *Ægypt.* 805
Pida *Ponti* 286
Pieria regio *Syr.* 345
Pierius mons 345
Pimprama vrbs *Ind.* 741
Pinara *Syr.* 374
 Lyciæ 101
Pinarus fl. *Cilic.* 212
Pindeniſſus opp. *Cilic.* 222
Pineptimi oſtium *Nili* 778
Piratarum regio *Ind.* 744
Piriſabora opp. *Babyl.* 637
Piſidæ pop. 160
Piſidia regio 159
Piſidon portus *Syrt.* 859
Piſingara opp. *Armen.* 335
Piſiſtrati inſulæ *ad Epheſ.* 16
Piſtre opp. *Aethiop.* 956
Pitane opp. *Myſ.* 40
Pithom *Ægypt.* 806
Pithonobaſte empor. *Ind.* 748
Pityaſſus opp. *Piſid.* 170
Pityea *Myſ.* 33
Pityûs vrbs *Boſpor.* 303. 305
Pityuſa inſula ſ. Chios 15
Planaria inſ. 938
Plate inſula ad *Troad.* 10
Platêa, Platæa inſ. *Marmar.* 846
Plateæ inſulæ *ad Troad.* 10
Plegerius opp. *Ind.* 738
Plegra *Paphlag.* 270
Pleteniſſus vide Petneliſſus.
Plinthine, Plinthyne vrbs *Ægypt.* 767
Plinthinetes ſinus ibid.
Plitaniæ inſulæ *ad Troad.* 10
Plutonium, templum Plutonis 121
Pluuialia inſ. 938
Plynos, Plyni pl. portus *Marmar.* 843
Pnigeus vicus *Marmar.* 845
Pnuel locus *trans Iord.* 552
Pnups opp. *Aethiop.* 957
Podalia *Lyciæ* 107
Poducæ empor. *Ind.* 745
Pœcile petra *Cilic.* 201
Pœeeſſa inſ. *Rhodus* 25
Pogla opp *Piſid.* 171
Polemonium *Ponti* 274
Polichna opp. *Troad.* 47
Polichnæi incolæ ibid.
Polybii inſula *Arab.* 601
Polybotus opp. *Phryg.* 146
Polychalandus vrbs *Lydiæ* 122
Polygotus vide Polybotus.
Polymedia, Polymedium *Troad.* 50
Polytelia *Meſop.* 625
Polytimetus fl. *Sogd.* 713
Pombeditha vrbs *Babyl.* 638
Pompeiopolis *Cilic.* 206
 Paphlag. 269. 270
Pons Iacobi 488
Ponteris opp. *Aethiop.* 957
Pontezita municip. *Syrt.* 860
Ponti diuiſio 282
Ponti mediterranea 277

Pontia inſ. mar. *Syrt.* 863
Pontica ora 239
Pontica prouincia Romana 287
Pontus regio 271
Pontus Cappadocius 285
Galaticus ibid.
Polemoniacus 274. 285
Pontus Euxinus 2. 239
Poroſelene inſ. *Aſ.* 15. 40
Porphyris inſ. *Aſ.* 23
Porſica opp. *Meſop.* 605
Portæ Caſpiæ 672
Caucaſiæ 754
Porticani regio *Ind.* 742
Portopana opp. *Perſ.* 696
Portoſpana opp. *Carman.* 699
Portus Cyrenes 847
Portus Deorum 921
Deorum ſoterum 835
Euangelon 835
Macedonum 699
Magnus opp. *Mauret. Cæſ.* 921
Menelai 842
Poruari pop. *Ind.* 737
Poſidæum *Bithyn.* 252
Poſidea opp. *Aeol.* 58
Poſideum, Poſidium promont. *Ion.* 77
Poſidium promont. *Ion.* 77
oppidum ibid.
opp. inſ. *Carpath.* 23
Potamos locus *Paphlag.* 266
Praaſpa vrbs *Med.* 666
Practius fl. *Troad.* 51. 52
Præſti pop. *Ind.* 737. 742
Praſiane inſ. *Ind.* 743
Praſiatæ pop. *Ind.* 737. 745
Praſii pop. *Ind.* ibid.
Praſodes ſin. *Ind.* 752
Praſum promont. *Aethiop.* 964. ſq.
Pratitæ pop. *Med.* 672
Premis, Premnis magna opp. *Aethiop.* 957
parua ibid.
Prenetus opp. *Bithyn.* 244
Priapius portus *Ind.* 752
Priaponeſos inſula *ſin. Ceram.* 25
Priapos inſ. *ad Epheſ.* 16
Priapos opp. *Myſ.* 32
Priene opp. *Ion.* 73
Prienenſis Diana 64
Primis vide Premis.
Prion fl. *Arab. Fel.* 596
Prionotus mons *Aegypt.* 834
Priſciana opp. *Mauret. Ting.* 933. 935
Proceraſtis vrbs *Bithyn.* 245
Proclais opp. *Ind.* 738
Proconneſus inſula *Propont.* 8. 9
noua 9
verus ibid.
Proconneſium marmor 9
Procuri opp. *Ind.* 752
Prœnetus vide Prenetus.
Promontorium Pulchrum 887
Pronectus opp. *Bithyn.* 244
Prophthaſia *Drang.* 724
Propontis 8
Proſeilemenitæ pop. *Galat.* 151
Proſopis opp. *Aegypt.* 797
Proſopites nomos *Aegypt.* ibid.
Proſtama opp. *Piſid.* 166
Protomacra *Bithyn.* 260
Pruſa Olympi vrbs *Bithyn.* 242. 243. 255
ſub Hypio monte, *Bithyn.* 257. 258
Pruſias ad Cianum, *Bithyn.* 241. 242. 243
Prymneſia vrbs *Phryg.* 128
Prytanis fl. *Colch.* 309
Pſates, Pſatis fl. *Boſpor.* 303. 755
Pſelcis, Pſelchis, Pſelcha vrbs *Aethiop.* 829. 955. 957
Pſephina turris munita *Hieroſol.* 459
Pſeſſii pop. *Mæot.* 304. 755
Pſeudopenias promont. *Cyren.* 849
Pſeudoſtomata Nili 778
Pſeudoſtomum fl. *Ind.* 736. 744
oſtium Gangis 736. 747
Pſile inſ. *ad Samum* 19
Pſilis fl. *Bithyn.* 247
Pſillidis fl. oſtia 247
Pſilos inſ. *Ion.* 71
Pſychrus fl. *Colch.* 309
Pſylla, Pſyllion empor. *Bithyn.* 252. 253
Pſylli pop. *Cyren.* 852. 862
Pſyra inſ. *ſin. Ceram.* 25
Ptarenus fl. *Ind.* 734
Ptemythis opp. *Aethiop.* 956
Ptenethu nomos *Aegypt.* 797
Ptoëmphanes pop. *Aethiop.* 957
Ptolemais portus *Aegypt.* 811
Ptolemais vrbs *Aegypt.* 818
Ptolemais vrbs *Cyren.* 848. 849
Epitheras ſ. ferarum 835
Palæſt. 405. 406
colonia Claudii Cæſaris ib.
Pamphyl. 189
Troglodytica 835
Ptolemæi foſſa *Aegypt.* 794
Puani vrbs *Arab. Fel.* 595

Pudni

Pudni opp. ibid.
Pulchrum promontorium *Af.* 887
Punda vide Spunda.
Pura vrbs *Gedroſ.* 730
Purpurariæ inſulæ 937
Putea *Af.* 875
Syr. 367
Putput, Pudput, Pupput opp. *Af.* 881
Pygela *Ion.* 72
Pygmæi 963
Pylæ Amanicæ 210. 211
Perſides 693
Sarmaticæ 754
Suſides vide Perſides.
Syriæ 211
Pylæmenia regio *Paphlagonia* 262
Pyramides *Ægypti* 809
Pyramus fl. *Cilic.* 708
Pyrnos opp. *Cariæ* 86
Pyrrha *Ion.* 75
Lesbi inſ. 12
Pyrrhæi *Æthiopes* 950
Pyrrhe inſ. *ſin. Ceram.* 25
Pyrrhos campus 936. 950
Pyſtus opp. *Cariæ* 86
Pythis promont. *Marmar.* 840
Pythopolis *Cariæ* 89. 121
Pyxites fl. *Colch.* 309
Pyxurates fl. *Euphrates* 319. 320

Q.

Quina colonia *Af.* 891
Quinda caſtell. *Cilic.* 345
Quintii pop. 707
Quiza colonia *Mauret. Cæſ.* 921
Xenitana ibid.

R.

Rabana *Ind.* 749
Rabba *Arab.* 573
Rabbath Ammon *Arab.* 550. 573
Rabbath Moab *Arab.* 573
Raëmſes, Rameſſes terra *Ægypt.* 802. ſq.
opp. 802
Raga, Ragea, Rageia *Med.* 666. 669. 670
Ragiana regio *Med.* 670
circa Caſpias portas 315. 670
Rakkath opp. *Galil.* 419
Rakon opp. *Iud.* 515
Rama *Iud.* 471
Beniamin 446. 447. 471
Saulis ibid.
Rama *Samar.* 446. 447
Ramathah 446. 447
Ramath Hammizpe 557
Ramathaim Zophim 446
Ramoth in Galaad 539. 557
Maſphe 557
Ramula vide Rama *Samar.*
Rapaua *Gedroſ.* 729
Rapaura *Gedroſ.* ibid.
Raphaim pop. *Chanan.* 533. 568
Raphaneæ opp. *Syr.* 357
Raphia *Iud.* 516. 517
Rapſii opp. *Perſ.* 693
Rapta vrbs *Aethiop.* 964
Raptus fl. ibid.
Raptii Æthiopes ibid.
Raraſſa vrbs *Ind.* 745
Raſtia *Galat.* 158
Rebla vel Ribla.
Recem, Rekem vide Petra Recem.
Regemnezus opp. *Galat.* 154
Regia foſſa *Babyl.* 628. 629
Regias opp. *Syr.* 344
Regium fl. *Babyl.* 628
Rehob vide Roob.
Rehoboth *Meſop.* 614
Rekem *Iud.* 473
Remmath vide Ramoth.
Reſæna, Reſaina *Meſop.* 621
Reſainaſiorum colonia 621. 622
Raſapha *Syr.* 367
Reſcipha opp. *Meſop.* 610
Reſen vrbs *Aſſyr.* 622. 638. 658
Rha fl *Scyth.* 754
Rhabeni pop. *Arab.* 592
Rhacotes *Ægypt.* 770
Rhagæa *Parth.* 702
Rhagia opp. *Chald.* 643
Rhea opp. *Marg.* 708
Rheba fl. *Bithyn.* 247
Rhegama *Arab.* 596
Rheganna opp. *Arab. Deſ.* 591
Rhegma opp. vide Rhegama.
locus *Cilic.* 207
Rheſus fl. *Bithyn.* 247
Rhidagus fl. *Parth.* 704
Rhinocolura *Iud.* 516. 518
Rhipæi montes *Sarmat.* 754
Rhitia *Mauret. Cæſ.* 927
Rhizium fl. *Colch.* 309
Rhizophagi pop. *Troglodyt.* 838
Aethiop. 960
Rhizola portus *Ind.* 752
Rhoas vrbs *Phryg.* 131

Rhodiopolis *Lyciæ* 104
Rhodia ibid.
Rhodiorum inſulæ 23
Rhodius fl. *Troad.* 51
Rhodopolis *Colch.* 309
Rhodus inſula 25
vrbs ibid.
Rhœteum opp. *Troad.* 43. 44
Rhombites maior & minor fl. *Sarmat.* 303. 755
Rhoſus opp. *Syr.* 344. 345
Rhuda *Parth.* 704
Rhymmici montes *Scyth.* 756
Rhymmus fl. ibid.
Rhyndacus fl. *Phryg.* 33. 126
Ribla, Riblath vrbs *Syr.* 389. 390
Rimmon, Remmon *Iud.* 497
Ripampane, Pampanis 820
Riphæi montes, vide Ripæi 754
Riſina *Meſop.* 622
Riſſa *Arab.* 587
Rixana *Arachoſ.* 725
Rizana *Gedroſ.* 729
Robonda *Mauret. Cæſ.* 924
Roara *Parth.* 704
Rogana *Carman.* 699
Rogomanis fl. *Perſ.* 680. 682
Roob, Rohob *Galil.* 406
Roſologiacum opp. *Galat.* 158
Ruba *Syr.* 344. 363
Ruben tribus Iſrael 397
Rubenitarum oppida 397. 567
Rubune opp. *Lib. int.* 949
Rubricatus fl. *Numid.* 900
Rubrum mare 697
Ruda *Drang.* 724
Ruma vide Aruma.
Ruſadir opp. *Tingit.* 929. 930
Ruſazus colonia *Mauret. Cæſ.* 918. 919
Ruſconium, Ruſconiæ col. *Maur.* ibid.
Ruſibis portus *Maur. Ting.* 934
Ruſicade, Ruſiccade vrbs *Numid.* 900. 902
Ruſicibar opp. *Mauret. Cæſ.* 919
Ruſpæ opp. *Afr.* 870
Ruſpina opp. *Afr. propr.* 866
Ruſubeſer opp. *Mauret. Cæſ.* 919
Ruſucurium, Ruſuccurum opp. *Mauret.* ib.
Ryſſadirum opp. *Mauret. Ting.* 929
Ryſſadium promont. *Lib. int.* 946

S.

Saalbin villa *Iud.* 515
Saba *Æthiopiæ* 953
Saba portus *Troglodyt.* 835
vrbs *Arab.* 597
Sabæ opp. *Lib. int.* 947
Sabæ Regina vnde venerit? 953
Sabææ aræ *Med.* 666
Sabæi pop. *Arab.* 597
Sabagena opp. *Cappad.* 295
Sabalaſſa oſtium *Ind. fl.* 743
Sabalaſſus opp. *Cappad.* 294
Sabalia *Ponti* 286
Sabama vide Sibama.
Sabana promont. *Ind.* 748
Sabara vide Saraba 747
Sabaræ pop. *Ind.* 737
Sabarbares, Sabubures pop. *Numid.* 915
Sabat vrbs *Troglodyt.* 835
Sabata *Aſſyr.* 663
Sabatha *Arab.* 597. 598
Sabathra, Sabaratha *Syrt.* 859
Sabatra *Lycaon.* 175
Sabe opp. *Arab. Deſ.* 591
Sabi, Sambi regnum *Ind.* 742
Sabis opp. *Carman.* 698. 699
Sabordæ pop. *Æthiop.* 960
Sabota *Arab. Fel.* 598
Sabracæ pop. *Ind.* 742
Sabrata colonia *Syrt.* 859
Sabrata alia forſan *Syrt.* 863
Sabutæ Sindonalia *Ind.* 742
Sacada *Aſſyr.* 664
Sacæ pop. *Scyth.* 718
Sacala *Gedroſ.* 729
Sacamaza vicus *Syrt.* 856
Sacapena regio *Armen.* 325
Sacaſſena regio *Armen.* 325
Sacaſtena regio *Sacarum* 718
Saccæa regio *trans Iord.* 524
Sacer mons *Ponti* 276
Sachacha *Iud.* 481
Sachalites ſinus *Arab.* 596
Sacolche opp. *Æthiop.* 957
Sacole opp. *Æthiop.* 958
Saconi pop. *Scyth.* 756
Sacorſa *Paphlag.* 270
Sacrum promont. *Lyciæ* 97
Sada opp. *Ind.* 747
Sadus fl. ibid.
Sagala *Ind.* 740
Sagalaſſus vrbs *Piſidiæ* 105. 167
an vrbs *Lyciæ?* 105
Saganus fl. *Carman.* 698
Sagapa oſtium *Indi fl.* 743
Sagapenorum dynaſtia *Elym.* 687
Saga-

Sagapola mons *Lib. int.* 943. 947
Sagaris vide Sangarius.
Sagartii pop. *Med.* 665
Perſ. 693
Sagdiana inſ. ad *Carman.* 699
Sageda vrbs *Ind.* 745
Sais vrbs *Ægypt.* 780
Saites nomos *Ægypt.* 780. 797
Saiticum oſtium vide Taniticum 778
Sala opp. *Armen.* 328
Phryg. 135
Mauret. Ting. 933
fluv. ibid.
Salæ pop. *Boſpor.* 304
Salamis vrbs *Cypri* 229
Salathus fl. *Lib. int.* 946
opp. ibid.
Salcha vrbs *trans Iord.* 532
Salde, Saldæ, Saldis col. *Maur. Cæſ.* 918. 919
Sale opp. *Hyrcan.* 707
Salem an Sichem *Samar.* 435
Salem Melchiſedeki 438. 439. 455
Salem, *Ieruſalem* 455
Salice inſ. *Taprobane* 751
Salicum fluuius *Babyl.* 632
Salim *Samar.* 438. 439. 455
Salis opp. *Iud.* 481
Saliſæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Saliſſa *Iud.* 486
Salma *Arab. Deſ.* 591
Salmacis arx *Cariæ* 81
fl. ibid.
Salſos fl. *Carman.* 698
Saluce opp. *Lib. int.* 948
Salur empor. *Ind.* 745
Samachonitis lacus *Galil.* 403
Samamycii pop. *Syrt.* 862
Samanæi ſecta philoſoph. *Ind.* 746
Samaraim *Iud.* 473
Samarande *Ind.* 748
Samaria vrbs 431
Samariæ regnum 397
Samariane opp. *Hyrcan.* 706
Samaritis regio 431
Sambra opp. *Ind.* 747
Sambus fl. *Ind.* 736
Samia vaſa 18
Sammei pop. *Arab. Fel.* 600
Sammitæ pop. *Scyth.* 758
Samos inſula 17
vrbs 18
Samoſata vrbs *Syr.* 329
Samunis opp. *Alban.* 316
Samydace *Carman.* 699
Samydaches fl. *Carman.* 698
Sana opp. *Armen.* 328
Sanalios inſ. *Ion.* 71
Sandabilis fl. *Ind.* 734
Sandace opp. *Æthiop.* 958
Sandalios inſ. *ad Samum* 19
Sandalium opp. *Piſid.* 168
Sandaraca portus *Bithyn.* 252
Sangala vrbs *Ind.* 741
Sangaris, Sangarius fl. *Bithyn.* 247
Sanguta *Armen.* 328
Sanina *Arab.* 596
Med. 666
Sanir, Senir, mons Hermon 523
Sanni pop. *Ponti* 284
Saocoras fl. *Meſop.* 610
Saoza opp. *Med.* 666
Saparages oſtium *Indi fl.* 734. 743
Saparnus *Ind.* 734
Saphon opp. *trans Iord.* 552
Sapirene, Sappirene inſ. *Arab. ſin.* 837
Sapothrenæ pop. *Scyth.* 755
Sapphar, Saphar vrbs *Arab.* 599
Sapphoritæ pop. ibid.
Sapuri vide Tapuri.
Saraba *Ind.* 747
Sarabacus ſinus ibid.
Saraca *Scyth.* 756
Sarace *Colch.* 310
Saraceni 586. 600
Saraga *Ind.* 749
Saralus opp. *Galat.* 158
Saramanne opp. *Hyrcan.* 706
Saramena *Ponti* 271
Saranga *Gedroſ.* 729
Saranges fl. *Ind.* 735
Sarapana caſtell. *Colch.* 308
Sarapidis inſ. *Arab.* 601
Sarapionis ſtatio *Æthiop.* 946
promont. ibid.
Sarbaniſſa *Ponti* 286
Sarcaſſani pop. *Iber.* 312
Sarcoa *Arab. Fel.* 597
Sardabal *Mauret. Cæſ.* 926
Sardes vrbs *Lydiæ* 110
Sardianus conuentus 180
Sardoniches mons *Ind.* 737
Sarea, Zarea, *Iud.* 514
Sarepta *Phœnic.* 380
Sareptanum vinum 380. 381
Sargarauſena præfectura *Capp.* 294
Sargaſena *Cappad.* ibid.

Sarion, Scirion, mons *Hermon.* 523
Sariphi montes *Margian.* 708
Sarmagana *Ariæ* 722
Sarmalia, Sarmalium *Galat.* 154
Sarmatia Aſiatica 754
Sarnuca *Meſop.* 606
Sarohen opp. *Iud.* 498
Saron opp. *trans Iord.* 533
Saronia regio *Samar.* 444
Sarpedon opp. *Cilic.* 199
promont. 198
Sarra vrbs *Phœnic.* 383
Sarſura opp. *Afr.* 876
Saruena *Cappad.* 294
Sarus fl. *Carman.* 208. 295
Cilic. 698
Saſima opp. *Cappad.* 290
Saſura opp. *Afr.* 891
Satachtha opp. *Æthiop.* 956
Satafi opp *Mauret. Caeſ.* 924
Satala *Armen. min.* 334
Sataphara *Armen.* 328
Satrachus fl. *Cypri* 226
opp. 226. 237
Saturni promont *Troglodyt.* 836
Satyrorum inſulæ *Ind.* 752
mons *Ægypt.* 835
Saua municip. *Mauret. Cæſ.* 924
Sauara *Aſſyr.* 664
Sauus fl. *Mauret. Caeſ.* 919
Sauathra *Iſaur.* 194
Saubatha *Arab. Fel.* 598
Saue vrbs *Arab.* 599
Sauloë vrbs *Parth.* 704
Scabine opp. *Med.* 666
Scala Tyriorum mons *Galil.* 405
Scamander fl. *Troad.* 51
Scamandria opp. 50
Scamandrius campus 51
Scaphe, Teſcaphe, *Babyl.* 636
Scarpanto inſula, *Carpathus* 23
Scenæ opp. *Meſop.* 625
Scenitæ pop. *Arab.* 594
Æthiop. 957
Meſopot. 605
Scepſis opp. *Myſ.* 34 39
Scheba opp. *Ind.* 498
Schedia *Ægypt.* 773
Schephithib *Babyl.* 638
Schilo vide Silo.
Schomron vrbs ſ. Samaria 431
Scio inſ. 23
Scirion mons *Hermon* 523
Scirtus fl. *Meſop.* 615
Scope opp. *Marmar.* 845
Scopelos inſ. *ad Troad.* 10
Scopelus opp *Boſpor.* 305
Scopia promont. *Cariæ* 80
Scopias Cereris prom. *ſin. Arab.* 834
Scopus locus *Iud.* 463
Scydiſſes mons *Armen.* 321
Scymnitæ pop. *Scyth.* 755
Scythia Aſiatica 753
extra Imaum 758
intra Imaum 756
Scythiæ diuiſio 754
Scythopolis *Samar.* 437
Scythranius portus *Marmar.* 842
Seba, Sabee opp. *Iud.* 498
Sebaſte in *inſ. Cilic.* 201
Sebaſte *Ciliciæ in inſ.* 201
Galat. 153
Phryg. 146
Ponti 281
Samar. 432
Sebaſtia *Pont.* 279. 280
Sebaſticum os *Troglod.* 835
Sebaſtopolis *Æol.* 55
Colch. 306. 309
Pont. 279. 286
Sebennytes nomos *Ægypt.* 797
Sebennyticum oſt. *Nili* 778. 797
Sebennytus fl *Ægypt.* 781
lacus 778. 781
vrbs 778. 781. 797
Secora *Paphlag.* 270
Sedala *Armen.* 328
Segor opp. *Iud* 486
Segrenſii pop *Mauret. Ting.* 936
Seir mons *Arab.* 578
regio ibid.
Sela *Iud.* 473
Arab. 576. 581
Selame vicus *Galil.* 430
Sele opp. *Suſ.* 684
Seleoboria *Armen. min.* 335
Seleucia Babylonia 611. 612
Elym. 688
Ferrea *Piſid.* 165
Iſaur. 194. 203
Lydiæ, Trallis 120
Meſopot. caſtell. 344. 606
Pamphyl. 192
Pieria *Syr.* 345
Piſid. 165
Trachea *Cilic.* 194. 202

Seleucia *trans Iord.* 533
ad Belum *Syr.* 353
ad mare *Syr.* 346
ad Taurum *Piſid.* 165
ad Tigrim *Meſop.* 611
Seleucis regio *Syr.* 344
mediterranea 350
Seleucobelus opp. *Syr.* 353
Selga vrbs *Piſid.* 169
Selinûs opp. *Cilic.* 196
portus *Marmar.* 840
Sellas, Delas, *alueus Tigr.* 636
Selleîs fl. *Troad.* 52
Semanthini montes *Ind.* 748
Semechonitis lacus *Galil.* 403
Semina opp. *Parth.* 704
Senir mons *Hermon.* 523
Senus fl. *Ind.* 748. 749
Seph munim. *Galil.* 409
Sephela regio *Iud.* 468
Sepiuſſa inſ. *ſin. Ceram.* 25
Sepphoris vrbs *Galil.* 419. 420
Septem fratres, montes *Ting.* 931
Septimunicia opp. *Afr.* 878
Sepyra vicus *Cilic.* 221
Sepyrrus mons *Ind.* 748
Sera vrbs 760
Serapionis dromus 964
Serbes fl. *Mauret. Cæſ.* 919. 926
Serbi pop. *Scyth.* 756
Serbonis vide Sirbonis 790
Seres pop. *Scyth.* 759
Seriane opp. *Syr.* 364
Serica, Serum regio 759
Serici montes 760
Sermuta *Pont.* 286
Serpentaria inſula 834
Serpetes fl. *Mauret. Cæſ.* 926
Serropolis vicus *Cilic.* 209
Serus fl. *Ind.* 748
Seſamus opp. *Paphlag.* 262. ſq.
Seſtiarium promont. *Ting.* 930
Sethreites, Sethroites nomos *Ægypt.* 798. 799
Sethrum *Ægypt.* 799
Setienſis opp. *Afr.* 876
Seuaſtia vide Sebaſtia.
Seuia *Arab. Deſ.* 591
Seumara *Iber.* 311
Seuſamora ibid.
Siagu, Siagul *Afr.* 880
Siala *Cappad.* 292
Siamenſes 749
Sibæ pop. *Ind.* 737
Sibama *trans Iord.* 567
Sibde opp. *Cariæ* 92
Siblia vide Silbium.
Sibma, vide Sibama 567
Sicapha *Syrt.* 862
Sicca *Numid.* 906
Veneria 907
Siceleg vicus *Iud.* 495
Sicella vicus *Iud.* 495
Sichem, Sichar opp. *Samar.* 433
Sicilibra, Sicilibba, *Af.* 893
Sicilippa ibid.
Sicima, Sichem opp. *Samar.* 433
Sida vrbs *Pamphyl.* 188. ſq.
Sidices pop. *Med.* 665
Sidon vrbs *Phœnic.* 379
Siduſa inſ. *ad Epheſ.* 16
Sidyma *Lyciæ* 103
Sierra Liona mons *Afr.* 942
Siga fl. *Mauret. Cæſ.* 921. 927
vrbs & colonia 922
Sigal vrbs *Sogd.* 718
Sigenſis portus 922
Sigeum opp. *Troad.* 44
promont. ibid.
Siggis promont. *Æthiop.* 963
Signia mons *Phryg.* 144. 146
Sigriane regio *Med.* 671
Sigrium promont. *inſ. Lesbi* 11
Sigus, Sugus opp. *Numid.* 909
Sihor fl. *Ægypt.* 519
Silacenorum dynaſtia *Elym.* 687
Silbium tractus *Phryg.* 139
Silda vide Gilda 935
Sileium opp. *Phryg.* 143
Silice opp. *Lib. int.* 947
Silis fl. ſ. Iaxartes 713
Silla fl. *Aſſyr.* 636
Silo vrbs *Samar.* 454
Siloa fons *Hieroſol.* 460
Siluum opp. *Pamphyl.* 191
Simena *Lyciæ* 105
Simeonis tribus oppida 394
Simiſthu opp. *Numid.* 905
Simittu colonia *Numid.* 911
Simois fl. *Troad.* 51
Simoiſius campus ibid.
Simpſimida *Parth.* 704
Simundi inſula *Taprobane* 751
Simylla empor. *Ind.* 744
promont. ibid.
Simyra *Phœnic.* 375

Sin ſolitudo *Arab. Petr.* 587
Sin, Zin, alia ſolitudo ibid.
Sin muniment. *Ægypt.* 804
Sinaca opp. *Hyrcan.* 707
Sinæi pop. *Ægypt.* 804
Sinai deſertum 587
Sinarum ſtatio 749
Sinarum regio 749
Sinarus fl. *Ind.* 734
Sinda opp. *Ind.* 748
Piſid. 170
Sinda vicus *Boſpor.* 302
Sindi pop. *Boſpor.* 302
Sindica terra ibid.
Sindicus portus 302
Sindones vide Sindi.
Sindos opp. *Boſpor.* 302
Sinear, Senaar *Babyl.* 613
Singa opp. *Syr.* 340
Singa fl. *Syr.* ibid.
Singame fl. *Colch.* 307
Singara vrbs *Meſop.* 612
Singaras mons *Meſopot.* 613
Singas fl. *Syr.* 340
Sinibra *Armen.* 335
Sinim terra 804
Sinis colonia *Cappad.* 298. 299
Sinna opp. *Meſop.* 622
Sinope vrbs *Paphlag.* 267
Sinthum oſt. *Indi fl.* 743
Sinunia opp. *Parth.* 704
Sinus Adulicus 835
Arabicus 582. 764
Aualites 963
Barbaricus *Æthiop.* 963
Elaniticus 582
Heroopoliticus ibid.
Magnus *Ind.* 748
Perſicus 696. 697
Ceteros in cognomentis ſuis quære.
Sioda opp. *Alban.* 316
Sion, Zion, mons 457
Sion mons alius ſ. Hermon. 523
Siph, Ziph, ſolitudo *Iud.* 483
oppidum ibid.
Sippara *Ind.* 745
Sipphara *Meſop.* 610. 611
Sipuria vrbs *Galil.* 420
Sipylus mons *Lydiæ* 116. 146
Siracene regio *Hyrcan.* 706
Siraceni pop. *Scyth.* 755
Siraci pop. *Scyth.* 758
Sirbes fl. *Lyciæ* 94
Sirbonis lacus *Ægypt.* 790
Siris fl. *Nilus* 959
Siroc *Parth.* 704
Sirtibes pop. *Troglodyt.* 838. 960
Siſar fl. *Mauret. Cæſ.* 919
Siſara palus *Af.* 891
Siſimithræ Petra *Bactr.* 712
Sitaphius campus *Numid.* 915
Sitha opp. *Meſop.* 611
Sitifi, Sitifis, vrbs *Mauret. Cæſ.* 923
Sittace, Sitace opp. *Aſſyr.* 663
Sittacene regio *Aſſyr.* 654. 662
Sittaceni pop. *Boſpor.* 303
Sittiani pop. *Numid.* 903
Sittim regio *trans Iord.* 563
Sittocatis fl. *Ind.* 736
Siur portus *Numid.* 901
Sizyges pop. *Ser.* 760
Smaragdi fodinæ *Ægypt.* 832
Sminthei Apollinis templum 10
Smyralea *Bithyn.* 254
Smyrdiana opp. ibid.
Smyrna metropolis *Aſiæ* 62
Homeri patria 62
Smyrna vetus 61
noua ibid.
Smyrnæus conuentus 181
Soamus fl. *Ind.* 734
Soana fl. *Alban.* 313. 755
Ind. 752
Soaſtus fl. *Ind.* 734
Soatra vicus *Lycaon.* 172. 175. 176
Sobannus fl. *Ind.* 748
Sobidæ pop. *Parth.* 701
Sobura empor. *Ind.* 745
Socanaa opp. *Hyrcan.* 705
Socanda fl. ibid.
Socho vicus *Iud.* 492
Socratis inſula *Arab.* 601
Socunda vide Socanda.
Sodii pop. *Iber.* 312
Sodoma 486. 487
Sœta *Scyth.* 759
Sogane, Soganni opp. *trans Iord.* 534
Sogdiana regio 712
Sogdii, Sogdiani pop. 713
Soita opp. *Armen.* 328
Solana opp. *Ser.* 760
Sole opp. *Hyrcan.* 707
Solenus fl. *Ind.* 736. 744
Soli vrbs *Cilic.* 206
Cypri 227
Solis fons *Marmar.* 844

Solis

Solis inſula *Gedroſ.* 731
Ind. 752
Solis promont. *Arab.* 596
Solis mons, promont. *Ting.* 934. ſq.
Solæ, Soli, opp. *Cypri* 227
Soloës, Soloëntia promont. *Lib. int.* 946
Solomatis fl. *Ind.* 736
Solyma vrbs *Iud.* 455
Solymi pop. *Piſid.* 160. 161
Hieroſolymitani 456
Soma pars regiæ *Alexandr.* 770
Sonna opp. *Galil.* 424
Sonus fl. *Ind.* 736
Sophanene regio *Meſop.* 603. 604
Sophanis opp. *Marmar.* 845
Sophene regio *Armen.* 325. 326
Sophtha inſ. *Perſ.* 696
Sora opp. *Arab. Deſ.* 591
Ind. 745
Soraci pop. *Scyth.* 758
Soræ Nomades pop. *Ind.* 737
Sorek fl. *Iud.* 519
Soriani opp. *Ind.* 742
Sorthida *Chald.* 643
Soſirate opp. *Elym.* 688
Sotera *Parth.* 704
Soterum Deorum inſul. 835
Sotira *Ariæ* 722
Ponti 286
Soxetra *Gedroſ.* 729
Soxotæ pop. *Carman.* 699
Spaſinæ charax opp. *Suſ.* 685
Spatana portus *Ind.* 752
Spelunca opp. *Syr.* 365
Spermatophagi pop. *Aethiop.* 838. 960
Spermophagi pop. *Troglodyt.* 838
Sphecea inſ. *Cyprus* 226
Spheces pop. ibid.
Spunda opp. *Chald.* 641
Stachir fl. *Lib. int.* 946
Stachiræ pop. ibid.
Stadia vrbs *Cariæ* 83
Stadiſis opp. *Aethiop.* 957
Stectorium opp. *Phryg.* 131
Stenæ Diræ, inſulæ *Arab. ſin.* 837
Stephane inſ. *Samos* 37
vicus *Paphlag.* 266
Stibœtes fl. *Parth.* 705
Stoborrum promont. *Numid.* 901
Stratoclea *Boſpor.* 302
Straton fl. *Med.* 665
Stratonice opp. *Meſop.* 620. 625
Stratonicea *Cariæ* 90
Stratonicea colonia Macedonum 90
Stratonicea *ad Taurum* ibid.
Stratonis Turris vrbs *Palæſt.* 440
Stratos fl. *Hyrcan.* 705
Strobilum promont. *Arab. ſin.* 584. 792
Strutophagi, Struthophagi pop. *Aethiop.* 961
962
Suani pop. *Boſpor.* 304
Scyth. 756
Suanocolchi pop. *Boſpor.* 304
Suardeni pop. *Scyth.* 756
Subur fl. *Mauret. Ting.* 933
Suburgia *Mauret. Cæſ.* 926
Subus fl. *Lib. int.* oſtia 946
Succabar colonia 927
Succoſii pop. *Mauret. Ting.* 936
Succoth opp. *trans Iord.* 552
Ægypt. 803
Sudaua *Mauret. Cæſ.* 926
Suenochalci pop. *Boſpor.* 304
Sufetula vrbs *Afr.* 877
Sufi, Sufibus opp. *Afr.* ibid.
Sugabarritanum municip. *Mauret. Cæſ.* 926
Sugdias, Sogdias, vide Sogdiana.
Sugus vide Sigus.
Sulem opp. *Galil.* 424
Sullucu, Sublucu opp. *Numid.* 901
Suma opp. *Meſop.* 625
Sumucis opp. *Syrt.* 863
Sunem, Sunam opp *Gal.* 424
Supara opp. *Ind.* 744. 748
an Ophir Salomonis? 744
Suphtha *Parth.* 704
Suptu opp. *Mauret. Cæſ.* 923
Sur ſolitudo *Arab.* 582. 587
Sura *Aſſyr.* 662
an Babyloniæ? 638
Iber. 311
Syr. 367
Suriga *Mauret. Ting.* 934
Surium *Colch.* 310
Surratha *Arab. Petr.* 588
Surra *Armen.* 328
Suruba *Scyth.* 756
Suſa vrbs *Suſianæ* 683
Suſia vrbs *Ariæ* 723
Suſiana, Suſis, regio 682
Suſitha *trans Iord.* 545
Suſobeni pop. *Scyth.* 758
Suſuara inſ. *Ind.* 749
Suthul opp. *Numid.* 913
Suzæi pop. *Perſ.* 693
Syagrum promont. *Arab.* 596

Sycami-

Sycaminorum oppidum *Palæſt.* 427
Sycaminus opp. *Palæſt.* ibid.
Sycaminus ſacra *Ægypt.* 828
Sy&ta opp. *Perſ.* 696
Sycuſſa inſ. *ad Epheſ.* 16
Syderis fl. *Hyrcan.* 706
Sydidenis opp. *Syrt.* 863
Sydra opp. *Cilic.* 196
Sydri pop. *Arachoſ.* 725
Syebi montes *Scyth.* 757
pop. 758
Syene vrbs *Ægypt.* 827. ſq. 952
Syluorum gens *Iber.* 312
Symbra opp. *Lyciæ* 103
Syme inſ. *prope Cnidum* 24
Symira opp. *Phœnic.* 375
Symitha *Mauret. Cæſ.* 926
Syna Iudæorum opp. *Meſop.* 622
Synaos opp. *Phryg.* 127
Syndaga *Parth.* 704
Synicenſe caſtellum *Numid.* 912
Synnada, Synnas, vrbs *Phryg.* 129. 130
Synnadenſis conuentus 143. 181
Synnadicum marmor 129
Syri populi 282
Syria 335. 336
propria 336
Syriæ diuiſio 337
laxior notio ibid.
Syriæ Pylæ 211
Syriæ vrbs *Margianæ* 708
Syrias promont. *Paphlag.* 266
Syrinx vrbs *Hyrcan.* 706
Syromedi pop. 665
Syromedia regio 671
Syrtibolos regio *Perſ.* 693
Syrtis maior 854
minor ibid.
Syrtica regio 854
Syrticæ regionis mediterranea 862
Syrticum mare 854. ſq.
Syrtici maris inſulæ 863

T.

Tabæ vrbs *Lydiæ* 141
Phryg. 142
opp. *Perſ.* 695. 696
Tabalta *Afr.* 878
Tabeæ *Phryg.* 130
Tabenus campus 142
Tabia *Galat.* 142
Tabiana inſ. *Perſ.* 696
Tabidium opp. *Lib. int.* 948
Tabieni pop. *Ægypt.* 838. 960
Tabraca vrbs *Numid.* 900
Tacapa, Tacape vrbs *Syrt.* 860
Tacaphuris opp. *Marmar.* 845
Tacatua, Tacatta opp. *Numid.* 900. 902
Tachorſa *Marmar.* 845
Tacola empor. *Ind.* 748
Tacompſes, Tachompſo, Tachempſo vide Metacompſo.
Tacoræi pop. *Ind.* 749
Taduti, Thadute *Numid.* 909
Tafa vide Taua.
Tagama *Lib. int.* 948
Tagana *Lib. int.* 947
Tagaſte municip. *Numid.* 907
Tagora *Numid.* 911
Taguiis *Syrt.* 857
Talabroca *Hyrcan.* 706
Talacori empor. *Ind.* 752
Taladuſii pop. *Mauret. Cæſ.* 927
Talca inſ. *Hyrcan. mar.* 707
Talmis locus *Ægypt.* 830
Talo inſ. *ſin. Perſ.* 601
Talubath opp. *Lib. int.* 947
Taluda fl. *Tingit.* 930
Taly alueus *oſtii Bolbit. Nili* 778
Tamar, Thamar opp. *Iud.* 482
Tamaſſus vrbs *Cypri* 234
Tambrax vrbs *Hyrcan.* 706
Tamna vrbs *Arab.* 599
Tamos promont. *Ind.* 752
Tamuda fl. *Tingit.* 930
Tamugadi opp. *Numid.* 906
Tamuſiga *Mauret. Ting.* 934
Tamyras fl. *Phœnic.* 377. 379
Tanadaris *Cappad.* 297
Tanais fl. *Scyth.* 754
Tanais fl Iaxartes 713
Tanais vrbs *Scyth.* 303. 756
Tanas fl *Numid.* 913
Tanis vrbs *Ægypt.* 785. 799
Tanites nomos 799
Taniticum oſt. *Nili* 778
Taoce opp. *Perſ.* 693 696
promont. 696
Taocene regio 693. 696
Tape vrbs *Hyrcan.* 706
Taphis, Tahis *Ægypt.* 830
Taphitis promontorium 882. ſq.
Taphne vide Daphne.
Taphra, Taphrure opp. *Afr. prop.* 870
Taphrura, Taparura vrbs *Af.* ibid.

Taphua, Thapuah *Samar.* 439
Iud. 502
Tapori pop. *Marg.* 708. 710
Tapoſiris *Ægypt.* 768
parua 773
Taprobane, Taprobana inſ. *Ind.* 748. 750
Tapura opp. *Armen.* 335
Tapurei pop. *Scyth.* 757
Tapuri montes 756
Tapuri pop. *Med.* 665
Tapyri ibid.
Tapyri *Margian.* 707. 708. 710
Tararium opp. *Bithyn.* 244
Tarbaſſus opp. *Piſid.* 170
Targarum opp. *Afr. propr.* 876
Tariana *Suſ.* 684
Tarichæa lacus *Galil.* 411
Tarichæa vrbs *Galil.* 416
lacus ibid.
Taricheæ *Ægypt.* 786
Tarne fons *Lydiæ* 111
Tarpetes pop. *Mæot.* 302
Tarrum opp. *Maur. Cæſ.* 927
Tarſiana opp. *Carman.* 684. 699
Tarſura fl. *Colch.* 307
Tarſus vrbs *Cilic.* 214. 215
Tarualtæ pop. *Lib. int.* 949
Taruana *Carman.* 699
Taruda *Maur. Cæſ.* 924
Tasbalte opp. *Af. prop.* 878
Taſitia *Aethiop.* 956. 957
Taſtache opp. *Parth.* 704
Taſtina *Armen.* 328
Tathis opp. *Aethiop.* 956
Tathyris vicus *Ægypt.* 820
Taua vrbs *Ægypt.* 782
Ariæ 722
Tauchira opp. *Cyren.* 848
Tauium vrbs *Galat.* 157
Taurantium, Tauramnitium regio *Armen.* 327
Tauropolium Dianæ templum 19
Taurus mons *Aſiæ* 100
Tauri montis initia ibid.
promontorium 97. 224
Pylæ 223
Taxiana inſ. *Perſ.* 696
Taxila vrbs *Ind.* 740
Taxili, Taxillæ pop. 737. 740
Taxymira, Simyra *Phœnic.* 375
Tazina *Med.* 666
Tazos opp. *Boſpor.* 304
Tebaſeni pop. *Galat.* 159
Tectoſacæ, Tectoſages pop. *Galat.* 151. 152
Tedium opp. *Arab.* 591
Tege opp. *Syrt.* 862
Tegea *Afr.* 876
Tegeſtus opp. *Cypri* 237
Teium vrbs *Bithyn.* 253
Telaim *Iud.* 467
Telandrus opp. *Lyciæ* 104
Telchines Rhodi incolæ 27
Teleba *Alban.* 315
Telendos inſ. *Cilic.* 224
Telepte vrbs *Afr.* 875
Telithone opp. *Arab. Petr.* 575
Telmeſſus, Telmiſſus vrbs *Cariæ* 92
Lyciæ 93
Piſid. 169
Telmiſſicus ſinus 94
Telos inſ. *Rhodii mar.* 24
Temala opp. *Ind.* 747
Tembrogius fl. *Bithyn.* 249
Temenothyræ vrbs *Phryg.* 145
Temeſa opp. *Cypri* 235
Temnii pop. *Aeol.* 58
Temnos vrbs *Aeol.* 58
opp. *in ore Hermi* 58
Tendeba caſtell. *Cariæ* 90
Tenedos inſ. *ad Troad.* 10
vrbs ibid.
Tenia, Tænia longa *Maur. Ting.* 930
Teniſſa *Mauret.* 927
Tentyra, Tentyris vrbs *Ægypt.* 819
Tentyrites nomos ibid.
Teos vrbs *Ion.* 65
Terebinthus locus *Iud.* 480
Terédon opp. *Chald.* 641. 642
Teria fl. *Phryg.* 149
Teridata *Meſop.* 610
Termeſſus, Termeſus vrbs *Piſid.* 168. 169
Termiſſus eadem ibid.
Teſa opp. *Carman.* 699
Teſcaphe opp. *Babyl.* 636
Tetagoda *Alban.* 316
Tetius fl. *Cypri* 232
Tetrarchia ex Lycaonia 172
Tetrapolis regio *Syr.* 346
Tetrapyrgia opp. *Cappad.* 289
Teuchira vrbs *Cyren.* 848
Teuthrania regio *Myſ.* 41
opp. ibid.
opp. *Paphlag.* 264
Thaanach opp. *Galil.* 426

Thaanath Silo *Samar.* 439
Thabba opp. *Afr. prop.* 891
Thabiene regio *Parth.* 701
Thabilaca opp. *Alban.* 315
Thabor mons *Galil.* 421
Thabuſion caſtell. *Phryg.* 143
Thabutis opp. *Lib. int.* 947
Thaccona opp. *Babyl.* 634
Thaces pop. *Scyth.* 758
Thadamora vrbs *Syr.* 366
Thæna opp. *Syr.* 363
Thænæ, Theænæ 871
Thaſſu, Thapuah *Iud.* 502
Thagaſte, munic. *Numid.* 907
Thagulis opp. *Syrt.* 862
Thala vrbs *Numid.* 913
Thalatha *Chald.* 641
Thalbis opp. *Alban.* 315
Thaletis patria 76
Thalina *Armen.* 339
Thalluſſa inſ. *apud Chium* 16
Thaluda fl. *Maur. Ting.* 930
Thamagadi vide Tamugadi.
Thamarita *Mauret. Caſ.* 925
Thamatſare *Iud.* 489
Thambes mons *Numid.* 915
Thamna *Iud.* 489
alia ibid.
Thamondacana opp *Lib int.* 948
Thamydeni, Thamudeni pop. *Arab.* 600
Thanuthis opp. *Marmar.* 845
Thapſacus, Thapſacum opp. *Syr.* 367. ſeq. 591
Thapſus, Thapſum opp. *Afr. prop.* 869
Thapuah regio *Samar.* 439
opp. ibid.
opp. *Iud.* 502
Tharela *Iud.* 474
Tharſa vrbs *Samar.* 433
Thasbalte opp. *Afr. prop.* 878
Thaſia opp. *Afr.* 892
Thaſie regio *Iber.* 311
Thaſpis opp. *Carman.* 699
Thauba opp. *Arab. Deſ.* 591
Theangela opp. *Cariæ* 92
Thebæ opp. *Arab. Fel.* 595
Thebæ vrbs *Ægypt.* 826
Thebais regio *Ægypt.* 816
ab occaſu Nili 816
ab ortiua Nili ripa 822
Thebaſa opp. *Lycaon.* 172. 174
Thebes, Thebe campus *Myſ.* 36
Thebeſte, Theueſte vrbs *Numid.* 908
Thebez, Thebes opp. *Samar.* 452
Thebura *Aſſyr.* 663
Thecua vicus *Iud.* 475
Thelbencane opp. *Babyl.* 634
Thelbon opp. *Meſop.* 608
Thelda opp. ibid.
Thelde *Aſſyr.* 664
Thelme *Chald.* 643
Thelmeniſſum *Syr.* 355
Themæotæ pop. *Mæot.* 304. 755
Theman opp. *Idum.* 579
Themiſcyra campus *Ponti* 273
opp. ibid.
Themiſcyréum promont. ibid.
Themiſonium opp. *Phryg.* 135
Themiſſua *Af.* 892
Themiſteas promont. 700
Themma opp. *Arab.* 591
Thena, Thenæ opp. *Afr.* 871
Thenath, Thaanath *Samar.* 439
Theopolis *Syr.* 352
Thera opp. *Cariæ* 86
Thermodon, Thermodoon fl. *Pont.* 274
Thermuthis opp. *Ægypt.* 782
Thermuthiacus fluuius ibid.
Thesba, vrbs *trans Iord.* 540
Theſpis opp. *Carman.* 699
Theudale opp. *Afr.* 891
Theu proſopon promont. *Phœnic.* 376
Thiapolis *Colch.* 307
Thiauna *Alban.* 315
Thibili, Tibili opp. *Numid.* 910
Thibinis *Maur. Caſ.* 926
Thicath opp. *Mauret. Ting.* 936
Thige opp. *Lib. int.* 948
Thigiba colonia *Numid.* 905. 914
Thimna opp. *Iud.* 489
Thinæ, Thina vrbs *Ind.* 749
Thiniſſa opp. *Af.* 889
Thinites nomos *Ægypt.* 818
Thintis opp. *Cyren.* 851
Thiphſach vide Thapſacum.
Thirmida opp. *Numid.* 913
Thirza vrbs *Samar.* 433
This vrbs *Ægypt.* 818
Thisbe, Thesbe opp. *trans Iord.* 540
Thiſica opp. *Af.* 891
Thizibi mons *Syrt.* 863
Thmuis opp. *Ægypt.* 783
Thmuites nomos 783. 798
Thoana opp. *Arab. Petr.* 588

Thoan-

Thoanteum promont. *inſ. Carpath.* 23
Thoar opp. *inſ. Mening.* 864
Thoaris fl. *Ponti* 274
Thogara opp. *Ser.* 760
Thonis vrbs *Ægypt.* 773
Thora, Dora vrbs *Samar.* 439
Thoſab vide Thesba 540
Thoſpia opp. *Armen.* 328
Thoſpitis regio 327
Throana opp. *Ser.* 760
Throaſca opp. *Carman.* 699
Throni opp. *Cypri* 230
Thubuna *Mauret. Cæſ.* 925
Thuburnica colonia *Numid.* 905
Thuburſica ibid.
Thubuſcum opp. *Maur. Cæſ.* 925
Thubutis opp. *Numid.* 914
Thudaca *Mauret. Cæſ.* 926
Thuelath opp. *Lib. int.* 947
Thumelitha opp. *Lib. int.* 948
Thunuba opp. *Afr. prop.* 892
Thunudromum opp. *Numid.* 905. 914
Thunusda *Numid.* 906
Thunuſidenſe oppidum ibid.
Thuppa opp. *Lib. int.* 949
Thuſpa opp. 948
Thuzicath opp. *Numid.* 902
Thyatira vrbs *Lydiæ* 113
colonia Macedonum ibid.
Thycimath opp *Lib. int.* 948
Thymæna *Paphlag.* 264
Thymbris fl. *Bithyn.* 249
Thyni pop. 240
Thynia regio ibid.
Thynia, Thynias inſ. *Pont.* 261
Thyræi pop. *Ind.* 738
Thysdrus, Tisdra *Afr. pr.* 872
Tiaba *Phrygiæ* 141
Tibarani pop. *Cilic.* 222
Tibareni pop. *Pont.* 222. 283. 285
Tiberiadis mare, lacus *Galil.* 411. 417
Tiberias vrbs *Galil.* 417. 418
Tiberiopolis *Phryg.* 130
Tibigenſe opp. *Numid.* 914
Tibilitanæ Aquæ *Numid.* 910
Ticelia *Afr. prop.* 891
Tichaſa ibid.
Tiganeum opp. *Colch.* 307
Tigaua *Mauret. Cæſ.* 926
Tigenſe oppidum *Numid.* 914
Tigis, Tigiſi *Maur. Cæſ.* 926
Tigiſis opp. *Numid.* 914
Tigrana *Med.* 666. 671
Tigranocerta vrbs *Armen.* 330
Tigris fl. 320. 655
Tigris fiſſio in *Babyl.* 634
Tilogrammum oſt. *Gangis* 736. 747
Timæa opp *Bithyn.* 260
Timagenis inſ. *Arab.* 601
Timeni venationes *Phryg.* 145
Timica opp. *Af.* 891
Timici, Timice oppidum *Mauret. Cæſ.* 926. 927
Timoniacenſes pop. *Galat.* 159
Tingene regio *Meſop.* 603
Tingentera vide Tingis.
Tingis, Tingi vrbs *Maur.* 928. 932
Tingitania prouincia 928
Tingitanæ prouinciæ mediterranea 935
Tios vrbs *Bithyn.* 253
Tipaſa *Mauret. Cæſ.* 919
Numid. 911
Tirallis *Cappad.* 297
Tirambæ pop. *Scyth.* 755
Tiſarchi opp *Marmar.* 845
Tisdra, Tisdrus opp. *Af.* 872
Tiſiaus opp. *Numid.* 913
Tiſurus opp. *Afr.* 875
Titariſſus opp. *Cappad.* 300
Tlos vrbs *Lyciæ* 103
Tmolus mons *Lydiæ* 110. ſeq.
opp. 111. 112
Tob terra *trans Iord.* 541
Tobata *Paphlag.* 270
Tobenda opp. *Pont.* 286
Tobros opp. *Afr.* 891
Tocoloſida *Mauret. Ting.* 936
Tocoſanna fl. *Ind.* 747
Tœmphœmbius fl. *Maur. Cæſ.* 926
Toga opp. *Armen.* 328
Tolaſta regio *Galat.* 157
Toliſtobogi, Toliſtoboii popul. *Galat.* 152. 154. ſeq.
Tolmideſſa opp. *Syr.* 364
Tomadæôn inſulæ *Arab. ſin.* 837
Tomala opp. *Arab. Fel.* 597
Tomerus fl *Gedroſ.* 727. 729
Tonice empor. *Aethiop.* 964
Toornæ pop. *Sogd.* 718
Topazos inſ. *ſinus Arab.* 834. 837
Topheth vallis *Hieroſol.* 461
Toreatæ pop. *Mæot.* 303
Toretæ opp. ibid.
Torrens *Ægypti* 518. 519

Torrentes ignei 950
Toſanna fl. *Ind.* 747
Toſole vrbs *Ind.* 748
Toum vrbs *Ægypt.* 827
Trachea *Cilicia* 196
Trachir, vide Stachir 946
Trachonitæ *Arabes* 525
Trachonitis regio *trans Iord.* 523
Tragonice opp. *Perſ.* 696
Traiani fluuius *Ægypt.* 794
Traianopolis *Cilic.* 196
Myſ. 40
Phryg. 145
Tralitæ pop. *Æthiop.* 957
Tralles vrbs *Lydiæ* 119. 120
Tranopolis, vide Traianopolis *Phryg.*
Trapeza promont. 42
Trapezopolis *Cariæ* 88
Trapezus vrbs *Pont.* 276
Trebendæ *Lyciæ* 104
Trera opp. *Cypri* 233
Tretum promont. *Numid.* 902. 915
Triare regio *Iber.* 311
Tribanta opp. *Phryg.* 130
Tribatta vide Trybactra 714
Tribus Aſer & Naphthali 396
Beniamin 394
Ephraim 394
dimidia Manaſſe 394
Iuda 393
Simeon & Dan 394
trans Iordanem 397
Zabulon & Iſſachar 395
Tricadira inſ. *Ind.* 749
Tricomia *Phryg.* 128
Trieres, Trieris, *Phœnic.* 376. 378
Trierorum promont. *Syrt.* 856
Triglypton vrbs *Ind.* 748
Trimenothii pop. *Myſ.* 41
Trimethus opp. *Cypri* 235
Trinacria inſ. *Rhodus* 25
Trineſia inſ. *Ind.* 749
Triopium, Triopon promontorium *Cariæ* 24. 83
Tripolis vrbs *Cariæ* 119
Lydiæ ibid.
Phœnic. 375. ſq.
Pontica 286
Syrt. 857. 859. 861
Tripolis regio 861
Tripolitana prouincia ibid.
Triſarchis pagus *Marmar.* 840
Triſidis opp. *Maur. Ting.* 935
Triton fl. *Syrt.* 860
Tritonia Minerua ibid.
Tritonis palus *Syrt.* ibid.
lacus 950
Trittha opp. *Meſop.* 625
Tritum, Tretum, promontorium *Numid.* 902
Troas, Troianum regnum 42
Troas propria 42
Trocmi pop. *Galat.* 152. 157
Trogiliæ inſulæ ad Samum 19. 71
Trogilium, Trogylium, prom. *Ion.* ibid.
Trogilium inſula ibid.
Troglodytice regio *Aegypt.* 833
Trogylium prom. *Ion.* 19. 71
inſula ibid.
Troia vetus 45
Troiani Phryges dicti 52
Tropatene regio *Med.* 671
Trulla portus *Arab.* 596
Trybactra opp. *Sogd.* 714
Tſartſar fl. *Babyl.* 630
Tzitzi locus *Ægypt.* 829
Tuberus fl. *Gedroſ.* 729
Tubin loca *trans Iord.* 541
Tubune vide Thubuna.
Tuburbo opp. *Afr.* 891
Tuburbo minus, Tuburbiminus 892
Tubuſuptus opp *Maur. Cæſ.* 925
Tucabath opp. *Lib. int.* 947
Tucca *Afr.* 891. 894. 905
Tucca *Numid.* 905
Maur. Cæſ. 918. 926
Terebentina, Terebinthina *Af.* 892. 893. 894
Tuccabori, Thuccabori opp. 894
Tuccitora *Marmar.* 845
Tucma opp. *Afr.* 891
Tucrumuda *Lib. int.* 948
Tugma vrbs *Ind.* 748
Tulenſii pop. *Maur. Cæſ.* 927
Tumarra *Maur. Cæſ.* 924
Tumſa opp. *Afr. pr.* 889
Tundis vide Tyndis 744
Tunes opp. *Afr. propr.* 883. 884
Tuniza, Tumſa *Af.* 889
Tuphium opp. *Ægypt.* 826
Turmeda opp. *Syr.* 367
Turris Stratonis 440
Turzo opp. *Afr. propr.* 891
Tuſca fl. 880. 889. 891

Tuſci pop. *Scyth.* 756
Tuſcubis opp. *Af.* 891
Tusdrus vide Tisdra.
Tuſiagath opp. *Mauret. Cæſ.* 926
Tuſurus, Tuzirus opp. *Afr. pr.* 875
Tutapus fl *Ind.* 735
Tutzis locus *Ægypt.* 830
Tyana vrbs *Cappad.* 291
Tyanitis præfect. *Cappad.* 291
Tydaridæ *Bithyn.* 252
Tylos inſ. *ſin. Perſ.* 600
Tyna fl. *Ind.* 336. 745
Tyndarii, Tyndarei ſcopuli *Marmar.* 846
Tyndaris opp. *Colch.* 307
Tyndis fl. *Ind.* 736. 745
opp. 744
Tynidrumenſe oppidum *Numid.* 914
Tynna opp. *Cappad.* 297
Tyrambæ pop. *Mæot.* 304
Tyrambe opp. *Boſpor.* 303. 757
Tyrrina inſ. *Carman.* 700
Tyrus vrbs *Phœnic.* 381. 382
Tyrus vetus 383
Tyria purpura 382
Tyrius Hercules ibid.
Tyrus opp. *Piſid.* 171
Tzitzi *Ægypt.* 829
Tzur porta Caucaſi 313

V.

Vabar opp. *Mauret. Cæſ.* 919
Vacca opp. *Af.* 876
vrbs *Numid.* 903
Vacuatæ pop. *Mauret. Ting.* 936
Vada, Vata pop. *Numid.* 913
Vadaſſi pop. *Med.* 665
Vaga, Vagenſe oppidum *Numid.* 903
Vagæ opp. *Maur. Cæſ.* 927
Vala fl. *Mauret.* 936
Vali pop. *Scyth.* 756
Validus Murus *Boſpor.* 304
Valli, Vallis opp. *Afr.* 892. 893
Vallis Caſis *Iud.* 473
Vallis Garamantica 947
Vallis Palmarum *Iud.* 581
Vallum Scipionis *Afr.* 887
Valonis fl. oſtia 932
Vamicæda *Mauret. Cæſ.* 923
Vanius opp. *Lib. int.* 947
Vardanus fl. *Boſpor.* 303. 755
Varica opp. *Iber.* 311
Varutha *Armen.* 328
Vaſada opp. *Lycaon.* 175
Vaſæda *Iber.* 311
Vaſana opp. *Maur. Cæſ.* 926
Vasbaria *Maur. Cæſ.* 927
Vata opp. *Numid.* 913
Vatrachites fl. *Perſ.* 681
Vazagad opp. *Maur. Cæſ.* 925
Vazua mons *Afr.* 892
Vcena opp. *Galat.* 158
Vcibi opp. *Numid.* 908
Vdæ pop. *Scyth.* 756
Vditta opp. *Syrt.* 862
Vdon fl. *Sarmat.* 755
Vegiſtum vide Veteſtum.
Vellegia *Lib. int.* 948
Velpi montes *Cyren.* 851
Veneria an *Numidiæ* vrbs 907
Veneria, Aphrodiſium *Afr. pr.* 907
Veneris inſula *Arab. ſin.* 837
ad Cyren. 853. 854
portus *Arab. ſin.* 832
vrbs *Ægypt.* 817. 818
Vepillium opp. *Afr. prop.* 891
Vera caſtell. *Med.* 665. 667
Verſabini caſtrum *Iud.* 516
Verues pop. *Maur. Ting.* 936
Veruicæ pop. ibid.
Veſcether opp. *Mauret. Cæſ.* 924
Veſuni pop. *Lib. int.* 927. 944
Veteſtum opp. *Galat.* 157
Vibrix opp. *Lib. int.* 947
Victoria opp. *Maur. Cæſ.* 927
Vicus Auguſti *Afr. prop.* 878
Vicus Cæſaris ibid.
Villa Emona *Iud.* 473
Villa magna *Syrt.* 859
Vina opp. *Afr. pr.* 892. 895
Vincela opp. *Galat.* 154
Vindia *Galat.* 156
Vindius mons *Ind.* 737
Virtha vide Birtha.
Viraca opp. *Mauret. Cæſ.* 925
Vlai fl. *Perſ.* 676
Vlizibirra *Af.* 891
Vma *Galil.* 407
Vna fl. *Mauret. Ting.* 934
Vnuca *Af.* 892. 893
Vobrix opp. *Mauret. Ting.* 935
Volgeſia vrbs *Babyl.* 633
Vologeſia eadem ibid.
Vologeſocerta ibid.

Volubiliani populus *Mauretan. Tingitan.* 936
Volubilis opp. *Mauret. Ting.* 933. 935
Vorochta inſ. *ad Carman.* 700
Voturi pop. *Galat.* 151
Vr caſtell. *Meſop.* 625
Vr Chaldææ 618. 643
Vra opp. *Syr.* 367
Vrania opp. *Cypri* 228
Vrannimal opp. *Arab.* 600
Vranopolis *Piſid.* 170
Vrbara opp. *Mauret. Cæſ.* 927
Vrema opp. *Syr.* 342
Vſadium promont. *Maur. Ting.* 934
Vſargala mons *Lib. int.* 943. 947
Vſceta, Vzecia *Afr. prop.* 872
Vſilla, Vſula *Afr. prop.* 870
Vſſara *Maur. Cæſ.* 926
Vthina *Af.* 891
Vtica vrbs *Af.* 886. 888
Vticna opp. *Afr. pr.* 891
Vtz terra *Arab. Deſ.* 592
Vxentus mons *Ind.* 737
Vxia, Vzia *Perſ.* 696
Vxii pop. *Perſ.* 682. 690
Vzan opp. *Afr. prop.* 891
Vzecia *Afr.* 872
Vzita opp. ibid.

X.

Xanthus fl *Lyciæ* 94
  opp. *Lyciæ* 94
  fl. *Troad.* 52
Xarxiare opp. *Drang.* 725
Xerxene regio *Armen.* 325. 326
Xoana *Paphlag.* 270
Xois inſula *Ægypt.* 782
  vrbs 782 798
Xoites nomos *Ægypt.* 797
Xylenopolis *Gedroſ.* 731
Xylinces Æthiopes 949
Xyline opp. *Colch.* 309
Xymethus opp. *Cyren.* 851

Z.

Zaanatha opp. *Arab. Petr.* 588
Zaba opp. *Ind.* 748
Zabas fl. *Aſſyr.* 656
Zabdicena regio *Meſop.* 605
Zabram vrbs *Arab. Fel.* 595
Zabulon opp. *Galil.* 426. 427
Zabulonis tribus oppida 396
Zadris opp. *Colch.* 310
Zagira *Paphlag.* 270
Zagóra *Paphlag.* 268
Zagrus mons *Med.* 664
Zagylis pagus *Marmar.* 840
Zaitha Zeitha, Zautha *Meſop.* 608
Zaita opp. *Meſop.* ibid.
Zalacus mons *Maur. Cæſ.* 927
Zalapa opp. *Afr. prop.* 876
Zaliſcus fl. *Paphlag.* 268
Zaliſſa opp. *Iber.* 311
Zalmona *Arab. Petr.* 588
Zama *Cappad.* 294
  Meſop. 625
  Numid. 904. 905
Zamamizon opp. *Afr. prop.* 892
Zanzibar inſula 965. 966
Zaphon opp. *trans Iord.* 552
Zara *Armen.* 334
  Arab. 575
Zaragardia *Meſop.* 611
Zarangæ pop. *Drang.* 724
Zarath, Zarattha opp. *Maur. Cæſ.* 924
Zarea opp. *Iud.* 514
Zaretæ pop. *Scyth.* 758
Zariaſpa vrbs *Drang.* 724
Zariaſpæ pop. ibid.
Zariaſpa, *Bactra* 711
Zariaſpis fl *Bactr.* 711
Zarpath opp. *Phœnic.* 380
Zarta. Zareta vrbs *Samar.* 437. 438
Zarytus Hippo *Afr. propr.* 889
Zates fl *Aſſyr.* 655
Zathua *Armen.* 328
Zebeca opp. *Iud.* 489
Zeboim *Iud.* 487
Zela vrbs *Pont.* 280. 281
Zeleia eadem 280
Zeleia, Zelea, Zelia opp. *Troad.* 49
Zelis, opp. *Maur.* 933
Zelitis regio *Pont.* 280
Zella opp. *Afr. propr.* 876
Zengiſa promont. *Æthiop.* 963
Zenobii inſulæ *Arab.* 601
Zenodori domus 523
Zenodotia, Zenodotium *Meſop.* 606
Zenonis Stoici patria 231
Zephyrium promont. *Cilic.* 199. 200
  aliud 207
  Cypri 233

Zephyri-

Zephyrium promont. *Cyren.* 847
Paphlag. 265
Ponti 276
Zerbis fl. *Aſſyr.* 656
Zetha promont. *Syrt.* 860
Zethis opp. *Carman.* 699
Zetta opp. *Afr. prop.* 876
Zeudracarta *Hyrcan.* 706
Zeugis, Zeugitana regio 879
mediterranea 891
Zeugma opp. *Syr.* 341. 342. 343
Pellæum ibid.
Ziela, Zela, opp. *Pont.* 280
Zigira opp. *Afr. pr.* 892
Ziklag, Ziclag vicus *Iud.* 495
Zilia colonia *Mauret. Ting.* 932. 933
fluv. 933
Zimara *Armen.* 335
Zin ſolitudo *Arab.* 587
Zinchi pop. *Scyth.* 755
Zioberis fl. *Parth.* 704
Zion mons 457
Ziph deſertum *Iud.* 483. 484
opp ibid.
Zippori vrbs *Galil.* 419
Zizama opp. *Lib. int.* 948
Zoan vrbs *Ægypt.* 801. 807
Zoar opp. *Iud.* 485. 486
Zogocara *Armen.* 328
Zombis opp. *Med.* 671
Zopariſtus opp. *Cappad.* 300
Zophim locus *Iud.* 464
Zor, Tyrus *Phœnic.*
Zora opp. *Iud.* 514
Zorambus fl. *Carman.* 698
Zoriga opp. *Armen.* 328
Zoroanda *Armen.* 321
Zoromba fl. *Carman.* 699
Zorzila opp. *Piſid.* 166
Zotale ager *Margian.* 708
Zuchabari opp. *Maur. Cæſ.* 926
Zuchis lacus *Syrt.* 859
vrbs ibid.
Zugar opp. *Afr. propr.* 875
Zurmentum opp. *Af.* 876
Zuthi pop. *Carman.* 698
Zuzim pop. *trans Iord.* 533
Zydretæ pop. *Colch.* 309
Zygena inſ. *Arab. fin.* 601
Zygris pagus *Marmar.* 840
Zygritarum gens *Marmar.* 845

PUBLIC LIBRARY
OF THE
CITY OF BOSTON.

ABBREVIATED REGULATIONS.

One volume can be taken at a time from the Lower Hall, and one from the Upper Hall.

Books can be kept out 14 days.

A fine of 3 cents for each imperial octavo, or larger volume, and 2 cents for each smaller volume, will be incurred for each day a book is detained more than 14 days.

Any book detained more than a week beyond the time limited, will be sent for at the expense of the delinquent.

No book is to be lent out of the household of the borrower.

The Library hours for the delivery and return of books are from 10 o'clock, A. M., to 8 o'clock, P. M., in the Lower Hall; and from 10 o'clock, A. M., until one half hour before sunset in the Upper Hall.

Every book must, under penalty of one dollar, be returned to the Library at such time in October as shall be publicly announced.

No book belonging to the Upper Library, can be given out from the Lower Hall, nor returned there; nor can any book, belonging to the Lower Library be delivered from, or received in, the Upper Hall.